IN PRIMAM PARTEM DIUI THOMAE AQUINATIS SANCTAE ECCLESIAE...

Dionigi Leone

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE III ROMA

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

HÆ VERA FER VNT ORACVLA

FRATRIS DIONYSII LEONE LYCIENSIS


SACRÆ THEOLOGIÆ MAGISTRI
ORDINIS PRÆDICATORVM

IN PRIMAM PARTEM DIVI THOMÆ AQVINATIS

SANCTÆ ECCLESIÆ ANGELICI
DOCTORIS
ARTICVLORVM FORMATIONES
COMMENTARIA
ET DISPVTATIONES

Tomus Tertius

Ad Sanctiſsimum Dominum nostrum
ALEXANDRVM VII
PONTIFICEM OPTIMVM
MAXIMVM



Bibl. Soc. Coll. Rom. Soc. Jesu

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

SANCTISSIMO D. NOSTRO

ALEXANDRO VII.

PONT. OPT. MAX.

NVSPIAM ſcholaſtica theologia volat altior, quàm vbi Angelici Doctoris inſtructa Cherubicis alis in ipſum tendit ſacratiſsimæ Trinitatis arcanum culmen, rimatura illic, non quid ab inacceſſo illo Diuinitatis fonte foras effluat, ſed quid *AD INTRA* (vt loquimur) procedat. Iiſdem fiſus alis hic meus de *ALTISSIMO TRINITATIS* myſterio ſcholaſticus commentarius, non niſi altiſsima petere didicit, & cum ſibi excelſa quadam protectione opus eſſe aduertit, ad eum peruolat, quò nihil excelſius terrarum orbis habet, ad Tuæ, inquam, Beatiſsime Pater non minùs benignitatis, quàm dignitatis ſupremum faſtigium.

Scio equidem, Pater Beatiſsime, nec eam eſſe huius commentarioli eruditionem, nitorem, venuſtatem, quam tanti argumenti

pon-

Digitized by Google

pondus, ac Maieſtas requirunt, ſed nequè eam humillimi ſcriptoris conditionem, vt tanquàm Apoſtolico coſpectui dignum quid afferens extremam Auguſtiſsimi throni tui crepidinem mereatur contingere, at *ALEXANDER* es humanitate, æquè ac Imperio *MAGNVS*, imò *SVMMVS. PATER* es, nec paternum aliquid à te alienum putas. Ergo ne dedigneris munuſculum ſuaptè quidem exiguitate pauidum, ſed filiali offerentis obſequio fidens, in quo prouolutus Author Sanctitatis Tuæ pedibus humiliter ſiſtit modicum id potiùs, quod eſt, quàm nihilum, quod habet. Soſpitet Deus diutiſsimè Sanctitatem Tuam Chriſtianæ Reipublicæ bono, ipſamquè pro immenſis in Eccleſiam ſuam meritis perpetuò fortunet. Lycij è Conuentu Sancti Ioannis de Ayme die 2. Ianuarij 1659.

Sanctitatis Tuæ

Humillimus filius, & obſeruantiſs. ſeruus
Fr. Dionyſius Lycienſis Ord. Præd.

Digitized by Google

APPROBATIO AD FR.P.R. IOANNIS THOMÆ DE BITETTO

Baccalaureij, & Regentis Studij Generalis Lycij.

IVSSA mei Reuerendiſsimi Patris Magiſtri Generalis totius Ordinis Prædicatorum tertij codicis Ad.R. Patris Magiſtri Fratris Dionyſij Leone Lycienſis in primam partem à quæſtione vigeſima ſeptima vſquè ad quadrageſimam tertiam incluſiuè, noſtri Angelici Præceptoris. fidelē relationem reddit urum me perſcripſerunt; eaquè veneratus, poſtquàm hunc, frequentiori quo potui Studio perlegi, obedientiæ iura, & Authoris merita, me vera referentem volunt. Et equidem, propè tantum SOLEM, talem LEONEM; & tantum LEONEM talis LVPÆ matris filium, meritò dignum noui, vt potè non ſolùm in orthodoxæ fidei dogmatibus, aut morum inſtitutione cuncta conſona, ſed in referendis doctorum placitis tutum, in examinandis rationibus tutiorem; & in veris ſententijs tutiſſimum eum comperi. Prodeat igitur ad noſtræ Religionis gloriam, ad doctrinæ D. Thomæ explanationem nitidiorem, & ad ſapientium omnium totius noſtri æui documentum egregius tàm Labor. Sic teſtor. Datum Lycij Die 10. Iunij 1658.

Fr. Ioannes Thomas de Bitetto qui ſupra.

APPROBATIO R. P. F. THOMÆ GRÆCI à CASTELLANETA,

Baccalaureij eiuſdem Studij Generalis.

QVOD Ad. R.P.Fr. Dionyſius Leone Lycienſis Magiſter, ſplendentiſſimum noſtræ Religionis Sydus, de Sanctiſſimæ Trinitatis myſterio inſigne compoſuit opus, iuſſu Reuerēdiſſimi Patris mei Generalis vidi, accurateque perlegi; & nedùm tanti myſterij ſanam redolet veritatem, verumetiam D. Thomæ doctrinam adeò feliciter illuſtrat, vt ſuis formalizationibus, clariorem; commentationibus gratiorem: & diſputationibus, demonſtret firmiorem; Si quis autem hanc fidem in ſuſpicionem adduxerit, vt certioretur, legat, & vtilius erit ei. Talem enim percipiet dè lectione fructum. vt mecum exclamet, ſimulquè fidem faciat, dicens; Opus hoc eſt pro omnium inſtructione, impreſſione dignum. Datum Lycij in conuentu Sancti Ioannis de Aymo. die 1. Aprilis 1658.

Fr. Thomas Græcus qui ſupra.

Digitized by Google

NOS FR. IOANNES BAPTISTA DE MARINIS.

SACRAE THEOLOGIAE PROFESSOR, ORDINIS PRAEDICATORVM humilis Magiſter Generalis, & ſeruus.

HARVM ſerie, noſtriquè authoritate Officij, tibi A. R. P. Magiſtro Fr. Dionyſio Leone de Lytio, licentiam, & facultatem impartimur, vt typis mandare poſsis tertium Tomum Commentariorum ſuper primam partem Summæ Sancti Thomæ, à te compoſitum, & ex ordine noſtro reuiſum, & approbatum à duobus Sacræ Theologiæ Profeſſoribus, ſeruatis de iure ſeruandis, præcipuè decretis Sacroſancti Cōcilij Tridentini, & ordinationibus Capitulorū generalium noſtri Ordinis. In quorum fidem his Sigillo noſtro munitis, manu propria ſubſcripſimus; Datum Romæ in Conuentu noſtro S. Mariæ ſuper Mineruam die 14. Septembris 1657.

Fr. Ioannes Baptiſta de Marinis.

Regiſtrata fol. 81.

Fr. Gregorius Areilza Magiſt. Prouin. Terræ Sanctæ.

LICENTIA, ET APPROBATIO AD. REV. PATRIS MAGISTRI PROVINCIALIS.

TERTIVM hunc Tomum in primam partem Diui Thomæ Aquinatis ab A. Reu. Patre Magiſtro Fr. Dionyſio Leone Lycienſi, ſapientiſſimo Præceptore meo in Theologico quondàm Barenſi Lycæo, egregiè compoſitum, diligenter vidi, legi, atquè conſideraui; ipſumquè Opus rationabiliter Ternium, ex Pythagoræorum placito diiudicaui; quoniam perfectum, ſacrum, & optimum: Perfectum quidem, cum in ſana, perfecta, & Catholica doctrina, vt potè à ſolida, cella, clara, ac firma ſententia Doctoris Angelici hauſta, ſundetur: Sacrum deinde, dum Tractatum de Sacroſancto Trinitatis Myſterio, ex eodem Salomone Aquinate à quæſt. 27. vſquè ad quæſt. 43. protracto commētatur: Optimum poſtremò, quia à Dionyſio Leone diſputatur. A Dionyſio, inquam, imitante non in Politicis eloquijs alterum ex Syracuſanis, qui, quamuis peritiſſimæ Mineruæ Patriæ tamen in flagitia conſpirarunt; ſed vel Heracleotem illum anteſignanum in Philoſophicis; vel Areopagitam Sanctum, cui in primo, & ſecundo Tomo ſimilis approbatur, in Theologicis coryphæum Academijs. A Leone, inſuper, inſequente nō Iſauricum Imperatorem, etſi in ſacris literis eruditum, tamen Iconoclaſtam; ſed vel Bizantinum Platoniſtam, qui Patriam ſuam publicis Gymnaſiorum Palæſtris condecorauit, vel Pontificem illum Maximum huius nominis primo Diuum, qui Sanctam Eccleſiam Catholicis Dogmatibus, ſuoquè Chriſtiano calamo illuſtrauit. A Dionyſio igitur Leone imperterrito, & acerrimo Angelicæ doctrinæ propugnatore, ac defenſore componitur, atque compilatur. Hactenùs de hoc tertio Tomo; nam perfecto: non plus vltra de eodem; quoniam Sacro; hucuſquè demum; quia optimo; quapropter digno, vt in lucem prodeat. Datum Vigilijs die 16. Februarij 1657.

Fr. Dominicus à Vigilijs Prouinciæ Sancti Thomæ Magiſter Prouincialis.

Regiſtrata fol. primo.

Fr. Dominicus à Meſſapia Lector, loco ſocij.

Digitized by Google

EXCELLENTISSIME PRINCEPS.

COmmentarias in primam Angelici Doctoris partem diſputationes ingenioſè elucubratas ab Admodùm Reuerendo Patre Fratre Dionyſio Leone Lycienſe Sacræ Theologiæ Magiſtro Ordinis Prædicatorum. Perlegi; & quem tua iuſſa Cenſorem perſcripſerunt, Authoris merita me volunt panegyriſtam, atquè vno faſce, laudum omnium colligere ſegetem, ſi Dionyſium commendaturus, dicam; Solem Aquinatem propè Leonem clariùs emicare. Serio igitur cenſeo, non modo nihil in hoc opere contineri ab orthodoxa fide, morumquè integritate alienum, *vel Regiæ Iuriſdictioni refragari, aut detrahere*. Verumetiam reperiri multa, quæ fidem, & pietatem valeant excitare. Quamobrem, opus digniſsimum reor, quod & mandetur Typis, & in omnium oculis, animiſquè verſetur, ad Auctoris ornamentum, ad eius Ordinis gloriam, ad poſterorum vtilitatem. Datum Lycij die 15. Menſis Decembris 1649.

Excellentiæ tuæ.

Deuotiſsimus ſeruus

Ioannes Leonardus Serſalis.

Viſa ſupradicta relatione. Imprimatur.

Zufia Regens.
Caſanate Regens.
Caracciolus Regens.
Garzia Regens.

Prouiſum per Suam Excellentiam. Neap. 21. Ianuarij 1650.

De Giorno.

APPROBATIO AD. R. P.

D. ANDREÆ DE CASERTA

CONGREGATIONIS COELESTINORVM SANCTI BENEDICTI.

COmmentaria in primam partem D. Thomæ Doctoris Angelici, à quæſt. 27. vſquè ad quæſt. 43. incluſiuè, Admodùm Reuerendi Patris Fratris Dionyſij Leonis Sacræ Theologiæ Magiſtri Ordinis Prædicatorum, de ordine Illuſtriſ. & Reuer. Aloyſij Pappacodæ Epiſcopi Lycienſis vidi; & quia in illis nihil contra bonos mores, & orthodoxam fidem imò potiùs multa, quæ ad vtilitatem ſcholaſticorum, & ad fidem excitant, reperi: ideò, vt Typis mandentur cenſeo. Datum Lycij in Monaſterio S. Crucis die 7. menſis Ianuarij 1658.

Ego D. Andreas de Caſerta vidi vt ſupra.

Imprimatur.

Aloyſius Epiſcopus Lycienſis.

Digitized by Google

FRATRIS DIONYSII LEONIS LYCIENSIS

SACRÆ THEOLOGIÆ MAGISTRI ORDINIS PRÆDICATORVM

IN PRIMAM PARTEM DIVI THOMÆ AQVINATIS

SANCTÆ ECCLESIÆ ANGELICI DOCTORIS,

ARTICVLORVM FORMATIONES, COMMENTARIA, ET DISPVTATIONES.

TOMVS TERTIVS.

QVÆSTIO XXVII.

De Proceſſione Diuinarum Perſonarum.

In quinque articulos diuiſa.

CONſideratis autem his, quæ ad diuinæ eſſentiæ vnitatem pertinent, reſtat conſiderare de his, quæ pertinent ad Trinitatem perſonarum in diuinis; & quia perſonæ diuinæ ſecundũ relationes originis diſtinguuntur, ſecundũ ordinem doctrinæ, priùs conſiderandũ eſt de origine, ſiuè de proceſſione: ſecundò, de relationibus originis: tertiò, de perſonis.

Circa proceſſionẽ quæruntur quinque.

Primò, vtrum proceſſio ſit in diuinis.

Secundò, vtrum aliqua proceſſio in diuinis generatio dici poſſit.

Tertiò, vtrum præter generationem aliqua alia proceſſio poſſit eſſe in diuinis.

Quartò, vtrum illa alia proceſſio poſſit dici generatio.

Quintò, vtrum in diuinis ſint plures proceſſiones, quàm duæ.

Digitized by Google

FORMATIO Articuli.

QVatripartita eſt corporis diſtributio. Primò, reſpondet quæſito vnica cōcluſione, quam in principio corporis abſolutè ponit, in fine verò, eam iuxta verā intelligētiam modificat, & declarat. Secundò, proceſſionem, quam cōtra fidem ponebāt hæretici, refert, ſimulatquè confutat. Tertiò, deducit corollarium. Et quartò, aſſignat verum catholicæ fidei modum, quo proceſſio eſt in diuinis.

Quò ad primum, concluſio eſt iſta. *Diuina ſcriptura in rebus diuinis nominibus ad proceſſionem pertinentibus vtitur.*

Quò ad ſecundū, duo facit; primò dicit ſic. *Hanc proceſſionem diuerſi diuerſimodè acceperūt;* & refert modum dicendi Arrij, ipſūquè impugnat.

Modum dicendi ſic refert. *Quidam enim acceperunt hāc proceſſionem, ſecundū quòd effectus procedit à cauſa. Et ſic accepit Arrius, dicens, Filium procedere à Patre ſicut primam eius creaturam; & Spiritum Sanctum procedere à Patre, & Filio, ſicut creatura vtriuſquè.*

Refellit hunc dicendi modum, ſic dicens. *Et ſecundùm hoc, nequè Filius, nequè Spiritus Sanctus eſſet verus Deus &c.* lege litteram vſq; ad illa verba, *ſolius Dei eſt*, incluſiuè.

Quò ad horum ſecūdum, refert modum dicēdi Sabellij, & eum quoquè refellit.

Sabellij dicendi modum his verbis refert. *Alij verò hāc proceſſionem acceperūt, ſecundùm quòd cauſa dicitur procedere in effectum &c.* lege litterā vſquè ad illa verba, *& ad vitam mouet*, incluſiuè.

Hunc dicendi modū ſic impugnat. *Huic acceptioni repugnāt verba Domini de ſe dicentis &c.* lege litteram vſque ad illa verba, *ad aliquid extra*, incluſiuè.

Quò ad tertium, corollariū eſt iſtud *Vnde neuter poſuit proceſſionem in ipſo Deo.*

Quò ad quartū, tria facit; primò, probat dari proceſſionem ad intra, & hoc maximè in intellectu. Secundò, probat proceſſionem in diuinis accipiendam eſſe ſecundùm proceſſionem ad intra, & nō ad extra; Et tertiò, concluſionem abſolutè poſitam, explicat, & declarat.

Quò ad horum primum, ſic ait. *Secūdum actionem, quæ manet in ipſo agente, attenditur proceſſio quædam ad intra.*

Probat autē ſic; quia *ſecūdùm actionē, quæ attenditur in exteriorem materiā, eſt aliqua proceſſio ad extra.* Ergo *ſecundùm*

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum proceſſio ſit in diuinis.

AD primum ſic proceditur, videtur quod in Deo non poſſit eſſe aliqua proceſſio: proceſſio enim ſignificat motum ad extra; ſed in diuinis nihil eſt mobile, neq; extraneum: ergo neque proceſſio.

2. Præterea, omne procedens eſt diuerſum ab eo à quo procedit; ſed in Deo non eſt aliqua diuerſitas, ſed ſumma ſimplicitas: ergo in Deo non eſt proceſſio aliqua.

3. Præterea, procedere ab alio, videtur rationi primi principij repugnare, ſed Deus eſt primum principium, vt ſupra oſtenſum eſt: ergo in Deo proceſſio locum non habet.

Sed contra eſt, quod dicit Dominus Ioan. 7. ego ex Deo proceſſi.

Reſpondeo dicendum, quod diuina ſcriptura in rebus diuinis nominibus ad proceſſionem pertinētibus vtitur. Hanc autem proceſſionem diuerſi diuerſimodè acceperunt: quidam enim acceperūt hanc proceſſionem ſecundum quod effectus procedit à cauſa; & ſic accepit Arrius, dicens filium procedere à patre ſicut primam eius creaturam, & Spiritum ſanctum procedere à Patre, & Filio ſicut creaturam vtriuſque; & ſecundum hoc, neque Filius, neq; Spiritus ſanctus eſſet verus Deus, quod eſt contra id, quod dicitur de Filio 1. Ioan. vltim. vt ſimus in vero Filio eius: hic eſt verus Deus; & de Spiritu ſancto dicitur 1. Corinth. 3. Neſcitis quia membra veſtra templum ſunt Spiritus ſancti: templum autem habere ſolius Dei eſt: alij verò hanc proceſſionem acceperunt ſecundum quod cauſa dicitur procedere in effectum, inquantum vel mouet ipſum, vel ſimilitudinem ſuam ipſi imprimit; & ſic accepit Sabellius dicens, ipſum Deum patrem Filium dici, ſecundum quod carnē aſſumpſit ex Virgine, & eundem dici Spiritum ſanctum, ſecundum quod creaturam rationalem ſanctificat, & ad vitam mouet: huic autem acceptioni repugnant verba Domini de ſe dicentis Ioan. 5. Non poteſt facere à ſe Filius quicquam, & multa alia, per quæ oſtenditur, quòd non eſt ipſe Pater, qui Filius. Si quis autem diligenter conſideret, vterque accepit proceſſionem, ſecundum quod eſt ad aliquid extra: vnde neuter poſuit proceſſionem in ipſo Deo, ſed cum omnis proceſſio ſit ſecundum aliquam actionem, ſicut ſecundum actionem, quæ tendit in exteriorem materiam, eſt aliqua proceſſio ad extra, ita ſecundum actionem, quæ manet in ipſo agente, attenditur proceſſio quædam ad intra; & hoc maximè patet in intellectu, cuius actio, ſcilicet intelligere manet in intelligente. Quicunque autem intelligit, ex hoc ipſo, quod intelligit, procedit aliquid intra ipſum, quod eſt conceptio rei intellectæ ex vi intellectiua prouenienſ, & ex eius notitia procedens. Quam quidē conceptionem vox ſignificat, & dicitur verbum cordis, ſignificatum verbo vocis: cum autē Deus ſit

dùm actionem, quæ manet in ipſo agente, attenditur proceſſio &c. Probat conſequentiam. Quia *Omnis proceſſio eſt ſecundùm aliquā actionem.* Ergo *ſicut ſecundùm actionem, quæ tendit in exteriorem materiam, eſt aliqua proceſſio ad extra, ita &c.*

Hoc, ait, *maximè patet in intellectu, cuius actio, ſcilicet intelligere, manet in intelligente.*

Probatio huius eſt iſta. Quia *quicunquè intelligit, ex hoc ipſo quòd intelligit, procedit aliquid intra ipſum, quod eſt cōceptio rei intellectæ ex ui intellectiua proueniens &c.* lege litteram vſquè ad illa verba, *verbo vocis*, incluſiuè.

Quò ad horum ſecundum, probatio eſt iſta. *Ea, quæ in Deo dicūtur, nō sūt intelligenda ſecundū modum infimarum creaturarum, quæ sūt corpora, ſed ſecundū ſimilitudinem ſupremarum creaturarum &c.* lege litteram vſquè ad illa verba, *manet in ipſo*, incluſiuè.

ſit ſuper omnia, ea quæ in Deo dicuntur non ſunt intelligenda ſecundum modum infimarum creaturarum, quæ ſunt corpora, ſed ſecundum ſimilitudinem ſupremarum creaturarum, quæ ſunt intellectuales ſubſtantiæ, à quibus etiam ſimilitudo accepta deficit à repræſentatione diuinorum: non ergo accipienda eſt proceſſio ſecundum quod eſt in corporalibus, vel per motum localem, vel per actionem alicuius cauſæ in exteriorem effectum, vt calor à calefaciente in calefactum, ſed ſecundum emanationem intelligibilem, vtpote verbi intelligibilis à dicente, quod manet in ipſo; & ſic fides catholica proceſſionem ponit in diuinis.

Ad primum ergo dicendum, quod obiectio illa procedit de proceſſione, quæ eſt motus localis, vel quæ eſt ſecundum actionem tendentem in exteriorem materiam, vel in exteriorem effectum, talis autem proceſſio non eſt in diuinis, vt dictum eſt.

Ad ſecundum dicendum, quod id, quod procedit ſecundum proceſſionem, quæ eſt ad extra, oportet eſſe diuerſum ab eo à quo procedit; ſed id, quod procedit ad intra proceſſu intelligibili, non oportet eſſe diuerſum, imò quanto perfectius procedit, tanto magis eſt vnum cum eo, à quo procedit. Manifeſtum eſt enim, quod quanto aliquid magis intelligitur, tanto conceptio intellectualis eſt magis intima intelligenti, & magis vnum: nam intellectus ſecundum hoc, quod actu intelligit, ſecundum hoc fit magis vnum cum intellecto: vnde cum diuinum intelligere ſit in fine perfectionis, (vt ſupra dictum eſt,) neceſſe eſt, quod verbum diuinum ſit perfectè vnum cum eo, à quo procedit abſque omni diuerſitate.

Ad tertium dicendum, quod procedere à principio vt extraneum, & diuerſum, repugnat rationi primi principij; ſed procedere, vt intimum, & abſque diuerſitate per modum intelligibilem, includitur in ratione primi principij: cum enim dicimus ædificatorem principium domus in ratione huius principij, includitur conceptio ſuæ artis; & includeretur in ratione primi principij, ſi ædificator eſſet primum principium. Deus autem, qui eſt primum principium rerum, comparatur ad res creatas, vt artifex ad artificiata.

Quò ad horum tertium ſic ait. *Et ſic fides catholica proceſſionem ponit in diuinis.*

Ad primum argumentum reſpondet, diſtinguēdo maiorē. *Proceſſio*, quę eſt motus localis, vel quæ eſt ſecundùm actionē tendentem in exteriorem materiā, vel in exteriorem effectum, *ſignificat motum ad extra*, cōcedit maiorem. *Proceſſio*, ſecūdùm emanationem intelligibilem, *ſignificat motum ad extra*, negat maiorem. Tunc conceſſa minori, negat conſequentiam.

Ad ſecundum argumentum reſpōdet, diſtinguendo maiorē. *Omne procedens* ſecundùm proceſſionem, quę eſt ad extra, *eſt diuerſum ab eo, à quo procedit*, concedit maiorem. *Omne procedens* ad intra, proceſſu intelligibili, *eſt diuerſum ab eo*, à quo procedit, negat maiorem. Tunc conceſſa minori, negat conſequentiam.

Ad tertium argumētum reſpōdet, diſtinguendo maiorem. *Procedere ab alio tanquàm à principio*, vt extraneū, & diuerſum, *videtur rationi primi principij repugnare*; concedit maiorē. *Procedere ab alio tanquàm à principio, vt intimum, & abſquè diuerſitate, videtur rationi primi principij repugnare*, negat maiorem. Tunc conceſſa minori, negat conſequentiam.

SVPER ARTICVLVM COMMENTARIVM.

1 VTRVM *proceſſio*. *Proceſſio*, eſt nomen deriuatum à verbo, procedo; quod quidem in prima ſui acceptione ſignificat vlterius progredi cum motu locali. Et iuxta hanc acceptionem ſepiſſimè vſus eſt Cicero. Deinde tranſlatum eſt ad ſignificandam originem, vel emanationem ab alio. Et hoc modo, adhùc dupliciter. Vel per ſimplicem emanationem, ſicuti ab eſſentia animæ eius potentiæ manant; vel media aliqua actione, ſicuti calor productus procedit per Cicero.

Digitized by Google

calefactionem. In præſenti ſecundùm nõnullos accipitur primo modo, cõmuniter, nõ deſcendendo ad vnam, vel alteram proceſſionis acceptionem. Et ſic intelligunt Caietanum dicentem, quòd proceſſio, *ſumitur communiter non deſcendendo ad talem, vel talem proceſſionem.*

2 Verùm hæc interpretatio nec litteræ quadrat; neque cum expoſitione Caietani benè cohæret. Nam de illa proceſſione littera quærit, quæ poſſet dici eſſe in Deo; ſeu in diuinis perſonis: ſed proceſſio quæ eſt ad extra, non dicitur proceſſio in Deo, ſeu in diuinis perſonis. Ergo proceſſio non accipitur communiter, pro vt ſe extendit ad proceſſionem ad extra, & ad intra. Neque cohærenter diceret Caietanus, quòd ly, *in diuinis*, ſumitur pro vt idem ſonat, ac *in Deo*, id eſt intra Deum.

3 Dicendum eſt igitur, quòd ly *proceſſio*, accipitur pro proceſſione ad intra, non deſcendendo ad talem, vel talem proceſſionis modum ad intra, nimirum, ad proceſſionem immediatè per naturam, per intellectum, per voluntatem &c. Et ſic intelligendus eſt Caietanus, cum dixit, quod ly, *proceſſio*, ſumitur communiter &c. Caietan.

4 *Sit*. Accipitur realiter, & formaliter, pro vt diſtinguitur à ly, *concipitur*, vt rectè obſeruat Caietanus. Caiet.

5 *In diuinis*. Ly, *in*, ſumitur propriè, quatenus ſcilicet denotat modum eſſendi in aliquo formaliter.

6 *Diuinis*. Dupliciter verificari poteſt; primò, vt idem ſit dicere *in diuinis*, ac dicere, *in Deo*, ſeu intra Deum, vt communiter D. Thomæ Commẽtatores exponunt, præſertim Caietanus. Secundò, vt idem ſit, dicere *in diuinis*, ac in diuinis perſonis. Et hoc mihi magnoperè comprobatur.

7 Scio tamen, quòd ly, *in diuinis*, aliquãdo ſic pro vt idem ſonat, ac in Deo, accipitur, quòd non poſſit accipi, pro vt idẽ ſonat, ac in diuinis perſonis. Patet hoc; quia D. Thomas infra q. 30. art. 1. vbi quærit, *Vtrum ſit ponere plures perſonas in diuinis*. Ly, *in diuinis*, accipitur tantùm pro vt idem ſonat, ac in Deo; Quoniam non poteſt accipi, pro vt idem ſonat, ac in diuinis perſonis, hũc enim ſenſum faceret, Vtrum ſit ponere plures perſonas in diuinis perſonis. Et ſic peteret, Vtrũ in pluribus perſonis ſit ponere plures perſonas, quod indignum eſt, diuino tribuere D. Thomæ ingenio; dico tamen, in hoc articulo ly, *in diuinis*, poſſe accipi etiam pro diuinis perſonis. Et hoc apertè colligo ex eodem D. Thoma, qui de potentia q. 10. art. 1. poſtquàm ſtatuit hoc quæſitum; *Vtrum ſit aliqua proceſſio in diuinis* in principio articuli hæc verba fatur. *Primò, quæritur, Vtrum ſit proceſſio in diuinis perſonis*: Quid clarius? Puto igitur, quòd articulus iſte ſupponit diuinarum pluralitatem perſonarum, non verò probat. D.Thom. D.Thom. D.Thom.

8 Senſus igitur quæſiti eſt iſte. Vtrum in diuinis perſonis, aut intra Deum ſit re aliqua vera proceſſio.

9 *Diuina ſcriptura in rebus diuinis, nominibus ad proceſſionem pertinentibus vtitur*. Per hęc verba reſpondet quidem abſolutè quæſito, ſed non adæquatè; quia non declarat modum proceſſionis, qui per verba tituli inſinuatur.

10 *Et ſic accepit Arrius*. Priùs refert errorem Arij, quàm Sabellij, non obſtante, quòd Arrius fuerit Sabellio ipſo poſterior. Nam Sabellij hæreſis exorta eſt circa annum Domini 260. Quod vt puto, fecit; quia impietas Arrij fuit horribilior iniquitate Sabellij. Etenim dum in Concilio Nicæno huius hæretici blaſphemia legeretur, Patres, qui aderant, adeò eius exhorruerunt blaſphemiam, vt eorũ caſtas mox obſtruxerint aures, vt teſtatur Athanaſius orat. 1. cont. Arrianos his verbis. *Ego certè, vel ſolùm inter ſcribendum, cum & eius impietatem recordarer, verumquè de religione ſenſum retinerem, non potui hominem non execrari. Nam & in Nicæno Conuentu omnes quotquot ibi aderant Epiſcopi, aures ſuas ad iſta verba obturauerunt*. Et meritò; quia à Creatore, ac Redemptore abſtulerant Deitatem. Arrius. Sabellius Nicænum Athanaſ.

11 *Et ſic accepit Arius*. Arrius patria Alexandrinus, ſtatura valde longus, ſub triſti ſpecie, figuratus velut doloſus ſerpẽs, qui decipere poſſet omne innocens cor, peruerſiuum ſuum prætextum: dimidiũ pallium hic ſemper indutus & ſtolam; dulcis erat in colloquio, perſuadens ſemper animas, & blandiens; inuidus admodum ferox, & laſciuus nimis. Vide Epiphanium de hæreſibus, hæreſi 79. Arrius. Epiphan.

12 Fuit Præsbyter Alexandriæ in Baucalide Eccleſia, ſic appellata, & vt vidit Alexandrum, virum doctum, ſanctum, manſuetum & pium, ad Epiſcopatus gubernacula deſignatum, inuidiæ flamma incenſus, tanti præſulis Eccleſiam errorum procellis conabatur magnoperè conturbare: & quia, Alexander Epiſcopus Alexandrinus tanquàm fidei columen, Dei verbum, eſſe verum Deum, & Increatum, Deoque Patri omninò conſubſtantiale firmiter defendebat. Ex oppoſitò Arius defendere ac docere cœpit, Verbum non eſſe conſubſtantiale Patri, ſed primam Dei creaturam ex nihilo omninò productam; quo ab Alexandro audito, Alexander Epiſcopus Alexandr.

Digitized by Google

audito, eum ad ſe accerſiri fecit; & quãuis diuerſis latuerat formis, modo excuſans ſe, catholiciſquè inhærens, & modo ſchiſmaticis, impius tamen eſt, mediante diligentia Meletij, ab Alexandro detectus; & ſæpè monitus vt à tanta iniquitate recederet, pertinax tandem in ſua ſtultitia permanſit; Quapropter fuit ab Alexandro Epiſcopo excommunicatus, & ab Alexandria eiectus; & in Concilio Niceno, atq; Romano damnatus. Meletius.

13 Sed quia vniuſcuiuſquè laus in fine canitur, finem vitæ huius monſtri, qui contra eum, qui dixit, *Ego ſum via, veritas, & vita*, impijſſimè ſæuit, audiamus. Poſtquàm enim aulam Imperatoris egreſſus eſt, Euſebij fautoribus ſtipatus, magna cum celebritate, & pompa per mediam Vrbem incedit; Simulatquè forum Conſtantini (ſic enim appellabatur) appropinquauerat, in quo columna ex prophyrice locata eſt, timor ex conſcientia ſceleris exortus Arium opprimit, cuius vi laxatur aluus: rogat, vtrum latrinæ eſſent in proximo: cum ponè forum Conſtantini vnas eſſe didiciſſet, rectà eò ſe confert. Hominem igitur animi defectio occupat, ac ſimul cum excrementis anus ſubitò delabitur, magna ſanguinis copia ſequitur, viſcera tenuia pariter effluunt, ſanguis cum ipſo ſplene, & iecore effunditur, mortem cõtinuò oppetit. Latrinæ illæ ad hoc vſq; tempus Conſtantinopoli propè forum Conſtantini, & macellum, in porticu cernuntur, omneſquè qui illàc tranſeũt, digitum ad locum intendunt, quo commemorabilem mortis rationem, qua Arius ibi occubuerit demonſtrant: & fama eſt, neminem eas latrinas in quibus moriebatur, longo tempore poſt frequentaſſe; qui locus poſteris deteſtabilis factus eſt, propterea quòd in eo Arius debitas impietatis ſuæ pœnas perſoluiſſet. Ecce finis impiorum. Vide Socratem, lib. 1. cap. 25. Sozomenum, lib. 2. cap. 28. & Baronium tom. 3. anno Domini 315. & 336. pag. 472. Socrates. Sozome. Baron.

14 Eiuſdem erroris fuit Mahometus, quẽ D. Damaſcenus hæreſi 100. Mamedium appellat. Suſtinuit enim Chriſtum, Verbum eſſe Dei, & eius filium, ſed creatum, atquè ſeruum. Eumquè fatetur eſſe ex Maria Sanctiſſima Spiritus ſancti adiuuamine ſine ſemine generatum. Sentit quoquè de Chriſto, magnum Dei Prophetam extitiſſe, & nequaquàm à Iudæis in Cruce occiſum fuiſſe. Et cum Iudæi ipſum crucifigere cupiebant, non Chriſtum, ſed eius vmbram crucifixiſſe. Chriſtum autem nec in Crucem actum fuiſſe, nec mortuum. Deum enim ad ſe tranſtuliſſe in cęlum aſſeruit, eò quòd ei cariſſimus eſſet. D. Damaſcenus. Mahometus.

15 Qui plura de Mahometo ſcire deſiderat, videat Damaſcenũ hær. 100. anno 646. & Baronium circa annum Domini 415. & 430. Vbi intuebitur quod monſtrum hoc peperit, & enutriuit oriens, cuius deformitati monſtra cedere neceſſe ſit omnia, quę ſiuè Danieli, ſiuè Ioanni Euangeliſtæ diuinitùs demonſtrata feruntur ad aliquod grande malum ſignificandum. Hunc præcurſorum Antichriſti omnium ſceleſtiſſimum extitiſſe Damaſcenus exiſtimauit. Hunc apud Homeritas, ſiuè in Arabia, Felice parẽte Iſmaelita genitum eſſe conſpiciet. Hunc camelariam exercuiſſe artẽ, pauperemquè hominem ſuam operam mercede locaſſe; inhæſiſſe ſeruitio cuidam potenti Viduæ, quæ nomine Tadiga dicta erat, eiuſquè paſcendos ſuſcepiſſe camelos manifeſtè conſpiciet. Et cum vafer eſſet ingenio, effecit, vt eamdem mulierem ſibi coniungeret in vxorem; profectus verò in Palæſtinam, ibiquè cum Iudæis, Chriſtianiſquè verſatus, ab eiſdem aliquid eſt conatus addiſcere, & adeò profectus eſt, vt nomen prophetæ adeptus fuiſſet. Cum autem à Dæmone exagitaretur, & comitiali morbo laboraret, vxorem ſuam, quæ grauem ex eo capiebat dolorem, quòd nobilis ipſa ægeno homini, & vexationibus obnoxio nupſiſſet, ita demulſit, quòd diceret, ad conſpectum Angeli Gabrielis ſibi apparentis concidere. Erat amicus ei mulieri Monachus quidam, qui ob falſam fidem ibi relegatus viuebat; huic mulier totam rem aperit, Angeli etiam nomine propalato, & Monachus eamdem opinionem in eiuſdem animo cõfirmauit &c. lege Baronium locis citatis. Si vis ſcire diuerſos Arrij, ac Semiarrianorũ ſtatus, eorundem errorum ſequaces, nec non qui fuerint Arrianæ blaſphemiæ radix. Vide præſertim Ioannem à S. Thoma tomo 2. diſp. 12. art. ſuo 1. à num. 5. vſquè ad vltimum. Damaſc. Baron. Io. à S. T.

16 *Dicens Filium procedere à Patre ſicut primam eius creaturam, & Spiritum Sanctum procedere à Patre, & Filio, ſicut creaturam vtriuſquè.* O incredibilis inſania, Filium concedit eſſe Spiritus Sancti creatorem, & negat eſſe Deum.

17 *Et ſic accepit Sabellius.* Sabellius ex Ptolemaide Libiæ oriundus, diſcipulus Noeti, ſuſtinuit Patrem, & Filium & Spiritum Sanctum eſſe Deum, negauit tamen realem inter eos diſtinctionem perſonalem; Orta eſt autem Sabelliana hæreſis anno Domini 260. ſub Stephano Papa, & Martire, eiuſquè ſucceſſore Sixto Sabell.

to ſecundo natione Græco, & damnata eſt in Concilio Alexandrino,& Nicęno. Vide Ioannem à S. Thoma loco citato num. 3.

18 *Si quis autem diligenter conſideret ; vterquè accepit proceſſionem ſecundùm quòd eſt aliquid ad extra*. Hæreſis Arij, & Sabellij multùm inter ſe differunt; quia prior negat veram à Filio, & Spiritu Sancto Deitatem; poſterior verò relata, admittit; ſed in ratione proceſſionis, vterquè accepit proceſſionem ad extra. Et quidem de Ario patet. Filius enim, & Spiritus Sanctus ſecundùm iniquitatem Arij ſunt puræ creaturæ, ac perconſequẽs, procedunt ad exiſtendum extra exiſtentiam Dei. De Sabellio quoquè conſtat; quia ſecundùm impietatem illius, Deus nominatur Filius, ſecundùm quòd proceſſit ad aſſumendum aliquid extra ſe, ſecundùm quòd ſcilicet, ex virgine carnem aſſumpſit humanam; dicitur quoquè Spiritus Sanctus, ſecundùm quòd creaturam rationalem ſanctificat, & ad vitam mouet; Nominatur demum Pater, quatenùs creat.

19 *Sed cum omnis proceſſio ſit ſecundùm aliquam actionem*; Dubium occurrit; Quia datur proceſſio paſſionum, ſeu proprietatum rerum, ac potentiarum animæ ab ipſarum eſſentijs, quæ iuxta mentem D. Thomę & Thomiſtarum non fit aliqua media actione. Ergo non eſt verum, quòd omnis proceſſio eſt ſecundùm aliquam actionem.

20 Reſpondetur, concedẽdo antecedẽs, & negando conſequentiam. Et ratio negationis eſt; quia D. Thom. in præſenti propoſitione loquitur de omni proceſſione ad intentũ pertinente; ac per cõſequens, de ea, quæ fit media aliqua potentia, vt in exemplis, quæ adduxit, manifeſtè apparet; non autem loquitur de omni proceſſione vniuerſaliſſimè accepta, includendo ſcilicet eam, quæ fit immediatè ex natura.

21 *Et hoc maximè patet in intellectu, cuius actio, ſcilicet, intelligere manet in intelligente*. Nota ly, *cuius actio, ſcilicet, intelligere*, contra aſſerentes, intelligere, ſeu notitiam in via D. Thomæ eſſe Verbum. Nam ſi intelligere, ſeu notitia eſt actio immanens, per quam ad mentem Diui Thomæ producitur Verbum, ſeu conceptio rei intellectæ, implicat notitiam, ſeu intelligere eſſe Verbum. Vide infra, num. 41.

22 *Quicumque autem intelligit, ex hoc ipſo quòd intelligit procedit aliquid intra ipſum*. Obſerua, quòd hæc propoſitio D. Thomæ vniuerſaliter prolata debet reſpectu intellectus creati extendi, & vniuerſalizari, limitatione tamen in fine huius numeri exponenda (quidquid nonnulli dicant) & non obſtante, quòd ad Deum Patrem notionaliter intelligentem extendatur; quoniam in hoc loco hæc eſt mens D. Thomæ. Quod ſic manifeſtari poteſt; quia D. Thomas probans in Deo dari proceſſionem ad intra ſecundùm emanationem intelligibilẽ, ſic ait. *Ea, quæ in Deo dicuntur, non ſunt intelligenda ſecundùm modum infimarum creaturarum, quæ ſunt corpora, ſed ſecundùm ſimilitudinem ſupremarum creaturarum, quæ ſunt intellectuales ſubſtantiæ, à quibus etiam ſimilitudo accepta deficit à repræſentatione diuinorum*. Ergo D. Thomas in præfata, ac vniuerſalizata propoſitione, loquitur de omni intelligente creato, & magis ſpecialiter de intelligente humano, de quo exemplificat, ſic dicens; *quam quidem conceptionem, vox ſignificat, & dicitur verbum cordis, ſignificatum verbo vocis*. Verificatur autem de omnibus, ſi ſic explicetur, Quicumquè ſic intelligit, vt repræſentet ſibi obiectum in actu ſecũdo; vel vt perſona in intelligẽdo fæcũda, qua interpretatione poſita, propoſitio excludit beatos reſpectu viſionis beatificæ ratione primi, excludit verò Filium, & Spiritum Sanctum ratione ſecundi.

Sed cõtra hanc interpretationem nonnulla poſſent inſtaurari argumenta.

23 Primò quidem; Quia nos Tomo 1. diſp. 35. num. 33. diximus, dictam propoſitionem vniuerſaliter accipi poſſe, etiam extenſiuè ad Deum Patrem, & ad omnes intellectuales creaturas.

24 Secundò; Quia aliàs D. Thomas ſuum non probaret intentum. Probatur ſequela; Quia intentum D. Thomæ eſt, per dictam propoſitionẽ probare, quòd in diuinis ſit proceſſio. Ergo ſi, ly *quicumquè intelligit*, accipitur à D. Thoma in hoc articulo pro quocumquè noſtrũ, non pro quocumque intelligente reſpectu omnium, etiam Dei, non probaret, immò nec ſuaderet in diuinis eſſe proceſſionem ſecundùm intelligibilem emanationem.

25 Tertiò; Quia nos ſupra diſp. 35. diximus, quòd D. Thomas per dictam propoſitionem ſuum probaret intentum, accipiendo eam vniuerſaliter; Et conceſſimus à D. Thoma eſſe vniuerſaliter intellectam.

26 Quartò; Quia D. Thomas de veritate q. 4. art. 2. in corpore docet, quòd verbum vniuerſaliter producitur ab omni intelligente, ſiue ſit intelligens per eſſentiam, ſiue per ſimilitudinem. Et in 4. contra gent. cap. 11. idem docet, nam ibi aſſerit, quòd Angelus producit verbum D.Thom.

bum

Digitized by Google

bum etiam intelligendo ſe ipſum. Ergo non benè tam ſtrictè interpretandus eſt. D. Thomas, hìc, vt per ly *quicumquè intelligit &c.* accipiatur pro quocumquè homine &c.

27 Iſta propoſitio, *Quicumquè intelligit, ex hoc ipſo quòd intelligit, procedit aliquid intra ipſum*, eſt vniuerſaliter vera reſpectu omnium intelligentium, hominum, Angelorum, & Dei Patris; & ſolummodo excipiuntur ab ea intelligentes intuitiuè Deum, Verbum, ſeu Filius, & Spiritus Sanctus. Id autem, quod dicimus, eſt, quòd ſupra dicta propoſitio, quatenùs à D. Thoma in hoc articulo promitur, & congruis exemplificationibus declaratur; ad creaturas dùmtaxat reſtringitur, & non ad ipſum Deum extenditur, vt ſupra paulò ante probaui. Qua manifeſtatione poſita, non erit difficile argumenta in contrarium ſoluere. Vnde.

28 Ad primum, reſpondetur, nos id aſſeruiſſe ad oſtendendam argumẽti debilitatem, non aſſerendo D. Thomam dictam aſſumere propoſitionem in ea vniuerſalitate, in qua verificari poteſt.

29 Ad ſecundum, reſpondetur, negando ſequelam. Ad cuius probationem, nego antecedens.

30 Vbi obſerua, quòd circa dictam propoſitionem à D. Thoma aſſumptam, decipiuntur nonnulli, aſſerentes D. Thomam præcitatam propoſitionem aſſumere, ad probandum, quòd Deus intelligendo producat verbum; Et quod in diuinis ſit proceſſio ſecundùm intelligibilem emanationem; Qui tamen reuera falluntur omninò. Idquè ex corporis diſcurſu manifeſtè demonſtro. Nam priùs ſtabiliuit cõcluſionem, quòd ſecundùm Sacrã Scripturam, ſeù fidem, datur proceſſio in diuinis. Et quia, Quidam Hæretici, ſicut Arrius, & Sabellius, admittentes inter diuinas perſonas proceſſiones, aſſerunt proceſſiones ſecundùm actionem ad extra; Non verò ſecundùm actionem ad intra; propterea vlteriùs progreditur, & probat proceſſionem, quam in diuinis ex Sacra Scriptura ponimus, non eſſe ad extra, ſed ad intra, per hoc, quòd ſicut datur proceſſio ad extra, ita debet dari proceſſio ad intra. Et hoc maximè patere dicit, in intellectu; ad quod manifeſtandum dictam propoſitionem aſſumpſit. Itaquè D. Thomas per aſſumptam propoſitionem non probat dari proceſſionem in diuinis, ſed ſupponit; Probat tamen dictam diuinarum perſonarum proceſſionem, debere eſſe ad intra, ſecundùm intelligibilem emanationem; Et hoc à fortiori; Quia, ſcilicet, *ea, quæ in Deo dicuntur, non ſunt intelligenda ſecundùm modum infimarum creaturarum, quæ ſunt corpora, ſed ſecundùm ſimilitudinem ſupremarum creaturarum*. Ergo ſi in creaturis intellectualibus, quæ ſũt preſtãtiores corporalibus, attenditur proceſſio ad intra, multò fortiùs proceſſio inter diuinas perſonas debet eſſe ſecundùm emanationem intelligibilem; Vide, & accuratè lege D. Thomam. Vide Ioannem à S. Thoma diſp. 12. art. 4. num. 26. Io. à S. Th.

31 Ad tertium reſpondetur, quòd nos ſupra, loco in argumento citato, locuti ſumus reſpondendo, & admittendo aſſumptum, vt eius nullitas magis elucoſcat.

32 Ad quartum argumentum, iam diximus, quòd omnis homo, omniſquè Angelus per omnem intellectionem, viſione beatifica excepta, producunt verbũ. Et hoc ſupradictæ authoritates probant; ſi tamen probant. Non tamen conuincunt, quod ſupradicta propoſitio in hoc articulo aſſumpta, & explicata, ſit per ſe ad Angelos extenſa; Quòd ſi ad Angelos etiam extendatur, Angelici Præceptoris intentio in hoc art. dum ait, *quicuq; intelligit &c.* non propterea probat argumentum, quòd includat ipſum Deũ.

33 Dixi, ſi tamen probant. Quoniam D. Thomas de ver. q. 4. ar. 2. iam citato, non docet, nec expreſsè affirmat, quòd in omni intellectione producitur verbũ, ſiue aliquid intelligatur à nobis per eſſentiam; Siue per ſimilitudinem; Sed id, quod ibi expreſsè docet, eſt, quòd verbũ eſt aliquid realiter progrediens ab altero, ſiue ſit ab intelligente aliquod obiectum per eſſentiam, ſiue per ſimilitudinẽ. Itaquè ſupponit ibi D. Thomas implicitè hanc conditionalem, nempè, ſi in aliquo intelligente, ſiue per eſſentiam, ſiue per ſimilitudinem, datur propriè verbum, illud debet omninò realiter progredi ab intelligente. D.Thom.

34 Quòd autem iſta ſit mens D. Thomæ germana, eius referamus verba. *Omne*, inquit, *autem intellectum in nobis, eſt aliquid realiter progrediens ab altero, vel ſicut progrediuntur à principijs conceptiones concluſionum, vel ſicut conceptiones quiditatum rerum poſteriorum, à quiditatibus priorum; Vel ſaltẽ ſicut conceptio actualis progreditur ab habituali cognitione; Et hoc* (nota) *vniuerſaliter verum eſt, de omni quod à nobis intelligitur, ſiue per eſſentiã intelligatur, ſiue per ſimilitudinem. Ipſa enim conceptio eſt effectus actus intelligendi. Vnde, etiam quando mens intelligit ſe ipſam, eius conceptio, non eſt ipſa mens, ſed aliquid expreſſum à notitia mentis*. Hæc ille. Vbi habes, quòd, cum ait, *& hoc vniuerſaliter verum eſt*, ly *hoc*, demonſtrat

ſtrat id, quod immediatè predixerat, nimirùm, quòd, *omne intellectum in nobis, eſt aliquid realiter progrediens ab altero*.

35 Nec obſtat, quòd nos ſupra diſp. 35. num. 35. implicitè conſenſerimus, ac ſi D. Thomas expreſsè aſſeruiſſet in omni intellectione, ſiue per eſſentiam, ſiue per ſimilitudinem, produci verbum, quoniam locuti ſumus reſpondentes ad argumentum, illud diluendo, etiam admittendo, quod arguens ex mente Diui Thomæ aſſumit. Vera tamen litteræ D. Thomæ intelligentia eſt, quam in præſenti docuimus.

36 Item in 4. contra gent. non docet D. Thomas, quòd Angelus intelligendo ſe ipſum formet verbum, quemadmodum multis placuiſſe videtur; Sed id, quod per ſe, & immediatè intendit, eſt, quod verbum ab Angelo productum non eſt idem realiter cum ſubſtantia Angeli intelligentis, quodcunque illud ſit. Nam poſſet quiſpiam dicere, quòd D. Thom. ſupponit Angelum producere verbum, & ſi non reſpectu ſui, quia intelligit ſe per eſſentiam ſuam, ad minùs quãdo intelligit alia à ſe, quæ non intelligit per eſſentiam ſuam, ſed per ſimilitudines, ſeù per ſpecies aliorum à ſe. Quòd autem ita ſit, verba D. Thomæ referamus. *Perfectior igitur*, inquit, *eſt intellectualis vita in Angelis, in quibus, intellectus ad ſui cognitionem, non procedit ex aliquo exteriori; Sed per ſe cognoſcit ſe ipſum: Non dùm tamen ad vltimam perfectionem vita ipſorum pertingit; Quia licet intentio intellecta, ſit eis omninò intrinſeca, non tamen ipſa intellectio intellecta, eſt eorum ſubſtantia*. Vbi in primis D. Thomas non loquitur expreſsè de intentione intellecta, ſeù verbo, quod format Angelus reſpectu ſui. Deinde, quia poſſet quiſpiam dicere, quòd ibi D. Thomas loquitur conditionaliter, ideſt data, ſeù illa opinione probabili ſuppoſita, quæ docet Angelum intelligere ſe per eſſentiam ſuam, quaſi per impreſſam ſpeciẽ, & hoc non obſtante, formare verbum, quæ eſt opinio magis vera, magiſque ad mentem D. Thomæ probabilis, Angelus ſic intelligens, non dum peruenit ad vltimum, ac perfectiſſimum vitæ intellectualis gradum.

37 *Et ex eius notitia procedens*. *Et notitia*, non pro vt in facto eſſe, ſeù quatenùs eſt obiecti in actu ſecundo contemplatio completa, ſed ex notitia, pro vt prius ratione conſideratur vt actio, ſeù vt productio, quàm vt contemplatio.

38 *Ex vi intellectiua prouenens*. Simul principium effectiuum, neceſſitatemque productionis verbi per hæc verba declarat. Intellectus enim creatus ſpecie obiecti creati informatus neceſſitatur, vt ad productionem verbi prorumpat.

39 *Ex vi intellectiua proueniens, & ex eius notitia procedens*, non quaſi vis intellectiua, ſeù intellectus, eiuſquè notitia, ſint veluti duo verbi effectiua principia; ſed quia ex eius notitia procedit, ſicuti per actionem; & ex intellectu, ſicut à principio.

40 *Quod eſt conceptio rei intellectæ, ex vi intellectiua prouenens, & ex eius notitia procedens*; Vbi vides, vt ſupra nu. 21. diximus, ad mentem D. Thomæ ſuſtineri nõ poſſe, quòd notitia, & verbum, ſeù conceptio mentis realiter ſint vnum, & idem. Nam quod ex vi intellectiua prouenit, eiuſque notitia diſtinctum: ſed per D. Thomam, Verbum ex vi intellectiua, eiuſquè notitia procedit. Ergo.

41 *Quam quidem conceptionem, vox ſignificat, & dicitur verbum cordis, ſignificatum verbo vocis*. Hinc oritur, ſimulatquè reſoluitur illa quæſtio, Vtrum ſcilicet, vox ſignificet rem immediatè, an potiùs cõceptum. Cui D. Thomas reſpondet, quod vox ſignificat conceptum.

42 Quomodo autem hoc intelligendum ſit, obſerua, quòd vocem ſignificare mẽtis, cordiſque conceptum, dupliciter intelligi poteſt; Obiectiuè ſcilicet; & ſubſtitutiuè. Vox igitur ſignificat conceptum ſubſtitutiuè; ſignificat verò rem obiectiuè, ſed mediante conceptu; mediante, inquam, conceptu, tanquàm ſignificationis vocis ſubſtitutæ propria menſura.

43 *Sed ſecundùm ſimilitudinem ſupremarum creaturarum*, ſubaudi, quò ad nos, non autem abſolutè. Nam abſolutè, ea, quę formaliter ſunt in Deo, & in creaturis, ita ſe habent, quòd creaturæ ſunt ſecundùm ſimilitudinem Dei, non autẽ Deus ſecundùm ſimilitudinem creaturæ, niſi quo ad nos, iuxta illud Rom. 1. Inuiſibilia Dei per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur.

44 *Non ergo accipienda eſt proceſſio, ſecundùm quòd eſt in corporalibus, vel per motum localem &c.* Vbi obſerua, quòd hinc habetur, per vltimum corporis diſcurſum, ſeù per quartum partitionis membrum non intendit probare dari proceſſionem in diuinis, imò potiùs ex Sacra ſcriptura ſuppoſuiſſe eam, ſed quantùm fieri poteſt, declarat proceſſionem, quã Sacra ſcriptura in diuinis affirmat, eſſe ad intra.

45 *Sed ſecundùm emanationem intelligibilem, vtpotè verbi intelligibilis*. Exemplificat de proceſſione Verbi, & non etiam de proceſſione amoris; tùm quia, poſita proceſſione verbi, poteſt colligi proceſſio amoris; tùm etiam quia, non oportet de

de omnibus exempla præbere.

46 *Et ſic fides catholica proceſſionem ponit in diuinis*. Quaſi diceret, quando Sacra ſcriptura in rebus diuinis, nominib' pertinentibus ad proceſſionem vtitur, *ſic* intelligendum eſt, ideſt, ſecundùm intelligibilem emanationē, & nō aliter, ſeù ad extra, ponit proceſſionem in diuinis.

47 In reſp. ad 2. *Sed id, quod procedit ad intra, proceſſu intelligibili, non oportet eſſe diuerſum*. Obſerua, quòd non ait ſic, ſed id, quod procedit ad intra, proceſſu intelligibili, oportet eſſe idem; ſed ait ſic. *Sed id, quod procedit ad intra proceſſu intelligibili, non oportet eſſe diuerſum*; ad denotandum, quòd datur aliquod procedens ad intra ſecundùm intelligibilem emanationem, in ſubſtantia, & in modo eſſendi, ab eo, à quò procedit, omninò diuerſum, & huiuſmodi ſunt omnia procedentia, ſeù verba creata; Et etiam, quòd datur aliquod verbum, vel impulſus, cum diſtinctione producentis, & producti, & in ſubſtantia, ſeù eſſentia, atquè in modo eſſendi eiuſdem cum maxima vnitate, ſeù identitate, & hoc tantummodo in diuinis reperitur.

48 In reſponſione ad tertium. *Procedere à principio, vt extraneum; & diuerſum, repugnat rationi primi principij; Sed procedere, vt intimum, & abſquè diuerſitate, per modum intelligibilem, includitur in ratione primi principij*. Doctrina hæc pro Trinitatis myſterio, perſonarumquè diuinarum proceſſionibus nimium profunda eſt, ac maximè neceſſaria. Pro eius igitur clariori intelligentia,

49 Obſerua primò, quòd ly, *vt extraneum*, & ly, *vt diuerſum*. ſumuntur, quàtenùs opponuntur, ly, *vt intimum*, & vt, *abſquè diuerſitate*, vt patet in littera. Vnde, ly, *vt extraneum*, idem ſonat, ac vt extra procedens; Sicuti, ly, *vt intimum*, idem ſonat, ac vt intra manens. Et ly, *diuerſum*, denotat in ſubſtantia, ſeù in eſſentia diſtinctionem; Sicuti, ly, *abſquè diuerſitate*, idem ſonat, ac abſquè diuerſitate in eſſentia.

50 Obſerua ſecundò, quòd cum D. Thomas ait; *Sed procedere, vt intimum, & abſq; diuerſitate, per modum intelligibilem, includitur in ratione primi principij*, non eſt ſenſus, quòd in ratione primi principij, clauditur realis proceſſio, quam fides ponit, vt rectè aduertit Caietanus hic; ſed ſenſus eſt iſte, videlicet, quòd perſonæ procedenti, vt intimum quid, & abſquè vlla in eſſentia, diuerſitate cum perſona producente, conuenit ratio principij primi, quemadmodum ipſamet eſſentia eſt rerum omnium principium primum. Nā ſi eſſe primum omnium rerum principium conueniret Patri, vt Pater eſt, non verò, vt Deus eſt, Filius procedens à Patre, intra Patrem, & vt idem cum eſſentia Patris, non haberet rationem primi principij; Eò quia, Pater nō communicat filio quæ ſibi propria, ſed quæ communia ſunt.

51 *Cum enim dicimus ædificatorem principiū domus, in ratione huius principij, includitur conceptio ſuæ artis, & includeretur in ratione primi principij, ſi ædificator eſſet primum principium*. Vbi obſerua, quòd aſſignat rationem, ſeù probat quod dixerat, ab exēplo. Id eſt, probat, quòd procedere, vt intimum, & abſquè diuerſitate per modum intelligibilem, includitur in ratione primi principij, ſeù habet rationem primi principij. Et ratio conſiſtit in hoc; Quia cum dicimus, quòd ædificator eſt principium domus, includitur etiam cōceptioni ſuæ artis; ſeù verbo, quod ſit etiam principium domus; Taliter, quòd ſi ædificator eſt primum principium domus, conceptio ſuæ artis erit quoquè eius domus principium primum.

52 Sed hoc videtur difficile; Et ratio difficultatis eſt; Quia ſi ædificator eſt principiùm domus, vnde prouenit, quòd cōceptus, ſeù verbum artificis reſpectu domus ſit quoquè principium? Vel enim hoc prouenit, quia verbum eſt quid intimum ædificanti; Vel quia non eſt ab ædificatore diuerſum. Si primum non ſufficit; Nam ſequeretur, quòd omne verbum eſſet principium domus. Si ſecundum. Hoc eſt falſum; Quia ædificator, & conceptus artis diuerſificantur. Ergo conceptio artis non habet rationē principij domus per hoc, quòd ædificator eſt principiū domus; Et cōceptio procedit abſquè diuerſitate ab ædificatore.

53 Reſpondetur, quòd diſcurſus D. Thomæ fundatur in hoc, quòd conceptio artis procedit, vt quid intraneum, ſeù per actionem immanentem, & abſquè diuerſitate ab ædificatore in ratione principij, Nam conceptio mentis ædificatoris, quamuis ſit ab entitate, & natura ædificatoris omninò diſtincta, tamen in ratione principiandi domum, non diuerſificatur; Quia conceptio procedit ab intellectu, tanquàm id, per quod intellectus domum deſignat, & ad extra producit; Verum eſt, quòd conceptio mentis, & ædificator, & ſi non differant in ratione principij, differunt tamen in modo principiandi; At verò, ſi ædificator eſſet primum principium domus, conceptus artis domus eſſet etiam eiuſdem domus principium primum, abſq; omni diuerſitate, & in ratione principij, & in modo principiandi.

DISPVTATIO CXLIX.

VTRVM PROCESSIONES DIVINÆ ſint dicendæ mutationes.

In duo capita diſtributa.

CAPVT PRIMVM.

Explicatur titulus, & veritas ſtabilitur.

SVpponimus proceſſiones diuinas nõ eſſe ad extra, nec in tempore, ſed ab æterno, & ad intra, vt cum fide catholica confitemur; & quærimus, Vtrum proceſſiones diuinæ dicant, vel includant aliquam realem ac phyſicam variationem; & pro determinatione veritatis,

2 Dico breuiter. Proceſſio diuinarum perſonarum nulla ratione poteſt dici vera mutatio. Probatur primò; Quia ſi proceſſio in diuinis eſſet aliquo modo mutatio, perſona diuina procedens poſſet dici mutata: ſed hoc nefas eſt dicere. Ergo. Sequela patet; quia non poteſt dari mutatio, niſi detur quoquè id, quod per mutationem dicitur mutari. Ergo. Minor etiam eſt omninò certa; quia quælibet perſona diuina eſt Deus, iuxta illud Athanaſij, *Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus Sanctus*: ſed Deus non poteſt dici mutatus iuxta illud Malachiæ 3. *Deus ego, & non mutor*. Iacob 1. *Apud quem non eſt tranſmutatio, neque viciſſitudinis obumbratio*. Athanaſ. Malac. 3. Iacob. 1.

3 Probatur ſecundò; quia de eſſentiali ratione realis mutationis eſt, dicere prioritatẽ, & poſterioritatem, & ſi non temporis, ad minùs inſtantis: ſed proceſſio diuinarum perſonarum omnem excludit prioritatem, & poſterioritatem. Ergo nullo modo poteſt eſſe mutatio. Maior eſt manifeſta, & magis iam declarabitur. Minor eſt quoquè certa; primò quidem, ex illo Athanaſij. *In hac Trinitate nihil prius, aut poſterius*. Secundò, quia proceſſio diuinarum perſonarum eſt intrinſecè, & ex ſua natura omninò æterna. Ergo excludit omnem prioritatem. Et hoc idem Athanaſius ibidem ediſſerit dicens. *Et in hac Trinitate nihil prius, aut poſterius; nihil maius, aut minus, ſed totæ tres perſonæ coæternæ ſibi ſunt, & coæquales*. Athanaſ.

4 Sed eſt aduertendum pro recta maioris propoſitionis intelligentia. Nam cũ dicimus, quòd eſt de eſſentiali ratione mutationis dicere prioritatem, & poſterioritatem. Si ſermo eſt de mutatione propria, & reali, verum eſt nõ ſolùm de prioritate, & poſterioritate à quo, verũ etiam de prioritate, & poſterioritate in quo, & de hac prioritate loquimur in præſenti. Si verò ſermo ſit de mutatione impropriè dicta, ſicuti eſt mutatio rei poſſibilis à ſtatu poſſibilitatis ad ſtatum futuritionis abſolutę, aut conditionatæ, quæ mutatio non eſt propria, ſed impropria. Eſt enim conſideratio rei à ſtatu poſſibilitatis ad ſtatum futuritionis poſitæ. Sic nõ eſt neceſſariũ de prioritate, & poſterioritate in quò, ſeù in aliquo tempore, aut in aliquo inſtanti tẽporis, ſed ſufficit prioritas, & poſterioritas à quo. Et de hac mutatione locuti ſumus ſupra tom. 2. diſp. 122. nu. 20. & 21. & 47. Vnde nomine tranſitus à ſtatu poſſibilitatis ad ſtatum futuritionis conditionatæ, & etiam abſolutæ, non intelligimus tranſitum propriè acceptum, ſed impropriè, & metaphoricè. De ratione ergo mutationis phyſicæ, & realis, quæ verè, & propriè mutatio dicitur, eſt dicere prioritatem, & poſterioritatem in quo, ac proinde tranſitum verum, & realem verè, & realiter in re tranſeunte receptum, terminatiuè, aut ſubiectiuè. Vnde res, quæ eſt in tẽpore à Deo creata dicitur mutari non quidem ſubiectiuè ſed terminatiuè; res verò quæ tranſit ab vna forma accidentali ad aliam dicitur mutari, ſeù tranſire ſubiectiuè.

5 Probatur tertiò. Proceſſio in diuinis eſt æterna. Ergo non eſt mutatio. Patet conſequentia, quia æternitas opponitur mutationi. Antecedens patet ex illo Athanaſij. *Æternus Pater, Æternus Filius, Æternus Spiritus Sanctus*. Athan.

6 Falſo-

Digitized by Google

Faſolus.

6 Faſolus ſuper hunc articulum dub. 5. nu. 183. iudicat rationem hanc, ex æternitatis ratione depromptam, non ſufficere, & ſic contra eam arguit. *Ex communiſſima & valde probabili ſententia de poſſibilitate alicuius creaturæ ab æterno, ſaltem ſine motu, & ſucceſſione; quæ creatura æterna produceretur, etiam ad eſſe ex non eſſe; non quòd aliquando non fuerit, quia ſupponitur ab æterno, & ſemper eſſe; ſed quia tunc etiam ab alio acciperet eſſe, quod ſibi non conuenit ex natura ſua: & conſequenter, priùs natura nõ eſſet, quàm eſſet in æterna duratione, & in hoc ſenſu tranſiret de hoc non eſſe priùs natura, ad eſſe in æternitate; & ita aliqua vera ratione mutaretur, quod non habet ex natura ſua.*

7 Sed contra Faſolum ſic argumentor. Nam D. Thomas in fra quæſt. 46. ar. 2. vbi quærit. *Vtrum mundum incæpiſſe, ſit articulus fidei*, contra concluſionem proponit argumentum in ordine ſecũdum, & eſt iſtud. *Si neceſſe eſt dicere, quòd mundus factus eſt à Deo, aut ergo ex nihilo, aut ex aliquo. Sed non ex aliquo; quia ſic materia mundi præceſſiſſet mundum, contra quod procedunt rationes Ariſtotelis ponentis cœlum ingenitum. Ergo oportet dicere, quòd mundus ſit factus ex nihilo. Et ſic habet eſſe poſt nõ eſſe. Ergo oportet, quòd eſſe incæperit.* Reſpõdet autem ſic. *Ad ſecundum dicendum, quòd illi, qui ponerent mundum æternum, dicerent mundum factum à Deo ex nihilo, non quòd factus ſit poſt nihilum, ſecundùm quòd nos intelligimus per nomen creationis, ſed quia non eſt factus de aliquo. Et ſic etiam non recuſant aliqui eorum creationis nomen.* Hæc ille. Et in reſp. ad 1. in fine ſic ait. *Vnde dicunt, quòd non ſequitur ex neceſſitate, ſi Deus eſt cauſa actiua mundi, quòd ſit prior mundo duratione, quia creatio, quá mundum produxit, non eſt mutatio ſucceſſiua, vt ſupra dictum eſt.* Quæ omnia vt patet, Faſolus ipſe apertè confirmat. Ergo ſi aliquid fuiſſet ab æterno creatum, nullo modo diceretur eſſe propriè mutatum, etiam ex conceſſis à Faſolo. Patet iſta conſequentia; quia vbi eſſe non eſt poſt non eſſe, ibi neque datur verus tranſitus, ſeu vera mutatio de non eſſe ad eſſe.

8 Illud verò, quod Faſolus docet, non eſt de ratione mutationis, neque terminatiuè, neque ſubiectiuè, ſed potiùs explicat modum habendi durationem ab æterno, & diſcrimen inter Deum; & creaturam, quæ fuiſſet ab æterno creata aſſignat, quia ſcilicet, Deus ex ſua natura habet vt ab æterno exiſtat; illa verò creatura tantummodo ex diuinæ voluntatis arbitrio.

9 Ex quo patet, quòd modus loquendi Faſoli eſt contra veram mutationis rationem. Nam quod impertinenter ſe habet ad veram mutationis rationem, aſſignat pro eſſentiali ratione veræ mutationis; & à ratione veræ, & realis mutationis tranſit ad rationem mutationis impropriæ. Et hoc manifeſtatur exemplis. Angelus enim creatus eſt in gratia; & humanitas Chriſti in gratia, & gloria, non tamen fuerunt re uera mutati, per hoc, quod habuerunt per voluntatem Dei, quod nõ debebatur eis per naturã. Non obſtante quòd priùs conſideretur ſecundùm eſſe naturale, quàm ſecundũ eſſe gratuitum, prioritate ſcilicet à quo, non in quo.

10 Probatur quarto; quia quæcumque mutatio neceſſariò dicit, includit, vel arguit imperfectionem. Hoc nefas eſt tribuere Deo. Ergo. Minor, & conſequentia patet. Maior etiam eſt euidens. Omnis enim mutatio, aut eſt de malo in bonum; aut de bono in malum; aut de maiori bono ad minus bonum; aut à minori bono ad maius bonum; aut à nõ eſſe ad eſſe; aut ab eſſe ad non eſſe; aut à tali eſſe ad tale eſſe: ſed omnis ſupradicta mutatio dicit, includit, aut arguit imperfectionem, vt diſcurrenti patet. Ergo.

CAPVT SECVNDVM.

Proponuntur argumenta in contrariũ, & ſoluuntur.

11 SED contra iſtam determinationẽ obijciet aliquis primò, argumento, quod contra ſe proponit Scotus in 1. diſt. 2. q. 6. argum. 4. & Faſolus tranſcribit. *Eſſentia diuina circũſcripta productione non habet illud productum; habet enim illud productum per productionẽ. Ergo per illam fit eſſentia diuina de non habente illud, habens illud: & ita mutatio.*

12 Reſpondet Scotus, & optimè (ait Faſolus) q. ſequenti 7. §. *Tenendo ad 4.* negando conſequentiam, quoniam & ſi eſſentia perſonam Filij, & Spiritus Sancti habeat per productionem, ſine qua non eſſet illa perſona in eſſentia, tamen *non ſequitur, eſſentia de ſe non habet perſonã. Ergo eſſentia de non habente fit habens: ſed ſequitur, ergo eſſentia de ratione ſua non habet illam, vel non includit illam perſonam &c. Non autem ſequitur mutatio ex hoc, quòd aliquid ineſt alicui, quod non eſt de ratione eius: ſed mutatio requirit, quod aliquid inſit alicui, cui priùs infuit oppoſitum, quòd non habetur in propoſito.*

13 Hæc reſponſio, quam Faſolus acceptat, bona eſt, & ad mentem D. Thomæ, ſed militat contra diſcurſum eius. Dixerat enim, quòd ſi creatura fuiſſet ab

æterno creata, non fuiſſet habens eſſe poſt non eſſe, ſed quia tunc etiam ab alio acciperet eſſe, quod ſibi non conuenit ex natura ſua, & ita aliqua vera ratione mutaretur. Ergo ſecundùm diſcurſum Faſoli ad ſaluandam veram mutationis rationem, non eſt neceſſe, vt eſſentia diuina fiat de priùs non habente poſtea habens, ſed ſufficit, quòd eſſentia diuina, ex hoc quòd de ratione ſua non habet perſonam productam, & de ratione alia habet, ſequatur mutatio. Patet conſequentia à paritate in antecedenti poſita à Faſolo.

14 Neque ſaluabitur dicens, quòd in caſu, quo creatura produceretur ab æterno, Deus eſſet prior natura, quàm creatura; & ſic non eſſe creaturæ priùs natura præcederet eſſe illius.

15 Nō, inquam, ſaluabitur, primò quidē; quia præcedentia ſecundùm naturam nō facit verum tranſitum, ac proinde neque facit veram mutationem. Secundò, quia etiam Scotus dat plura inſtantia naturæ in diuinis, vt patet in 2. diſt. 1. quæſt. 1. §. *Quantùm ad hoc*, & ſequenti. Et hoc non obſtante mutationem in diuinis non admittit. Vide infra, nu. 24.

16 Dices. Si daretur creatura ab æterno ꝑducta, illa ꝑductio eſſet re vera mutatio; quia licet implicet ab æterno fuiſſe motū, & tēpus, non tñ implicat ab æterno fuiſſe inſtans. Ergo neque etiam implicat fuiſſe ab æterno inſtantaneam mutationem. Patet iſta conſequentia; quia ſi non implicat inſtans, neque etiam implicat id, quod fit in illo inſtanti.

17 Reſpondetur, negando antecedens. Ad cuius probationem tranſeat antecedens, & negatur conſequentia; & ratio negationis eſt; quia plus dicit inſtantanea mutatio, quam iſtans, vt inſtans eſt. Nam inſtans vt ſic, non dicit aliud niſi aliquod indiuiſibile temporis: at vero mutatio inſtantanea dicit duo, vnum eſt formæ acquiſitio; & alterum eſt nouitas eſſendi. Vnde aeris illuminatio, ſi ſemper cum aere fuiſſet, diceretur quidē aer illuminatus per lumen, non tamen huiuſmodi illuminatio diceretur inſtantanea mutatio. Et patet exemplo ſolis. Sol enim ſemper à ſuo lumine illuminatus dicitur, non tamen poteſt propriè huiuſmodi ipſius intrinſeca illuminatio, inſtantanea mutatio nuncupari. Ex quibus,

18 Colligitur primò, vniuerſaliter loquēdo, quod inter quæ nō datur prioritas in quo, inter ea non poteſt eſſe vera mutatio. Si autem eſſet prioritas huiuſmodi, poſſet vtique ratio mutationis inſtantaneæ rectè ſaluari.

19 Colligitur ſecundò, quòd rectè Scotus rationem mutationis à proceſſionibus diuinis negat; & hoc iuxta ea, quæ dixit, præſertim in 1. diſt. 2. q. 6. vbi quærens, *Vtrum eſſentia diuina poſſit ſtare in aliquo, & ipſum, eſſe productum*; contra ſe tertio loco ſic arguit. *Terminus productus eſt aliquo modo poſterior producente; quia non poteſt intelligi productio ſine aliquo ordine priori, & poſteriori. In illo priori in quo producens intelligitur, non intelligitur productum, quia tunc non eſſet prius, Ergo intelligitur in illo priori, productum non eſſe, & in ſigno poſteriori intelligitur eſſe. Ergo mutatio*; Cui obiectioni reſpondens ſic ait. *Ad tertiā probationem, cum dicitur, ibi eſt ordo. Ergo intelligitur prima perſona non intellecta ſecunda*; & ſic immediatè ſequitur. *Reſponſio; quòd non neceſſariò prima intellecta intelligitur ſecunda perſona cum prima perſona, ſi illa prima perſona eſt abſoluta, ſed non ſequitur, quòd cum prima perſona intelligitur eſſe, ſecunda perſona intelligatur non eſſe; ſicut non ſequitur, illud animal, quod eſt in homine, intelligitur non intellecto rationali. Igitur intelligitur, non eſſe rationale.* Scotus.

20 *Cum autem infers*, inquit, *mutationem ex terminis oppoſitis; accipis ac ſi intelligeretur productum non eſſe, quando producens eſt: abſtractionem igitur ſine mendacio, quæ eſt non conſiderando illud, à quo fit abſtractio, commutas in abſtractionem mendacem, quæ eſt conſiderando illud non eſſe, à quo fit abſtractio.* Hæc Scotus.

21 Vbi vides primò, quòd Scotus ne in diuinis proceſſionibus cogatur mutationem aſſerere, negat prioritatem originis in quo, inter diuinas perſonas, per hoc quod ait, non ſequi, quòd cum prima perſona intelligitur eſſe, ſi non intelligitur ſecunda perſona cum prima perſona, ſecunda perſona intelligitur non eſſe, ſicut non ſequitur &c. Idque confirmare, & explicare videtur in 1. diſt. 28. q. 4. nec eſt difficultas alia.

22 Vides ſecundo, quod iuxta hanc doctrinam Scoti, quando intelligitur vna perſona altera non intellecta, hoc non fit, niſi per cognitionem abſtractiuam, non quidem mendacem, ſed ſine mendacio, per hoc quòd ait, *Abſtractionem igitur ſine mendacio, quæ eſt non conſiderando illud, à quo fit abſtractio, commutas in abſtractionem mendacem, quæ eſt conſiderando illud non eſſe, à quo fit abſtractio.* Ideoque ſtante huius veritate doctrinæ, non poteſt à Scoto conſequenter ſuſtineri, quòd poſſit videri, ſeu intuitiuè cognoſci vna perſona diuina, altera non viſa. Namque, quando intelligeretur vna, non intellecta altera, per Scotum diceretur cognitio abſtractiua ſine mendacio.

23 Colli-

Digitized by Google

23 Colligitur tertiò, quòd quando Scotus in 2. diſt. 1. q. 1. §. *Quantum ad hoc igitur*, & §. immediatè ſequenti, & etiam alio immediatè ſequenti, vbi diſtinguit in diuinis plura inſtantia naturæ; vel ſibi contradicit locis nuper præcitatis, vel intelligendus eſt de prioritate à quo, nō autem de prioritate in quo. Quod ſi loqueretur de prioritate in quo, preterquā quòd ſibi contradiceret, vt patet, non poſſet ſaluare, quomodo in diuinis non ſit vera mutatio.

24 Colligitur tandem, pro reſponſionis, & concluſionis intento, quòd nulla proceſſio ab æterno poteſt dici mutatio. Et quidem de proceſſione ad intra iam probatum eſt; de proceſſione verò ad extra, in caſu, quo aliqua creatura fuiſſet ab æterno producta, non eſt ita clarū; eò quia creatura ab æterno producta, eſſet re vera creata, ac proinde dependens, & cauſata, nihilominus, & ſi ſecundùm merita creaturæ non repugnat creationem eius paſſiuè acceptam dici, & eſſe mutationem; non quidem ſubiectiuè, vt rectè docet D. Thomas infra, quæſt. 45. art. 2. ſed terminatiuè; tamen pro vt eſt ab æterno, ſeù ſecundùm merita æternitatis, repugnat ei vera mutationis ratio; ſicuti repugnat vera ratio prioris, & poſterioris. Vnde, quamuis Deus abſolutè loquendo, dicatur prior natura quacunquè creatura, in caſu tamen quo daretur aliqua creatura ab æterno producta, Deus non diceretur prior natura, prioritate in quo reſpectu illius creaturæ in ratione exiſtendi; quia non datur inſtans reale in quo intelligatur Deus eſſe, quin ſimul cointelligatur eſſe illa creatura, quæ fuiſſet ab æterno producta.

25 Obijcies ſecundò. In diuinis proceſſionibus datur prioritas, & poſterioritas originis. Ergo datur mutatio. Conſequentia patet; quia vbi datur prioritas, & poſterioritas realis, ibi datur mutatio realis. Huiuſmodi eſt prioritas, & poſterioritas originis. Ergo. Probatur antecedens; quia in proceſſionibus diuinis datur producens, & productum. Ergo datur prioritas originis. Antecedens patet. Probatur autem conſequentia. Quia producens eſt prius origine producto.

26 Reſpondetur, diſtinguendo, ſeù explicando antecedens. In diuinis proceſſionibus datur prioritas, & poſterioritas originis, à quo, concedo antecedens. Datur prioritas, & poſterioritas originis, in quo, nego antecedens. Ergo &c, nego conſequentiam. Et ratio negationis eſt, quia prioritas, & poſterioritas in quo, dicunt mutationem, non autem prioritas, & poſterioritas à quo. Et per idem patet ad probationem. Producēs enim, & productum vt ſic, non ſe habēt vt prius, & poſterius, niſi materialiter, reſpectu ſcilicet, talis, vel talis producētis, & producti, ſed abſolutè ſe habent vt à quo alius, & qui ab alio.

27 Obijcies tertiò. Proceſſio in diuinis non eſt de eſſe ad eſſe; nequè de eſſe ad non eſſe. Ergo de non eſſe ad eſſe. Ergo mutatio. Antecedens probatur quò ad primam partem; quia quod procedit per productionem, procedit vt ſit. Ergo proceſſio in diuinis non eſt de eſſe ad eſſe; alias enim in diuinis fruſtra eſſet proceſſio. Quod enim eſt ante proceſſionem, vt quid procedit, vt ſit? Quò ad ſecundam verò partem eſt manifeſtum; quia per productionem vnumquodquè accipit eſſe. Ergo proceſſio in diuinis non eſt de eſſe ad non eſſe. Conſequentia verò principalis probatur à ſufficienti partium diuiſione.

28 Reſpondetur, concedendo antecedens quò ad vtramquè eius partem, & negando conſequentiam. Et ratio negationis eſt; quia illa proceſſio eſt de nō eſſe ad eſſe, quæ eſt temporanea. Proceſſio autem in diuinis eſt proceſſio æterna. Vnde non eſt dicenda de non eſſe ad eſſe, nec de eſſe ad eſſe, ſed de ſubſtantia producentis ab æterno per generationem æternàm. Itaquè in proceſſionibus æternis non datur terminus à quo, oppoſitus termino ad quem, cum ordine prioris, & poſterioris, ſed tantummodo terminus, qui producitur, qui nequè debet propriè terminus ad quem nuncupari, pro vt ly, *terminus ad quem*, eſt quid correlatiuum ipſius termini à quo.

DISPVTA-

DISPVTATIO CL.

VTRVM PRODVCTIO IN DIVINIS SIT DICENDA verè, & propriè actio.

In tria capita diſtributa.

CAPVT PRIMVM.

Explicatur titulus, & Doctorum opiniones referuntur.

1 NON de re, ſed de modo loquendi eſt præſens diſputatio. Omnes enim Theologi, quòd Pater Aeternus producit Filium, & quòd proceſſio dicitur productio, vnanimiter confitentur; & ſimiliter dicendum eſt de proceſſione Spiritus Sancti à Patre, & Filio. Controuerſia igitur eſt, Vtrum huiuſmodi proceſſiones de toto rigore ſermonis poſſint dici actiones.

Molina. Ayoſſ.

2 Molina hìc, diſp. 1. in fine, respondet negatiuè; & idem docet Antonius Ayoſſa, Clericus Regularis hìc diſp. 2. ſect. 8. §. 2. concl. 3. ſic dicens. *Actus notionalis vt productio, non eſt dicendus ſimpliciter actio, ſed cum conditione diſtrahente, & depurante.* Idem docent Suarez, lib. 1. de Trinit. cap. 8. num. 5. Vulpes, tom. 3. in 1. Scoti diſp. 52. art. 2. nu. 4.

Suarez. Vulpes.

D. Thom. Henric.

3 Affirmatiuè reſpondet D. Thomas, locis infra citandis, & cum eo Henricus, in ſumma art. 54. q. 3. ad 10. dicens quòd generare, & ſpirare dicunt actum, *qui proprie eſt actio*. Aegidius in 1 diſt. 10. p. 1. quæſt. 1. Petrus de Herrera hìc dub. 2. cōcluſ. 2. Faſolus, hìc dubit. 3. Vaſquez, hìc diſp. 111. cap. 2. Ioannes à S. Thoma, hìc diſp. 12. à num. 12. & communiter Thomiſtæ.

Aegid. Herrera. Faſolus. Vaſquez. D. Thom.

CAPVT SECVNDVM.

Determinatio veritatis.

4 PRo determinatione veritatis, dico breuiter. Proceſſio in diuinis actiuè accepta, ſeù productio in diuinis, abſquè vllo ſcrupulo, & cū proprietate ſermonis, dicitur actio.

D. Thom.

Probatur primò, ex D. Thoma hìc in corpore, qui ad probandum quòd proceſſiones diuinarum perſonarum, ſint proceſſiones ad intra, non verò ad extra, hanc vniuerſalem propoſitionem aſſumit. *Sed cum omnis proceſſio, ſit ſecundùm aliquam actionem, ſicut ſecundùm actionem, quæ tendit in exteriorem materiam, eſt aliqua proceſſio ad extra, ita ſecundùm actionem, quæ manet in ipſo agente, attenditur proceſſio quædam ad intra.* Et tandem ſic concludit. *Non ergo accipienda eſt proceſſio ſecundùm quòd eſt in corporalibus, vel per motum localē, vel actionem alicuius cauſæ in exteriorem effectum, vt calor à calefaciente in calefactum, ſed ſecundùm emanationem intelligibilem, vtpotè verbi intelligibilis à dicente, quod manet in ipſo.*

Et in reſponſione ad primum, negat proceſſionem in diuinis eſſe ſecundùm actionem in exteriorem materiam, nō tamen negat, proceſſionem, quæ eſt ſecundùm actionem ad intra.

Et in reſponſione ad ſecundum, hęc ſcribit, *id quod procedit ad intra, proceſſu intelligibili, non oportet eſſe diuerſum.* Vbi vides, quòd pro eodem accipit, proceſſum intelligibilē, ac proceſſum per intelligere, quod eſt actio immanens.

5 Et art. 3. eiuſdem quæſtionis, vbi quęrit, *Vtrum ſit in diuinis, alia proceſſio à generatione Verbi*; Et reſpondens affirmatiuè, parat ſibi viam, ad probandum concluſionis intentum; Et ſic ait. *Ad cuius euidentiam conſiderandum eſt, quòd in diuinis non eſt proceſſio, niſi ſecundùm actionem, quæ non tendit in aliquid extrinſecum, ſed manet in ipſo agente.* Tùnc hanc minorem aſſumit. *Huiuſmodi autem actio in intellectuali natura eſt actio intellectus, & actio voluntatis.* Et tandem concludit, quòd *datur proceſſio Verbi, ſecundùm actionem intelligibilem*, & proceſſio Spiritus Sancti ſecundùm actionem, quæ eſt impulſus.

6 Et art. 5. vbi quærit, *Vtrum ſint plures proceſſiones in diuinis, quàm duæ*; Et reſpondens

Digitized by Google

dens negatiuè, totam concluſionis probationem fundat in hoc, quia *proceſſiones in diuinis accipi non poſſunt, niſi ſecundum actiones, quæ in agente manent*; Et quòd *huiuſmodi actiones in natura intellectuali* (nota) *& diuina, non ſunt, niſi duæ, ſcilicet, intelligere, & velle*. Vbi habes, quòd D. Thomas abſolutè, & abſquè aliquo addito diuinas productiones actiones nominat. Idem docet ibidem in reſponſione ad ſecundum, probare contendit eſſe in Deo plures proceſſiones, quàm duas, per hoc, quòd *Bonitas maximè videtur eſſe principium proceſſionis*. Ergo *videtur, quòd ſecundùm bonitatem, aliqua proceſſio in diuinis accipi debeat*. Et reſpondet, quòd bonum pertinet ad eſſentiam, & non ad operationem. Ex quo ſic concludit; *Vnde, cum proceſſiones diuinas ſecundùm aliquas actiones neceſſe ſit accipere, ſecundùm bonitatem, & huiuſmodi alia attributa, non accipiuntur aliæ proceſſiones, niſi verbi, & amoris, ſecundùm quòd Deus ſuam eſſentiam, veritatem, & bonitatem, intelligit, & amat*.

7 Vbi apertè vides, & habes, quòd non ſolùm affirmat proceſſiones in diuinis eſſe actiones; Verùmetiam dicit, quòd *neceſſe ſit accipere proceſſiones diuinas ſecundùm aliquam actionem*:

8 Et q. 28. art. 4. vbi quærit, *Vtrum in Deo ſint tantùm quatuor relationes reales*, & affirmatiuè reſpondens, totum corporis, ac concluſionis principale argumentum, fundat in hoc, quòd *realis relatio in Deo eſſe non poſſit, niſi ſuper actionem fundata; Non autem ſuper actiones, ſecundùm quas procedit aliquid extrinſecum à Deo; Quia relationes Dei ad creaturas, non ſunt realiter ipſo*; *Vnde*, inquit, *relinquitur, quòd relationes reales in Deo, non poſſunt accipi, niſi ſecundùm actiones, ſecundum quas eſt proceſſio in Deo intra, ſed non extra*. Et immediatè ſubdit, ſic. *Huiuſmodi autem proceſſiones ſunt duæ tantùm, quarum vna, accipitur ſecundùm actionem intellectus, quæ eſt proceſſio Verbi, alia, ſecundùm actionem voluntatis, quæ eſt proceſſio amoris*. Vbi vide, & obſerua quanta ſynceritate, & claritate diuinas productiones nominat actiones.

9 Et q. 41. art. 1. quærit, *Vtrum actus notionales ſint attribuendi perſonis*, & reſpōdet affirmatiuè, idquè hac ratione probat; Quia, nimirùm, *origo in diuinis perſonis cōuenienter deſignari non poteſt, niſi per aliquos actus*. Nomine autem actus notionalis, intelligit actiones, vt ex reſponſionibus ad argumenta conſtat.

10 Et ibidem ad 2. ſic ait; *Actio, ſecundùm primam nominis impoſitionem, importat originem motus. Sicut enim motus, pro vt eſt in mobili ab aliquo, dicitur paſſio; ita origo ipſius motus ſecundùm quòd incipit ab alio, & terminatur in id, quod mouetur, vocatur actio; remoto igitur motu, actio nihil aliud importat, quàm ordinem originis, ſecundùm quòd à cauſa aliqua, vel principio procedit in id, quod eſt à principio. Vnde, cum in diuinis non ſit motus, actio perſonalis producentis perſonam, nihil aliud eſt, quàm habitudo principij ad perſonam, quæ eſt à principio*.

11 Subſiſte paulisper, & Angelici Præceptoris, aurea verba conſidera. Nam in primis videbis, quòd actio non ſemper, ſed, *ſecundùm primam impoſitionem, originem motus importat*. Secundò, quòd *remoto motu, actio*, ſubaudi, de ſua eſſentiali ſignificatione, ſeu ratione, *nihil aliud importat, quàm ordinem originis, procedentis à principio*; Et tandem tertiò, manifeſtè deduces, productiones in diuinis eſſe verè, & propriè actiones. Hoc idem docet D. Thomas de potentia q. 10. art. 1. & deinceps. D.Thom

12 Ex quibus manifeſtè apparet, non rectè Molinam D. Thomam intellexiſſe, ac explicaſſe videlicet, quòd D. Thomas in hoc articulo vocat proceſſionem diuinam, *emanationē intelligibilem*, ſeu *ſecundùm emanationem intelligibilem*, quaſi, dicere proceſſionem in diuinis, eſſe ſecundùm emanationem intelligibilem, ſit dicere, non eſſe ſecundùm actionem. Hoc enim perſpicuis verbis D. Thomę iā præcitatis, manifeſtiſſimè confutatur. Molin.

Omitto multorum Sanctorum, antiquorumquè theologorum authoritates, ne in materia non multùm neceſſaria, nimia longitudine lectorum phātaſmata fatigentur.

13 Probatur igitur ſecundò ratione. Productiones diuinæ, habent totum id, quòd pertinet ad rationem eſſentialem actionis. Ergo ſunt verè, & propriè actiones. Conſequentia patet. Probatur antecedens. De eſſentiali ratione actionis aliud non eſt, niſi eſſe productionem termini, ſeu effectus: Sed productiones diuinæ ſunt huiuſmodi, ideſt, ſunt terminorum, ideſt, perſonarum procedentium productiones. Ergo. Probo maiorē; Quia quòd actio ſit ab agente ab eoquè diſtincta; Quodquè motum inferat, & alia huiuſmodi, quæ imperfectionem dicunt, includat, non eſt de ratione actionis, vt ſic, ſed de ratione actionis creatæ. Ergo. Probatur antecedens. Non eſt de ratione ſcientiæ, vt ſic, eſſe qualitatē accidentalem, realiter ab intellectu diſtinctam. Non eſt de ratione eſſentiali potentiæ productiuæ, eſſe realiter à ſua eſſentia diuerſam; Neque eſt de ratione potentiæ generatiuæ eſſe diſtinctam ab eſſentia, & natura rei productæ; Et ſic

in

Digitized by Google

in multis alijs caſibus. Ergo neque etiã eſt de ratione actionis, vt ſic, procedere ab agente, &c. Antecedens patet; Quia in Deo datur perfectiſſima ratio ſcientiæ, quæ tamen eſt ſubſtantialis, & cum intellectu diuino omninò identificata. Potentia creatiua, omniumque rerum cauſa prima, non eſt diuerſa ab eſſentia diuina; Et potentia generatiua, in diuinis, cum ſit ipſamet eſſentia diuina, ſecundùm quòd diuinam dicit eſſentiam, non diſtinguitur realiter ab eſſentia Verbi geniti. Conſequentia autem patet à paritate. Ergo quemadmodum in Deo datur perfectiſſimè ratio formalis ſcientiæ, & potentiæ, ita quoque debet dari ratio formalis actionis, abſque vllo prorſus præiudicio diuinæ ſimplicitatis, & perfectionis.

CAPVT TERTIVM.

Proponuntur argumenta in contrariũ, & ſoluuntur.

14 SED contra iſtam determinationẽ obijcies primo; Si productio in diuinis diceretur propriè actio, perſona producẽs diceretur agẽs, & perſona producta diceretur acta: ſed in diuinis perſona producens non dicitur cum proprietate ſermonis agens; Neque perſona producta dicitur acta. Ergo productio diuinarum perſonarũ, non dicitur propriè actio. Patet ſequela; Quia ab actione vnumquodque producens denominatur agens, & vnumquodque productum denominatur actum. Minor etiam patet; Quia agens eſt cauſa effectiua; Et actum eſt effectus, à cauſa effectiua dependens: ſed perſona producens non eſt cauſa effectiua, neq; perſona producta eſt effectus. Ergo.

14 Reſpondetur, diſtinguendo ſequelã. Perſona producens diceretur agens, & perſona producta diceretur acta, ſecundùm Græcos, concedo ſequelam. Secundùm latinos, nego ſequelam. Et per idem patet ad reliqua.

16 Explicatur iſta reſponſio ex D. Thoma infra q. 33. art. 1. ad 1. & de poten. q. 10. art. 1. ad 9. vbi ait quòd *Græci vtuntur in diuinis indifferenter nomine cauſæ, ſicut & nomine principij: ſed Latini Doctores non vtuntur nomine cauſæ, ſed ſolùm nomine principij. Cuius ratio eſt, quia hoc nomen cauſa, videtur importare diuerſitatem ſubſtantiæ, & dependentiam alicuius ab altero, quam non importat nomen principij.*

17 Et quia hoc nomen, agens, ſeu actiuũ, à Theologis latinis, adhùc ita purificatum eſt, vt ſignificet quoque principiũ productiuum, à quo aliquid, abſque omni dependentia procedat, idcirco poteſt quoque perſona diuina producens vocari agens, ſeù actiua, licet non ita ſit in theologorum vſu, vt perſona producẽs, nominetur agens, ſicut eſt in ipſorum vſu, vt productio nominetur actio: At verò, quia hoc nomen, actum, non eſt huc uſque à ratione effectus, ac dependẽtiæ depuratum, ideo perſona producta non poteſt vocari acta.

18 Dices. Poſſunt Theologi rectè intelligentes, nomine perſonæ actæ intelligere perſonam productam. Ergo eſſet bona iſta locutio. Perſona diuina filij, eſt perſona acta à Patre.

19 Reſpondetur, concedendo antecedẽs; Et diſtinguendo cõſequens. Ergo apud rectè, vt in antecedenti, intelligentes, concedo conſequentiam. Ergo ſecundùm communem vſum loquendi Doctorum, eſſet bona iſta locutio, perſona diuina filij, eſt perſona acta à Patre, nego conſequentiam.

20 Simile eſt huic hoc, quod eſt dicere filium eſſe principiatum à Patre ſuo principio, quod ſecundùm communem vſum loquendi dici non debet, nec poteſt; Quia principiatum ſecundùm communem vſum Doctorum, non ſolùm ſignificat proceſſionem alicuius à ſuo principio, verumetiam dependentiam procedentis, atque diuerſitatem in ſubſtantia à principio à quo procedit: At verò apud ſanè intelligẽtes, optimè, ſcilicet, cognoſcentes, filium non eſſe à Patre in ſubſtantia diuerſum, neque ab eodem dependentem, poteſt nomine principiati intelligi filius procedens à Patre abſque omni dependentia, ac in eſſẽtia diuerſitate.

21 Doctrina eſt D. Thomæ de potent. q. 10. art. 1. ad 9. circa finem, vbi ſic ait. *Quamuis autem Pater dicatur eſſe principium Filij, & Spiritus Sancti; Non tamen videtur indifferenter dicendum, quòd Filius ſit principiatum, vel etiam Spiritus Sãctus, licet etiam, hoc modo loquendi Græci vtantur; Et poſſit* (Nota) *apud ſanè intelligentes concedi.* Vnde Durandus in 1. diſt. 11. q. 2. nu. 20. vtitur nomine principiati, ſic enim ait. *Cum enim pluralitas perſonarum, ſit aliquorũ ſe habentium in ratione principij, & principiati &c.* & inſuper, *inter perſonas principiantes, vna eſt principians, & non principiata, vt Pater, alia principians & principiata, vt Filius.*

22 Obijcies ſecundò; Actio, vt actio, procedit realiter ab agente: Sed productio in diuinis non procedit à perſona producente. Ergo. Minor ſupponitur certa.

Digitized by Google

certa. Probatur maior; Quia ſicut eſt de eſſentia relationis eſſe ad aliud, ita eſt de eſſentia actionis eſſe ab alio: ſed eſt de eſſentiali ratione relationis, eſſe ad aliud. Ergo eſt de eſſentiali ratione actionis eſſe ab alio.

23 Reſpondetur, diſtinguendo maiorem. Actio, vt actio creata, & ab agente diſtincta procedit ab agente concedo maiorem. Actio, vt actio, ſecundum eſſentialem rationem actionis, vt ſic, nego maiorem. Tunc conceſſa minori, nego conſequentiam. Et per idem patet ad probationem. Nam de eſſentiali ratione actionis, vt ſic, niſi eſſentias rerum confundere velimus, eſt eſſe termini productionem; Eſſe verò emanationem ab agente conuenit actioni ratione imperfectionis admixtæ.

24 Obijcies tertiò. Productio in diuinis non poteſt dici actio tranſiens, neque immanens. Ergo nullo modo poteſt dici propriè actio; Conſequentia patet. Probatur antecedens; Quia non eſt actio tranſiens, cum ſit actio intellectus, & voluntatis; Neque perſona producta ſit alterius eſſentiæ, ab eſſentia perſonæ producentis, neque eſt actio immanēs; Quia actio immanens inhæret agenti, ſeu informat agens. Et per conſequēs, agens dicitur habere rationem ſubiecti recipientis, ac potentialis reſpectu actionis: ſed hoc repugnat Deo. Ergo.

25 Confirmatur hoc; Quia in hoc differt actio tranſiens ab actione immanente; Quia actio tranſiens inhæret patienti; Actio verò immanens inhæret agenti. Ergo ſi productio in diuinis eſt verè, & propriè actio immanens, inhæret perſonæ producenti.

26 Reſpondetur, negando antecedens. Ad cuius probationem, dico quòd eſt actio immanens. Ad cuius impugnationem diſtinguo antecedens. Actio immanens agentis potentialis, & creati inhæret agenti, cōcedo antecedens. Actio immanens agentis purè actualis, & increati, inhæret agenti, nego antecedens. Actio enim agentis purè, actualis, & increati, eſt ipſamet agentis eſſentia. Vnde communiter Theologi dicunt, quòd Deus eſt agens per eſſentiam ſuam.

26 Ad confirmationem reſpondetur, negando antecedens ſimpliciter, & vniuerſaliter loquendo; vel diſtinguendo antecedens. In hoc differt actio tranſiens, ab actione immanente, &c. loquendo de actione agentis potentialis, & creati, concedo antecedens. Loquendo de actione agentis purè actualis, & increati, nego antecedens. Ergo &c. nego conſequentiam.

28 Peteт aliquis; In quo igitur differt actio tranſiens, ab actione immanente vniuerſaliter loquendo?

29 Dico, quòd actio tranſiens in hoc differt ab actione immanente, quia tranſiens tranſit, & immanens manet in agente; Manere autem in agente, non ſimpliciter, ſed dupliciter contingere poteſt; Per inhærentiam, ſcilicet, ſeu per informationem; Et per identitatem. Si eſt actio immanens agentis potentialis, & creati, manet in agente per inhærentiam, ſeu per informationē: Si autē eſt actio immanens agentis purè actualis, & increati, manet in agente per identitatem.

30 Dices; Quatenùs actio immanens agentis purè actualis, & increati, eſt identificata realiter cum agente, manet in agente per identitatem. Ergo quatenùs eadem actio eſt ab agente ratione diſtincta, eſt in eodem agente per inhærentiā, ſeu per informationem, & ſi non identicè ad minùs ſecundùm rationem. Tunc ſic; ſed repugnat Deo ratio receptiui, & receptibilis; Perfectiui, & perfectibilis; Formæ, & formabilis. Ergo repugnat Deo ratio actionis immanentis, ratione cuius daretur in Deo ſupradicta variatio.

31 Reſpondetur concedendo antecedēs; & negando conſequentiam; Quæ, quāuis nonnullis videatur conuincens; Profundiùs tamen doctrinam D. Thomæ ſpeculantibus, friuola eſt & nulla. Nā ea, quæ in Deo ratione diſtinguūtur, in quantum ratione diſtinguūtur adinuicē nō vniūt, ſed ſemper diſtincta ſecundùm rationē, ac diuiſa manent. Ita quòd, quando per propoſitionem affirmatiuam vniūtur, ſeu prædicatum vnitur ſubiecto, nulla inter rationem, ſeu formalitatem ſignificatam per prædicatum, intercedit realis, vel rationis ratiocinatæ compoſitio, ſed ſolùmmodo identitas prædicati cum ſubiecto declaratur, vt eleganter docuit D. Thomas ſupra q. 13. ar. 12. Et non alia compoſitio, niſi propoſitionis reperitur. V. G. cum dico, Deus eſt volens; Quamuis, ly Deus, & ly volens, ſint duæ formalitates ratione diſtinctæ; Quatenùs tamen inter Deum, & voluntatem eius ſupradicta affirmatiua propoſitio formatur per affirmationem, identitas prædicati cum ſubiecto deſignatur.

32 Obijcies quartò; Si productio in diuinis diceretur actio. Ergo proceſſio ex parte perſonæ productæ diceretur propriè paſſio: Sed non propriè, & abſolutè dici poteſt paſſio. Ergo productio, neque poteſt dici propriè, & abſolutè actio. Sequela patet; Quia actioni,

vt actio eſt, correſpondet paſſio. Minor verò eſt communis inter Theologos, eamquè expreſsè docet D. Thomas infra q. 41. art. 1. ad 3.

33 Reſpondetur, negando ſequelam. Ad cuius probationem; diſtinguo antecedens. Actioni, vt actio eſt, ſecundùm primam nominis impoſitionem, correſpondet paſſio, concedo antecedens. Actioni, vt actio eſt, ſecundùm purificatam ſignificationem, qua Theologi vti ſolent, correſpondet paſſio, nego antecedens. Actio autem in diuinis non ponitur ſecundùm quòd importat originē motus, ſed tantummodo ſecūdùm quod dicit ordinem originis. Vide D. Thomam loco cit. ad 2. & ad 3.

34 Vbi aduerte, quòd quamuis in diuinis, proceſſio, vt productio, cum proprietate ſermonis dicatur actio, proceſſio verò ex parte perſonæ procedentis non poſſit propriè dici paſſio, tamen cum aliquo addito, & cū conditione diſtrahēte à ratione paſſionis, poteſt dici paſſio; Ideſt paſſio terminatiuè, ſeù ratione termini procedentis, & producti. Vnde ex parte perſonę procedentis dantur termini cum ſignificatione paſſiua. Filius enim dicitur genitus, & à Theologis proceſſio Spiritus Sancti vocari ſolet ſpiratio paſſiua; Et quemadmodum Patri conuenit hoc verbum actiuum, ſcilicet, generare, ita quoquè Filio conuenit hoc verbum paſſiuum, ſcilicet, generari, quę quidem paſſio non eſt propriè paſſio; Idquè non prætermiſit D. Thomas, ſed breuiter explicauit infra q. 41. art. 1. ad 3. vbi ſic ait. *Vnde, non ponuntur ibi paſſiones, niſi grammaticè loquendo, quantùm ad modum ſignificandi, ſicut Patri attribuimus, generare, & Filio, generari;*

ARTICVLVS SECVNDVS.

Vtrum aliqua proceſſio in diuinis, generatio dici poſſit.

AD ſecundum ſic proceditur, videtur quòd proceſſio, quæ eſt in diuinis, non poſſit dici generatio: generatio enim eſt mutatio de non eſſe in eſſe corruptioni oppoſita, & vtriuſque ſubiectum eſt materia; ſed nihil horum competit diuinis: ergo non poteſt generatio eſſe in diuinis.

2 Præterea, in Deo eſt proceſſio ſecundum modum intelligibilem, vt dictum eſt, ſed in nobis talis proceſſio non dicitur generatio: ergo neque in Deo.

3 Præterea, omne genitum accipit eſſe à generante: eſſe ergo cuiuslibet geniti eſt eſſe receptum; ſed nullum eſſe receptum eſt per ſe ſubſiſtens: cum igitur eſſe diuinum ſit eſſe per ſe ſubſiſtens, (vt ſupra probatum eſt,) ſequitur, quod nullius geniti eſſe, ſit eſſe diuinum: non eſt ergo generatio in diuinis.

Sed contra eſt, quod dicitur in Pſalm. 2. Ego hodie genui te.

Reſpondeo dicendum, quod proceſſio verbi in diuinis dicitur generatio. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, quod nomine generationis dupliciter vtimur: vno modo communiter ad omnia generabilia, & corruptibilia; & ſic generatio nihil aliud eſt quàm mutatio de non eſſe ad eſſe: alio modo propriè in viuentibus, & ſic generatio ſignificat originem alicuius viuentis à principio viuente coniuncto; & hæc propriè dicitur natiuitas; non tamen omne huiuſmodi dicitur genitum, ſed propriè quod procedit ſecundum rationem ſimilitudinis;

nis;

FORMATIO ARTICVLI.

TRipartita eſt corporis diſtributio. Primò, reſpondet abſolutè quæſito. Secundò, parans ſibi viam pro concluſionis probatione duplicē generationis acceptionem aſſignat; Et tertiò, concluſionem probat.

Quò ad primum, concluſio eſt iſta. *Proceſſio verbi in diuinis, dicitur generatio.*

Quò ad ſecūdum, vt acutè aduertit Caietanus, tria facit; diſtinguit, ſcilicet, deſcribit, & comparat generationem.

Quò ad horū primum; Diſtinctio eſt iſta; *Nomine generationis dupliciter vtimur. Vno modo communiter ad omnia generabilia, & corruptibilia. Alio modo propriè in viuentibus.* Quò ad ſecūdum, ſic deſcribit vtriuſquè generationis acceptionem; *Generatio* (ſubaudi communiter dicta) *eſt mutatio de non eſſe ad eſſe*: Generatio verò propriè, eſt *origo alicuius viuentis à principio viuente coniuncto, ſecundum rationem ſimilitudinis eiuſdem ſpeciei.* Quò ad tertium; Cōparatio eſt iſta, *In viuentibus, quæ de potentia in actum vitæ procedunt, ſicut sūt homines, & animalia, generatio vtriuſquè generationē includit.* Item *ſi ſit aliquid viuens, cuius vita non exeat de potentia in actum, proceſſio, excludit omninò primam rationem generationis, ſed poteſt habere rationem generationis, quæ eſt propria viuentium*; Et ſic, ſeù in tali caſu, ſecunda generatio ſeparatur à prima.

Quò ad ſecundū principale, probatio eſt iſta. Generatio pro-

Digitized by Google

propriè in viuentibus, ſignificat originem alicuius, à principio viuente coniuncto, ſecundùm rationem ſimilitudinis eiuſdem ſpeciei: Sed proceſſio Verbi in diuinis eſt huiuſmodi. Ergo proceſſio Verbi in diuinis habet rationẽ generationis. Maior patet, & ſimul quò ad ſingulas eius particulas probatur, & explicatur. Nam *pilus, vel capillus non habent rationem geniti, & Filij*; Quia non procedant ſecũdùm rationem ſimilitudinis. Item, *vermes, qui generantur in animalibus, non habent rationẽ generationis, & filiationis; licet inter vermes, animalia à quibus generantur, ſit ſimilitudo ſecundùm genus*; Nam *requiritur ad rationem generationis, quòd procedat ſecundùm rationẽ ſimilitudinis, in natura eiuſdem ſpeciei, ſicut homo procedit ab homine, & Equus ab Equo*. Ergo *generatio in viuentibus ſignificat originem alicuius viuentis à principio viuente coniuncto, ſecundùm rationem ſimilitudinis*. Minor verò probatur; Quia proceſſioni Verbi cõueniunt omnes particulę in deſcriptione generationis viuentium poſitæ; Nam verbum *procedit per modum intelligibilis actionis, quæ eſt operatio vitæ*. Procedit quoq; *à principio coniuncto*. Nam procedit à Patre per intellectum, eiuſquè intelligere. Procedit quoquè ſecundùm *rationẽ ſimilitudinis*; Quia *conceptio intellectus eſt ſimilitudo rei intellectæ*. Et ſubaudi hanc minorem: Sed verbum in

nis: vnde pilus, vel capillus non habet rationem geniti, & filij, ſed ſolum quod procedit ſecundum rationem ſimilitudinis non cuiuſcunque: nàm vermes, qui generantur in animalibus, non habent rationem generationis, & filiationis, licèt ſit ſimilitudo ſecundum genus, ſed requiritur ad rationẽ talis generationis, quod procedat ſecundum rationem ſimilitudinis in natura eiuſdem ſpeciei, ſicut homo procedit ab homine, & æquus ab æquo: in viuentibus autem, quæ de potentia in actum vitæ procedunt, ſicut ſunt homines, & animalia, generatio vtranque generationem includit. Si autem ſit aliquod viuens, cuius vita non exeat de potentia in actum, proceſſio (ſi qua in tali viuente inuenitur) excludit omninò primam rationem generationis, ſed poteſt habere rationem generationis, quæ eſt propria viuentium: ſic igitur proceſſio verbi in diuinis habet rationem generationis: procedit enim per modum intelligibilis actionis, quæ eſt operatio vitæ, & à principio coniuncto, vt ſupra iam dictum eſt; & ſecundum rationem ſimilitudinis. Quia conceptio intellectus eſt ſimilitudo rei intellectæ & in eadem natura exiſtens: quia in Deo idem eſt intelligere, & eſſe, vt ſupra oſtenſum eſt: vnde proceſſio verbi in diuinis dicitur generatio, & ipſum verbum procedens dicitur filius.

Ad primum ergo dicendum, quod obiectio illa procedit de generatione ſecundum rationem primam, prout importat exitum de potentia in actũ; & ſic non inuenitur in diuinis, vt ſupra dictũ eſt.

Ad ſecundum dicendum, quod intelligere in nobis non eſt ipſa ſubſtantia intellectus: vnde verbum, quod ſecundùm intelligibilem operationem procedit in nobis, non eſt eiuſdem naturæ cum eo, à quo procedit: vnde non propriè, & completè competit ſibi ratio generationis; ſed intelligere diuinum eſt ipſa ſubſtantia intelligentis vt ſupra oſtenſum eſt: vnde verbum procedens procedit vt eiuſdem naturæ ſubſiſtens. Et propter hoc, propriè dicitur genitum, & filius: vnde & his, quæ pertinent ad generationẽ viuentium, vtitur ſcriptura ad ſignificandum proceſſionem diuinæ ſapientiæ, Prouerb. 8. Nondum erant abyſſi, & ego iam concepta eram. Ante colles ego parturiebar; ſed in intellectu noſtro vtimur nomine conceptionis, ſecundum quod in verbo noſtri intellectus inuenitur ſimilitudo rei intellectæ licèt non inueniatur naturæ identitas.

Ad tertium dicendum, quod non omne acceptũ eſt receptum in aliquo ſubiecto, alioquin non poſſet dici, quod tota ſubſtantia rei creatæ ſit accepta à Deo, cum totius ſubſtantiæ non ſit aliquod ſubiectum receptiuum. Sic igitur id, quod eſt genitum in diuinis, accipit eſſe à generante, non tanquam illud eſſe ſit receptum in aliqua materia, vel ſubiecto, quod repugnat ſubſiſtentiæ diuini eſſe; ſed ſecundum hoc dicitur eſſe acceptũ, inquãtũ procedẽs ab alio habet eſſe diuinũ, nõ quaſi aliud ab eſſe diuino exiſtẽs. In ipſa enim perfectione diuini eſſe cõtinetur, & verbũ intelligibiliter procedẽs, & principiũ verbi, ſicut & quęcunq; ad eius perfectionẽ pertinent, vt ſupra dictũ eſt.

diuinis eſt ſimilitudo naturæ diuinæ. Ergo Verbũ in diuinis procedit, vt ſimilitudo naturæ diuinæ. Procedit tãdem, *vt in eadem natura exiſtens*; *Quia in Deo idem eſt intelligere, & eſſe*. Ergo proceſſio Verbi in diuinis dicitur generatio. & ipſum verbum procedens dicitur filius.

Ad primum argumentum reſpondet, diſtinguendo maiorẽ. *Generatio* importans exitum de potentia in actum, *eſt mutatio de non eſſe in eſſe, corruptioni oppoſita, & vtriuſquè ſubiecti eſt materia*, concedit maiorem. *Generatio* excludens exitum de potentia in actũ, *eſt mutatio &c.* negat maiorem. Tunc cõceſſa minori, negat conſequentiam; Eò quia, generatio ſecũdo modo, non verò generatio primo modo, inuenitur in diuinis.

Ad ſecundum argumentum reſpondet, diſtinguẽdo, ſeù explicando maiorẽ. *In Deo eſt proceſſio ſecundùm emanationem intelligibilem*, ita vt verbum procedens, procedat vt eiuſdem naturę cum eo à quo procedit, concedit maiorem. Ita vt verbum procedens, non procedat, vt eiuſdem naturæ &c. negat maiorẽ. Tunc, conceſſa minori, negat conſequentiã. Pro explicationis reſpõſione, lege litteram.

Ad tertium argumentum reſpondet, diſtinguendo antecedens. *Omne genitũ accipit eſſe*, acceptione, quæ non eſt re-

ceptio in aliquo ſubiecto, concedit antecedens. Acceptione, quæ eſt proceſſio alicuius ſubſiſtentis, concedit antecedens. Ergo &c. negat conſequentiam. Lege reſponſionis explicationem in textu.

SVPER ARTICVLVM COMMENTARIVM.

1 *Proceſſio Verbi in diuinis dicitur generatio*. Hæc cõcluſio eſt omninò ex fide certa. Nam de fide certũ eſt, Verbum in diuinis eſſe filium; Vt patet ex quamplurimis Sacræ Scripturæ, & conſiliorum teſtimonijs. Dicitur enim 1. Ioann. 5. *Vt ſimus in vero Filio eius*. Et in concilio Nicęno lib. 2. §. *Sancta, & magna*, ſic dicitur. *In Beata Trinitate, confiteri nos oportet, ſemper, verè Patrem veri Filij, & Filium, verè Filium veri Patris*. Et §. *ſæpenumero*, ſic dicitur, *Vnus verè Deus, & Pater. Vnus etiam, verè ineffabiliter ex eo genitus Filius, Deus Verbum. Quemadmodum autem, non ſolo nomine Pater eſt Deus, ſic nequè ſolo nomine Filius, ſed verè eſt Filius. Verus eſt Pater, non adulterinus; Verus etiam Filius. Perfectus Pater, perfectus, & eius Filius*. Idem in eodẽ Concilio lib. 4. §. *Sicut ab Epiſcopis dicitur*, his verbis, *Credimus Patrem verè Patrem eſſe; Filium verè Filium*.

1. Io. 5.

Nicænum

2 Itẽ, nõ ſemel, ſed pluriès in Sacra Scriptura, & ratio Filij, & ratio geniti explicatur. Dicitur enim in illo Pſal. 2. *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu*, ecce filiatio, *Ego hodie genui te*, ecce generatio. Et in illo Pſal. 109. dicitur, *ex vtero ante Luciferum genui te*. Et Iſaiæ. 53. dicitur, *Generationẽ eius, quis enarrabit*. Et Io. 1. dicitur, *Vnigenitus Filius, qui eſt in ſinu Patris*.

Pſal. 2. Pſal. 109. Iſai. 53. Io. 1.

3 Videantur D. Thomas 4. contra gen. cap. 11. Nazianzenus Tract. de fide. Hylarius lib. 3. de Trinitate; Cyrillus lib. 1. theſauri cap. 9. D. Auguſtinus lib. 5. cap. 6. & ſerm. 28. de tempore, & alibi pluriès de Trinitate. D. Fulgentius in reſponſione ad ſecundam obiectionem Arrianorũ. Cyrillus lib. 2. dialogorum de Trinitate, Clemens Romanus epiſt. 1 ad Iacobum fratrem Domini.

D. Thom. Nazi.nz. H larius. Cyrill. D. Aug. D. Filg. Cyrill. C. Rom.

4 *Nomine generationis dupliciter vtimur. Vno modo comuniter ad omnia generabilia, & corruptibilia*. Obſerua, quòd dupliciter poteſt dici generatio communiter. Primò, pro vt idem ſonat, ly *communiter*, ac genericè. Secundò, pro vt diſtinguitur contra propriè, & idem ſonat, ac largè, ſeù non rigoroſè. In præſenti, ly *communiter*, non accipitur primo modo, ſed ſecundo; Idquè patet. Primò; Quia D. Thomas aſſignat pro membro oppoſito generationem propriè dictam; dum ſic ait; *Alio modo propriè in viuentibus &c.* Secundò; quia inferiùs in eodem corpore, ait quòd ſecunda generatio ſic poteſt ſeparari à prima, vt excludat omninò primam rationem generationis: Sed ſi generatio communiter dicta acciperetur pro vt idem ſonat, ac generatio genericè accepta, ſequeretur, quòd ſecunda non poſſet omninò ſeparari à prima, ſed eſſentialiter includeret primã. Nam ſpecies eſſentialiter includit genus; Cum genus in quid de ſua ſpecie prædicetur.

5 *Non tamen omne huiuſmodi dicitur genitũ, ſed propriè quod procedit ſecundùm rationem ſimilitudinis. Vnde pilus, vel capillus, non habet rationem geniti, & filij*. Obſerua, quòd optima eſt ratio à D. Thoma aſſignata, quare pilus, non eſt filius animalis ex quo oritur, nequè genitus; Quia ſcilicet, non procedit vt ſimilis in natura. Non tamen eſt ratio adæquata, ſed bona, & ſufficiens; Quandoquidem pilus, vel capillus excluditur quoquè omninò, à ratione geniti, & filij, per hoc, quòd procedit, vt pars, & vt pars ſecundaria, & minùs principalis, non verò vt ſuppoſitum, & vt quoddam totum.

6 Obſerua inſuper, quòd in via D. Thomę ex vi præſentis teſtimonij, pili, & capilli, ſunt re vera viuentes. Nam aliàs D. Thomas eos à ratione geniti, & filij excluſiſſet, per hoc, quòd non ſunt viuentes.

7 *Sed ſolùm, quòd procedit ſecundùm rationẽ ſimilitudinis, non cuiuſcumquè. Nam vermes, qui generantur in animalibus, non habent rationẽ generationis, & filiationis, licet ſit ſimilitudo ſecundũ genus, ſed requiritur ad rationẽ talis generationis, quòd procedat ſecundùm rationem ſimilitudinis, in natura eiuſdem ſpeciei, ſicut homo ab homine, & equus ab equo*. Obſerua primò, ſicut in præcedenti, quòd rectè vermes geniti ex putredine intra animalia à ratione geniti, & filij excluduntur; Quia, ſcilicet, non procedunt, vt ſimiles in natura ſpecifica; Tamen, quia vitaliter ab animali nõ procedunt, poſſunt quoquè alia ratione à ratione geniti, & filij ſeparari.

8 Obſerua ſecundò, quòd aliter procedunt vermes, vt ſimiles ſecundùm genus

Digitized by Google

nus cum animalibus intra quorum corpora generãtur, & aliter mulus ab equa, & aſino, ſeù ab aſina , & equo . Primò quidem, quia mulus procedit ex ſubſtãtia, ſeù ex ſemine generantis ; vermes verò ex corruptione ſubſtantiæ , aut ex ipſo ſemine vt corrupto, aut ex corruptione excrementorum eiuſdem ſubſtantiæ, vt rerum magiſtra in diuerſis caſibus experientia docet. Secundò verò ; quia vermes procedunt, vt ſimiles ſecundùm genus valdè remotum ; mulus verò, ſecundùm genus valdè propinquum.

9 Explico hoc. Ex conuenientia formę, & figuræ extrinſecæ animalium , arguitur conuenientia in forma ſubſtantiali, ita quòd, inter ea animalia, inter quæ eſt maior conuenientia in forma extrinſeca, eſt quoquè maior conuenientia in natura ſpecifica, ſeù in forma eſſentiali. Vnde Simia multùm habet de conuenientia cum homine , per hoc , quòd multùm habet de ſimilitudine eiuſdem in facie. Vermes igitur, qui intra aliquod animal, vel ex ſemine eiuſdem corrupto generantur, non conueniunt in forma extrinſeca animalis , quemadmodum mulus conuenit cum equo, & aſina ; vel cum equa , & aſino , a quibus generatur. Nam mulus parùm à ſuis genitoribus in forma extrinſeca diſtat, vt diſcurrenti quò ad ſingula eius membra patet. Et conſequenter habet, ſicuti habere videmus maiorem conuenientiam cum ſuis genitoribus, quàm vermes cum animalibus ſupradictis . Immò ſunt ita diuerſæ ſpeciei, vt multùm ex vtroquè extremo participent, & includi poſſint ſub numero eorum , quæ in ſimilitudinem eiuſdem ſpeciei produci dicuntur. Quod enim parùm ab aliquo diſtat, nihil diſtare videtur . Vnde mulus genitus ab equo & aſina, dicitur verè, & propriè filius, ſeù verè, & propriè genitus, & natus. Non tamen perfectè quò ad connaturalem generationis modum.

10 Nec obſtat, quòd D. Thomas volens propriam generationem viuentium explicare, exemplificauit, *Sicut homo ab homine, & equus ab equo*; Quoniam de generatione propria , & modo connaturali viuentium, locutus eſt.

11 *Et ſecundùm rationem ſimilitudinis . Quia conceptio intellectus eſt ſimilitudo rei intellectæ*. Obſerua, quòd D. Thomas nõ probat ſimilitudinem ſecundùm eſſe intentionale, per hoc, quia conceptio intellectus , eſt ſimilitudo rei intellectæ dumtaxat ; Quoniam non omnis conceptio intellectus, eſt tantùm ſimilitudo intẽtionalis rei intellectæ, vt quidam non rectè dixerunt ; ſed quædam conceptio intellectus eſt tantùm ſimilitudo intentionalis rei intellectæ ; Quædam verò , eſt etiam ſimilitudo naturalis rei intellectæ ; Conceptio intellectus creati, eſt tantùm ſimilitudo intentionalis, rei intellectæ; Conceptio verò intellectus increati, eſt etiam ſimilitudo naturalis rei intellectæ. D. Thomas igitur, probans verbum procedere vt ſimile , quia procedit, vt conceptio, ſeù vt verbum, quod eſt ſimilitudo rei intellectæ , non intendit aſſerere, nec aſſumere, quòd verbum procedat, vt ſimile, ſecundùm eſſe intẽtionale dumtaxat, ſed explicitè probat, quòd ſit ſimilitudo naturæ diuinæ, & inſinuat, quòd ſimilitudo verbi diuini , non eſt tantummodo ſecundùm eſſe intentionale, ſed etiam ſecundùm eſſe naturale, quod explicitè, mox immediatè probat, dicens.

12 *Et in eadem natura exiſtens . Quia in Deo idem eſt intelligere, & eſſe*. Obſerua quòd, ex identitate inter intelligere, & eſſe cõpletè probat, ſimilitudinem Verbi diuini non eſſe, ſecundùm eſſe intentionale, ſeù ſecundùm eſſe diminutum , ſed ſecundùm eſſe naturale. Nam intelligere Dei eſt ipſum eſſe naturale Dei, vt expreſsè docet 4. contra gent. cap. 11.

13 In reſponſione ad tertium . *Non omne acceptum , eſt receptum in aliquo ſubiecto*. Ex his verbis manifeſtè colligitur, quòd ſi propriè loqui velimus, *accipere*, in plus ſe habet, quàm recipere . Nam recipere aliquid, eſt concurrere veluti ſubiectiuè. Vnde Ariſtoteles ait, quòd *recipere eſt quoddam pati*; Et ſic anima intellectiua, quæ eſt per creationem à Deo, magis propriè dicitur, accipere, quàm recipere eſſe à Deo. Et Filius in diuinis dicitur accipere eſſe à Patre, non verò recipere. Verum eſt, quòd largè loquendo, ſoleat indiſcriminatim, *accipere, & recipere*, proferri . Vnde D. Thomas de potent. q. 10. art. 1. ad 13. & 15. Confundit, ac pro eodem accipit, accipere, & recipere . Nam ad 15. ſic ait ; *Secundùm verò quòd refertur ad Patrem, conſideratur, vt recipiens eſſe à Patre*.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

DISPV-

Digitized by Google

DISPVTATIO CLI.

VTRVM PROCESSIO DIVINI VERBI SIT GENERATIO.

In quatuor capita diſtributa.

CAPVT PRIMVM.

Probatur, ac declaratur, quòd non irrationabiliter præſens controuerſia à Theologis diſputatur.

1 NVLLI dubium eſt, proceſſionem Verbi diuini eſſe generationem, eamquè inenarrabilē eſſe iuxta illud Iſaiæ 53. *Generationem eius quis enarrabit?* Nam etſi à quibuſdam de generatione temporali dictus Iſaiæ locus exponitur, multò fortiùs de generatione æterna verificatur, ſi noſtris tantùm viribus confidamus, in quo ſenſu à Sanctis Patribus admonemur, vt ab inquiſitione rationis tam præclaræ, & eximiæ generationis abſtineamus omninò. Vnde Clemens Romanus Epiſt. 1. ad Iacobum fratrem Domini, ſic ait. *Nec quæratur, quomodo genuit Filium, quod & Angelis neſcitur, & Prophetis incognitum eſt. Vnde illud; Generationem eius quis enarrabit? quam ſecretam originem cum proprio Filio nouit ipſe ſolus, qui genuit. Nec Deus à nobis diſcutiendus eſt, ſed credendus, qui in nobis ipſis neſcimus, quomodo mens noſtra generat verbum.*

Iſaiæ 53.

Cl. Rom.

2 Et Sanctus Baſilius homil. 25. de humana Chriſti generatione *Chriſti*, inquit, *Generatio propria, ac præcipua, diuinitatis eſt, quæ quidem ſilentio magis, ac fide veneranda, quàm diſputatione aliqua noſtra, ſeù curioſitate veſtiganda.*

S. Baſilius.

3 Et Sanctus Ambroſius lib. 1. de fide cap. 5. *Mihi*, inquit, *impoſſibile eſt, generationis ſcire ſecretum; mens deficit, vox ſilet, non mea tantùm, ſed Angelorum. Licet ſcire, quòd natus ſit; Non licet diſcutere, quemadmodum natus. Illud negare, mihi non licet; Hoc quærere, metus eſt.*

S. Ambr.

4 Et D. Auguſtinus lib. 3. contra Maximinum cap. 14. ſic ait. *Non omne, quod procedit, naſcitur; Quamuis omne procedat, quod naſcitur: ſicut non omne, quod bipes eſt, homo eſt; Quamuis bipes ſit, omnis qui homo eſt; Hæc ſcio. Diſtinguere autem inter illam generationem, & hanc proceſſionem, neſcio, non valeo, non ſufficio.* Hæc, & innumera ſunt Sanctorum teſtimonia, quibus à curioſa inueſtigatione generationis Verbi diuini retrahamur, à Theologis ſolēt adduci.

D. Aug.

5 Verùm ſuppoſita firma fidei adhęſione, per ea, quæ fidei ſunt, non inutile eſt, humiliter quærere, ac rationibus etiam debilibus, ſuadere proceſſionem diuini Verbi eſſe generationem, nequaquàm inpoſſibilem eſſe. Vnde D. Thomas lib. 1. contra gent. ſic ait. *Humana igitur ratio, ad cognoſcendum fidei veritatem, quæ ſolùm videntibus diuinā ſubſtantiam, poteſt eſſe notiſſima, ita ſe habet, quòd ad eam poteſt aliquis, veras ſimilitudines colligere; Quæ tamen non ſufficiunt, ad hoc, quòd prædicta veritas, quaſi demonſtratiuè, vel per ſe intellecta comprehendatur. Vtile tamen eſt, vt in huiuſmodi, rationibus quantumcunquè debilibus, ſe mens humana exerceat; Dummodo deſit comprehendi, vel demonſtrandi præſumptio; Quia de rebus altiſſimis, etiam paruā, & debili conſideratione, aliquid poſſe inſpicere, iucundiſſimum eſt.* D Thom.

6 Et D. Auguſtinus lib. 1. de Trinitate cap. 3. in principio, ſic ait. *Ingrediamur, inquit, ſimul charitatis viam tenentes ad eum, de quo dictum eſt, quærite faciem eius ſemper; Et hoc placitum, pium, atquè tutum, coram Domino Deo noſtro, cum omnibus inierim, qui ea quæ ſcribunt legunt, & in omnibus ſcriptis meis; Maximequè in ijs, vbi quæritur vnitas Trinitatis, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, Quia nec periculoſiùs alicubi erratur, nec laborioſiùs aliquid quæritur, nec fructuoſiùs aliquid inuenitur.* Vbi D. Auguſtinus docet, quòd quamuis in myſterio Sanctiſſimæ Trinitatis valde periculosè erretur, tamen etſi valde laboriosè quæratur, principijs fidei humiliter inhærendo, inaſſibilibuſquè rationibus famulando nil fructoſius inuenitur. D. Aug.

7 Itaquè quærere, vtrū proceſſio Verbi ſit generatio, & quare Verbi diuini pròceſſio ſit generatio, ex ſolo naturali

intel-

intellectus creati lumine, temerarium eſt aſſumptum, & impoſſibilis demonſtratio; Suppoſita tamen chriſtianæ fidei intrinſeca illuſtratione, poſſumus rationabiliter quærere, Vtrum proceſſio Verbi diuini ſit generatio, aliquamq; ad rationem generationis viuentium miſcentes conuenientiam, ſuadendo, ſcilicet, fidei veritatem, non demonſtratiuè probando; Ad inſtruēdum catholicos, non ad conuincendum aduerſarios, & hoc dicimus licitum eſſe, & vtile. hoc idem aduertit D. Auguſtinus lib. 5. de Trin. c. 27. vbi aſſignans aliquam rationem, quare ſcilicet, proceſſio Verbi ſit generatio, non autem proceſſio Spiritus Sancti; proteſtatur quòd fidelibus non autem infidelibus loquitur.

CAPVT SECVNDVM.

Determinatio veritatis.

8 PRO determinatione veritatis, Dico breuiter. Proceſſio Verbi diuini à Patre æterno dicitur, & eſt verè, & propriè generatio, & Verbū dicitur, & eſt verè, & propriè genitum, & filius.

9 Hoc dictum eſt de fide, vt patet ex ijs, quæ in commentario ſuper articulum diximus. Idquè à multis diuerſis vijs probari, ac ſuaderi ſolet, vt videbimus c. 5. In præſenti autem iudicaui ſolam D. Thomæ rationem adducere, & explicare; Nè lectoribus tædium, & incipientibus inferam confuſionem.

10 Probatur igitur noſtrum dictum, ratione D. Thomæ hoc modo. Proceſſioni Verbi diuini conuenit perfectiſſimo modo ratio generationis viuentium. Ergo proceſſio Verbi diuini eſt perfectiſſimè generatio. Conſequentia eſt euidens. Probatur antecedens; Quia diffinitio generationis viuentium ex communi Phyloſophorum, ac Theologorum conſenſu, in hoc conſiſtit, vt ſit origo viuentis, à viuente coniuncto in ſimilitudinem naturæ eiuſdem ſpeciei: Sed hæc definitio conuenit perfectiſſimo modo proceſſioni Verbi diuini. Ergo proceſſioni Verbi diuini perfectiſſimo modo conuenit generatio viuentiū. Maior patet. Probatur minor. Nam Verbum diuinum eſt viuens, iuxta illud Ioann. 6. *Ego viuo propter Patrem. Ego ſum via, veritas, & vita*. Eſt etiam à principio viuente procedens; Et quidem quod ſit procedens, patet ex illo Ioan. 7. *Ego ex Deo proceſſi*. Quod verò Pater ſit viuens, patet ex illo Ioan. 6. *Miſit me viuens Pater*. Quòd verò ſit per operationem vitalem patet; Quia procedit per intelligere, quod eſt actio vitalis. Quod ſit à principio coniuncto, patet ex illo Ioan. 14. *Non creditis quia Ego in Patre, & Pater in me eſt?* Et ex illo Ioan. 10. *Ego & Pater vnum ſumus*. Quòd in ſimilitudinē naturæ eiuſdem ſpeciei; Patet, quia eſt Verbum, ſeu conceptio naturæ diuinæ: ſed conceptio, ſeù verbum naturæ diuinæ, eſt ſimilitudo eiuſdem ſpeciei, imo omninò vnum, & idem cum natura diuina; Quòd tandem Verbum exiſtat, exiſtentia naturæ diuinæ non ſolùm in eſſe intentionali, ſed in eſſe rato, & naturali; Probatur, quia in Deo idem eſt intelligere, & eſſe.

11 Hæc eſt ratio D. Thomæ, qua probatur præſentis diſputationis intentum, quæ eſt præclarior cæteris. Duo tamen ſunt neceſſario explicanda; Vnum, eſt phyloſophicum, & eſt definitio generationis viuentium; Et hoc tetigimus in commentario ſuper præſentem articulum. Alterum vero eſt vltimæ particulæ probatio; Quomodo, ſcilicet, probatur, quòd exiſtere, ſeù eſſe Verbi diuini ſit ipſum exiſtere ratum, ac naturale eſſentiæ diuinæ; Per hoc, quod in Deo idem eſt intelligere, & eſſe; Quod capite ſequenti enucleatius diſcutiendum eſt.

CAPVT TERTIVM.

Explicatur quomodo rectè probatur à D. Thoma, quòd Verbum diuinum procedat, vt exiſtens in natura diuina, quia, ſcilicet in Deo eſt idē intelligere, & eſſe.

CAVEO quantùm poſſum, ne in profundo prolixitatis infigar, ſed mittere neceſſaria, nec volo, nec debeo, idcirco, breuiter quoſdam dicendi modos referam, & explicabo.

12 Quidam igitur dicunt, quod in Deo intelligere eſt ipſum eſſe Dei, non formaliter, ſed identicè. Horum autem quidam ſic formant, & applicant Diui Thomę rationem. Intelligere in Deo eſt idem cum ſuo eſſe: ſed eſſe Verbi diuini proprium, eſt ipſum intelligere. Ergo eſſe Verbi diuini eſt etiam ipſum eſſe naturale Dei.

13 Sed hæc ratio, vt iacet, infirmiter probaret intentum. Nam in Deo, etiam eius velle eſt idem cum eſſe Dei realiter, & identice: ſed eſſe Spiritus Sancti eſt ipſum velle Dei. Ergo eſſe Spiritus Sancti eſt etiam ipſum eſſe Dei. Ergo Spiritus Sanctus procedit quoquè, vt exiſtens

Digitized by Google

ſtens in natura diuina.

14 Poſſet reſponderi, quòd quantùm ad hoc, proceſſio Verbi, & proceſſio Spiritus Sancti pariformiter ſe habent. Verùm, proceſſio Verbi aliunde habet, vt ſit, & dicatur generatio. Nam ideò dicitur generatio; Quia Verbum diuinum procedit vt ſimilitudo intentionalis naturæ diuinæ. Etenim verbum, vt verbum, eſt formalis, & expreſſa ſimilitudo obiecti; & conſequenter, Verbum diuinum ex ſua ratione formali habet, vt ſit formalis, & expreſſa ſimilitudo naturæ diuinæ: Hoc autem Spiritui Sancto non conuenit; Eò quia, Spiritus Sanctus procedit, vt impulſus; Impulſus autem, nequè ſecundum rationem formalem genericam, nequè ſecundùm rationem formalem ſpecificam eſt, aut dicitur expreſſa, & formalis ſimilitudo obiecti. Et ex hoc capite proceſſio Verbi diuini habet, vt poſſit dici generatio, non verò proceſſio Spiritus Sancti.

15 Omnia quidem benè, ac de plano currerent, niſi aliqualis ſcrupulus contra formalem rationem generationis remaneret. Etenim de ratione formali generationis viuentium eſt, vt genitum procedat formaliter vt ſimile in natura ſecundùm modum eſſendi naturalem; ſed iuxta hunc dicendi modum, Verbũ diuinum procederet quidẽ, vt ſimile in natura diuina ſecundùm modum eſſendi naturalem: Attamen, procederet quoquè ſecundùm modum eſſendi intentionalem; Immo formaliter, & primariò ſecundùm modum eſſendi intentionalem. Identicè, & ſecundariò, ſecundùm modum eſſendi naturalem. Ergo iuxta hunc dicendi modum, non ſaluaretur formalis ratio generationis Verbi diuini.

16 Quidam verò eamdem inter intelligere Dei, & eius eſſe ſententiam ſuſtineates; nempè dato, quòd intelligere Dei non formaliter, ſed identicè dumtaxat, identificatur cum ſuo eſſe, ad formandam D. Thomæ rationem, alia gradiuntur via. Et ſic, ſeù ſub hac forma ratio proponi poteſt. Quod procedit per intelligere, procedit vt ſimilitudo formalis, & expreſſa eius naturæ cuius eſt ſimilitudo. Ergo quod procedit per intelligere diſtinctum ab eſſe intelligentis, procedit vt ſimile in natura eius, cuius eſt ſimilitudo, ſecundùm eſſe intentionale tantùm; Et quod procedit per intelligere identificatum cum eſſe intelligentis, procedit vt ſimile in natura, cuius eſt ſimilitudo, ſecundùm modũ eſſendi intentionalem, & naturalem. Probatur iſta conſequentia; Quia intelligere, quatenùs eſt termini productio eſt actio aſſimilatiua. Ergo intelligere identificatum cum eſſe, producit terminum vt ſimilem in natura ſecundùm modum eſſendi naturalem, & non ſolũ ſecundùm eſſe intentionale. Vnde iuxta hanc viam dicendum eſt, quòd Diuus Thomas probans, quòd Verbum diuinum procedat vt exiſtens in natura diuina, quia in Deo idem eſt intelligere, & ſuum eſſe, aliam ſubintelligit propoſitionem, & eſt iſta. Quod procedit per intelligere identificatum cum eſſe intelligentis, procedit vt exiſtens in natura diuina. Hæc via acuta eſt, & vera, & ad mentem D. Thomæ, & Caietani, infra q. 35. ar. 2. in fine corporis, & Ferrarienſis in 4. contra gen. c. 11.

17 Quidam alij dicunt, quòd ratio Diui Thomæ fundatur, non ſuper ſolam realem identitatem realem, ſed etiam formalem; Et iuxta hunc dicendi modũ, ſic poſſet ratio D. Thomæ formari. Intelligere Dei eſt ſuum eſſe formaliter, non ſolùm formalitate rei, verumetiam formalitate virtuali, ſeù virtutis: Sed eſſe Verbi eſt ipſum intelligere Dei. Ergo Verbum procedit formaliter vt exiſtens in natura diuina. Prima conſequentia patet; Quia eſſe Verbi eſt intelligi, vt docet D. Thomas in 4. contra gent. cap. 11. Sed intelligi eſt ipſummet intelligere Dei. Ergo eſſe Verbi eſt ipſum intelligere. Hic dicendi modus præ cæteris mihi probatur, & placet. Verumtamẽ explicatione indiget, quoniam non inuenio eum à Doctoribus vniformiter explicatum.

18 Pro illius igitur explicatione obſeruo primò; Quòd D. Thomas indefinitè, ſeù vniuerſaliter locutus eſt, cum dixit, eſſe Verbi eſt intelligi. Verificari igitur neceſſe eſt, de omni verbo, creato, ſcilicet, & increato: Et quoniam non pariter Verbum, de creato, & increato dicitur, idcircò non eodem modo omninò verificatur, quòd eſſe verbi creati eſt intelligi, ſicut de eſſe Verbi increati dicitur, quòd eſſe Verbi increati eſt intelligi. Nam de verbo creato verificatur, quòd eſſe illius, non eſt tantùm intelligi verùmetiam eſt ad minùs præſuppoſitiuè, & in ratione qualitatis, eſſe inhæſiuè in intellectu, quod non conuenit Verbo diuino: Inſuper Verbum creatum non habet eumdem modum eſſendi cum obiecto, cuius eſt verbum. Verbum enim lapidis, habet modum eſſendi accidentalem, lapis verò in ſe habet modum eſſendi ſubſtantialem, quod non conuenit Verbo diuino, cuius modus eſſendi eſt ipſum eſſe naturæ diuinæ.

Digitized by Google

19 Obſeruo ſecundò; Quòd cum dicitur, *eſſe Verbi eſt intelligi*, de quocumquè verbo loquamur, duobus modis intelligi poteſt. Cauſaliter, ſcilicet, & formaliter. Si primo modo, ſenſus eſt iſte. *Eſſe Verbi eſt intelligi*, ideſt, Verbum producitur in ſuo eſſe per intelligere. Si ſecundo modo, ſenſus eſt iſte, ſcilicet, Verbum habet exiſtentiam ab ipſo intelligere, ſeù propria exiſtentia verbi, eſt ipſum intelligere. Vtroquè modo verificari poteſt, ſed ſecundùm diuerſam ipſius intelligere acceptionem. Intelligere enim, bifariam conſiderari poteſt, vt dictio, ſeù vt productio termini eſt; Et vt obiecti contemplatio eſt. Secundùm primam acceptionem, verificatur propoſitio D. Thomæ in primo ſenſu; Secundùm ſecundam acceptionem, verificatur in ſecundo ſenſu.

20 Obſeruo tertiò; Quòd Verbum diuinum exiſtit exiſtentia formali, per ipſum intelligere abſolutum Dei, per ipſum verò intelligere notionale, exiſtit primo modo, accipiendo tamen, ly *cauſaliter*, ſeclusis imperfectionibus; pro vt idem ſonat, ac productiuè.

21 Obſeruo quartò; Quòd eſſe exiſtentiale Verbi diuini, non producitur à Patre, ſicut nequè natura diuina; Producitur dumtaxat, ſubſiſtentia relatiua, & per eamdem omnimodam actionem communicatur Verbo eſſe diuinum, ac natura diuina ſecundùm eamdem numerò identitatem.

22 Obſeruo quintò; Quòd quando dicitur, *eſſe Verbi diuini eſt intelligi*, non eſt ſenſus, quòd de ratione Verbi diuini ſit primò, & per ſe ab eſſentiali intelligere intelligi. Nam intelligi primò, & per ſe ab intelligere abſoluto, eſt ipſamet natura diuina, ſed ſenſus eſt, quod Verbum diuinum non habet aliud exiſtere, ſeù aliam exiſtentiam ab ipſo intelligere abſoluto.

23 Obſeruo tandem; Quòd intelligi reſpectu Verbi diuini (quidquid ſit de verbo creato) non eſt ſola denominatio extrinſeca (loquimur de intelligi intellectione eſſentiali, quatenùs, ſcilicet, eſt perfecta obiecti contemplatio) ſed intrinſeca; quemadmodum Deus vt à ſe cognitus, hoc quòd eſt à ſe eſſe cognitum, non eſt denominatio ſibi extrinſeca; Eò quia, in Deo, intelligens, id quod intelligitur, & ſpecies intelligibilis ſunt omnibus modis idem. Vnde obiectum, quod intelligitur à Deo, eſt Deus intelligens; Et conſequenter, Deū intelligi, eſt Deum eſſe intelligentem; Quare intelligi, non eſt aliud quàm ipſum intelligere, quod Deo non conuenit per ſolam extrinſecam denominationem, immò ſecundùm probabiliſſimam ſententiam eſt ipſum eſſe diuinū, ſeù conſtitutiuum naturæ diuinæ. Quia igitur Verbum diuinum ex ſua ratione formali procedit, vt expreſſa, ac formalis ſimilitudo naturæ diuinæ, procedit quoquè vt ſimilitudo naturæ intelligentis, cui intelligere, & eſſe ſunt vnum formaliſſimè, vt ſupponimus, iuxta hunc dicendi modum, ac proinde Verbum diuinum intelligi intellectione eſſentiali, eſt quoquè Verbum diuinum eſſe intelligens, & conſequenter intelligi non eſt ſibi extrinſecum. Solùmmodo differt Verbum diuinū, vt cognitū, ab eſſentia diuina, vt cognita in hoc; Quià eſſentia diuina eſt obiectum formale, ac ſpecificatiuum ipſius intelligere diuini, cum ſit ipſiſſimum intelligere; Verbum verò diuinum eſt obiectum veluti ſecūdarium ipſius intelligere abſoluti, & eſſentialis. Cæterum ex hoc, quòd Verbum diuinum procedit, vt formalis, & expreſſa ſimilitudo naturæ diuinæ, procedit, vt dixi, vt ſimilitudo expreſſa naturæ intelligentis, & vt intrinſecè exiſtens per ipſum intelligere per eſſentiam, & hoc diligenter obſerua.

24 His omnibus igitur prælibatis, ratio D. Thomæ ſic formari poteſt. Intrinſecum eſſe Verbi diuini, eſt ipſum intelligere per eſſentiam, & abſolutè acceptum; Sed intelligere per eſſentiam abſolutè acceptum, eſt ipſum exiſtere naturę diuinæ, ſecundùm ſuum eſſe naturale. Ergo Verbum diuinum procedit, vt exiſtens in natura diuina. Maior patet, ex præſuppoſitis; Nam Verbum diuinum intelligi, non eſt aliud, quàm Verbum diuinum cognoſci, vt intelligens; ſeù vt ſimilitudo naturæ cognoſcentis, & non habentis aliam exiſtentiam, quàm ipſum intelligere. Ergo Verbum diuinum intelligi à Deo, intellectione eſſentiali, & abſoluta, nō eſt ſola denominatio extrinſeca Verbo: Minor ſupponitur, iuxta hunc dicendi modum.

CAPVT QVARTVM.

Argumenta in contrarium proponūtur, & ſoluuntur.

25 SED contra iſtam determinationē obijcies primò; Si proceſſio Verbi diuini eſſet generatio, etiam proceſſio verbi creati eſſet generatio: Sed nulla proceſſio verbi creati poteſt dici generatio. Ergo nequè etiam proceſſio Verbi diuini poteſt dici generatio.

Digitized by Google

ratio. Probatur ſequela; Quia proceſſio Verbi diuini vel dicitur generatio, qua proceſſio diuina eſt; Vel qua proceſſio verbi eſt. Non primum; Quia eodem prorſus modo proceſſio Spiritus Sancti eſſet generatio, cum ſit proceſſio diuina. Si ſecundùm. Ergo etiam proceſſio verbi creati eſſet generatio.

26 Reſpondetur, diſtinguendo ſequelam. Si proceſſio Verbi diuini eſſet generatio, etiam proceſſio verbi creati eſſet generatio, ſecundùm quid, concedo ſequelam. Etiam proceſſio verbi creati eſſet generatio ſimpliciter, nego ſequelam: Similiter diſtinguenda eſt minor. & neganda eſt conſequentia.

27 Explicatur iſta reſponſio. Proceſſio Verbi creati non poteſt dici generatio ſimpliciter, quia Verbum creatum non exiſtit exiſtentia, qua exiſtit intelligens in eſſe naturæ. Cæterùm, verbum creatum habet aliquid ſimile generationi creatæ, & aliquid ſimile generationi diuinæ, & increatæ. Aſſimilatur quidem generationi creatæ; Quia quemadmodum in creatis ex coniunctione maris, & fœminæ gignitur proles; itaquoq; ex cõiũctione obiecti immediatè per ſeipſum, vel per ſpeciem ſuam cum intellectu, intellectus ſe habet, vt fœmina, & obiectum, vt maſculus, ex quorum coniunctione gignitur verbum. Vnde partus intellectus ſolet nominari. Aſſimilatur quoquè generationi diuinæ, & increatæ, per hoc, quòd, quamuis non ſit ſuppoſitum viuens, eſt tamen à principio viuente coniuncto per actionem vitalem, nempè per intelligere in ſimilitudinem naturę licet non in eadem natura exiſtens, & conſequenter, vt ſimilitudo duntaxat in eſſe intentionali, & nullo modo, vt ſimilitudo, ſecundùm eſſe naturale.

28 Obijcies ſecundò, & contra reſponſionem militat argumentum; Proceſſio Verbi, vt Verbi proceſſio eſt, dicit ſimilitudinem intentionalem. Ergo proceſſio Verbi diuini ſecundùm rationem ſpecificam, & formalem, dicit ſimilitudinem intentionalem. Ergo non dicit ſimilitudinem naturalem.

29 Reſpondetur, diſtinguendo antecedens. Proceſſio Verbi, vt Verbi proceſſio eſt, dicit ſimilitudinem intentionalem, ſimul, & naturalem, concedo antecedens. Dicit ſimilitudinem, tantummodo intentionalem, nego antecedens. Similiter diſtinguendum eſt primum conſequens, & neganda eſt vltima conſequentia.

30 Explicatur iſta reſponſio; Verbũ, vt Verbum eſt, dicit ſimilitudinẽ intentionalẽ. Vnde cuicumquè Verbo conuenit eſſe ſimilitudinẽ intentionalem obiecti. Inſuper Verbũ eſt quid analogum reſpectu Verbi increati, & creati. Diuiditur autẽ, ſeù contrahitur ad rationẽ primi analogati, nempè, Verbi increati & ad rationẽ verbi ſecũdi analogati: hoc modo. Verbum increatũ eſt ſimilitudo intẽtionalis, & ſimul ſimilitudo naturalis obiecti, & principij intelligentis. Contrahitur verò ad Verbum creatũ per hoc, quòd eſt ſimilitudo intẽtionalis tantùm, cum excluſione, ſcilicet, ſimilitudinis naturalis. Et quoniam analogum, abſolutè, & ſimpliciter, dicitur de primo analogato; Secũdùm quid vero & ſecũdariò dicitur de ſecũdo analogato, idcircò proceſſio Verbi diuini nõ ſolũ ea ratione, qua proceſſio Verbi diuini eſt, dicitur generatio; Verumetiã qua proceſſio Verbi ſimpliciter eſt.

31 Supereſt dubiũ contra reſponſionem diſſoluendũ. Nam vna differentia nõ cõtrahitur, nec limitatur per alterã oppoſitã differentiã: Sed ſimilitudo in eſſe intentionali, & ſimilitudo in eſſe naturali, ſunt duæ oppoſitæ differẽtiæ, ſeù modi diuerſi, diuidẽtes ſimilitudinẽ in intẽtionalẽ & naturalẽ. Ergo Verbũ quod dicit ſimilitudinẽ intẽtionalẽ, ſecũdũ quod Verbũ eſt nõ poteſt determinari & limitari per ſimilitudinem naturalem.

32 Reſpõdetur cõcedẽdo majorẽ & diſtinguẽdo minorẽ. Sed ſimilitudo in eſſe intẽtionali; Et ſimilitudo in eſſe naturali, sũt duæ differẽtiæ oppoſitę ſeù modi diuerſi in ſuis puris formalitatib⁹, cõcedo minorẽ. Sũt modi diuerſi ab vno, & eodẽ omnino ſe excludẽtes ſeù expellẽtes; Seù in vno & eodẽ incõpoſſibiles, nego minorẽ. Similiter diſtinguendũ eſt cõſequens. Ergo Verbũ, quod dicit ſimilitudinẽ intẽtionalẽ, ſecundum quod Verbũ eſt, nõ poteſt determinari, & limitari per ſimilitudinẽ naturalẽ. Quo ad ſua rationẽ formalem, concedo conſequentiam; Ita vt vnum excludat aliud, nego conſequentiam.

33 Explicatur iſta reſpõſio. Verbũ, ſeù ſimilitudo intẽtionalis nõ determinatur per ſimilitudinẽ naturalẽ, quaſi ſimilitudo intentionalis fiat naturalis. Hoc enim implicat, vt optimè argumẽtũ probat, ſed determinatur coniũctiuè, & incluſiuè. Et sẽsus eſt, quod ſimilitudo intẽtionalis, quæ eſt ratio diſtincta à ſimilitudine naturali, eſt duplex, quędã quę neceſſariò includit ſimilitudinẽ naturalẽ, ſeu eſt coniũcta cũ ſimilitudine naturali, Quędã verò nõ eſt ſimul cũ ſimilitudine naturali. Habem⁹ exẽplũ in ſexcẽtis caſib⁹. Vnũ tamẽ duntaxat ſatis aptũ affero. Identitas realis & idẽtitas formalis, sũt duæ differentiæ, ſeù modi

modi

mo.li diuidẽtes idẽtitatẽ. Vnde idẽtitas realis, vt ſic, nõ eſt idẽtitas formalis, vt formalis eſt. Tamẽ, ver i eſt ꝙ duplex eſt idẽtitas realis, Rea.is, ſcilicet, ſimul, & formalis; Et realis tãtũ, videlicet, cũ excluſione idẽtitatis formalis. Ita ſimiliter dicimus in præſenti &c.

ARTICVLVS TERTIVS.

Vtrum in diuinis ſit alia proceſſio à generatione Verbi.

AD tertium ſic proceditur, videtur, quod non ſit in diuinis alia proceſſio à generatione verbi: eadem enim ratione erit aliqua alia proceſſio ab illa alia proceſſione, & ſic procederetur in infinitum, quod eſt inconueniens. Standum eſt igitur in prima, vt ſit vna tantum proceſſio in diuinis.

2 Præterea, in omni natura inuenitur tantum vnus modus communicationis illius naturæ; & hoc ideò eſt, quia operationes ſecundum terminos habent vnitatem, & diuerſitatem; ſed proceſſio in diuinis non eſt, niſi ſecundum communicationẽ diuinæ naturæ. Cum igitur ſit vna tantum natura diuina, vt ſupra oſtenſum eſt, relinquitur, quod vna ſit tantum proceſſio in diuinis.

3 Præterea, ſi ſit in diuinis alia proceſſio ab intelligibili proceſſione verbi, non erit niſi proceſſio amoris, quæ eſt ſecundum voluntatis operationem; ſed talis proceſſio non poteſt eſſe alia à proceſſione intellectus intelligibili, quia voluntas in Deo non eſt aliud ab intellectu, vt ſupra oſtenſum eſt: ergo in Deo non eſt alia proceſſio præter proceſſionem verbi.

Sed contra eſt, quod Spiritus ſanctus procedit à Patre, vt dicitur Ioan. 15. Ipſe autem eſt alius à Filio, ſecundum illud Ioan. 14. Rogabo Patrem meum, & alium Paraclitum dabit vobis: ergo in diuinis eſt alia proceſſio præter proceſſionem verbi.

Reſpondeo dicendum, quod in diuinis ſunt duæ proceſſiones, ſcilicet proceſſio Verbi, & quædam alia. Ad cuius euidentiam conſiderandum eſt, quod in diuinis nõ eſt proceſſio, niſi ſecundum actionem, quæ non tendit in aliquid extrinſecum, ſed manet in ipſo agente. Huiuſmodi autem actio in intellectuali natura eſt actio intellectus, & actio voluntatis. Proceſſio autem Verbi attenditur ſecundum actionem intelligibilem, Secundum autẽ operationem voluntatis inuenitur in nobis quadã alia proceſſio, ſcilicet proceſſio amoris, ſecundum quam amatum eſt in amante, ſicut per conceptionem Verbi, res dicta, vel intellecta, eſt in intelligente: vnde & præter proceſſionem Verbi ponitur alia proceſſio in diuinis, quæ eſt proceſſio amoris.

Ad primum ergo dicendum, quod non eſt neceſſarium procedere in diuinis proceſſionibus in infinitum: Proceſſio enim, quæ eſt ad intra in intellectuali natura, terminatur in proceſſione voluntatis.

Ad ſecundum dicendum, quod quicquid eſt in Deo, eſt Deus, vt ſupra oſtenſum eſt, quod non cõtingit in alijs rebus; & ideò per quamlibet proceſſionem, quæ non eſt ad extra, communicatur diuina

FORMATIO ARTICVLI.

TRipartita eſt corporis diſtributio; Primò, reſpondet vnica concluſione reſponſiua immediatè quæſito. Secundò; vnum pro concluſionis probatione præſupponit. Et tandem; concluſionis probationem aſſignat.

Quoad primum, concluſio eſt iſta. *In diuinis ſunt duæ proceſſiones, ſcilicet, proceſſio Verbi, & quædam alia.*

Quoad ſecundũ; Id, quod præſupponit, atque pro concluſionis probatione obſeruat, eſt iſtud; *Quòd in diuinis non eſt proceſſio niſi ſecundùm actionem, quæ non tendit in aliquid extrinſecum, ſed manet in ipſo agente. Huiuſmodi autem actio in intellectuali natura, eſt actio intellectus, & actio voluntatis.*

Quoad tertium, probatio eſt iſta. *Proceſſio Verbi attenditur ſecundùm actionem intelligibilem. Secundùm autem operationem voluntatis inuenitur in nobis, quædam alia proceſſio, ſcilicet, proceſſio amoris, ſecundùm quam amatum eſt in amante; ſicut per conceptionem Verbi, res dicta, vel intellecta:* Ergo *præter pceſſionẽ Verbi, ponitur alia proceſſio in diuinis, quæ eſt proceſſio amoris.*

Ad primum argumentum reſpondet, negando maiorem. Et rationẽ negationis aſſignat; Quia *proceſſio, quæ eſt ad intra, in intellectuali natura, terminatur in proceſſione voluntatis.*

Ad ſecundum argumentum reſpondet, diſtinguendo maiorem. In omni natura diſtincta realiter à ſuis potentijs, & proprietatibus, inuenitur tantùm, vnus modus communicationis, illius naturæ, cõcedit maiorem. In omni natura etiam diuina, in qua non eſt ex parte rei, vlla diſtinctio à cæteris ſuis attributis, & perſonalitatibus, negat minorẽ. Tunc conceſſa minori, negat conſequentiam; Et rationem negationis aſſignat; Quia *quidquid eſt in Deo, eſt Deus; Quod non contingit in alijs rebus. Et ideò per quamlibet proceſſionẽ, quæ non eſt ad extra, communicatur diuina natura, non autem aliæ naturæ.*

Ad tertium argumentum reſpõdet, concedendo maiorem, & negando minorẽ. Ad cuius probationem diſtinguit antecedẽs. *Voluntas in Deo, non eſt aliud ab intellectu, tamen de ratione amoris eſt, quòd nõ procedat, niſi à conceptione intellectus,* concedit antecedẽs; Tamen de ratione amoris, nõ eſt quòd procedat à conceptione intellectus, negat antecedens.

Digitized by Google

uina natura, non autem alia natura.

Ad tertium dicendum, quod licet in Deo non ſit aliud voluntas, & intellectus, tamen de ratione voluntatis, & intellectus eſt, quod proceſſiones, quæ ſunt ſecundum actionem vtriuſque, ſe habeãt ſecundum quendam ordinem. Non enim eſt proceſſio amoris niſi in ordine ad proceſſionem Verbi: nihil enim poteſt voluntate amari, niſi ſit in intellectu conceptum. Sicut igitur attenditur quidam ordo Verbi ad principium, à quo procedit, licet in diuinis ſit eadem ſubſtantia intellectus, & conceptio intellectus: ita licet in Deo ſit idem voluntas, & intellectus, tamen quia de ratione amoris eſt, quod nõ procedat niſi à conceptione intellectus, habet ordinis diſtinctionem proceſſio amoris à proceſſione Verbi in diuinis.

SVPER ARTICVLVM COMMENTARIVM.

1 ALIA *proceſſio*, ly, *alia*, accipitur pro alietate reali. Et ſenſus eſt, Vtrum præter proceſſionem verbi, quæ eſt generatio, detur alia proceſſio in diuinis, ſiuè ſit generatio, ſiuè ſit etiam à ratione generationis aliquo modo diuerſa.

2 *In diuinis ſunt duæ proceſſiones, ſcilicet proceſſio Verbi, & quædam alia.* Reſponſum eſt conforme quæſito. Quæſitum erat, *Vtrum in diuinis ſit alia proceſſio, à generatione Verbi*, qualiſcumquè illa ſit. Reſponſum verò eſt iſtud. *In diuinis ſunt duæ proceſſiones, ſcilicet proceſſio Verbi, & quædam alia*; ſubaudi, qualiſcumque illa ſit.

3 *In diuinis non eſt proceſſio, niſi ſecundùm actionem.* Quaſi diceret, quamuis in natura intellectuali creata, non ſolùm ſit proceſſio ſiñ actionem intellectus, & voluntatis, verumetiam ipſarum potentiarum, nempe intellectus, & voluntatis ab eſſentia. Potentiæ enim animæ intellectiuæ, naturali ſequela procedunt ab eſſentia animæ, licet differenter; quia potentiæ animæ non emanant per modum termini, ſed per modum principij proximè operatiui; & conſequenter, nõ procedunt ab eſſentia animæ media aliqua actione, intellectus, vel voluntatis, aut naturæ, ſed naturali, & ſimplici emanatione. Nihilominus in diuinis non datur proceſſio potentiarũ ab eſſentia, nec actionis, ſeu actionum à ſuis potentijs; Nam intellectio diuina ſecundùm quòd actio, ſeu productio eſt, non procedit ab intellectu producentis, ſed eſt cum intellectu realiter identificata. Tantummodò igitur in diuinis datur proceſſio terminorum, ſeù perſonarum medijs actionibus immanentibus, intellectus ſcilicet, volũtatis, & propterea dixit, *in diuinis &c.*

4 *Secundùm autem operationem voluntatis, inuenitur in nobis quædam alia proceſſio.* Vbi habes in D. Thomæ doctrina definitum, quòd quemadmodum per actionem intellectus producitur terminus, ſeù verbum, ratione cuius cognitum eſt in cognoſcente; nec non verbum diſtinguitur ab intellectione per quam ab intellectu producitur; ita pariformiter, per actionem voluntatis in nobis producitur terminus intra voluntatem, ratione cuius, obiectum volitum eſt in voluntate, vt amatum in amante.

5 Ratione huius doctrinæ, ſolent hic diſputare Doctores, Vtrum per actionẽ voluntatis noſtræ producatur terminus intrinſecus, ratione cuius, obiectum amatum ſit in voluntate, vt amatum in amante; Et quoniam res philoſophica eſt, idcirco eam præſupponimus in præſenti affirmatiuè deciſam. Tum quia, ſic ratio poſtulat. Tum etiam quia, ſic aſſerere non modicum conferi, ad ſuadendum etiam in diuinis, vltra proceſſionem verbi per intellectum, dari quoquè proceſſionem Spiritus Sancti per voluntatem. Alias, minùs eſſet ſuaſibilis Spiritus Sancti proceſſio; quam proceſſio verbi diuini. Nam in creatis daretur proceſſio per intellectum, non verò proceſſio per voluntatem.

6 *Proceſſio amoris.* Ly, *amoris*, non accipitur formaliter, ſed quaſi cauſaliter, id eſt, proceſſio per amorem. Nam ſicut per intellectum diuinum, non producitur aliqua intellectio diuina, ſed verbum, per notitiam, ſeù per intellectionem diuinam producitur; ita quoquè per voluntatem diuinã, non producitur amor, qui eſt formaliter volitio, ſed impulſus per amorem.

7 *Secundùm quam amatum eſt in amante, ſicut per conceptionem verbi, res dicta, vel intellecta, eſt in intelligente.* Ly, *ſicut*, non dicit omnimodam paritatem, ſeù proportionem, ſed proportionalitatem, debita ſcilicet, membrorum partitione ſeruata. Non enim ſenſus eſt, quòd quemadmodum per intellectionem producitur verbum, quod eſt ſimilitudo formalis rei intellectæ; ita per volitionem, producitur impulſus rei amatæ, qui ſit ſimilitudo formalis illius. Hoc enim falſum eſt. Senſus igitur eſt, quòd ſicut

per

Digitized by Google

per intellectum producitur verbũ, quòd eſt imago formalis obiecti; ita quoquè per voluntatem, ſeù per amorem volũtatis, producitur impulſus ad rem amatam, quo voluntas ad eam proſequendam inclinat, nec tamen eſt ſimilitudo formalis illius.

8 *Sicut per conceptionem verbi, res dicta, vel intellecta eſt in intelligente.* *Dicta*, ideſt repræſentata ſeù mentaliter explicata. *Intellecta*, id eſt, in verbo, & per verbum intellectum, ſeù expreſſum, præſentata, ſeù cognita.

9 *Vnde, & præter proceſsionem Verbi, ponitur alia proceſsio in diuinis, quæ eſt proceſsio amoris.* Obſerua duo. Vnum eſt, quòd in fine corporis explicat, quænam ſit illa proceſsio, in titulo, & in concluſione indeterminatè poſita, dum dixit, *& quædã alia*. Nunc nominat eam, dicens eſſe proceſsionem amoris.

10 Secundum eſt; quòd præcedentia verba iam citata, debent intelligi iuxta legẽ exigitam à proceſsione amoris; ſeù per amorem, in ordine ad proceſsionem verbi; Ita vt ſenſus ſit, quòd in diuinis præter proceſsionem verbi, datur proceſsio per amorem, quæ eſt quoquè ſuo modo à conceptione intellectus; quod expreſsit in reſponſ. ad 3. Et hoc nota, quoniam ſeruit rationi D. Thomæ aliàs non probaret realem diſtinctionẽ inter verbi diuini, & Spiritus Sancti proceſsionem. Nam ſi nulla alia diſtinctio inter proceſsionem amoris, & proceſsionem Spiritus Sancti intercederet, niſi quia vna eſt per intellectum, per voluntatem altera, nullo inter vnam, & alteram originis ordine ſeruato, non maior inter eas poſſet conſiderari diſtinctio, quam ea, quæ inter intellectum, & voluntatem inuenitur. Quare &c. Vide D. Thomam. 4. contra gent. c. 24.

11 Reſpõſio ad 3. redolet pulchram, neceſſariam, acutamquè doctrinam, quam per ſubſequentem diſputationem ab aduerſariorum calumnijs defendemus, ac explicabimus.

DISPVTATIO CLII.

VTRVM PROCESSIO AMORIS SIT aliquo modo à ratione verbi diſtincta.

In duo capita diſtributa.

CAPVT PRIMVM.

Determinatio veritatis.

1 PRoceſsio amoris, ſeù per amorẽ in diuinis diſtinguitur virtualiter, & ratione à proceſsione verbi.

Probatur breuiter. Intellectus, & voluntas diſtinguuntur ratione, & virtualiter in Deo. Ergo & proceſsiones per intellectum, & per voluntatem etiam diſtinguuntur eadem diſtinctione.

2 Si dicatur, quòd proceſsiones in diuinis non ſpecificantur à potentijs, ſeù à principijs earum, ſed à terminis ipſarum.

3 Contra primò; Quia ſiuè proceſsiones ſpecificentur à terminis, ſiuè à principijs, ſemper eſt vera iſta propoſitio, quòd principij ſpecificè diuerſi proceſſio, eſt ſpecificè diuerſa. Ergo ſi intellectus, & voluntas veluti ſpecificè, ratione, & virtualiter diſtinguuntur, ſimiliter earum proceſsiones.

4 Secundò; Quia actio immanens adæquatè conſiderata, ſpecificatur à principio, potiùs, quàm à termino. Nam intellectio V. G. non dicitur intellectio ſecundùm rationem ſpecificam intellectionis, ratione obiecti potiùs, quàm principij. Vt ex eius denominatione probatur; dicitur enim intellectio quaſi intellectus actio. Ergo ab intellectu ſpecificatur; vel potiùs dicendum eſt quod ſpecificatur ab obiecto communiſsimè accepto, & ſimul à principio.

5 Itaquè proceſsio in diuinis, quę eſt per amorem diſtinguitur veluti ſpecificè à proceſsione verbi; quia vna eſt per intellectum; per voluntatem altera, & inſuper, quia vna terminatur ad Verbum, & altera ad impulſum.

6 Dico ſecundò. Proceſsio in diuinis, quæ eſt per amorem, diſtinguitur realiter

Digitized by Google

ter à proceſſione Verbi.

Hoc dictũ ita de fide certũ eſt, ſicuti de fide certum eſt, Spiritũ Sanctũ eſſe perſonam realiter à perſona verbi diſtinctam.

7 Dico tertiò. Proceſſio amoris in diuinis originatur à proceſſione paſſiua Filij tanquàm à ſuppoſito producente, media tamen virtute ſpiratiua.

8 Explico hoc, quod dico. Proceſſio paſſiua verbi in diuinis, eſt ipſa filiationis relatio. Relatio autem filiationis, ſeù filiatio ipſa in diuinis poteſt conſiderari veluti ſubſiſtens, & vt vltimatè referens, & ordinans. Et quidem, ſi ſecundo modo conſideretur, per ſe, & immediatè refertur tantummodo ad Patrem; ad Spiritũ Sanctũ verò, non niſi mediatè, mediãte ſcilicet, relatione ſpiratiua. Si verò conſideretur vt relatio ſubſiſtẽs, ſeù vt perſona Filij, immediatè refertur ad Patrem, & ad Spiritum Sanctum. Ad Patrem, vt ad perſonã immediatè ab eo procedentem per generationem. Ad Spiritum Sanctũ vero, ſecundum quòd eſt perſona immediatè immediatione ſuppoſiti producens perſonam Spiritus Sancti, non tamen immediatè per relationem filiationis, quaſi antecedentem relationem ſpirationis actiuæ. Et hoc ſibi vult D. Thomas hic in reſp. ad 3. dum ait; ſic *licet in Deo ſit idem voluntas, & intellectus, tamen, quia de ratione amoris eſt, quòd non procedat, niſi à conceptione intellectus, habet ordinis diſtinctionem proceſſio amoris, à proceſſione verbi in diuinis.* D.Thom.

9 Et de potentia q. 9. ar. 9. ad 3. ſecundo loco, vbi ſic ait. *Ad 3. dicendum, quòd licèt voluntas, & intellectus non differant in Deo, niſi ſecundum rationem, tamen oportet illum, qui procedit per modum intellectus, realiter diſtingui ab eo qui procedit per modum voluntatis. Nam verbum, quod procedit per modum intellectus, procedit ab vno tantum ſicut à dicente; Spiritus verò Sanctus, qui procedit per modum voluntatis, vt amor, oportet quòd procedat à duobus mutuò ſe amantibus, vel etiam ex dicente, & verbo. Nihil enim poteſt amari, cuius verbum in intellectu non præconcipitur. Et ſic oportèt, quòd ille, qui procedit per modum voluntatis, ſit ab eo, qui procedit per modum intellectus; & per conſequens, quòd diſtinguatur ab eo.* Et ibidem q. 10. art. 2. ad 7. idem docet, ſic dicens, *licèt natura, & voluntas in Deo non differant re, ſed ratione tantùm, tamen ille, qui procedit per modum voluntatis, oportet quòd realiter differat ab eo, qui procedit per modum naturæ; & vna proceſſio realiter ab alia differat.* Et multis interiectis ſic concludit. *Vnde illa proceſſio per modum naturæ intelligitur in diuinis, quæ nullam aliam præſupponit. Illa verò per modum voluntatis, quæ ex præſuppoſita proceſſione principium ſumit. Et ſic oportet proceſſionem (Nota) eſſe ex proceſſione, & procedentem, ex procedente. Hoc autem facit realem differentiam in diuinis.*

10 Præcedens teſtimonium euidenter aſſerit proceſſionem per amorem in diuinis, eſſe ex proceſſione paſſiua verbi, id eſt, ex verbo, vt ſubſiſtente. Præſens verò teſtimonium euidenter probat proceſſionem Spiritus Sancti, ex proceſſione paſſiua Filij originari. Videatur D. Thomas in 1. ad Annibaldum diſt. 13. q. 1. art. 2. & infra, q. 16. art. 2. ad 7.

11 Et in 4. cont. gent. cap. 24. circa finẽ, vbi probã, quòd Spiritus Sanctus procedat à Filio per modum voluntatis, & Verbũ per modũ intellectus. *Ex hoc ipſo,* inquit, *quòd dicitur, quòd Spiritus Sanctus procedit per modum voluntatis, & Filius per modum intellectus, ſequitur, quòd Spiritus Sanctus ſit à Filio. Nam amor procedit à Verbo; eò quòd, nihil amare poſſumus, niſi verbo cordis illud concipiamus.* D.Thom.

12 Probatur igitur vtrumquè dictum ſupradictis D. Thomæ authoritatibus, exageratis, ac benè penſatis.

13 Probatur autem ſpecialiter ſecũdum dictum. Quia Spiritus Sanctus diſtinguitur realiter à perſona Verbi, & à proceſſione eiuſdem. Ergo proceſſio Spiritus Sancti diſtinguitur realiter a proceſsione paſsiua Verbi. Antecedens eſt de fide. Probatur conſequentia; quia ſicut proceſsio paſsiua verbi identificatur cum verbo, ita proceſsio Spiritus Sancti, cum perſona Spiritus Sancti. Ergo ſi Spiritus Sanctus diſtinguitur realiter à perſona verbi, & à proceſsione illius; proceſsio quoquè Spiritus Sancti diſtinguitur realiter à proceſsione verbi.

14 Probatur tertium dictum. Proceſsio Spiritus Sancti diſtinguitur realiter à proceſsione verbi, vt dictum, & probatum eſt. Ergo proceſsio Spiritus Sancti procedit realiter à proceſsione paſsiua verbi. Probo conſequentiam; quia in diuinis quod realiter non procedit ab aliquo, vel non producit aliquod, non diſtinguitur ab eo realiter.

15 Confirmatur primò, quia vt proceſſio Spiritus Sancti diſtinguatur realiter à paſsiua generatione filij, non ſufficit, vt identificetur cum ſpiratione actiua, ratione cuius, Spiritus Sanctus procedit à Filio. Ergo requiritur, vt proceſsio Spiritus Sancti procedat à proceſsione paſſiua Filij. Conſequentia eſt euidens. Probo antecedens; In primis, quia proceſsio paſsiua filij ideo non diſtinguitur realiter a ſpiratione actiua Patris; quia licèt, procedat à Paternitate, non tamen procedit à ſpiratione actiua patris; Vnde

de non obſtante, quòd ſpiratio actiua Patris ſit identificata cum paternitate, à qua procedit filiatio, non propterea ſequuntur, quòd filiatio diſtinguatur à ſpiratione actiua patris. Item ſpiratio actiua filij non diſtinguitur realiter à paternitate, quia non procedit ab ea. Ergo.

16 Confirmatur ſecundò; Quia ſi proceſſio Spiritus Sancti non procederet à proceſſione paſſiua verbi, non poſſet aſſignari, per quid vna proceſſio diſtingueretur ab altera. Ergo vna proceſſio procedit ab altera. Conſequentia eſt euidens; probatur antecedens; Non.n. poſſet dici cum Scoto, quòd ſe totis diſtinguerētur; primò quia aliàs etiam ſpiratio actiua patris diſtingueretur realiter à paternitate; Et generatio paſſiua filij diſtingueretur realiter à ſpiratione actiua eiuſdem; quod non eſt admittendū. Ergo. Patet ſequela; quia, ſicuti proceſſio Spiritus Sancti, & proceſſio paſſiua filij, ſe totis diſtinguūtur, ita ſpiratio actiua patris, & paternitas; ſpiratio actiua filij, & generatio paſſiua ſe totis diſtinguuntur. Ergo. Antecedens patet; Quia nulla poteſt aſsignari diſparitas. Secundò; quia ea, quæ ſe totis diſtinguuntur, in nullo conueniunt: ſed per Scotum proceſsio Spiritus Sancti, & generatio paſsiua filij ſe totis diſtinguuntur. Ergo in nullo debent conuenire: ſed proceſſio Spiritus Sancti, & generatio paſsiua verbi, in aliquo conueniunt. Ergo non ſe totis diſtinguuntur. Omnia clara ſunt; difficultas tantùm eſt in probatione minoris ſubſumptæ, quæ ſic probatur; Proceſsio Spiritus Sancti eſt verè, & propriè proceſsio diuina; proceſsio quoquè paſsiua verbi eſt proceſsio diuina. Ergo ambæ conueniunt in hoc, vt vtraquè ſit proceſsio diuina. Ergo in aliquo conueniunt. Item proceſsio Spiritus Sancti eſt intelligibilis, ſeù ſpiritualis emanatio; hoc idem habet proceſsio verbi diuini. Item proceſsio Spiritus Sancti eſt communicatio naturæ diuinæ perſonæ Spiritus Sancti, per voluntatē; proceſsio paſsiua verbi diuini eſt acceptio naturæ diuinæ per intellectum. Ergo vtraquè proceſsio conuenit in hoc, vt ſit proceſsio diuina ſpiritualis intelligibilis emanatio], & acceptio diuinæ naturæ. Ergo in aliquo conueniunt, & aliquo modo differunt. Ergo.

17 Explicatur hoc; Homo, & Leo, ideo non ſe totis diſtinguuntur; quia ambo in vna ratione veluti generica, ac primò intentionaliter conueniunt, nempè, in ratione animalis; diſconueniunt verò in ſola ratione rationalitatis, & irrationalitatis: at verò rationalitas, & irrationalitas ſe totis diſtinguuntur; quia in nullo niſi in ſola entis ratione conueniunt; in ratione autem animalis omnimodè opponuntur. Ergo, quia proceſsio Spiritus Sancti, & generatio paſsiua verbi in multis rationibus ad rationem proceſſionis pertinentibus conueniunt, falſum eſt dicere, quòd ſe ipſis totis diſtinguuntur.

18 Dices etiam rationalitas, & irrationalitas conueniunt in hoc, quòd vtraquè formalitas eſt differentia diuidens animal, & conſtituens ſpeciem. Ergo falſum eſt, quòd rationalitas, & irrationalitas ita ſe totis diſtinguantur, vt in nulla ratione conueniant.

19 Reſpondetur, concedendo antecedens; & negando coſequentiam; & ratio negationis eſt, quia rationalitas, & irrationalitas qua ſe totis diſtinguuntur, in nullo conueniunt; qua verò in aliquo conueniunt, non ſe totis diſtinguuntur. Sub ratione autem animaleitatis, ſe totis diſtinguuntur; & conſequenter, in ratione animaleitatis in nullo conueniunt. Conueniunt verò, quò ad terminos ſecundæ intentionis, nempè quò ad rationem differentiæ diuidentis genus & conſtituentis ſpeciem, & ſub hac ratione, non ſe totis diſtinguuntur: at verò proceſsio Spiritus Sancti, & generatio paſsiua verbi, ſub ratione proceſſionis diuinæ immaterialis, intelligibilis &c. re vera conueniunt. Ergo non ſe totis &c.

20 Explicatur amplius vis rationis; Proceſsio Verbi, & proceſsio amoris nō diſtinguūtur ex eo, quia intellectus, & volūtas diſtinguūtur; quia vel intellectus, & volūtas in Deo, diſtinguūtur realiter, vel tātū ratione. Nō realiter, quia hoc eſt falſum, vt patet. Si ratione. Ergo non poſſunt eſſe cauſa diſtinctionis realis, patet conſequentia; quia diſtinctio rationis non poteſt eſſe cauſa diſtinctionis realis. Ergo. Patet antecedens; quia ens rationis non poteſt eſſe cauſa entis realis. Ergo diſtinctio rationis non poteſt eſſe cauſa diſtinctionis realis. Remanet igitur, vt realiter ab inuicem diſtinguantur, quia altera procedit ab altera, imo in creatis volūtas realiter diſtinguitur ab intellectu, quia voluntas procedit ab anima, mediante intellectu.

CAPVT

CAPVT SECVNDVM.

Proponuntur argumenta in contrariũ, & ſoluuntur.

21 SED contra iſtam determinationẽ obijciet aliquis primò. Producẽs vt producens, ſe habet vt principium actiuum. Ergo proceſsio Spiritus Sancti non procedit a generatione paſsiua filij. Probatur conſequẽtia; quia generatio paſsiua filij eſt iam paſsiua. Ergo habet vt procedat, & nõ vt producat.

22 Reſpondetur, concedendo antecedens, & negando conſequentiam; & ratio negationis eſt; quia generatio paſsiua filij ex eo quòd eſt generatio paſsiua, habet per voluntatem ſibi communicatam à Patre, vt ſit ſpiratiua, ſeù principium productiuum, actualiſquè productio. Vnde generatio paſsiua verbi, qua generatio paſsiua, in diuinis eſt, habet vt ſit perſona ſubſiſtens, & conſequenter, conuenit ei, eſſe principium actiuũ, & actionem, ſeù productionem ipſam proceſsionis paſsiuæ, & perſonæ Spiritus Sancti.

23 Hoc poteſt ex logicalibus aliquantulùm explicari; atquè etiam ad logicalia explicanda applicari. Tenet enim Eminentiſsimus Caietanus in logica cap. de ſpecie, & benè, quòd ſpecies conſtituitur in ratione formali ſpeciei, per hoc, quòd immediatè ſubijcitur generi, & ex hoc, quòd immediatè ſubijcitur generi, habet, vt prædicetur de inferioribus, puta, de indiuiduis. Non quòd formaliter ſubijci, ſit formaliter prædicari; ſed quia ſubijcitur generi, conuenit ei conſequẽter, de pluribus ſolo numero differentibus prædicari. Ita aliqualiter proportionatè, Verbum habet quòd ſit principium actiuum Spiritus Sancti, & proceſſionis eius, ex generatione paſſiua. Ex hoc enim quòd Verbum à Patre procedit vt genitum, habet, vt ab eodem Patre communicetur ſpiratio actiua; & conſequenter, vera eſt iſta propoſitio, Spiritus Sanctus, & proceſſio Spiritus Sancti eſt à Verbo genito, & à generatione paſſiua Verbi, quia ſcilicet, ad generationem paſſiuam Verbi ſequitur, vt conueniat eidem per voluntatem ſimul cum Patre, ſpirare Spiritum Sanctũ.

24 Obijcies ſecundò. Proceſſio amoris, ſeù amor in nobis non procedit effectiuè à Verbo, nec à proceſſione verbi. Ergo nequè etiam in diuinis. Probatur conſequentia; quia ideo D. Thomas intendit ſuadere, quòd proceſſio Spiritus Sancti ſit effectiuè procedens à proceſsione Verbi; quia de ratione proceſsionis amoris eſt, vt procedat per cõceptionem intellectus. Ergo. Antecedens patet; quia in via D. Thomæ intellectus non mouet effectiuè voluntatem, ſed finaliter, & obiectiuè dumtaxat. Ergo proceſsio amoris in creatis, non eſt effectiuè per conceptionem intellectus.

25 Reſpondetur, concedendo antecedẽs; & negando conſequentiam. Ad probationem explico antecedens cum Ferrarienſe 4. cont. gent. cap. 24. §. ad 2. Ideo D. Thomas &c. quia de ratione amoris eſt, vt procedat per conceptionem intellectus, tanquàm per realem proceſſionem, non fundando paritatem in eodem genere cauſæ proceſsionis, concedo antecedens. Fundando realem proceſsionem & paritatem inter proceſsionem amoris in nobis, & in Deo, in eodẽ genere cauſæ, nego antecedẽs. Ergo &c. nego conſequentiam.

26 Explicatur iſta reſponſio. Paritas ſupradicta conſiſtit in hoc, quòd quemadmodum proceſsio amoris in nobis per realem proceſsionem procedit per intellectus conceptionem, ita quoque proceſsio amoris in diuinis, eſt per realem proceſsionem per conceptionem. Cæterùm, non currit paritas quantùm ad modum; eo quia, vt probat argumentum, proceſsio amoris in nobis eſt per conceptionem intellectus, in genere cauſæ finalis, & obiectiuæ, non autem in genere cauſæ efficientis; In Deo verò eſt tantummodo in genere principij effectiui. Et ratio huius diſcriminis eſt manifeſta; quia Verbum ſeù mentis Patris æterni conceptio eſt perſona ſubſiſtens, & conſequenter, debet concurrere vt principium effectiuum: at verò Verbum, ſeù conceptio mentis noſtræ eſt accidens, & conſequenter, concurrit vt repræſentans obiectum voluntatis, tanquàm finem eius. Itaquè paritas currit, ſemper debita proportione ſeruata.

27 Obijcies tertiò. Si proceſsio paſsiua Spiritus Sancti procederet à proceſsione paſsiua filij, ſequeretur, quòd etiam procederet à proceſsione actiua Patris. Hoc eſt falſum. Ergo. Patet ſequela; quia quod conuenit filio in ordine ad Spiritũ Sanctum ratione generationis paſsiuæ, conuenit Patri, ſeù paternitati ratione generationis actiuæ. Probo minorem. Quia aliàs ſequeretur, quòd Pater generando, ſpiraret, quemadmodum filius procedendo ſpirat; Hoc eſt falſum. Ergo.

28 Re-

Digitized by Google

28 Reſpondetur, cōcedēdo ſequelam maioris, & negando minorem. Ad cuius probationem nego ſequelam minoris, & ratio negationis eſt, quia generationi paſſiuæ conuenit producere ſpiritum Sanctum, vt principium quod, & vt ſubſiſtens, non verò vt principium quo, & quatenùs filiatio eſt relatio dicens Ad; Et ita pariformiter, paternitas ſpirat Spiritum Sanctum, non vt forma referens, ſed vt perſona ſubſiſtens, mediante tamen virtute ſpiratiua.

29 Obijcies quartò. Si proceſſio paſſiua Spiritus Sancti originaretur à generatione paſſiua filij, ſequeretur, quòd ratio formalis filiationis, & ratio formalis generationis paſſiuæ, opponerentur relatiuæ; Hoc eſt falſum. Ergo. Patet ſequela. Probatur minor; quia paternitas, & filiatio, opponuntur relatiuè; proceſſio verò Spiritus Sancti, & generatio paſſiua filij non opponuntur relatiuè. Nam ſpiratio actiua opponitur relatiuè proceſſioni paſſiuæ.

30 Reſpondetur, diſtinguendo ſequelā. Sequeretur &c. quòd ratio formalis filiationis vt dicit ſubſiſtentiam, cum virtute ſpiratiua &c. concedo ſequelam. Vt dicit relationem filiationis, ſecundùm eſſe Ad, nego ſequelam. Similiter diſtinguenda eſt minor, cum ſua probatione, & neganda eſt conſequentia.

31 Obijcies quintò. Si proceſſio paſſiua Spiritus Sancti originaretur à generatione paſſiua filij, ſequeretur, quòd Spiritus Sanctus procederet à triplici relatione, nempè à generatione paſſiua filij, à generatione actiua Patris, & à relatione ſpiratiua Patris, & filij. Hoc eſt falſum. Ergo. Probatur ſequela; quia procederet à generatione paſſiua filij, vt conceditur, a generatione actiua Patris, vt probatum eſt ſupra, & à relatione ſpiratiua, vt per ſe notum eſt. Ergo.

32 Reſpondetur, diſtinguendo ſequelā. Sequeretur quòd procederet à triplici relatione, diuerſimodè, concedo ſequelā; Eodem modo, nego ſequelam. Procederet enim à generatione paſſiua filij, & à generatione actiua Patris, tanquàm à ſuppoſitis ſubſiſtentibus, nōn verò tanquam à relationibus, & productionibus, & vt dicentibus Ad; procederet etiam mediante relatione ſpirationis, ſecundū quòd eſt productio. Vnde ſpiratio actiua differt à relationibus paternitatis, & filiationis ſecundùm eſſe ad, non verò ſecundùm eſſe ſubſiſtens, & ſuppoſiti; & ſub hac ratione ſolum differt in hoc, quia paternitas eſt tantum in vno ſuppoſito propter ſui incōmunicabilitatē, & ſimiliter filiatio; relatio verò ſpirationis actiuę petit eſſe in duobus ſuppoſitis.

33 Vnde aduerte, quòd Paternitas V. G. quatenùs eſt relatio referens Filium ad Patrem, non eſt formaliter productio Filij; Similiter filiatio, vt eſt referens Filium ad Patrem, non eſt procedens à Paternitate quatenùs eſt relatio referens Patrem ad Filium. Nam Filius vt productus, eſt à Patre, non ad Patrem (ſecundùm inadæquatum conceptum relationis Paternitatis, ac filiationis loquor). Quando ergo dicimus, quòd proceſſio Spiritus Sancti eſt à generatione paſſiua Filij, & actiua Patris, vt dicunt ſubſiſtentiam, non verò vt dicunt Ad, ſenſus eſt, quòd Paternitas vt ſubſiſtens, & ſimiliter filiatio, originant Spiritum Sanctum, & proceſſionem eius; Tamen relatio Patris, & Filij ad Spiritū Sanctum nōn eſt paternitas vt referens, nequè filiatio vt referens, ſed ſpiratio actiua; quæ priùs conſideratur vt productio ſpirationis paſſiuæ, deinde vt dicēs eſſe ad Spiritum Sanctum.

FORMATIO ARTICVLI.

Qvadripartita eſt corporis diſtributio; primò, ponit cōcluſionem reſponſiuam quæſito. Secundò, ſtatuit inter intellectum, volūtatemquè diſcrimen; Tertiò, probat concluſionē. Et quartò, explicat qualis ſit proceſſio amoris in diuinis.

Quò ad primum, concluſio eſt iſta. *Proceſſio amoris in diuinis non debet dici generatio.*

Quò ad ſecundū, ſic ait; *Ad cuius eni-*

ARTICVLVS QVARTVS.

Vtrum proceſſio amoris in diuinis, ſit generatio.

AD quartum ſic proceditur, videtur, quod proceſſio amoris in diuinis ſit generatio: Quod enim procedit in ſimilitudine naturæ in viuentibus, dicitur generatum, & naſcens; ſed id, quod procedit in diuinis per modum amoris, procedit in ſimilitudinē naturæ, aliàs eſſet extraneum à natura diuina, & ſic eſſet proceſſio ad extra; ergo quod procedit in diuinis per modū amoris, procedit vt genitū, & naſcens.

2 *Præ-* E *den-*

dentia ſciẽdum eſt, quòd hæc eſt differentia inter intellectum, & voluntatem; quòd intellectus ſit in actu, per hoc, quòd res intellecta eſt in intellectu ſecundùm ſuam ſimilitudinem; Voluntas autem ſit in actu, non per hoc, quòd aliqua ſimilitudo voliti ſit in voluntate, ſed ex hoc, quòd voluntas habet quandam inclinationem in rem volitam.

Quò ad tertium, ratio eſt iſta. *Proceſſio, quæ attenditur ſecundum rationem intellectus, eſt ſecundùm rationem ſimilitudinis; proceſſio autem, quæ attenditur ſecundùm rationẽ voluntatis, non conſideratur ſecundùm rationẽ ſimilitudinis.* Ergo *proceſſio Verbi in diuinis poteſt habere rationem generationis; & quod procedit in diuinis per modum amoris, non procedit vt genitum, vel vt filius.* Antecedẽs patet ex diſcrimine aſſignato inter intellectum, & voluntatem. Conſequentiã vero probat quò ad vtramquè partem. Quò ad primam; Quia *omne generans, generat ſibi ſimile.* Quò ad ſecundam ſub intelligitur iſta propoſitio, proceſſio, quæ non eſt ſecundum rationẽ ſimilitudinis, ſed magis ſecundum rationem impellentis, & mouentis in aliquid, non debet dici generatio: ſed in antecedenti poſitum eſt, quod *proceſſio, quę attenditur ſecundùm rationem voluntatis; non conſideratur ſecundùm rationem ſimilitudinis, ſed magis ſecundùm rationem impellentis, & mouentis in aliquid.* Ergo.

2 *Præterea. ſicut ſimilitudo eſt de ratione verbi, ita eſt etiam de ratione amoris: vnde dicitur Eccl. 13. quod omne animal diligit ſimile ſibi: ſi igitur ratione ſimilitudinis, verbo procedenti conuenit generari, & naſci, videtur etiam, quod amori procedenti conuenit generari.*

3 *Præterea. Non eſt in genere, quod non eſt in aliqua eius ſpecie: ſi igitur in diuinis ſit quædam proceſſio amoris, oportet quod præter hoc nomen commune, habeat aliquod nomen ſpeciale; ſed nõ eſt aliud nomen dare niſi generatio: ergo videtur, quod proceſſio amoris in diuinis ſit generatio.*

Sed contra eſt, quia ſecundum hoc ſequeretur, quod Spiritus ſanctus, qui procedit vt amor, procederet vt genitus, quod eſt contra illud Athanaſij. Spiritus ſanctus à Patre, & Filio, non factus, nec creatus, nec genitus, ſed procedens.

Reſpondeo dicendum, quod proceſſio amoris in diuinis non debet dici generatio: ad cuius euidentiam ſciendum eſt, quod hæc eſt differentia inter intellectum, & voluntatem, quod intellectus fit in actu per hoc, quod res intellecta eſt in intellectu ſecundum ſuam ſimilitudinem: voluntas autem fit in actu, non per hoc, quod aliqua ſimilitudo voliti ſit in voluntate, ſed ex hoc, quod voluntas habet quandam inclinationem in rem volitam. Proceſſio igitur, quæ attenditur ſecundum rationẽ intellectus, eſt ſecundum rationem ſimilitudinis; & intantum poteſt habere rationem generationis, quia omne generans generat ſibi ſimile. Proceſſio autem quæ attenditur ſecundum rationem voluntatis, non conſideratur ſecundum rationem ſimilitudinis, ſed magis ſecundum rationem impellẽtis, & mouentis in aliquid, & ideò quod procedit in diuinis per modum amoris, non procedit vt genitum, vel vt filius, ſed magis procedit vt ſpiritus. Quo nomine quædam vitalis motio, & impulſio deſignatur, prout aliquis ex amore dicitur moueri, vel impelli ad aliquid faciendum.

1 *Ad primum ergo dicendum, quod quicquid eſt in diuinis, eſt vnum cum diuina natura: vnde ex parte huius vnitatis non poteſt accipi propria ratio huius proceſſionis, vel illius, ſecundum quam vna diſtinguatur ab alia, ſed oportet, quod propria ratio huius, vel illius proceſſionis accipiatur ſecundũ ordinem vnius proceſſionis ad altam. Huiuſmodi autem ordo attenditur ſecundum rationem voluntatis, & intellectus: vnde ſecundum horum propriam rationem ſortitur in diuinis nomen vtraque proceſſio, quod imponitur ad propriam rationem rei ſignificandam, & inde eſt, quod procedens per modum amoris, & diuinam naturam accipit, & tamen non dicitur natum.*

Ad ſecundum dicendũ, quod ſimilitudo aliter pertinet ad verbum, & aliter ad amorem, nam ad verbum pertinet, in quantum ipſum eſt quædã ſimilitudo rei intellectæ, ſicut genitum eſt ſimilitudo generantis; ſed ad amorem pertinet, non ꝙ ipſe amor ſit ſimilitudo, ſed inquantum ſimilitudo eſt principium amandi: vnde non ſequitur, quod amor ſit genitus, ſed quod genitum ſit principium amoris.

Ad

Quò ad quartum, ſic explicat. *Quod procedit per modum amoris, procedit vt ſpiritus. Quo nomine, quædã vitalis motio, & impulſio deſignatur: pro vt aliquis ex amore dicitur moueri, vel impelli ad aliquid faciendum.*

Ad primum argumentum reſpondet, diſtinguẽdo maiorẽ. *Quod procedit in ſimilitudinem naturæ*, ratione propria, & formali, concedit maiorem. *Quod procedit in ſimilitudinẽ naturę*, non ratione propria, & formali, ſed ratione identitatis realis cum diuina eſſentia, quemadmodum ſe habent cætera prædicata diuina, *in viuentibus, dicitur generatum, & naſcens*, negat maiorem. Similiter diſtinguenda eſt minor, & neganda eſt conſequentia.

Ad ſecundum argumentum reſpondet, negando antecedens & de facto diſparitatem aſſignat; dicens, *quòd ſimilitudo aliter pertinet ad verbũ; Et aliter ad amorẽ. Nam ad verbũ pertinet in quantùm ipſum eſt quædam ſimilitudo rei intellectæ, ſicut genitum eſt ſimilitudo generantis; Sed ad amorẽ pertinet, non quòd ipſe amor ſit ſimilitudo, ſed inquantùm ſimilitudo eſt principium amandi.* Et per idem patet ad authoritatem Sacræ Scripturæ. Cum enim dicitur, quòd *omne animal diligit ſimile ſibi*, intelligitur de ſimilitudine, quæ eſt principium amoris, non verò quòd procedens per amorem, ſit ſimilitudo amantis, vel amati.

Ad

Digitized by Google

Ad tertium dicendum, quod Deum nominare non poſſumus niſi ex creaturis, vt dictum eſt ſupra. Et quia in creaturis communicatio naturæ non eſt niſi per generationem, proceſſio in diuinis non habet proprium, vel ſpeciale nomen niſi generationis: vnde proceſſio, quæ non eſt generatio, remanſit ſine ſpeciali nomine; ſed poteſt nominari ſpiratio; quia eſt proceſſio ſpiritus.

Ad tertium argumentum reſpondet, concedendo antecedens, & diſtinguendo conſequẽs. Ergo *Oportet quòd habeat aliquod nomen ſpeciale*, nobis notum, vel nõ notum, concedit cõſequentiam. Semper nobis notum, negat conſequentiam.

Similiter diſtinguenda eſt minor ſubsũpta, *ſed non eſt aliud nomen*, nobis reuelatũ, & cognitum, concedit minorẽ ſubſumptam. *Sed non eſt aliud nomẽ* abſolutè, negat minorem ſubſumptam. Ergo &c. negat conſequentiam.

SVPER ARTICVLVM COMMENTARIVM.

1 PRO tituli intelligentia obſerua, quòd articulus iſte, eiuſquè quęſitum, ſupponit proceſſionem SpiritusSancti eſſe realiter à proceſſione Verbi diſtinctam, & tantùm quærit, vtrum ſuppoſito, quòd proceſſio Spiritus Sancti, quæ eſt per voluntatem, ſeù per actum amoris, eſtquè realiter diſtincta à proceſſione Verbi, ſit generatio; Vnde patet inter hunc articulum, & præcedentem, manifeſtum eſſe diſcrimen; Quia in præcedenti quæſita eſt alietas proceſſionis amoris à generatione Verbi, diſtinctione reali, atquè etiam ſpecifica, in ratiõne proceſſionis; non autem in ratione generationis; In præſenti verò articulo quærit, vtrũ proceſſio Spiritus Sancti ita ſit diſtincta à proceſſione Verbi, vt non ſit etiam in ratione generationis diuerſa.

2 *Proceſſio amoris in diuinis non debet dici generatio.* Concluſio hæc eſt ex fide certa. Nam dicitur Ioan. 1. *Vidimus gloriã eius, gloriam quaſi vnigeniti à Patre.* Et Ioan. 4. *Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret.* In quibus teſtimonijs eſt ſermo de Verbo diuino. Ergo Spiritus Sanctus non eſt genitus iuxta fidei principia. Patet conſequentia; Quia ſi Spiritus Sanctus eſſet genitus, Verbum diuinum nõ diceretur Filius vnigenitus. Vbi enim ſunt duo Filij, non poteſt aliquis dici vnigenitus.

Idem habetur in ſymbolo Apoſtolorum, cum dicitur. *Et in Ieſum Chriſtum Filium eius vnicum, Dominum noſtrum.* Et in ſymbolo Nycæno, cum dicitur; *Et in vnum Dominum Ieſum Chriſtum, Filium Dei vnigenitum.*

3 Si dicatur, quòd etiam Salomon à Sacra Scriptura vocatur Vnigenitus, & tamen habuit alium fratrẽ ab eodem Patre, & Matre natum; dicitur enim Prou. 4. à ſe ipſo, de ſe ipſo, *Vnigenitus coram matre mea.*

4 Nihil contra catholicam veritatem iuuat, primò quidem; quia Salomon nõ eſt abſolutè dictus Vnigenitus; ſed vnigenitus coram matre ſua, & ſenſus eſt, quòd erat à ſua matre ſummè dilectus; ſicut diligi ſolet filius Vnigenitus.

5 Secundo; quia Salomon ideo dictus eſt Vnigenitus, quia & ſi habuerit alium fratrem, ille tamen mortuus eſt, ante octauum diem, & non fuit circumciſus; quare meritò inter filios Dauid ex Berſabea non numeratur. Vide Lyranum 2. Reg. cap. 5. & 1. Paralipom. cap. 3. Et Abulenſem 1. Paralipom. cap. 3.

6 Adderem quoquè, quòd Salomon dictus eſt vnigenitus coram matre ſua; quia alter ab eiſdem parentibus natus, fuit conceptus ex adulterio; Salomon autem fuit legitimè conceptus, & natus. Et meritò, quia ex adulterio concepti, & nati, omninò reprobantur à legibus. Nam, quò ad hæreditatis paternæ, bonorumquè ſucceſſionem omninò priuantur. Verbum verò diuinum, nõ ſic; nec aliquo modo ſimiliter poteſt dici filius vnigenitus.

7 Et in ſymbolo Athanaſij expreſsè noſtra concluſio determinatur. Etenim ibi fit de hac re manifeſta diſcuſſio, & ſic dicitur; *Filius à patre ſolo eſt, non factus, nec creatus, ſed genitus. Spiritus Sanctus à Patre, & Filio, non factus, nec creatus, nec genitus.*

8 Idem determinatur in Concilijs Toletanis 1. & 11. In Concilio enim Toletano 1. à Leone I. approbato in regula fidei in fine Concilij ſic dicitur. *Spiritus Paraclitus nec Pater eſt, nec Filius; Pater enim Ingenitus. Filius Vnigenitus; Spiritus ſanctus non genitus, ſed procedens.* Et in Concilio Toletano 11. ſub Vitaliano Papa celebrato in confeſſione fidei, ſic dicitur; *Spiritus ſanctus non ingenitus dicitur*

vt Pater, non genitus, vt Filius, ſed procedens, vt Spiritus, ne ſi ingenitum dicamus, duos patres; aut ſi genitum, duos filios conſtituamus. Et Concilium Florentinum collat. 15. §. *Spiritus Sanctus,* dicitur, *non natus, non factus, non frater, non Auus, ſed de ſubſtantia eſt Patris.*

9 Omitto multa, ſeù quàm plurima Sanctorum Patrũ de hac re expreſſiſſima teſtimonia, quoniam nullus hæreticorum inuenitur, qui dixerit Spiritum Sanctum eſſe genitũ; Solus enim Raymundus Lullus lib. de Eccleſiaſt. prouerbijs dixit, Spiritum Sanctum eſſe conceptum de Patre, & Filio, & hic error iſte à Greg. XI. damnatus; Nam vt refert Eymericus in directorio inquiſitorũ par. 2. q. 9. Centum errores notati ſunt Raymundi Lulli, & ſupradictus eſt in ordine XIX. vt teſtatur Fabolus hic & hoc obſerua contra Vaſq. diſp. 133. c. 4. Cæterùm Macedonius non affirmauit Spiritum Sanctum eſſe re vera genitum, vt teſtatur D. Thomas de pot. q. 10. art. 1. in corp. ſed dixit, quòd non eſt credibile, quòd Spiritus Sanctus ſit coeſſentialis Patri, & non ſit eius Filius. Hæc enim ſunt verba D. Thomæ. *Et cum dicitur eſſe à Deo, extimauit Macedonius, quòd Spiritus Sanctus non ſit coeſſentialis patri, ſed ſit eius creatura; non enim credebat, quod aliquis poſſit ab alio naturam eius accipere, niſi ab eo naſceretur, & eius filius eſſet. Vnde extimauit infallibiliter ſequi, ſi Spiritus Sanctus accipit à Patre naturam, & eſſentiam eius, quòd ſit genitus, & filius.* Et Petrus Abailardus, vt refert D. Bern. epiſt. 190. idem affirmauit, hæc dixiſſe Abailardum, his teſtificatus eſt verbis *Spiritũ Sanctum procedere quidem ex patre, & filio, ſed minimè de patris eſſe, filijuè ſubſtantia; quia ſi eſſet de ſubſtantia patris, profectò genitus eſſet; & duos pater filios haberet.*

Greg. XI. Eymeric. Lullus.

Macedo.

D. Thom.

Petrus Abailard. D. Bern.

10 *Hæc eſt differentia inter intellectum, & voluntatem; quòd intellectus fit in actu, per hoc, quòd res intellecta eſt in intellectu ſecundùm ſuam ſimilitudinem; voluntas autem fit in actu, non per hoc, quòd aliqua ſimilitudo voliti ſit in voluntate.* Obſerua, quòd intellectus fit in actu primo, & in actu ſecundo per ſimilitudinem rei intellectæ. In actu primo quidem, per ſpeciem impreſſam; vel per eſſentiam obiecti vnitam ratione ſpeciei. In actu ſecundo vero, per verbum, ſeù ſpeciem expreſſam, vel per intimam obiecti præſentiam repræſentantis ſe ipſum intellectui in actu ſecundo; at vero, voluntas, neque in actu primo, neque in actu ſecundo fit in actu per ſimilitudinem rei amatæ, niſi extrinsecè.

11 Explico hoc. Voluntas fit in actu primo extrinſecè, per conceptionem intellectus, ratione cuius cognoſcitur res, & bonitas illius; Nihil enim eſt volitum, quin præcognitum. Præſupponit igitur voluntas ſimilitudinem rei amatæ in actu primo, & in actu ſecundo intellectui præſentem. Suppoſita tamen hac intellectus cognitione, voluntas fit intrinſecè in actu primo, & in actu ſecundo. In actu primo quidem, per virtutẽ naturalem qua naturaliter habet vt poſſit appetere bonum naturale ſibi proportionatum; vel per habitus ſupernaturales, ſeù ſuperadditos, vt ſunt habitus ſpei, Charitatis &c. Fit verò in actu ſecundo, dupliciter; cauſaliter, & formaliter. Cauſaliter quidem, per motionẽ Dei, qua Deus mouet voluntatem ad actualiter operandum. Formaliter verò, per impulſum, ſeù per motionem vitalem, quam, ſuppoſita Dei prǣmotione, producit per amorem, vt productio eſt ratione cuius impellitur ad amãdam rem, vt in ſe eſt. Manifeſtum eſt autem, quòd neque habitus, neque impulſus, ſunt ſimilitudines rei amatæ.

12 Sed difficultas eſſe poteſt, & proponitur ſic. Licet voluntas non fiat in actu per ſimilitudinem rei amatæ, tamen non negamus, quod fiat in actu per hoc, quod amatum eſt in amante, modo nuperrimè explicato. Ergo negari non poteſt, quin amor ſit effectiuè à voluntate, & à re amata ſimul, Quemadmodum ex hoc, quòd cognitum eſt in intellectu per eſſentiam ſuam, vel per ſui ſimilitudinem, ſeù ſpeciem, cognitio eſt effectiuè ab intellectu, & ab obiecto. Ergo videtur falſa doctrina in præcedẽti diſputatione tradita, nempe, quod proceſſio amoris in nobis, non eſt effectiuè per conceptionem.

13 Reſpondetur, concedendo totum aſſumptum, & negando conſequentiam. Aliud enim eſt dicere, quod impulſus nõ ſit effectiuè ab intellectu noſtro per Verbum. Et aliud eſt dicere, quod impulſus, & amor non ſint à voluntate, & ab amato, ſecundùm quod amatum eſt intra voluntatem. Supra, aſſeruimus primum; non verò ſecundum.

14 *Proceſſio igitur, quæ attenditur ſecundùm rationem intellectus, eſt ſecundùm rationem ſimilitudinis.* Sermo eſt, de proceſſione verbi producti per intellectionem; non verò de proceſſione ſolius intellectionis, per quam nulla fit verbi productio; quemadmodum eſt proceſſio viſionis claræ Dei, quæ eſt per intellectum abſq; vlla verbi obiectiui productione, vt explicatum eſt ſupra tom. 1.

15 *Proceſſio igitur, quæ attenditur ſecundùm rationem intellectus, eſt ſecundùm rationem*

ſimili-

ſimilitudinis. Sermo eſt de proceſſione ad intra, & quæ eſt mediante rei ſimilitudine, & intra ſphæram intelligibilis emanationis. Nam conſecratio hoſtiæ, ſeù panis in corpus Chriſti, & conuerſio vini in ſanguinem eſt mediante charactere, qui eſt in intellectu, & conſequenter, fit per actum intellectus, imperatum ab actu voluntatis, & tamen non eſt proceſſio ſecundùm rationem ſimilitudinis, nec immanens.

16. *Et ſecundùm rationem ſimilitudinis*; ſubaudi, non ſolùm intentionalis, verumetiam naturalis. Et ratio huius eſt; Quia proceſſio ſecundùm rationem intellectus, analogicè dicitur de proceſſione intellectus increati, & creati. Et conſequenter, primò per ſe abſolutè, & ſimpliciter dicitur de primo analogato; Secundariò verò, & ſecundùm quid; dicitur de ſecundo analogato: Quando autem aliquod formaliter conuenit Deo, & etiam creaturis, Deus eſt primum illius analogatum; Creatura verò eſt ſecundum analogatum. Ergo proceſſio ſecundùm rationem intellectus, cū formaliter ſit in Deo, primò, per ſe, abſolutè, & ſimpliciter dicitur de proceſſione ſecundùm rationem intellectus diuini; Secundariò verò, & ſecundùm quid de proceſſione, quæ fit ſecundùm rationem intellectus creati. Diximus autem ſupra, quòd proceſſio Verbi diuini, quæ eſt ſecundùm rationem intellectus increati, non ſolùm ſecundùm rationem ſimilitudinis intentionalis, ſed etiam naturalis. Ergo D. Thomas hìc loquitur de vtraquè ſimilitudine, intentionali, ſcilicet, & naturali, & hoc loquendo reſpectu primi analogati ſicuti eſt Verbū Patris æterni; quoniam reſpectù omnium analogatorum debet intelligi de ſimilitudine intentionali.

17 Hinc colligitur, quòd quando à quibuſdam quæritur, vnde habeat Verbum diuinum, quòd procedat vt genitum; Qua Verbum eſt; An qua tale Verbum eſt? Rectè reſponderi poteſt, quòd ex vtraquè ratione. Nam analogum abſolutè prolatum, & abſolutè reduplicatum, primò, per ſe, ſimpliciter, & abſolutè, dicitur de primo analogato; Deinde de cæteris, ſecundùm quid, & per dependentiam à primo. Si autem fiat reduplicatio analogi, prout explicitè explicantur ſecundaria analogata, vt diſtinctius interroganti ſatisfiat, non vnico verbo, ſed cum diſtinctione, ſic reſpōdendum eſt; Non ratione verbi, qua communiſſimum eſt; Sed ratione verbi, quod eſt primum rationis verbi analogatū. Seù qua verbū ſimpliciter eſt.

18 Quòd autem hæc ſit mens D. Thomæ, patet per verba quæ ſubiungit, dicens. *Et in tantùm poteſt habere rationem generationis*. Vbi D. Thomas loquitur de ſimilitudine, ratione cuius habetur ratio generationis naturalis. Vnde poſt prædicta, immediatè ſubdit probationē, ſic; *Quia omne generans, generat ſibi ſimile*.

19 *Proceſſio autem, quæ attenditur ſecundùm rationem voluntatis, non conſideratur ſecundùm rationem ſimilitudinis, ſed magis ſecundùm rationem impellentis, & mouentis in aliquid*. Optimum documentum, vt ſcias reſpondere iis, qui probare volentes, quòd proceſſio Spiritus Sancti, ſit per modum ſimilitudinis, vel ſimilis; Aliàs procederet per modum diſſimilitudinis, ſeù diſſimilis. Hæc enim omnia Diuus Thomas breuiloquio, ac diligenter euertit. Nam proceſſio ſecundùm rationem voluntatis, non eſt ſecundùm rationem ſimilitudinis; Neque rationem diſſimilitudinis, *ſed magis ſecundùm rationem impellentis, & mouentis in aliquid*. Itaquè quod procedit ſecundùm rationem voluntatis, neque procedit ſecundùm rationem ſimilitudinis, neque ſecundùm rationem diſſimilitudinis; Quemadmodum, quod procedit ſecundùm rationē intellectus, non procedit per modum impellentis, & mouentis in aliquid, ſed per modum ſimilitudinis. Vnde, ſic arguere, Spiritus Sanctus non procedit vt ſimilis, neque vt ſimilitudo Patris, & Filij. Ergo procedit vt diſſimilis, eſt trāſire à voluntate ad intellectū; Et à proceſſione ſecundùm rationem voluntatis, ad proceſsionem, quæ eſt ſecundùm rationem intellectus.

20. *Non conſideratur ſecundùm rationem ſimilitudinis, ſed magis ſecundùm rationem impellentis*. Ly, *magis*, idem ſonat, ac potiùs, & inſuper, poſuit iſtam particulam, *ſed magis*, ad denotandum, quòd non dum proprium inuentum eſt nomen explicas proceſsionem ſecundùm rationem voluntatis.

21 *Et ideò, quod procedit in diuinis, per modū amoris, non procedit vt genitum, vel vt Filius.* Quaſi diceret, quamuis multæ ſint, vel poſsint adinueniri rationes, quare Spiritus Sancti proceſsio non ſit generatio, proxima tamen, & formalis, ac magis propria, ex ijs, quæ in creatis agnoſcimus, ideò eſt, quia Spiritus Sanctus *non procedit per modum ſimilitudinis, ſed magis ſecundùm rationem impellentis, & mouentis in aliquid.*

22 *Quo nomine, quædam vitalis motio, & impulſio deſignatur*. Ideſt, ſpiritus nomine deſignatur quædam vitalis motio, & impulſio, non formaliter, ſed veluti cauſaliter,

liter, id eſt, ſignificatur nomine ſpiritus, & impulſus; quia procedit per motionē vitalem. Dicitur autē ſic, propter modum procedendi per voluntatem, per quam id, quod producitur, eſt terminus, non tamen habet modum termini, ſed potius tendentis ad aliquid, vt amatum, & propter penuriam vocabulorum, ac tandem propter intimam, & inſeparabilem vnionem cum actione amoris. Nā etiam verbum per intellectum procedens, non eſt propriè actio vitalis intellectus, niſi cauſaliter, & tamen eſt terminus intellectus, & habet modum termini; & hoc non obſtante, adhuc propter intimam coniunctionem, & omnimodam ab intellectione inſeparabilitatem, *notitia, & cognitio* ſolet nominari, vt vidimus tom. 1.

23 *Quicquid eſt in diuinis, eſt vnum cum diuina natura. Vnde ex parte huius vnitatis non poteſt accipi propria ratio huius proceſſionis, vel illius, ſecundùm quam vna diſtinguatur ab alia.*

24 Poteſt eſſe dubium pro Nouitijs; quia Spiritus Sancti propria proceſsio, habet vt ſit per identitatem cum natura diuina. Nam ratione huius identitatis diſtinguitur proceſsio ſpiritus, & impulſus increati à proceſsione ſpiritus, & impulſus creati. Ergo non rectè dixit Diuus Thomas, quòd ex parte huius vnitatis non poteſt accipi propria ratio huius proceſsionis.

25 Reſpondetur, diſtinguendo antecedens. Spiritus Sancti propria proceſsio habet &c. per comparationem ad proceſsiones creatas &c. concedo antecedens. Per comparationem ad aliam proceſsionem increatam, nempè verbi, nego antecedens. Ergo &c. nego conſequentiam. Nam D. Thomas, vt clarè patet in littera, loquitur per comparationem primo modo; non autem ſecundo. Nam ex ijs, quæ pluribus ſunt communia, non habetur inter ea, vlla ſpecialis, ac propria diuerſitas. Eſſe autem idem cum natura diuina, eſt commune inter omnia prædicata diuina, ac perſonalitates. Attenditur igitur inter proceſsionem verbi, ac Spiritus Sancti propria diuerſitas, per hoc, quòd verbū ſic eſt cum natura diuina identificatum, vt ſit formalis, ac expreſſa ſimilitudo illius. Spiritus Sanctus verò eſt quidem cum natura diuina identificatus, ſecundum communem identitatis rationem quam habent Dei cætera prædicata; non tamen eſt formalis, ac expreſſa ſimilitudo naturæ diuinæ. Totum autē hoc D. Thomas ponit, & explicat in reſp. ad 2.

DISPVTATIO CLIII.

QVARE SI PROCESSIO VERBI DIVINI EST GENERATIO, non etiam proceſsio Spiritus Sancti generatio dici poteſt?

In duo capita diſtributa.

CAPVT PRIMVM.

Diuerſi Doctorum dicendi modi referuntur, quorum quidam impugnantur, quidam verò defenduntur, & ſic veritas aperitur.

1 IAM ex articulo, & ex ijs, quæ ſuper commentarium articuli diximus, conſtat ex fide certum eſſe proceſſionem Verbi eſſe generationem, proceſsionem verò Spiritus Sancti nequaquàm; nunc autem quantùm poſſumus, inueſtigamus, quare proceſsio Verbi ſit generatio, non autem proceſsio Spiritus Sancti. Et quidem Theologi ſuppoſita tamen fide, ad vtrumquè latus ſe vertunt, vt pro viribus verum poſsint adinuenire diſcrimen, & quod grauiùs eſt, & magis huius rei difficultatem auget, eſt inter eos magna diſſentio.

2 Etenim Scotus in 1. diſtin. 13. q. vnica. Poſtquàm non breui verborum curriculo diuerſa retulit Doctorum placita, & impugnauit propriam ſtatuit diſcriminis rationem, dicens ſic. *Ad quæſtionem reſpondeo, quòd productiones ſibi ipſis formaliter diſtinguuntur. Generatio enim, formaliter ſe ipſa eſt generatio; Et ſpiratio ſe ipſa.*

Digitized by Google

ipſa, formaliter eſt ſpiratio. Et ex rationibus formalibus eorum, impoſſibile eſt, generationẽ eſſe ſpirationem, circumſcripto per impoſſibile, quocumquè alio. Ita quòd, non oportet quærere, quibus diſtinguuntur; Quia tota ratio formalis vnius, eſt non eadem toti rationi formali alterius. Hæc ille.

3 Ex quibus verbis, præſertim vltimo loco poſitis, Scotus videtur eſſe de numero eorum, qui dicunt non debere quæri à Theologis, nequè inueſtigari, quare ſcilicet, proceſſio Verbi ſit generatio; Non verò proceſſio Spiritus Sancti. Nam ait, *quòd non oportet quærere quibus*, generatio, ſcilicet, & ſpiratio *diſtinguuntur*. Ergo nòn oportet quærere, ſecundùm Scotum, quare proceſſio Verbi ſit generatio, non verò proceſſio Spiritus Sancti. Probo iſtam conſequentiam; Quia quærere, quare proceſſio Verbi eſt generatio, non verò proceſſio Spiritus Sancti, eſt quærere, quo proceſſio Verbi diſtinguitur à proceſsione Spiritus Sancti. Idem tenuit D. Bonauentura in 1. d. 13. q. vltima diſtinguit autem S. Bonauentura ſic. *Notandum, quòd eſt loqui de huiuſmodi emanationibus, quantùm ad eſſe; & quantùm ad diſtingui; Si quantùm ad eſſe; ſic habent rationem eſſendi, à ſuis perfectis principijs, & fæcundis. Si autem loquamur quantùm ad differre, dicendum, quòd ſeipſis differunt.*

S. Bonau.

4 Modus dicendi Scoti, poteſt eſſe verus, ſi ſuorum verborum ſenſus ſit, quòd intrinſeca ratio generationis ſe ipſa, ideſt ex ſua ratione intrinſeca diſtinguitur ab intrinſeca, & eſſentiali ratione ſpirationis. Verùm, quia ex præcedentibus, quæ in eadem diſputatione præmiſerat, conſtat aliorum dicendi modos impugnaſſe, inter quos, quidam dicunt, quòd proceſsio Verbi dicitur generatio, quia eſt per intellectum, non verò proceſsio Spiritus Sancti, quia eſt per voluntatẽ. Et conſequenter, tenere videtur, quòd generatio Verbi eſt generatio, quia generatio eſt, nõ verò, quòd ſit aſsignabilis aliqua ratio, quare proceſsio Verbi ſit generatio. Nam quòd proceſsio Verbi ſit generatio, quia eſt per intellectum, proceſsio verò Spiritus Sancti non ſit generatio, quia eſt per voluntatem, ſecũdùm Scotũ, & Scotiſtas intellectus, & voluntas, ſe habẽt veluti cauſæ effectiuæ non formalis, eo modo, quo homo V.G. effectiuè eſt à Deo, formaliter verò non conſtituitur Deitate, ſed humanitate.

5 Sed contra hanc Scoti poſitionem argumentor primò; Quia iuxta hunc dicendi modum non eſſet verum, quod Sancti Patres dicunt, nempè, quòd aſsignare rationem, quare proceſsio Verbi ſit generatio; Proceſsio verò Spiritus Sancti non item, tantæ difficultatis eſt, vt ſolùmmodo in patria diſtinctè cognoſci poſsit. Etenim Scotus abſquè ſtatu patriæ de facili ſe expediret & diceret, quòd proceſsio Verbi eſt generatio, quia eſt generatio, & proceſsio Spiritus Sancti, quæ eſt ſpiratio, non eſt generatio, quia ſpiratio non eſt generatio.

6 Argumentor ſecundo; Quia ſecundũ opinionem Scoti, non eſſet, quare proceſsio Verbi ſit generatio, non verò proceſsio Spiritus Sancti, rationem reddere, ſed potiùs principium petere. Hoc enim eſt quod petitur, nimirũ, cur proceſsio Spiritus Sancti non ſit generatio, benè tamen proceſsio Verbi: Ergo reſpondere, quòd proceſsio Verbi eſt generatio, quia eſt generatio, quæ non eſt ſpiratio, proceſsio Spiritus Sancti eſt ſpiratio, quæ non eſt generatio, non eſt rationem reddere, ſed principium petere; Vel dicendum eſt, quòd Scotus eſt de numero eorum qui dicunt non eſſe quęrendam rationem, non quia ignoratur, ſed quia potiùs nulla ratio inuenitur, diſtinguens inter generationem Verbi, & ſpirationem Spiritus Sancti.

7 Argumentor tertiò; Quia proceſsio Verbi per Scotum eſt per intellectum, taliter quòd nullo modo poteſt eſſe per voluntatem. Et ſimiliter, proceſsio Spiritus Sancti eſt ita per voluntatem, quod non poteſt eſſe per intellectum. Ergo prima ratio generationis in diuinis non ſolùm accipitur ab intellectu veluti effectiuè, ſed etiam veluti formaliter, & intrinſecè. Probo conſequentiam; Quia ex hoc, quòd eſt per intellectum habet, quicquid habet perſona genita.

8 Confirmatur primò; Quia Pater æternus dicitur formaliter generans per intellectum fæcundum. Ergo generatio in diuinis dicitur formaliter generatio, quia eſt intellectus fæcundi actio.

9 Confirmatur ſecundò; Quia Pater æternus habet rationem formalem, & à priori explicitè, quare dicitur generans. Ergo etiam generatio eiuſdem habet rationem explicitam à priori, quare, ſcilicet, dicitur generatio. Antecedens patet; Quia Pater æternus dicitur generãs, non quia generans eſt, quaſi omnem rationem à priori excludat, ſed dicitur generans, quia habet intellectum fæcundum. Ergo ſimiliter, generatio, quæ eſt actio, ſeù actus proprius generantis, non dicitur generatio, eò quia generatio eſt, quaſi omnem rationem à priori excludat, ſed dicitur generatio; quia eſt actio intellectus fæcundi, quæ vocatur dictio.

Ergo

Digitized by Google

Ergo dicitur generatiõ propter aliquam rationem priorem. Ergo generatio, & ſpiratio habent rationes quibus diſtinguantur.

10 Explico magis quæ dixi. Certum eſt, quòd riſibilitas V. G. ſe ipſa eſt riſibilitas, quantùm ad intrinſecam, & propriã rationem riſibilitatis. Nam homo riſibilitate eſt formaliter riſibilis: At verò riſibilitas, non ſic eſt ſe ipſa talis, quaſi eius ratio formalis à rationalitate, effectiuè dumtaxat, & non tanquàm à principio formali radicali, procedat; Ita paritate aliquo modo ſeruata, generatio in diuinis intrinſecè, & formaliter proximè, ſe ipſa eſt generatio. Verùm non ſic eſt ſe ipſa generatio, quin ſuæ rationis formalis præhabeat, non ſolùm veluti effectiui, verùm etiã formalem radicem.

11 Quidam dicunt; Proceſsionem Verbi dici generationem, Proceſsionem verò Spiritus Sancti non dici generationẽ; Quia terminus proceſsionis Verbi eſt Filius, terminus autem ſpirationis, eſt Spiritus Sanctus, & non Filius. Tribuitur Aegidio in 1. diſtin. 13. parte 2. q. 1.

Aegidius. 12 Hic dicendi modus, poteſt eſſe verus, ſicut de præcedenti dixi; Si autem intẽdat aſſignare totalem, & adæquatam, proximam, fundamentalemquè rationem, petit principium, ſicut præcedens. Nam eſſe Filium, eſt eſſe terminum generationis; Et eſſe generationem, eſt reſpicere Filium, tanquàm eius terminũ. Vnde D. Thomas in hoc articulo, ſic concludit. *Vnde proceſſio Verbi in diuinis dicitur generatio; Et ipſum Verbum procedẽs, dicitur Filius.*

D.Thom.

13 Quidam verò dicunt; Proceſſionem Verbi eſſe generationem, non vero ſpirationem. Quia Verbũ eſt ab vna perſona; Spiritus Sanctus vero a duabus. Ita D. Auguſtinus 15. de Trinitate cap. 27. vbi probat, quod Filius procedit vt natus, Spiritus Sanctus vero, vt ſpiratus; Quia Filius nullus eſt duorum, niſi Patris, & Matris. Abſit autem, vt inter Deum Patrem, & Deum Filium, aliquid tale ſuſpicemus; Hac ratione vtitur quoque Durandus in 1. diſtin. 6. q. 2. num. 17. & Aliacenſis in 1. q. 8. art. 3.

D. Aug.

Durand.
Aliacen.

14 Hanc rationem impugnant nonnulli, & præſertim Franciſcus Amicus, diſp. 38. ſect. 7. num. 105. & Faſolus hic dub. 3. qui eam etiam ſecundùm quod eſt D. Auguſtini reijcit, impugnat, eiuſquè rationem ſoluit. Vnde ſic ait. *Atquè, ex his, ſoluta manet ratio Auguſtini.*

15 Hæc tamen ratio quatenùs eſt D. Auguſtini, bona eſt, & vera; quatenùs verò ea vtitur Durandus, nulla eſt, eſtquè impugnatione digna.

16 Dixi, quòd ſupradicta ratio, quatenùs eſt D. Auguſtini, bona eſt, & vera; Eò quia; in tantùm proceſſio Verbi eſt ab vna perſona, in quantùm eſt proceſſio per intellectum diuinum vt fæcundum; Et in tantùm proceſſio Spiritus Sancti eſt à duabus perſonis, inquantùm proceſſio Spiritus Sancti eſt per voluntatẽ vt fæcundam: Sed ratio quare proceſſio Verbi ſit generatio; Proceſſio verò Spiritus Sancti non eſt generatio, per hoc, quod vna eſt per intellectum, per volũtatem altera bona eſt, & vera. Ergo. Maior patet; Et quidem, quòd ad mentem Auguſtini Verbum procedat per intellectum, per voluntatem vero Spiritus Sanctus, veluti omninò certum in præſenti ſupponimus; Quòd verò proceſſio per intellectum in diuinis ſit ab vna perſona, proceſſio verò per voluntatem ſit à duabus perſonis. Probatur; Quia proceſſiò per intellectum eſt prior ratione, quàm proceſſio per voluntatem. Ergo proceſſio Verbi eſt prior ratione proceſſione per voluntatem. Ergo proceſſio Verbi, eſt prior ratione proceſſione per voluntatem. Ergo Verbum procedit tantùm à Patre, & Spiritus Sanctus procedit à Patre, & Filio.

17 Confirmatur; Quia Verbum diuinũ ex hoc quod procedit per intellectum, opponitur vni tantum perſonæ; Spiritus Sanctus vero, ex hoc, quod procedit per voluntatem, quatenùs dicit virtutem Spiratiuam, Patri, Filioque communem opponitur duabus. Ergo. Itaquè ratio D. Auguſtini reducitur ad rationem ſupradictam, quam Theologi communiter amplectuntur.

18 Quatenùs verò eſt ratio Durandi, rectè impugnatur, rationabiliterquè reijcitur. Nam proceſsio Filij, ſic eſt ab vna perſona tantùm per Durandũ, vt nõ ſit per intellectum; Et proceſsio Spiritus Sancti, ſic eſt à duabus perſonis, vt non procedat per voluntatem. Ergo procedere ab vna perſona, & non à duabus, non diſtinguit generationem à ſpiratione. Patet conſequentia; Quia procedere à duabus perſonis ſub vna ratione principiantibus, impertinenter ſe habent ad negationem generationis. Nam ſuppoſitorum multitudo, cum vnitate rationis agendi, non aufert rationem formalem termini, principij, & modi producendi.

19 Confirmatur primò; Si per impoſsibile prima Sanctiſsimę Trinitatis perſona priùs ratione intelligitur ſpirare Spiritum Sanctum, ita quòd prima perſona dicatur ſpiratiua, ſecunda vero ſpirata, deinde vero conſideratur prima perſona,

ſona, vt generans, ſeù in ratione Patris, tertia perſona diceretur genita, & procederet à duabus perſonis. Diceretur quidem genita; Quia procederet media potentia generatiua; Procederet quoque à duabus perſonis; Quia in caſu poſito, potentia generatiua perſonæ ſpiratæ nō opponeretur relatiuè, ſicuti nec in caſu vero, potentia ſpiratiua non opponitur relatiuè perſonæ genitę; Et conſequenter, perſonæ ſpiratę communicaretur potentia generatiua, ſicuti de facto perſonæ genitæ communicatur potentia, ſeù virtus ſpiratiua.

20 Confirmatur ſecūdò. Si Spiritus ſanctus nō procederet à Filio, ſed à ſolo Patre, & procederet ab alia potētia productiua à potentia, ſeù virtute, qua procedit Filius, non diceretur genitus, formaliter loquēdo; Sed ea ratione, qua procederet à prima perſona media virtute generatiua, diceretur Filius (ſuppono quòd ſi Spiritus ſanctus non procederet à Filio, non diſtingueretur realiter ab illo) ea ratione vero qua procederet media virtute ſpiratiua, nō diceretur Filius, ſeù genitus ſed procedēs, ſeù Spiritus ſanctus. Ergo vbi adeſt virtus generatiua, & ꝙ procedit media virtute generatiua, ibi proceſſio eſt generatio, & procedens dicitur Filius, ſiue ſit à duabus, vel pluribus ſuppoſitis, ſiue ab vno tantum.

21 Quidā dicunt; Ideo proceſſionē Verbi eſſe generationē, nō vero proceſſionem Spiritus ſancti, quia proceſſio Verbi eſt per modū naturę, proceſſio verò Spirit⁹ ſancti eſt per modū volūtatis. Ita Henricus, in ſumma ar. 6. D. Bonauētura, in 1. diſt. 13. q. 2. Riccardus, q. 3. Herueus, q. 1. Rubio, q. 1. ar. 1. Mayronus, diſtin. 10. q. 1.

22 Hæc ratio à multis ſolet impugnari, & refelli, tamen poteſt eſſe bona & vera, ſi ſic explicetur; Proceſſio Verbi eſt per modū naturæ, ideſt p modū ſimilis. Natura enim intēdit producenti aſſimilare procedēs, quantū poteſt. Ergo ſi proceſſio Verbi eſt per modū naturæ hoc modo, rationabiliter dicitur generatio. Itē, quādo dicitur, ꝙ proceſſio Spiritus ſancti eſt per modū volūtatis, ſi ſenſus eſt, ꝙ proceſſio Spiritus ſancti nō eſt formaliter per modū ſimilis; Sicut ꝙ procedit p voluntatē non procedit, vt ſimile, ſeù vt ſimilitudo producētis. Et ſic verū eſt, ꝙ proceſſio Spiritus ſancti nō dicitur propriè generatio; Quia Spiritus ſāctus procedit à Patre, & Filio per volūtatē, quod autē procedit per voluntatē, non procedit, vt ſimile. Si autē rationis adductę authores dicere velint, ꝙ proceſſio Verbi ideo nō eſt generatio, quia procedit per modū naturę, ideſt neceſſariò; Proceſſio verò Spiritus ſancti eſt per modū voluntatis, ideſt liberè. In vtroq; mēbro fallūtur. Nā multa ſunt, quæ neceſſariò procedunt, nō tamen eorū proceſſio dicitur generatio. Et inſuper, Spiritusſanctus, neceſſariò, & non liberè per voluntatē à Patre, Filioquè procedit. Ita ꝙ, vt cū D. Thoma, communioriq; theologorū cōſenſu Spiritusſanctus procedit à Patre, & Filio per voluntatē, non per modū voluntatis, ideſt liberè, ſed per voluntatē, vt natura eſt. Vide D. Thomā infra. q. 30. ar. 2. ad 2. cui⁹ verba vide n. 60. & de potētia. q. 10. ar. 2. cuius verba lege infra, nu. 119.

23 Quidā dicunt; Quòd proceſſio Verbi dicitur generatio, quia eſt per intellectū; Proceſſio verò Spiritus ſancti nō dicitur generatio, quia eſt per voluntatē; Et eſt ille dicēdi modus, quē cap. 3. tertio loco poſuimus, & approbauimus, eſtquè Capreoli in 1. diſtin. 9. ar. 1. ad 2. cōtra 1. cōcluſionē; Caietani, Ferrarienſis 4. cōtragent. cap. 11. & cap. 19. & Bañes ar. 4.

24 Hunc tamē dicēdi modū nonnulli recētiores impugnār, præſertim Pater Frāciſcus Amicus diſp. 18. de Proceſſionib⁹ diuinis ſec. 7. à nu. 114. vſque ad 117.

25 Contra quem ſic argumētatur primò. *Nam ex eo ſequeretur, Spiritū ſanctum vi ſuæ proceſſionis formalis nō eſſe æquè Deū, ac Verbum, ac proinde vi ſuæ conſtitutionis perſonalis, ſumitur ex propria origine, non conſtitui æquè Deum formaliter, ac reliquas perſonas diuinas. Sequela probatur, nam vi ſuæ proceſſionis formalis procedit ſolùm, vt amor; Qui in ſententia Caietani non eſt formaliter Deus, ſed impulſus, & affectio Dei, identicè tantùm, & ſubiectiuè Deus. Vnde vi ſuæ proceſſionis formalis non eſſet vniuocè perſona diuina, cum Patre, & Filio; Nam vi ſuæ proceſſionis formalis, non accipit eamdem naturam Patris, & Fily, ſed proprietatem tantùm naturæ. Hoc autem abſurdum eſt; Quoniam non ſaluaretur æqualitas, quam diuinæ perſonæ ſeruare debent in propria conſtitutione perſonali, quæ ſumitur ex propria origine, vt cuius vna ponitur procedere perfectior alia. Præterea, falſum eſt, quòd Caietanus ſupponit, Amorem non eſſe Deo eſſentialem, ſed ſolam proprietatem ab ipſius quaſi natura fluentem. Contrarium enim docet S. Thomas p. p. q. 30. art. 2. ad 2. vbi amorem diuinum, ait, eſſe coeſſentialem Deo.*

26 Ex huius argumenti debilitate, ac nullitate, firmitas modi dicendi, quem Pater iſte impugnat, manifeſtè detegitur. Argumentum enim hoc ſimile eſt huic: Leo genitus procedit ex vi ſuę proceſſionis, vt formaliter ſimilis Leoni producenti: Leo vero creatus, vel qualitercumquè à Deo ſolo productus ex vi ſuæ formalis productionis non procedit vt genitus, nec vt ſimilis alijs

F Leo-

leonibus, ſicut reuera ſit ſimilis. Aeua ex vi ſuæ formalis, ac ſpecificæ productionis, non procedit vt genita ab Adam, nec vt ſimilis Adæ. Potuit enim Deus ex coſta Adæ creare Leonem; Cain verò genitus ab Adam, & Aeua per ſeminalem propagationem, procedit vt ſimilis Adæ, & Aeuæ, atquè vt genitus; & Filius eorundem. Ergo Leo creatus non eſt æquè Leo, ac Leo genitus; & Aeua ex coſta Adæ producta non eſt æquè homo, ſicut Cain procedens vt genitus, atquè vt ſimilis ex vi ſuæ formalis productionis.

27 Immò hoc argumentum ſimile eſt huic. Verbum diuinum ex vi ſuæ proceſſionis formalis non procedit primò, & per ſe vt volens, ſed vt intelligens; & Spiritusſanctus, ex vi ſuæ proceſſionis formalis non procedit primò, & per ſe vt intelligens. Ergo Verbum non eſt æquè volens, ac Spiritusſanctus; Et Spiritusſanctus non eſſet æquè intelligens, ac Verbum.

Item, ſimile eſt huic. Spiritusſanctus non procedit vt genitus. Ergo non eſt æquè Deus cum Verbo, quod procedit vt genitum.

28 Quàm autem ſupradicti argumentandi modi futiles ſint, & vani, omnibus rectè intelligentibus, firmiterquè credentibus notum eſt.

29 Reſpondetur igitur ad argumentum, negando ſequelam. Ad cuius probationem concedo antecedens; Et nego conſequentiam, quam non probat; Sed vlteriùs progreditur, ad probandum abſurdum eſſe admittere perſonam Spiritusſancti imperfectiorem eſſe, & inæqualiter dici Deum per comparationem ad Verbum.

30 Præterea falſum eſt, quod amor ſit formaliſſimè loquendo, coeſſentialis Deo. Falſum quoquè eſt, quod Diuus Thomas loco à Patre Amico citato doctrinam contineat, doctrinæ Caietani contrariam; Quod vt omnibus pateſiat Sanctiſſimi Præceptoris verba audiamus.

31 *Ad ſecundum*, inquit, *dicendum*, *quòd, id quod procedit per modum intellectus, vt Verbum, procedit ſecundùm rationem ſimilitudinis, ſicut etiam id, quod procedit per modum naturæ. Amor autem inquantùm huiuſmodi, non procedit vt ſimilitudo illius à quo procedit, licet in diuinis amor ſit coeſſentialis* (nota) *inquantùm eſt diuinus. Et ideo, proceſſio amoris, non dicitur generatio in diuinis.*

32 Vbi Diuus Thomas non ſolùm non eſt in fauorem Patris Amici, ſed euidenter contra eum loquitur, & ſuæ imaginationi aduerſatur expreſſè; Dum ait: *licet in diuinis, amor ſit coeſſentialis, inquantùm eſt diuinus*. Nam D. Thomas non affirmet amorem Dei eſſe abſolutè, ac formaliter Deo coeſſentialem; Sed quatenùs eſt diuinus, ſub qua quidem ratione realiter, & formaliter formalitate rei, omne Dei prædicatum dicitur coeſſentiale Deo.

33 Tandem, contra ſupradictum argumentandi modum, ſic ad hominem argumentor. Dato, quòd Spiritui ſancto ex vi ſuæ proceſſionis formalis non communicetur per ſe primò natura diuina ſed eius proprietas, quod eſt velle diuinum, ineptè, & abſquè vllo prorſus fundamento deducitur, quòd perſona Spiritusſancti non eſſet æqualiter Deus cum perſona Verbi, cui per ſe primò communicatur natura diuina. Ergo. Probo antecedens; Quia ſi rectè colligeretur, quòd Spiritusſanctus non eſſet æqualiter Deus, Ideò eſſet, quia Spiritui ſancto communicaretur aliquid, quod eſſet inæquale, & inferius ipſo Deo. Nam ſi communicaretur aliquid, quod non eſſet infra Deum, ſed omninò ipſi Deo æquale, purum figmentum eſſet aſſerere, quòd Spiritusſanctus non eſſet æqualiter Deus cum Verbo diuino: Sed ſuppoſitum eſt falſum. Ergo. Probo minorem. Primò; Quia nihil eſt inferius Deo, & Deo inæquale, niſi ſola creatura, quæ eſt infra Deum: Sed nullum prædicatum Dei eſt infra Deum, aut creatura. Ergo. Secundò; Quia attributa Dei licet virtualiter adinuicem diſtinguantur, realiter tamen, & formaliter, formalitate actuali rei, ſunt vnum, & idem omninò adinuicem, & cum diuina natura. Ergo non ſunt inæqualiter Deus, ac ipſamet natura diuina. Tertiò; Quia relatio diuina ſecundùm probabiliſſimam opinionem, prout ratione diſtinguitur ab eſſentia diuina, neque dicit perfectionem, neque imperfectionẽ: Sed hoc non obſtante, quia relatio diuina eſt realiter cum natura diuina identificata, non ſequitur, quod eſſentia diuina ſit ita ſupra relationem, vt relatio diuina ſit inæqualiter Deus, ac ipſamet natura diuina, ſeù ſubſiſtens abſolutum deitatis. Immò, hoc idem currit, ſi relatio diuina prout ratione diſtinguitur ab eſſentia, diceret perfectionẽ. Eò quia, licet relatio diuina perfectionẽ diceret, nõ abſolutã, ſed relatiuã; Eſsẽtia verò diuina diceret pfectionẽ abſolutã: Nõ tamẽ valeret ſic argue-re.

Digitized by Google

re. Eſſentia diuina dicit perfectionē abſolutam; Relatio verò diuina dicit perfectionem relatiuam. Ergo perfectio relationis eſt inęqualis perfectionis abſolutæ. Et ratio huius eſt; Quia relatio dicit perfectionem relatiuam realiter idētificatam cum perfectione abſoluta. Ergo.

34 Secundò, ſic argumentatur; *Quia hec opinio non concludit, quod intendit. Intendit enim, ſimilitudinem in natura, quam habere debet pœnitus cum generante; Et concludit ſolam ſimilitudinem intentionalem, & in repræſentando, quam per ſe tantùm, poſtulat verbum intellectuale cum obiecto intelligibili. Minorem probo; Nam de ratione Verbi, vt abſtrahit à creato, & increato, ſolùm eſt procedere ſimile obiecto intentionaliter. Ergo de ratione Verbi, vt contracti ad increatum, eſt tantùm procedere infinitè ſimile obiecto, intentionaliter. Antecedens patet; Quia de ratione Verbi intellectualis eſt repræſentare obiectū intelligibiliter: Hoc autem non dicit ſimilitudinem naturalem, & in eſſendo cum obiecto, ſed tantùm intentionalem, & in repræſentando. Nam eam ſimilitudinem per ſe tantùm importat Verbum, quę neceſſaria eſt, vt per eam perfectè cognoſcatur obiectum. Nam hæc tantū, eſt per ſe requiſita ad primarium munus Verbi: Sed ad hoc ſufficit ſola ſimilitudo intentionalis; Nam omni alia circumſcripta, & hac tantùm poſita, ponitur Verbum perfectè repræſentatiuum obiecti. Conſequentia verò probatur; Quia Verbum, vt contractum ad increatum, per ſe non importat, niſi ſimilitudinem intentionalem infinitam.*

35 Tota vis tot verborum, conſiſtit in hoc; Quòd Verbum, vt ſic, non dicit aliam cum obiecto ſimilitudinem, niſi intentionalem, quod nos omninò negamus. Et dicimus, quod Verbum procedens per intelligere cum eſſe intelligentis identificatum, ex eo, quia intellectio, vt productio, eſt actio aſſimilatiua, non ſolum procedit, vt ſimile in eſſe intelligibili, cum obiecto formali, verumetiā, vt formaliter ſimile, ſecundùm eſſe naturæ; Non ex eo præcisè, quòd intelligere eſt ſolùmmodo realiter idem, cum eſſe; Sed ex eo quia, intelligere, vt dictio eſt, de ſe eſt actio aſſimilatiua, ſeù productiua ſimilis, ita, videlicet, quòd ſi intelligere eſt realiter ab intelligentis eſſe diſtinctum, & producit ſimilitudinem ſui, ſeù Verbum ſimile in ſui natura in eſſe intentionali dumtaxat; Si autem intelligere eſt identificatum cum eſſe intelligentis, eſt productio Verbi ſui ipſius, quod nedùm eſt ſimilitudo, ſeù ſimile in natura intelligentis ſecundùm eſſe intelligibile, verùmetiam ſecundùm eſſe naturale. Et licet vtraquè ſimilitudo, in eſſe, ſcilicet, intelligibili, & ſecundùm eſſe naturale, in verbo ſic producto, cōcurrat; Tamen, quia de primaria intentione actionis aſſimilatiuæ, eſt aſſimilare verbum naturæ cuius eſt verbum quantùm poteſt, dicendum eſt, quòd de primaria intentione intellectionis identificatæ cum eſſe, eſt magis ſimilitudo, ſecundùm eſſe naturale, quàm ſecundū eſſe intelligibile. Præuidit Amicus hāc veram ſolidamquè doctrinā; Quapropter vlteriùs progreditur ad ſuum probādum intentum, & ſic arguendo proſequitur.

36 Hoc autem, inquit, *demonſtro primò à poſteriori ſic. Verbum increatum non minùs procedit vt Verbum diuinarum perſonarum, & creaturarum poſſibilium, quàm ipſius diuinæ eſſentiæ; Sed reſpectu diuinarum perſonarum, & creaturarum poſſibilium, non importat, niſi ſolam ſimilitudinem intelligibilem, & intentionalem in repræſentando. Ergo neque reſpectu diuinæ eſſentiæ per ſe importabit aliam ſimilitudinem, quàm intelligibilem, & intentionalem in repræſentando. Conſequentia elucet: Minor probatur; Quia Verbum increatum non procedit ſimile in eſſendo Paternitati, aut ſpirationi paſſiuæ, vel creaturis; Alioqui Verbum eſſet Pater, Spiritus Sanctus, & creatura naturaliter; Quod eſt hæreticum, ſed ſolùm procedit ſimile quò ad eſſe intentionale, & in repræſentando; Quia procedit vt perfecta notitia omnium, quæ ſunt in mente Paterna. Ergo neque Verbum, vt contractum ad increatum, per ſe importat ſimilitudinem in natura, ſed tantùm in eſſe intentionali.*

37 Antequàm in forma reſpondeamus, nonnulla quæ Pater iſte dicit, aliquantulùm examinemus. Sunt enim examine digna. Cum igitur dicit; quòd *Verbum increatum non minùs procedit, vt Verbum diuinarum perſonarum, & creaturarum poſſibilium, quàm ipſius diuinæ eſſentiæ*. Per ly, *non minùs*, vel intelligit, pro vt idem ſonat, ac non aliter. Et falſum dicit, Nam omnibus theologis eſt optimè notum, quòd Verbum diuinum aliter eſt Verbum Patris, aliter ſui, aliter Spiritus ſancti, & aliter creaturarum poſſibilium. Cum ſit Verbum Patris, vt procedens à Patre, non autem eſt Verbum ſui, Spiritus ſancti, & creaturarum poſſibilium, vt procedens à ſe, vel ab eis; Inſuper, eſt Verbum Patris, vt primò, & per ſe ſimile Patri in natura, & conſequenter, primò, & per ſe, diuinam naturam repræſentans, Spiritum ſanctum verò, vt in eiuſdem natura identificatum, & creaturas poſſibiles, vt virtualiter contentas in eadem natura. Vel per ly, *non minùs*, intelligit vim repræſentandi, non tamen ordinem repræſentationis; Ita vt ſen-

Digitized by Google

ſos ſit, quòd Verbum diuinum, non ſolùm repræſentat eſſentiam diuinam, verùmetiam omnes perſonalitates diuinas, omnia attributa, atquè etiam omnes poſſibiles creaturas in eadem natura diuina contentas. Et hoc verum eſt, ſed nihil ad propoſitum arguentis.

38 Vt probet, quòd reſpectu diuinarum perſonarum, etiam Patris, non importat, niſi *ſimilitudinem intelligibilem, & intentionalem in repræſentando*, ſic arguit; *Quia Verbum increatum non procedit ſimile in eſſendo Paternitati, aut ſpirationi paſſiuæ, vel creaturis; Alioquin, Verbum eſſet Pater &c.* Omnes vident, minoris propoſitionis quàm ſit inepta probatio. Nam Verbũ diuinum non procedit, vt ſimilitudo Paternitatis; Sed id quod dicimus eſt, quod Verbum diuinum procedit, vt ſimile Patri in eo, ſcilicet, in quo non opponitur relatiuè Patri; Et conſequenter, procedit, vt ſimile in natura Patris. Et Amicus probare volens; quòd Verbum non procedat vt ſimile ſecundùm eſſe naturale naturæ Patris, aſſumit, quòd *non ſit ſimile Paternitati* in ratione Paternitatis. Inſuper, quando dicit, quòd *Verbum increatum non procedit ſimile in eſſendo, Paternitati*, quid intelligit, per ly, *ſimile in eſſendo*. Vel enim intelligit exiſtentiam abſolutam Deitatis, qua ſola exiſtit diuina Paternitas; Vel, per ly, *in eſſendo*, intelligit propriam ſubſiſtentiã relatiuam Patris. Si primum. Falſum omnino aſſumit, nempè, quòd *Verbum diuinum non procedat, vt ſimile Paternitati, in eſſendo*; Quandoquidem Pater totum quod habet, Filio communicat, ſola Paternitatis relatione retenta; Et cæteris immediatiùs communicat eſſe. Si ſecũdum. Verum dicit, ſed nihil ad propoſitum. Quia Verbum ſecundùm eſſe ſubſiſtentiale perſonale relatiuè opponitur eſſe ſubſiſtentiali Filij. Quod enim procedit, vt oppoſitum, non procedit, vt ſimile.

39. Reſpondetur igitur in forma ad argumentum Amici, diſtinguendo maiorẽ. Verbum increatum, non minùs, ſed aliter procedit, vt Verbum diuinarum perſonarum, & creaturarum poſſibilium, quàm ipſius diuinæ eſſentiæ, concedo maiorem. Non minùs, nec aliter, nego maiorem. Tunc conceſſa minori, nego conſequentiam. Laborauit ad probãdam minorem, quam concedimus, maiorem verò in ſupra poſito ſenſu negatam, reliquit vt notam.

40 *Secundò*, inquit, *probatur à priori. Nam Verbum ex vi contractionis ad talem differentiam Verbi, eam tantùm ſimilitudinem per ſe poſcit, quæ per ſe tantùm facit ad perfectiſſimã notitiam talis obiecti; Sed hæc eſt ſola ſimilitudo intentionalis cum obiecto intelligibili. Ergo. Maior patet. Nam differentia per ſe eſt illa, quæ ſe tantùm requiritur ad talem ſpeciẽ, ex tali genere, & differentia conſtituendam: Sed ad conſtituendam perfectiſſimam ſpeciem Verbi increati, ſufficit infinita ſimilitudo intẽtionalis, cum ipſo obiecto intelligibili. Nam ea tantùm ſimilitudo per ſe requiritur ad conſtituendam ſpeciem Verbi increati, quæ per ſe ſufficit ad comprehendenda omnia, quæ ſunt in memoria fæcunda Patris. Nam hæc eſt tota, & adæquata perfectio Verbi, exprimere in actu ſecundo, quidquid in actu primo dicit ſpecies intelligibilis; Quia Verbum eſt adæquatus terminus ipſius: ſed ad exprimenda omnia, quę per modum ſpeciei intelligibilis continentur in memoria fæcunda Patris, non requiritur ſimilitudo in natura, ſed ſufficit intentionalis. Nã hac tantùm poſita, & omni alia ſublata, ponitur Verbum adæquatè expreſſiuum totius eſſe intelligibilis obiecti intellectus Paterni. Patet hoc reſpectu diuinarum perſonarum, & creaturarum poſſibilium, ad quas perfectè exprimendas, ſufficit ſola intentionalis ſimilitudo. Igitur, quòd Verbum diuinum procedat ſimile in natura cum principio intelligente, non habet formaliter ex vi propriæ differentiæ, quæ ſolùm tendit ad infinitam ſimilitudinem intentionalem; Sed tantùm ex ſubiecto, in quo reponitur, non ſecus, ac amor ipſe increatus.*

41 *Confirmatur; Quia ſicut Verbi eſt aſſimilare terminum obiecto intelligibili, ita amoris eſt vnire amantem obiecto amato: Sed ex infinito amore, non calculatur per ſe, niſi infinita vnio intentionalis amantis cum amato. Ergo ex infinita notitia, non calculatur per ſe, niſi infinita vnio intentionalis amantis cum amato. Ergo ex infinita notitia non calculatur per ſe, niſi infinita ſimilitudo intentionalis Verbi cum obiecto. Aut certè, ſi ex infinita notitia, per ſe calculatur ſimilitudo in natura, etiam ex infinito amore calculabitur infinita vnitas realis; Et conſequenter, etiam amor, vi ſuæ proceſſionis, vt increatus eſt, procederet ſimilis in natura cum principio volente, ac proinde, vt genitus, & Filius.*

42 Reſpondetur ad argumentum, negãdo maiorem, quò, ad ly, *tantum*; Dicimus enim, quod Verbum ex vi contractionis ad talem differentiã Verbi, eam ſimilitudinem, per ſe poſcit, quæ per ſe requiritur ad talem intellectionem, ſeù productionem aſſimilatiuam, ſeù quæ eſt productio Verbi ſimilis, in natura. Ita quòd Verbum perfectiſſimum, ex eò quia, procedit per productionẽ perfectiſſimam, debet procedere, non ſolùm vt per ipſum perfectiſſimè cognoſcatur obiectum; Verumetiam, vt ipſum ſit perfectè ſimile cum obiecto; Et conſequenter, quia intelligere perfectiſſimũ

eſt

Digitized by Google

eſt idem cum eſſe intelligentis: debet eſſe productio Verbi perfectè ſimilis in natura intelligentis.

43 Immò dico, quòd Verbum in diuinis, non procedit, vt perfectiſſimam Deus de ſe ipſo habeat cognitionem; Quandoquidem, Verbum diuinum procedit ex perfectiſſima eſſentiæ diuinæ cognitione. Procedit igitur tanquàm ſufficienter Deitatem repræſentãs, ſed propter fæcunditatem naturæ diuinæ. Ad probationem verò maioris; concedo maiorem; & nego minorem. Ad cuius probationem, nego antecedens. Ad cuius probationem; Explico antecedẽs; *Verbum eſt adæquatus terminus ipſius*, id eſt ſpeciei, repræſentatiuè, & aſſimilatiuè, concedo antecedens. Tantùm repræſentatiuè, nego antecedens. Nam Verbum ſpeciei perfectiſſimæ, non ſolùm debet eſſe perfectiſſimum, adæquatè repræſentando ſpeciem intelligibilem, verumetiam procedendo, vt adæquatè ſimile in modo eſſendi obiecti repræſentati per ſpeciem. Ergo cum obiectum ſpeciei intelligibilis intellectus diuini, ſit diuina eſſentia, non ſolùm ſecundùm eſſe intentionale, verumetiam, ſecundũ eſſe naturale; Verbum diuinum ex propria ratione formali debet procedere, vt ſimile ſpeciei intelligibili, quæ eſt eſſentia diuina, vt repræſentans ſe ipſam & in modo eſſendi eiuſdem, pro ut in ſe eſt.

44 Ad confirmationem, nota priùs terminos, in quibus cum arguente non cõuenimus. Non enim dicimus, nec conuenienter dici poteſt, quòd *Verbi eſt aſſimilare terminum obiecto intelligibili*. Dicimus enim, ac dici debet, vt ſupra probauimus, Tomo 1. diſp. 34. quòd Verbum non eſt ipſa actualis intellectio, ſed eſt aliquid per eam productum, ab eaquè diſtinctum, eſtquè formalis, & expreſſa ſimilitudo obiecti. Vnde ipſum Verbũ eſt ſimilitudo obiecti, quare non benè proponitur, quòd *Verbi eſt aſſimilare terminum*; Sed, vt dixi, Verbi eſt eſſe terminum productum, vt ſimilitudinem, ſeu vt ſimilem obiecto.

45 Reſpondetur igitur ad confirmationem, admiſſa maiori pro prima parte, & diſtinguendo eam pro ſecunda; Sicut Verbi &c. Ita amoris eſt vnire amãtem cum obiecto amato, ſecũdùm proportionalitatem, concedo maiorem. Secũdùm proportionem, nego maiorem. Tunc data minori, nego conſequentiã;

46 Explicatur iſta reſponſio. Paritas in maiori verificatur in hoc, nempè, quòd ſicut Verbum eſt ſimilitudo obiecti, ſeu reſpicit obiectum, vt ſimile ſibi; Ita amor tendit ad obiectum, vt vniatur ei per impulſum, non per ſimilitudinem; Et hæc vocatur ſecundùm proportionalitatem; Et ſenſus eſt, quòd ſicut Verbũ reſpicit obiectum aſſimulatiuè, ita amor vnitiuè per impulſum. Non autem verum eſt, quòd ſicut Verbum eſt ſimilitudo obiecti cogniti; Ita impulſus eſt ſimilitudo obiecti amati. Et hæc eſt paritas ſecundùm proportionem. Arguens procedit contra noſtram doctrinam; Quia aſſumit maiorem ſecundùm paritatem, primo modo in quo eſt falſa. Si autem aſſumeret maiorem, iuxta paritatem ſecundo modo, eſt vera, ſed nihil ſibi proficit.

47 Quidam dicunt, Proceſſionem Verbi ideo eſſe generationem; Non verò Proceſſionem Spiritus Sancti; Quia Verbo diuino ex vi ſuæ formalis proceſſionis, conuenit exiſtere, quod eſt ipſum intelligere per eſſentiam; Intelligere verò per eſſentiam eſt conſtitutiuum naturæ diuinæ; Spiritus Sanctus verò, ex vi ſuę proceſſionis formalis non accipit, intelligere per eſſentiam, ſeù natura diuinam, ſed volitionem dumtaxat, quæ non eſt conſtitutiua naturæ diuinæ, ſed eam veluti conſequitur, & ſupponit cõſtitutam. Et hic eſt dicendi modus, quẽ ſupra, vt probabiliſsimum probauimus.

Sed contra hunc dicendi modum quatuor argumentis inſurgit Amicus, diſp. 18. citata à num. 122. Et ſic argumentatur primò. *Quoniam hæc ratio falſam supponi doctrinam de conſtitutiuo naturæ diuinæ; Quod ex Patribus, & Sancto Thoma ſupra probauimus, non eſſe ſolam intellectionem, ſed ipſum eſſe, ſecundùm totam latitudinem eſſendi.*

48 Huius argumenti ſolutio manifeſtè conſtat ex dictis Tomo 2. q. 14. art. 4. diſp. Vbi ſuppoſitum huius modi dicendi patet eſſe verum atquè in Sanctis Patribus, & in D. Thoma rectè fundatum.

49 Secundò ſic; *Ex hac ſententia ſequitur, quòd contra præcedentem rationem intulimus, nempè; Spiritum Sanctum, vi ſuæ proceſſionis, non eſſe æquè Deum, ac Filium; Immò, vi ſuæ proceſſionis non eſſe formaliter Deum, ſed tantùm proprietatem Dei; Proinde, vi ſuæ formalis conſtitutionis perſonalis, non eſſe vniuocè perſonam diuinam cum reliquis; Nec procedere, vt æqualem cum alia perſona procedente; Nec proceſſionem Spiritus Sancti dici poſſe proceſſionem Dei; Quia non tendit formaliter ad communicandam Deitatem, ſed tantùm proprietatem Dei; Proceſſio autem denominatur talis formaliter, ab eo, quod formaliter communicat.*

50 Contra præſentem rationem, ea quæ ſupra à num. 26. vſquè ad 31. relegenda monemus. Et iam dictis.

51 Reſpondetur, negando ſequelam illã,

nempè,

nempè, quòd ex hac ſententia ſequitur, Spiritum ſanctum vi ſuæ proceſſionis non eſſe æquè Deum. Nam quidquid eſt in Deo, eſt ipſemet Deus; Et quidquid nõ eſt æquè Deus, eſt inferius Deo; Hoc autem cuicumquè Dei prædicato repugnat.

52 Ad ſecundam ſequelam reſpondetur, explicando, ſeù diſtinguendo eam. *Immò, vi ſuæ proceſſionis* formalis, *ſequitur non eſſe formaliter Deum, ſed tantum proprietatẽ Dei*, concedo ſequelam. *Vi ſuæ proceſſionis*, veluti indiuidualis, nego ſequelam. Ad id autem, quod deducit, nimirum, *proinde, vi ſuæ formalis conſtitutionis perſonalis, ſequitur non eſſe vniuocè perſonam diuinã; Nec procedere, vt æqualem &c.* Reſpondetur, vtramquè ſequelam eſſe falſam, & ab arte ſummuliſtica alienam. Nam nõ eſſe vniuocè perſonam diuinam cum reliquis; Vel eſt eſſe æquiuocè perſonã diuinam cum reliquis, Vel analogicè. Vtrumquè eſt falſum. Ergo. Maior pàtet à ſufficienti logicorum diuiſione. Perſonæ enim diuinæ, vel dicuntur perſonæ vniuocè in ratione perſonæ diuinæ conuenientes, aut analogicè, aut æquiuocè. Probatur minor; Quia in caſu poſito perſona Spiritus ſancti non diceretur purè æquiuocè perſona diuina. Nam quæ purè æquiuocè conueniunt, in ſola voce conueniunt: At verò ſi perſonæ Verbi diuini communicaretur immediatè natura diuina, perſonæ verò Spiritus ſancti immediatè communicaretur proprietas naturæ diuinæ, & natura diuina mediatè, & identicè, conuenirent in voce, & in ratione ſignificata per vocem. Ergo.

53 Confirmatur; Quia omnis perſona diuina quomodocumquè procedat, dicitur nomine, & re, atquè ratione, diuina. Ergo non purè æquiuocè.

54 Neque diceretur analogicè; Quia in Deo omnia ſunt vnum, & idem realiter, & formaliter, formalitate rei. Ergo omnia vniuocè dicuntur in diuinis. Si autẽ intendat arguens, quòd non vniuocè, id eſt, non ſecundùm vnam eamdemquè rationem, non ſubſiſtit; Nam Deo conueniunt hæ duæ rationes, Abſolutum ſcilicet; & relatiuum; ratione abſoluti, dicitur eſſentia diuina, intellectus, ſeù intelligens, volens &c. Ratione relatiui, dicitur perſona, nempè, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus. Et priùs noſtro modo concipiendi intelligitur Deus ſecundùm rationem abſolutam, quàm ſecundum rationem relatiuam, non tamen cõgruè dici poteſt, quòd analogicè dicantur huiuſmodi rationes de Deo. Tandem; Quod analogicè de pluribus prædicatur, priùs dicitur de vno, quàm de altero: Sed ratio perſonalitatis diuinæ nõ priùs diceretur de vna perſona, quàm de altera. Ergo. Maior patet. Probatur minor; Quia vna non eſſet talis per dependentiam ab altera. Et aliàs, vna haberet quidquid habet altera per omnimodã realem identitatem in eſſentia. Ergo.

55 Ad vltimam ſequelam patet reſponſio. Nam cum infertur, nec proceſſionem Spiritus ſancti dici poſſe proceſſionem Dei, dupliciter intelligi poteſt; Secundùm rationem formalem, àc ſpecificam; Vel ſecundùm rationem numericam. Si primo modo, vtiquè dicimus, proceſſionem Spiritus Sancti non eſſe formaliter proceſſionẽ Dei (loquimur de Deo, prout dicit eſſentiam Deitatis) ſed formaliter proceſſionem impulſus diuini. Si tandem, ſermo ſit de proceſſione Spiritus ſancti ſecundùm rationẽ numericam, neganda eſt ſequela.

56 Tertiò ſic argumentatur. *Spiritus ſanctus vi ſua proceſſionis formalis producitur vt hypoſtaſis diuina. Ergo vi ſuę proceſſionis formalis, producitur vt ſubſiſtens in natura diuina. Ergo vi proceſſionis formalis communicatur illi natura diuina. Antecedens patet; Nam quidquid eſt terminus per ſe productionis, per ſe procedit vi productionis: Sed hypoſtaſis Spiritus ſancti eſt per ſe terminus ſpirationis paſſiuæ; Cum ſit ipſa ſpiratio paſſiua in facto eſſe. Ergo per ſe vi ſuæ proceſſionis producitur vt hypoſtaſis diuina.*

57 Pater Amicus longiori ſermone præſens proſequitur argumentum, ac multa conterit verba, ad primam probandam conſequentiam, ſic dicens. *Prior verò conſecutio, in qua tantùm, verſatur difficultas probatur.* Nos tamen dicimus, quòd nõ ſolùm in priori conſecutione de qua capite ſequenti à num. 144. in antecedenti, verſatur difficultas. Vnde breuiter.

58 Reſpondetur, negando antecedens. Ad cuius probationem, concedo maiorem, & diſtinguo minorem. Sed hypoſtaſis Spiritus ſancti, eſt per ſe terminus ſpirationis paſſiuæ, ſecundùm rationẽ, quaſi indiuidualem ſpirationis paſſiuæ, concedo minorem. Secundùm rationẽ, quaſi ſpecificam, & formalem, nego minorem. Ergo &c. nego conſequentiã. Terminus enim, qui formaliter producitur vi ſpirationis actiuæ non eſt hypoſtaſis, ſed impulſus. Hypoſtaſis enim, in ratione hypoſtaſis, eſt terminus, qui producitur vi ſpirationis actiuæ. Secundùm rationem veluti indiuidualem. Sed vide infra, à num. 44.

59 Confirmat præcedens argumentũ ſic. *Nam ea ratione, hypoſtaſis reſpicit naturam, qua natura reſpicit hypoſtaſim: Sed natura*

priùs,

priùs, & immediatiùs reſpicit hypoſtaſim, quã proprietates. Ergo, & hypoſtaſis priùs, & immediatiùs reſpicit naturam, quàm proprietates. Maior patet; Quia nequit natura priùs reſpicere ſuam hypoſtaſim, quin etiam hypoſtaſis, priùs reſpiciat ſuam naturam; Quoniam correlatiua ſunt ſimul natura. Minor probatur, tum in rebus creatis, in quibus natura per priùs reſpicit ſuam hypoſtaſim, quàm proprietates. Ergo etiam in diuinis. Nam ideò aduerſarij docent, volitionem eſſe proprietatem naturæ diuinæ; Quia ea etiam eſt proprietas naturæ creatæ. Ergo etiam docere debent, per priùs naturam diuinam reſpicere ſuam hypoſtaſim, quàm ſuas proprietates; Quia etiam natura creata priùs reſpicit hypoſtaſim, quàm proprietates. Tum quia, natura diuina conſtituit magis vnum cum hypoſtaſi, quàm cum proprietate: Sed id priùs, & immediatiùs reſpicitur à natura, quod conſtituit magis vnum cum illa.

60 Maior confuſa eſt, & obſcura. Tenetur enim explicare, quid ſibi velit, dum ait, *nam ea ratione hypoſtaſis reſpicit naturã, qua natura reſpicit hypoſtaſim.* Namq; ſi per ly *reſpicit*, intelligat, refertur ad naturam: Si ſermo ſit de relatione reali, neque hypoſtaſis diuina realiter refertur ad naturam, neque natura diuina refertur realiter ad eius hypoſtaſim: Si verò ſermo ſit de relatione rationis; nihil ad propoſitum. Nam etiam proprietates, puta attributa naturæ diuinæ cõueniũt hypoſtaſi, ſeu eo ordine, quo naturæ diuinæ conuenit hypoſtaſis, eodem quoque ordine hypoſtaſi diuinæ conuenit natura diuina. Ita quod, ſi naturæ diuinæ conuenit ratio hypoſtatica immediatè, immediatè quoque hypoſtaſi diuinæ, conuenit habere naturam diuinam; Si mediatè, mediatè, &c. Tranſeat. Non tamen hoc legitimè probat; Per hoc, quod *correlatiua ſunt ſimul natura.* Etenim natura diuina, & eius hypoſtaſis, non ſe reſpiciunt vt duo correlatiua. Sed vt vnum realiter, & vt duo ſola ratione diſtincta; Et priùs ratione diſtinguuntur, quàm relatione rationis correferantur.

61 Suppoſita, & in ſenſu vero admiſſa maiori; Minor propoſitio in diuinis eſt falſa, & contra D. Thomam. Falſa quidem; Primo; Quia in Deo, præter ſubſiſtentias relatiuas datur vna ſubſiſtentia abſoluta, vt infra probabimus. Ergo natura diuina non immediatè reſpicit hypoſtaſim. Patet conſequentia; Quia ſubſiſtentia abſoluta priùs ratione intelligitur conuenire Deo, quàm ſubſiſtentia relatiua, ſeu hypoſtaſis. Ergo. Secundò; Quia prædicata abſoluta, quæ non dicunt relationem principij ad creaturas, priùs dicuntur de Deo, quàm prædicata relatiua. Ergo priùs cõuenit Deo volitio, & quælibet alia diuinæ naturæ proprietas, quàm hypoſtaſis.

62 Confirmatur; Quia ſuppoſita ſubſiſtentia abſoluta Dei, immediatiùs, ac priùs intelligeretur natura diuina reſpicere talem ſubſiſtentiam, quàm ſubſiſtentiam relatiuam, ſeu hypoſtaſim; non alia quidem ratione, niſi quia, ſubſiſtentia illa eſt communis, & abſoluta; & iſta, particularis, & relatiua.

63 Eſt quoque contra D. Thomam infra q. 33. art. 3. ad 1. vbi ſic ait. *Ad primum ergo dicendum, quòd communia abſolutè dicta, ſecundum ordinem intellectus noſtri ſunt priora quàm propria, quia includuntur in intellectu propriorum, ſed non è conuerſo. In intellectu enim perſonæ Patris intelligitur Deus, ſed non conuertitur.* Vide Herreram ſuper eundem articulum cõcluſione 1.

64 Reſpondetur igitur admiſſa maiori in ſenſu, quo poteſt eſſe vera, & negando minorem. Ad cuius primam probationem, tranſeat pro nunc antecedens; & negatur conſequentia. Ad cuius probationem, reſpondetur primò, tranſeat antecedens. Dico tranſeat, quoniã quędam prædicata ſunt veluti proprietates naturæ creatæ, quæ tamen ſeclu[illegible] potentialitate, quam includunt, quatenus in natura creata reperiuntur, pertinent ad conſtitutiuum diuinæ naturæ, ſicut ſupra, de intelligere per eſſentiam, diximus. Tranſeat igitur antecedens, & negatur conſequentia; & ratio negationis eſt, quia ratio hypoſtaſis non ſupponit aliam ſubſiſtentiam in natura creata, ſicut hypoſtaſis diuina ſupponit ſubſiſtentiam abſolutam in natura diuina.

65 Reſpondetur ſecundò, admiſſo eodẽ antecedenti, & negando conſequentiã; & ratio negationis eſt, quia etiam hypoſtaſis eſt veluti proprietas naturæ diuinæ.

66 Reſpondetur tandem ad probationẽ minoris, negando antecedens. Cuius rationem aſſigno manifeſtam. Nam in incarnationis miſterio Verbum diuinũ aſſumpſit humanam naturã ad ſui ſubſiſtentiam; attamen, priùs natura humanitas Chriſti Domini intelligitur habuiſſe omnes proprietates humanæ naturæ, quàm fuerit Verbo diuino hypoſtaticè vnita. Nam Verbum diuinum aſſumpſit humanam naturam in ratione naturæ humanæ, vndequaque perfectã. Ergo cum intellectu, & voluntate, ac omnibus proprietatibus eius.

67 Ad ſecundam probationem reſpondetur, negando maiorem nam hypoſtaſis diuinæ naturæ ſupponit ſubſiſtentiã [illegible] abſo-

abſolutam, quæ eſt ... ma, quæ quaſi latitat intra viſcera diuinæ naturæ.

Concili\~u Florentinũ

68 Argumentatur quartò, ſic. *Nam, vt conſtat ex Ioanne theologo latino in Concilio Florent. ſeſſ. 18. & 19. & omnibus ſcholaſticis cum Magiſtro in 1. diſt. 7. ad productionem Spiritus ſancti, non ſolùm per ſe conuenit voluntas, ſed etiam natura, vt principium communicatiuum, etenim principalis forma, qua tàm Pater, quàm Pater, & Filius, sũt principium communicatiuum ad intra, eſt ipſa natura diuina, quæ tàm cum intellectione ad gignẽdum Filium, quàm volitione ad ſpirandum Spiritum ſanctum, immediatè concurrit. Ergo vi proceſſionis, non minùs communicatur natura Spiritui ſancto, quàm Filio. Conſequentia probatur; Nam id, vi proceſſionis communicatur termino, quod eſt per ſe principium communicationis termini. Igitur ſi natura diuina eſt per ſe principium communicationis ſui reſpectu Spiritus ſancti, per ſe, vi originis illa communicatur Spiritui Sancto.*

Conciliũ Florentinũ Ioannes Theolog.

69 Vidi Concilium Florentinum ſeſſ. 18. eamquè integrè legi, & inſuper obſeruaui, quòd Ioannes theologus latinus in ſupradicto Concilio, fuit Frater ordinis Prædicatorum, tunc temporis Illuſtriſſimæ Prouinciæ Lombardiæ Prouincialis de Monte Nigro, vt conſtat ex actis eiuſdem Concilij Collatione 2. partis 2. *vbi eliguntur diſputatores pro Latinis, & Græcis, ſex pro Latinis*; Et totidem pro Græcis. Inter ſex diſputatores pro Latinis connumerantur duo Ordinis Prædicatorum. Archiepiſcopus Colleſſenſis, & Prouincialis Lombardiæ ſupradictus.

Col. oſt.

70 Verba autem ſupradicti Ioannis, quæ pro arguente poſſunt adduci, non ſunt ea, quibus arguens vtitur, vt legenti patebit, ſed iſta; *Talem ordinem, & naturã ſpiritus habet ad Filium, qualem habet Filius ad Patrem.* Et inſuper, *ſæpius dictum eſt, & declaratum eſt, quòd eſſe de ſubſtantia Filij, eſt eſſe ex Filio, & habere eſſe ex Filio; Sicut eſſe ex ſubſtantia Patris eſt eſſe ex Patre, accipere à Patre eſſe; quia idem eſt.* Et per totã eamdem Collationem probat Spiritum ſanctũ eamdem naturam, ſeù eſſentiam diuinam habere, quam habet Filius; Numquàm tamen dicit, quòd ad productionem Spiritus Sancti, non ſolùm per ſe concurrit voluntas, ſed etiam natura, vt principium communicatiuum; Quaſi ex vna parte ad productionem Spiritus ſancti concurrat diuina voluntas, & ex altera diuina natura.

71 Reſpondetur igitur ad argumentum, diſtinguendo antecedens confuſè prolatum; Ad productionem Spiritus ſancti, non ſolùm per ſe concurrit volũtas, ſed etiam natura, vt principium communicatiuum, ideſt concurrit diuina voluntas, vt fæcunda ratione naturæ diuinæ; Seù concurrit natura diuina per voluntatem, vt in Patre, & Filio, concedo antecedens. Ad productionem Spiritus ſancti non ſolùm per ſe concurrit volũtas, ſed etiam natura, ideſt, diuerſo concurſu, concurrit diuina voluntas, ac diuina natura, nego antecedens.

71 Conſequentia vtitur terminis incompactis. Scio enim, quòd arguens intendit probare Spiritui ſancto, ex vi ſuæ proceſſionis formalis communicari naturam diuinam; Et nihilominùs ex ſupradicto antecedenti, hanc deducit conſequentiam, nimirum, *Ergo, vi proceſſionis, non minùs communicatur natura Spiritui Sancto, quàm Filio.* Quod quidem verum eſt ſecundùm omnes catholicos, Siue enim Spiritui ſancto, ex vi ſuæ proceſſionis formalis communicetur immediatè, & primariò natura diuina, vt natura eſt; Siue communicetur aliquod attributale prædicatum, ratione cuius, re vera communicatur natura diuina, licet mediatè, nunquàm minùs communicaretur natura diuina Spiritui ſancto, quã Filio. Nam Leo per creationem productus ex nihilo; Et Leo per generationẽ ex præſuppoſito ſubiecto formatus, ex æquo naturam, ſeù eſſentiam Leonis habent; & non minùs cõmunicatur natura Leonis ei qui generatur, quã ei qui creatur. Item, ſic alicui priùs communicetur riſibilitas, quæ eſt rationalitatis proprietas, mediatè vero communicetur rationalitas, quæ eſt humanitatis eſſentia, non eſſet minùs homo, nec minùs eſſet ei communicata rationalitas, quàm illi, cui eſſet immediatè communicata rationalitas, & riſibilitas conſequenter. Volebat igitur dicere ſic; Ergo vi proceſſionis, non aliter communicatur natura Spiritui ſancto, quàm Filio. Quòd ſi ſub iſtis terminis magis opportunis, ac proprijs, ſicut ſcholaſticos theologos decet, conſequentia formata fuiſſet, debet diſtingui conſequens. Ergo vi proceſſionis, quaſi indiuidualis, nõ aliter communicatur natura Spiritui ſãcto, quàm Filio, concedo conſequentiã. Ergo vi proceſſionis formalis, non aliter &c. nego conſequentiam.

73 Quòd autem hæc ſit mens Sacri Cõcilij Florentini, omnem doctrinam doctiſſimi Magiſtri Ioannis, approbantis, eſt luce meridiana clarius. Etenim Ioannes pro parte Latinorum intendebat concludere, & probare, quòd Spiritus Sanctus non ſit creatura, ſed Deus; Quia ſic procedit à Filio, ſicut Filius à Patre: Sed Filius, ſic procedit à Patre, vt ſit eiuſdem

naturæ

Digitized by Google

naturæ cum Patre. Ergo Spiritus ſanctus ſic procedit à Filio, & à Patre, vt ſit eiuſdem naturæ, & eſſentiæ, cum natura, ſeù eſſentia Filij, & Patris. Non fuit igitur illi ſermo de vi proceſſionis ſpecificæ, & formalis; Quoniam dictus eruditiſſimus Magiſter, doctrina ſui Magiſtri, Angelici, inquam, Doctoris Diui Thomæ inſtructus, optimè nouerat proceſſionem in diuinis eſſe duplicem, Verbi, ſcilicet, per intellectum, & Spiritus Sancti per voluntatem. Primam, eſſe ex vi ſuæ ſpecificæ, ac formalis rationis, per modum ſimilis, non verò ſecundam.

74 Quidam dicunt; quòd ideò Verbum dicitur genitum, non verò Spiritum ſanctum, & Proceſſio Verbi dicitur generatio; non verò proceſſio Spiritus ſancti; Quia Verbum ratione ſuæ proceſſionis formalis procedit, vt imago Patris, Spiritus ſanctus verò, non procedit vt imago Filij, & Patris. Ita noſter Bartholomæus Torres, p. p. 27. ar. 2. Vaſquez, diſput. 113. cap. 7. & diſput. 145. cap. 5.

Torres. Vaſquez.

75 Hic dicendi modus, per hoc, quòd dicit Verbum diuinum procedere vt imaginē Patris: Spiritum ſanctum verò non eſſe, ſeù nec procedere vt imaginem Patris, & Filij; Verum dicit; Eſtquè expreſſa doctrina D. Thomæ infra q. 35. art. 2.

D. Thom.

76 Verum quoquè eſt, quòd, eò quia Verbum diuinum procedit vt imago Patris, dicitur genitum; Eiuſquè proceſſio dicitur generatio, Spiritus ſanctus verò non dicitur genitus; nequè eius proceſſio dicitur generatiò; Quia non procedit vt imago Patris, & Filij. Ratio tamen eſt; Quia idem omninò eſt dicere, Verbum procedit à Patre vt ſimile, vi ſuæ formalis, ac ſpecificæ proceſſionis; Ac dicere, Verbum procedit vt imago Patris. Et inſuper, ex oppoſito, negare Spiritum ſanctum vi ſuæ formalis, ac ſpecificæ proceſſionis procedere vt ſimilem Patri, & Filio, eſt negare Spiritum ſanctum procedere vt imaginem Patris, & Filij. Ergo rectè probatur, quòd proceſſio Verbi eſt generatio, & Verbum eſt genitum; Proceſſio verò Spiritus ſancti non eſt generatio, neque Spiritus ſanctus dicitur genitus; Quia Verbum procedit vt imago Patris, Spiritus ſanctus verò non item.

77 Id, quod diſplicet, nec poteſt ſubſiſtere, eſt aſſerere, quod ideo proceſſio Verbi dicitur generatio, quia Verbum non ſolùm procedit vt ſimile, verumetiam procedit vt imago; Proceſſio verò Spiritus ſancti non dicitur generatio; quia, licet Spiritus ſanctus vi ſuæ formalis, ac ſpecificæ proceſſionis, procedat vt ſimilis in natura Patris, & Filij, non tamen procedit, vt imago.

78 Ratio huius eſt; quia de ratione formali imaginis eſt, quòd procedat ab aliquo vt ſimilitudo in forma, ſeù ſpecie eius cuius eſt imago; nec aliquid vltra requiritur. Ergo vel dicendum eſt, quòd ſi Spiritus ſanctus vi ſuę formalis, ac ſpecificæ proceſſionis, procedit vt ſimilis in natura Patris, & Filij, quòd procedat quoquè vt imago Patris, & Filij; Vel quòd Spiritus ſanctus ſi non eſt imago Patris, & Filij, quòd nequè etiam procedit vt ſimilis. Deducitur quoquè ex antecedenti, quòd ratio imaginis non eſt aliquid ſuperadditum Verbo diuino per hoc, quòd Verbum diuinum vi ſuæ formalis, ac ſpecificæ proceſſionis procedit à Patre, vt ſimile in natura Patris, ſed iſta duo, nempè, procedit à Patre, vt ſimile in natura Patris vi ſuæ formalis, ac ſpecificæ proceſſionis; Et procedit, vt imago Patris ſunt vnum, & idem.

79 Quidam dicunt; quòd ideò Verbum diuinum dicitur genitum, & eius proceſſio dicitur generatio; Quia Verbum diuinum accipit naturam fæcundam, ita vt illam alteri perſonæ communicare poſſit, & de facto communicet; Spiritus ſanctus verò, non ſic accipit naturam diuinam, vt alteri communicare poſſit; Vnde ſolus Spiritus ſanctus, ex tribus diuinis perſonis, non dicitur fæcundus. Tribuitur hic dicendi modus Richardo de Sancto Victore, lib. 6. de Trinitate, cap. 18. Alenſi, p. p. q. 42. memb. 2. & memb. 3. art. 2. & q. 43. memb. 2. Maiori in 1. diſtin. 13. q. p. Franciſco Zunigæ, diſp. 2. dub. 2. memb. 9.

80 Hæc ratio poteſt eſſe bona, & poteſt eſſe mala; bona quidem, reductiuè, quatenùs, ſcilicet, poteſt ad rationem Diui Thomæ reduci. Nam ex hoc, quòd Verbum procedit per intellectum, non verò per voluntatem, opponitur relatiuè Patri, in ratione generantis, non verò in ratione ſpirantis. Ex quo ſequitur, quòd Verbo diuino communicatur virtus ſpiratiua Spiritus ſancti, qui procedit per voluntatem. Et quia Spiritus ſanctus relatiuè opponitur Patri, & Filio, ideò, Spiritui ſancto non communicatur virtus ſpiratiua. Itaquè iuxta hanc reductionem, idem eſt dicere, quòd ideò Verbum eſt genitum, non verò Spiritus ſanctus; Quia Verbo communicatur virtus ſpiratiua, Spiritui ſancto autem nulla virtus productiua ad intra communicatur; Ac dicere, quòd ideò Verbum procedit vt genitum; Quia procedit per intellectum, cui proceſſio-

ni neceſſariò communicari debet virtus productiua per voluntatem; Spiritus ſanctus verò, non procedit vt genitus; quia cum procedat per voluntatem, nulla virtus productiua illi communicatur. Sed hoc, vt patet, procedit ex principio valde remoto.

81 Non eſt autem bona hæc ratio, ſi præcisè conſideretur ac proponatur. Quod ita probo. Virtus ſpiratiua non conſtituit perſonam Filij, neque Patris; Sed vtramquè veluti ſupponit conſtitutam. Ergo Filius non dicitur genitus; quia recipit ſpirationem actiuam. Patet conſequentia; Quia priùs noſtro modo intelligendi, intelligitur perſona Filij genita, quàm ſpirans Spiritum Sanctum.

82 Confirmatur primò; Quia Pater æternus, vt ſupponimus, generat Filium per intellectum & non per voluntatem. Et Pater, & Filius producunt Spiritum ſanctum per voluntatem, non verò per intellectum. Ergo neque Pater, vt dicatur generans dicitur ſpirans Spiritum ſanctum, neque ex eo Verbum dicitur genitum, quia communicatur ei, vt ſpiret Spiritum ſanctum.

83 Confirmatur ſecundò. Spiratio actiua eſt veluti conſequens Paternitatẽ, & Filiationem non qua Pater generans eſt, neque qua Verbum genitum eſt; Sed qua Pater eſt notionaliter volens, & ſimiliter Filius. Ergo non eſt bona ratio ſupra aſſignata &c. Probatur antecedens; Quia Pater eſt generans, qua intelligens eſt; Et Verbum eſt genitum, qua notionaliter cognitum eſt.

84 Confirmatur tertiò; Quia eſt inter theologos diſputatio, Vtrum ſi Spiritus ſanctus non procederet à Filio, diſtingueretur ab illo. In qua diſputatione ſupponitur, quòd ſi Spiritus ſanctus nõ procederet à Filio; Procederet tamen à Patre, Filius procederet per intellectũ à Patre, & Spiritus ſanctus per voluntatẽ à Patre; Et conſequenter, vnanimi cõſenſu theologi concedunt, quòd Filius, quia procederet per intellectum, diceretur Filius, ſeù genitus; Spiritus ſanctus verò; Quia procederet à Patre per volũtatem non vero per intellectum, non eſſet genitus. Ergo ex communi theologorum conſenſu, Verbum non dicitur genitum ex eo præcisè, quòd Verbo virtus ſpiratiua Spiritus sãcti cõmunicatur.

85 Confirmatur tandem, ex illo D. Auguſtini lib. 7. de Trinitate cap. 2. vbi ait, quod, *eò eſt Filius, quò Verbum; & eo eſt verbum, quò Filius*. Ergo recipere virtutem ſpiratiuam, non conſtituit Verbum in ratione Filij:

86 Et quia poſſet aliquis dicere, quòd habere virtutem ſpiratiuam, quamuis non ſit ratio per ſe primò, & à priori conſtitutiua Verbi in ratione geniti &c. Tamẽ eſt proprietas per ſe rationem geniti cõſequens; Sicut riſibilitas eſt proprietas per ſe conſequens rationalitatem; Quod tamen dicere, neque mihi probatur; Idcircò eſt breuiter obſeruandum; Quòd ſi Pater æternus non ſpiraret Spiritum ſanctum, produceret tamen Filium, non eſſet eadem perſona, quæ modo eſt. Nã perſona Patris, quæ modo eſt, non ſolũ eſt generans, ſed etiam ſpirans per volũtatem Spiritum ſanctum. Et perſona Verbi, ſeù Filij, quæ de facto eſt, non dùm eſt genita, verumetiam eſt ſpirans perſonam Spiritus ſancti; Tamen ratio quare perſona Verbi dicitur ſpirãs Spiritum ſanctum, non eſt quia procedit per intellectum præcisè; Sed quia Pater communicat Filio quidquid Paternitati relatiuè non opponitur; Et aliàs ſpirare ſpiritum ſanctum non dicit oppoſitionem relatiuam inter genitorem, & genitum. Ergo ſpiratio actiua Patris communicatur Filio, ſicut cætera alia prædicata diuina. Itaquè ſpiratio actiua non communicatur Filio, vt per eam Filius conſtituatur, vel nuncupetur genitus; Neque, vt per ſe proprietas generationem paſſiuè acceptam conſequens, Sed tantummodo communi modo, quo communicantur reliqua prædicata.

87 Quidam dicunt; quòd ideo proceſſio Verbi eſt generatio; Non vero proceſſio Spiritus ſancti; quia proceſſio Verbi eſt prior origine proceſſione Spiritus ſãcti. Tribuitur Richardo lib. 6. de Trin. c. 12. Bonauenturæ, in 1. diſt. 13. q. 2. ad 1.

88 Hæc quoque ratio poteſt eſſe bona, & non bona. Bona quidem, ſi ſenſus ſit; quòd proceſſio Verbi, cum ſit per intellectum, intelligitur prior proceſſione Spiritus Sancti, per hoc quod eſt per voluntatem; Et ſic coincidit cum ratione D. Thomæ.

89 Vnum dumtaxat aduerte, quòd nomine prioritatis, & poſterioritatis, ſecũdum originem, non debet intelligi realis, ac vera prioritas, ſed prioritas dumtaxat, ſecundùm noſtræ intelligentiæ conſiderationem; ſeù ſecundum ordinẽ originis, abſquè omni reali prioritate.

90 Et in hoc ſenſu, intellige D. Thomã de potent. q. 10. art. 2. circa finem, vbi ſic ait; *Quicquid ergo inuenitur in proceſſione diuina, quod ſtatim in vna proceſſione poteſt intelligi, nulla alia præintellecta, vnius tantũ proceſſionis eſt. Ibi verò, ſtatim alia proceſſio inueniri poteſt, vbi eadem, quæ per primam proceſſionem ſunt accepta, iterum deriuantur in aliam. Et ſic, ſolus ordo proceſſionum, qui*

attenditur

attenditur ſecundùm originem, proceſſiones multiplicat in diuinis: Vnde conuenienter dixerunt, qui poſuerunt vnam proceſſionem eſſe per modum naturæ, & intellectus; aliam, per modum voluntatis; Quantùm ad id, quòd proceſſio, quæ eſt ſecundùm naturam, vel intellectum, non præexigit aliam proceſſionem; proceſſio autem, quæ eſt per modum voluntatis aliam præexigit. Nam amor alicuius rei non poteſt à voluntate procedere, niſi præintelligatur proceſſio ab intellectu illius rei, verbum conceptum; bonum enim intellectum eſt obiectum voluntatis.

91 Bona tamen non eſt, ſi fundetur ſuper præciſam prioritatem, vel poſterioritatem originis. Nam ſi per impoſſibile proceſſio per voluntatem eſſet prior origine, aut ratione, quàm proceſſio per intellectum, proceſſio per voluntatem non eſſet generatio; bene tamen proceſſio per intellectum. Ergo.

92 Quidam dicunt; Quòd Verbum diuinum, ideò dicitur genitum; non verò Spiritus ſanctus; quia Verbum diuinū vi ſuæ proceſſionis procedit vt ſimile in eſſe reali, & naturali; Spiritus ſanctus verò non item. Addunt tamen, quòd ſimilitudo intentionalis Verbi eſt eſſentialiter neceſſaria ad diuinam generationem, & Filiationem, concomitanter tantùm, non formaliter. Hoc eſt, generatio diuina, etſi eſſe ſimpliciter non poſſit, abſquè intentionali ſimilitudine, tamen formalem conceptum generationis, nō habet ex intentionali ſimilitudine, ſed ex ſola ſimilitudine naturali. Ita Faſolus hic dubit. 7. & 8.

93 Hæc ratio partim eſt bona, & ex parte non valet. Bona quidem eſt, quatenùs aſſerit Verbum dici genitum; Non verò Spiritum ſanctum; quia Verbum vi ſuæ formalis, ac ſpecificæ proceſſionis, procedit vt ſimile Patri in natura, non ſolùm ſecundùm ſimilitudinem intentionalem, verumetiam ſecundùm ſimilitudinem naturalem.

94 Quatenùs tamen aſſerit, ſimilitudinē intentionalem Verbi eſſe eſſentialem generationi, concomitanter dumtaxat, nō verò formaliter, non eſt bona. Vnde:

95 Contra modum dicendi Faſoli, argumentor primò, authoritate D. Auguſtini lib. 7. de Trinitate cap. 2. vbi ait; quòd *eò Verbum, quò Filius; & eò Filius, quo Verbum*. Vbi D. Auguſtinus apertè docet, quòd Verbum diuinū, qua Verbum diuinum eſt, dicitur genitum, ſeù Filius. Et ex hoc; quòd dicitur Filius, dicitur Verbum: Sed Verbum diuinum, quo Verbum diuinum eſt, formaliter habet vtrumquè, nempè, quòd ſit ſimilitudo intentionalis, & ſimilitudo ſecundùm eſſe naturale. Ergo Verbum diuinum perſonaliter acceptum dicitur Filius, nō ſolùm, quia eſt ſimilitudo ſecundùm eſſe naturale, verumetiam, quia eſt ſimilitudo ſecundùm eſſe intentionale. Aliàs non eſſet adæquatè, & ad conuertentiā vera propoſitio Auguſtini.

96 Argumentor ſecundò ex D. Thoma in hoc articulo in corpore, vbi, quòd Verbum diuinum procedat *ſecundùm rationē ſimilitudinis*, his verbis probat, *Quia*, inquit, *conceptio intellectus eſt ſimilitudo rei intellectæ*. Ergo vel D. Thomas loquitur tantummodò de ſimilitudine intentionali; quod tamen impugnatur acriter à Faſolo; vel loquitur etiam de ſimilitudine intentionali. Probo conſequentiam, quò ad primam eius partem; quia D. Thomas probat proceſſionem Verbi diuini eſſe ſecundùm rationem ſimilitudinis; quia eſt de ratione Verbi in communi eſſe ſimilitudinem rei intellectæ; quæ quidem ratio Verbo diuino non conuenire, non poteſt: ſed ſimilitudo intentionalis conuenit omni Verbo. Ergo iam D. Thomas loquitur de ſimilitudine intentionali Verbi. Ergo non excludit, ſed formaliter includit ſimilitudinem intentionalem Verbi. Ergo ſi aliqua ſimilitudo excluditur, erit ſimilitudo ſecundùm eſſe naturæ. Quod non admittitur. Ergo.

97 Secunda pars eſt euidens; quia aliàs D. Thomas ex antecedenti aſſumpto, ſuum non probaret intentum. Nam ex hoc, quòd conceptio intellectus eſt ſimilitudo rei intellectæ. Non ſequitur iſta conſequentia. Ergo Verbum diuinum ex vi ſuæ formalis, ac ſpecificæ proceſſionis procedit tantùm vt ſimile in natura, & non etiam ex vi eiuſdem formalis proceſſionis, vt ſimile ſecundùm eſſe intentionale.

98 Confirmatur: Quia idem D. Thomas in hoc eodem articulo proponit ſecundo loco hoc argumentum. *Ita Deo eſt proceſſio ſecundùm modum intelligibilem: ſed in nobis talis proceſſio non dicitur generatio. Ergo neque in Deo*. Sic autem reſpondet. *Ad ſecundum dicendum, quòd intelligere in nobis non eſt ipſa ſubſtantia intellectus. Vnde Verbum, quod ſecundùm intelligibilem operationem procedit in nobis, non eſt eiuſdem naturæ, cum eo à quo procedit. Vnde non propriè, & completè, competit ſibi ratio generationis. Sed intelligere diuinum eſt ipſa ſubſtantia intelligentis. Vnde Verbum procedens, procedit vt eiuſdem naturæ ſubſiſtens; & propter hoc, propriè dicitur genitum, & Filius.*

99 Vbi diligenter, nota, ly *non propriè*, & non *completè*. Quia D. Thomas ex hoc quòd Verbum in nobis procedit per in-

telligere diſtinctum ab eſſe intelligentis; ſeù per hoc, quòd verbum creatum exiſtit per intelligere diſtinctum ab eſſe intelligentis, habet duo, & quòd non dicatur propriè genitum; & quòd non dicatur completè genitum.

100 Nota inſuper; Quòd idem D. Thom. concludit ibidem, quòd Verbum diuinũ propter hoc dicitur genitum, & Filius, quia Verbum procedens, procedit vt eiuſdem naturæ ſubſiſtens. Vbi ſupra ſimilitudinem intentionalem Verbi diuini, addit ſimilitudinem eiuſdem, in eſſe naturæ; Ratione cuius ſuperadditi non excluditur à ratione formali generationis verbi, ſed præſupponitur & intrinſecè in ratione formali includitur. Quod ex verbis D. Thomæ manifeſtè colligitur. Nam Verbum creatũ per D. Thomam non propriè dicitur genitum, non quia dicit ſimilitudinem intentionalem; quoniam hac ratione dicitur aliquo modo genitum, ſed incompletè; ſed dicitur impropriè genitum; quia ſic habet ſimilitudinem intentionalẽ, vt omninò excludat ſimilitudinem in eſſe naturali. Ergo.

101 Argumentor tertiò ratione. Quod conuenit Verbo diuino vt producto ratione ſuæ formalis, ac ſpecificæ proceſſionis, conuenit quoque formaliter generationi eiuſdem: ſed ſimilitudo ſecundùm eſſe intentionale Verbi diuini, conuenit Verbo diuino vt producto, ratione ſuæ formalis, ac ſpecificæ proceſſionis. Ergo ſimilitudo Verbi diuini ſecũdùm eſſe intentionale, conuenit rationi formali generationis eiuſdem. Probo maiorem; quia proceſſio Verbi diuini vt producti, adæquatè explicatur per generationem formaliſſimè acceptam. Aliàs deberet duplex proceſſio, ſeù duplex productio aſſignari in Patre, in ordine ad Filium; & in Filio producto, in ordine ad Patrẽ producentem; quod eſt abſurdũ, & inauditum. Patet ſequela; quia per Faſolum, Verbum diuinum, ſecundùm quòd eſt ſimilitudo intentionalis, nõ eſt formaliter genitum. Ergo eius proceſſio non eſt formaliter generatio. Tunc ſic. Sed Verbum diuinum, ſecundùm quòd eſt ſimilitudo intentionalis procedit à Patre. Ergo ſi non procedit vt genitum, neque procedit per generationẽ formaliter. Ergo per aliam proceſſionẽ.

102 Confirmatur primò hoc; quia ſi Verbum diuinum, ſecundùm quòd eſt ſimilitudo intentionalis, non eſſet formaliter Filius; Et aliàs Verbum diuinum, ſecundùm quòd eſt ſimilitudo intentionalis; procedit à Patre, ſequitur, quòd non totum, quod producitur in verbo, eſt formaliter Filius. Patet hoc, quia huiuſmodi Verbi, ſcilicet, intẽtionalis productio, non eſt formaliter generatio. Ergo. Vide quæ diſput. de proceſſione Verbi ex creaturarum cognitione contra Ariagam dicemus.

103 Confirmatur ſecundò; Quia Verbũ diuinum ſecundùm quòd eſt ſimilitudo intentionalis re vera procedit: ſed per Faſolum, hæc Verbi diuini proceſſio, nõ eſt formaliter generatio, neque ſpiratio. Ergo eſt alia proceſſio à generatione, & ſpiratione. Ergo tres proceſſiones in diuinis, quod eſt hæreticum.

104 Dices cum Faſolo; quia *communiter Patres, & antiquiores, ac doctiores ſcholaſtici generationem definiunt, atquè explicant, per ſolam ſimilitudinem in natura, quæ eſt realis, non intentionalis. Ergo.*

105 Reſpondetur, explicando ſupradictorum authoritates. Generationem definiunt, per ſolam ſimilitudinem in natura, quæ eſt realis, non intentionalis, loquentes de generatione in rebus creatis, concedo antecedens. Loquentes de generatione in diuinis, nego antecedẽs. Quòd ſi aliquando, ſimilitudinem exagerant in natura, non propterea ſimilitudinem intentionalem excludunt, ſed eam tanquàm formaliſſimè neceſſariã præſupponunt; contendẽtes vtramquè ſimilitudinem eſſe intrinſecè requiſitam in generatione diuina.

106 Dices ſecundò ex eodem. *Generationis conceptus analogicè communis increatæ, & creatæ generationi, continere ſolum debet ea prædicata, in quibus conueniunt omnes iſtæ generationes: ſed hæ conueniunt in ſola reali ſimilitudine in natura, & non in ſimilitudine intentionali in repræſentatione, quæ ſolum reperitur in vna generatione increata, & in nulla omninò creata generatione. Ergo perfecta, atquè integra ratio generationis communis creatæ, & increatæ, conſiſtit eſſentialiter in ſola reali ſimilitudine.*

107 Reſpondetur, diſtinguendo maiorẽ; *Generationis &c.* Cæteris paribus, concedo maiorem. Si cætera non ſint paria, nego maiorem. Ad minorem. Sed hę conueniunt in ſola reali ſimilitudine in natura, & non in ſimilitudine intentionali in repræſentando, ob inadæquatam participationem generationis diuinæ, concedo minorem. Quaſi quò ad omnia prædicata participetur generatio diuina, nego minorem. Seù ſub aliis verbis, diſtinguo minorem. Sed hæ conueniunt in ſola reali ſimilitudine in natura, eò quia, non eſt in creatis propriè generatio per emanationem intelligibilem, concedo minorem. Si in creatis eſſet generatio per emanationem intelligibilem,

Digitized by Google

gibilem, nego minorem. Quare &c.

108 Vbi aduerte, quod generatio ſecundũ ſimilitudinem in natura, tàm in eſſe naturali, quàm in eſſe intentionali participabilis eſt à creatura, non tamen ab vna, & eadem. Nam ſimilitudo naturalis, participatur per generationem quæ fit per ſeminalem propagationem. Similitudo verò intentionalis, participatur ab intellectu creato producente verbum. Et dicitur generatio ſecundùm quid; eò quia ſi verbum creatum diceretur ſimpliciter genitum, eſſet ſubſiſtens & conſequenter exiſteret per intelligere identificatum cum eſſe intelligentis, quod repugnat cuicumquè naturæ creatæ; Quod quidem inconueniens non ſequitur per generationem, quæ fit per ſeminalem propagationem, per quam genitum, & ſi in principio generationis ſit genitori coniunctum, tandem in fine ſeparatur ab ipſo.

109 Quidam dicunt; Ideò proceſſionem verbi, non autem Spiritus ſancti eſſe generationem; quia ſola Perſona verbi vi ſuæ originis procedit adæquatè ſimilis principio producenti. Nam verbum procedit vt ſimile Patri, non ſolùm ſecundùm ſimilitudinem in eſſe naturæ; verumetiam ſecundùm ſimilitudinem in eſſe intentionali. *Nam Spiritusſanctus vi ſua formalis proceſſionis, procedit vt ſimilis principio ſpiranti in natura, ſecundùm eſſe naturale; non verò ſimilitudine intentionali.* Ita Pater Franciſcus Amicus diſp. 18. ſec. 7. num. 160. Qui poſtquàm multorum doctorum dicendi modos, nõ paucos, retulit, & reiecit, precitatum dicendi modum ſtabiliuit, vt cæteris veriorem; cũquè magnoperè celebrauit, ſic dicens. *Ratio igitur, quæ mihi poſt omnes maturè examinatas occurrit; quæquè Doctiſſimis viris ſæpiùs in diſputationibus agitata, vehementer placuit &c.*

110 Hæc tamen ratio ex vna parte placet, ex altera verò, debilis eſt, & infirma, & placere non poteſt.

111 Placet inquam, ex vna parte, quatenùs ſcilicet, affirmat ad rationem formalem generationi Verbi diuini nedùm concomitanter, vt Faſolus ait, ſed formaliſſimè requiri ſimilitudinem in natura Patris, ſecundùm eſſe repræſentatiuum, veluti intelligibile, ſeù intentionale, vt iam probatum eſt.

112 Non tamen placet, quantùm ad duo; nimirum, quòd ratio veluti ſpecifica, & formalis generationis verbi, ſit ſimilitudo obiectiua, & intentionalis; non verò ſimilitudo naturalis. Alterum eſt; quòd Spiritusſanctus, vi ſuæ proceſſionis formalis, procedit vt ſimilis in natura diuina.

113 Et quidem contra primum, ſic argumentor; ſi ſimilitudo intentionalis Verbi cum natura diuina eſſet ratio formalis, & proxima, quare Verbum diuinum dicitur genitum; eiuſquè proceſſio dicitur generatio, ſequeretur, quòd Verbũ creatum diceretur magis propriè genitum, quàm leo V. G. productus per ſeminalem propagationem: ſed hoc eſt falſum. Ergo. Minor & conſequentia patent. Probo ſequelam; quia habens rationem ſpecificam, & formalem generationis magis propriè dicitur genitũ, quàm habens rationem genericam, & remotam: ſed verbum creatum habet in ſe rationem formalem, ac ſpecificam generationis; Leo verò per ſeminalem propagationẽ productus, habet ſolummodò rationem genericam, & remotã. Ergo. Maior eſt ex terminis clara, atque manifeſtatur exemplo. Si aliquis homo V. G. per impoſſibile, haberet rationalitatem, non verò animaleitatem; Alius verò homo haberet animaleitatem, nõ verò rationalitatem, abſquè dubio magis propriè diceretur homo, qui careret animaleitate, & haberet duntaxat rationalitatem, quàm qui careret rationalitate, & haberet animaleitatem; eò quia ille haberet rationem ſpecificam, & formalem humanitatis; iſte rationem genericam & remotam. Ergo &c.

114 Contra ſecundum, ſic argumentor; Si Spiritusſanctus, vi ſuæ proceſſionis ſpecificæ & formalis procederet vt ſimilis in natura diuina, ſimilitudine naturali, ſequeretur quòd eſſet verè, & propriè genitus, ac verè, & propriè Filius: ſed hoc eſt hæreticum. Ergo. Conſequentia eſt euidens. Minor eſt de fide. Probo ſequelam. Haberet illud, quod per ſe, & eſſentialiter requiritur ad rationem formalem generationis. Ergo. Probo antecedens; quia ideò aliquid dicitur, & eſt verè & propriè genitum in creatis; Quia procedit vt ſimile in natura ſimilitudine naturali. Ergo ſimilitudo in eſſe naturæ pertinet ad rationem ſpecificã, & formalem generationis verbi, & non ſolùm ad rationem genericam, & remotam.

115 Dices pro Amico. diſparem eſſe vtrobiquè rationem; eò quia, generatio in rebus creatis, non eſt intellectualiter; ſed tantummodo generatio diuini verbi habet, vt ſit proceſſio intellectualis.

116 Sed hæc reſponſio nulla eſt, & contra eam ſic argumentor. Si eſſet aliquod participans animaleitatem tantùm, non verò rationalitatem, non poſſet dici verè & propriè homo. Ergo in rebus creatis habẽs de diuinis proceſſionibus proceſſionem

ceſſionem in ſimilitudinem naturæ, ſimilitudine naturali, non poteſt dici verè, & propriè genitum. Antecedens eſt euidens; quia nullum conſtituitur in ratione ſpecifica per ſolam rationem genericam. Vnde animal eſt indifferens ad omnes rationes ſpecificas animalis. Probo conſequentiam; quia per Patrem Amicum procedere vt ſimile in natura, ſimilitudine naturali, conuenit ex æquo Verbo, & Spiritui ſancto; cum ſe habeat veluti ratio generica, & remota.

117 Quidam tandem dicunt, Verbum diuinum, *eò quòd procedit per intellectionem, quæ eſt virtualiter natura, procedere formaliter ex vi ſuæ proceſſionis in ſimilitudinem naturæ; Spiritum verò ſanctum, qui procedit per volitionem, quæ non eſt virtualiter natura, non procedere formaliter per naturam, & conſequenter, nec in ſimilitudinem naturæ, ideoque non eſſe Filium, ſed Spiritum.* Ita Pater Rodericus de Arriaga in 1. p. D. Thomæ trac. de Sanctiſſima Trinit. myſter. diſp. 47. ſect. 8. ſub ſect. 5.

118 Qui pro confirmatione ſuæ ſententiæ adducit D. Thomam 1. p. q. 41. art. 5. in corp. *Quod ad hoc,* inquit, *etiam propoſitũ D. Thomas 1. p. q. 41. art. 5. in corp. ponderat, vbi ſimul confirmat noſtram ſententiam; illud autem eſt. Omne producens aliquid per ſuam actionem, producit ſibi ſimile, quantùm ad formam qua agit: Sicut homo genitus eſt ſimilis generanti in natura humana, cuius virtute Pater poteſt generare hominem. Hæc D. Thomas. Ergo cum reſpectu Filij forma, qua Pater generat ſit natura, ſeù intellectio, fiet, vt in hac intendat ſibi aſſimilare illum, & conſequenter, illum conſtituit formaliter Filiũ; quia verò forma, qua producitur Spiritus ſanctus, non eſt natura, ſed volitio, ideo procedit ſimilis in volitione, non in natura ex vi ſuæ proceſſionis. Hoc totum,* inquit, *videtur tradi à D. Thoma ſupra. Adducit enim,* inquit, *illud ergo eſt potentia generatiua in aliquo generante, in quo genitum ſimilatur generanti. Filius Dei autem ſimilatur Patri gignenti in natura diuina; vnde natura diuina in Patre eſt potentia generandi. Et infra. Id quo Pater generat, eſt natura diuina, in qua ſibi Filius aſſimilatur, & ſecundùm hoc, Damaſcenus docet, quòd generatio ſit opus naturæ, non ſicut generantis, nempè vt quod, ſed ſicut eius quo generat, ſcilicet, vt quo.*

119 *Quibus verbis,* inquit, *D. Thomas clariſſimè docet, ideo Filium eſſe in ſimilitudinem naturæ, quia potentia qua generatur, eſt natura. Atqui reſpectu Filij potentia eſt intellectio, non volitio. Ergo intellectio non verò volitio conſtituit virtualiter naturam, ideòque Verbum procedens per intellectionem eſt formaliter in ſimilitudinem naturæ; Spiritus verò non eſt ex vi proceſſionis formaliter in ſimilitudinem naturæ, alioquin eſſet Filius. Ergò quia non procedit formaliter per naturam. Si enim procederet, eſſet in ſimilitudinem illius, iuxta diſcurſum D. Thomæ.*

120 Et paucis interiectis, ſic ait. *Idem etiã hic q. 27. art. 2. docet, dum ait, ideo Verbum gigni, quia procedit ſimile in natura, quoniam in Deo, ait, idem eſt intelligere, & eſſe. Supponit ergo Spiritum ſanctum è contrario, non prodire in natura ſimilem formaliter, quia velle non eſt formaliter natura Dei; aliàs argumentum à D. Thoma factum nullum eſſet, & probaret Spiritum ſanctum eſſe Filium.*

121 Hic tamen dicendi modus quò ad aliqua, & falſus eſt, & à mente D. Thomæ alienus. Falſus, inquam, quò ad ſecundam partem.

Et quidẽ ꝙ ſit falſus, ſic probo; quia in rebus creatis, vt cum equus generat equum; ita res ſe habet, quòd equus generans, non generat immediatè per naturam, ſed per potentiam generatiuam, in via D. Thomæ realiter à natura equi, & in aliorum phyloſophorum via, ex natura rei, vel ad minùs ratione ratiocinata diſtinctam. Ergo non eſt neceſſe, ad hoc, vt aliquod generans generet, & genitum generetur, vt procedat immediatè per naturam; ſed ſufficit, vt procedat immediatè per potentiam naturæ, qua ſcilicet, natura producat ſibi ſimile, ſeù ſimilitudinem ſui. Ergo nõ benè arguit quòd Spiritus ſanctus non eſt genitus, quia nõ procedit immediatè per naturam.

122 Quòd verò hic dicendi modus ſit à mente D. Thomæ alienus, patet primò. Quia loco ab eodem Arriaga citato D. Thomas in corp. in princip. volens probare, quòd potentia generandi in diuinis non ſignificet ſolam relationem, hanc aſſumit propoſitionem vniuerſalem. *Illud propriè dicitur potentia in quocumque agente, quo agens agit.* Sed in quocumquè alio agente, vt in præcedentibus numeris dicebamus, potentia, qua agens agit in via D. Thomę, & etiam ſecũdũ Arriagam diſp. 44. ſect. 2. num. 32. eſt realiter diſtincta à natura. Ergo non ad mentẽ D. Thomæ dicitur, quòd ideo aliquid procedit vt genitum, quia ſcilicet, procedit immediatè per naturam, vt natura eſt.

123 Secundò, quia idem D. Thomas ibidẽ, cuius verba etiam ipſe Arriaga refert, ſic ait. *Omne autem producens aliquid per ſuam actionem, producit ſibi ſimile quantùm ad formam quâ agit;* vbi non dicit, quòd producit ſibi ſimile quantùm ad potentiam, quâ agit, ſed *quantùm ad formam, qua agit.* Et exemplificans, ſic immediatè ſequitur. *Sicut homo genitus eſt ſimilis generanti in natura humana, cuius virtute, Pater poteſt*

generare

generare hominem. Sed ſic eſt quòd homo genitus eſt ſimilis generanti in natura humana, non tamen in via D. Thomæ homo genitus eſt immediatè à natura generantis tanquàm per potentiā generatiuam. Ergo.

124 Quantum vero ad id, quod vltimo loco Pater Arriaga dicit, pace ſua, mentē D. Thomæ non percepit. Nam Diuus Thomas q. 27. art. 2. probat, ideo Verbum gigni, quia procedit ſimile in natura: Verbum vero procedere ſimile in natura, non ideo probat, quoniam in Deo idem eſt intelligere, & eſſe. Etenim D. Thomas, vt in comment. ſuper art. explicauimus, probat Verbum diuinum procedere vt ſimile, quia conceptio intellectus eſt, ſeù quia Verbum eſt, cui conuenit eſſe ſimilitudinem rei intellectæ; ac proinde probat, Verbum diuinū eſſe ſimile in natura diuina; quia eſt Verbum naturæ diuinæ à Patre productum. Probat verò quòd ſit exiſtens in natura diuina; quia in Deo idem eſt intelligere, & eſſe.

125 Quod vt clariùs fiat, verba Angelici Præceptoris iterum repetamus. Sic enim ait. *Et ſecundùm rationem ſimilitudinis. Quia conceptio intellectus eſt ſimilitudo rei intellectæ. Et in eadem natura exiſtens. Quia Deo idem eſt intelligere, & eſſe.* Ecce quomodo per hanc propoſitionem, nimirū, *in Deo idem eſt intelligere, & eſſe*, non probat totum hoc, ſcilicet, Verbum diuinū procedit vt ſimile in natura diuina; ſed hoc aliud, nempè, quòd Verbum diuinū ſic procedit vt ſimilitudo naturę diuinę, vt ſit in eadem natura diuina exiſtens, id eſt, vt eius exiſtentia ſit exiſtentia eiuſdem naturæ diuinæ.

126 Solùm ergo ſupereſt, vt motiuum ab Arriaga ex D. Thoma allatum diſſoluamus; Vnde breuiter reſpondetur, D. Thomam, dum ait ſic. *Illud ergo eſt potentia generatiua in aliquo generante, in quo genitum ſimilatur generanti*, nomine potentiæ generatiuæ non intelligere potentiā vt ponentem in numero cum natura, ſeù eſſentia, ſed intelligere ſimul naturā, ſeù eſſentiam, & principium proximum generandi, & ſenſus eſt iſte. Illud ergo eſt potentia generatiua in aliquo generante, in quo genitum ſimilatur generanti, ratione potentię radicaliter acceptæ, non ratione potentiæ proximè cōſideratæ; quaſi diceret, quòd genitū per potentiam, quæ eſt proximum generationis principium, aſſimilatur potentiæ radicaliter acceptæ. Dixit autem ſic; quia in ſubiecta materia, potentia ſcilicet, generatiua etiam proximè conſiderata, ſecundum rigoroſam potentiæ acceptionem, vt probabiliſſima ſententia in via D. Thomæ eſt, conſiſtit in ipſa natura diuina in ratione naturæ, ſeù eſſentiæ vt in Patre. Verumenimuero, non quia Verbū procedit immediatè per naturā, id eſt, per intelligere, ideo dicit ir verè, & ꝓpriè genitū; quia ſi natura diuina conſtitueretur etiam per ipſum velle, Spiritus ſanctus procederet immediatè per naturam, tanquàm per principium quo proximum, & non procederet, vt genitus; eò quia, ipſa ratio Spiritus ex ſua formali ratione non habet, vt ſit ſimilitudo ſpirantis in natura; Illud verò dicitur propriè genitum, quod non ſolū habet in ſe naturam generantis, ſed etiā procedit vt ſimilitudo generantis in natura.

127 Sed reſpondetur ſecundo, & melius, explicando authoritatem D. Thomæ hoc modo, *Illud ergo eſt potentia generatiua in aliquo generante, in quo genitum ſimilatur generanti*, vt quo, aut vt quod. Aliquando vtroquè modo, ſicut eſt in diuinis. Et aliquando vt quo tantum. Et in hoc caſu ſenſus eſt, quòd illud dicitur potentia generatiua in aliquo generante per quòd genitum aſſimilatur generanti. Et hoc manifeſtè in via D. Thomæ conſtat; quia homo genitus V. G. non aſſimilatur potentiæ generatiuæ ſui genitoris, vt quod. Non enim valet dicere, quòd homo genitus eſt id quod eſt potentia generatiua. Cum potentia generatiua in homine ſit accidēs, & homo genitus ſit ſubſtantia.

128 His adde primò, quòd fatemur Verbū Dei procedere immediatè per naturam, vt in Patre, ſuppoſito, quòd natura diuina conſiſtat in ipſo intelligere, & ex vi huius proceſſionis dici verè, & propriè Filium; ſed hoc eſt, quia ſic procedit per naturam, vt procedens per intellectum, procedat vt ſimilitudo intelligentis in natura non ſolùm ſecundùm eſſe intentionale, ſed etiam naturale.

129 Secundò; Si intellectus, ſeù intellectio in Deo non eſſet formaliſſimè natura diuina, ſed eſſet potentia generatiua virtualiter diſtincta à natura, adhùc Verbum diuinum diceretur verè, & propriè genitum. Quod enim procedit ab aliquo per potentiam generatiuam, vt potentia generatiua eſt, procedit vt genitū. Ergo ad hoc vt ſaluetur generatio in diuinis non eſt neceſſe reccurere ad hoc, vt genitum procedat immediatè per naturam, & quòd potentia generatiuā neque etiam ſit virtualiter à natura diſtincta.

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT SECVNDVM.

Proponuntur argumenta in contrarium, & ſoluuntur.

130 SED contra iſtam determinationē obijciet aliquis primò, præſertim pro Amico, & contra principalem noſtram intentionem. Spiritus ſanctus ex vi ſuæ formalis proceſſionis non procedit, vt formaliter diſſimilis. Ergo procedit vt formaliter ſimilis, ac proinde, vt formaliter genitus. Patet conſequentia; quia quod non procedit vt ſimile, procedit vt diſſimile. Ergo quod non procedit vt formaliter ſimile, procedit vt formaliter diſſimile.

131 Confirmatur. Valet dicere, quod nō procedit vt ſimile, procedit vt non ſimile. Ergo valet quoquè dicere, quod nō procedit vt ſimile, procedit vt diſſimile.

132 Solent magnoperè laborare Doctores pro huius argumenti ſolutione, verùm attentè conſideranti quæ ad intellectum, & quæ ad voluntatem pertinēt, diſcrimenque inter intellectum, & voluntatem, nullus remanet difficultati locus; Vnde in forma

133 Reſpondetur ad argumentum, concedendo antecedens, & negando conſequentiam. Ad cuius probationem reſpondetur primò, quo ad formam, ac Summuliſtarum regulam ſic. Tranſeat antecedens, & nego conſequentiam. Non enim valet hic argumentandi modus, nimirum, quod non eſt vniuerſale, eſt ſingulare. Ergo quod non eſt formaliter vniuerſale, eſt formaliter ſingulare. Etenim realiter loquendo natura ſi non eſt vniuerſalis eſt particularis. Nō tamen valet ſic dicere, natura formaliter non eſt vniuerſalis. Ergo eſt formaliter ſingularis. Quandoquidem natura formaliter ſeù ſecundùm ſe, neque eſt vniuerſalis, neque particularis. Item, perſonalitas Patris, ſeù Paternitas in diuinis eſt ſimul eſſentia, & attributa. Non tamē valet ſic arguere. Relatio paternitatis in diuinis vel eſt formaliter eſſentia, aut formaliter attributa, aut ſi relatio nō eſt formaliter eſſentia. Ergo eſt formaliter attributa. Quia non valet arguere ab affirmatiua, vel negatiua in ſenſu idētico, ad affirmatiuam, vel negatiuam in ſenſu formali. Concedimus igitur, & firmiter confitemur, quòd Spiritus ſanctus eſt ſimilis Patri, & Filio in natura idēticè. Sed non propterea ſequitur; Ergo procedit vt ſimilis vi formalis, ac ſpecificæ proceſſionis.

134 Reſpondetur ſecundò in materia, cōcedendo antecedens; & diſtinguendo conſequens. Ergo quod non procedit vt formaliter ſimile, procedit vt formaliter diſſimile, vbi ſaluatur formaliter ſimile, vel formaliter diſſimile, concedo conſequentiam. Vbi non ſaluatur formaliter ſimile, & formaliter diſſimile, nego conſequentiam. Sic eſt in caſu noſtro. Eſſe formaliter ſimile, & eſſe formaliter diſſimile, non ſunt per ſe differentiæ termini producti per voluntatē. Sicut procedere formaliter per modum impulſus, vel procedere formaliter per modum repulſus, (vt ita loquar) non ſunt per ſe differentiæ diuidentes verbū; quapropter, verbū neque procedit formaliter per modum impulſus, neque per modum repulſus &c. Et per idem patet ad confirmationem.

135 Obijcies ſecundo; Spiritus ſanctus vi ſuæ formalis originis non minùs, quàm Verbum procedit conſubſtantialis principio ſpiranti: ſed Verbum vi ſuæ formalis originis procedit vt conſubſtantiale Patri in natura diuina. Ergo Spiritus ſanctus procedit vt genitus, quemadmodum Verbum. Maior probatur, quia Spiritus ſactus procedit vt amor increatus, qui non minùs, quàm intellectio eſt de eſſentia Dei. Ita Amicus loco citato nu. 164.

136 Reſpondetur, diſtinguendo maiorē. Spiritus ſanctus vi ſuæ formalis originis non minùs, id eſt non infra, nec inferiori conditione, quàm Verbum, procedit conſubſtantialis principio ſpiranti, concedo maiorem. Non minùs, id eſt, non aliter, ſeù non alia ratione, nego maiorem. Tunc conceſſa minori, nego conſequentiam. Ad probationem maioris, nego ſecūdam partem antecedētis, ſuppoſito ſemper, quod ly, *non minùs*, accipitur, pro vt idem ſonat, ac non aliter, ſeù non alia ratione, & modo. Nam Spiritus ſanctus eſt quidditatiuè Deus; accipit tamē Deitatis naturam, per hoc quòd procedit vt impulſus, qui realiter eſt perſona diuina, & cui per identitatē, ſummamquè ſimplicitatem, communicatur eſſentia Deitatis.

137 Obijcies tertiò. Omne agens producit ſibi ſimile in forma per quam agit. Ergo terminus, quem producit diuina voluntas, procedit vt ſimilis. Ergo procedit vt genitus.

138 Reſpondetur, diſtinguendo antecedens, Omne agens producit ſibi ſimile inclinatiuè, vel repræſentatiuè, aut per modum imaginis, concedo antecedens. Semper repræſentatiuè, & per modum imaginis, nego antecedens. Ergo terminus, quem producit diuina voluntas

procedit

Digitized by Google

procedit vt ſimilis ; diſtinguo conſequens . Procedit vt ſimilis inclinatiuè , concedo conſequentiam . Procedit vt ſimilis repræſentatiuè , & per modum imaginis , nego conſequentiam . Ergo &c. nego conſequentiam .

139 Explicatur iſta reſponſio . Quando dicitur , quòd omne agens , præſertim naturale , producit ſibi ſimile , dupliciter intelligi poteſt ; per actionem ad extra ſcilicet ; & per actionem ad intra . Primo , & ſecundo modo , eſt vera propoſitio ; ſed aliter , & aliter . Nam primo modo , datur aliquod agens , quod producit ſibi ſimile in ſpecie , & per modum imaginis naturalis, tamen forma agentis , eſt realiter diſtincta à forma producti ; Vt patet de Leone generante Leonem ; aliquando tamen , agens ad extra producit aliquod ſibi ſimile non in natura , & per modum imaginis repræſentantis agens, ſed ſimilitudine valde remota , quemadmodum ſol concurrit vt agens reſpectu horum inferiorum ; & aliquando producitur aliquod ſimile non repræſentatiuè , ſed ſecundùm quandam proportionalitatem ; quemadmodum motus producitur à potentia loco motiua iuxta virtutem virtutis motricis ; & ſic motus productus aſſimilatur potentiæ , non autem quaſi motus ſit imago repræſentans potentiam motricem .

140 Si verò ſermo ſit de agente per actionem immanentem ; hoc adhùc dupliciter contingere poteſt . Per actionem ſcilicet , immanentem intellectus ; vel per actionem immanentem voluntatis . Et quidem ſi ſermo ſit de agente per intellectum , verum eſt , quòd omne agens per intellectum producit ſimile , ſeù ſimilitudinem . Nam omne agens per intellectum , & media intellectione , producit verbum , quod eſt ſimilitudo expreſſa ; & formalis obiecti . Si verò ſit agens per voluntatem , & media volitione , producit aliquod ſimile , non per modum imaginis , ſed per modum impulſus ad aliquod ſimile . Amans enim amat ſibi ſimile ; Amatum verò eſt in amante per terminum ab eodem amante productum ; qui quidem terminus non eſt formalis ſimilitudo amati , ſed impulſus , ſeù tendentia amantis in amatum .

141 Quando agens per actionem immanentem eſt actus purus, cuiuſcumq; potentialitatis expers, ratio producentis, & producti , ſeù producens à producto , ſola producentis , & producti relatione diſtinguitur . Vndè Spiritus ſanctus à Patre , Filioquè procedens , non diſtinguitur à forma quam à Patre , Filioquè accipit . Veruntamen ex ſua formali ratione non eſt ſimilitudo formalis , neque naturalis , neque intentionalis , aut obiectiua Patris , aut Filij in virtute ſpirandi ; & propterea proceſſio Spiritus ſancti non dicitur generatio . Vide Ferrarienſem in 4. contragent. c. 19.

142 Dices inſuper . Voluntas , per terminum ab ipſa productum tendit ad amatum vt illi vniatur . Ergo infinita voluntas infinito modo tendit , vt vniatur cum amato : ſed infinita vnitas ex ſua ratione ſpecifica , & formali dicit omnimodam identitatem , & ſimilitudinem . Ergo Spiritus ſanctus , quia procedit per infinitam voluntatem procedit per infinitam identitatem , & ſimilitudinem . Ergo procedit vt genitus .

143 Reſpondetur , diſtinguendo antecedens . Voluntas , per terminum ab ipſo productum , tendit ad amatum impulſiuè , concedo antecedens. Repræſentatiuè , nego antecedens . Ergo &c. diſtinguo conſequens . Ergo infinita voluntas infinito modo tendit , vt vniatur cum amato medio impulſu , concedo conſequentiam ; medio termino adhuc diſtinguo , non tanquàm media ſimilitudine , concedo conſequentiam . Medio termino , tanquàm media ſimilitudine , nego conſequentiam . Tunc diſtinguo ſubſumptionem minoris . Sed infinita vnitas ex ſua ratione ſpecifica formali dicit omnimodam identitatem , & ſimilitudinem , per modum impulſus , concedo ſubſumptionem minoris , per modum formalis ſimilitudinis , nego ſubſumptionem minoris . Quare &c.

144 Explicatur iſta reſponſio . Aliud eſt dicere , quòd amans , & amatum ſunt ſimilia ; & aliud eſt dicere , quòd id , per quod amans tendit in amatum , eſt ſimilitudo amantis , vel amati . Primum , eſt verum ; ſecundum verò omninò negamus . Ad rationem autem generationis , requiritur , quòd genitum ſit ſimile , ſeù ſimilitudo generantis ; in forma qua generans , generat . Spiritus ſanctus autem non procedit vt ſimilitudo amantis , vel amati , ſed vt impulſus infinitus ad Deum amatum .

145 Obiicies quartò . Spiritus ſanctus vi ſuæ proceſſionis ſpecificæ , & formalis , procedit vt perſona diuina .

Digitized by Google

Ergo procedit vt repræſentans naturam diuinam in eſſe naturæ. Ergo procedit vt genitus. Probatur antecedens; quia Spiritus ſanctus procedit vt relatio diuina. Ergo vt perſona diuina. Antecedens patet; Non procedit vt ratio abſoluta. Ergo vt relatio: Conſequentia verò probatur; quia perſonæ diuinæ, in ratione perſonarum diuinarum, conſtituuntur relationibus, vt infra cum D. Thoma probabimus. Ergo.

146 Reſpondetur primò, diſtinguendo antecedens. Spiritus ſanctus procedit vt perſona diuina, quæ eſt vt inclinatio ad naturam diuinam, tanquàm ad obiectum, & rem amatam, concedo antecedens. Spiritus ſanctus procedit vt perſona diuina, & vt exemplar, ſeù formalis, & expreſſa ſimilitudo naturæ diuinæ, nego antecedens. Ergo &c. nego vtramquè conſequentiam.

147 Dico, quòd ſuppoſita fide poſſet ſuſtineri, quòd etiam ſi Spiritus ſanctus vi ſuæ formalis proceſſionis procederet vt perſona, & conſequenter vt ſubſiſtēs in natura diuina; non propterea eſt euidēs cōſecutio, nempè ſequeretur, quòd Spiritus ſanctus procederet vt genitus.

148 Idquè poſſet in doctrina Athanaſij in ſymbolo aliquo modo fundari; ſic enim dicit. *Nequè confundētes perſonas; nequè ſubſtantiam ſeparantes. Alia eſt enim perſona Patris; Alia Filij; Alia Spiritus ſancti*. Et deinde, *Pater à nullo eſt factus; nec creatus, nec genitus. Filius à Patre ſolo eſt, nō factus, nec creatus, nec genitus, ſed procedens*.

149 Ex quibus verbis hic poteſt formari diſcurſus, Perſona Filij, ſecundùm quòd perſona Filij eſt, eſt genita; Perſona Spiritus ſancti, ſecundùm quòd perſona Spiritus ſancti eſt, non eſt genita; ſed hoc non obſtante perſona Spiritus ſancti ex hoc quòd perſona Spiritus ſancti eſt, nō eſt formalis ſimilitudo Patris. Ergo ſtat ratio formalis perſonæ diuinę ſubſiſtentis in natura diuina, abſquè eo quòd, illa perſona, vt perſona procedens præcisè, ſit formalis ſimilitudo naturæ diuinæ; Et cōſequēter, quòd ſit perſona genita.

150 Sic igitur dico; quòd cùm Spiritus ſanctus ſit alia perſona à perſona Filij, Spiritus ſanctus ex vi ſuæ formalis proceſſionis, quatenùs procedit vt perſona diuina, non eſt formalis ſimilitudo naturæ diuinæ. Hoc enim conuenit tantùm perſonæ Filij, quod optimè explicat D. Thomas infra q. 35. ar. 2. vbi probat ꝙ hoc nomen imago Patris, eſt proprium nomen Verbi, ſeu Filij; non verò Spiritus ſancti; quod debet intelligi de verbo vt perſona ſecunda; & de Spiritu ſancto vt perſona tertia.

151 Vnde iuxta hunc reſpondendi modū, ad rationem geniti nō ſolum requiritur vt terminus productus procedat formaliter vt ſubſiſtens in natura generantis; verumetiā, ꝙ ipſe terminus procedat vt formalis ſimilitudo principij producētis.

152 Reſpondetur ſecundo, negando antecedēs. Ad cuius probationem diſtinguo antecedens. Spiritus ſanctus procedit vt relatio diuina (vi ſuę ſpecificę, ac formalis ꝓceſſionis loquor) quatenùs explicat relationem impulſus diuini, concedo antecedēs. Quatenùs explicat etiā rationē veluti indiuidualē Spiritus ſancti nego antecedēs; & per idē patet ad probationē.

153 Sēſus eſt, quòd Spiritus ſanctus vi ſuę formalis proceſſionis, procedit quidē vt relatio; non tamē quantùm ad omnē rationem relationis quæ conuenit Spiritui ſancto ſecundùm rationē veluti ſpecificam, & veluti numericam, ſed quatenùs dumtaxat dicit relationem impulſus increati, & infiniti. Perſonalitas verò Spiritus ſancti conſtituitur quidem relatione, adæquatè tamē accepta; & ſenſus eſt, quòd perſona Spiritus ſancti cōſtituitur relatione, quatenùs includit, & dicit rationē veluti ſpecificā, & veluti numericā.

154 Obijcies quinto. Spiritus ſāctus vi ſuæ formalis proceſſionis magis procedit ſimilis in natura diuina, quā Filius genitus in rebus creatis: ſed ſaluatur ratio generationis in rebus creatis cum ſola conuenientia ſpecifica in natura generātis. Ergo magis ſaluatur ratio generationis in Spiritu ſancto, qui eſt eiuſdem naturæ cum Patre.

155 Reſpōdetur, diſtinguēdo maiorē. Spiritus ſanctus vi ſuæ formalis proceſſionis, magis procedit ſimilis in natura diuina, quā filius genitus in rebus creatis, idēticè, cōcedo maiorē. Repræſentatiuè, nego maiorē. Tunc cōceſſa minori, nego conſequentiā; eo quia, ſimilitudo Filij in rebus creatis, ideò habet rationē generationis, quia eſt ſimilitudo repræſētatiuè, nō autē idēticè. Magis idētificātur intellectus, & volūtas in Deo, quā Pater, & Filius increatis, tamē Filius eſt ſimilitudo Patris, Volūtas vero diuina nō eſt imago intellectus diuini, aut è contra.

156 Obijcies ſextò. Spiritus ſāctus vi ſuę formalis proceſſionis petit realē identitatē cum natura diuina. Ergo vi ſuę formalis proceſſionis procedit vt ſimilis in natura diuina. Ergo vt genitus. Antecedēs probatur. Quia Spiritus ſāctus vi ſuę proceſſionis procedit vt increatus, per actionē immanētē, vt quid intimū perſonis producētibus, & abſquè omni diuerſitate in natura. Ergo petit identitatem.

Reſpon-

157 Reſpondetur, diſtinguendo, ſeù explicando antecedens. Spiritus ſanctus vi ſuæ proceſſionis petit identitatem, & nō per modum ſimilitudinis formalis; aut imaginis concedo. Et per modum imaginis, nego. Vide ſupra à num. 147.

108 Obijcies ſeptimò, Spiritus ſanctus vi ſuæ proceſſionis non procedit vt accidens. Ergo vt ſubſtantia. Ergo vt ſubſiſtens. Ergo vt perſona. Ergo vt ſimilis in natura.

159 Reſpondetur, concedendo antecedēs; & diſtinguendo primum conſequens. Ergo procedit vt ſubſtantia implicitè, & identicè, concedo conſequentiam; explicitè & formaliter, nego conſequentiam. Nam per ſe veluti differentiæ modi procedendi per voluntatem, non eſt procedere, vt accidens, vel vt ſubſtantia, ſed per modum impulſus creati, vel increati &c.

ARTICVLVS QVINTVS.

Vtrum ſint plures proceſſiones in diuinis, quàm duæ.

AD quintum ſic proceditur, videtur quod ſint plures proceſſiones in diuinis, quā duæ: ſicut enim ſcientia, & voluntas attribuitur Deo, ita & potentia. Si igitur ſecundum intellectum, & voluntatem accipiuntur in Deo duæ proceſſiones, videtur quod tertia ſit accipienda ſecundum potentiam.

2 *Præterea. Bonitas maximè videtur eſſe principium proceſſionis, cum bonum dicatur diffuſiuum ſui eſſe, videtur igitur, quod ſecundum bonitatem aliqua proceſſio in diuinis accipi debeat.*

3 *Præterea. Maior eſt fœcunditatis virtus in Deo, quàm in nobis; ſed in nobis non eſt tantum vna proceſſio verbi, ſed multæ; quia ex vno verbo in nobis procedit aliud verbum, & ſimiliter ex vno amore alius amor: ergo & in Deo ſunt plures proceſſiones, quàm duæ.*

Sed contra eſt, quod in Deo nō ſunt niſi duo procedentes, ſcilicet Filius, & Spiritus ſanctus: ergo ſunt ibi tantum duæ proceſſiones.

Reſpondeo dicendum, quod proceſſiones in diuinis accipi non poſſunt niſi ſecundum actiones, quæ in agente manent. Huiuſmodi autem actiones in natura intellectuali, & diuina non ſunt niſi duæ, ſcilicet intelligere, & velle: nam ſentire, quod etiam videtur eſſe operatio in ſentiente, eſt extra naturam intellectualem, neque totaliter eſt remotum à genere actionum, quæ ſunt ad extra: nam ſentire perficitur per actionem ſenſibilis in ſenſum: relinquitur igitur, quod nulla alia proceſſio poſſit eſſe in Deo niſi Verbi, & amoris.

Ad primum ergo dicendum, quod potentia eſt principium agendi in aliud: vnde ſecundum potētiam accipitur actio ad extra; & ſic ſecundum attributum potentiæ non accipitur proceſſio diuinę perſonæ, ſed ſolum proceſſio creaturarum.

Ad ſecundum dicendum, quod bonum (ſicut dicit Boet. in lib. de hebdomadibus) pertinet ad eſſentiam, & non ad operationem, niſi fortè ſicut obiectum voluntatis: vnde cum proceſſiones diuinas

FORMATIO ARTICVLI.

NON in alio cōſiſtit corporis diſtributio, niſi in vno ſuaui ſyllogiſtico diſcurſu; cuius conſequens, eſt concluſio principaliter intenta, ac reſponſiua quæſito.

Diſcurſus, ſic in forma proponitur. *Actiones in natura intellectuali, & diuina, nō ſunt niſi duæ, ſcilicet, intelligere, & velle:* ſed *proceſſiones in diuinis accipi non poſſunt, niſi ſecundùm actiones, quæ in agente manēt. Igitur nulla alia proceſſio poteſt eſſe in Deo, niſi Verbi, & Amoris.* Hanc conſequentiā relinquit ex præmiſſis vt notā. Nam proceſſiones in natura intellectuali non ſunt, niſi per intellectum una; Per voluntatē altera. Prima eſt proceſſio Verbi; ſecunda Amoris. Maiorē relinquit notam ex primo articulo, & ſequentibus. Minorē ſic probat. *Nam ſentire, quod etiam videtur eſſe operatio in ſentiente, eſt extra naturam intellectualem; neque totaliter eſt remotum à genere actionum, quæ ſunt ad extra. Nam ſentire perficitur per actionem ſenſibilis in ſenſu.*

Ad primum argumentum reſpondet, cuius reſponſionem ſic in forma propono, diſtinguendo antecedens. *Sicut ſcientia, & voluntas attribuitur Deo, ita, & potētia,* entitatiuè concedit antecedēs. In ordine ad terminum productū, negat antecedens. *Si igitur &c.* negat conſequentiā. Et diſparitatem aſſignat; quia, ſcilicet, *ſecūdùm potentiam accipitur actio ad extra. Secundùm ſciētiam verò, & voluntatem accipitur actio ad intra.*

Poſſet ſic eadem reſponſio formari, diſtinguendo antecedens. *Sicut,* ſi ly *ſicut,* dicat rem, ſeù ſubſtantiam identificationis, cōcedit antecedens. Si ly *ſicut,* dicat modum, quo Verbū procedit per intellectum, & impulſus per voluntatem, eſſe eodē prorſus modō, cum proceſſione, qua aliquid procedit à Deo per potētiam, negat ante-

Digitized by Google

nas ſecundum aliquas actiones neceſſe ſit accipere ſecundùm bonitatem, & huiuſmodi alia attributa, non accipiuntur aliæ proceſſiones niſi verbi, & amoris, ſecundum quod Deus ſuam eſſentiam, veritatem, & bonitatem intelligit, & amat.

Ad tertium dicendum, quod (ſicut ſupra habitum eſt) Deus vno ſimplici actu omnia intelligit, & ſimiliter omnia vult: vnde in eo non poteſt eſſe proceſſio verbi ex verbo, neque amoris ex amore, ſed eſt in eo ſolum vnum verbum perfectum, & vnus amor perfectus: & in hoc eius perfecta fœcunditas manifeſtatur.

tecedens. Tunc neganda eſt conſequẽtia.

Ad ſecundùm argumentum reſpondet, cuius reſponſio, ſic in forma proponitur. *Bonitas maximè videtur eſſe principium* fontale, & radicale, & per intellectum, & voluntatem tanquã per principia proxima, & actiones, proceſſionis., concedit antecedens. *Bonitas maximè videtur eſſe principium* proximum proceſſionis, negat antecedens. Ad cuius probationem, ſimiliter diſtinguit antecedens. *Bonum dicitur diffuſiuum ſui eſſe*, tanquàm principium fontale, per intellectum, & voluntatem, tanquàm per principia proxima, & actiones proceſſionis, concedit antecedens. *Bonum eſt diffuſiuum ſui eſſe*, tanquàm per principium proximum proceſſionis, negat antecedens. Ergo &c. negat conſequentiam. Nam *bonum pertinet ad eſſentiam, & non ad operationem, niſi ſecũdũ quòd Deus ſuã eſſentiã, & bonitatem, intelligit, & amat.*

Ad tertiũ argumẽtum reſpõdet, cuius reſponſio ſic in forma proponitur. Cõcedendo maiorẽ; & negando ſuppoſitũ minori. Minor enim, quę in ſe vera eſt, ſupponit vnũ, quod re vera falſũ eſt; & eſt, ꝙ in nobis nõ eſt tãtũ vna proceſſio verbi, propter perfectionẽ fęcunditatis, ꝙ falſũ eſſe, apparet, quonia Deus vno ſimplici actu omnia intelligit, & ſimiliter, omnia vult. *Vnde est in eo ſolũ vnũ verbum perfectum, & vnus amor perfectus.* Quare verborũ & impulſuũ in nobis multitudo, non ex maioritate, ſeù maiori perfectione procedit, ſed ex creati intellectus imperfectione, & potentialitate.

SVPER ARTICVLVM. COMMENTARIVM.

1 Concluſio ſic eſt de fide certa, ſicuti de fide certum eſt, tres eſſe in Deitate perſonas; Primam Patris à nulla alia perſona procedentis; Secundam Filij procedentis à Patre. Et tandem tertiam Spiritus ſancti à Patre Filioquè procedentis. Si igitur eſſet aliqua alia in diuinis proceſſio, eſſent plures perſonæ, quàm tres.

2 *Proceſſiones in diuinis accipi non poſſunt, niſi ſecundùm actiones, quæ in agente manent.* Obſerua primò; quod proceſſiones in diuinis ad mentẽ D. Thomæ ſunt verè, & propriæ actiones. Obſerua ſecundò; De ratione actionis immanentis non eſſe inhærere agenti, ſed tantùm manere. Vtrumquè in præcitatis verbi inſinuatur; & vtrumquè tanquàm verum ſupra affirmauimus.

3 *Huiuſmodi autem actiones in natura intellectuali, & diuina, non ſunt niſi duæ, ſcilicet, intelligere, & velle.* Senſus eſt, quòd actiones immanentes in natura purè intellectuali, non ſunt niſi duæ. Nec proptereà actiones ad extra dicit eſſe plures. Nam ſupra q. 14. art. 8. docuit Deum eſſe cauſam rerum ad extra, non niſi per intellectum, & voluntatem; & conſequenter, non niſi per intelligere, & velle.

4 Quòd sì potentia dicatur ratione diſtincta ab intellectu, & volũtate in Deo, debet intelligi non quò ad rationẽ principiandi; Quoniam hoc modo potentia in Deo, quæ eſt rerum cauſa, eſt ipſiſſima intellectus, & voluntatis ratio. Diſtinguitur ergo ratione quantùm ad modum tendendi. Eò quia, intellectus, & voluntas in Deo, ſecundùm rationem formalem intellectus, & voluntatis, dicuntur potentiæ, ſeù immanentes facultates; Secundùm quòd verò ſunt cauſa productiua rerum ad extra, ſunt reſpicientes terminum non vt obiectum cognitum, vel amatum, ſed vt effectum, & ſub hac ratione dicuntur potiùs potentia, quàm intellectus, & voluntas. Similiter actiones, quibus Deus agit ad intra, & quibus ad extra, ſunt intelligere, & velle, & eodem prorſus modo à ſe ipſis diſtinguuntur ratione, diuerſamquè denominationem obtinent.

5 *Nam ſentire, quod etiam videtur eſſe operatio in ſentiente, eſt extra naturam intellectualẽ.* Pro huius erudita explicatione lege D. Thomam 4. contragent. cap. 11.

6 *Nequè totaliter eſt remotum, à genere actionum, quæ ſunt ad extra.* Non dicit, quòd ſentire, eſt actio tranſiens; quoniã falſũ diceret, & ſibi ipſi pugnaret infra q. 54. art. 2. in corpore, & alibi, vbi docet, quòd ſentire eſt actiò immanens. Vnde

dili-

Digitized by Google

diligenter, eius verba conſidera. Non enim dixit, neque eſſentialiter, ſed neque, *totaliter*, & ly, *totaliter*, intelligere originatiuè; quoniam quantùm ad rationem formalem actionis immanentis, *ſentire*, & eſſentia liter, & totaliter eſt remotum à genere actionum quæ ſunt ad extra.

7 *Secundùm potentiam accipitur actio ad extra*. Nomine potentiæ intelligit attributum abſolutum omnipotentiæ, non verò potentiam notionalem, qua Pater generat Verbum; & qua Pater, & Filius ſpirant Spiritum ſanctum. Idquè verba immediatè ſequentia manifeſtè declarant, dum iſta ſubdit; *Et ſic, ſecundùm attributum potentiæ, non accipitur proceſſio diuinæ perſonæ, ſed ſolùm proceſſio creaturarum*.

8 *Bonum pertinet ad eſſentiam*; Ideſt bonũ, quod eſt diuinæ voluntatis obiectum, eſt ipſamet diuina eſſentia.

Diximus ſupra to. 2. q. 14. art. 4. diſp. 109. eſſentiam diuinam conſiſtere in intelligere per eſſentiam. Ergo non benè dicit D. Thomas bonitatem pertinere ad eſſentiam, & non ad operationem.

Reſpondetur, concedendo antecedens, & negando conſequentiam; & ratio negationis eſt, quia bonitas pro vt accipitur à D. Thoma hìc, pertinet ad eſſentiam diuinam ſecundùm quòd obijcitur in ratione appetibilis, & non ſecundùm quòd eſt ipſum intelligere, quatenùs eſt attingentia obiecti.

DISPVTATIO CLIV.

VTRVM PROCESSIONES DIVINÆ SINT immediatè per naturam diuinam.

In quatuor capita diſtributa.

CAPVT PRIMVM.

Doctorum opiniones referuntur.

Durand. 1 FERè omnes Scholaſtici referunt Durandum in 1. diſtinc. 6. q. 2. dixiſſe, ac reſolutè tenuiſſe proceſſiones diuinarum perſonarum, eſſe immediatè per naturam diuinam, eumquè vnanimi conſenſu rationibus impugnant, ac cenſuris afficiunt.

2 Communis tamen theologorum ſententia eſt proceſſiones diuinarum perſonarum non eſſe immediatè per naturam diuinam, vt natura eſt, ſed per intellectum, & voluntatem. Proceſſionem, ſcilicet, Verbi eſſe per intellectum; Proceſſionem verò Spiritus ſancti per volũtatem. Ita communiter theologi Diuus Thomas cum Thomiſtis, Scotus cum Scotiſtis, & reliqui. (D. Thom. Scotus.) Solùm adinuicem diuiduntur, quia Scotus iudicat actionẽ intellectus, qua producitur Verbum, non eſſe intellectionem, ſed dictionem, ex natura rei ab intellectione diſtinctam. D. Thomas autem cum ſuis tenet productionem Verbi diuini V. G. quæ eſt per intellectum eſſe intellectionem; vt dictionem, quod tamen in præſenti non diſputamus. Quantùm ad hoc non oportet referre Doctores, eſſet enim implere paginas ſine neceſſitate; ſolùm inueſtigandum eſt aliquid de mente Durandi, quod per ſubſequens caput declarabitur.

CAPVT SECVNDVM.

Quid re vera Durandus ſenſerit de hac re.

3 QVASI omnes, vt in principio capitis præcedentis dixi, citant Durandum, ac ſi dixiſſet proceſſiones diuinas, non eſſe immediatè per intellectum, & voluntatem, ſed immediatè per naturam, vt natura eſt, ſeù per actionem naturæ.

4 Vbi duo Durando à Doctoribus attribuuntur. Primum eſt, quòd Filius non procedit à Patre per intellectionem, nequè tanquàm per principiũ productiuũ; nequè tanquàm per actionem. Et ſimiliter,

Digitized by Google

liter, quòd Spiritus ſanctus non procedit à Patre, & Filio per voluntatem; Nequè tanquàm per principium; Nequè tanquàm per actionem. Alterum eſt, quod proceſſiones diuinæ ſunt immediatè per naturam diuinam.

5 Primum fateor dixiſſe Durandum. Secundum affirmare non poſſum. Etenim Durandum per totum vidi, nec vnquàm inuenire potui in eius doctrina, quòd proceſſiones diuinæ, ſunt immediatè, & proximè per naturam diuinam. Quod ita ex eodem Durando probo.

6 In primis quidem; Quia Durandus loco ab omnibus ferè theologis poſt ipſum citato, ſcilicet in 1. diſtinc. 6.q. 2. numero ſuo 10. Poſtquàm probauit intellectum, & voluntatem non eſſe principia productionum, ſic ait; *Sed excluſis à Deo per intellectum, intellectu, & voluntate, cum omnibus actibus ſuis; Adhùc eſſet in diuinis generatio Filij, & ſpiratio Spiritus ſancti; Ita quòd, hæc ſunt in diuinis ex fœcunditate naturæ* (nota) *radicaliter; Quam fœcunditatem habet ex ſua infinitate, & non ex hoc, quòd eſt intelligens, & volens.*

7 Et ibidem in reſponſione ad 1. nu. 19. ſic ait. *Ad primum argumentum dicendum, quòd ly, natura, aliter accipitur, cum dicitur, quòd Pater, non eſt Pater natura; Et cum dicitur, quòd Pater genuit Filium natura; quia, cum dicitur, quòd Pater non eſt Pater natura, ly, natura, accipitur ibi pro eſſentia, & non pro naturali neceſſitate; Quia Pater, eſt Pater naturali neceſſitate ſummè immutabilis, ſed non eſt Pater natura, ideſt, eſſentia formaliter; Immò Paternitate, ſeu generatione actiua, quod idem eſt. Et ſic Pater, eſt Pater, quia genuit; & alio eſt Pater formaliter, ſcilicet Paternitate. Et alio eſt Deus formaliter, ſcilicet, Deitate. Sed cum dicitur, quòd Pater genuit natura, ly natura, non accipitur ibi pro eſſentia, vt priùs dictum fuit, ſed pro modo productionis naturalis.* Hæc ille.

8 Ex verbis primo loco prolatis, habes manifeſtè, quòd ſecundùm Durandum proceſſiones diuinæ ſunt ex natura diuina radicaliter; & rectè ſcis, ly radicaliter, contradiſtingui, à ly proximè, & immediatè.

Ex verbis verò ſecundo loco prolatis, non ſolùm idem habes, verumetiam, diſcuſſum, & declaratum, quòd nullo modo natura diuina in ratione naturæ in doctrina Durandi, eſt principium proximũ proceſſionum diuinarum. Nam per Durandum, Pater æternus non generat eſſentia, vel natura, ſed Paternitate.

9 Item idem Durandus in 1. diſtinc. 7.q, 2. vbi quærit, *Vtrum potentia generandi, dicat ad aliquid, vel ſolùm quid;* Et poſtquàm aliorum ſententias retulit, & reprobauit, propriam ſtatuit num. 39. & ſic ait. *Videtur ergo neceſſarium, quòd potentia generandi, quæ eſt principium quo, generans generat, ſic ſola relatio paternitatis, quæ ſola diſtinguitur ſecundùm ſuppoſitum à Filio, & Filiatione. Et hæc eſt tertia opinio, quæ ſola poteſt habere veritatem, ſecundùm ea, quæ ponit fides.* Hæc ille.

10 Itaquè ex ſententia Durandi potentia generatiua, quæ ſola eſt principium quo proximum generationis; & potentia ſpiratiua, quæ eſt principiũ quo proximum proceſſionis Spiritus ſancti, non eſt natura, ſeu eſſentia diuina in ratione eſſentiæ, & naturæ, ſed ſola relatio, quatenùs eſt diſtincta aliqua ratione, ab eſſentia, & natura diuina; & hoc omnes Doctores referentes Durandum pro opinione affirmãte proceſſiones eſſe immediatè per naturam, affirmant.

11 Item ibidem num. 42. ſic ait. *Ad dictum autem Damaſceni, poteſt dici quòd pro tantò dicit Damaſcenus, quòd generatio eſt opus naturæ, quia per eum natura communicatur, & virtute naturæ, generatio* (nota) *fundamentaliter elicitur, quia relatio, quæ immediatè actum generandi elicit, fundatur in eſſentia; Tamen, non propter hoc eſt potentia generandi; quia potentia dicit immediatum principium quo actus elicitur.* Hæc ille. Vbi expreſsè habes ibidem, quod priùs. Nam ait, quòd eſſentia, ſeu natura diuina eſt principium generationis, non proximè, ſed fundamentaliter tantùm.

12 Tandem Durandus arguens contra D. Thomæ ſententiam, quæ docet proceſſiones in diuinis eſſe per intellectum, & voluntatem, tanquam per principia, & tanquàm per actiones. Sic arguit diſtinc. 6. q. 2. num. 8. *Quia intelligere, & velle competunt omnibus perſonis in diuinis.* Quomodo ergo abſquè aperta contradictionis nota potuit attribuire naturæ, quæ eſt omnibus attributis, perſonalitatibuſquè communis, quod paulò antea intellectui, ac voluntati negauerat?

13 Nunquàm igitur Durãdus huius fuit opinionis, vt ſenſerit, proceſſiones diuinas, ſeu diuinas perſonas eſſe immediatè per naturam diuinam. Nam dicant mihi quæſo oppoſitum ſentientes, quomodo potuit Durãdus dicere, quòd proceſſiones, aut perſonalitates diuinæ ſunt immediatè per naturam diuinam? tanquàm per principium productiuum, tãquàm per actionem, an tanquàm per ſuppoſitum? Non primum, nequè ſecundum; quia per Durandum, principiũ proximum productiuum perſonæ, & actio, qua perſona producitur, eſt ſola relatio; nequè tertium; quia per Durandum, perſonalitas Patris, vt perſonalitas eſt,

Digitized by Google

eſt, non conſtituitur natura diuina, ſed relatione paternitatis. Hoc non dico, vt alijs contradicam, & Durandum excuſem. Etenim quemadmodum ipſe contra ſuum, noſtrumquè veraciſſimũ præceptorem, in multis aperto marte pugnauit; ſic quoquè eius opinionem fideliſſimè retuliſſem; vt alibi me feciſſe in libris præcedentibus & infra, clarè patet.

14 Hinc quoquè optimè conſtat, quàm vanè Doctores plura contra Durandum argumenta direxerint. Quia omnia aſſumunt, & ſupponunt, ipſum dixiſſe perſonas diuinas procedere immediatè per naturam. Inter quos, Faſolus art. 1. huius quæſtionis dubitat. 9. præcæteris oleum conſumpſit, & operam perdidit. Omnia enimverbo vnico iſta cadunt; dicendo, nego ſuppoſitum.

15 Sed quoniam Doctores non ex ſemetipſis, ſed ex verbis eiuſdem Durandi Durandum diuinas perſonas procedere immediatè per naturam affirmaſſe dixerũt, videre oportet, in quibus Durandi verbis fundati ſunt.

16 Fundantur in primis in hoc, quia Durandus in 1. diſtinc. 6. q. 2. nu. 11. ſic ait. *Licet natura Dei, ſit in Deo intelligens, & volens; ex hoc tamen, nulla fæcunditas ineſt ei ad producendum, quantumcumquè perſonam: Sed ſicut calor ignis, ſi eſſet intelligens, cauſaret caliditatem ſibi ſimilẽ, fæcunditate naturæ ſuæ, ſicut nunc facit; Nec ad hoc, aliquid cooperaretur ſuum intelligere, aut velle; Sic natura diuina, licet ſit intellegens, & volens, ex infinitate ſua habet fæcunditatem, quòd virtute eius perſona ſit à perſona, ad quam tamen, nihil intelligere, aut velle cooperatur.*

17 Verùm per hæc verba non habetur aliud niſi, quòd natura diuina non eſt fæcunda ratione intellectus, aut voluntatis, ſed ratione ſuæ infinitatis, radicaliter, & fundamentaliter, non tamen aſſerit Durandus, quòd natura diuina, vt eſſentia, & natura eſt, eſt proximum perſonæ productæ principium quo.

18 Nec exemplum de calore aliquid pro oppoſita intelligentia iuuat. Quoniam ſi calor eſſet ſubſiſtens produceret quidem calorem immediatè per ſe ipſum, tanquàm per naturam. Quoniam ſi ſupponamus calorem eſſe naturam ſubſtantialem, non poſſet agere immediatè per ſe ipſum, tanquàm per principiũ quo proximum, ſed mediante aliqua alia potentia calefactiua; Etiam ſi eſſet intelligens, & volens. Si autem ſupponamus calorem eſſe ſubſiſtentem, & ſimul dicamus eſſe potentiam ignis, ſicuti de facto eſt potentia naturæ ignis, qua, ſcilicet, ignis calefacit, dicendum eſt, quòd quando Durandus fingens dixit, ſicut calor ignis, ſi eſſet intelligens, cauſaret caliditatem ſibi ſimilem fæcunditate naturæ ſuæ, ſicut nunc facit; ly fæcunditate naturæ ſuæ, debet ſic intelligi; Fæcunditate ignis, qui eſt natura ſeu eſſentia à qua habetur manatió caloris. Calor enim non eſt natura, ſeù eſſentia, ſed eſt potentia naturæ ignis, ex cuius fæcunditate, habet vt producat quidquid ignis producere poteſt.

19 Fundãtur etiam in ijs verbis, quæ Durandus loco citato num. 4. ex Hilario lib. de ſynodis adducit, & iſta ſunt verba. *Ad oppoſitum eſt quod dicit Hilarius lib. de ſynodis, vbi dicit, quòd omnibus creaturis, ſubſtantiam, Dei voluntas attulit, Filio verò, natura dedit; Et Auguſtinus 15. de Trinitate dicit, Verbum per quod omnia facta ſunt, eſſe Filium Dei natura.*

20 Immeritò tamen, & fruſtra ſupradicta adducta ſunt verba, ex parte Durandi ad probandum, quod proceſſiones diuinarum perſonarũ ſũt immediatè per naturam diuinam, vt natura eſt. Nam Durandus ibidẽ perſpicuis explicat verbis, quòd nomine naturæ ibi non intelligitur natura pro eſſentia diuina, ſed pro modo naturæ, vt per longum idem, ibidem ſe declarat.

21 Tandem adducunt Durandum eodẽ loco, quaſi hæc verba dicentẽ num. 11. *Secundùm idèm proportionaliter competit fæcunditas creaturis, & Deo: ſed fæcunditas aliquid producendi competit creaturis, non ex hoc, quòd ſunt intelligentes, & volentes, ſed per aliquid aliud, prius, & communius, nempè, naturam, ſeu formam, in qua intellectus, & voluntas radicantur. Vnde; & virtus generandi inuenitur in rebus inanimatis, carentibus intellectu, vt in Brutis; & vbi inuenitur in rebus habentibus intellectum, vt in homine, hoc non eſt per intelligère, & velle, aut per aliquid ad hoc pertinens. Ergò ſimiliter eſt in Deo.*

22 In primis, ſi non eſt impreſſionis error, Durandus non poſuit illa uerba, quæ poſuiſſe refertur, ſcilicet, ly, *nempè naturam, ſeu formam, in qua intellectus, & voluntas radicantur*, ſunt igitur potiùs verba Faſoli explicantis verba Durandi art. 1. dubit. 9. num. 213.

23 Deinde ſupradictorum verborum ſenſus eſt, quòd fæcunditas, non prouenit ex intellectu, & ex voluntate, ſed ex natura diuina, ſeù eius infinitate, fæcundãte relationes hypoſtaticè acceptas.

24 Vbi obſerua; Quòd infinitas, ex ſententia Durandi, non eſt proximum principium quo perſonæ diuinæ producuncuntur, dicitur tamen, proxima ratio fæcundans relationes, Paternitatem, ſcilicet, & ſpirationem actiuam. Et ſenſus eſt,

Digitized by Google

eſt, quòd ratio fœcunditatis, quæ ex Durando in Paternitate, & ſpiratione actiua inuenitur, non prouenit ex intellectu diuino, aut eius voluntate, ſed ex eius natura, ſeu eius infinitate. Itaquè poſſet dici ex mente Durandi, quòd natura diuina eſt proxima ratio fœcundans; Nō quòd natura diuina ſit immediatè fœcunda, quaſi ſit per ſe in ratione naturæ principium quo proximum perſonarũ diuinarum.

CAPVT TERTIVM.

Determinatio veritatis.

25 PRO determinatione ergo veritatis, dico primo; Proceſſiones diuinæ non ſunt immediatè per naturam, ſecundum quòd natura eſt præciſè.

Hoc dictum teneo eſſe de fide omninò certum. Sed probo ratione. Quòd conuenit naturæ diuinæ, vt natura, & eſſentia eſt præciſè, cōuenit omnibus perſonis, omnibuſquè prædicatis diuinis. Ergo cuilibet prædicato diuino cōueniret proceſſio, ſeu eſſe principium quo productionis, & conſequenter, quia Spiritus ſanctus habet in ſe naturam diuinam, vt natura diuina eſt, eſſet principium alterius proceſſionis diuinę; & ſic eſſet proceſſus in infinitum, quod abſurdum eſt, & hæreticum.

26 Dico ſecundò; Proceſſiones diuinæ non ſunt immediatè per naturam diuinam, per modum principij quo proximi, quatenus præintelligitur in ſententia Durandi, antecedenter ad intellectum, & relationem ſpiratoris.

27 Explicatur præſens dictum. Natura diuina, vt natura eſt, & vt præſcindit ſecundùm noſtrum intelligendi modum, ab intellectu, & voluntate, dupliciter poteſt conſiderari in ratione naturæ; In ratione, ſcilicet naturæ quatenus, veluti præſcindit à relationibus; & quatenus poſſet conſiderari, vt connotans paternitatem, filiationem, &c. ſeu quaſi modificatur per aliquam eius relationem. Primum dictum intelligitur de natura diuina primò modò conſiderata. Secundũ verò de natura diuina ſecundò modo accepta.

28 Hoc dictum, vel eſt expreſsè, & exercitè, de fide certum; vel eſt multũ propè fidem, per hoc, quòd ab oppoſitum ſentientibus negatur, proceſſiones diuinas eſſe per intellectum & voluntatem; & probabitur authoritatibus ſequenti diſputatione referendis. Quatenus verò præſcindit ab inconuenientibus, quæ ſequuntur, per negationem proceſſionis per intellectum, & voluntatem, multi Doctores pro hoc dicto conglomerant argumenta, ſed vltra ea, etiam

29 Probatur ſic, & ſuppono cum aduerſarijs, quòd Deus ſit intelligens, & volens. Suppono inſuper quòd proceſſiones diuinæ ſunt immanentes, & intra Deum; & tandem ſuppono ad mentem aduerſariorũ, ꝙ intellectus, & voluntas in Deo aliqua ratione diſtinguuntur à natura diuina; Et ſic argumentor. Natura diuina, vt natura eſt, non eſt proximum principium intelligendi, aut volendi; Ergo neque eſt proximum principium generandi, aut ſpirandi. Antecedens debet ſupponi ab eo, qui aduerſarius eſſet. Nam accipitur natura diuina, pro vt in aliquo ſigno antecedit intellectum diuinum, eiuſquè voluntatē. Ergo natura diuina vt natura diuina eſt, non eſt proximum principium intelligendi, aut volendi? Patet conſequentia; quia proximum principium intelligendi eſt intellectus, & proximum principium volendi eſt voluntas. Ergo. Probatur autem principalis conſequentia; quia non poteſt aſſignari diſparitas, quare, ſcilicet, natura diuina, vt natura diuina eſt, vt ſit principium proximum intelligendi, non habet à ſe, ſed ab intellectu realiter diſtincto à ſe, tanquam à potentia intellectiua; & quòd natura diuina in ratione naturæ, ſit immediatũ, ac proximum principium, ſeu potentia generatiua & potentia ſpiratiua.

30 Confirmatur hoc; Quia natura diuina, vt natura eſt, non eſt potentia intellectiua, neque potentia volitiua; Aut ſic. Natura diuina, vt natura diuina eſt, non habet rationem potentiæ, in ordine ad actus eſſentiales. Ergo neque etiam habet rationem potētiæ generatiuæ, aut ſpiratiuæ in ordine ad actus notionales.

CAPVT QVARTVM.

Proponuntur argumenta in contrarium, & ſoluuntur.

31 SED contra iſtam determinationē obijciet aliquis primò; Proceſſiones diuinæ non ſunt in Deo propter neceſſitatem, aut indigentiam aliquam naturæ diuinæ, ſed ſolummodo propter fœcunditatem eiuſdem naturæ diuinæ, quæ prouenit ex eius infinitate. Ergo procedunt immediatè per naturā diuinam, vt natura diuina eſt. Patet cōſequentia; Quia infinitas diuinæ naturę, ſeu natura diuina, vt infinita eſt, eſt ſufficiens, vt immediatè per ſe ipſam ſit princi-

Digitized by Google

principium quo proximum proceſſionum ad intra. Ergo.

32 Non minus conuenit naturæ, eſſe intelligentem, quàm eſſe fæcundam; & tamen natura diuina eſt quidem intelligens, & volens, ſed non immediatè per ſe ipſam per aduerſam ſententiam; ſed mediante intellectu, & voluntate; non quia indigeat, & quaſi ſit per ſe ipsā impotens; ſed quia non eſt de ratione naturæ, vt eſſentia eſt, eſſe proximum intelligendi, aut volendi principium. Ita quoquè dicimus, quòd fæcunditas diuinæ naturæ, prouenit quidem ex ejus infinita perfectione, ac bonitate; tamen eſſe proximum proceſſionum principium, non eſt de ratione naturæ, ſed ad potentiam notionalem pertinet. Vnde,

33 Reſpondetur in forma ad argumentum, concedēdo antecedens; & negando conſequentiam; ad cuius probationem patet reſponſio; nam argumentum accipit non cauſam, vt cauſam. Etenim natura diuina ſi agit media aliqua potentia à ſe ſola ratione diſtincta, non eſt ex indigentia, quaſi ipſa ex ſe ſit impotens; ſed ex formali exigentia. Formalis enim ratio principij proximi eſt conceptus potentiæ, non autem eſſentiæ.

34 Obijciet ſecundo; Proceſſiones diuinæ ſunt in Deo propter communicationem naturæ diuinæ. Ergo ſunt immediatè per naturam diuinam.

35 Reſpondetur, diſtinguendo antecedens; Proceſſiones diuinæ ſunt in Deo propter communicationem naturæ diuinæ, media potentia communicatiua aliqua ratione diſtincta à natura, concedo antecedens. Non media aliqua potentia communicatiua, nego antecedēs. Ergo &c. nego conſequentiam.

DISPVTATIO CLV.

VTRVM PROCESSIONES DIVINÆ SINT per intellectum, & voluntatem.

In tria capita diſtributa.

CAPVT PRIMVM.

Doctorum opiniones referuntur.

1 SOLVS Durandus inter Doctores catholicos negatiuè reſpondet; Quamuis nonnulli ei videantur aſſociare Ariminenſem, in 1. diſtinc. 10. q. 1. art. 2. Durandus igitur in 1. diſtinc. 6. q. 2. non ſolùm apertiſſimè negat, perſonas diuinas, procedere à Deo per intellectum, & voluntatem, Verumetiam, ſententiam D. Thomę, quæ docet, quòd Filius producitur per intellectum, & Spiritus ſanctus per voluntatem, vocat imaginationem non bonam; ſic enim ait; *Primò excluditur imaginatio quorumdam non bona circa hoc; Et ſecundò declarabitur veritas quæſtionis. Quantùm ad primum, ſciendum, quòd quidam imaginatur, quòd Filius producatur per actum intellectus &c.* Et in margine, ſic ponitur. *Hæc imaginatio eſt Thomæ p. p. q. 27. art. 5.* [Arimin. Durand. D.Thom.]

2 Communiſſimè igitur omnes theologi firmiſſimè tenent, proceſſiones diuinas eſſe per intellectum, & voluntatem. Ita D. Thomas hìc, & art. 1. & in infinitis alijs locis. Scotus in 1. diſtinc. 2. q. 7. & diſtin. 27. q. 1. & 2. & alibi, ac tandem omnes Thomiſtæ, & Scotiſtæ, Domeſtici, & exteri. [D.Thom. Scotus.]

CAPVT SECVNDVM.

Determinatio veritatis.

3 PRO determinatione veritatis, dico breuiter. Proceſſiones diuinę ſunt per intellectum, & voluntatem; proceſſio, ſcilicet Filij per intellectum; & proceſſio Spiritus ſancti per voluntatem.

Ioan. 1. Probatur primo; quia dicitur Ioann. 1. *In principio erat Verbum; & Verbum erat apud Deum; & Deus erat Verbum: Verbum caro factum eſt*. Et idem in Apocalip. cap. 19. *habens*, inquit, *nomen ſcriptum, quod nemo nouit niſi ipſe*, & paucis interiectis, *Et vocatur nomen eius Verbum*. Et Prouerb. 8. Vocatur Filius Dei *ſapientia*. Apoc 19. Prou. 8.

4 Si dicas cum Durando loco citato nu. 18. Perſonã Filij vocari Verbum; & perſonam Spiritus ſancti vocari Amorem, non propriè, *ſed ſolùm ſecundùm quandam adaptationem*, quæ adaptatio conſiſtit in hoc; quia ſcilicet, *in imagine creata prima emanatio eſt ſecundùm intellectum; alia autẽ ſequens, in qua terminatur emanatio manens infra naturam intellectualẽ, eſt emanatio pertinẽs ad voluntatem. Illud igitur*, inquit Durandus, *quod procedit in diuinis prima emanatione*, vocatur Verbũ; quod verò procedit ſecũda emanatione, vocatur amor. Durand.

5 Contra primo ſic argumentor; Quia ex explicatione Durandi ſequeretur, quòd ex verbis Sacræ ſcripturæ abſolutè prolatis, non poſſet aliquid colligi eſſe de fide certum; nec Hæretici poſſent authoritatibus Sacræ ſcripturæ conuinci. Vnde contra negantes in hoſtia conſecrata eſſe verum corpus Chriſti, nõ poſſent verba Chriſti Domini opponi, nempè; *Hoc eſt enim corpus meum*; quia Hæretici reſponderent; ly, *corpus meum*, non accipi propriè, ſed metaphoricè; Ita vt ſenſus ſit; *Hoc eſt* quaſi *corpus meum*.

6 Contra ſecundò; Quia, nominibus vtendum eſt, vt plures vtuntur: ſed omnes per nomen Verbi diuini intelligunt conceptionem ab intellectu Patris procedentem. Ergo. Maior patet ex communi Phyloſophorum, ac Theologorum conſenſu; eaquè in Concilio Florentino collat. 15. in principio, diſertis verbis à Ioanne Latino ſic exprimitur. *Cum inter nos diuina tractari cæperit; nec debeat verborum eſſe litigium, ſed exquiſita verborum veritas*, & collat. 18. circa finem idem, ſic ait. *Nec eſt in voluntate tua violentare terminos, ſed debemus vti vt Doctores vtuntur*. Idquè conceditur quoquè à Florent.

Durando loco citato; dum ait; *Et ſic intelligenda ſunt, quæ dicũtur circa materiam iſtam de modo proceſſionis diuinarum perſonarum; id, quod volunt verba Doctorum, quæ videtur inſinuare, quòd intelligere, & velle, ſeu diligere, ſint rationes emanationum diuinarum. Hoc enim dicunt, ſolùm ſecundùm quamdam adaptationem, &c.* Itaquè Durandus putat ſuam explicationem Doctorum explicationibus eſſe conformẽ; & conſequenter, tenetur concedere maiorem, & negare minorem.

7 Probatur igitur minor, primò; Quia in Cõcilio Syrmienſi in fidei proceſſione in principio, ſic dicitur. *Et in vnigenitum eius Filium &c. Deum ex Deo, lumen ex lumine, per quem facta ſunt omnia in cælis, & in terra, viſibilia, & inuiſibilia, Verbum exiſtens, & ſapientia*. Et ibidem in canonibus. *Si quis*, inquit, *affectiuum; aut prolatiuum Verbum dixerit Dei Filium, anathema ſit*. Ex quibus verbis manifeſtè colligitur, quod Filius Dei ex mente Concilij dicitur Verbum, vt patet in primo teſtimonio. Dicitur quoquè propriè Verbum, vt ex ſecundo deducitur. Syrmienſ.

8 Et in Concilio Toletano 11. circa tempora Vitaliani Papæ, & Bambæ Regis in articulo primo de proceſſione Spiritus ſancti, ſic dicitur; *Nec enim de Patre procedit in Filium, vel de Filio procedit ad ſanctificandam creaturam, ſed ſimul ab vtriſquè proceſſiſſe monſtratur; quia charitas, ſiue ſanctitas amborum eſſe agnoſcitur*. Et ibidem art. 6. ſic dicitur. *Item idem Chriſtus in his duabus naturis, tribus extra ſubſtantijs; Verbi, quod ad ſolius Dei eſſentiam referendum eſt; corporis, & animæ, quod ad verum hominem pertinet*. Toletanũ Bamba. Vitalian.

9 Et in Concilio Conſtantinopolitano 5. in expoſitione fidei; ſic dicitur; *Vnus Deus Pater Verbi viuentis, ſapientiæ ſubſiſtentis &c. Verbum operatiuum; ſapientia cõſiſtentiæ, omnium comprehenſiua &c.* Quòd ſi, hæc particula, *Verbum*, vel hæc particula, *ſapientia*, aut, *charitas* diceretur de perſona Filij, & Spiritus ſancti, non quia propriè Filius procedat à Patre per intellectum, & Spiritus ſanctus per voluntatem, debuiſſet á Sacris Cõcilijs explicari; & inſuper, Sacra Concilia non deberent ſupradictis nominibus ad intellectum, & voluntatem pertinentibus; tam frequenter, & abſolutè vti. Conſtãtinopol. 5.

10 Vnde in Concilio Florentino nuper citato collat. 15. Ioannes Latinus, ſic ait; *Confitemur, quòd Deus non habet os, niſi per ſimilitudinem, & metaphoricè eſt locutus; quia in diuinis Scripturis, ſpiritus oris, eſt idẽ quòd procedens à Verbo*. Vbi habes, quòd habere, *os*, per ſimilitudinẽ cõuenit Deo; Florent.

Filium

Digitized by Google

Filium verò dici *Verbum*, propriè, & nõ per ſimilitudinem, & metaphoricè. Alias ſicuti dixit, quòd, *in diuinis ſcripturis, ſpiritus oris, eſt idem quòd procedens à Verbo*, non explicaſſet metaphoram, ſeù ſimilitudinem, per propria, ſed impropria, per impropria.

11 Probatur ſecundò eadem minor authoritatibus Sanctorum Patrum. Nam Sanctus Baſilius lib. 3. contra Eunomiũ; Qui etiam refertur à Ioanne Latino in Concilio Florentino, & approbatur eadem collatione 15. *Generat*, inquit, *Deus, non vt homo; ſed veraciter generat; & id, quod generatur ab eodem, eſt Verbum*. Et homilia ſuper illud Ioan. 1. *In principio erat Verbum*, paucis poſt medium interiectis, ſic ait. *Cur Verbum? vt quod ex mente procedit oſtendatur*. Et lib. 5. contra Eunomium, ſic ait. *Pater, Filij genitor; vt mens Verbi, Pater, vt potentia potentis; vt ſapiens, qui ſapientiam genuit*.

S. Baſilius. — Ioan. 1.

12 Et Sanctus Irenæus lib. 2. contra hæreſes cap. 28. ſic ait; *Ex cogitatione Verbũ emittitur; Hoc vtiquè omnes ſciunt homines*.

S. Irenæus

13 Et Sanctus Auguſtinus lib. 7. de Trinitate cap. 2. in principio, ſic ait. *Sed nõ Pater, & Filius, ſimul ambo, vnum Verbum, quia non ſimul ambo, vnus Filius. Sicut enim Filius ad Patrem refertur, non ad ſe ipſum dicitur; Ita, & Verbum ad eum cuius Verbum eſt, refertur, cum dicitur Verbum. Eò quippè Filius, quò Verbum; & eò Verbum, quò Filius*.

S. Auguſt.

14 Et lib. 15. cap. 14. ſic ait. *Nouit itaquè omnia Deus Pater in ſe ipſo; Nouit in Filio. Sed in ſe ipſo, tanquàm ſe ipſum; In Filio, tanquàm Verbum ſuum, quod eſt de his omnibus, quæ ſunt in ſe ipſo*. Et poſt nonnulla. *Atquè*, inquit, *inde, vtcumquè ſimile eſt in hoc ænigmate, illi Verbo Dei, quod etiam Deus eſt; Quoniam ſic, & hoc de noſtra naſcitur, quemadmodum, & illud de ſcientia Patris natum eſt*. Vide D. Auguſtinum eodem lib. cap. 6. vbi Spiritum ſanctum vocat, *charitatem procedentem à Patre, & Filio*. Vide etiam cap. 10. & alibi millies.

15 Idem docent Sanctus Fulgentius, lib. 3. ad Monimum, Theodoretus, in Epitome diuinorum decretorum, Damaſcenus, lib. 1. fidei cap. 18. Anſelmus, in Monologion cap. 30. Cyrillus, lib. 1. in Ioan. cap. 5. vbi ait; *Quòd Filius appellatur Verbum, ac ſapientia, quoniam ex intellectu immediatè, atquè indiuiſibiliter eſt*.

S. Fulgent. Theodor. Anſelm. Cyrillus.

16 Probatur tandem tertiò, authoritatibus omnium theologorũ acriter impugnantium, ac expellentium Durandum. Nam in primis multò ante Durandum ſic in art. 1. huius quæſtionis dixit Diuus Thomas circa corporis finem. *Non ergo accipienda eſt proceſſio, ſecundùm quòd eſt in corporalibus &c. Sed ſecundùm emanationem intelligibilem; vtpotè verbi intelligibilis à dicente, quod manet in ipſo. Et ſic fides catholica proceſſionem ponit in diuinis*. Quæ verba quaſi propheticè prompſit, Durandum monẽs nè à ſolida doctrina ſe irrationabiliter elongaret.

D. Thom.

17 Marſilius, de hac Durandi imaginatione in 1. diſtin. 10. q. 14. art. 2. hæc verba profert. *Satis differt, & diſtat à dictis ſanctorum*. Argentinas ibidem, q. vnica art. 2. *A dictis Sanctorum Doctorum videtur expreſsè deuiare*. Rada controuer. 9. art. 1. concl. 1. *non ſolùm falſam*, vocat, *ſed etiam temerariam, & fortè erroneam, in fide periculoſam*, Torres, in hac p. p. q. & ar. diſput. vnica, *falſam, periculoſam, & temerariam, ne dicam erroneam*. Bannes concl. 1. vbi ſic ait. *Primum dictum Durandi, eſt periculoſum, eſt ſatis temerarium, & meo iudicio errori proximum*. Suarez lib. 1. de Trinitate cap. 5. num. 4. *Temerariam, & errori proximam*. Zumel. diſp. 1. concl. 2. *Temerariam, & fortè erroneam*. Molina hic, diſp. 3. *Non ſolùm falſam, & temerariam; ſed etiam periculoſam in fide, immò etiã erroneam*. Arrubal, diſp. 97. num. 4. *Erroneam*. Conzalez, art. 1. diſp. 1. ſect. 3. num. 12. vbi ſic ait. *Hæc concluſio* (idest oppoſita Durando) *eſt ita certa, vt oppoſita, adminùs ſit têmeraria, & proxima errori*. Albertinus, corollario theologico. 11. ex prædicamento ad aliquid dubio 3. ſic ait. *Hæc ſecunda ſententia*, nempè oppoſita ſententia Durandi, *eſt adeo certa, vt oppoſita Durandi communiter exiſtimetur erronea; vel ſaltem errori proxima*. Becanus de proceſſionibus diuinis cap. 1. q. 2. dicit, quòd *circa hoc Durandus errat*. Et Amicus diſp. 19. ſect. 4. Durandi explicationem pluries temerariam vocat.

Marſilius. — Argent. — Rada. — Torres. — Bannes. — Suarez. — Zumel. — Molina. — Arrubal. — Conzal. — Albertin. — Becanus. — Amicus.

18 Durãdus de ſancto Porciano, & Meldenſis Epiſcopus, fuit vir, vt refert Abbas Tritthemius Spanhelmenſis in catalogo ſcriptorum Eccleſiaſticorum, *in diuinis ſcripturis ſtudioſus, & eruditus, atq; in Phyloſophia nõ infimè doctus, ingenio promptus, & clarus eloquio, declamator ſermonũ egregius, ſcriptorum Sancti Thomæ Aquinatis primò defenſor, poſtea verò acerrimus impugnator*. Non tamen eſt ille, qui fuit Epiſcopus Leodienſis. Vnde corrigo, quod de Durando ex Baronio dixi tom. 1. diſp. 53. nu. 4. fuit enim alius Durãdus, de quo Boronius illa ſcripſit; ſcilicet *Diſertiſſimus, atquè Sanctiſſimus Durandus Leodienſis Epiſcopus, qui licèt humili loco natus, tum litteris, tum moribus, nobilem ſuo tempore illuſtrauit Eccleſiã*. Huius ergo Doctoris ſpes erat, vt poſteri doctrina D. Tho. reiecta, amplecterentur ſuam. Verũ, Res nõ eo, quo voluit, fuit temporis ſucceſſione concluſa. Etenim ſententia eius communiter

Durand. Abb. Trithemius.

muniter Theologi grauibus cenſuris afficiunt, ac reijciunt; ſententiam verò D. Thomæ omnes Scholaſtici tanquam veridicam ſatis plauſibiliter amplectuntur. Dicat ergo modo Durandus, vtrū ſua, an D. Thomæ ſententia ſit *imaginatio non bona?* Hincque cæteri diſcant; quàm pernicioſum ſit proprij ingenioli phantaſia ducti, doctrinas varias, ac peregrinas proſequi, & doctrinam tanti Magiſtri de excelſis ei infuſam, derelinquere.

19 Probatur ſecundò ratione. Principiū quo proximum Filij debet eſſe viuens. Ergo debet eſſe intellectus. Conſequētia probatur; quia in diuinis non datur alia vita, niſi intellectualis; quæ eſt intellectus, aut voluntas: Sed principium quo proximum productiuum Filij, non eſt voluntas. Ergo eſt intellectus. Probatur autem antecedens; quia principiū quo proximum perſonæ Filij, eſt principium quo proximum generationis viuentium. Ergo debet eſſe viuens, ad minùs vt quo.

20 Confirmatur; De eſſentiali ratione generationis viuentium eſt, vt ſit origo viuentis, à viuente coniuncto, in ſimilitudinem naturæ eiuſdem ſpeciei, vt explicatum eſt ſupra art. 2. Ergo non ſolum id, quod generat, ſeu perſona generans debet eſſe viuens, verumetiā principium quo proximum generans generat, debet eſſe viuens; non ſolum concomitanter, verumetiam formaliter; ſed vita, quæ eſt in Deo; & in quacunque perſona diuina, non eſt niſi vita intellectualis. Ergo principium quo proximū Pater generat Filium, debet eſſe vita intellectualis. Ergo proceſſio Filij in diuinis debet eſſe neceſſario per intellectū. Maior patet; Probatur minor inductiue. Nam triplex eſt vita, niſi Durandus quartam fingat, quam teneretur exprimere, & aſſignare. Vita, ſcilicet, vegetatiua, ſenſitiua, & intellectiua; Sed Deo, non ſolum non conuenit, immò nec conuenire poteſt, vita vegetatiua, aut ſenſitiua, conuenit autem ei vita intellectiua, vt Durandus quoque cum communi catholicorum confeſſione concedit. Ergo.

21 Suppoſita præcedenti ratione tanquā bona, ac rectè probante, proceſſionem Filij eſſe per intellectum, non erit difficile probare proceſſionem Spiritus ſancti eſſe per voluntatem. Nam Spiritus ſanctus à Patre, Filioque procedit, non per intellectum. Ergo per voluntatem. Spiritus ſanctus, quamuis non ſit genitus, eſt tamen formaliter à viuente, & impulſus viuens. Ergo.

CAPVT TERTIVM.

Proponuntur argumenta in contrarium pro Durando, & diſſoluuntur.

22 SED contra iſtam determinationē obijciet aliquis primò, ex Durando in 1. diſtin. 6. q. 2. nu. 6. Intellectus, & voluntas in diuinis non poſſunt eſſe productiones perſonarum, neque principia productiua. Ergo nullo modo. Probatur antecedens quò ad primam partem tribus modis.

23 Primò ſic: *Quia productiones perſonarum ſecundùm omnes ſunt actus notionales, & non eſſentiales; ſed intelligere, & velle ſunt actus eſſentiales, & non notionales. Ergo non ſunt ipſæ productiones, vtraque propoſitionum per ſe nota eſt.*

24 *Secundò; Quia cuicumque conuenit actus per quem perſona producitur, ſibi competit producere perſonam, ad quam actus terminatur; ſicut cui competit generare, cōpetit producere Filium: ſed intelligere, & velle competunt omnibus perſonis in diuinis. Ergo ſi iſti actus eſſent productiones perſonarum, cuilibet perſonæ competeret producere Filium, etiam Spiritui ſancto. Quod eſt falſum.*

25 *Tertiò; Quia productiones perſonarum differunt realiter; ſed intelligere, & velle non differunt aliquo modo realiter, nec abſolutè, nec relatiuè. Ergo non ſunt productiones.*

26 Reſpondetur; Durandus, vt ſuam fundaret phantaſiam, multùm credidit. Vnde non curauit, quòd non poſſet aliqua ratione probari, etiam ſuaſiuè proceſſiones diuinas non eſſe, nec poſſe eſſe niſi duas dumtaxat; ſed ad fidem, ſic docentem cucurrit; & modo arguens contra communem catholicorum doctrinā exquiſita ratione naturali procedit; taliter, quòd non præbet fidei locum. Quando enim de diuinis proceſſionibus aliqualiter, humiliterque diſputamus, vtimur quidem diſcurſu naturali, ſed ſēper fide ſupernaturali informamur.

27 Pro ſolutione igitur harum trium obiectionum, eſt breuiter obſeruandum; quod quodcunque Dei prædicatum, quod aliqualem realem dicit diſtinctionem; non quidem ab eſſentia, vt ſit; ſed ab eo, cui relatiuè opponitur; non debet dici totaliter diſtinctum, ſed aliqua ex parte dumtaxat. Pono exemplum de ipſa paternitate, quæ ſecundùm omnes catholicos eſt realiter à filiatione diſtincta, non eſt in omnibus ab eadem filiatione diuerſa. Nam paternitas, ex vna parte opponitur filiationi; ſed ex altera identificatur eſſentiæ. Et idem dicimus de filiatione. Vnde dicendum

eſt,

Digitized by Google

eſt, quòd paternitas quatenùs opponitur filiationi, eſt ab ea realiter diſtincta. Ambæ tamen relationes identificantur, prout ſunt in eſſentia vnum. Ita quoquè intellectus, & intelligere, dupliciter conſiderari poſſunt; Primò, vt dicunt quid eſſentiale præcisè. Secundò, vt dicunt quid eſſentiale, per relationem aliquam veluti modificatum. Seù eſſentiale dupliciter conſiderari poteſt. Eſsētialiter, ideſt modo eſſentiali; & notionaliter, ideſt, modo notionali. Quando igitur communiter theologi dicunt, quòd intelligere, & velle ſunt productiones diuinarum perſonarum; non loquũtur de intelligere, & velle primo modo, ſed ſecundo; & per hoc omnia tria ſupradicta Durandi argumenta ruunt. Vnde in forma.

28 Reſpondetur ad primām obiectionē, concedēdo maiorē; & diſtinguendo minorem. Sed intelligere, & velle ſunt actus eſſentiales, & non notionales. Si præcisè conſiderentur, concedo minorem. Si conſiderentur per relationem aliquam modificata, nego minorem. Ergo &c. ſimiliter diſtinguendum eſt conſequens.

29 Explicatur iſta reſponſio. Intelligere, & velle non dicuntur actus notionales, quaſi ſolam explicent relationem; ſed quia dicunt actum eſſentialem, non eſſentialiter, ſeù modo eſſentiali ſed notionaliter. Multùm fecit fundamentum in maiori, quòd productiones perſonarũ ſecũdùm omnes, ſunt actus notionales: ſed dicat quæſo, ſi etiam ſecundùm omnes intelligere, & velle ſunt productiones diuinarum perſonarum, quatenùs notionaliter conſiderantur; quare reiectis omnibus, contra omnes propriam ſtabiliuit opinionem?

30 Reſpondetur ad ſecundam, concedēdo maiorem; & diſtinguendo minorem. Sed intelligere, & velle, eſſentialiter, ſeù modo eſſentiali conſiderata, competunt omnibus perſonis diuinis, concedo minorem. Sed intelligere, & velle, notionaliter, ſeù modo notionali conſiderata, competunt omnibus perſonis diuinis, nego minorem. Ergo &c. ſimiliter diſtinguendum eſt conſequens.

31 Explicatur inſuper hæc reſponſio. Quando eſt aliquod prædicatum Dei; Illudquè eſt abſolutum, dupliciter conſiderari poteſt; Ratione abſoluti; Vel ratione eius quod connotat. Connotatio eſt ratio, vt abſolutum ſit connotans. Pono ſatis apertum exemplum. Decretum Dei eſt aliquid abſolutum; non quia abſolutè conſideratum; ſed vt connotans mutationem futuram, vel præſentem, in creatura. In recto autem dicit ſolam Dei voluntatem. Dicat modò Durandus; percunctanti an videns voluntatem Dei, ſecundùm præciſam rationem voluntatis, quantùm ad totũ id, quod dicit in recto diuina voluntas; videbit nè, decretum Dei? Certè non. eò quia, diuina voluntas non habet rationem diuini decreti, niſi connotando creaturam. Ita quoquè dico Durando; quòd diuinum intelligere, ac diuinum velle, ſi præcisè conſiderentur, non ſunt diuinarum perſonarum productiones; quæ tamen ſunt, ſi conſiderentur quatenùs paternitatis, ac ſpirationis actiuæ connotant relationes.

32 Reſpondetur ad tertiam, negando maiorem; & affero manifeſtam inſtantiam. Nam in Patre æterno identificatur realiter quidquid in eo eſt; & conſequenter cum in eo ſit eſſentia, paternitatis relatio, ac relatio ſpirationis actiuæ; actualis generatio, & actualis actiua ſpiratio, omnia iſta in eo ſunt realiter vnũ. Quare non eſt verum, quòd productiones perſonarum differant realiter. Immò dico, & addo, quòd productiones perſonarum, non diſtinguuntur realiter etiam à perſonis productis quantùm ad abſolutum, quod dicunt.

33 Obijcies ſecundò ex eodem Durando num. 10. probando, quòd intelligere, & velle non ſint principia proxima diuinarum perſonarum productiua. *Illud, cuius conditio eſt oppoſita fæcunditati non poteſt eſſe principium actus, quo aliquid producitur quia omnis productio prouenit ex fæcunditate: ſed conditio actuum intelligendi, & volendi, eſt oppoſita fæcunditati.* Ergo *non poſſunt eſſe principium actuum, quibus perſonæ producuntur. Maior iam patet; ſed minor probatur; quia hæc eſt conditio actus intelligēdi, vel volendi; quòd ex ipſis nihil aliud conſtituitur, ſeù conſequitur; vt patet ex 9. Metaph. Fæcunditas autem eſt ex quo natum eſt alterũ ſequi. Ergo conditio actus intelligendi, & volendi contraria eſt fæcunditati. Patet ergo quòd intelligere, & velle non ſunt productiones perſonarum, nec principia productionum; ſed excluſis à Deo per intellectum, intellectu, & voluntate cum omnibus actibus ſuis, adhùc eſſet in diuinis generatio Filij, & ſpiratio Spiritus ſancti.* Ergo,

34 Non dicimus, fæcunditatem in diuinis prouenire tanquàm ex radice, ex intellectu, & voluntate; ſeù ex intelligere, & velle; vt videtur ſupponere Durandus, ſuppoſita opinione videlicet, quòd natura diuina non conſtituitur per intelligere; ſed cum eodem dicimus, quòd fæcunditas in diuinis radicaliter prouenit à natura diuina; idquè ex eius infinitate,

Digitized by Google

tate. Id tamen quod dicimus cum communi theologorum opinione, eſt, quòd fœcunditas naturæ diuinæ exercetur per intellectum, & voluntatem. Ita quod natura diuina, ſeù infinitas eius ſe habet vt ratio fœcundans intellectum, & volũtatem. Et intellectus diuinus eſt quidẽ fœcundus ratione fœcundantis naturæ; non verò eſt fœcunditatis radix. Et idẽ dicimus de voluntate. Hoc præmiſimus; quoniam Durandus ſententiam, quam impugnat, nõ intellexiſſe videtur; quoniam inſinuat eam dicere, ac tenere, intellectum, & voluntatem eſſe radicẽ, ſeù fundamentalem rationem fœcunditatis in diuinis. Cæterùm, argumentũ nullius eſt vigoris. Reſpondetur enim ad argumentum, concedendo maiorẽ, & negando minorem. Ad cuius probationem reſpondetur, negando maiorẽ. Ad illud autem quod ex q. metaph. adducitur, facilis eſt ſolutio. Nam ibi nõ habetur aliud, niſi quòd per actionem immanentem, non producitur aliquid extra; non autem quòd nihil ad intra producatur.

35 Obijcies tertiò, ex eodem num. 11. *Secundum idem proportionaliter competit fœcunditas creaturis, & Deo: ſed fœcunditatis aliquid producenti competit creaturis, non ex hoc, quòd ſunt intelligẽtes, & volentes, ſed per aliquid aliud prius, & communius. Ergo ſimiliter eſt in Deo, quia licet natura Dei, ſit in Deo intelligens, & volens, ex hoc tamen nulla fœcunditas ineſt ei ad producendum quantumcumquè perſonam.* Maiorem relinquit vt notam. Minor eſt clara, & ab eodem ſic declaratur; *Quia virtus generãdi aliud, inuenitur in rebus inanimatis carentibus intellectu; & vbi inuenitur in rebus habentibus intellectum, non eſt per intelligere, & velle, aut per aliquid ad hoc pertinens.*

36 Si argumentum intendit probare, quod intellectus, & voluntas in Deo nõ ſunt diuinæ fœcunditatis radix, ſed diuina natura, quatenùs ſupponitur virtualiter ab intellectu, & voluntate diſtincta, hoc vltrò concedimus: ſi autem intendit probare quòd intellectus, & voluntas neque etiam concurrant vt proxima principia, quibus fœcunditas diuinæ naturæ exercetur, nullius conſiderationis eſt argumentum; vnde in forma,

37 Reſpondetur, diſtinguendo maiorẽ. Secundùm idem proportionaliter, competit fœcunditas creaturis, & Deo, ſecluſis imperfectionibus, concedo maiorẽ; Incluſis imperfectionibus, nego maiorẽ. Ad minorem. Sed fœcunditas &c. diſtinguo minorem. Sed fœcunditas aliquid producendi competit creaturis, nõ ex hoc quòd ſunt intelligentes, & volentes, ratione imperfectæ proceſſionis concedo minorem. Ratione proceſſionis perfectæ, nego minorem. Ergo &c. nego conſequentiam.

38 Durandus magnum facit fundamentum in paritate aſſignata inter fœcunditatem naturæ diuinæ, & naturæ creatæ; vbi maxima diſparitas inuenitur. Et paritas, quę ex parte elucet, contra arguentẽ militat, & noſtram explicat veritatẽ.

39 Diſparitas maxima eſt, primò quidem; quia fœcũditas creaturę purę intellectualis, ſicuti eſt natura angelica, & anima intellectiua, non eſt ad extra, nec ad intra, ſecundùm eſſe naturale; ita quòd non datur aliquod creatum intellectuale, quod origimetur à viuente coniuncto in ſimilitudinem naturæ eiuſdem ſpeciei; non inquam, ad extra, vt inductiuè patet. Nequè ad intra. Non enim Verbum, quod procedit per intellectũ creatum, eſt natura intellectiua ſubſiſtens. Et ſimiliter, quod procedit per amorem. Eſt igitur natura creata purè intellectualis in hoc fœcunditatis genere, ſterilis, & infœcunda, ob ſuam imperfectionem.

40 Secundò; Quia ea fœcunditas, quæ in natura purè intellectuali aliqualiter inuenitur, non niſi, per intellectum & voluntatem exercetur. Etenim per intellectum producitur aliquid ad intra nempè, intellectio, & verbum. Et per volũtatem producitur amor, & impulſus.

41 Tertio; Quia fœcunditas, quæ eſt in ſenſitiuis, eſt duplex, quædam eſt ad intra; & quædam ad extra. Quæ eſt ad intra, eſt ſecundum eſſe intentionale, & accidentale, ſecundum actionem; ſcilicet, immanentem. Quæ verò eſt ad extra, non eſt per ſenſum, nequè per ſentire, quod eſt actio immanẽs; & hoc propter eius imperfectionem, vt de creatura purè intellectuali, nuper dicebamus; ſed per potentiam generatiuam, & ſeminis exciſionem. Vnde patet, quòd omnis fœcunditas in ſimilitudinem naturę eiuſdem ſpeciei, quæ in rebus creatis inuenitur, eſt ad extra. Et per conſequens, nõ poteſt fieri per intelligere, velle, & ſentire; per intellectum, voluntatem, & ſenſum, ſed per aliquam potentiam ex ſe tranſeuntem. Et quoniam fœcunditas diuinæ naturæ reſpectu diuinarum perſonarum, non eſt ad extra, ſed omninò ad intra. Ideò patet maxima, & manifeſta diſparitas.

42 Ex quibus poſſet in arguẽtem formari argumentum, ſic. Si creatura purè intellectualis, quæ eſt fœcunda in eſſe intentionali, ſterilis, & infœcunda in eſſe naturæ, eſſet vtroquè modo fœcunda, Verbum, quod produceret, atquè ex ſui

ipſius

ipſius cognitione formaret, eſſet ſubſiſtens. Et conſequenter, vtrumquè fæcunditatis actum per intellectum, eiuſquè intelligere exerceret. Ergo quare de facto natura diuina, quæ eſt fæcunda, & formaliter intellectiua, non eſt per intellectum, & voluntatem, ſuam fæcunditatem exercens?

43 Paritas autem hęc eſſe poteſt, nimirū, quòd quemadmodum natura creata intellectiua eſt fæcunda ad intra in eſſe intelligibili per intellectum, & voluntatē; ita quoquè natura diuina proportionaliter, ſed non proportionatè, eſt fæcunda ad intra, non ſolùm ſecundùm eſſe intentionale, ſed etiam ſecundùm eſſe naturale, per intelligere, & velle.

44 Item, Paritas conſiſtit in hoc, quòd ſicut creatura materialis eſt fæcunda ſecundùm eſſe naturale, media aliqua potentia ad extra, ita quoquè natura diuina eſt fæcunda ad intra, mediante aliqua potentia ad intra: ſed hæc paritas, vel officit, vel nihil proficit arguenti. Nam quòd creatura ſit fæcunda ad extra, ſecundùm eſſe naturale, & fæcunda ad intra ſecundùm eſſe intentionale, non verò ſecundùm eſſe naturale per intellectum, & voluntatem, ex eius imperfectione procedit. Sed fæcunditas diuinæ naturæ eſt ad intra, & eſt ſecundùm eſſe naturale. Ergo non implicat, vt ſit per intellectum, & voluntatem.

45 Obijcies quartò ex eodem, num. 12. *Qualis eſt ordo rei inter differentia realiter, talis eſt ordo rationis inter differentia ſecundùm rationem: ſed vbi natura intellectus, & voluntatis differunt realiter, productio eſt realiter vi naturæ, & non intellectus, vel voluntatis: Ergo ſic eſt in Deo, in quo iſta ſunt differentia ſolū ſecundùm rationem.*

46 Reſpondetur, diſtinguendo maiorē. Qualis eſt ordo rei inter differentia realiter, talis eſt ordo rationis inter differentia ſecundùm rationem, quantùm ad formalitates præcisè conſideratas, cōcedo maiorem. Quantùm ad imperfectiones conſequentes diſtinctionē realē, nō verò diſtinctionem rationis, nego maiorem. Ad minorem. Sed vbi natura intellectus, & voluntatis differunt realiter, productio eſt realiter vi naturæ, & non intellectus, vel voluntatis. Ratione imperfectionis quàm includit dicta productio, concedo minorem. Ratione formalitatis præcisè, quę conuenit fæcunditati naturæ intellectuali, nego minorem. Ergo &c. nego conſequentiā. Nam quòd productio in reb⁹ creatis nō ſit, ui intellectus, uel uoluntatis, ex imperfectionibus nuper iam dictis; nō uerò ex fæcūditatis cōceptu pręciſè procedit.

47 Obijcies quintò. Natura diuina eſt ſimpliciter infinita. Ergo agit immediatè per ſe ipſam tanquàm per principium quo proximum.

48 Supponimus, ac ſi eſſet verum, quòd natura diuina diſtinguitur virtualiter ab intellectu, & voluntate, & breuiter.

49 Reſpondemus; concedendo antecedens; & diſtinguendo conſequens. Ergo agit immediatè per ſe ipſam, id eſt nō media aliqua potētia realiter à ſe diſtincta, concedo conſequentiam. Id eſt, nō media aliqua potentia virtualiter, & ratione à ſe diſtincta, nego conſequentiā. Infinitas enim in Deo aufert omnē realem diſtinctionem, non autem ſolàm diſtinctionem virtualem; & conſequenter, non impedit mediationem & immediationem ſecundùm intelligentiæ conſiderationem.

50 Obijcies ſexto. Secundùm probabilē, vel ad minùs nō temerariā ſententiā, Potentia Dei eſt aliqua facultas ratione diſtincta ab intellectu, & voluntate Dei. Ergo nō obſtāte, quòd natura diuina ſit formaliter intelligens, & volens, poterit dari aliqua potentia generatiua, quæ ſit potentia vitalis, quæ non ſit intellectus, nequè voluntas.

51 Confirmatur; Quia ſtat vt aliena facultas ſit potentia naturæ intellectualis, & non ſit intellectus, aut voluntas. Ergo eſto Pater vt formaliter viuens, vita intellectuali producat Filium, poterit tamē hoc exerceri per aliā potentiā ab intellectu, & voluntate. Probatur antecedens; quia homo eſt naturæ intellectualis; & tamen homo generat hominem, qui eſt eiuſdem ſpeciei, ac naturæ intellectualis, non per intellectū, nequè per voluntatē, ſed per potentiam ab eis omninò diſtinctam. Ergo.

52 Reſpondetur, concedendo antecedēs, & negando conſequentiā; & ratio diſparitatis eſt; quia productio diuinarū perſonarū generatio, ſcilicet, & ſpiratio eſt intima, & in eadē natura cū natura perſonę producētis, nō autē trāſiēs. Potētia autē eſt in ordine ad terminū extra Deum, in ordine, ſcilicet, ad creaturas.

53 Ad cōfirmationē, reſpōdetur, negando antecedēs. Ad cui⁹ probationē, diſtinguo antecedens: Et tū homo generat hominē nō producēdo per ſeminalē propagationē hominis geniti intellectualitatem, cōcedo antecedēs. Producēdo intellectualitatē, nego antecedēs. Ergo &c. nego cōſequētiā. Itaq; perſonalitas, & intellectualitas hominis nō producitur per ſeminalē propagationē: At verò in diuinis producitur perſona, quę eſt viuens, vita intellectuali, ac ſpirituali &c.

QVAESTIO

QVÆSTIO XXVIII.

DE RELATIONIBVS DIVINIS:

IN QVATVOR ARTICVLOS DIVISA.

DEINDE conſiderandum eſt de relationibus diuinis.

Et circa hoc quęruntur quatuor.

¶ Primò; Vtrum in Deo ſint aliquæ relationes reales.

¶ Secundò; Vtrum illæ relationes ſint ipſa eſſētia diuina, vel extrinſecus affixę.

¶ Tertiò; Vtrum poſſint eſſe in Deo plures relationes realiter diſtinctæ ab inuicem.

¶ Quartò; De numero harum relationum.

FORMATIO ARTICVLI.

TRipartita eſt corporis diſtributio; Primò, ponit concluſionem immediatè reſponſiuam quęſito; Secūdò, pro concluſionis declaratione, ac probationis vigore duo præmittit, & obſeruat; Et tertiò ſtatuit probationem.

Quò ad primum, concluſio eſt iſta; *Relationes quędam ſunt in diuinis reales.*

Quò ad ſecundum, duo facit, primò ponit diſcrimē inter rationem propriam relationis, & propriam rationem formalitatum aliorum generum. Secundò, explicat quid ſit realis; & quid relatio rationis.

Quò ad primum, ſic ait; *Conſiderandum eſt, quòd ſolùm in his quę dicuntur ad aliquid inueniuntur aliqua ſecundùm rationem tantùm, & non ſecundùm rem. Quod non eſt in alijs generibus; quia alia genera (vt quantitas, & qualitas) ſecundùm propriam rationē ſignificant aliquid alicui inhærens; ea verò, quæ dicuntur ad aliquid, ſignificant ſecundùm propriam rationem ſolùm reſpectum ad aliud.*

Quò ad ſecundū, ſic ait; *Reſpectus aliquando eſt in ipſa natura rerum, vtpotè, quando aliquæ res ſecundùm ſuam naturam ad inuicem ordinatæ ſunt; & inuicem inclinationem habent. Et huiuſmodi relationes oportet eſſe reales. Vnde reſpectus quidam eſt in ipſo graui, reſpectu loci medij; Et ſimiliter eſt de alijs huiuſmodi. Aliquando verò, reſpectus ſignificatus* per

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum in Deo ſint aliquæ relationes reales.

AD primum ſic proceditur; videtur quod in Deo non ſint aliquæ relationes reales: dicit enim Boet. in lib. de Trinitate, quod cum quis prædicamenta in diuinam vertit prædicationem, cuncta mutantur in ſubſtantiam, quæ prædicari poſſunt, ad aliquid verò omninò non poteſt prædicari; ſed quicquid eſt realiter in Deo de ipſo prædicari poteſt: ergo relatio non eſt realiter in Deo.

2 Præterea. Dicit Boet. in eodem libro, quod ſimilis eſt relatio in Trinitate Patris ad Filium, & vtriuſque ad Spiritum ſanctum, vt eius, quod eſt idem, ad id quod eſt idem; ſed huiuſmodi relatio eſt rationis tantum, quia omnis relatio realis exigit duo extrema realiter: ergo relationes, quæ ponuntur in diuinis, non ſunt reales relationes, ſed rationis tantum.

3 Præterea. Relatio paternitatis eſt relatio principij; ſed cum dicitur, Deus eſt principium creaturarum, non importatur aliqua relatio realis, ſed rationis tantum: ergo nec paternitas in diuinis eſt relatio realis; & eadem ratione, nec aliæ relationes, quæ ponuntur ibi.

4 Præterea. Generatio in diuinis eſt ſecundum intelligibilis verbi proceſſionem; ſed relationes, quæ conſequuntur operationem intellectus, ſunt relationes rationis: ergo paternitas, & filiatio, quæ dicuntur in diuinis ſecundum generationem, ſunt relationes rationis tantum.

Sed contra eſt, quod pater non dicitur niſi à paternitate, & filius à filiatione: ſi igitur paternitas, &

Digitized by Google

per ea quæ dicuntur ad aliquid, eſt tantùm in ipſa apprehenſione rationis, conferentis vnum alteri; & tunc eſt relatio rationis tantùm; ſicut cum comparat ratio hominem animali, vt ſpeciem ad genus.

Quò ad tertium autem principale intentum, ſic concluſionem probat. *Proceſſiones in diuinis ſunt in identitate naturæ (vt oſtenſum eſt). Igitur neceſſe eſt, quòd relationes, quæ ſecundùm proceſſiones diuinas accipiuntur, ſint relationes reales.* Antecedens ſupponit oſtenſum. Probat autem conſequentiã; quia *quando aliquid procedit à principio eiuſdem naturæ, neceſſe eſt quòd ambo, ſcilicet, procedens, & id à quo procedit in eodem ordine conueniant; oportet, quòd habeant reales reſpectus adinuicem.*

Ad primum argumentum reſpondet, explicando maiorẽ. *Cum quis, prædicamenta in diuinam vertit prędicationem, cuncta mutantur in ſubſtantiam, quæ prædicari poſſunt; ad aliquid verò omninò non poteſt prædicari. Ad aliquid* ſecundùm propriam relationis rationem, *omninò non poteſt prædicari*, per modum quaſi inhærentis, concedit maiorem. Per modum ad aliud ſe habentis, negat maiorem. Similiter diſtinguenda eſt minor, & neganda eſt conſequentia; vel ſimiliter diſtinguendo conſequens.

Ad ſecundum argumentum, reſpondet, explicando maiorem. *Similis eſt relatio in Trinitate, Patris ad Filium; & vtriuſquè ad Spiritum ſanctum, vt eius quod eſt idem, ad id quod eſt idem*, quò ad fundamentum, in quo fundantur diuinæ relationes, concedit maiorem. Quò ad relata, negat maiorem; tunc conceſſa minori, negat conſequentiam. In hac forma propoſui litterę reſponſionẽ. Hæc verba non reperiuntur in textu; Benè tamen virtualiter continentur in eo. Tu lege, & accuratè conſidera.

Ad tertium argumentum reſpondet, diſtinguendo maiorem. *Relatio Paternitatis, eſt relatio principij*, in eadem natura diuina cum Filiatione, concedit maiorem. In diuerſitate naturæ, negat maiorem. Tunc conceſſa minori, negat conſequentiam. Et rationem diſparitatis aſſignat; quia creatura *procedit à Deo in diuerſitate naturæ, & proptereà Deus eſt extra ordinem totius creaturæ; nec ex eius natura eſt eius habitudo ad creaturas.*

Ad quartum argumentum reſpondet, concedendo maiorem, & diſtinguendo minorem: ſed *relationes, quæ conſequũtur operationẽ intellectus*, vt reſpectus intellectus dumtaxat, *ſunt relationes rationis*, concedit minorem: *Sed relationes, quæ conſequũtur operationem intellectus*, vt procedens, & illud à quo procedit, negat minorem. Ergo &c. negat conſequentiam.

& filiatio non ſunt in Deo realiter, ſequitur quod Deus non ſit realiter pater, aut filius, ſed ſecũdum rationem intelligentiæ tantum, quod eſt hæreſis Sabelliana.

Reſpondeo dicendum, quod relationes quædam ſunt in diuinis realiter. Ad cuius euidentiam conſiderandum eſt; quod ſolum in his, quæ dicuntur ad aliquid, inueniuntur aliqua ſecundum rationem tantum, & non ſecundum rem. Quod non eſt in alijs generibus, quia alia genera, (vt quantitas, & qualitas) ſecundum propriam rationẽ ſignificant aliquid alicui inhærens: ea verò, quæ dicuntur ad aliquid ſignificant ſecundum propriam rationem ſolum reſpectum ad aliud. Qui quidem reſpectus, aliquando eſt in ipſa natura rerum, vtpotè quando aliquæ res ſecundum ſuam naturam adinuicem ordinatæ ſunt, & inuicem inclinationem habent; & huiuſmodi relationes oportet eſſe reales. Sicut in corpore graui eſt inclinatio, & ordo ad locum medium: vnde reſpectus quidam eſt in ipſo graui reſpectus loci medij, & ſimiliter eſt de alijs huiuſmodi. Aliquando verò reſpectus ſignificatus per ea, quæ dicuntur ad aliquid, eſt tantum in ipſa apprehenſione rationis conferentis vnum alteri, & tunc eſt relatio rationis tantum. Sicut cum comparat ratio hominem animali, vt ſpeciem ad genus: cum autem aliquid procedit à principio eiuſdem naturæ, neceſſe eſt, quod ambo, ſcilicet procedens, & id à quo procedit, in eodem ordine conueniant; & ſic oportet, quod habeant reales reſpectus adinuicem: cum igitur proceſſiones in diuinis ſint in identitate naturæ,) vt oſtenſum eſt,) neceſſe eſt, quod relationes, quæ ſecundum proceſſiones diuinas accipiuntur, ſint relationes reales.

Ad primum ergo dicendum, quod ad aliquid dicitur omninò non prædicari in Deo ſecundum propriam rationem eius, quod dicitur ad aliquid; in quantum ſcilicet propria ratio eius, quod ad aliquid dicitur, non accipitur per comparationem ad illud, cui ineſt relatio, ſed per reſpectum ad alterum: non autem per hoc excludere voluit, quod relatio non eſſet in Deo, ſed quod nõ prædicaretur per modum inhærentis ſecundum propriam relationis rationem ſed magis per modum ad aliud ſe habentis.

Ad ſecundum dicendum, quod relatio, quæ importatur per hoc nomen idem, eſt relatio rationis tantum; ſi accipiatur ſimpliciter idem; quia huiuſmodi relatio non poteſt conſiſtere, niſi in quodam ordine, quem ratio adinuenit alicuius ad ſeipſum ſecundum aliquas eius duas conſiderationes. Secus autem eſt, cum dicuntur aliqua eadem eſſe non in numero, ſed in natura generis, ſiuè ſpeciei. Boet. igitur relationes, quæ ſunt in diuinis, aſſimilat relationi identitatis: non quantum ad omnia ſed quantum ad hoc ſolum, quod per huiuſmodi relationes non diuerſificatur ſubſtantia, ſicut nec per relationem identitatis.

Ad tertium dicendum, quod cum creatura procedat à Deo in diuerſitate naturæ, Deus eſt ex- tra

tra ordinem totius creaturæ, nec ex eius natura eſt eius habitudo ad creaturas. Non enim producit creaturas ex neceſſitate ſuæ naturæ ſed per intellectum, & per voluntatem, vt ſupra dictum eſt; & ideò in Deo non eſt realis relatio ad creaturas, ſed in creaturis eſt realis relatio ad Deum: quia creaturæ continentur ſub ordine diuino, & in earum natura eſt, quòd dependeant à Deo; ſed proceſſiones diuinæ ſunt in eadem natura: vnde non eſt ſimilis ratio.

Ad quartum dicendum eſt, quod relationes, quæ conſequuntur ſolam operationem intellectus, in ipſis rebus intellectis ſunt relationes rationis tantum; quia ſcilicet eas ratio adinuenit inter duas res intellectas; ſed relationes, quæ conſequuntur operationem intellectus, quæ ſunt inter verbum intellectualiter procedens, & illud à quo procedit, non ſunt relationes rationis tantum, ſed rei. quia & ipſe intellectus, & ratio eſt quædam res; & comparatur realiter ad id, quod procedit intelligibiliter, ſicut res corporalis ad id, quod procedit corporaliter; & ſic paternitas, & filiatio ſunt relationes reales in diuinis.

SVPER ARTICVLVM COMMENTARIVM.

1 CONcluſio D. Thomæ ab omnibus iudicatur de fide certa. Immo idem D. Thomas eam de fide certam nominauit. Nam in 1. ſent. ad Anibaldum diſtin. 29. q. 2. art. 1. ſic ait. *Reſpondeo dicendum, quòd ſecundùm omnes catholicos, neceſſe eſt in diuinis relationes ponere*; Et de potent. q. 8. art. 1. vbi quæ it, *vtrum relationes dicta de Deo ab æterno, quæ importantur his nominibus, Pater, & Filius, ſint relationes reales, vel rationis tãtùm*, & his reſpondet verbis. *Reſpondeo dicendum, quòd ſententiam fidei catholicæ ſequentes, oportet dicere, in diuinis, relationes reales eſſe.*

Hæc duo teſtimonia ab omnibus ferè D. Thomæ expoſitoribus ad probandum concluſionem eſſe de fide referuntur.

2 Sed aduerte, quòd in tantum D. Thomas nominat huiuſmodi concluſionem de fide certam; in quantùm ex negatione relationum realium in Deo, ſequeretur eſſe falſum, aliquod dogma ipſa fide expreſſum, non ex eo quod circa hanc concluſionem, fuerit aliqua ſpecialis fidei determinatio.

3 Hoc autem ex eo patet; quia in primo teſtimonio poſtquàm dixit, quòd *ſecundum omnes catholicos neceſſe eſt in diuinis, relationes ponere*; rationem aſſignauit, dicens; *Quia aliter, neceſſe eſt incidere in hæreſim Arrij, vel Sabellij.*

4 In ſecundò verò teſtimonio, poſtquã dixit, quòd *ſententiam fidei catholicæ ſequẽtes, oportet dicere, in diuinis, relationes reales eſſe*, ſic probat; *Ponit enim fides catholica tres perſonas in Deo vnius eſſentiæ: numerus autem omnis, aliquam diſtinctionem conſequitur. Vnde oportet, quòd in Deo ſit aliqua diſtinctio; non ſolùm reſpectu creaturarum, quæ à Deo per eſſentiam differunt; ſed etiam reſpectu alicuius in diuina eſſentia ſubſiſtentis. Hæc autem diſtinctio non poteſt eſſe ſecundùm aliquod abſolutum; quia quidquid abſolutè in diuinis prædicatur, Dei eſſentiam ſignificat. Vnde ſequeretur, quòd Perſonæ diuinæ, per eſſentiam diſtinguerentur. Quod eſt hæreſis Arrij. Relinquitur ergo, quòd per ſola relatiua, diſtinctio in diuinis perſonis attenditur &c.*

5 Vbi vides quomodo D. Thomas non dicit eſſe abſolutè de fide, quòd ſunt relationes in diuinis, ſed quatenùs ex earum deſtructione aliquid ex fide expreſſum deſtrui ſequeretur.

6 Videtur autẽ exercitè definita in Concilio Toletano 11. de proceſſione Spiritus ſancti in profeſſione fidei, vbi ſic dicitur. *Nec rectè dici poteſt, vt in vno Deo ſit Trinitas, ſed vnus Deus Trinitas. In relatiuis verò perſonarum nominibus, Pater ad Filium; Filius ad Patrem; Spiritus ſanctus ad vtroſq; refertur; quæ cum relatiuè tres perſonæ dicuntur, vna tamen natura, vel ſubſtantia creditur.*

7 Et nonnullis interiectis, ſic habetur. *Hæc ergo Sancta Trinitas, quæ vnus, & verus eſt Deus, nec recedit à numero, nec capitur numero. In relatione enim perſonarum, numerus cernitur; in diuinitatis verò ſubſtantia, quod enumeratum ſit non comprehenditur. Ergo hoc ſolo, numerum inſinuat, quòd ad inuicem ſunt, & in hoc, numero carent, quòd in ſe ſunt.*

8 Et tandem ibidem poſt multa, ſic dicitur; *Nec enim Pater abſquè Filio cognoſcitur; nec ſine Patre Filius inuenitur. Relatio quippè ipſa, vocabuli perſonalis, perſonas ſeparari vetat.* Idem habetur in Concilio Vuormacienſe, quod eſt concilium Prouinciale.

Item

Digitized by Google

Florent. Io: Lati. 9 Item in Concilio Florentino collat. 18. eloquentiſſimus Magiſter Ioannis ordinis Prædicatorum vnus ex diſputatorib⁹ ex parte latinorum §. *Dixi equidem*, ſic ait; *Sola namquè relatio apud omnes, tàm Græcos, quàm Latinos Doctores, diuina proceſſione perſonas multiplicat; ita vt, non vlla alia ratione, quàm vi relationis, Pater à Filio, ac vna perſona ab alia differant.*

10 His authoritatibus exiſtimo rectè probari, concluſionem D. Thomæ eſſe abſolutè exercitè de fide. Immò dico D. Thomæ diſcurſum, in vtroquè eiuſdem teſtimonio, eſſe omninò vnum cum cōciliorum diſcurſu, nuper poſito.

11 Innumera ſunt Sanctorum Patrum teſtimonia, quibus non ſolùm relationes reales in diuinis apertiſſimè affirmātur, verumetiam concluſio articuli de fide eſſe, manifeſtè proſpicitur. Idem quoquè communiter theologi docent.

12 *Solùm in his, quæ dicuntur ad aliquid, inueniuntur aliqua ſecundùm rationem tantùm, & non ſecundùm rem.* Non dicit, *in his, quæ ſunt* in prædicamento ad aliquid; ſed, *in his, quæ dicuntur ad aliquid*; Ad inſinuādum, quòd prædicamentum ad aliquid, non conſtituitur per relationem, vt abſtrahit à relatione reali, & à relatione rationis. Quandoquidem, non videtur hoc poſſe ſubſiſtere. Nam Ariſtoteles diuidens ens, in decem prædicamenta, loquitur de ente reali. Vnde decem prænicamenta vocantur decem genera rerum.

13 Item omnis ratio prædicamentalis dicitur vniuocè de omnibus ſibi in recta linea ſubiectis: ſed in ſententia D. Thomæ, relatio realis, & relatio rationis, non conueniunt in vna vniuoca ratione. Etenim enti reali, & enti rationis non poteſt aſſignari vnus conceptus vniuocus. Ergo. Vtrum autem relatio rationis, quæ ſecundùm nos, non conſtituit, ſeù non concurrit per ſe ad conſtitutionem prædicamenti relationis, reductiuè pertineat ad prædicamentum relationis; An potiùs conſtituat ſpeciale prædicamentum relationis rationis; ita vt duo ſint prædicamenta relationis; vnum, quod dicitur prædicamentum relationis realis, & quod dicitur prædicamentum relationis rationis alterum, ex profeſſo dicemus in logica in prædicamento relationis.

14 *Solùm in his, quæ dicuntur ad aliquid inueniuntur aliqua, ſecundùm rationem tantùm; & non ſecundùm rem.* Subaudi, quæ verè, & propriè dicuntur ad aliquid, licet non ſecundùm rem. Vnde meritò D. Thomas diuidens ens rationis, diſtribuit illud in negatiuum, priuatiuum, & relatiuum; ſolùm de relatiuo mentionem faciens, nulla alia facta de alijs aliorum generum rationibus.

15 *Quod non eſt in alijs generibus*; Ideſt in rationibus, ſeu formalitatibus aliorum generum, non limitatè ad rationem formalem generis, ſeù prædicamenti, ſed illimitatè, ſi illimitatè cætera genera accipi poſſunt.

16 *Quia alia genera (vt quantitas, & qualitas) ſecundum propriam rationem ſignificant aliquid alicui inhærens.* Exemplificat de quantitate, & qualitate, non quia in cæteris generibus non verificetur, quòd ſecundùm propriam ipſorum rationem ſignificant aliquid alicui inhærens; ſed quia in iſtis duobus generib⁹ magis emicat inhærentia, quantitas enim, & qualitas ſunt rationes magis propinquæ rationem ſubſtantiæ diſponentes; tum etiam quia, horum generum inhærentia magis ſenſu percipitur.

17 Dicet aliquis. Actio, vt actio eſt, ſecundùm propriam rationem actionis, non ſignificat aliquid alicui inhærens: ſed aliquid ab alio progrediens; actio enim, vt actio, eſt ab agente. Ergo falſum eſt, quod D. Thomas dicit, nimirū, quòd alia genera ſecūdùm propriam rationem ſignificant aliquid alicui inhærens.

18 Reſpondent aliqui, concedendo antecedens, & negando conſequentiam. Cuius rationem aſſignant; quia D. Thomas non intendit comparare rationem relationis, vt ſic omnibus alijs generib⁹, ſeù prædicamentis; ſed tantummodò duobus abſolutis, nempè, qualitati, & quantitati, quæ ſecundum propriam rationem reſpiciunt ſubiectum, quod diſponunt, extendendo, aut qualificando, &c. Nam de alijs prædicamentis eſt eadem ratio, ac de relatione.

19 Hæc reſponſio eſt multorum, ac magnorum Doctorum.

Verùm difficultatem patitur. Nam cætera prædicamenta ſecundùm propriam rationem non abſtrahunt à formalitate reali, & rationis. Quandoquidem, ſecūdùm propriam ipſorum formalitatem, etſi primariò aliqua ipſorum non ſignificent formalitates ſuas, vt alteri inhærentes, tamen aliunde realitatem explicant.

20 Hoc autem in ipſius actionis formalitate declaro, ac demonſtro; Etenim actio, vt actio prædicamentalis eſt, dicit egreſſum realem ab agente. Ergo ſecūdùm quòd formalitas actionis prædicamentalis eſt, non abſtrahit à formalitate reali, & rationis; ſed neceſſariò explicat formalitatem realem. Antecedens cō-

ceditur ab omnibus. Probo conſequẽtiam; quia nulla formalitas rationis, dicit realem egreſſum ab intellectu.

21 Reſpondeo igitur, relictis omnibus alijs dicendi modis, concedendo antecedens; & negando conſequentiam. Et ratio negationis eſt; quia D. Thomas cum dixit; *Quod non eſt in alijs generibus*, locutus eſt de omnibus alijs generibus, ſeù rationibus formalibus eorum. Cum verò ſubdit, quia *alia genera*, etiam locutus eſt de omnibus alijs generibus; non obſtante quòd exemplificauit de quantitate, & qualitate; quando verò tandẽ ſubiunxit, *ſecundùm propriam rationem ſignificant aliquid alicui inhærens*, vnũ duntaxat clariorem aſſignauit realitatis modum; ex cuius poſitione pro opportunitate materiæ reliqui cognoſcuntur. Vnde verborum D. Thomæ ſenſus eſt iſte. *Alia genera* (, *vt quantitas, & qualitas*, ſubaudi, & alia ſimilia) *ſecundum propriã rationem, ſignificant aliquid alicui inhærens*, ſubaudi, vel ab alio realiter profluẽs, &c.

22 Scio grauiſſimos Doctores aliter D. Thomam explicare; quorum tamen acuta explicatio, reſtringit, non vniuerſalizat D. Thomæ doctrinam ad ea omnia, ad quæ ſe poteſt extendere; noſtra autẽ interpretatio eam magis ampliat, & commendat. Hoc non dico, vt grauioribus reſiſtam; ſed quia D. Thomas prægnans eſt, & relinquit commentatori locum, vt diuerſis modis poſſit exponi. Sed hoc intellige, non ad libitum, atquè torquendo Angelici Præceptoris mentem, eamque falſificando, vt quidam faciunt; ſed cum fundamento.

23 *Qui quidem reſpectus, aliquando eſt in ipſa natura rerum.* Dupliciter hoc poteſt intelligi; Primò, quod reſpectus ſunt in ipſa natura rerum, ex ipſa natura rerum, ſeù exigentia naturali. Vel in ipſa natura rerum, non quidem ex naturali, & intrinſeca exigentia, ſed ex aliquo accidẽti ſuper addito; vt patet in relatione Patris ad Filium, quæ aduenit naturæ animalis ex accidentali actione generandi. D. Thomas debet interpretari vtroquè modo permiſſiuè; exemplum tamen dedit de reſpectu qui eſt in ipſa natura rerum primo modo. Vnde quando ſubiunxit, ſic; *Et huiuſmodi relationes oportet eſſe reales*, debet intelligi, non ſolùm de relationibus rerum naturas conſequentibus, verumetiam de relationibus realiter, & accidentaliter conſequentibus naturas ipſarum.

24 Vel dicendum eſt, & magis conſonè ad litteram; quod D. Thomas non explicauit òmnem realis relationis modũ; ſed relationes reales, quæ conſequũtur naturas rerum, & ſufficienter explicant relationes reales, vt contra diſtinctas à relationibus rationis.

25 *Aliquando verò, reſpectus ſignificatus per ea, quæ dicuntur ad aliquid, eſt tantùm in ipſa apprehenſione rationis conferentis vnum alteri.* Nota hæc verba, contra eos, qui dicunt dari denominationem entis rationis relatiui, etiamſi non ſit actualis intellectus apprehenſio, nequè actualis eiuſdem comparatio. Oppoſitum enim verba D. Thomæ conuincunt. Namquè per D. Thomam, reſpectus rationis ille dicitur, qui eſt tantùm in apprehenſione rationis conferentis vnum alteri. Ergo quando intellectus vnum alteri non cõfert, non poteſt dari denominatio relationis rationis.

26 *Aliquando verò reſpectus ſignificatus per ea quæ dicuntur ad aliquid, eſt tantùm in apprehenſione rationis conferentis vnum alteri.* Inſuper nota tria. Primum eſt, ly *in apprehenſione rationis*, non enim debèt intelligi pro prima intellectus operatione. Tum quia non dixit in ſimplici intelligentia, nequè in ſimplici intellectus apprehenſione; ſed *in apprehenſione*. Tum etiam quia ſimplex apprehenſio non eſt formaliter comparatiua. D. Thomàs autem loquitur de apprehenſione comparatiua, ſic enim ait, *eſt tantùm in ipſa apprehenſione rationis conferentis vnum alteri*. Intelligitur ergo pro eſſe obiectiuè in intellectu comparante.

27 Secundum eſt; quod ens rationis in via D. Thomæ non eſt niſi per fictionẽ. Nam reſpectus, qui eſt tantum in ipſa apprehenſione, ſeù obiectiuè in ipſo intellectu comparante vnum alteri, eſt fictus.

28 Tertium eſt; quòd vniuerſale logicũ non fit formaliter per ſolam abſtractionem a ſingularibus, abſquè eo quòd cõcipiatur natura ſic abſtracta, ſecundùm quod refertur ad ſingularia, vt ſuperius ad ſuum inferius. Probatur hoc; quia vniuerſale logicum formaliter acceptũ eſt formaliter ens rationis relatiuum. Ergo tunc tantùm eſt, quando ab intellectu per ordinem ad inferiora de facto concipitur.

29 *Cum igitur proceſſiones in diuinis ſint in idẽtitate naturæ, neceſſe eſt, quòd relationes, quæ ſecundùm proceſſiones diuinas accipiuntur, ſint relationes reales.* Vbi obſerua, quòd hæc ratio D. Thomæ ſupponit tria; Proceſſiones, ſcilicet, diuinarum perſonarum vnius ab alia; & in eodem ordine, ſeù in eadem natura, & aliqualem inter perſonas producentes, & procedentes relationem, & probat tantummodò ipſas relationes debere eſſe reales. & hoc denotãt

ea

Digitized by Google

ea verba, nempè, *cum igitur proceſſiones in diuinis ſint in identitate naturę, neceſſe eſt, quòd relationes, quæ ſecundùm proceſſiones diuinas accipiuntur, ſint relationes reales*. Aliàs, ſi abſolutè, & ſimpliciter relationes reales intendebat concludere nulla facta ſuppoſitione alicuius relationis inter perſonam producentem, & productam; debuiſſet concludere ſic. Neceſſe eſt igitur dari relationes in diuinis.

30 In reſponſione ad primum, *Non accipitur per comparationem ad illud, cui ineſt relatio; ſed per reſpectum ad alterum*. Sic intelligitur, *Non accipitur* intranſitiuè *per comparationem ad illud, cui ineſt relatio*; ſed tranſitiuè. Ideſt relatio ſecundùm propriam ipſius rationem, ſi eſt realis, re vera ineſt ſubiecto; Si eſt rationis intelligitur in ſubiecto, non ipſum diſponens, aut exornans, ſed ineſt, vt ipſum ad aliud referat. Et hoc intendunt D. Thomæ verba immediatè ſequentia, ſcilicet, *Non autem per hoc excludere voluit, quod relatio non eſſet in Deo; ſed quod non prędicaretur per modum inhærentis*, ſubaudi, non intranſitiuè, ſed tranſitiuè, ſecundùm propriam relationis rationem, *ſed magis per modum ad aliud ſe habentis*.

31 In reſponſione ad ſecundum, *Boetius igitur, relationes quæ ſunt in diuinis, aſſimilat relationi identitatis; non quantùm ad omnia*; & vult dicere, quòd relationes quæ ſunt in diuinis aſſimilantur relationi identitatis quò ad fundamentum; non verò quò ad relata; quoniam quando idem refertur ad ſe ipſum, illa relatio eſt relatio rationis, vt explicat D. Thomas in hac eadem reſponſione.

32 In reſponſione ad tertium. *Cum creatura procedat à Deo in diuerſitate naturæ, Deus eſt extra ordinem totius creaturæ*. Nota, quòd non eſt ratio adæquata, quare, ſcilicet, Deus non dicat relationem ad creaturas. Nam accidens, quod emanat à ſubſtantia naturali ſequela, vt ſunt potentiæ animæ, eſt diuerſæ naturæ à ſubſtantia a qua dimanat; ſed ratio adęquata eſt, quia Deus eſt ita diuerſæ naturæ à creatura, vt ſit extra ordinē totius creaturæ; & quòd ex eius natura non ſit habitudo ad creaturas; quaſi ab eis, & per eas aliqualiter perficiatur. Vnde ſubſtantia creata dicit realem relationem ad Deum à quo dependet, & ad accidēs ſuum, à quo perficitur. Et accidens ad ſubſtantiam, quam etſi perficiat informando, reſpicit, tamen eam, vt perfectiuam ſui ab ea dependendo, vt exiſtat.

33 In reſponſione ad quartum. *Relationes, quæ conſequũtur ſolam operationem intellectus, in ipſis rebus intellectis, ſunt relationes rationis tantùm*. Senſus eſt, quòd relationes, quæ ſunt in rebus intellectis, quatenùs conſequũtur ſolam operationem intellectus collatiuam vnius rei intellectæ ad aliam, ſunt relationes rationis tantùm.

34 *Ipſe intellectus, &c. comparatur realiter ad id, quod procedit intelligibiliter*. Ex quo habes, quòd ens rationis non propriè ab intellectu procedit intelligibiliter, vt effectus à cauſa effectiua, ſed vt obiectum fictum ab intellectu non realiter efficiēte, ſed realiter fingente.

DISPVTATIO CLVI.

VTRVM RELATIO IN DIVINIS DICAT PERFECTIONEM.

In tria capita diſtributa.

CAPVT PRIMVM.

Explicatur titulus.

1 NECESSE eſt, vt priùs explicetur quid ſit propriè perfectio, vt rectè præſentis diſputationis habeatur intelligētia, & reſolutio. Perfectio igitur dupliciter accipi poteſt; largè, ſcilicet, ſeù communiter; & ſtrictè, ſeù propriè. Perfectio primo modo, ſignificat cuiuſcumquè rei in ſuo proprio conceptu conplementum. In quo ſenſu omnia, quæ habent ſuam formalitatem in ſuo eſſe completo conſideratam, dicuntur perfecta. Et ſic etiam

compoſitum

compoſitum ex materia, & forma, dicitur perfectum in ratione formali totius; Omnis relatio ſubiecto inhærens, terminumquè reſpiciens; immò etiam materia prima dicitur perfecta, quatenùs in ſua eſſentia potentiali conſideratur. Et tandem, omne illud, cui nihil in ſuo eſſe formali deeſt, dicitur hoc modo perfectum. Et ſic omnes partes etiam materiales dicuntur perficere totum, ideſt complere.

3 Perfectio verò ſecundo modo, non eſt, niſi ſit actus; ſeu forma; & in hoc ſenſu intelligitur D. Thomas, quando pluriès repetit, & ait, quod omnis perfectio prouenit ab actu. Et vnumquodquè in tantum eſt perfectum, in quantũ eſt in actu.

3 Quærere igitur Vtrum relatio in diuinis dicat perfectionem, non eſt quærere de perfectione in prima acceptione. Quis enim negare poteſt, omnes relationes diuinas eſſe completè cõſtitutas, ita vt nihil illi deſit in ratione formali relationum diuinarum? Quid enim Paternitati diuinæ, in ratione Paternitatis diuinæ; quid Filiationi diuinæ; & quid proceſſioni paſſiuæ Spiritus ſancti deeſt?

4 Nullus equidem catholico nomine dignus, oppoſitum poterit affirmare. Eſt igitur quærere, Vtrum relatio in diuinis dicat perfectionem ſecundo modo; & clarius, Vtrum relatio in diuinis ex ſuo formali conceptu dicat aliquam actualitatem. Etenim ſi aliquam dicit actualitatem, euidenter deducitur iſta conſequentia. Ergo dicit aliquam perfectionem. Omnis enim actualitas quędam perfectio eſt, debita ſemper diſtributione ſeruata; ita quod, ſi actualitas eſt accidentalis, perfectio eſt accidentalis. Si ſubſtantialis, ſubſtantialis. Si relatiua, relatiua. &c. Quare contradictio eſſet, concedere diuinam relationem dicere actualitatem, & negare diuinam relationem dicere perfectionem.

5 Eſt etiam obſeruandum, quòd non quæritur in præſenti, Vtrum relatio in diuinis dicat perfectionem, ſecundùm quòd dicit, Ad, præſcindens ab ad realis, & ab ad, rationis, ab ad, creato, & ab ad, increato; quoniam non grauis, nec difficilis, ſed leuiſſima eſſet diſputatio. Eſt igitur diſputatio, Vtrum relatio in diuinis, ſecundùm quòd relatio diuina, eſt formaliter obiectiuè, non tamen ſubiectiuè, dicat perfectionem.

6 Tandem eſt obſeruandum, quòd in præſenti eſt ſermo de relatione diuina, quatenùs eſt aliquod ab eſſentia diuina, cæteriſquè eius attributis virtualiter, rationequè diſtinctum. Quoniam apud omnes certa res eſt, quòd relatio in diuinis ratione diuinæ eſſentiæ perfectionẽ dicit; quemadmodum eſſentia diuina eſt ipſa deitatis perfectio.

7 Completus igitur huius grauiſſimæ æquè, & difficillimæ diſputationis ſenſus eſt iſte. Vtrum, ſcilicet relatio in diuinis, pro vt ratione, ſeu virtualiter ab eſſentia diuina diſtinguitur, dicat aliquã actualitatem.

CAPVT SECVNDVM.

Doctorum opiniones referuntur.

8 DIVISI ſunt theologi in hac difficili diſputatione. Aliqui enim affirmant; Aliqui negant; Et aliqui probabiliter ſuſtinent vtramquè contradictionis partem.

Nam Gabriel, in 1. diſtinc. 7. q. 3. Ochamus diſtinc. 19. q. 1. Aureolus, q. 2. ar. 3. Herueus, lib. 1. ſentent. diſtinc. 2. q. 4. & tract. de relationibus q. 3. ad 10. Bacconus in 1. diſtinc. 23. q. 1. art. 1. qui probabiliter affirmatiuę parti conſentit. Bañes hic art. 2. conclu. 3. à Faſolo pro eadem ſententia refertur Petrus Fonſeca, lib. 4. metaph. q. 7. c. 2. ſect. 7. legendus eſt tamen Fonſeca. Nam ait ſic. *Si de perfectione formali loquantur* (ideſt argumenta) *quale eſt illud; ſi relationes diuinæ dicunt formaliter perfectionem, plus perfectionis eſſe in duabus perſonis, quàm in vna, &c.* concedit argumentũ; ſed ſubdit poſt pauca ſic; *Nihilo, iſta efficiunt, ſi omnes dicũt eandã omninò perfectionẽ formalẽ, & inter ſe, & cũ diuina eſſẽtia cõparatã*, & poſt pauca. *Si verò loquantur de perfectione traſcendente, cum ea nihil poſitiuum addat rebus perfectis, nullum incõmodum colligetur prædictis argumentis. Dicere enim, plus huiuſmodi perfectionis, eſſe in duabus perſonis, quàm in vna &c. nihil aliud erit, quàm dicere plures res perfectas eſſe duas, quàm vnam &c. & quamlibet perſonam, quò ad propriam, & peculiarem referendi rationem, nullum habere defectum.* Itaquè docet quod relationes diuinæ, quatenùs virtualiter ſunt ab eſſentia diuina diſtinctæ, non dicunt perfectionem formalem, ſed traſcendẽtalem tantùm, quæ per Fonſecam non conſiſtit in ſpeciali perfectione poſitiua, ſed in excluſione defectus. Ergo non eſt ita pro parte affirmatiua, vt non ſit magis pro negatiua. Suarez, lib. 3. de Trinitate cap. 9. & 10. Valentia, hic art. 2. punct. 1. ad 3. & alibi pluriès. Albertinus, Tomo 2. corollario 5. theologico ex prædicamento ad aliquid num. 6. & 7. Conzalez, hic diſpt.

Gabriel. Ocamus. Aureolus. Herueus. Baccon. Bañes. Faſolus. Fonſeca. Suarez. Valentia. Albert. Conzal.

Digitized by Google

Ayoſſa. Faſolus. Amicus. Arriaga.

diſp. 6. ſect. 1. præſertim conclu. 3. Antonius Ayoſſa, hic art, 2. diſput. 40. ſect. 1. §. 2. Faſolus, hic art. 2. dubit. 5. Amicus, diſput. 19. ſect. 8. per totam ſectionem. Et Arriaga, in 1. p. D. Tho. diſp. 49. ſect. 2. & ſubſect. 2.

Baccon.

9 Partem verò negatiuam defendunt antiquiores theologi, inter quos communiter tenebatur, quòd relatio in diuinis formaliter accepta non dicit perfectionem aliquam, ita teſtatur Bacconus, loco citato, his verbis. *Primus articulus, vbi dicitur communiter, quòd relatio formaliter accepta, non dicit perfectionem aliquam*; & re vera ſic eſt.

Scotus.

Nam Scotus, quodlib. 5. art. 1. & 2. ſic ait. *Dico ergo breuiter, quòd Paternitas, nec formaliter eſt finita, nec formaliter infinita.* Vbi loquitur de infinitate quantitatis virtutis, & perfectionis, non autem de infinitate quantitatis molis. Idem tenet in 1. diſtinc. 8. q. 4. §. *Tertia propoſitio probatur.*

Durand.

Durandus, in 1. diſtinc. 13. q. 2. nu. 26. vbi ſic ait; *Nulla relatio ſecundùm propriam rationem relationis eſt finita, vel infinita (vt aliàs efficaciter probatum eſt) & ideò vna relatio non poteſt ſic includere &c.* Et in 3. diſtin. 1. q. 3. num. 13. vbi ſic ait. *Relatio diuina non eſt infinita; eò quòd nihil poteſt habere rationem infiniti, quod non poteſt induere rationem quanti; finitum enim, & infinitum, quantitati congruunt: relatio autem nullo modo poteſt habere rationem quanti, neque ſecundùm molem; neque ſecundùm perfectionẽ &c.*

Capreol. Ferrar. Caiet.

Capreolus, in 1. diſtin. 7. q. 1. art. 2. ad 3. argumentum contra 1. concluſionẽ. Ferrarienſis, 2. contra gent. cap. 9. §. *Attendendum tamen*, prope finem. Et lib. 4. cap. 14. Caietanus, hic art. 2. in ſolutione ad 3. & quæſtione ſequenti art. 3. & de ente & eſſentia cap. 2.

Riccard. Argent. Baſſolus. Marſilius. Ciſterti. Hiſpal. Torres. Rada. Becanus. Molina.

Riccardus, in 1. diſtin. 29. art. 1. q. 3. Argentinas, diſp. 4. q. 1. art. 1. ad 11. Baſſolus, diſtin. 19. q. 1. art. 3. ad 4. Marſilius, q. 23. art. 3. Dionyſius Ciſtertienſis, diſtin. 29. q. vnica art. 3. ad 2. principale. Hiſpalenſis, diſtinc. 7. q. 1. art. 3. & 4. Torres, hìc ar. 2. diſp. 3. Rada, controuer. 27. Becanus, de relationibus diuinis q. 6. cap. 2. Molina, hìc art. 2. conclu. 4. ratione 4. & ad 2. & infra q. 42. art. 6. diſput. 2.

Bellarmi. Nazarius. Herrera. Salmant. Fonſeca.

Bellarminus, tom. 1. lib. 2. de Chriſto cap. 12. in fine; & cap. 15. §. *Ad illud pro altera.* Nazarius, hìc art. 2. controuer. 2. Herrera, art. 2. dubit. 4. conclu. 5. Salmanticenſes, tract. 6. dub. 2. num. 20. Et per ea quæ numero præcedenti diximus, pro hac eadem opinione poteſt referri Fonſeca loco citato.

CAPVT TERTIVM.

Determinatio veritatis.

10 PRO determinatione veritatis, nõ poſſum ad aliquam determinatã contradictionis partem inclinare, & alteram, vt falſam, vel improbabilem reijcere, & impugnare. Quandoquidem, vtraquè pars eſt ſuis celeberrimis patronis, authoritatibus, rationibuſquè munita. Quapropter ad vtrumquè latus oportet me vertere. Vtramquè igitur contradictionis partẽ probabilem eſſe ſuſtineo. Sed prius certa ab incertis ſeparemus. Vnde;

11 Dico primò; Relatio diuina, quatenùs dicit, ad diuinum, dicit, ad reale. Hoc dictum quibuſdam videtur contra Caietanum, ſed immeritò; quia Caietanus nil aliud intendit, niſi quod relatio diuina, quatenùs dicit, ad, præcisè conſideratum; prout, ſcilicet, analogicè abſtrahit, ab, ad, reali, & rationis, non dicit explicitè, ad reale; quod a nullo negatur.

12 Probatur igitur breuiter hoc dictũ. Omne prædicatũ diuinũ eſt reale, & dicit aliquod reale: ſed relatio diuina, pro vt dicit, ad, diuinum, eſt prædicatum diuinũ. Ergo relatio diuina, vt dicit, ad, diuinũ, dicit, ad, reale.

13 Dico ſecundò; Relatio diuina, quatenùs dicit, vel includit eſſentiam diuinam, dicit infinitam perfectionem.

Probatur; Quia eſſentia diuina ratione cuius relatio diuina dicit perfectionem, dicit ſimpliciter infinitam perfectionem. Ergo.

14 Dico tertiò; Non rectè à quibuſdam dicitur, quòd relationes diuinæ, quatenùs ab eſſentia virtualiter diſtinguũtur, dicunt perfectionem ab eſſentia diſtinctam, & hoc non obſtante, ſunt vna, eademquè perfectio.

Hoc dictum eſt contra Vaſquez.

Sed probatur. Relationes ſunt realiter diſtinctæ, inter ſe; ab eſſentia verò diſtinguuntur virtualiter, & ratione: ſed ſunt plures relationes. Ergo plures perfectiones.

15 Confirmatur; Quia plures relationes realiter inter ſe diſtinctæ, & dicentes perfectionem prout realiter diſtinctæ, nulla ratione poſſunt dici vna perfectio. Ergo ſi ſunt plures relationes, ſunt plures perfectiones. Conſequentia eſt euidens. Probo antecedens: Si eſſent vna perfectio, vel eſſent vna per identitatem; aut per integritatem; aut per compoſitionem. Non poteſt dici primum, quia ſermo eſt de re-

lationibus,

Digitized by Google

lationibus, ac de perfectionibus, ſecundùm quòd relatiua oppoſitione, adinuicem realiter opponuntur. Non ſecundum. Primò quidem, quia tres perſonę diuinæ, ac omnes relationes diuinæ non integrant vnam perſonam, aut relationem, cum vnaquæquè ſit in ſua formalitate completa: ſed quælibet relatio ſi perfectionem diceret, diceret perfectionem in ſua formalitate completam. Ergo omnes diuinarum relationum perfectiones, non dicuntur vnam integram complere perfectionem. Secundò; quia ſi perfectiones diuinarum relationum integrarent vnam perfectionem, ſequeretur, quòd diuerſæ relationes, etsi non eſſent diuerſæ totales perfectiones, eſſēt ad minùs plures perfectiones partiales: quod falſum eſt, vt præcedenti ratione, probatur.

16 Dico quartò; Relatio diuina, quatenùs virtualiter ab eſſentia diſtinguitur, non dicit perfectionem aliquam abſolutam.

Probatur. Relatio quatenùs virtualiter ab eſſentia diuina diſtinguitur, non eſt formalitas abſoluta. Ergo ſi eſt perfectio, eſt perfectio relatiua, non autem abſoluta.

17 Dico quintò. Probabilis eſt opinio, dicens, quòd relatio diuina quatenùs virtualiter ab eſſentia diuina diſtinguitur, dicit perfectionem relatiuam.

Hoc dictum à Faſolo multis D. Thomæ authoritatibus roboratur, quarum tamen quædam potiùs in Faſoli exageratione, quàm in D. Thomæ verbis habēt apparentiam.

Probatur igitur loco inſigniori pro hac materia ex D. Thoma quæſtione ſequenti art. 3. vbi quærens; *Vtrum nomen perſonæ ſit ponendum in diuinis*, ſic reſpondet, *reſpōdeo dicendum, quòd perſona ſignificat id, quod eſt perfectiſſimum in tota natura, ſcilicet, ſubſiſtens in rationali natura. Vnde cum omne illud, quod eſt perfectionis, Deo ſit attribuendū; eò quòd, eius eſſentia continet in ſe omnem perfectionem, conueniens eſt, vt hoc nomen perſona, de Deo dicatur. Non tamen eodem modo, quo dicitur de creaturis, ſed excellentiori modo.*

Quæ verba pluriès præſentis dicti intentū probare, ac manifeſtare videntur.

18 In primis enim ait, quòd *perſona ſignificat id, quod eſt perfectiſſimum in tota natura:* ſed quod ſignificat perfectiſſimum, dicit, & ſignificat perfectionem. Ergo.

19 Item, D. Thomas ex eo probat, quòd hoc nomen perſona, de Deo dicatur, quia *omne illud, quod eſt perfectionis, Deo eſt attribuendum:* ſed ſi perſona diuina non diceret perfectionem, nullus eſſet iam dictus D. Thomæ diſcurſus. Ergo.

20 Item; Quia D. Thomas ait, quòd *hoc nomen, perſona, de Deo dicitur, non eodem modo, quo dicitur de creaturis, ſed excellentiori modo:* Excellentia autem dicit perfectionem. Ergo idem eſt dicere excellentiori modo, ac perfectiori modo: ſed perſona creata dicit perfectionem. Ergo ad mentem D. Thomæ perſona increata dicit perfectionem.

21 Probatur ſecundò; (& ferè omnes probationes in doctrina D. Thomæ nuper dicta fundantur) Perſona creata dicit perfectionem. Ergo multò magis perſona Increata.

22 Probatur tertiò; Quia per D. Thomam lib. 1. ſent. diſt. 1. q. 9. Ideò perſona diuina poteſt ſupplere vicem perſonę creatæ ad terminandum naturam creatam, quia perſona diuina continet, & includit in ſe virtualiter perfectionem cuiuslibet perſonæ creatæ: ſed continere virtualiter dicit perfectionem. Ergo perſona diuina, vt perſona eſt virtualiter ab eſſentia diſtincta, dicit perfectionem.

23 Hoc argumentum tanti valoris eſt, vt Scotus, in 3. diſt. 1. q. 1. §. *Iſtud argumētum*, exiſtimans D. Thomam illius fuiſſe ſententiæ, quæ docet relationes diuinas non eſſe perfectiones ſimpliciter, in D. Thomam torſerit. Nam D. Thomas loco iam citato probat, quòd perſona diuina poteſt terminare naturam creatam, & gerere vicem perſonæ creatæ; quia perſona diuina continet, & includit in ſe virtualiter perfectionem cuiuslibet perſonæ creatæ.

24 Et ſic arguit. *Iſtud argumentum dupliciter deficit; primò ſecundùm eos, qui ſic arguunt; quia ponūt realitatem perſonalem, non eſſe perfectionem ſimpliciter: illud autem, quod eſt ratio continendi multas perfectiones virtualiter; & quantùm eſt de ſe infinitas, oportet quòd ſit perfectio ſimpliciter. Perſona autem diuina ſi contineret realitatem vnius perſonæ creatæ per idem, & infinitas; & ita entitas perſonalis eius eſſet perfectio ſimpliciter, quod ipſi negant.* Hæc ille. Quid autem dicendū ſit Scoto 3. p. ſuo loco ex profeſſo; & in hac diſputatione in reſponſionibus ad argumenta ei ſatisfaciemus.

25 Probatur quartò; Perſona Verbi diuini de facto aſſumpſit ſacratiſſimam humanitatis Chriſti naturam; & omnia eiuſdem opera & actiones, valore dignificauit ſimpliciter infinito. Ergo relatio diuina, ſeu perſona diuina, quatenùs virtualiter diſtinguitur à natura diuina, dicit propriam perfectionem. Antecedens patet. Probatur conſequentia. Quia perſona diuina Verbi habet proprium valorem, diſtinctum à valore Patris.

Digitized by Google

tris. Ergo habet propriam perfectionē, diſtinctam à perfectione Patris. Probatur antecedens; quia ſi valor ille non eſſet proprius perſonæ Verbi, non diceretur perſonam Verbi ſatisfeciſſe, atquè actiones, & opera ſacratiſſimæ humanitatis Chriſti dignificaſſe.

26 Probatur quintò; Quia pluralitas perſonarum ſeù relationum in diuinis, prouenit ex fœcunditate naturæ diuinæ. Ergo relationes, ſeù perſonalitates diuinæ dicunt perfectionem. Antecedens patet, & ab omnibus theologis vno ore conceditur. Probatur autem conſequentia; quia quod prouenit ex perfectione, debet eſſe perfectio. Ergo ſi pluralitas perſonarum, ſeù relationum, prouenit ex fœcunditate naturæ diuinæ, quæ eſt maxima perfectio, & ipſę quoque relationes erunt perfectiones.

27 Dico ſextò; Probabilis quoquè eſt ſententia, quæ docet, relationem in diuinis, nequè dicere perfectionem, nequè imperfectionem.

Probatur primò authoritate D. Thomæ infra q. 42. art. 4. vbi quærit, *Vtrum Filius ſit æqualis Patri ſecūdùm magnitudinem*; & reſpondet ſic. *Reſpondeo dicendum, quòd neceſſe eſt dicere, Filium eſſe æqualem Patri in magnitudine*. Et totam concluſionis probationem in hac propoſitione fundat, videlicet, *Magnitudo Dei non eſt aliud, quàm perfectio naturæ ipſius*. Idem repetit in reſponſione ad ſecundum, vbi ſic ait. *Ad ſecundum dicendum, quòd æqualitas attenditur ſecundùm magnitudinem; Magnitudo autem in diuinis ſignificat perfectionē naturæ, (vt dictum eſt) & ad eſſentiam pertinet*.

28 Totum hoc prædixerat ar. 1. eiuſdem quæſtionis in corpore; vbi ſic ait. *Quantitas autem in diuinis non eſt aliud, quàm eius eſſentia*. Vnde relinquitur, quòd ſi eſſet aliqua inæqualitas in diuinis perſonis, quòd non eſſet in eis vna eſſentia. Hæc ille.

29 Quidam Doctores oppoſitæ opinioni duntaxat adhærentes, præſertim Faſolus, parui faciunt hæc D. Thomæ teſtimonia. Nam, Faſolus articulo ſequēti dubit. 5. num. 124. ſic ait; *Verùm his in locis Sanctus Thomas apertè loquitur de magnitudine, dignitate, ac bonitate eſſentiali, & abſoluta*.

Verumtamen, ſupradicta D. Thomæ teſtimonia, ſunt pro præſenti dicto grauia, & clara, vt non immeritò Scotus ipſe loco ſupra citato intellexerit D. Thomam in fauorem huius dicti; & ſimiliter Capreolus, Caietanus, Ferrarienſis, & alij. Et fortaſſis ratione horum teſtimoniorum videtur D. Thomas ad hoc potiùs, quàm ad oppoſitum inclinaſſe.

30 Reſponſio autem, & explicatio Faſoli, ſic poſſet impugnari. Nam Diuus Thomas ait, quòd *quantitas in diuinis, nōn eſt aliud, quàm eius eſſentia*, vbi apertè, & adæquatè declarat, perfectionem in diuinis. Nam quantitas in diuinis non eſt niſi perfectio; cum ſit ſola quantitas virtutis, & non molis. Ergo ſi in diuinis relationes eſſent perfectiones relatiuæ, non rectè dixiſſet, quòd quantitas in diuinis non eſt aliud, quàm eius eſſentia.

31 Confirmatur hoc; Quia aliàs D. Thomas fuiſſet valde diminutus, loquens ex profeſſo de æqualitate diuinarum relationum, ſeù perſonarum, quæ non ſolùm reſpectu quantitatis, ſeu perfectionis abſolutæ, verumetiam ratione quantitatis, ſeù perfectionis relatiuæ, reſoluenda eſſet.

32 His adde, quòd D. Thomam non latuit præſentis diſputationis difficultas, Vtrum, ſcilicet, relatio in diuinis dicat perfectionem; nam art. 4. nuper citato, hoc argumentum, ad probandum, quòd *Filius non ſit æqualis Patri ſecundùm magnitudinem*, ſecundo loco proponit. *Paternitas pertinet ad dignitatem Patris: ſed Paternitas non conuenit Filio. Ergo non quidquid dignitatis habet Pater, habet Filius. Ergo non eſt æqualis Patri in magnitudine*, & huic argumento ſic reſpondet. *Ad ſecundum dicendum, quòd æqualitas attenditur ſecundùm magnitudinem: Magnitudo autem in diuinis ſignificat perfectionem naturæ, & ad eſſentiam pertinet. Et ideò, æqualitas in diuinis, & ſimilitudo ſecundùm eſſentialia attenditur; nec poteſt ſecundùm diſtinctionem relationum, inæqualitas, vel diſſimilitudo dici*, & quibuſdam interiectis, ſic ait. *Verè ergo dicitur, quòd quidquid dignitatis habet Pater, habet Filius; nec ſequitur, Paternitatem habet Pater. Ergo Paternitatem habet Filius. Mutatur enim quid, in ad aliquid. Eadem enim eſt eſſentia, & dignitas Patris, & Filij; ſed in Patre eſt ſecundùm relationem dantis; in Filio, ſecundùm relationem accipientis*. Ecce igitur, quomodo D. Thomas ex profeſſo tetigit; & optimè, breuiterquè reſoluit de diuinis relationibus; ſeù de relatiuis perfectionibus quæſtionem; dicens quod magnitudo in diuinis relationibus, & omnis ratio dignitatis earum, attenditur ſecundùm perfectionē diuinæ naturæ.

33 Vi igitur teſtimonium præfatorum dico magis Thomiſticam eſſe præſentem opinionem, quàm præcedentem.

Digitized by Google

34 Probatur ſecundò ratione; Quia ſi relatio diuina diceret perfectionem, ſequeretur, quòd vna perfectio eſſet in vna perſona diuina, quæ non eſſet in alia: ſed hoc non eſt admittendum. Ergo. Probatur ſequela; quia relatio vna eſſet in vna perſona, quæ non eſſet in alia. Ergo ſi relatio diceret perfectionem, vna perfectio eſſet in vna perſona diuina, quæ non eſſet in alia. Probatur minor primò; quia ſi vna perfectio eſſet in vna perſona, quæ non eſſet in alia; nulla perſona eſſet omnino perfecta. Nam vni perſonæ deeſſet vna perfectio, ſicut deeſſet ei vna relatio. Secundò; quia ſequeretur, quòd Pater, & Filius eſſent perfectiores Spiritu ſancto. Hoc eſt falſum. Ergo. Probatur ſequela; quia relatio in diuinis dicit perfectionem. Ergo vbi ſunt plures relationes, ibi ſunt plures relatiuæ perfectiones: ſed in Patre, & Filio ſunt plures relationes, quàm in Spirituſancto. Ergo in Patre, & Filio ſunt plures relatiuæ perfectiones: ſed qui habent plures perfectiones, ſunt perfectiores. Ergo Pater, & Filius eſſent perfectiores Spiritu ſancto.

35 Si dicatur, quòd Spiritus ſancti relatio, ſeù relatiua perfectio, tantæ perfectionis eſt, quantæ perfectionis ſunt relationes Paternitatis, & Filiationis.

36 Contra. Ergo Spiritus ſanctus ex vna parte, ſeù relatiua perfectio Spiritus ſancti, eſt perfectior perfectione relatiua Filij; & perfectione relatiua Patris, ſeorſim acceptis. Probatur iſta conſequentia; quia perfectio relatiua Spiritus ſancti eſſet duplo perfectior perfectione relatiua Filij.

37 Probatur tertiò. Si Relatio diuina diceret perfectionem, aut illa eſſet perfectio ſimpliciter infinita, aut ſecundùm quid, ſeù in genere aliquo. Neutrum dici poteſt. Ergo. Maior patet; Quia non datur medium. Probatur minor; quia non eſſet vna ſola relatiua perfectio. Ergo non eſſet ſimpliciter infinita. Antecedens patet. Probatur conſequentia; quia quod eſt ſimpliciter infinitum eſt vnum omninò. Vnde quia deitas eſt ſimpliciter infinita, eſt vna omninò. Ergo non dicit perfectionem ſimpliciter infinitam. Itèm perfectio ſecundùm quid, ſeù in genere, eſt perfectio ſimpliciter finita, & limitata: ſed ratio finiti, & limitati omninò repugnat Deo. Ergo neque dicit perfectionem ſecundùm quid, & tantummodò in aliquo genere infinitam.

CAPVT QVARTVM.

Soluuntur rationes quinti dicti pro prima ſententia, in fauorem ſexti pro ſecunda ſententia.

38 Ad primum argumentum ex authoritate D. Thomæ depromptum, reſpondetur, multipliciter loca D. Thomæ explicando. Primò quidem, cum ait, quòd *perſona ſignificat perfectionem in tota natura*, ſic explicatur; ſignificat perfectiſſimum in tota natura, arguitiuè, concedo; proximè, & formaliter, nego.

39 Senſus eſt, quòd hoc nomen perſona, ſignificat ſubſiſtentiam naturæ perfectiſſimæ, ideſt, ſupra omnes alias naturas, ſubſtantiam, ſcilicet, naturæ intellectualis. Nam perſona, & ſuppoſitum non in alio diſtinguuntur, niſi quia perſona dicit ſuppoſitum naturæ intellectualis. Vnde Boetius definiuit perſonã, quòd ſit rationalis naturæ indiuidua ſubſtantia. Dicere ergo, quòd perſona ſignificat perfectiſſimum in tota natura, eſt dicere, quod perſona ſignificat ſubſiſtentiam naturæ intellectualis, quæ in tota naturarum latitudine eſt omniũ perfectiſſima.

40 Secũdò, explicatur ſic. *Perſona ſignificat perfectiſſimũ in tota natura*; quantũ ad ſubſiſtentiam abſolutã, quam dicit, vel neceſſario includit, concedo; quantùm ad incommunicabilitatem & ſubſiſtentiam relatiuam, nego. D. Thomas locutus eſt in primo ſenſu, non autem in ſecundo: Magis tamen placet prima explicatio.

41 Et per idem patet ad exagerationem ſecundæ propoſitionis D. Thomæ, nimirùm, omne illud, quod ſit perfectionis eſt Deo attribuendum. Nam hoc nomen, perſona, arguit perfectiſſimam naturam, ideſt dicit ſubſiſtentiam naturæ intellectualis.

42 Tandem, perſona diuina dupliciter conſiderari poteſt, per modum ſimplicitatis, ſcilicet, & per modum compoſitionis (ſeclußis ſemper imperfectionibus, & hoc infra declarabimus) ſi primo modo, dicit ſolam relationem virtualiter, & ratione ab eſſentia diſtinctam. Si ſecundo modo, dicit eſſentiam ſimul cum relatione. Si primo modo, perſona dicit maximam perfectionem immediatè, & non arguitiuè, ſed ratione eſſentiæ, & ſubſiſtentiæ abſolutæ; Non ratione relationis, ſeù ſubſiſtentiæ relatiuæ.

Si

Digitized by Google

Si verò ſecundo modo, perſona dicit quid perfectiſſimum arguitiuè, vt dixi, non formaliter, & proximè.

43 Ad tertium locum patet per idem; Nam perſona eſt in Deo excellentiori modo, quàm dicatur de creaturis. Excellentiori inquam, modo, non comparatiuè, ſed incomparabiliter. Verùm, hoc non eſt, quia perſona primò, & per ſe quatenùs perſonalitatem explicat, dicat perfectionem, ſed quia arguit maximam perfectionem, ſeù excellentiſſimũ perſonandi modum. Quæ modi excellentia conſiſtit in hoc, nempè, quòd perſonalitatis multiplicatio in diuinis prouenit ex fœcunditate naturæ diuinæ; & quòd perſonalitas, ſeù tres perſonalitates diuinæ ſunt cum diuina natura realiter identificata. Et ſic intelligitur D. Thomas cum ait, quòd *perſona excellentiori modo &c.*

44 Obijciet aliquis contra hunc reſpondendi modum. Quicquid formaliter conuenit perfectiſſimo, identificatur perfectiſſimo, vel petit identificari perfectiſſimo, debet eſſe perfectio: ſed hoc nomen perſona, ſub explicita ratione perſonalitatis, conuenit perfectiſſimo, identificatur perfectiſſimo, petit identificari perfectiſſimo, nempè, Deo. Ergo hoc nomen perſona, eſt perfectio.

45 Reſpondetur, concedendo totum argumentum, vt iacet. Nam in hac diſputatione, & in alijs ſimilibus debent tàm arguentes, quàm reſpondentes aduertere, ꝙ non diſputamus in præſenti, Vtrum relatio diuina ſit perfectio; ſed cum multa cautela, & hac præciſione, Vtrum relatio diuina, quatenùs eſt ratione, & virtualiter ab eſſentia diuina diſtincta, dicat aliquam perfectionem ratione diſtinctam à perfectione eſſentiæ. Nam in ſenſu identico, qui explicatur per ly, eſt, clarum eſt, quòd relatio diuina ſit perfectio. Omnis enim relatio diuina eſt eſſentia diuina. Eſſentia diuina eſt perfectio. Ergo rèlatio diuina eſt perfectio.

46 Quòd ſi inſtantia, terminos mutet, ſic dicens, *quòd identificatur perfectiſſimo &c. dicit perfectionem.*

47 Reſpondendum eſt, vt ſupra, diſtinguendo maiorem; dicit perfectionem arguitiuè, concedo. Dicit perfectionem formaliter, & explicitè nego.

Vide D. Thomam de potent. q. 1. art. 1. ad 2. vbi ſic ait. *Ad ſecundum dicendum, quòd licet omne perfectiſſimum ſit Deo attribuendum, non tamen oportet, quòd omne illud, quod Deo attribuitur, ſit perfectiſſimum; ſed oportet, quòd ſit conueniens ad deſignationem perfectiſſimi.*

48 Vbi aduerte, quòd quamuis D. Thomas dicat, *non oportet, quòd illud, quod Deo attribuitur ſit perfectiſſimum*, non loquitur in ſenſu identico, ſed formali, vt patet ex modo loquendi. Sic igitur ego in præſenti dico, quòd quamuis relatio diuina ex ſuo explicito, ac formali conceptu non dicat perfectionem, arguit tamẽ maximã Dei perfectionem, ſeù diſignat perfectionem perfectiſſimi, id eſt, naturam intellectualem per eſſentiam, ac fœcunditatem eius.

49 Ad ſecundum argumentum reſpondetur, diſtinguendo antecedens. Perſona creata dicit perfectionem, quatenùs arguit naturam intellectualem, & dicit ſubſiſtentiam abſolutam, concedo antecedens. Quatenus dicit incommunicabilitatem ſubſiſtentiæ, nego antecedens. Ergo &c. nego conſequentiam, vel ſimiliter diſtinguendum eſt conſequens.

50 Contra. Perſona creata, vel eſt perſona per eſſentiam, vel per participationem. Non primum, vt patet. Ergo, ſecundum. Tunc ſic. Perſona creata eſt perſona per participationem. Ergo eſt talis per participationem à perſona per eſſentiam. Ergo eius ſubſiſtentia, eſt per participationem à ſubſiſtentia perſonæ increatæ: ſed perſona creata ratione ſubſiſtentiæ, quam per ſe primò dicit, dicit perfectionem. Ergo multò magis perſona increata ratione ſuæ propriæ ſubſiſtentiæ dicit perfectiònem.

51 Si in diuinis eſſet vna ſola perſona, optimè curreret argumentum, ſed non eſſemus in caſu; quia perſonalitas diuina non eſſet relatio, ſed formalitas abſoluta; ſed quia ſunt tres perſonalitates diuinæ; non quidem abſolutæ, ſed ſolùm relatiuæ; ideò fluctuat argumentum, & plus tenetur reſpondere arguens, quàm reſpondens. Sic enim in arguentem retorqueo argumentum. Perſonalitas creata eſt perſonalitas per participationem. Ergo per participationem à perſonalitate per eſſentiam. Tunc vltra. Sunt tres perſonalitates in diuinis; perſonalitas Patris, Filij, & Spiritus ſancti; & omnes tres ſunt perſonalitates per eſſentiam; Perſonalitas creata V.G. Petri, participaret perſonalitatem Patris; Perſonalitatem Filij; an perſonalitatem Spiritus ſancti; an verò omnes tres perſonalitates ſimul. Non poteſt dici, quòd participaret perſonalitatem Patris, & non Filij; aut Spiritus ſancti; quia cum omnes tres perſonæ coæternæ ſibi ſint, & coæquales, non eſt maior ratio, quare perſonalitas Patris ſit participabilis magis à perſonalitate Petri, quàm perſonalitas Filij, aut Spiritus ſancti, aut è contra,

tra, vnam perſonalitatem alteri comparando. Neque poteſt dici, quòd participaret omnes tres perſonalitates ſimul. Nam, ſi participaret omnes tres perſonalitates, quantùm ad ſibi propria participare deberet: ſed hoc eſt falſum. Ergo. Maior patet. Probatur minor; quia non apparet in quo perſonalitas Petri participet perſonalitatem Patris, Filij, & Spiritus ſancti.

52 Reſpondetur igitur ad inſtantiam; quòd perſona creata eſt perſona per participationem imperfectam à ſubſiſtentia abſoluta Dei, non vero per participationem à perſonalitate diuina. Et ratio eſt, quia ſubſiſtentia creata eſt abſoluta. Ergo non poteſt participari à ſubſiſtentia increata relatiua; dicitur verò perſona ſubſiſtētia creata, per hoc, quòd imperfectè participat ſubſiſtentiam abſolutam; id eſt non participat ſubſiſtentiam abſolutam, cum communicabilitate, ſed cum incommunicabilitate. Vnde perſona creata eſt participatio ſubſiſtentię abſolutę abſque participatione communicabilitatis eius.

53 Diuinę verò perſonalitates, quę ſunt relationes, participantur quidem à creaturis; non quidem ratione ſubſiſtentię relatiuę, ſed ratione relationis; vnde relatio paternitatis creatæ eſt participatio perſonalitatis Patris, ſed nō quò ad omne perſonalitatis complementum, ſed ſolùm quò ad relationem paternitatis. Similiter dicēdum eſt de filiatione creata reſpectu perſonalitatis relatiuę Filij, & de impulſu per voluntatem creatam producto reſpectu perſonalitatis relatiuę Spiritus ſancti.

54 Ad tertium reſpondetur, explicando maiorem. Per D. Thomam lib. 1. ſent. diſt. 1. q. 9. Ideò perſona diuina poteſt ſupplere vicem perſonæ creatæ ad terminandum naturam creatam, quia perſona diuina continet, & includit in ſe virtualiter &c. Ratione infinitatis naturæ cum qua identificatur, concedo maiorem. Ratione infinitatis propriæ, nego maiorem; tunc conceſſā minori, ſimiliter diſtinguendum eſt conſequens. Sed aduerte, quòd maior vt iacet, non habetur in D. Thomā. Tantummodo in 3. p. & alibi docet, quòd perſona diuina poteſt aſſumere naturam creatam, quia eſt perſona infinita, & intelligi debet de infinitate naturæ identificatæ cum perſona, cuius infinitas eſt conditio, quare perſona diuina poſſit aſſumere naturam creatam. Vide Aluarez 3. p. q. 3. art.

55 Ad quartum reſpondetur, concedendo antecedens; & negando conſequentiam; ad cuius probationem, diſtinguo antecedens. Perſona diuina Verbi habet proprium valorem diſtinctū connotatiuè, à valore Patris, concedo antecedens. Habet proprium valorem diſtinctum realiter, à valore Patris, nego antecedens. Ergo &c. nego conſequentiam; vel ſimiliter diſtinguendum eſt conſequens. Ad probationem, nego ſequelam. Nam quemadmodum natura diuina, quæ ſecundùm ſe eſt toti Trinitati communis; tamen quatenùs connotat relationem paternitatis, dicitur conſtituere perſonam Patris, non verò perſonam Filij, aut Spiritus ſancti. Et ſimiliter, quatenùs connotat relationem Filiationis, conſtituit perſonam Filij, non verò Patris, & Spiritus ſancti, &c. Item eſſentia diuina prout eſt intellectus diuinus, ſecundùm ſe, eſt toti Trinitati communis; pro vt verò connotat relationē paternitatis, eſt potentia generatiua.

56 Ad quintum reſpondetur, concedendo antecedens, & diſtinguendo conſequens. Ergo relationes, ſeù perſonalitates diuinæ dicunt perfectionem arguitiuè, & implicitè, cōcedo conſequentiā; formaliter, & explicitè, nego conſequētiam. Ad cuius probationem, diſtinguo antecedens. Quod prouenit ex perfectione, debet eſſe perfectio explicitè, vel implicitè, concedo antecedens. Semper explicitè, nego antecedens. Ergo &c. ſimiliter diſtinguendum eſt conſequens.

57 Ex ſupradictis patet reſponſionis explicatio. Nam non dicimus iuxta dictum, quod in capite præſenti defendimus, quòd relatio diuina non ſit perfectio. Nam relatio diuina eſt eſſentia diuina. Diuina autem eſſentia eſt ipſamet ſimpliciter infinita perfectio. Id quod dicimus eſt, quòd relatio diuina, quatenùs virtualiter, & ratione ab eſſentia diuina diſtinguitur, non dicit, ſeù ſpecialem non explicat perfectionem, perfectioni eſſentiæ diuinæ ſuperadditam; quemadmodum præter actualitatē abſolutam, non dantur aliæ actualitates relatiuæ, ſed tantummodo concedendum eſt, dari in diuinis tres ſubſiſtentias relatiuas, ſeù tres terminos vnius actualitatis abſolutæ.

CAPVT QVINTVM.

Soluuntur rationes ſexti dicti pro ſecunda ſententia, in fauorem quinti pro prima ſententia.

58 AD primum argumentum ex authoritate D. Thomę de promptum reſpondetur, explicando D. Thomam, de perfectione, ſeù magnitudine,

Digitized by Google

gnitudine, ſimpliciter, & abſolutè accepta, non verò de magnitudine, ſeù perfectione relatiuè dicta. Ratio autem huius explicationis eſt, quia ſemel admiſſo quòd in diuinis datur æqualitas ratione magnitudinis abſolutæ, nulla remanet de diuinarum perſonarum æqualitate, vel inæqualitate ratione relatiuæ perfectionis, ſeù relatiuæ perfectionis, difficultas.

59 Cuius quidem ratio eſt; Quia ſuppoſito quòd in diuinis ſit vna dumtaxat abſoluta perfectio, nulla ratione ſequeretur, quòd perſonæ diuinæ non eſſent æquales. Eò quia, licet Pater, ſeù paternitas, quæ eſt vna relatiua perfectio, nō ſit realiter relatio filiationis, aut proceſſionis paſſiuæ, quatenùs ad inuicem opponuntur, tamen paternitas eſt eſſentia, ſeù eſt id, quod eſt paternitas, filiatio, & paſſiua proceſſio. Et hac ratione D. Thomas ſollicitus fuit diffinire perfectionem ſimplicem, & abſolutam, nullam faciens de perfectione relatiua explicitè mentionem.

60 Ad ſecundum reſpondetur, diſtinguēdo ſequelam. Si relatio diuina diceret perfectionem, ſequeretur, quòd vna perfectio eſſet in vna perſona diuina, quę non eſſet in alia; & alias vna relatio diuina eſſet eſſentia diuina, ſeù illud, quod eſt omnis relatio, ſeù relatiua perfectio diuina, concedo ſequelam. Et aliàs, vna relatio diuina non eſſet eſſentia diuina, ſeù illud, quod eſt omnis relatio, ſeù omnis relatiua perfectio, nego ſequelam. Ergo, &c. nego conſequentiam. Et per idem patet ad omnem probationem.

61 Quidam Theologi aliter huic reſpondent argumento, dicentes; quòd vna relatio diuina, etſi realiter ab alia diſtinguatur; & conſequenter, vna relatio ſit realiter diſtincta relatiua perfectio ab alia relatione; tamen, vna perfectio relatiua, æquipollet alteri, vt reſponſum eſt ſupra num. 35.

62 Sed hæc reſpoſio non placet, vt benè probat impugnatio allata num. 36.

Alij verò reſpondēt, dicentes, quòd in qualibet perſona diuina ſunt omnes relationes diuinæ in ratione perfectionis; non tamen in ratione denominationis.

63 Et ſenſus eſt, quòd in Patre, V. G. eſt relatio paternitatis, filiationis, & proceſſionis paſſiuæ, in ratione ornamenti, & perfectionis; non tamen omnes denominant perſonam Patris; ſed ſola paternitatis relatio denominat perſonam Patris &c.

64 Quando verò eis obijcitur, quòd ſicut paternitatis relatio denominat Patrem; relatio filiationis Filium; & relatio proceſſionis paſſiuæ Spiritum ſanctum: ſed Pater non dicitur Filius, neque Spiritus Sanctus. Ergo Pater non habet in ſe relationes filiationis, & proceſſionis paſſiuæ.

65 Reſpondetur, maiorem eſſe veram, quando perſona eſt capax illius denominationis; quando verò eſt incapax, habet quidem relationem, vt perfectio eſt, non autem vt denominans eſt.

66 Et hoc, ne gratis videantur aſſerere, adducunt exemplum. Nam actio tranſiens in opinione probabili eſt ſubiectiuè in patiente, non verò in agente; & tamen non denominat patiens agens; & hoc, quia ſubiectum non eſt talis denominationis capax.

Item alia ponunt exempla, ſic dicentes, ſi viſio poneretur in lapide non denominaretur videns, propter incapacitatem ſubiecti. Et ſi vnio hypoſtatica poneretur in bruto, non denominaretur illud ſanctum, & gratum, propter incapacitatem ſubiecti. Et gratia habitualis poſita in Chriſto Domino, nō denominat illum, Filium adoptiuum; quia eſt incapax talis effectus formalis, propter filiationem naturalem, quam habet; ſic in propoſito dicunt, licet Filiatio ſit in Patre, non tamen prębet illi denominationem Filij, nec conſtituit illum Filium; Quia Pater eſt incapax huius denominationis, & effectus formalis.

67 Nec ſolùm ſupradicta, & alia adducūt exempla, verumetiam authoritatibus ſacræ Scripturæ confirmant. Nam dicitur Matth. ij. *Omnia mihi tradita ſunt à Patre meo:* Et Ioan. 16. *Omnia quæcumque habet Pater, mea ſunt;* Et cap. 17. *Mea omnia tua ſunt, & tua mea.*

Ita quidam valde pauci; Et vnus ex meis Præceptoribus, Neapoli circa annum Domini 1619. cū eſsē ibi ſtudiorū cauſa.

68 Hic tamen dicendi modus nunquàm mihi placuit; ſicut re vera nec placere debet, nec poteſt.

Et contra ſic argumentor primò; quia, alia neceſſitas non eſt, niſi vt rectè probabiliterquè ſoluatur argumentum, quod per reſponſionem nuper præfatā, remanet pulchrè ſolutum. Quare fruſtra tot intricationibus Chriſtianorum, ac theologorum implicantur ingenia.

69 Secundò; Quia in Concilio Florentino determinatur, quòd Pater æternus omnia communicauit Filio, præter hoc, quod eſt eſſe Patrem. Ergo Paternitas non communicata eſt Filio.

70 Tertiò; Perſona diuina non eſt aliud, quàm relatio ſubſiſtens. Ergo idem eſt dicere, eſt paternitas, ſeù relatio paternitatis,

tatis, ac ſubſiſtentia relatiua. Tunc ſic; Si eſſet bonus, & verus præfatus dicendi modus, neceſſe eſſet incidere in hæreſim Sabellij, hoc non eſt ſufferendum. Ergo. Antecedens patet; quia perſonæ diuinæ ſecundùm ſententiā D. Thomæ conſtituuntur relationibus; Ergo perſona diuina non eſt aliud, quàm relatio ſubſiſtens. Probo verò ſequelam; quia relatio diuina, quæ eſt ipſa ſubſiſtentia relatiua, & formaliſſimè ipſa perſona diuina eſt in ratione perfectionis relatiuæ identificata cum omni alia relatione diuina. Ergo eſſet vna dumtaxat in deitate perſona. Patet iſta conſequentia; quia omnes relationes diuinæ, quę ſecundum proprium conceptum dicunt perfectionem relatiuam à perfectione eſſentiæ diſtinctam, ſunt vna realis perfectio.

71 Quartò; Quia quādo aliqua ſunt realiter, & formaliter idem, idest, ſecundū rem, & ſecundùm rationem, quod prædicatur de vno, prædicatur quoquè de alio; & è contra, & quod negatur de vno, negatur quoquè de alio; & è contra; & multiplicato vno multiplicatur aliud; & è contra; quemadmodum, quod conuenit homini ſecundùm propriam, & vltimam differentiam hominis, in quantùm homo eſt, conuenit quoquè rationali, quod conuenit homini, vt vltima eius differentia: ſed iuxta præfatum reſpondendi modum conuenit relationi diuinæ ſecundùm propriam, & vltimam differentiam eius, dicere perfectionem relatiuam; & aliàs, relationes diuinæ in ratione perfectionis, & ornatus, omnes in vna eademquè perſona diuina ſunt realiter identificatæ. Ergo ſunt vna relatio ſubſiſtens. Ergo vna perſona. Ergo vana eſt illa diſtinctio de relatione diuina in ratione perfectionis, & in ratione conſtitutiui; ſeù perfectiuè; & conſtitutiuè.

72 Quintò; Quia id, per quod aliquid realiter relatiuè opponitur alteri, non poteſt illi realiter identificari: ſed Pater in diuinis realiter relatiuè opponitur Filio Paternitate; & Filius realiter relatiuè opponitur Patri Filiatione. Ergo nullo modo paternitas, & filiatio poſſunt in ratione relatiua realiter identificari. Nequè etiam in ratione perfectionis relatiuæ.

73 Tandem. Paternitas V. G. quatenùs eſt relatio conſtitutiua perſonæ Patris, eſt formaliſſimè perfectio relatiua iuxta hunc reſpondendi modum. Idem dicendum de relatione filiationis, & de relatione proceſſionis paſſiuæ. Ergo ſi omnes relationes diuinæ in ratione perfectionis relatiuæ ſunt identicè in vna, eademquè perſona, ſunt quoquè in ea conſtitutiuè; vel recurreret principale argumentum. Prima pars conſequentiæ ex antecedenti patet; probatur verò ſecunda; quia relatio paternitatis V. G. vt formaliter conſtitutiua perſonæ Patris, dicit formaliter, & explicitè perfectionem: ſed vt conſtitutiua perſonæ Patris, eſt tantùm in Patre; ſimiliter Filiatio, vt conſtitutiua perſonæ Filij, eſt tantùm in Filio; ſpiratio paſſiua vt conſtitutiua perſonæ Spiritus ſancti, eſt tantū in Spiritu ſancto. Ergo vna perfectio eſſet in Patre, quæ non eſſet in Filio, nequè in Spiritu ſancto; vel adminus vnus perfectionis modus eſſet in Patre, qui nō eſſet in Filio, nequè in Spiritu ſancto.

74 Exempla autem pro ſupradicto dicēdi modo adducta, non ſolùm non ſuadent intentum, ſed etiam nulla ſunt.

75 Et in primis concedo, quòd actio trāſiens ſit ſubiectiuè in patiente, non verò in agente. Verùm, eo ipſo quòd ſubiectatur in patiente, non poteſt per eam ſubiectum, vt ſubiectum denominari agens, ſed patiens. Actio enim non denominat agens, per hoc, quòd ſubiectatur agenti, ſed per hoc præcisè, quia realiter progreditur ab agente. Recipiens enim, vt recipiens, non ſe habet vt agēs, ſed vt patiens. Quare, quando communiter à Phyloſophis dicitur, quòd actio immanens manet in agente, debet intelligi in ſenſu identico, non verò formali. Vnde etiamſi actio tranſiens inhæreret agenti, vt Caietano placet, agens diceretur agens, & patiens. Agens quidem, per realem actionis egreſſum; patiens verò, per eiuſdem actionis receptionem.

76 Item, exemplum de viſione ſi poneretur in lapide, non ſubſiſtit. Primò quidem; quia vt ſupra tomo 1. diſp. 57. probauimus, caſus eſt omnino impoſſibilis etiam per potentiam Dei abſolutam. Secundò; quia dato caſu, quòd viſio poneretur in lapide, & lapis eſſet capax viſionis; eo ipſo, quòd viſio eſſet ſubiectiuè dumtaxat in lapide, & nullatenùs à lapide vitali motione procederet, lapis non diceretur videns; quia vt in 1. Tomo eadem diſputatione diximus, & probauimus, viſio, & qualiſcumquè alia cognitio denominat hominem videntē, per vitalem egreſſum a potentia vitali. Vnde in tali caſu lapis diceretur viſionatus potiùs, quàm videns. Vide quæ diximus ibi.

77 Item, exemplum de vnione hypoſtatica in bruto, non eſt ad propoſitum, ſed potius ad oppoſitum; nam in caſu poſito, brutum non diceretur ſanctum, ſanctitate naturæ, ſeù formali, quæ eſt

per

Digitized by Google

per inhærentem, inhabitantem, & ſanctificantem gratiam; diceretur tamen ſanctum, & gratum Deo, ſanctitate, & & gratitudine ſuppoſitali. Vnde poſſet ſic exemplum ad oppoſitum retorqueri. In caſu poſito brutum diceretur ſanctũ, & gratum Deo, ſanctitate, & gratitudine ſuppoſiti diuini; eo quia, illud brutũ eſſet ſuppoſitatum, ſuppoſito infinitè ſancto, & infinitè grato: nõ verò diceretur ſanctum ſanctitate inhærente & formali, quæ fit per ſanctificantem gratiã; eo quia, animæ bruti non ineſt capacitas vt eam habere poſſit. Quòd ſi eam haberet, vel habere poſſet, diceretur quoquè de facto ſanctum; vel ſanctum denominari, nulla eſſet implicantia.

78 Exemplum tandem de gratia habituali poſita in anima Chriſti Domini, neque etiam eſt ad propoſitum; quia gratia ſanctificans animæ Chriſti Domini inhærens, habet omnem effectum ſibi debitum ratione ſuæ inhærentiæ. Nã gratia ſanctificans inhæret eſſentiæ animæ. Et ex ratione inhærentiæ primarius eius formalis effectus eſt reddere animam intrinſecè, & formaliter Deo gratam, & ſanctam; qui tamen effectus non deficit gratiæ ſanctificanti; non tamen gratia ſanctificans animæ Chriſti Domini inhærens, denominauit Chriſtum, filium adoptiuum; eo quia filiatio reſpicit perſonam: Perſonam autem humanitatis Chriſti, eſt ipſe Filius naturalis Dei; & propterea Chriſtus Dominus ratione ſanctificantis gratiæ, non dicitur Filius Dei adoptiuus, quia, ſcilicet, Filius naturalis Dei eſt omninò incapax filiationis adoptiuæ. Vnde ſi quid ad rationem filiationis pertinet ad humanam Chriſti naturam, poteſt dici ratione ſanctificantis gratiæ filia adoptiua. Item gratia ſanctificans non eſt ſubiectiuè in ſuppoſito diuino, nec illi aliquo modo identificata, quare ex nulla parte aliquid, allata exempla ſuadent.

79 Loca autem Sacræ Scripturæ, nequè etiam ſupradicto dicendi modo aliquãtulùm ſuffragantur. Nam, quando Matth. 11. dicitur, *Omnia mihi tradita ſunt à Patre meo*, debet intelligi de omnibus abſolutè; debet quoquè excludi, illa formalitas, quæ eſt in Patre, & relatiuè opponitur Filio; huiuſmodi autem eſt paternitatis relatio. Nam quemadmodum Pater non dedit Filio eſſe Patrem; ita nequè dedit ei paternitatem, qua Pater dicitur eſſe Pater; Item quãdo Ioan. 16. dicitur, *Omnia quæcumquè habet Pater, mea ſunt*, loquitur quoquè de omnibus abſolutè, ſemper excludendo formalitatem, quæ eſt propria Patris. Et in hoc ſenſu datur illa inter Patrem, & Filium reciprocatio, quãdo dicitur Ioan. 17. *Mea omnia tua ſunt; & tua mea*. Non enim eſt ſermo de proprijs Patris, aut de proprijs Filij; ſed de communibus.

80 Ad tertium reſpondetur, relictis nonnullorum intricatis ſolutionibus, quòd relatio diuina diceretur perfectio infinita in ratione ſpecifica relationis, ſed omninò identificata, cum perfectione ſimpliciter infinita; quæ ſic conſiderata, nõ poteſt abſquè aliquo addito dici perfectio ſecundùm quid. Hac reſponſione ſic poſita, patet quid dicendum ſit ad eius impugnationem. Nam cum dicitur, quòd perfectio ſecundùm quid, ſeu in genere, eſt perfectio ſimpliciter finita, & limitata, diſtinguo hanc propoſitionem. Perfectio ſecundùm quid propriè, eſt perfectio ſimpliciter finita concedo. Perfectio ſecundùm quid impropriè, nego.

81 Etenim perfectio relatiua in diuinis, non poteſt dici ſimpliciter vna, cum vna alteri oppoſitionem dicat. Et conſequenter, non poteſt dici ſimpliciter infinita in ratione relationis: Verùm, quia eſt identificata cum eſſentia diuina; & conſequenter, arguit perfectionem ſimpliciter infinitam, ſequitur, quòd relatio diuina ratione ſuæ eſſentiæ, eſt ſimpliciter infinita, ratione verò relationis, eſt infinita ſolùm ſecundùm rationem ſpecificam, quæ limitatio, nòn poteſt dici propriè ſecundùm quid; tùm quia illa dicitur perfectio propriè ſecundùm quid, quæ eſt perfectio eſſentiæ, ſeu eſſentialis; tum etiam quia; Hæc infinitas relationis diuinæ ſecundùm rationem ſpecificam, prouenit ex infinita perfectione ſimpliciter, quæ eſt fęcunditas diuinæ naturæ: Infinitas autem ſecundũ rationem ſpecificam relationis, identificata cum perfectione ſimpliciter, & arguens vnam perfectionem ſimpliciter infinitam, non eſt dicenda propriè perfectio ſecundùm quid infinita; ſed ſecũdùm quid modo ineffabili; quemadmodum ineffabile eſt Sanctiſſimæ Trinitatis arcanum.

82 Solent alia argumenta contra quintum dictum adduci; ſic enim quidam argumentantur. Nulla relatio diuina poteſt eſſe perfectio ſimpliciter ſimplex. Ergo nulla relatio diuina dicit perfectionem. Patet conſequentia; quia perfectio quæ non eſt ſimpliciter ſimplex, eſt admixta cum potentialitate; Relationi autem diuinæ potentialitas omninò repugnat. Probatur autem antecedens; quia per Damaſcenum perfectio ſimpliciter ſimplex in quocumquè,

què, eſt *melior ipſa, quàm non ipſa* : Sed relatio diuina non ſic ſe habet. Ergo. Probatur minor, quia non eſt melius Patri, eſſe Filium, quàm non eſſe Filium, eſſe Spiritum ſanctum, quàm non eſſe Spiritum ſanctum. Nam ſi melius eſſet, Pater eſſet quoquè Filius, & Spiritus ſanctus. Patet, quia Patri tribuendum eſt, quod melius eſt. Idem dicitur de Filio reſpectu Patris, & Spiritus ſancti; & de Spiritu ſancto reſpectu Filij, & Patris.

83 Reſpondetur, negando antecedens. Ad cuius probationem, explico maiorem. Perfectio ſimpliciter ſimplex in quocumquè, eſt melior ipſa, quàm non ipſa, multiplici, ac debita explicatione ſeruata, concedo maiorem. Vno dumtaxat modo explicata, nego maiorem. Quo poſito nego minorem. Ad cuius probationem, concedo antecedens; & nego conſequentiam. Quandoquidem probat, & optimè, quòd relatio in diuinis non eſt perfectio ſimplex, & omnibus modis abſoluta. Non tamen probat, non eſſe perfectionem ſimpliciter ſimplicem, alio modo mox explicandã.

84 Sed prius retorqueo argumentum. Sequeretur enim, quod nullum prædicatum diuinum attributale diceret perfectionem. Nam ſic argumentor. Perfectio ſimpliciter ſimplex, eſt melior ipſa, quàm non ipſa in quocumquè: ſed non eſt melius attributo eſſe eſſentiam, ſeù eſſe attributi radicem, quàm non eſſe eſſentiam, & radicem attributi. Et è contra, non eſt melius eſſentiæ in ratione eſſentiæ eſſe attributum, & veluti cõſequens eſſentiam, quàm non eſſe attributum. Ergo nequè attributum in diuinis, in ratione attributi; nequè eſſentia, in ratione eſſentiæ, ſunt perfectiones ſimpliciter ſimplices. Eſt igitur omninò propoſitio D. Damaſceni explicãda.

85 Pro explicatione igitur Damaſcenicæ propoſitionis, eſt breuiter obſeruandũ; quod perfectio ſimpliciter ſimplex multipliciter, ſimpliciter ſimplex dici poteſt. Et quò ad præſens pertinet inſtitutum, duobus modis accipi poteſt. Primò, reſpectu alicuius prædicati, quod eſt ita perfectum, ac ſimplex, vt cui ineſt, inſit ei quoquè perfectio; cui verò deeſt, deſit quoque ei magna perfectio, & huiuſmodi eſt, eſſe Deũ, ſapientem, volentem, cætera abſoluta prædicata diuina. Alio verò modo, ſic poteſt dici perfectio ſimpliciter ſimplex, vt cui illa formalitas ineſt, inſit ei quoquè perfectio; cui verò illa formalitas non ineſt, non propter hoc aliqua inſit ei imperfectio. Relatio igitur in diuinis non eſt perfectio ſimpliciter ſimplex, primo modo, ſed ſecundo.

86 Reſpondetur ſecundò, explicando iterum authoritatem Damaſceni; perfectio ſimpliciter ſimplex, inquocumquè, eſt melior ipſa, quàm non ipſa; in ſe, vel in vno tertio, concedo. Semper in ſe, nego. Tunc, diſtinguo minorem. Non eſt melius Patri, eſſe Filium, quàm non eſſe Filium &c. in ſe, concedo minorem. In vno tertio ideſt, in diuina eſſentia, nego minorem. Ergo &c. nego conſequentiam. Nam licet non ſit melius Patri eſſe Filium, loquendo de Filio in ſe præciſè, quàm non eſſe Filium; melius tamen eſt Patri, eſſe Deum; qui eſt Pater, Filius, & Spiritus ſanctus.

FORMATIO ARTICVLI.

TRipartita eſt corporis diſtributio principalis. Primò enim refert errorem Gilberti Porretani. Secundò, vt rectè Caietanus, tractat radicem recitati erroris, & eliciendæ veritatis. Et tertiò reſpondet quæſito.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Vtrum relatio in Deo ſit idem, quòd ſua eſſentia.

AD ſecundum ſic proceditur, videtur quod relatio in Deo non ſit idem, quod ſua eſſentia: dicit enim Auguſt. in 5. de Trinitate, quod non omne, quod dicitur in Deo, dicitur ſecundum ſubſtantiam: dicitur enim ad aliquid ſicut pater ad filium; ſed hæc non ſecundum ſubſtantiam dicuntur: ergo relatio non eſt diuina eſſentia.

2 *Præterea. Auguſt. dicit 7. de Trinitate, omnis res, quæ relatiuè dicitur, eſt etiam aliquid excepto relatiuo, ſicut homo dominus, & homo ſeruus. Si igitur relationes aliquæ ſunt in Deo, oportet eſſe in Deo, aliquid aliud præter relationes;*

Quò ad primum duo facit; Primò recitat errorẽ Gilberti, ſecũdò ipſum à nota erronei excuſat.

Quò ad primum, ſic ait; *Circa hoc, dicitur Gilbertus Porretanus erraſſe.*

Quò ad ſecundũ, ſic ait; *Sed errorem ſuũ, poſtmodũ, in Rhemenſi Cõcilio reuocaſſe.*

nes; Quò

Digitized by Google

Quò ad ſecũdum principale, quatuor facit. Primò, aſſignat in omnibus nouem generibus rerum duplicem rationem, vnam, in qua omnia conueniunt; alterã verò, per quam, vnũ eſt diuerſum ab alio. Secundò, aſſignat, vnde accipienda ſit ratio propria relationis. Tertiò, aſſignat ſenſum catholicum, & verum, in quo poſſit dici, quòd relationes diuinę ſint aſſiſtentes, ſiuè extrinſecùs affixæ; Et quartò exprimit radicẽ erroris Gilberti Porretani.

Quò ad primum horum, ſic ait; *Ad cuius euidentiam conſiderandum eſt, quòd in quolibet nouem generũ accidentis, eſt duo conſiderare: quorum vnũ eſt eſſe, quòd competit vnicuíquè ipſorum, quod eſt accidens; & hoc communiter in omnibus, eſt ineſſe ſubiecto. Accidentis enim eſſe, eſt ineſſe. Aliud, quod poteſt conſiderari in vno quoquè, eſt propria ratio vniuſcuiuſquè illorum generum; & in alijs quidem generibus à relatione; vtpotè, quantitatẽ, & qualitatem, etiam propria ratio generis accipitur ſecundùm comparationem ad ſubiectũ. Nam quantitas dicitur menſura ſubſtantiæ; qualitas verò diſpoſitio ſubſtantiæ.*

Quò ad ſecundũ, ſic ait; *Ratio propria relationis, non accipitur ſecundùm comparationem ad illud in quo eſt, ſed ſecundùm comparationem ad aliquid extra.*

Quò ad tertium, ſic ait; *Si igitur conſideremus (etiam in rebus creatis) relationes ſecundùm id, quod relationes ſunt, ſic inueniuntur eſſe aſſiſtentes, non intrinſecùs affixæ, quaſi ſignificantes reſpectum quodãmodo contingentem ipſam rem relatam, pro vt ab ea tendit in alterum. Si verò conſideretur relatio ſecundùm quòd eſt accidens, ſic eſt inhærens ſubiecto, & habens eſſe accidentale in ipſo.*

Quò ad quartum, ſic ait; *Sed Gilbertus Porretanus conſiderauit relationem primo modo tantùm.*

Quò ad tertium principale, duo facit; Reſpondet quæſito duplici concluſione; & Illud probat.

Quò ad primum horum, vna, & principalis concluſio eſt iſta. *In Deo non eſt aliud eſſe relationis, & eſſentiæ, ſed vnum, & idem.* Alia concluſio eſt iſta; *Relatio realiter exiſtens in Deo, eſt idem eſſentiæ, & non differt niſi ſecundùm intelligentiæ rationem.*

Quò ad ſecudùm, probat primam concluſionem ſic; *Quidquid in rebus creatis habet eſſe accidentale, ſecundùm quòd transfertur in Deum; habet eſſe ſubſtantiale: ſed quidquid eſt in Deo eſt eius eſſentia, igitur ex ea parte, qua relatio in rebus creatis habet eſſe accidentale in ſubiecto, relatio realiter exiſtens in Deo, habet eſſe eſſentiæ diuinæ, idem omninò ei exiſtens.*

Secundam cõcluſionem, quò ad primam eius partem, probat ſicut præcedentem, cum ſit eadem cum illa.

Probat ſecundam concluſionem ſic;

nes: ſed hoc aliud non poteſt eſſe niſi eſſentia: ergo eſſentia eſt aliud à relationibus.

3 Præterea. Eſſe relatiui eſt ad aliud ſe habere, vt dicitur in prædicamentis; ſi igitur relatio ſit ipſa diuina eſſentia, ſequitur quod eſſe diuinæ eſſentiæ ſit ad aliud ſe habere, quod repugnat perfectioni diuini eſſe, quod eſt maximè abſolutũ, & per ſe ſubſiſtens, vt ſupra oſtenſum eſt: non igitur relatio eſt ipſa eſſentia diuina.

Sed contra. Omnis res, quæ non eſt diuina eſſentia, eſt creatura; ſed relatio realiter competit Deo: ſi ergo non eſt diuina eſſentia, erit creatura, & ita ei non erit adoratio latriæ exhibenda: contra, quod in præfatione cantatur, vt in perſonis proprietas, & in maieſtate adoretur æqualitas.

Reſpondeo dicendum, quod circa hoc dicitur Gilbertus Porretanus erraſſe, ſed errorem ſuum poſtmodum in Remenſi Concilio reuocaſſe: dixit enim, quod relationes in diuinis ſunt aſſiſtentes, ſiuè extrinſecus affixæ. Ad cuius euidentiam conſiderandum eſt, quod in quolibet nouem generum accidentis, eſt duo conſiderare; quorum vnũ eſt eſſe, quod competit vnicuique ipſorum ſecundum quod eſt accidens; & hoc communiter in omnibus eſt ineſſe ſubiecto; accidentis enim eſſe eſt ineſſe; aliud quod poteſt conſiderari in vnoquoque, eſt propria ratio vniuſcuiuſque illorum generum; & in alijs quidem generibus à relatione, vtpote quantitate, & qualitate, etiam propria ratio generis accipitur ſecundum comparationem ad ſubiectum: nam quantitas dicitur menſura ſubſtantiæ: qualitas verò diſpoſitio ſubſtantiæ. Sed ratio propria relationis non accipitur ſecundum comparationem ad illud, in quo eſt, ſed ſecundum comparationem ad aliquid extra. Si igitur conſideremus (etiam in rebus creatis) relationes ſecundum id, quod relationes ſunt, ſic inueniuntur eſſe aſſiſtentes, non intrinſecus affixæ, quaſi ſignificantes reſpectum quodammodo contingentem ipſam rem relatam, prout ab ea tendit in alterum Si verò conſideretur relatio ſecundum quod eſt accidens, ſic eſt inhærens ſubiecto, & habens eſſe accidentale in ipſo; ſed Gilbertus Porretanus conſiderauit relationem primo modo tantum. Quicquid autem in rebus creatis habet eſſe accidentale, ſecundum quod transfertur in Deum habet eſſe ſubſtantiale: nihil enim eſt in Deo, vt accidens in ſubiecto ſed quicquid eſt in Deo; eſt eius eſſentia. Sic igitur ex ea parte qua relatio in rebus creatis habet eſſe accidentale in ſubiecto, relatio realiter exiſtens in Deo habet eſſe eſſentiæ diuinæ, idem omninò ei exiſtens. In hoc verò quod ad aliquid dicitur, non ſignificatur aliqua habitudo ad eſſentiã, ſed magis ad ſuum oppoſitum; & ſic manifeſtum eſt, quod relatio realiter exiſtens in Deo, eſt idem eſſentiæ ſecundum rem, & non differt niſi ſecundum intelligentiæ rationem, prout in relatione importatur reſpectus ad ſuum oppoſitum, qui non importatur in nomine eſſentiæ. Patet ergo, quod in Deo non eſt aliud eſſe relationis, & eſſe eſſentię, ſed vnum & idem.

Ad primum ergo dicendum quod verba illa

In hoc quòd ad aliquid dicitur, non ſignificatur aliqua habitudo ad eſſentiam, ſed magis ad ſuum oppoſitum. Ergo relatio differt ab eſſentia ſecundùm intelligentiæ rationem, prout in relatione importatur reſpectus ad ſuum oppoſitum, qui non importatur in nomine eſſentiæ.

Ad primum argumentum reſpondet, relicta aliorum formatione, concedendo maiorem, & minorem; ſed negando conſequentiam. Et rationem negationis aſſignat; quia fit trãſitus in argumento, à non dici, ſeù non prædicari, ſecundùm ſubſtantiam, ad non eſſe ſubſtantiam. Verba autem Auguſtini, non pertinent ad hoc, quod Paternitas, vel alia relatio, quæ eſt in Deo ſecũdùm eſſe ſuum, non ſit idem, quod diuina eſſentia, ſed quòd non prædicatur, ſecundùm modum ſubſtantiæ, vt exiſtens in eo de quo dicitur; ſed vt ad alterum ſe habens.

Ad ſecùndum reſpondet, diſtinguendo antecedens, ſeù explicando authoritatem D. Auguſtini. *Omnis res, quæ relatiuè dicitur, eſt etiã aliquid, excepto relatiuo*, ſecũdùm rationem, concedit antecedens. *Eſt etiam aliquid, excepto relatiuo*, ſecundùm rem, adhùc diſtinguit antecedens. In creatis, concedit antecedens. In diuinis, negat antecedens. Ergo &c. negat conſequentiam.

Ad tertium argumentum reſpondet, concedendo antecedens; & negando conſequentiam. Et rationem aſſignat; quia *diuinæ eſſentiæ perfectio eſt maior, quàm quod ſignificatione alicuius nominis comprehendi poſſit. &c.* vide litteram.

Auguſt. non pertinent ad hoc, quod paternitas, vel alia relatio, quæ eſt in Deo ſecundum eſſe ſuum, non ſit idem, quod diuina eſſentia, ſed quod non prædicatur ſecundum modum ſubſtantiæ, vt exiſtẽns in eo de quo dicitur; ſed vt ad alterum ſe habens; & propter hoc, dicuntur duo tantum eſſe prædicamenta in diuinis: quia alia prædicamenta important habitudinem ad id, de quo dicuntur, tam ſecundum ſuum eſſe, quam ſecundum proprij generis rationem: nihil autem, quod eſt in Deo, poteſt habere habitudinem ad id, in quo eſt, vel de quo dicitur, niſi habitudinem identitatis propter ſummam Dei ſimplicitatem.

Ad ſecundum dicendum, quod ſicut in rebus creatis, in illo, quod dicitur relatiuè, non ſolum eſt inuenire reſpectum ad alterum, ſed etiam aliquid abſolutum: ita & in Deo, ſed tamen aliter, & aliter: nam id, quod inuenitur in creatura, præter id, quod continetur ſub ſignificato nominis relatiui, eſt alia res. In Deo autem non eſt alia res, ſed vna, & eadem, quæ non perfectè exprimitur relationis nomine, quaſi ſub ſignificatione talis nominis comprehenſa. Dictum eſt enim ſupra, cum de diuinis nominibus agebatur, quod plus cõtinetur in perfectione diuinæ eſſentiæ, quàm aliquo nomine ſignificari poſſit: vnde non ſequitur, quod in Deo, præter relationem, ſit aliquid aliud ſecundum rem, ſed ſolum conſiderata nominorum ratione.

Ad tertium dicendum, quod ſi in perfectione diuina nihil plus contineretur, quàm quod ſignificat nomen relatiuum, ſequeretur, quod eſſe eius eſſet imperfectum, vtpote ad aliquid aliud ſe habens: ſicut ſi non contineretur ibi plus, quàm quod nomine ſapientiæ ſignificatur, non eſſet aliquid ſubſiſtens; ſed quia diuinæ eſſentiæ perfectio eſt maior, quàm quod ſignificatione alicuius nominis comprehendi poſſit, non ſequitur, ſi nomen relatiuum, vel quodcunque aliud nomen dictum de Deo, non ſignificat aliquid perfectum, quod diuina eſſentia habeat eſſe imperfectum, quia diuina eſſentia comprehendit in ſe omnium generum perfectionem, vt ſupra oſtenſum eſt.

SVPER ARTICVLVM COMMENTARIVM.

1 CIRCA *hoc dicitur Gilbertus Porretanus erraſſe, ſed errorem ſuum poſtmodum in Rhemenſi Concilio reuocaſſe.* Dixit enim, quòd relationes in diuinis ſunt aſſiſtentes, ſiuè extrinſecùs affixæ.

2 Vbi obſerua primò, quòd Gilbertus Porretanus Epiſcopus Pictauenſis tenuit ſententiam iam à D. Thoma relatã. Nec benè dicit Vaſquez Gilbertũ Porretanũ excuſans, dicẽs, eum præfati non fuiſſe erroris. Nã in primis ſic refert, ac teſtatur D. Tho. Aquinas, D. Bonauent. in 1. diſt. 33. q. 1. vbi loquẽs de Gilberti opinione ſic ait; *Ponebat relationes in diuinis, nec Deũ eſſe, nec creaturã. Vnde etiã in principio ſui, modicum continet errorem, tamẽ ducebat ad magnũ, & ideo retractata fuit in Cõcilio Rhemenſi*, & Aureolus eadẽ diſt. ar. 1. §. 3. dicit Gilberti de relatione diuina ſententiã, eſſe errorẽ, & ꝙ tales viæ nullatenùs ſunt ſectãdæ. Et ante iſtos Albertus Magus, eadẽ diſt. ar. 5. ſic ait; *Quidã modernorũ dicũt, tam peritũ virũ non erraſſe. Sed quia hæreſis hæc, ab ore authoris ſui in Cõcilio Rhemẽſi damnata eſt; ideo &c.* Et Magiſter Petrus Lõbardus, non multò poſt Gilberti Porretani tẽpora ait, eadẽ diſt. *Opinionẽ Gilberti eſſe doctrinã nouã, & humanũ commentum*, & ſic referunt omnes moderni excepto Vaſquez. Et ex antiquioribus excepto Alenſi 1. p. q. 68. menb. 1. ar. 6.

Porretan. Vaſquez. Coucil'ũ Rhemẽſe. Aureol. Alb. Mag. P. Lomb. Alenſis.

3 Et

3 Et quod magis vrget eſt, quia ſic refert S. Bernardus ſer. 80. in Cantica propè finem, qui fuit in Concilio Rhemenſi præſens, vna cum Papa Eugenio III. vbi ſic ait. *Nuper in Concilio, quod Papa Eugenius Rhemis celebrauit; Gilbertus Epiſcopus Pictauienſis, ſententiæ Epiſcoporum humiliter acquieſcens, tàm hæc, quàm cætera digna reprehenſione inuenta, proprio ore damnauit.*

4 Secundò, quòd quamuis Concilium Rehemenſe ſub Eugenio III. celebratũ nõ inueniatur in Summa Conciliorum, neque in libro Conciliorum, tamen tanquàm omninò certum tenendum eſt, illud iam celebratum fuiſſe; quia ſic D. Bernardus, ſic D. Thomas, ſic & alij, qui ſunt veridica teſtimonia teſtantur.

5 Imò, vt refert Vaſquez 1. p. diſp. 120. Iacobus Amiotus Epiſcopus Antiſiodorenſis dicti Rhemenſis Concilij acta ex Gallia ad Gregorium XIII. & per Dominum Antonium Aquinatem virum virtutum præcellentia inſignem fuiſſe dono tradita eidem Patri Vaſquez. Vnde idem Vaſquez, verba quædam ſupradicti Concilij hæc dicit eſſe. *Credimus, & confitemur ſolum Deum Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum æternum fuiſſe; nec aliquas omninò res, ſiuè relationes, ſiuè ſingularitates, vel vnitates dicantur, & huiuſmodi alia in Deo eſſe, quæ ſint ab æterno, & non ſint Deus.*

6 Dicunt nonnulli, ſupradictum Rhemenſe Concilium poſtmodum nõ fuiſſe à Summo Pontifice confirmatum.

7 Sed hoc non obſtat, quia vt teſtatur Otho Friſigenſis lib. 1. de geſtis Friderici cap. 56. Expleto ſupradicto Concilio, Eugenius Papa Cardinales Collegialiter congregauit, & contra Gilbertum hoc formauit decretum. *Nec aliqua ratio Theologica, inter naturam, & perſonam diuideret, neque Deus diuina eſſentia diceretur, ex ſenſu ablatiui tantùm, ſed etiam, ex ſenſu nominatiui &c.*

8 Faſolus hìc dubit. 1. nu. 6. putat Durandum Gilberti Porretani fuiſſe ſententiæ; ſic dicens. *Cum Gilberto, ex ſcholaſticis ſentire planè videtur Durandus in 1. diſt. 33. q. 1.* & multas adducit Durandi propoſitiones, ad id. Faticatur tamen Scotũ ab huiuſmodi opinione liberare à n. 7. & 8. Verùm immeritò Durandũ adducit pro opinione Gilberti & Scotũ excuſat; quia quoties Durandus relationẽ diuinã ponit ante omnem intellectus operationem ex natura rei eſſe diuerſam, nunquàm tamen inuenire potui, nec ipſe inueniſſe refert, huiuſmodi differentiam ex natura rei eſſe actualem antecedenter ad quemcumque intellectus actum. Et conſequenter; poſſet Durandus dupliciter explicari; Primò, quòd loquitur de diſtinctione, non quidem entitatiua, ſed ex natura rei; eo modo quo communiter Scotiſtæ dicunt Scotum ipſum ſenſiſſe. Secundò; quia poſſet dici quòd locutus eſt de diſtinctione ex natura rei, non quidem actuali, ſed ſolùm virtuali. Lege Durandum in 1. diſt. 33. q. 1. & diſt. 5. q. nu. 6. & 8. & diſt. 34. q. 2. quæ loca etiam à Faſolo citantur, & videbis quæ ſit Durandi propria ſententia.

9 *Ratio propria relationis, non accipitur ſecundùm comparationem ad illud in quo eſt, ſed ſecundùm comparationem ad aliquid extra.* Dubium occurrit, quia D. Thomas 2. cont. gent. cap. 13. ait, quòd *à relatione non inuenitur aliquid denominari quaſi exterius exiſtente, ſed inhærente. Non enim denominatur aliquis Pater, niſi à Paternitate, quæ ei ineſt.* Ergo falſum eſt, quòd *ratio propria relationis non accipitur ſecundùm comparationem ad illud, in quo eſt, ſed ſecundùm comparationem ad aliquid extra.*

10 Hoc dubium mouetur à Doctiſſimo Petro Bergomenſe, eſtquè in ordine 1086. qui ſic reſpondet; *Relatio ſecundùm eſſe eius inhæret ſubiecto; ſecundùm verò rationem eius, tantùm aſſiſtit, quia non ponit in eo aliquid abſolutum, ſed tantùm per reſpectum ad aliud.* Bona explicatio, & vera doctrina.

11 Sed magis explicatur; Vnde ſecundò reſpondetur, quòd relatio ſecundùm propriam rationem relationis dupliciter conſiderari poteſt, ſeù ſecundùm duos conceptus eius inadæquatos; Conſtitutiuè ſcilicet, & ſecundùm actualẽ exercitium referendi ad terminum, ſeù contingendi terminum. Primo modo, neceſſario dicit inhærentiam ſubiecto, ſeù conſtituit ſuppoſitum. Secundo verò modo, non dicit aliquid exiſtens extra ſubiectum, ſed ſufficit, vt conſideretur quaſi affixa: D. Thomas in 2. lib. contra gent. cap. cit. locutus eſt de relatione primo modo: In hoc art. verò, ſecundo modo dumtaxat.

12 *Sed Gilbertus Porretanus conſiderauit relationem primo modo tantùm.* Subaudi, acſi non ſit de ratione relationis completè conſideratæ eſſe in ſubiecto, illudquè intrinſecè conſtituere, & propterea errauit.

In hoc verò quod ad aliquid dicitur, non ſignificatur aliqua habitudo ad eſſentiam, ſed magis ad ſuum oppoſitum. Debet intelligi in ſenſu formali, non autem in ſenſu identico. Et ſenſus eſt, quòd vna perſona diuina non refertur ad aliam perſonam, qua eſſentia eſt realiter cum perſona ad quã terminatur identificata; ſed qua eſt virtualiter

M 2

Digitized by Google

tualiter diſtincta ; & ratione oppoſitionis relatiuæ, vna perſona realiter ab alia diſtinguitur, nulla verò perſona eſt realiter ab eſſentia diuina diuerſa.

13 *Patet ergo, quòd in Deo non eſt aliud eſſe relationis, & eſſentiæ, ſed vnum, & idem*. Per *eſſe*, intelligitur exiſtentia ; vt conſtat ex præcedentibus. Nam paulò ante dixerat, quòd *ex ea parte, qua relatio in rebus creatis habet eſſe accidentale in ſubiecto, relatio realiter exiſtens in Deo, habet eſſe eſſentiæ diuinæ*. Vbi patet, quòd eſſe accidentale relationis in ſubiecto, eſt eſſe exiſtentiæ, & non ſolùm eſſentiæ.

14 In reſp. ad 2. *Plus continetur in perfectione diuinæ eſſentiæ, quàm aliquo nomine ſignificari poteſt*. *Plus*, & ſi non quò ad formalitatem nomine eſſentiæ ſignificatā, tamen quantùm ad modum ſignificandi veriſſimum eſt.

15 In reſp. ad 3. *Si in perfectione diuina nihil plus contineretur, quàm quod ſignificat nomen relatiuum, ſequeretur quod eſſe eius eſſet imperfectum, vtpotè ad aliquid aliud ſe habēs;* Vbi habes, quòd nullum nomen de Deo dictum, & à nobis impoſitum, ſignificat totum id, quod continetur in diuina perfectione.

16 *Quòd ſi in perfectione diuina nihil plus contineretur ;* Sermo eſt de continentia idētica, & reali, non ſolùm formali. Et ratio eſt, quia ſi per aliquam perfectionem diuinam nulla alia perfectio explicetur, dummodo implicitè, & identicè omnē aliam includat perfectionem, non ſequeretur, quòd eſſe eius eſſet imperfectum. Vide Caiet. hìc.

DISPVTATIO CLVII.

VTRVM PRIMA CONCLVSIO, NEMPE RELATIO in Deo eſt idem eſſentiæ ſecundùm rem, ſit vera.

In tria capita diſtributa.

CAPVT PRIMVM.

Explicatur titulus, & opiniones referuntur.

1 IN præſenti non diſputamus de diſtinctione ex natura rei, ſed de diſtinctione reali quo ad actualem exiſtentiam, ita vt ſit aliud eſſe exiſtentiæ eſſentiæ, & aliud eſſe relationis diuinæ.

2 Gilbertus Porretanus, vt refert Diuus Thomas, quondam opinionem ſuſtinuit negatiuam ; & quia eam Rhemenſe Concilium damnauit, idem Gilbertus ſemetipſum retractauit. Floruit autem tēpore D. Bernardi anno Domini 1153. Arrius, quatenùs dixit perſonam filij eſſe realiter exiſtentialiter, & eſſentialiter à Patris perſona diſtinctam, ſuſtinuit quoquè relationem filiationis Verbi ad Patrem, ſeù ad Deum creatorem, non eſſe realiter eſſentiæ diuinæ identificatam. Verùm Arrius relationem perſonę Verbi non poſuit in Deo, ſed extra Deum. Vnde D. Thomas quærens in hoc art. *Vtrum relatio in Deo ſit idē quòd ſua eſſentia*, ſupponit proceſſiones, Trinitatem perſonarum, & relationes Patris, Filij, & Spiritus ſancti eſſe in Deo. Et vt refert Herrera hìc dub. 1. negatiuè quæſito reſpondet quidam Clericus Franciæ, qui vixit ſub Vrbano tempore Anſelmi, qui floruit anno 1080. dicebat .n. ꝙ perſonæ diuinæ realiter diſtinguuntur ab eſſentia diuina commune tribus ; quià nō datur talis eſſentia communis, ſed quælibet habet ſuam eſſentiam diſtinctam, vel perſonæ diuinæ collectiuè non verò diuiſiuè dicuntur Deus.

3 Catholica tamen eſt ſententia, quòd relatio diuina eſt realiter cum ſua eſſentia identificata.

CA-

Digitized by Google

CAPVT SECVNDVM.

Determinatio Catholicæ veritatis.

PRO determinatione veritatis, Dico breuiter. Relatio diuina, & eius eſſentia ſunt realiter idem. Hoc dictum eſt de fide omninò certũ. &

4 Probatur primò authoritatibus Sacræ Scripturæ; dicitur enim 1. Ioannis 5. *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus, & hi tres, vnum ſunt.* Et Ioannis 10. *Ego, & Pater, vnum ſumus.* Et Lucæ 10. *Omnia mihi tradita ſunt à Patre meo.*

5 Idem habetur in pluribus Concilijs. Nam in Concilio Florentino in principio ſic dicitur. *Et quoniam omnia quæ Patris ſunt, ipſe Pater, Vnigenito filio ſuo gignendo dedit, (præter eſſe Patrem) hoc ipſum, quòd Spiritus ſanctus procedit ex filio, ipſe filius à Patre æternaliter habet, à quo æternaliter etiam genitus eſt.* Et collatione 18. & 19. pluries repetit, ac docet, quòd Pater, Filius, & Spiritus ſanctus ſunt realiter idem natura diuina, & ſola ratione diuerſificantur. Et in confeſſione fidei facta à Latinis, Græciſquè miſſa pro cõfeſſo habetur non eſſe credendum, ſubſtantiam re diſtingui à perſonis.

6 Et in Concilio Toletano 11. in principio ſic habetur; *Spiritum quoquè ſanctũ, qui eſt tertia in Trinitate perſona, vnam, atquè æqualem cum Deo Patre, & Filio, credimus eſſe Deum, vnius ſubſtantiæ, vnius quoquè naturæ.* Et paucis interiectis, ſic dicitur. *Hæc eſt Sanctæ Trinitatis relata narratio, quæ non triplex, ſed Trinitas, & dici, & credi debet. Nec rectè dici poteſt, vt in vno Deo ſit Trinitas, ſed vnus Deus Trinitas.* Idemquè ibidem pluries dicitur, & explicatur.

7 Et in Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. celebrato contra Abbatem Ioachinum plura determinantur, & ad noſtrum propoſitum ſic dicitur. *Nos autem Sacro, & vniuerſali Concilio approbante, credimus, & confitemur cum Petro Lombardo, quòd vna quædam res eſt, incomprehenſibilis quidem, & ineſtimabilis, quæ veraciter eſt Pater, & Filius, Spiritus ſanctus, tres ſimul perſonæ, ac ſingulatim, qualibet earundem; & ideo in Deo Trinitas eſt ſolummodo, nõ quaternitas; quia qualibet trium perſonarũ, eſt illa res, videlicet. Subſtantia, Eſſentia, ſiuè natura diuina;* Et poſt pauca. *Licet igitur alius ſit Pater, alius Filius, alius Spiritus ſanctus; non tamen aliud: ſed id quod eſt Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus, id eſt omninò, vt ſecundùm Orthodoxam, & catholicam fidem, conſubſtantiales eſſe credantur*, & non poſt multa. *Patet ergo, quòd ſine vlla diminutione filius naſcendo, ſubſtantiam Patris accepit; Et ita Pater, & Filius habet eamdem ſubſtantiam; & ſic, eadem res eſt Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus ab vtroquè procedens.* Idem determinatur in Concilio Rhemenſi contra Gilbertum Porretanum.

8 Probatur ſecundò ratione ducente ad inconueniens. Nam, Quidquid eſt realiter diſtinctum à Deo, realiter eſt creatura. Ergo ſi relatio diuina eſt realiter diſtincta à Deo, eſſet creatura: ſed hoc eſt hæreticum. Ergo. Omnia clara ſunt; minor verò ſubſumpta probatur; quia Pater in diuinis paternitate eſt Pater. Ergo ſi relatio paternitatis, qua Pater in diuinis dicitur Pater, eſſet creatura, Pater in diuinis ratione relationis paternitatis, diceretur Pater creatus: ſed hoc eſt hæreticum. Ergo. Probatur minor; quia hoc eſt contra illud Athanaſij; *Increatus Pater, Increatus Filius, Increatus Spiritus ſanctus.*

9 Probatur tertiò; Quia natura diuina eſt ſimpliciter infinita. Ergo identificat ſibi quidquid in ea reperitur. Antecedens eſt lumine naturali clarum, & conſequentia ex antecedenti manifeſtè deducitur.

CAPVT TERTIVM.

Proponuntur argumenta in contrarium, & ſoluuntur.

10 SED contra iſtam determinationẽ obijciet aliquis primò. Simpliciter illimitatum non poteſt identificari cum ſimpliciter limitato; ſed eſſentia diuina eſt ſimpliciter illimitata, relatio diuina eſt ſimpliciter limitata. Ergo eſſentia diuina, & relatio non poſſunt identificari. Probatur maior; quia quod eſt ſimpliciter illimitatum, eſt ſimpliciter vnum, quod eſt ſimpliciter limitatum poteſt multiplicari. Probatur minor, quia eſſentia diuina ideo eſt vna in ratione eſſentiæ, quia eſt ſimpliciter illimitata; & relatio diuina ideo eſt multiplex, quia nõ eſt illimitata ſimpliciter. Nam ſi eſſet illimitata ſimpliciter, eſſet tantùm vna, vt patet de eſſentia.

11 Confirmatur. Realiter vnum, & realiter multa, realiter diſtinguuntur: ſed eſſentia diuina eſt realiter vna; perſonæ, ſeù relationes diuinæ ſunt realiter plures. Ergo eſſentia diuina, & relationes diuinæ realiter diſtinguuntur.

Reſpondetur, concedendo maiorem, & negando minorem. Ad cuius probationem,

Digitized by Google

tionem concedo primam antecedentis partem,& nego ſecundam antecedentis partem. Ad cuius probationẽ diſtinguo antecedens. Si eſſet illimitata ſimpliciter, eſſet tantùm vna, quò ad eſſentiam, & exiſtentiam, concedo antecedens; quo ad relatiuam ſubſiſtentiam, nego antecedens. Ergo &c. nego conſequẽtiam.

12 Sciſcitabitur aliquis. Relatio diuina ſecundùm rationem relatiuæ ſubſiſtentiæ eſt ne ſimpliciter illimitata; vel ſimpliciter limitata? Si primum; recurrit argumentum. Si ſecundum; Ergo eſt aliquod potentiale, & imperfectum. Ergo aliquid creatum, & non Creator, & recurrit intentum argumenti.

13 Reſpondetur, quod interrogatio incongruis terminis loquitur. Nam eſſe ſimpliciter limitatum, vel eſſe ſimpliciter illimitatum, ſunt termini cadentes ſuper eſſentiam, vel exiſtentiam rei, non verò ſuper terminos, vel proprietates eius. Vnde abſolutè dicendum eſt, quòd relatio diuina eſt ſimpliciter illimitata; quia eius eſſentia, & exiſtentia ſunt ſimpliciter quid illimitatum. Si verò fiat reduplicatio poſita in petitione, dicendum eſt, quod neque eſt ſimpliciter illimitata, neque ſimpliciter limitata; ſed ſecundùm quid limitata; id eſt ſecundũ rationem relationis, eſt limitata, ratione oppoſitæ relationis.

14 Dices. Eſſe limitatum ſecundùm quid, dicit imperfectionem; hoc repugnat diuinis relationibus. Ergo.

15 Reſpondetur, diſtinguendo maiorẽ. Eſſe limitatum ſecundùm quid, in eſſentia, vel exiſtentia, dicit imperfectionem, concedo maiorem. Eſſe limitatum ſecundùm quid, in aliquo termino, ſeù relatione, adhùc diſtinguo maiorem. Eſſe limitatum ſecundùm quid in relatione proueniente ex fæcunditate finita naturæ finitæ, dicit imperfectionem, cõcedo maiorem. In relatione illimitata ſecundùm rationem ſpecificam, & proueniente ex perfectiſſima fæcunditate perfectiſſimæ naturæ, nego maiorem. Tunc conceſſa minori, nego conſequẽtiam. Nam relatio diuina licet non ſit ſimpliciter illimitata, quatenùs reduplicat rationem genericam relationis, & licet ſit ſecundum quid limitata in ratione generica; eſt tamen illimitata in ratione ſpecifica; & alias prouenit ex fæcunditate naturæ ſimpliciter illimitatæ. Et per idem patet ad confirmationem. Sed in forma,

16 Ad confirmationem reſpondetur, diſtinguendo maiorem. Realiter vnum in eſſentia, & exiſtentia, & realiter multa in eſſentia, & exiſtentia, realiter diſtinguuntur, cõcedo maiorẽ. Realiter vnũ in eſſentia, & exiſtentia, & realiter multa, ſeù plura in relatiua ſubſiſtentia realiter diſtinguuntur, ab eſſentia, nego maiorẽ. Similiter diſtinguenda eſt minor, & neganda eſt conſequentia. Nam eſſentia diuina, & exiſtentia eſt realiter vna, relationes verò ſunt plures non in eſſentia, neque in ipſarum exiſtentia, ſed in ſola oppoſitione relatiua.

17 Obijcies ſecundò. Paternitas diuina realiter ordinat patrem ad filium; Eſſentia diuina realiter non ordinat patrẽ ad Filium. Ergo paternitas diuina, & eſſentia diuina realiter diſtinguuntur.

18 Reſpondetur, diſtinguendo antecedens. Paternitas diuina quatenùs explicatur nomine paternitatis, realiter ordinat patrem ad filium; eſſentia diuina quatenùs nomine eſſentiæ explicatur, non ordinat Patrem ad filium; concedo antecedens; Eſſentia diuina ſine præciſione ſignificata non ordinat Patrem ad Filum, nego antecedens, Nam eſſentia diuina ſine omni præciſione conſiderata, eſt Pater, Filius, & Spiritus ſanctus. Paternitas, Filiatio, Spiratio actiua, & Spiratio paſſiua. Ergo &c. diſtinguo conſequens. Ergo Paternitas diuina, & eſſentia diuina, realiter virtualiter diſtinguuntur, concedo conſequentiam. Ergo realiter actualiter diſtinguuntur, nego conſequentiam.

DISPVTATIO CLVIII.

VTRVM RELATIO, ET ESSENTIA IN DIVINIS diſtinguantur realiter formaliter, ſeù ex natura rei.

In tria capita diſtributa.

CAPVT PRIMVM.

Explicatur titulus, & Doctorum opiniones referuntur.

1 Nomine diſtinctionis formalis ex natura rei, non intelligimus diſtinctionem actualem entitatiuam, nequè formalem virtualem; ſed diſtinctionem actualem ex natura rei inter duas formalitates, & ſenſus eſt. Vtrum ratio formalis relationis, ſeù relationis formalitas, quæ reperitur in Deo, ſit diſtincta à ratione formali eſſentiæ, ſeù à formalitate eſſentiæ diſtinctione actuali antecedenter ad quamcumquè intellectus operationem; ita ut ante omne intellectus opus ſit vera iſta propoſitio; formalitas relationis actualiter ex natura ſua nō eſt formalitas eſſentiæ.

2 Et vt non multiplicem verba in referendis Theologorum placitis, tantummodo duas principaliores de hac re referam opiniones.

3 Scotus igitur in 1. diſt. 8. q. 2. videtur dicere, non ſolum attributa diuina; verumetiam relationes diuinas ex natura rei actualiter ab eſſentia diuina omninò diſtingui. Scotus.

4 Scio circa mentem Scoti Doctores eſſe diuiſos; quidam enim conantur Scotum ad ſententiam D. Thomæ reducere, & volunt, nil aliud Scotum ſenſiſſe, niſi diſtinctionem inter attributa, & eſſentiam; & ſimiliter inter eſſentiam, & relationes eius ad intra, eſſe quidem ex natura rei, non tamen formalem actualē, ſed ſolùm diſtinctionē formalē virtualem. Ita dicunt Iauellus, lib. 12. metaph. q. 19. Rubionenſis, in 1. diſt. 8. q. 3. art. 2. Suarez, lib. 4. de Trinit. cap. 4. nu. 1. & 2. Et quidam Innominati apud Ariminenſem in 1. diſt. 8. quæſt. 1. art. 2. Iauellus. Rubion. Suarez. Arimin. Et nouiſſimè Faſolus, hìc dubit. 1. num. 7. & 8. Faſolus.

5 Quidam verò Scotum ab hac opinione non liberant, ſed affirmatiuę fuiſſe opinionis affirmant, eiuſquè opinionem aperto Marte defendunt. Ita Rada, controu. 4. concl. 3. & ferè omnes antiqui, recentioreſquè Scotiſtæ. Et Pater Recupitus, omninò contendit Scotum determinatè partem ſuſtinuiſſe affirmatiuam. Nam lib. 3. q. 4. nu. 2. poſtquàm nōnulla Scoti attulit teſtimonia, ſic ait; *Hæc de mente Scoti, qui in cæteris, ſubobſcurus, in hoc, ita clarè loqui videtur, vt ego qui plerumquè conciliatorem profiteor; pacem de hac re, inter Scholaſticos cæteros, & Scotiſtas, planè deſperem &c.* Rada. Recupit.

6 Quid igitur determinatè Scotus ipſe ſenſerit ex Scoti verbis colligi neceſſariò debet.

7 Scotus igitur lib. 1. ſent. diſt. 2. q. 7. §. *Sed hic reſtat*, ſic ait dubitans. *Sed hic reſtat difficultas. Non enim videtur intelligibile, quòd eſſentia non plurificetur; & ſuppoſita ſint plura, niſi aliqua diſtinctio ponatur inter rationem eſſentiæ, & rationem ſuppoſiti; & ideo, ad ſaluādum iſtam compoſſibilitatem prædictam, oportet videre de illa diſtinctione. Et dico* (Nota) *ſine aſſertione, & præiudicio ſententiæ melioris, quòd ratio, qua formaliter ſuppoſitum eſt incommunicabile; & ratio eſſentiæ, vt eſſentia, habent aliquam diſtinctionem præcedentem omnem actum intellectus creati, & increati.*

8 Vbi nota duo, ſuppoſito priùs, ꝙ Scotus loco cit. ex profeſſo, & per extenſum de diſtinctione inter eſſentiam, & perſonas diuinas diſcurrit. Primum eſt, quòd protesta- Scotus.

teſtatur quòd non ſolùm non ſic opinatur, ſicut arguit, & dicit, ſed ſine aſſertione loqui, dum ait. *Et dico ſine aſſertione*. Secundum eſt, quòd ſententia oppoſita eſt melior, dum ait, *& dico ſine præiudicio ſententiæ melioris*.

9 Et ibidem poſt multa, §. *Breuiter igitur*, ſic ait. *Breuiter igitur dico, omittendo illa verba, de diſtinctione rationis, & de diſtinctione virtuali; non quia* (nota) *ſint malè dicta; ſed quia non oportet eis vti, dico quòd in eſſentia diuina ante actum intellectus, eſt entitas, A, & eſt entitas, B, & hæc non eſt formaliter illa; ita quòd intellectus paternus conſiderans A, & conſiderans, B, habet ex natura rei vnde iſta compoſitio ſit vera, A, non eſt formaliter, B, non autem præciſè ex aliquo actu intellectus circa A, & B.*

10 Et paulò ante iſta ſic ait. *Num quid igitur debet concedi aliqua diſtinctio?*

11 *Reſpondeo; Melius eſt vti iſta negatiua, hoc non eſt formaliter idem, quàm hoc eſt ſic, & ſic diſtinctum.*

12 Vbi habes duo ex Scoto. Primum eſt, quòd illa verba de diſtinctione rationis & virtuali, non ſunt malè dicta; ſed quia non oportet eis vti. Secundum eſt, quòd inter eſſentiam, & attributa, eiuſquè relationes, melius eſt vti iſta negatiua; *hoc non eſt formaliter idem, quàm hoc eſt ſic, & ſic diſtinctum*.

13 Et ibidem pluries repetit dicens; *Dico quòd, A, quocumquè modo formaliter acceptum, eſt idem eſſentiæ, licet non ſit formaliter idem eſſentiæ. Sed tunc non ſequitur, A, formaliter acceptum eſt idem eſſentiæ, A, formaliter diſtinguit; Ergo eſſentia diſtinguit &c.*

14 Ex quibus verbis patet, quod nō abſquè magno fundamento præcitati Doctores interpretantur Scotum reducentes eum ad ſententiam D. Thomæ.

15 Verùm, quia multi grauiſſimi Scotiſtæ reſolute dicunt, Scotum tenuiſſe relationem diuinam ex natura rei actualiter, antecedenter ad quamcumquè intellectus operationem eſſe diſtinctam, idcirco, ne quinternos pro inueſtiganda mente Scoti impleamus, dum pro Angelicæ doctrinæ defenſione laboramus, hoc vnum dumtaxat dico, quod ſi Scotus quæſito affirmatiuè reſpondet, eſt contra communem Theologorum ſententiam, quam ſequitur D. Thomas, ſin autem, eſt cum D. Thoma, cæteriſquè Theologis, igitur de mente Scoti hucuſquè ſatis.

16 Reſpondent communiter Theologi, relationes diuinas nulla reali actuali diſtinctione ab eſſentia diuina diſtingui, non ſolùm entitatiuè, verumetiam formaliter. Ita Magiſter ſentent. in 1. diſt. 33. Heruæus, ibidem q. vnica art. 3. Capreolus, q. vnica ar. 1. & 3. Aegidius, q. 1. quæſtiunc. 2. & 3. Albertus Magnus, ar. 3. & 1. p. q. 39. memb. 2. ar. 2. D. Bonauentura, eadem diſt. 33. q. 1. Arimin. q. 1. ar. 2. Riccardus, ar. 1. q. 2. & ar. 2. q. 4. Henricus, quodlib. 5. q. 6. ar. 1. cōcl. 2. Bacconus, diſt. 34. ar. 5. Sotus, in 4. diſt. 49. q. 3. ar. 3. Aquarius, in controuer. verbo attributa. Adam, in 1. diſt. 6. q. 1. concl. 3. Dionyſius Carthuſianus, diſt. 2. q. 2. Caietanus, hìc, & infra q. 39. ar. 1. Ferrarienſis, 4. cont. gent. cap. 14. Syluester, in Conflato ar. 6. Gillius, lib. 2. tract. 5. cap. 5. Torres, art. 2. diſp. 1. Zumel, ſup. q. 4. ar. 2. q. 3. Suarez, tom. 1. metaph. diſp. 6. Vaſquez, Arrubal, Nazarius, & Zuniga hìc, Albertinus, in Corollarijs 7. princip. phyloſoph. dub. 1. Bañes, hìc dub. 3. Becanus, de relat. diu. q. 4. Petrus de Herrera dubit. 1. Gonzalez hìc diſp. 5. concl. 1. & 2. Theodorus Cappuccinus, de idētitate, & diſtinct. relationis diuinæ diſp. 4. Antonius Ayoſſa, diſp. 9. Recupitus, lib. 2. de attrib. in communi q. 4. Amicus, diſp. 19. de diu. relat. ſect. 4. Collegium Salmanticenſe, tract. 6. dubit. 2. Faſolus dubit. 1. Palumbus, exam. 3. de diu. relation. Pater Bernardinus Mazziotta q. 15. nu. 147. Ioannes à S. Thoma diſp. 12. art. 1u. primo. Arriaga, diſp. 43. & communiter Theologi.

Magiſt. ſentent. Heruæus. Capreol. Aegidius. Albertus Magnus. D. Bonau. Arimin. Riccard. Henric. Baccon. Sotus. Aquarius. Adam. Carthuſ. Caieta. Ferrar. Syluester. Gillus. Torres. Zumel. Suares. Vaſquez. Arrubal. Nazarius. Zuniga. Albertin. Bañes. Becanus. Herrera. Theod. Capuc. Ayoſſa. Recupi. Amicus. Salmanti. Faſolus. Palum. Mazziot. Io. à S. Tho. Arriaga.

CAPVT SECVNDVM.

Determinatio Veritatis.

17 PRO determinatione veritatis dico primò. Relationes diuinæ diſtinguuntur à diuina eſſentia virtualiter.

Hoc dictum eſt omninò certū, & breuiter,

18 Probatur; quia ſine virtuali diſtinctione inter relationes, & eſſentiam diuinam non poſſent ſaluari multæ propoſitiones veræ. Ergo. Probatur ſequela; quia iſtæ propoſitiones ſunt veræ. Pater Aeternus generat filium, eſſentia diuina non generat filium. Eſſentia diuina non generatur à Patre. Relatio paternitatis opponitur relatiuè relationi filiationis. Eſſentia diuina non opponitur relatiuè filiationi. Pater paternitate refertur ad filium, non verò eſſentia, ſed ſine diſtinctione reali virtuali non poſſunt ſupradictæ propoſitiones aliquo modo ſaluari. Ergo. Maior patet. Probatur minor. Quia antecedēter ad quodcumquè ens rationis & conſequenter antecedenter ad quamcumq; diſtin-

diſtinctionem, ab intellectu creato formatam, ſupradictæ propoſitiones ſunt veræ. Ergo.

19 Confirmatur; Quia ex Cõcilio Florẽtino Pater Aeternus omnia dedit Filio prẹter hoc; ꝙ eſt eſſe Patrẽ. Ergo ſi nulla realis, adminùs virtualis diſtinctio inter eſſentiã, & relationẽ intercederet, Pater communicando eſſentiã, non retinuiſſet hoc, quòd eſt eſſe Patrem.

20 Dico ſecũdò. Relationes diuinæ nullo modo diſtinguũtur actualiter formaliter ex natura rei ab eſsẽtia diuina. Hoc dictũ eſt inter ſcholaſticos cõmuniſſimũ, taliter, ꝙ Scotus ipſe in 1.d.2.q.7.§. *Et dico ſine aſſertione*, vocat noſtram concluſionẽ ſententiam meliorem. Scotus.

21 Commẽdatur noſtrũ dictũ vehemẽter ex cẽſuris ac notis, quib⁹ Doctores Scoti ſẽtẽtiã affecerũt; Nã Bañes, hic q.28. Molina, diſ.2. dicũt eã eſſe, *nõ tutã*, Suarez, 1. metaph. diſ. 6. ſect.2. de ea hæc encomia profert. *Valde falsã, & multũ repugnare diuinæ ſimplicitati.* Caietan⁹, infra q.39. ar.1. dicit *in hoc Scotũ erraſſe*. Aureol⁹ in 1. diſt. 8. 3.p. diſt. ar.5. ait, *ex oppoſita opinione, quòd læderetur, & infringerẽt diuina ſimplicitas, ꝙ eſt cõtra authoritatẽ Scholaſticorũ, & Phyloſophorũ, ac generalis Cõcilÿ dicẽtis, ꝙ eſt ſimplex omninò.* Torres, de Trinit. hìc ar.2. aſſerit *malè ſonare in fide.* Zumel, loco cit. *nõ cõſonare fidei*, & multi eam multis cẽſuris exornant. Hæc, nõ ideo trãſcripſi, vt his meã adducerẽ cenſurã, vel alicui harum ſubſcriberẽ; ſed vt omnib⁹ pateſiat, quomodo magis cõmẽdanda ſit negatiua, q̃ Scoti affirmatiua ſentẽtia. Quãdoquidẽ; Scotus de noſtra ſentẽtia loquẽs, ait eſſe meliorẽ; & alias Doctores de D. Th. ſentẽtia iudiciũ ferẽtes, potiùs eã laudib⁹ celebrarũt, quã aliqua auſi ſint minima cẽſura contemnere.

Bañes. Molina. Suarez. Caiet. Aureol. Torres. Zumel.

22 Probatur igitur primò authoritatib⁹ Sacrẹ Scrip. in prẹcedẽti diſp. adductis; Nã 1. Ioan. 5. dicitur. *Tres ſunt, qui teſtimoniũ dant in cælo, Pater, Verbũ, & Spirit⁹ ſanct⁹, & hi tres vnũ ſunt.* Et Ioan. 10. *Ego & Pater vnũ ſumus*; vbi ponderanda eſt illa particula, *vnũ*. Nã ſenſus eſſe debet, ꝙ prẹter diſtinctionẽ, quẹ reperitur inter Patrẽ, & Filiũ quantũ ad perſonalitatẽ, nõ ſolùm realiter, verumetiã formaliter, tres Perſonẹ ſunt vnũ, id eſt; nõ ſunt vnũ in realitate perſonali; nõ ſunt vnũ in formalitate perſonarũ; cæterũ quo ad omnia ſũt vnũ. Nimirum, *vnũ* in eſſentia, id eſt, in vnitate formali eſſentiæ. *Vnũ* in vnitate formali exiſtentiẹ, in formalitate intellectus, in formalitate voluntatis &c.

1. Io. 5. Io. 10.

23 Quòd autẽ ſic debet, ly, *vnũ*, intelligi; Probatur, quia aliàs non poſſet explicari in quo Pater, & Fili⁹, & Spirit⁹ ſanct⁹, qui ſunt tres in realitate, & formalitate perſonarum, eſſent poſtea vnum.

24 Si dicatur, ꝙ eſsẽt vnũ nõ in formalitate eſſentiæ, ſed in entitate eſſentiæ.

25 Intricata eſt iſta reſponſio, nec de facili poteſt extricari. Nã nomine entitatis quid intelligũt oppoſitũ ſentiẽtes? Et vt clariùs procedamus, omnẽ entitatem in quatuor mẽbra partimur; Nã per entitatẽ aliquid horũ intelligũt eſſentiã diuinã, exiſtẽtiã abſolutã eſſentiæ, ſubſiſtentiã abſolutã, ſubſiſtentiã vel exiſtentiam relatiuã? Dicãt ergo, in quo Pater, Verbũ, & Spiritus ſanctus ſunt vnũ in entitate? In entitate, id eſt, in formalitate eſſentiæ diuinæ? & hoc nõ quia formalitas eſſentiẹ diuinẹ, & formalitas perſonẹ, ſeù relationis diuinẹ, ſunt per aduerſarios formalitates ex natura rei actu omnino diſtinctæ. Sũt vnũ entitatiuè, id eſt, in formalitate exiſtẽtiẹ abſolutẹ, aut ſubſiſtẽtiẹ abſolutẹ? & hoc nõ; quia relatio diuina ꝑ aduerſarios, etiã diſtinguitur formaliter ex natura rei ab exiſtẽtia, & ſubſiſtẽtia abſoluta Dei. Sunt vnũ in entitate, id eſt, in ſubſiſtẽtia, & exiſtẽtia relatiua? & neq; etiã hoc; quoniã ſubſiſtẽtiæ relatiuẹ, & exiſtẽtiẹ relatiuæ ſi dantur in diuinis, realiter ad inuicẽ diſtinguuntur, cũ realiter ad inuicẽ relatiuè opponãtur. In quo ergo tres perſonæ diuinæ dicerẽtur vnũ, nõ poſſet explicari.

26 Probatur ſecũdò authoritatib⁹ Conciliorũ in eadem diſputatione adductis, & præſertim exagerãda eſt illa Eugenÿ Papæ poſt Cõciliũ Rhemẽſe celebratũ determinatio; Nã cũ ibi ſic dicitur. *Nec aliqua ratio Theologica inter naturã, & perſonã diuideret.* Vbi ꝑ rationẽ Theologicã, naturã diuinã à perſona diuidẽtẽ, debet intelligi nõ ſolũ diſtinctio realis, verumetiam formalis ex natura rei. Papa Eugenius.

27 Et magis Cõcilÿ Rhemẽſis determinatio diſp. præcedẽti fusè poſita noſtrã cõfirmat, & oppoſitã reprobat opinionẽ, apud eos, qui Gilbertũ Porretanũ dicunt nõ negaſſe idẽtitatẽ realẽ inter relationes, & eſſentiã diuinã, ſed formalem dumtaxat ex natura rei.

28 Inſuper, præter alias authoritates Conciliorũ ſupra adductas, exageranda eſt, & referẽda, authoritas Cõc. Florẽt. collat. 19. Vbi hæc habẽtur verba; *Ne tamen re differre hoc putetis, ſed apprehẽſione tantũ & intelligẽtia*, & poſt multa. *Perſona Patris, nõ diſtinguitur à paternitate, aut à ſubſtãtia, niſi ratione.* Idem repetitur in eodẽ Concilio pluries, & præſertim collat. vlt. Florent.

29 Probatur tertiò ratione. Deus eſt maximè, & perfectiſſimè vnus. Ergo in eo nulla datur in actu ex natura rei formalis diſtinctio.

 Reſpon-

Reſpōdēt aduerſarij, diſtinguēdo antecedēs. Deus eſt maximè, & perfectiſſimè vnus, vnitate entitatiua, & reali, cōcedunt antecedēs. Vnitate formali, ſeù formalitatū, negāt antecedēs. Ergo &c. negant conſequentiam.

30 Cōtra. Deus nō eſt magis ſimplex quā vnꝰ: ſed quia Deus eſt maximè ſimplex, nō ſolū excludit cōpoſitionē realē diuerſarū entitatū, verumetiā cōpoſitionē formalitatū ex natura rei diſtinctarū, vt aduerſarij docēt. Ergo Deus eſt ita vnus, vt neq; ſit in eo formalitatū multiplicatio. Antecedēs patet, & cōſequentia eſt euidens ex optima paritate.

31 Poſſet aliquis reſpōdere, eodē modo diſtinguēdo maiorē. Deꝰ nō eſt magis ſimplex, quā vnꝰ entitatiuè, ſeù realiter, cōceditur maior. Quā vnus formaliter, ſeù vnitate formalitatis, negatur maior. Et disparitas poſſet aſſignari; quia ſi Deꝰ eſſet cōpoſitꝰ ex diuerſis formalitatibꝰ, nō eſſet actus purus; quādoquidē, ſi formalitates ex natura rei diſtinctę, aliquā ad inuicē cōpoſitionē facerēt, vna ſe haberet vt actus, & altera vt potētia; ꝙ eſt cōtra rationē puriſſimi actꝰ: at verò ꝙ ſint plures formalitates ex natura rei omnino diſtinctæ, nō eſt contra rationem puriſſimi actus. Quare &c.

32 Cōtra. Quia ad ꝑfectionē Dei ptinet eſſe ſimpliciter vnū. Ergo ſi Deꝰ eſſet vnꝰ entitatiuè tantū, nō verò quò ad omnes formalitates eiꝰ haberet idētitatē formalē, nō eſſet ꝑfectus. Probo cōſequentiā; quia Deus nō eſſet ſimpliciter vnꝰ; ꝙ ita ꝓbo. Illud eſt ſimpliciter vnū ꝙ eſt ita vnū, vt nō habeat mixtionē cū pluralitate. Ergo ſi Deus eſſet idēticè vnus, & ex natura rei plures diſtinctas formalitates haberet, non eſſet ſimpliciter vnus.

33 Cōtra ſecūdo; quia ſi relationes diuinæ diſtinguerentur formaliter ex natura rei ab eſsētia, ſequeretur, ꝙ eſsētia ſe haberet vt potētia, relationes verò vt actꝰ eſsētię, ſeu vt modi modificātes, ac ꝑficiētes eſsētiā. Et quia in via Scoti relatio in diuinis neq; dicit ꝑfectionē, neq; imperfectionē, idcirco ꝓponatur ſic argum. Sequeretur, ꝙ eſsētia diuina aliquo modo cōponeret cū relationibꝰ diuinis. Nā quatenꝰ relationes diuinę ex natura rei ab eſsētia formaliter diſtinguūtur, nō ſunt ab eſsētia diuina ſeparatę; ergo coniunctę. Ergo vltra vnitatē in entitate, relationes diuinę eſsēt formaliter vnitę cū diuina eſsētia. Ergo eſſentia eſſet ſubiectum relationum, & ſic ſe haberet vt potentia.

34 Magis ſplēdet hoc argumētū, ſi teneatur ꝙ relatio in diuinis dicat ꝑfectionē. Magiſq; ſi de attributis abſolutè cōſideratis eſſet ſermo. Nā quodlibet attributū ſe habet vt ꝑfectio, & actꝰ; & quodlibet attributū, ſeù cuiuslibet attributi formalitas eſt in formalitate eſsētię, ac de eadē formalitate, formalitas attributi p̄dicatur. Ergo eſſet vera, ac realis cōpoſitio inter eſſentiam, & attributa, eiuſquè relationes.

35 Probatur quartò. Deus eſt ſimpliciter infinitꝰ, & omninò illimitatus. Ergo vbi non obuiat relationis oppoſitio, eſt vna formalitas ex natura rei, & actualiter. Antecedēs patet, quia infinitas, quæ reperitur in Deo, nō eſt niſi ꝑfectio: ſed Deꝰ in ratione ꝑfectionis eſt ſimpliciter, & omninò illimitatꝰ. Ergo. Probatur igitur cōſequētia; quia ꝙ eſt ſimpliciter & omnibus modis in ratione formali ꝑfectionis infinitum, nullo modo poteſt ex natura rei plurificari, ſeù multiplicari.

36 Cōfirmat. 1. Quia ſi Deus eſſet ex natura rei infinitꝰ in ratione eſsētię; & hæc infinitas ex natura rei, eſſet diſtincta ab infinitate bonitatis, ſequeretur ꝙ infinitas diuinę eſsētię ex natura rei non eſſet ſimpliciter infinita, ſed ſm̄ quid, & in tali genere, ſeù in tali linea: Hoc omninò repugnat ꝑfectioni diuinę. Ergo. Probo ſequelā, quia illud eſt ex natura rei ſimpliciter infinitū, ꝙ ex natura rei eſt omnibꝰ modis infinitū; & illud eſt ſm̄ quid infinitū ꝙ in aliqua linea dūtaxat eſt infinitū, nō verò in omni alia linea. Ergo ſi eſsētia diuina ex natura rei quò ad formalitatē eſsētię diuinę eſt tātū infinita in formalitate eſsētię, & nō etiā implicitè dicit omnē aliā formalitatem quę formaliter eſt in ea, non eſſet ſimpliciter infinita.

37 Cōfirmat. 2. Quia in Deo eſt vna tātū realis entitas. Ergo eſt vna tantū realis, ſeù ex natura rei formalitas, quę ſit Sapiētia, Bonitas, Iuſtitia, Eſsētia, Volūtas &c. Antecedēs eſt apud omnes verū. Probatur autē cōſequētia; quia ideo in Deo omnia, quę ſūt in eo, ſūt vna realis entitas; quia Deus eſt ſimpliciter infinitꝰ; ſed nō minùs Deus eſt infinitꝰ in formalitatibꝰ, quā in realibꝰ entitatibꝰ. Ergo ſi quia Deus eſt infinitus, realiter entitatiuè, eſt vna tantū realis entitas, erit quoq; in eo omne prędicatū ex natura rei, vna formalitas.

38 Probatur quintò, & peto ab aduerſarijs, Vtrū infinitas ſit aliqua formalitas, vel modalitas in Deo ex natura rei diſtincta ab eſsētia diuina, an ſit vna, eadēq; formalitas cū diuina eſsētia? Quidquid dixerint, cōtra eos militabit. Ergo.

39 Si igitur dicatur, ꝙ infinitas in diuinis eſt eadē omninò formalitas, ac eſsētia diuina, ſic argumētor. Infinitas in Deo eſt formalitas eſsētię; attributa diuina formaliter ex natura rei non ſūt formalitas eſſentiæ. Ergo attributa diuina non ſunt, nequè dicunt perfectionem.

Hoc

Hoc eſt omninò falſum. Ergo. Conſequentia eſt euidens. Nam vel dicunt perfectionem finitam, vel infinitam. Non finitã; quia finitas repugnat Deo, & omnibus attributis eius. Non infinitã; quia infinitas eſt formalitas eſſentiæ; attributa autem non ſunt ex natura rei, & actualiter formalitas eſſentiæ, neque eam dicunt. Ergo attributa formaliter, & ex natura rei non dicerent infinitatẽ, nec eſſent infinita in propria ipſorum perfectione.

40 Si dicatur, quòd infinitas diſtinguitur modaliter ex natura rei ab eſſentia; Cõtra ſic argumentor. Ergo eſſentia diuina ex intrinſecis formalitatis eſſentiæ diuinæ antecedenter in ſigno rationis ad infinitatem nullam diceret perfectionẽ: hoc eſt falſum. Ergo. Probatur ſequela. Quia vel diceret perfectionem infinitam, vel finitam; non infinitam, quia conſideratur antecedenter ad infinitatẽ, quæ ex natura rei diſtinguitur à formalitate eſſentiæ. Non finitam; tum quia finitas repugnat Deitati. Tum etiam quia, non poſſet in alio ſigno conſiderari & eſſe ratione infinitatis, perfectio in ratione eſſentiæ infinita.

41 Poſſet ab aduerſarijs dici, quòd in Deo tot infinitates ſunt, quot formalitates; & quòd infinitas eſſentiæ eſt infinitas ſubſtantialis, & eſt eadem formalitas cũ diuina eſſentia. Item infinitas bonitatis, non eſt modus ex natura rei diſtinctus à bonitate Dei, ſed ipſa bonitas in ſummo, ſeù ipſa formalitas bonitatis, quę in ſe, & ex intrinſecis eſt ipſa infinitas in linea bonitatis.

42 Contra hanc reſponſionem militat quarta noſtræ concluſionis probatio; & inſuper ſic argumentor. Infinitates in diuerſa linea, ſeù in diuerſa formalitate ſi reducerentur ad vnam ſimpliciter infinitatem ex natura rei, perfectiorem infinitatem dicerent. ſed in diuinis debet aſſignari perfectior ratio perfectionis. Ergo malè aſſignantur plures infinitates in diuinis, actualiter, & ex natura rei diſtinctæ.

43 Confirmatur; Quia vnius formalitatis infinitas non habet vnde ex natura rei ab infinitate alterius infinitatis diſtinguatur. Ergò malè aſſignantur multæ infinitates ex natura rei in diuinis. Probatur antecedens; quia non poteſt hoc procedere à limitatione eſſentiæ, neque à limitatione proueniente ex infinitate alicuius formalitatis. Ergo.

CAPVT TERTIVM.

Proponuntur argumenta incontrarium, & ſoluuntur.

44 SED contra iſtam determinationẽ obijciet aliquis primò ex Durãdo authoritatibus Sanctorum; Nam Sanctus Damaſcenus lib. 1. de fide cap. 9. ſic ait; *Quæcumquè habet Pater, filij ſunt, præter non generationem, quæ non ſignificat ſubſtãtiæ differentiam, neque dignitatis, ſed ſubſtantiæ modum*. Et cap. 13 dicit clariùs ſic, *Ingenitum, & genitum, & proceſſibile non ſubſtantiæ ſunt indicatiua, ſed habitudinis ad inuicem, & modi ſubſiſtendi. Et D. Auguſtinus 7. de Trinit. reputat abſurdum dicere in Deo, quòd ſubſtantia ſit relatio, relatio propriè diſtinguitur*, hucuſquè Durandus. Damaſc.

45 Magis tamen poteſt contra nos exagerari Auguſtinus lib. 7. de Trin. cap. 2. vbi maiorem differentiam ponit inter verbum diuinum, & eſſentiam diuinam, quàm inter ſapientiam diuinam, & eſſentiam diuinam: ſed ſapientia diuina diſtinguitur formaliter virtualiter ab eſſentia diuina. D Aug.

Sic enim ait Auguſtinus, *Non eò verbum, quò ſapientia; quia Verbum non ad ſe dicitur, ſed tantùm relatiuè ad eum cuius eſt verbum, ſicut filius ad patrem; Sapientia verò, eo quo eſſentia; & ideo quia vna eſſentia, vna ſapientia*. Idem docet ibidem cap. 4. circa finem vbi ſic ait; *Aliud eſt Deo eſſe, aliud patrem eſſe, vel Dominus ad ſeruientem creaturã dicitur. Ita iam ſubſtantia non erit ſubſtantia, quia relatiuum erit. Abſurdum eſt autem, vt ſubſtantia relatiuè dicatur*.

46 His poſſunt aggregari Alexandriæ Epiſcopus ad Alexadrum Archiepiſcopũ Conſtantinopolitanum, Iuſtinus Martir, in expoſit. fidei de Trinit. Cyrillus, lib. 11. theſauri cap. vnico. S. Baſilius, lib. 4. contra Eunomium §. ſecundo. Theodoretus, in Epitome diuinorũ decretorum lib. 5. cap. 3. de Spiritu ſancto, & alij claſſici Doctores ſæpenumero eodem prorſus modo loquuntur. Alexand. Iuſtin. Cyrill. Baſilius. Theodor.

47 Reſpondetur, explicando ſupradictas, & omnes conſimiles authoritates, quę poſſent adduci, de diſtinctione reali, & formali virtualiter, non verò de diſtinctione reali, & formali actualiter.

48 Solummodo illę authoritates poſſent contra hanc explicationem exagerari, & inſtaurari, quę maiorẽ inter relationes diuinas, & eſſentiam, diſtinctionem indicant, quàm ſit inter eſſentiam, eiuſquè

attributa; ſed hoc nihil officit; quoniam intra eamdem diſtinctionis virtualis lineam datur latitudo, quemadmodum datur inter ea, quæ realiter ſicuti res à re diſtinguuntur. Maior enim eſt diſtantia realis inter Petrum, & Angelum; quam inter Petrum, & Paulum. Et inter Angelum, & Deum; quàm inter Petrum, & Angelum.

49 Hæc explicatio, ac diſtinctio de diſtinctione formali ex natura rei actualiter, & virtualiter, eſt vnicum, ac ſingulare noſtræ ſententiæ fundamentum pro omnium ferè argumentorum optima ſolutione. Quamquè aduerſarij vt impugnent, multùm inſudant; ſed ſanguinē ſ[?]erant; & potius ſcrobem ſanguine impleant, quam vt reſponſionem expugnent.

50 Obijcies ſecundò. Illa diſtinguuntur formaliter actualiter ex natura rei, quæ ita ſe habent, quod vnum formaliter eſt in vno, & alterum non eſt formaliter in illo: ſed relatio paternitatis V. G. & eſſentia diuina ita ſe habent. Ergo relatio, & eſſentia formaliter ex natura rei actualiter diſtinguuntur. Maior patet. Probatur minor; quia eſſentia diuina eſt formaliter in Patre, non verò in patre eſt formaliter filiatio. Ergo relatio paternitatis &c.

51 Reſpondetur, & relictis omnibus aliorum Doctorum ſolutionibus, concedo maiorem; & nego minorem. Ad cuius probationem diſtinguo antecedens. Eſſentia diuina eſt formaliter in Patre, non verò in Patre eſt formaliter virtualiter filiatio, concedo antecedens. Non verò formaliter actualiter, nego antecedens. Ergo &c. nego conſequētiam.

52 Contra. Si in Patre eſſet formaliter ex natura rei filiatio, Pater eſſet Filius; hoc eſt hæreticum. Ergo. Probatur ſequela; quod habet in ſe formaliter relationem, denominatur formaliter Filius: ſed per nos Pater habet in ſe filiationē formaliter ex natura rei, & actualiter. Ergo Pater denominaretur Filius.

53 Reſpondetur, diſtinguēdo ſequelam. Si in Patre eſſet formaliter, ac virtualiter filiatio &c. Pater eſſet Filius, concedo ſequelam. Si in Patre eſſet formaliter non verò virtualiter filiatio, Pater eſſet Filius, nego ſequelam. Similiter diſtinguenda eſt minor, & neganda eſt cōſequentia. Nam quamuis eſſentia diuina ſit realiter formaliter identificata cū paternitate, filiatione, & proceſſione, non tamen eſt formaliter virtualiter cū ipſis identificata. Nam correſpondet paternitati, filiationi, ac proceſſioni ob ſui infinitatem, ac ſi realiter ab eis diſtingueretur.

54 Obijcies tertiò, argumento fundamētali oppoſitæ ſententiæ. Eſt omninò impoſſibile quòd vni, & eidem rei ſecundū eamdem formalitatem conueniant duo prædicata contradictoria: ſed ſi eſſentia diuina eſſet cum ſuis relationibus ex natura rei vna formalitas, vni, & eidem rei ſecundùm eamdem formalitatem conuenirent duo prædicata contradictoria. Ergo. Probatur minor. Quia relationi conuenit eſſe reſpectum ad aliud, eſſe conſtitutiuam perſonæ; eſſe incomunicabilem; eſſe productiuam, vel productam, aut procedentem. Eſſentiæ verò diuinæ conuenit eſſe ad ſe, & per ſe, aliquid abſolutum, communicabile, non eſſe producentem, non genitam, nec procedentem: ſed iſta ſunt duo contradictoria reſpectu vnius, & eiuſdem formalitatis. Ergo.

55 Reſpondetur, concedendo maiorem, & negando minorem. Ad cuius probationem concedo maiorem; & diſtinguo minorem, ſed iſta ſunt duo contradictoria reſpectu vnius, & eiuſdem formalitatis, formaliter, & virtualiter, concedo minorem. Reſpectu vnius, & eiuſdem formalitatis formaliter multiplicis verò virtualiter, nego minorem. Ergo &c. nego conſequentiam.

56 Explicatur iſta reſponſio. Contradictio eſt duorum oppoſitio quorum vnū eſt negatiuum, alterum poſitiuum reſpectu vnius, & eiuſdem omninò in eodem tempore, loco &c. Quando igitur conuenit aliquid alicui ſecundùm vnam rationem, quod ſecundùm aliam rationem eidem conuenire non poteſt, nulla datur vera contradictio. Nam adæquata hominis eſſentia eſt, quòd ſit animal rationale; & conuenit homini inquantùm animal eſt præciſè, eſſe genus, & in quantùm rationalis eſt, implicat ei eſſe genus, Et tamen in homine formalitas animaleitatis, & formalitas rationalitatis non ſunt duæ formalitates actualiter, & ex natura rei omninò diſtinctæ, ſed ſunt vna formalitas ex natura rei, multiplex verò virtualiter. Item. Intellectus prout eſt in Patre Aeterno, eſt id quo Pater generat, & voluntas pro vt eſt in Patre, & Filio, eſt id quo Pater, & Filius ſpirant Spiritum ſanctum, & tamen intellectus pro vt in Patre, eſt idem omninò cum intellectu Filij, & Spiritus ſancti, ſicut voluntas in Patre, & Filio cum voluntate, quæ eſt in Spiritu ſancto, & tamen propter diuerſam connotationem, intellectus pro vt eſt in Patre, eſt id quo Pater generat, pro vt eſt in Filio non eſt

id

Digitized by Google

id quo filius generat. Et ſimiliter, pro vt eſt in Spiritu ſancto. Et voluntas pro vt eſt in Patre, & Filio, eſt id quo Pater, & Filius ſpirant Spiritum ſanctum; pro vt verò eſt in Spiritu ſancto, nequaquàm, Quapropter iſta oppoſita prædicata non ſunt duo contradictoria; non ob aliã rationem, niſi quia hæc contradictoriè oppoſita prædicata conueniunt vni, & eidem formalitati ſecũdùm diuerſam connotationem. Multò minùs igitur in caſu noſtro, relatiuum, & abſolutum; communicabile, & incommunicabile, &c. Sunt duo contradictoriè oppoſita; quia reſpiciunt diuerſam formalitatem virtualiter.

57 Obijcies quartò, argumento etiam communi, & fundamentali. Pater æternus communicat filio totam Deitatem, ſeù eſſentiam diuinam, non verò communicat ei paternitatem. Ergo paternitas eſt ad minùs diſtincta ex natura rei ab eſſentia. Antecedens eſt de fide certum; conſequentia verò videtur euidens; nam inintelligibile videtur, quòd realiter communicetur alicui aliquod prædicatum; aliud verò realiter non communicetur, ſed à communicãte ſibi reſeruetur, quin vnum prædicatum ex natura rei ab alio, formaliter diſtinguatur.

Reſpondetur, omiſſis aliorum Theologorum ſolutionibus, diſtinguendo, ſeù explicando antecedens. Pater Aeternus communicat Filio totam Deitatem, ſeù eſſentiam diuinam, non verò communicat paternitatem, vt immediatè conſtitutiuam perſonæ, concedo antecedẽs. Non verò Paternitatem, vt identificatã eſſentiæ, nego antecedens. Ergo &c. nego conſequentiam.

58 Argumẽtum hoc poſſet eſſe difficile, & fortè inſolubile, ſi abſolutè, & omnibus modis concedatur, quòd Pater Aeternus ſic ſibi paternitatem ſeruat, vt nullatenùs communicet eam Filio; tamen, quia re vera Pater producit Filium, & producendo Filium, in eodem ſigno communicat eſſentiam diuinam Filio identificatam; Ideo, ſicut non reperitur eſſentia diuina ſine filiatione, cum qua realiter identificatur, ita quoquè reperiri non poteſt ſine paternitate, & proceſſione.

59 Nec ſequitur, quòd ſi Filio communicetur ſopradicto modo paternitas, Filius eſſet Pater. Nam tunc paternitas conſtituit Patrem, quando conſideratur, in ordine ad filiationem; quando verò conſideratur, vt eſt in eſſentia diuina, vt ei ex natura rei formaliter identificata, non conſtituit Patrem. Sicut igitur paternitas, quatenùs cum eſſentia diuina eſt ex parte rei vna formalitas, non conſtituit eſſentiam, Patrem, ita neque minùs, Filium, Patrem denominare poteſt.

60 Obijcies quintò. Quæcumquè ſunt eadem vni tertio, inter ſe ſunt eadem: ſed per nos relationes diuinæ cum diuina eſſentia ſunt ex natura rei vna formalitas. Ergo etiam inter ſe, eſſent ex natura rei vna formalitas. Hoc eſt falſum, imo Hæreticum. Ergo.

61 Peto ab arguente. Hoc argumentum proponitur ex parte hæreticorum, negantium Sanctiſſimæ Trinitatis arcanũ, An potiùs ex inſtituto, & pro confirmãdo arguentis intento? Si primum; reſpondebo vt infra. Si ſecundum,

62 Retorqueo argumentum, in catholicum arguentem ſic. Quæcumquè ſunt eadem vni tertio, ſunt eadem inter ſe: ſed Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus ſunt realiter, & entitatiue idem cum eſſentia diuina. Ergo ſunt realiter idem inter ſe. Hoc eſt falſum, imo hæreticum. Ergo.

63 Si reſponderent ſic, explicando maiorem. Quæcumquè ſunt eadem vni tertio, ſunt eadem inter ſe, qua ratione ſunt eadem vni tertio, concedunt maiorem. Qua ratione opponuntur ad inuicem, negat maiorem. Similiter diſtinguenda eſt minor, cum conſequentia.

64 Dicerent enim, quòd perſonæ diuinæ ſunt identificatæ inter ſe, eſſentialiter, & exiſtentialiter, non verò perſonaliter, & relatiuè.

Bona reſpõſio, taliter, quòd totaliter euertit arguentis contra nos directum argumentum. Difficiliùs enim ſaluatur diſtinctio realis inter perſonas, cum identitate naturæ diuinæ; quàm diſtinctio formalis virtualis inter eſſentiam, & relationes, cum identitate formali ex natura rei.

65 Reſpondetur igitur ad argumentum, ſiue hæreticorum, ſiue catholicorum ſit, pro nunc multis alijs, illius axiomatis explicationibus omiſſis, nimirum. Quæcumquè ſunt eadem vni tertio, ſecundùm omnem rationem ſunt eadem inter ſe, concedo. Quæcumque ſunt eadem vni tertio, non ſecundùm omnem rationem, ſunt eadem inter ſe, nego maiorem. Similiter diſtinguenda eſt minor. Et neganda eſt conſequentia. Relationes enim diuinæ quatenùs diuinam reſpiciunt eſſentiam, ſunt adinuicem identificatæ & in eadem eſſentia; tamen quia poſſunt conſiderari, & de facto ſic ſe habent, quòd ſcilicet, altera relatiuè opponatur alteri; ideo penes hanc viam

realiter

realiter ad inuicem diſtinguuntur.

66 Diuus Thomas articulo ſequenti hoc eodem modo præſens ſoluit argumentum, & ait, quod Philoſophus ipſe libro tertio phyſicorum textu. 21. eodem modo ſoluit dictum argumentum; & cum Ariſtotele, aſſignat exemplum, dicens, quòd *licet actio ſit idem motui, ſimiliter, & paſſio, non tamen ſequitur, quòd actio, & paſſio ſint idem; quia in actione importatur reſpectus, vt à quo eſt motus in mobili; in paſſione verò, vt qui eſt ab alio.*

67 Poſſet quoquè alio declarari exemplo, de duobus punctis in ſemicirculo. Nam in ſemicirculo ſunt duo puncta extrema, adinuicem ſibi oppoſita, ſecūdùm quòd vnum extremum alteri extremo contraponitur; ſi vero alia conſiderentur via, videlicet, quatenùs in eadem ſemicirculari linea continentur, aliquam inter ſe vnitatem, ſeù communicationem habent. Si autem fide ſupernaturali illuſtrati ad ſuprema, de quibus eſt præſens explicatio, mentis aciem eleuemus, faciliùs quæ opponuntur apparebunt euerſa. Nam in Deo à fidelibus duo conſideranda ſunt, ſed nullatenùs ſeparanda. Vnum eſt diuinę perfectionis infinitas. Oppoſitio relatiua alterū. Et vtrumquè neceſſariò ſua munera habet. Infinitati autem, conuenit vnitas; oppoſitioni verò relatiua, ſeù perſonalis diſtinctio. Quæcumquè igitur in Deo ſunt vnum ratione infinitatis, inter ſe quoquè ratione eiuſdem infinitatis vnū ſunt, in illa infinitate. Ratione verò oppoſitionis relatiuæ realiter diſtinguuntur.

68 Obijcies ſextò. Quæ habent diuerſas diffinitiones, ſeù quaſi diffinitiones, formaliter, & actualiter ex natura rei diſtinguuntur. Sic ſe habent relatio diuina, & eſſentia. Ergo. Maior patet. Probatur minor; quia eſſentia diuina, vt eſſentia eſt. conſtituit formaliſſimè Deū, in ratione deitatis. Perſonalitas verò diuina, eſt ſubſiſtentia relatiua alicuius perſonæ propria. Ergo.

69 Reſpondetur, relictis aliorum dicendi modis, tranſeat maior, & diſtinguo minorem. Sic ſe habent relatio diuina, & eſſentia, quatenùs ſtant, & explicantur nominibus eſſentiæ, ſcilicet, & relationis, concedo minorem. Quatenùs conſiderantur vt in ſe, nego minorem. Ergo &c. nego conſequentiam.

70 Explicatur iſta reſponſio. Aliud eſt loqui, de formalitate, quæ eſt diuina eſſentia. Et aliud eſt loqui, de formalitate, quæ eſt diuina eſſentia quatenùs nomine eſſentiæ profertur, & explicatur. Et quidem, primo modo, quemadmodum omnia quæ ſunt in Deo, ex natura rei, & actualiter ſunt vna formalitas, ſic etiam vnicum conceptum, vnicamquè diffinitionem habent. Si verò ſecundo modo, non ſolùm inter diuina prædicata præſupponitur diſtinctio virtualis, verumetiam actualis per intellectum de facto formata. Quando ergo arguunt aduerſarij, iam præfato, & infinitis ferè ſimilibus argumentis, magnoperè decipiuntur; quoniam accipiunt diuinas formalitates iam de facto diſtinctis conceptionibus formatas, vt inter ipſas nominum diuerſitas ipſa teſtatur, & deinde tranſeunt, ad prædicata diuina, non quatenùs ſupradictis nominibus nominantur, ſed pro vt in ſe ipſis ſunt. Multa alia ſolent ab aduerſarijs conglomerari argumenta. Tu quæ in hac diſputatione diximus, diligenter obſerua, quoniam omnia facili negotio ſolues.

DISPVTATIO

Digitized by Google

DISPVTATIO CLIX:

VTRVM RELATIO DIVINA DISTINGVATVR RATIONE ratiocinata ab eſſentia diuina.

In duo capita diſtributa.

CAPVT PRIMVM.

Doctorum opiniones referuntur, & veritas ſtabilitur.

Ocham. Grabiel. Maior. Arimen.

1 PRO parte negatiua adducuntur Ocham, in 1. diſt. 2. q. 2. & 3. Gabriel, q. 2. ar 2. concl. 1. Maior, diſt. 8. q. 1. cōcl. 2. Ariminenſis, q. 2. ar. 2. & Aureolus ar. 2. Verùm quidam etiam hos Doctores ab hac opinione liberare conantur. Quod, quia parui profectus eſt, dicant quidquid velint. Si ſunt pro parte affirmatiua, impugnabūtur, ſin autem, defendentur.

2 Communis igitur Theologorū ſententia eſt, relationes ratione ratiocinata diſtingui ab eſſentia diuina, & non ſolū ratiocinante; aut quò ad modum ſignificandi. Nam vel tenent, cum Scoto, & Durando, quòd diſtinguuntur ex natura rei. Et hi multò fortiùs tenere coguntur, diſtingui etiam ratione. Vel dicunt cum communiori, diſtingui non actualiter, & ex natura rei, ſed virtualiter; hi cōſequēter tenētur dicere, diſtingui etiā ratione ratiocinata.

3 Pro determinatione ergo veritatis, dico breuiter. Relationes diuinæ non ſolùm diſtinguuntur ratione ratiocinante; verumetiam ratione ratiocinata. Quò ad primam huius concluſionis partem, nullus de eius veritate ambigere poteſt. Cum diſtinctio rationis ratiocinantis, ſaluetur etiam reſpectu vnius, & eiuſdē omninò.

4 Quò ad ſecundam verò partem, mihi præſens concluſio certiſſima eſt, & tutiſſima; taliter, quòd oppoſitum dicere, iudicio eſſe in fide valde periculoſum.

5 Probatur primò ex Sacra ſcriptura, quæ docet Incarnationem diuini Verbi factam eſſe in perſona, non verò in natura. Iuxta illud, Ioan. 1. *Verbum caro factum eſt.* Ioan. 1.

6 Probatur ſecundò ex concilijs. Nam in Concilio Calcedonenſe, in Symbolo fidei ſic dicitur. *Confitemur in nouiſſimis diebus, Filium Dei Vnigenitum, in duabus naturis inconfusè, immutabiliter, indiuisè, inſeparabiliter agnoſcendum, nunquàm ſublata differentia naturarum propter vnionem.* Ergo ex Sacra Scriptura clare deducitur, quòd relatio diuina aliqua ratione ratiocinata diſtinguitur ab eſſentia diuina. Et in Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. & habetur extra de ſumma Trinitate cap. damnamus, ſic dicitur. *Subſtātia, Eſſentia, ſeù Natura diuina, quæ ſola eſt vniuerſorum principium, præter quàm, aliud inueniri non poteſt; & illa res non eſt generans, nec genita, nec procedens: ſed eſt Pater qui generat, Filius, qui gignitur, & Spiritus ſanctus, qui procedit.* Calced. Lateran.

7 Idem habetur in Concilio Toletano. 1. in fidei Cōfeſſione, vbi ſic dicitur. *Si quis dixerit, vel crediderit, Deitatem naſcibilem eſſe, Anathema ſit.* Toleta.

8 His adde ſupradicti Concili Lateranenſis verba, poſt iam præcitata, ſequētia, vbi ſic ſubiungitur; *vt diſtinctiones ſint in perſonis, & vnitas in natura.* Lateran.

9 Et in Concilio Florentino pluries citato omnes Theologi, tàm Græci, quàm Latini, vnanimiter conſenſerunt eſſentiam, & perſonam in diuinis ſola ratione diſtingui. Floren.

10 Probatur tertio ex communi Sanctorum Patrum, theologorumquè conſenſu, & præſertim ex Diuo Athanaſio, dialogo 1. de Sancta Trinitate; vbi ſic ait.

Digitized by Google

S. Athan. ait. *Aliud eſt hypoſtaſis; & aliud Deitas; non vt alia, & alia res; ſed quòd hypoſtaſis quidem aliud; aliud verò deitas ſignificet.* Et poſt multa, ſic ait. *Eſſentia declarat communitatem; & ſi quid eſt eſſentiæ proprium, id quoquè commune eſt hypoſtaſibus, quæ eſſentiæ ſubſunt. Hypoſtaſis autem, præterquamquòd, numerum admittit, proprietatem habet minimè communem hypoſtaſibus, quæ eſſentiæ ſubſunt.*

S. Baſil. 11 Et Sanctus Baſilius libro ſecundo cõtra Eunomium circa principium, ſic ait. *In Patre, ac Filio, non ſignificant ſubſtantiam nomina, ſed proprietates deſignant.* Et S. Hilar. lib. 8. de Trin. ſic ait. *Non idem eſt enim natura, quàm naturæ res.* Et D. Ambroſ. lib. de Incarnat. ſacram. ſic ait. *Si naturam cupio deſignare diuinam, Deum verum debeo nominare. Cum autem Filium dico, generatum ſignifico.* Et Damaſcenus, lib. 3. fidei c. 6. ſic ait. *Subſtantia ſecundũ ſeipſam, hypoſtaſis non eſt, ſed in hypoſtaſibus ſecuatur.*

S. Hilar.
S. Amb.
S. Dam.

D. Thom. 12 Idem expreſsè docet, & confirmat D. Thomas in 1. diſt. 2. q. vnica art. 2. vbi de attributis loquens, ſic ait; *Sunt diuerſa ratione; non tamen ex parte ipſius ratiocinantis, ſed ex proprietate ipſius rei*; & diſt. 22. q. vnica art. 3. loquens de diſtinctione rationis inter diuina attributa, ſic ait. *Saluatur in proprietate, & veritate; & non tantùm in intellectu ratiocinantis.* Quòd ſi hoc verificatur de attributis multo magis verificari debet de relationibus in ordine ad eſſentiam. Nam relationes ad inuicem realiter diſtinguuntur; cum realiter opponantur. Attributa vero diuina ſunt omnino realiter, & formaliter ex natura rei etiam ad inuicem, quò ad formalitates, quas ſignificant, identificata.

13 Et in hoc articulo, hoc expreſsè affirmat in corp. circa fin. dum ait. *Et ſic manifeſtum eſt, quòd relatio realiter exiſtens in Deo, eſt idem eſſentiæ ſecundùm rem, & non differt, niſi ſecundùm intelligentiæ rationem, pro vt in relatione importatur reſpectus ad ſuũ oppoſitum, qui non importatur in nomine eſſentiæ.* Idem docet in reſponſ. ad 2. & 3.

14 Et 3. p. q. 3. ar. 1. ait in corp. quòd vnio facta eſt in perſona, non in natura. Idem docet ibidem ar. 2. & ferè per totã illam quæſt. & præſertim ar. 3. vbi quærit, *Vtrum abſtracta perſonalitate per intellectum, natura poſſit aſſumere.* Et reſpondet affirmatiuè.

15 Ex quibus D. Thomæ teſtimonijs euidenter colligitur diſtinctio rationis ratiocinatæ, inter relationes diuinas, & eſſentiam.

16 Probatur quartò ratione theologica: De fide certum eſt, quòd multa prædicata conueniunt relationibus, quæ repugnant eſſentiæ diuinæ, cæteriſquè eius prædicatis abſolutis. Ergo iuxta fidem, omninò certum eſt, quòd relationes diuinæ ratione ratiocinata ab eſſentia diuina diſtinguuntur. Probatur antecedens. Quia paternitati V. G. conuenit oppoſitio relatiua reſpectu filiationis; ſpirationi actiuæ, vt referatur realiter ad proceſſionem Spiritus ſancti; & paternitati, vt a filiatione, & proceſſione realiter diſtinguatur; Et omnia alia prædicata, quæ ſunt propria perſonarum, ſicuti ſunt incommunicabilitas, generare, generari, & procedere. Sed hec omnia repugnant diuinæ eſſentiæ, nomine eſſentię ſignificatæ. Vt patet ex expreſſis Conciliorum determinationibus; ac vnanimi Theologorum conſenſu. Ergo.

17 Probatur quinto ratione phyloſophica. Alia eſt ratio abſoluti, vt abſolutum eſt; & alia eſt ratio reſpectiui, ſeù relationis, vt reſpectiuum, ſeù, vt relatio eſt: ſed nomine eſſentiæ ſignificatur aliquid abſolutum, vt abſolutum eſt; nomine verò Patris, ſeù paternitatis v. g. ſignificatur aliquid relatiuum, ſeù relatio, vt relatiuum, ſeù vt relatio eſt. Ergo eſſentia, & relationes ratione ratiocinata diſtinguuntur.

18 Confirmatur primò. Formalitas communicabilis pluribus ſuppoſitis, & formalitas omninò incommunicabilis alteri ſuppoſito, ſunt formalitates, adminùs ratione ratiocinata diſtinctæ: ſed ſic ſe habent relationes, & eſſentia, vt patet. Ergo.

19 Confirmatur ſecundò; Quia per conceptum, & per cognitionem qua aliquis viator diuinam cognoſcit eſſentiam, nullo modo poteſt cognoſcere relationes. Ergo formalitas eſſentiæ, ad minùs ratione ratiocinata diſtinguitur à formalitate relationum. Antecedens patet, ab omnibus ſupponi debet, & probatur; quia aliàs ſequeretur, quòd diuinam contemplans eſſentiam in ratione eſſentiæ, & in ratione communicabilis, non eſſet obſtrictus, vt relationes diuinas contemplari volens, aliam in ſe cognitionem, ſeù contemplationem de diuinis relationibus formet. Patet, quia reſpectu vnius, & eiuſdem omnino formalitatis, quatenùs vna formalitas eſt, ſufficit vna, eademquè cognitio.

20 Explicatur hoc. Homo & Animal rationale differunt inter ſe in hoc, quia homo ſe habet vt diffinitum, & animal rationale, vt diffinitio; & propterea alia cognitione debet cognoſci homo ſecundùm intentionem ſecundam diffiniti; alia cognitione animal rationale, ſecundùm

Digitized by Google

ſecundùm ſecundam intentionem diffinitionis. Nam vnum ſe habet vt explicatum, & aliud vt explicans. Cęterùm, ſi homo, & animal rationale conſiderētur quantùm ad ipſas formalitates, per ſupradicta nomina ſignificatas, nulla omninò ratione ratiocinata diſtinguuntur. Quapropter, ea cognitione, qua cognoſcitur homo diſtinctè, cognoſcitur animal rationale; & è conuerſo; Non alia ratione, niſi quia, homo, & animal rationale, ratione ratiocinata, quò ad formalitates ipſas nullatenùs diſtinguuntur. Ergo ſi eſſentia diuina, & relationes eius nullo modo ratione ratiocinata diſtinguuntur, ea cognitione, qua cognoſceretur eſſentia explicitè vt eſſentia, cognoſceretur relatio diuina, & è contra.

CAPVT SECVNDVM.

Proponuntur argumenta in contrarium, & ſoluuntur.

21 SED contra iſtam determinationē obijciet aliquis primò ex Ariminenſi in 1. diſt. 8. Si relationes diuinæ ratione diſtinguerentur ab eſſentia, ſequeretur, quòd idem diſtingueretur à ſe ipſo ratione. Hoc eſt abſurdum. Ergo. Patet ſequela; quia quod diſtinguitur ratione ab aliquo, non eſt idem ratione cum illo: ſed eſſentia, & relatio per nos ſunt idem realiter. Ergo ſi diſtinguerentur ratione, idem diſtingueretur ratione a ſeipſo.

22 Reſpondet Capreolus, in 1. diſt. 8. q. 4. ad argumenta contra ſecundam concluſionem ad vltimam probationem, negando ſequelam his verbis. *Verumtamen vt prædixi, alia via facilior poſſet teneri, quæ dicebat, quòd nunquàm concedendum eſt, quòd aliqua res diſtinguatur ratione a ſe ipſa; licet concedatur, aliqua eſſe idem realiter, & diſtingui ſecundùm rationem. Vnde non ſequitur. A. & B. diſtinguuntur realiter, & A. & B. ſunt eadem res. Ergo eadem res diſtinguitur realiter à ſe ipſa. Nam totum antecedens eſt verum in diuinis de Patre, & Filio; iſti enim diſtinguuntur realiter; & cum hoc, ſunt eadem res, ſcilicet, diuina eſſentia, nec tamen illa res, ſcilicet, eſſentia, diſtinguitur realiter à ſe ipſa. Sic, nec in propoſito ſequitur, bonitas, & ſapientia diſtinguuntur ratione; & iſta ſunt vna, & eadem res. Igitur vna, & eadem res diſtinguitur ratione a ſeipſa.*

23 Argumentum proponitur ab Ariminenſi contra diſtinctionem attributorū, formatum autem eſt a me contra diſtinctionem rationis eſſentiæ à relationibus.

24 Recupitus, libro tertio de attributis in communi q. 5. proponit idem argumentum cap. 1. num. 2. & cap. 3. refert ſupradictam Capreoli reſponſionem, de qua ſic ait. *Hæc reſponſio ſubtilior videtur, quàm verior*, & non aliter eam impugnat, niſi quia argumentum loquitur non ſolùm de attributis diuinis, ſed de quolibet obiecto creato, quod eſt vnum ſecundū ſe, & plura ſecundùm conceptus. Et in his omnibus confugere ad Myſterium Trinitatis. *eſt fuga, non ſolutio argumenti.*

25 Benè dixit, reſponſionem Capreoli eſſe ſubtiliorem, eamquè ſi rectiùs penetraſſet, æquè veriorem appellaſſet. Nam formaliſſimè loquendo, dicere, quòd eadem res ratione ratiocinata diſtinguitur à ſe ipſa, eſt dicere, quòd eadem res non verificatur de ſeipſa etiam in mente. Quare re vera profundè negauit abſolutè loquendo, eſſe concedendam propoſitionem iſtam, nimirum, eadem res diſtinguitur ratione ratiocinata à ſe ipſa.

26 Quantùm verò ad id, quod ait, argumentum loqui de attributis, non ſolū diuinis, ſed de quolibet obiecto creato. Et per conſequens, confugere ad Myſterium Trinitatis, *eſt fuga, non ſolutio argumenti*. In primis. Nonne ferè communiter Chriſtiani Phyloſophi, de relationibus creatis diſputantes, vtrum ſcilicet, dētur in creatis relationes reales, ad Myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis recurrētes ſic argumentantur? Dantur relationes reales in diuinis, vt fides catholica confitetur. Ergo dantur quoquè relationes reales in creatis; & tamen, non eſt fuga ſic diſcurrere, ſeù ad veriſſima, quę fides ipſa docet recurrere, ſed bona, ac germana probatio. Ergo Capreolus recurrens ad ea, quæ fidei ſunt, non arripuit fugam, ſed vt veritatem confirmaret, ſempiterniſſimę veritatis aſſignauit exemplum.

27 Secundò; quia Capreolus non reſpōdebat Ethnicis, aut Paganis, ſed Philoſophis Chriſtianis. Quibus exemplum in materia fidei non eſt fuga, ſed reſponſio, vel bona probatio.

28 Recupitus, reiecta ſupradicta Capreoli reſponſione ſic ſequitur. *Aliter igitur reſpondeo*. Et aſſignat alteram Capreoli reſponſionem, quam ex Capreolo carpſit, eamdemquè Capreolus eruditiſſimè explicauit. Et tamen dixit. *Aliter igitur reſpondeo*: quaſi eſſet de Sacco tanta farina ſuo. Meliùs fortè dixiſſet; aliter igitur cum eodem ſapientiſſimo Capreolo reſpondetur.

29 Obijcies ſecundò. In tantùm relationes ratione diſtinguuntur ab eſſentia diuina, in quantùm diſtinctis conceptionibus, ſeù cognitionibus cognoſcuntur relationes,

O

lationes, eſſentia diuina: ſed hoc nihil obſtat. Ergo relationes diuinæ, & eſsẽtia ratione ratiocinata non diſtinguuntur. Maior patet. Probatur minor; quia idem obiectum poteſt à diuerſis cognoſci; & ab eodem diuerſis interruptis cognitionibus, & iterum replicatis: ſed in huiuſmodi caſibus, ſunt diuerſæ cognitiones, & vnum, idemquè omninò obiectum. Ergo.

Paludan. Capreo.

30 Reſpondetur cum Paludano, & Capreolo, in 1. diſt. 8. q. 4. citata. Quando idem obiectum à diuerſis cognoſcitur; vel ab eodem cognoſcente diuerſis vicibus contemplatur, concipitur diſtinctis conceptibus materialibus, non autem formalibus.

Recup.

31 Recupitus qui ſupra, nu. 9. impugnat hanc reſponſionem, & contra eam ſic argumentatur. *Nam ſicut in re variatio ſecundùm materiam, licet non diſtinguat ſpecie, diſtinguit tamen numero; ita per rationem, variatio ſecundùm conceptum materialem diſtingueret numero. Sicut enim datur diſtinctio in re, & numeralis, & ſpecifica, ita debet dari diſtinctio rationis, & numeralis, & ſpecifica. Ergo per cognitiones numero diſtinctas circa idem obiectum, ſequeretur, ſecundùm rationẽ obiectum ſaltem diſtingui numero. Vnde ex oppoſito conſequentis, arguitur oppoſitum antecedentis; quòd, ſicut per cognitiones diſtinctas numero circa idem obiectum, hoc non dicitur vllo modo ratione diſtingui; ita nequè per cognitiones diuerſas ſpecie.*

32 Optima tamen eſt, & tenenda doctrina Capreoli; & inſtantia eſt nulla, & puerilis. Vnde in forma.

33 Reſpondetur, diſtinguendo antecedens. Sicuti in re, variatio ſecundùm materiam, licet non diſtinguat ſpecie, diſtinguit tamen numero, quod per illam materiam diſtinguitur numero, concedo antecedens. Quod per illam materiam non diſtinguitur numero, nego antecedens. Ergo &c. nego conſequentiam. Et ratio negationis eſt; quia cognitiones, & conceptiones reſpectu eiuſdem numero obiecti, diſtinguuntur materialiter, quò ad proprias entitates, & quò ad modum eſsẽdi inhæſiuè in intellectu; & nullam diſtinctionem numericam cauſant in obiecto. Vnde ſi vno eodemquè conceptu reali, cognoſcerentur duo obiecta numero diſtincta, propter propriam materiam, quam in ſe ipſis includunt; diceretur quidem vnus conceptus realiter propter vnitatem entitatiuam; diceretur quoquè duplex conceptus numero, virtualiter; quia vnitas, ac diſtinctio conceptus in ratione entitatis nullam arguit, vel ponit in obiecto numericam pluralitatem, vel vnitatem.

34 Nec reſponſio Recupiti in aliquo, niſi verbaliter differt à reſponſione Capreoli. Nam conceptus, ſeù verbum quo aliquod obiectum cognoſcitur, ſi conſideretur vt quo; ſeù vt verbum, formaliter eſt, eſt idem omninò cum obiecto. Et conſequenter, eo modo quo variatur verbum, variatur obiectum, & è contra.

35 Reliqua argumenta cum ſuis ſolutionibus videantur apud Capreolum in 1. diſt. 8. q. 4. citata.

DISPVTATIO CLX.

VTRVM RELATIONES DIVINÆ SINT DE INTRINSECO, ac eſſentiali conceptu eſſentiæ Diuinæ.

In tria capita diſtributa.

CAPVT PRIMVM.

Doctorum opiniones referuntur.

1 Relationes ratione ratiocinata diſtingui ab eſſentia diuina; & è contra, in ſuperioribus diſputationibus nuper iam diſcuſſis determinatum eſt; nunc autem conſiderandum reſtat, Vtrum relationes diuinæ, ſint de intrinſeco, ac eſſentiali conceptu eſſentiæ diuinæ, & ſi non per prædicationem in recto, ad minùs per incluſionem, ita vt ſenſus ſit, Vtrum conceptus formalis eſſentiæ diuinæ in ratione eſſentiæ, includat conceptum relationis diuinæ aliquo modo.

In

Digitized by Google

2 In qua re non concordant Theologi. Nam quidam affirmant, relationes diuinas eſſe de intrinſeco, ac eſſentiali conceptu deitatis, ſeù eſſentiæ diuinæ vt incluſas in conceptu intrinſeco diuinæ eſſentiæ. Sic tribuitur Caietano, q. 27. ar. 2. a Bañes hic, dub. 3. ad 6. Ab Herrera, hìc dub. 2. concl. 3. & à Patre Amico diſp. 19. ſect. 5. nu. 111. per hoc quod quæſt. præcedenti art. 2. in fine commentarij ſic ait. *Ipſa enim perfectio diuini eſſe, ſi ſecundùm ſe (vt ſic liceat loqui) diſfiniretur, hæc omnia in ſe concluderet.*

Banes. Herrera. Amicus.

3 Sed non benè, pace horum Doctorū, propter ſupradicta verba, poteſt Caietanus pro parte affirmatiua referri. Nam ibi Caietanus manifeſtè loquitur de perfectione diuina, vt eſt in ſe, & in actu; non verò, quatenùs eſt formaliter, & actualiter ab intellectu noſtro concepta; quod eius verba manifeſtè declarant. Sic enim ait. *Perſpicuè enim apparet hìc, quòd nulla eſt diſtinctio formalis actu, inter eſſentiam diuinam, & proprietates perſonales, & attributa, & reliqua quę in Deo formaliter ſaluantur.* Et deinde immediatè ſubdit verba paulò ante citata. Et ſic tandem concludit. *Et propterea omnem huiuſmodi diſtinctionem in Deo, non niſi virtualiter; in intellectu verò, ſecundùm rationem ponito.* Dicant quæſo quòd eſt verbum, aut particula qua Caietanus dicat, vel inſinuet relationes diuinas ſecundùm noſtrum intelligendi modum, ſeù formaliter formalitate obiectiua, eſſe in conceptu formali eſſentiæ ſic conceptæ incluſas. Duo enim dumtaxat Caietanus ait. Vnum eſt quòd relationes diuinæ actu non diſtinguuntur ab eſſentia diuina. Alterū verò eſt, quòd virtualiter diſtinguuntur. Nec aliud ibi habet. Itaquè, Caietanus per ſupracitata verba loquitur de diffinitione perfectionis diuini eſſe ſecundùm ſe, ideſt, pro vt actu eſt a parte rei. Vnde immeritò Caietanus, vi præfati teſtimonij à præallegatis Doctoribus, pro affirmatiua parte refertur.

Banes. Zumel. Talentia. Amicus. Syluester.

4 Affirmatiuè reſpondent Bañes loco citato; & ſupra q. 12. art. 7. dub. 3. Zumel, q. 12. art. 7. concl. 3. licet hìc diſp. 3. concl. 4. oppoſitum teneat; Valentia, q. 4. de Trinitate puncto 2. §. *Quartū argumentum*; Amicus, & Herrera locis iam citatis; Syluester in Cōflato hic ar. 6.

Capreol.

5 Pro parte verò negatiua ſunt omnes aſſerentes eſſentiam diuinam ex natura rei a relationibus eſſe diſtinctam. Et ex ijs, qui tenent ſola diſtinctione virtuali diſtingui, Capreolus, in 1. diſt. 8. q. 4. ad 19. Vbi ait, quòd *quando aliqua ſunt idem eſſentialiter ſecundùm eſſentiam non limitatam ad certum genus, talia poſſunt conuenire in eadem eſſentia, & erunt eſſentialiter eadem, non tamen quiditatiuè, aut ſecundùm rationem, ſicut patet de relatione, & eſſentia in diuinis; & de filiatione, & paternitate.* Caietanus, infra q. 39. ar. 6. in reſp. ad 2. Vbi ſic ait; *Cum paternitas prędicatur de eſſentia, eſt per ſe, & nullo modo per accidens.* Per ſe, inquit, *in latitudine identicarum, vt hìc innuitur, & in principio reſponſionis &c. Eſt ergo nullo modo per accidens quò ad identitatem. Et tamē interuenit fallacia accidentis, quò ad formalitatem.* Vbi intendit diuerſa D. Thomæ loca explicare. Nam q. 3. de potentia art. 2. ad 6. dicit, quod iſta prędicatio, eſſentia eſt Pater, non eſt per ſe; prima parte verò q. 39. art. 6. in corp. dicit, quòd hæc prædicatio, eſſentia eſt pater, eſt per ſe; Quia 1. p. locutus eſt de perſeitate identica, non verò de perſeitate formali. Ferrarienſis 2. cont. gent. cap. 9. §. *Attendēdum tamen*, circa finem, vbi ſic ait; *Si enim conciperetur Deitas ſecundùm ſe, in intellectu eius, eſſet potentia actiua, & actio, ſicut & omnis alia perfectio, cum ſit perfectio infinita, & fons omnis perfectionis. Ideo ex hoc quòd ſunt realiter idem eſſentiæ, ſequitur vt inter ſe ſint realiter idem, ſicut & de ſapientia, & iuſtitia diuina. Non ſic autem eſt de paternitata, & filiatione; quia paternitas vt relatio eſt, non eſſet de ratione Deitatis, includitur tantùm ratio cuiuslibet perfectionis; relatio autem, ſecundū quòd relatio eſt, non dicit aliquid, nec perfectionem, ſed tantùm ad aliquid; ideo quòd diſtinguatur ratione ab eſſentia, eſt non tantùm ex parte intellectus, ſed etiā ex natura ipſius rei.* Torres, hìc diſp. 2. dub. vlt. Molina, hìc diſp. 6. concl. 3. Vaſquez, diſp. 121. cap. 4. Suarez, lib. 4. de Trinit. cap. 5. Fonſeca, 2. metaph. cap. 1. q. 2. ſect. 3. Becanus, cap. 29. q. 5. Nazarius, hic contr. 1. Albertinus, corollar. 8. ex prædicamento ad aliquid quæſt. 8. §. *Ad tertiam probationem*. Gillius, lib. 2. tract. 3. cap. 2. & 10. Arrubal, diſp. 101. cap. 3. Ruiz, diſp. 14. ſect. 2. Gonzalez, hic diſp. 5. ſect. 2. Salmanticenſes, tract. 6. diſp. 3. dub. 4. §. 1. Faſolus, hic dub. 3. Ayoſſa, diſp. 19. ſect. 3. §. 2. Arriaga, diſp. 4. ſect. 3. ſubſect. 2.

Caiet. D. Thom. Ferrar. Torres. Molina. Suarez. Fonſeca. Becanus. Nazarius. Albertin. Gillius. Arrubal. Ruiz. Gonzal. Salmanti. Faſolus. Ayoſſa. Arriaga.

CAPVT SECVNDVM.

Determinatio veritatis.

6 PRO determinatione ergo veritatis, dico primò. Relatio diuina non eſt de intrinſeco, ac de eſſentiali ratione eſſentiæ diuinę vt eſſentia diuina eſt, tanquàm prædicatum eſſentiale illius.

Digitized by Google

7 Hoc dictum debet eſſe omninò certũ apud omnes aſſerentes eſſentiam diuinã ex natura rei, & actualiter à ſuis relationibus diſtingui. Nec non apud omnes admittentes diſtingui virtualiter, & ratione ratiocinata actualiter.

8 Et probatur; quia oppoſitum dicere, repugnat in terminis. Nam quæ ſunt de intrinſeca ratione alicuius, non diſtinguuntur ratione ab illo; & è contra, quę diſtinguuntur ratione ab aliquo, non sũt de intrinſeca ratione illius: ſed relationes diuinæ diſtinguuntur virtualiter à parte rei, & actualiter per intellectum. Ergo relationes diuinæ non ſunt de intrinſeca ratione eſſentiæ diuinæ.

9 Confirmatur; Quod diſtinguitur ratione ab aliquo, non identificatur ratione cum illo: ſed relationes diuinæ diſtinguuntur ratione ab eſſentia diuina. Ergo non identificantur ratione cum illa. Tunc vltra. Sed quod eſt de ratione eſſentiali alicuius, identificatur ratione cum illo. Ergo vel relationes non diſtinguuntur ratione ab eſſentia diuina; vel non ſunt de intrinſeca ratione illius.

10 Dico ſecundò. Relationes diuinæ non ſunt de intrinſeco, ac eſſentiali conceptu eſſentiæ diuinæ tanquam modi intrinſeci illius.

Hoc dictum eſt contra nonnullos Thomiſtas ex ſupra citatis.

11 Poſſem hoc dictum quamplurimis Conciliorum, Sanctorum Patrum, probatiſſimorumquè virorum authoritatibus roborare; Verùm, quia omnes authoritates ad hoc tendunt, vt aliquid tribuãt eſſentiæ diuinæ vt eſſentia eſt, quod relationibus non concedant: idcirco ſufficiat inſinuare id, quod Concilium Florentinum docet, nempè quòd natura diuina, & relationes ſola ratione diſtinguuntur, & quòd Pater Aeternus, omnia communicauit Filio, ſcilicet, totam Dei naturam, & ſolùm ſibi retinuit hoc, quod eſt eſſe Patrem. Ergo paternitas ex Concilio Florentino non eſt de intrinſeca ratione eſſentiæ, in ratione eſſentiæ. Nam ſi paternitas eſſet de intrinſeca ratione eſſentiæ, in ratione eſſentiæ aliquo modo; vel Pater Aeternus non communicaſſet totam naturam, ſeù eſſentiã Deitatis quantùm ad omnem modum intrinſecum Deitatis; vel diminutè communicaſſet Filio Deitatem; Vel paternitas non eſt aliquo modo virtualiter, & ſecundùm rationem loquendo de intrinſeca ratione Deitatis. Hoc idem omninò aſſeritur, vel intenditur ab alijs Concilijs, & Sanctis Patribus relatis, & in magnam verborum ſarcinam, à Doctoribus collectis.

12 Probatur igitur ſecundò ratione. Solùm illud eſt de intrinſeco, ac eſſentiali conceptu diuinæ eſſentiæ in ratione eſſentiæ, quod poteſt de diuina eſſentia in ratione eſſentiæ abſolutè prædicari, ſed nulla relatio diuina in ratione relationis poteſt aliquo modo de eſſentia diuina, in ratione eſſentiæ abſolutè prædicari. Ergo nulla relatio diuina eſt aliquo modo de eſſentiali conceptu diuinæ eſſentiæ. Maior patet; Quia nihil veriùs poteſt de aliquo abſolutè prædicari, quàm illud, quod eſt de intrinſeca ratione illius. Ergo. Maior etiam patet. Nam quælibet relatio diuina vt relatio diuina eſt, repugnat communicabilitati; eſſentia verò diuina in ratione eſſentiæ, non repugnat cum communicabilitate. Ergo nulla relatio diuina poteſt abſolutè de eſſentia diuina in ratione eſſentia prædicari. Antecedens patet quo ad vtramquè partem. Probatur autem conſequentia; quia ſi quis ſic diceret. Eſſentia diuina in ratione eſſentiæ diuinæ eſt incommunicabilis, prædicatum repugnaret ſubiecto. Ergo.

13 Probatur vltimò authoritatibus Diui Thomæ. Nam D. Thomas infra q. 33. art. 3. ad 1. ſic ait; *Communia abſolutè dicta, ſecundùm ordinem intellectus noſtri, ſunt priora quàm propria; quia includuntur in intellectu propriorum, ſed non è conuerſo. In intellectu enim perſonę Patris, intelligitur Deus, ſed non conuertitur.*

14 Verba clara ſunt. Nec poteſt præfatus D. Thomæ locus de conceptu imperfecto, ſeù inadæquato diuinæ eſſentiæ explicari; quoniam eodem prorſus modo eſſet verum dicere, quod nequè communia in diuinis ſunt abſolutè de conceptu propriorum, vt patet.

15 Idem docet in 1. diſt. 33. q. vnica ar. 1. ad 3. vbi ait; quod eſt alia ratio paternitatis, & eſſentiæ in diuinis; non ſecundũ quod ratio eſt in ratiocinante tantum; ſed ſecundùm quod ſignificat definitionem rei. Quamuis enim in diuinis non poſſit eſſe definitio, nec genus, nec differentia; tamen ſi intelligatur ibi aliquid definiri, alia erit definitio paternitatis & alia definitio eſſentiæ. Idem pluries ibidem repetit,

16 Et in hoc articulo in corp. circa finẽ; ſic ait; *& ſic manifeſtum eſt, quòd relatio realiter exiſtens in Deo, eſt idem eſſentiæ ſecundùm rem; & non differt, niſi ſecundùm intelligentiæ rationem; pro vt in relatione importatur reſpectus ad ſuũ oppoſitum, qui nõ importatur in nomine eſſẽtiæ.* & de pot. q. 8. ar. 2. Nã ibi q̃rit; *Vtrũ relatio in Deo ſit eius ſubſtantia*, & cõtra veritatẽ, ſic in ordine argumentatur ſextò. *Quidquid prædicatur de prædicato, prædicatur*

Digitized by Google

dicatur de ſubiecto : ſed ſi relatio eſt ipſa eſſentia diuina, hæc prædicatio erit vera, eſſentia diuina eſt paternitas ; & pari ratione iſta ; Filiatio eſt diuina eſſentia. Ergo ſequetur, quòd filiatio eſt Pater. Cui argumento ſic reſpõdet ; *Ad 6. dicendum, quòd ratio illa tenet in prædicabilibus per ſe ; per ſe autem prædicatur aliquid de aliquo, quod prædicatur de eo ſecundùm propriam rationem ; quod verò, non ſecundùm propriam rationem prædicatur ; ſed propter rei identitatem, non etiam prædicatur per ſe. Cum ergo dicitur, eſſentia diuina eſt paternitas ; non prædicatur paternitas de eſſentia diuina propter identitatem rationis, ſed propter identitatem rei ; & ſimiliter nec eſſentia de paternitate, vt iam dictum eſt. Quia alia eſt ratio eſſentiæ, & relationis. Et ideo in prædicto proceſſu incidit fallacia accidentis. Licet enim in Deo, nullum ſit accidens ; eſt tamen quadã ſimilitudo accidentis ; in quantùm ea, quæ de ſe inuicem prædicantur, ſecundùm accidens, & differunt ratione, ſunt vnum ſubiecto.* Nihil clariùs dici poteſt.

17 Probatur vltimò. Eſſentia diuina in ratione eſſentiæ eſt aliquid abſolutum : Hoc repugnat relationibus, vt relationes ſunt. Ergo nulla relatio diuina eſt de ratione eſſentiæ diuinæ. Antecedens patet ; quia eſſentia diuina in ratione eſſentiæ, non diuiditur in eſſentiam abſolutã, & in eſſentiam relatiuam. Ergo ratio formalis eſſentiæ eſt omninò abſoluta. Vnde, quando eſſentia diuina, ſeù aliquod prædicatum abſolutum Dei, ſicuti eſt intellectus, aut voluntas, dicitur potentia generatiua, aut ſpiratiua, non dicit aliquid relatiuum, ſed abſolutum, vt connotans relationem. Probatur autẽ conſequentia ; quia ratio formalis abſoluti vt abſolutum eſt, eſt omninò diuerſa à ratione formali reſpectiui, vt reſpectiuum eſt.

18 Confirmatur primò. Quia vt pluries docet D. Thomas potentia generatiua in diuinis in recto, ſignificat eſſentiam, & in obliquo ſignificat relationẽ ; perſona ſignificat in recto relationem, & in obliquo eſſentiam. Ergo relatio non eſt de intrinſeca ratione eſſentiæ. Patet conſequentia ; quia quod eſt de intrinſeca ratione alicuius, ſignificatur in recto, & in recto dicitur de illo. Ergo vel relatio non eſt de ratione eſſentiæ ; vel relatio non ſignificatur in obliquo, & connotatiuè per potentiam generatiuã, aut ſpiratiuam, quæ eſt eſſentia diuina in recto ſignificata, ſed ſicuti potentia generatiua ſignificat in recto eſſentiam ; ita quoquè deberet ſignificare in recto relationem.

19 Confirmatur ſecundò ; Quia de fide vera eſt iſta propoſitio, Pater æternus generat filium ; iſta verò eſt hæretica, Eſſentia diuina generat filium. Item. Catholica eſt iſta propoſitio, Paternitas opponitur relatiuè filiationi. Hæretica eſt iſta, Eſſentia diuina opponitur relatiuè filiationi. Catholica eſt iſta, Paternitas realiter diſtinguitur à filiatione, & eſt ratio diſtinctionis realis inter Patrẽ, & Filium. Et hæretica eſt iſta ; Eſſentia diuina eſt realiter diſtincta à filiatione ; & quòd eſt ratio diſtinctionis realis inter eſſentiam, & relationem. Ergo falſum eſt, quod relatio eſt de intrinſeca ratione eſſentiæ. Patet iſta conſequentia ; quia ſi relatio eſſet de intrinſeca ratione eſſẽtiæ, quidquid per ſe, & formaliter conueniret relationi, eſſet de intrinſeca ratione eſſentiæ ; vel ad minùs non repugnaret eſſentiæ. Sed repugnat eſſentiæ diuinæ generare filium ; opponi relatiuè filio, diſtingui realiter à filio &c. quæ ſunt prædicata, per ſe, & formaliter relationi paternitatis conuenientia. Ergo.

20 Ad omnes, & ad alias quamplures rationes reſpondere ſolent oppoſitum ſentientes ; quòd eſſentia diuina dupliciter conſiderari poteſt, in ratione ſcilicet, cõmunicabilis ; & in ratione formali eſſentiæ. Secundò modo fatentur relationes non eſſe de ratione eſſentiæ, non verò primo modo. Argumenta verò propoſita conuincũt de eſſentia diuina conſiderata primo modo ; non verò ſecundo.

21 Sed contra hanc reſponſionem ſic argumentor primò. In diuinis idem omninò eſt dicere, prædicatum abſolutum, ac dicere, prædicatum omnibus commune. Ergo de ratione formali eſſentiæ eſt, vt ſit communis omnibus tribus diuinis perſonis.

22 Sed circa hoc eſt obſeruãdum primò, quòd non intendo dicere, quòd formalitas eſſentiæ diuinæ in ratione eſſentiæ, ſit eſſe communem, vel communicatã. Hoc enim prouenit ex fæcunditate naturæ diuinæ, & conſequenter, communicabilitas, ſeù actualis eſſentiæ diuinæ tribus perſonis communicatio, non eſt conſtitutiuum Dei ; ſed eſt naturæ diuinæ prædicatum attributale. Dicitur verò, eſſe de ratione formali naturæ diuinæ, vt communicetur tribus diuinis perſonis ; quia eſt omninò impoſſibile, vt eſſentia ſit in vna perſona, & non ſit in alia, ſicuti dicitur de ſapientia, intellectu, voluntate &c.

23 Obſeruandum ſecundo ; quòd quamuis omninò repugnet eſſentiam diuinã non eſſe communem, cum omnimoda ſui indiuiſione, Patri, Filio, & Spiritui tan-

ſancto; & cõſequenter, eſſentiã diuinam in ratione formali eſſentiæ, eſſe indiuiſibilem, ſeù vnam formaliter, & virtualiter; tamen in aliquo bono ſenſu, poteſt, & debet dici, quòd ſit multiplex virtualiter; & ſenſus eſt; quòd quatenùs eſt in Patre v.g. conſtituit perſonam Patris, ſimul cum relatione paternitatis, nõ verò perſonam Filij; & quatenùs eſt in patre, eſt principium generandi actiuè. Quatenùs eſt in Filio, ſimul cum relatione filiationis, veluti conſtituit perſonam Filij, & eſt principium generandi paſſiuè &c. Dicitur igitur multiplex virtualiter; quia quatenùs eſt in diuerſis perſonis, diuerſa munera exercet. Nec mirum; quia etiam communiter Theologi dicunt; quòd Aeternitas eſt indiuiſibilis formaliter, diuiſibilis verò virtualiter, non quaſi ſit in diuerſas æternitates diuiſibilis; ſed quia diuerſis temporibus correſpondet; & ſecundũ hanc diuerſam correſpõdentiam diuerſis ſubiacet prædicatis; vnde diuerſæ formantur propoſitiones. Quædam ſcilicet, de præterito; aliæ de præſenti, & aliæ de futuro. Ita quoquè dicimus, quòd eſſentia diuina vna ſimpliciſſima in ſe manens, poteſt dici multiplex virtualiter.

24 Secundò ſic argumentor contra; Nam dato, quòd poſſet hæc reſponſio illam difficultatem ſubterfugere, quæ cõtra aduerſarios ponitur, per hoc quòd eſſentia diuina eſt communicabilis, relatio verò eſt omninò incommunicabilis; Alia verò incommoda ſaluare non poteſt. Nam formalitati, quæ eſt eſſentia conuenit eſſe aliquid abſolutum, indiſtinctio realis, negatio relatiuę oppoſitionis in ordine ad perſonas, vel relationes; formalitati verò relationis, conuenit oppoſitio relatiua in ordine ad alias correlationes; Diſtinctio, realis, &c. Ergo.

25 Solent alij reſpondere dicentes, quòd eſſentia diuina dupliciter poteſt conſiderari; ſecundùm conceptum explicitũ ſcilicet, & ſecundùm conceptum implicitum. Si conſideretur tantùm primo modo, concedunt relationes non eſſe de intrinſeca, & explicita ratione eſſentiæ. Et hoc probant argumenta propoſita. Si verò conſideretur ſecundo modo, dicunt relationes eſſe de intrinſeca, ſed implicita ratione eſſentiæ; & contra hoc non militant argumenta.

26 Sed contra. Quæ differunt ſecundũ cõceptũ implicitũ, & explicitũ, & nõ ſecũundùm diuerſos conceptus obiectiuos, non poſſunt diuerſa, & multò minus cõtradictoria prædicata fundare: ſed eſſẽtia diuina, & relationes fundant prædicationes cõtradictorias in diuinis, taliter ꝙ nõ poſſunt reſpectu vnius, & eiuſdem obiecti verificari; vt patet ex ſupradictis. Ergo falſum eſt, quòd relationes diuinæ ſunt de ratione implicita eſſentiæ. Probatur maior. Nam homo, & animal rationale non aliter differunt, niſi ſecundùm diuerſos conceptus penes implicitum, & explicitum; & tamen, quia non aliter differunt, euidenter conſtat, quòd quidquid eſt de eſſentia animalis, & rationalitatis, eſt de eſſentia hominis; & quidquid eſt de ratione hominis, eſt etiam de ratione animalis. Ergo.

CAPVT TERTIVM.

Proponuntur argumenta in contrarium, & ſoluuntur.

27 SED contra iſtam determinationẽ obijciet aliquis primò ex aduerſarijs; authoritatibus Sanctorum. Nã D. Anſelmus in monologion cap. 16. ſic ait; *Quemadmodum, vnum eſt, quidquid eſſentialiter de ſumma ſubſtantia dicitur, ita ipſa, vno modo, vna conſideratione eſt, quidquid eſt eſſentialiter.* D. Anſel.

28 Idem docet D. Athanaſius orat. contra Gregales Sabellij; vbi ſic ait; *Vniuerſa plenitudo, & integritas Deitatis eſt Pater, vt Pater. Vniuerſa item plenitudo Deitatis eſt filius, vt filius*. Et ſerm. 4 contra Arrianos ait. *Quoniam Filius eſt imago Patris, neceſſũ eſt, vt cogites, Deitatem, & proprietatem Patris, ipſam eſſentiam Filij conſtituere*. Et lib. 2. de vnica Deitate ſic ait; *Deitas in Trinitate conſiſtit*. D. Athan.

29 Obijciunt quoquè aduerſarij Cyrillũ lib. 13. theſauri cap. 1. vbi ſic ait; *Spiritus ſanctus, in ipſo Deo eſſentialiter eſt, & inſeparabiliter ex eo prodit*. D. Cyril.

30 Opponunt quoquè Damaſcenum lib. primarum inſtitutionum, in principio, vbi ſic ait; *Patris, Filij, & Spiritus ſancti, vna, tribus in perſonis diuinitas*. Videantur Gregorius de Valentia lib. 1. de Trinit. cap. 29. & 1. p. q. 4. de Trinit. puncto 1. & q. 12. puncto 6. quęſtiunc. 2. ad 1. & Amicus, diſp. 19. de diuinis relat. ſect. 5. qui authoritates ſupradictas pluribus verbis pro ſua ſententia exagerant, & exornant. D. Dam. Valentia. Amicus.

31 Verùm ſupradictæ Sanctorum authoritates, ex antecedentibus, & conſequentibus rectè perpenſæ, & ex fine, & occaſione prolationis earum, euidenter conſtat, nil vltra contendere, niſi eſſentialem inter eſſentiam, & relationes eius identitatem, non ſolum identicam, verumetiam

Digitized by Google

rum etiam formalem formalitate rei, & actualem, non autem loquuntur de identitate etiam virtuali, & rationis.

32 Solùm poſſet ſpecialem habere apparentiam authoritas Athanaſij ſerm. 4. contra Arrianos à Patre Valentia maximè celebratam, dum putat pro ſua ſententia eſſe clariſſimam. Sic enim debet interpretari; *Quoniam Filius eſt imago Patris, neceſſum eſt, vt cogites, Deitatem*, quæ eſt propria natura, ſeù eſſentia Patris, eſſe quoquè propriam naturam, & eſsētiam Filij; & hoc dixit, ad oſtendendū, quòd vna omninò eſt Patris, & Filij diuinitas.

33 Obijcies ſecundò authoritatibus D. Thomæ. Nam D. Thomas infra q. 39. ar. 6. admittit hanc propoſitionem tanquàm per ſe veram. Eſſentia diuina eſt paternitas, filiatio, ſpiratio &c.

34 Reſpondetur, explicando D. Thomā de perſeitate identica, & formali, formalitate rei, & actuali; non verò de perſeitate formali virtuali.

Amicus. 35 Sed contra ſic arguit Amicus. *Sola identica incluſio prædicati cum ſubiecto, non ſufficit ad prædicationem in abſtracto, vt patet in hac propoſitione, rationalitas eſt animalitas; quia in prædicationibus abſtractis, prædicamus tantùm ea, quæ implicitè ſaltem includuntur in conceptu obiectiuo ſubiecti, cuiuſmodi ſunt ſola eſſentialia.*

D. Tho. 36 Reſpondetur, diſtinguendo antecedens. Sola identica incluſio prædicati cum ſubiecto, non ſufficit ad prædicationem in abſtracto, abſolutè, & abſquè aliquo addito implicitè, vel explicitè, cōcedo antecedens. Suppoſito aliquo addito explicitè, vel implicitè, nego antecedens. Ergo &c. nego conſequentiam. Sic enim eſt in caſu noſtro. Nam Diuus Thomas loco cit. quærit, *Vtrum perſonæ poſſint prædicari de nominibus eſſentialibus*; Et reſpondet affirmatiuè his verbis. *Subſtantiua poſſunt prædicari de eſſentia, propter realem identitatem eſſentiæ, & perſonæ*. Vnde in hoc eodem ſenſu dicit, quòd eſt vera hæc propoſitio; eſſentia eſt Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus.

37 Nec eſt omnimoda paritas, cum hac propoſitione, *rationalitas, eſt animalitas*; quoniam animalitas, ſic eſt rationalitati identificata, vt ſit alijs à rationalitate realiter eadem. Nam animalitas, ſeù formalitas obiectiua animalitatis in ſenſu identico, & cōcreto, non ſolùm prædicatur de rationalitate, ſeù rationali, verumetiam de omnibus ſpeciebus animalium, ac differentijs earum: at verò paternitas ſic identificatur cum eſſentia diuina; ut ſoli eſſentiæ diuinæ, & non alteri naturæ inueniatur identificata.

Bañes. 38 Obijcies tertiò ex Magiſtro Bañes loco cit. Quia, *ſi diuinæ relationes non pertinēt intrinſecè, & eſſentialiter ad eſſentiam. Ergo pertinent extrinſecè, vel accidentaliter*. Eodē modo arguit Herrera hìc dub. 2. concluſ. 3. Herrera.

39 Confirmat primò; Nam *quamuis ens ſit eſſentiale homini, at rationi entis, accidit quòd ſit homo, aut equus. Ergo ſimiliter hac propoſitio erit vera, Deo, vel diuinæ eſſentiæ accidentaliter competit eſſe Patrem*.

40 Confirmat ſecundò; *Diuina eſſentia neceſſariò eſt Pater; ſed neceſſariò eſſe patrem, non competit tanquàm propria paſſio; nequè tanquàm modus diſtinctus ex natura rei à diuina eſſentia. Ergo competit ei eſſe patrem neceſſitate intrinſeca, ſcilicet ratione eſſe, quod omninò eſt ipſa eſſentia*.

41 Reſpondetur, relictis aliorum reſpondendi modis, concedendo antecedens in ſenſu formali, & ſecundùm rationem. Quandoquidem in ſenſu identico, & formali formalitate rei, falſum eſt antecedens; quoniam omnia Dei prædicata ſunt vnum realiter, & formaliter ex natura rei, & actualiter cum eſſentia diuina; & diſtinguendo conſequens. Ergo pertinent extrinſecè, vel accidentariè, impropriè, & ſimilitudinariè, concedo conſequentiam. Propriè, & rigoroſè, nego conſequentiam.

42 Explicatur iſta reſponſio. Suppoſito, quòd eſſentia diuina in vno duntaxat prædicato conſiſtat, quod ſit veluti naturæ diuinæ conſtitutiuum, vt ſupra de conſtitutiuo Dei latè diximus; cætera predicata, quę de Deo re vera dicūtur, intelliguntur, veluti pullulantia, & quaſi conſequentia, quapropter meritò attributa, vel proprietates relatiuæ vocantur. Vnde quamuis à parte rei realiter, & formaliter actualiter omnia hęc ſint cum diuina eſſentia vnum; tamen quatenùs ratione diſtinguuntur, & veluti conſequentia eſſentiam apprehendūtur, ſe habent veluti proprietates, & paſſiones eiuſdem; & conſequenter habent ſimilitudinem prędicati accidentalis proprij, non verò propriè. Non enim attributa diuina, & relationes re vera, & propriè accidunt eſſentiæ diuinæ, ſicuti accidit riſibilitas homini.

D. Tho. 43 Reſponſionis explicatio, & doctrina eſt D. Thomæ q. 8. de potentia ar. 2. ad 6. cuius verba per extenſum ſupra retulimus. Sic enim habet. *Cum ergo dicitur eſſentia diuina eſt paternitas, non prædicatur paternitas de eſſentia diuina propter identitatem rationis; ſed propter identitatem rei; & ſimiliter, nec eſſentia de paternitate, vt iam dictum eſt. Quia alia eſt ratio eſſentiæ, & relationis. Et ideo in prædicto proceſſu, incidit fallacia* acci-

Digitized by Google

accidentis. Licet enim in Deo, nullum ſit accidens; eſt tamen (Nota) *quædam ſimilitudo accidentis; in quantùm ea, quæ de ſe inuicem prædicantur ſecundùm accidens, & differunt ratione; ſunt vnum ſubiecto.*

44 Ad primam confirmationem, circa antecedens multa ſolent obſeruare Doctores; pro nunc autem dico, aliter ens accidere homini; & aliter eſſentiam diuinam accidere Patri. Nam ens poteſt reperiri abſquè actuali hominis exiſtentia; eſſentia verò diuina abſquè Patre, nequaquàm. Sed quidquid ſit de antecedenti modo iam explicato.

45 Reſpondetur, admiſſo antecedenti; diſtinguendo conſequens. Ergo ſimiliter, hæc propoſitio erit vera, Deo, vel diuinæ eſſentiæ accidentaliter, impropriè, & ſimilitudinariè, competit eſſe Patrem, concedo conſequentiam. Propriè, & rigoroſè, nego conſequentiam.

46 Ad ſecundam confirmationem reſpondetur primò, concedendo totum aſſumptum. Nam maior propoſitio vt iacet debet intelligi in ſenſu identico, & formali actualiter, & ex natura rei. Nam vtitur terminis ad realitatem ſpectantibus. Non enim dicit, diuina eſſentia neceſſario intelligitur, ſeù conſideratur, vt Pater; qui ſunt termini ſpectantes ad metaphyſicam, & logicam conſiderationem; ſed dicit ſic; diuina eſſentia neceſſariò eſt Pater; ly eſt, eſt terminus realitatis, non præciſionis. Minor, iam patet, quod loquitur in ſenſu rigoroſo, & proprio; & conſequenter, cōcluſio debet intelligi, ſecundùm quòd ex præmiſſis benè deducitur: ex præmiſſis autem in ſenſu identico; non autem in ſenſu formali veris, ſequitur concluſio vera in ſenſu identico, & non in ſenſu formali. Aliàs argumentum non eſſet in forma; & conceſſis præmiſſis, debet negari conſequentia; ab identica enim, ad formalem, nō eſt bona conſequentia.

47 Quòd ſi maior propoſitio ex beneplacito authoris intelligatur in ſenſu formali, & logicè, aut metaphyſicè.

48 Reſpondetur ſecundo, negando maiorem. Et vt omnia ſub breuitate explicem, & complectar,

49 Reſpondetur tertiò, diſtinguendo maiorem. Diuina eſſentia neceſſariò, neceſſitate reali, & formali ex natura rei, & actualiter &c. concedo maiorem. Neceſſariò, neceſſitate prædicationis eſſentialis, ſecundùm rationem, nego maiorem. Tunc conceſſa minori; ſimiliter diſtinguendum eſt conſequens.

50 Obijcies quartò ex eodem Bañes. *Quicquid eſſentialiter competit diuino eſſe, etiam competit intrinſecè, & eſſentialiter diuinæ eſſentiæ: ſed diuino eſſe infinito conuenit intrinſecè eſſe Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum. Ergo & diuinæ eſſentiæ. Probatur minor. Quia aliàs, non eſſet intrinſecè, & eſſentialiter infinitum eſſe; ſiquidem non intrinſecè, & eſſentialiter eſt trinitas perſonarum, quæ eſt maxima perfectio.*

51 Reſpondetur, omiſsis quorundam reſponſionibus; concedendo maiorem; & diſtinguendo minorem. Sed diuino eſſe infinito, conuenit intrinſecè, realiter, & formaliter ex natura rei actualiter, &c. concedo minorem. Intrinſecè ſecundùm rationem, nego minorem. Ergo, &c. Similiter diſtinguendum eſt conſequens. Ad minoris probationem, ſimiliter diſtinguendum eſt antecedens, cum eiuſdem probatione.

52 Obijcies quintò ex eodem. *Nam ſi diuina eſſentia non includit intrinſecè, & eſſentialiter diuinam perſonam, ſequitur, quòd non ſubſiſtit per aliquid intrinſecum, & eſſentiale ſibi. Probatur ſequela. Quia re vera non ſubſiſtit, niſi per hoc, quòd in tribus perſonis habet ſubſiſtentiam.*

53 *Nequè enim eſt quarta ſubſiſtentia diſtincta, à tribus illis incommunicabilibus. Ergo ſi diuina eſſentia non includit illas intrinſecè, & eſſentialiter, non habet ex propria, & intrinſeca ratione ſubſiſtere.*

54 *Et confirmatur. Quia aliàs diuina eſſentia poſſet videri à beato, quantùm ad omnia intrinſeca, & eſſentialia, non viſis proprietatibus; quod vniuerſi Thomiſtæ negant eſſe poſſibile, etiam ſecundùm potentiam Dei abſolutam.*

55 Reſpondent quidam, negando ſequelam; & rationem negationis aſſignant; dicentes, quòd in Deo præter ſubſiſtentias relatiuas, datur quarta, per quam intrinſecè, & eſſentialiter ſubſiſtit Deitas abſoluta. Et per conſequens non benè probatur à Bagneſio ſequela.

Dari in Deo præter tres ſubſiſtentias relatiuas, aliam ſubſiſtentiam abſolutam, omnibuſquè tribus communem, non ſolùm admittimus; verumetiam infra ex profeſſo probabimus; at quia ſubſiſtentia abſoluta ſecundùm nonnullos aliqua ratione ab eſſentia diuina, ſeù exiſtentia diſtinguitur, adhùc admittendò dictam ſubſiſtentiam abſolutam, robur videtur habere argumentum. Vnde,

56 Reſpondetur, diſtinguēdo ſequelam. Sequitur, quòd non ſubſiſtit per aliquid intrinſecum, & eſſentiale, tamquàm per id, quod eſt formaliſſimè eſſentia, concedo ſequelam. Tamquàm per id, quod eſt intrinſecus, & eſſentialis modus ſibi, nego ſequelam. Sic eſt in caſu noſtro. Etenim horum ſententia eſt, quòd eſſētia Dei formaliſſimè eſt eius exiſtentia; & ſubſiſtentia abſoluta, eſt modus intrinſecus,

Digitized by Google

trinſecus, ſeù quaſi intra viſcera eſſentiæ, ſeù exiſtentiæ diuinæ latitans, & incluſus. Itaquòd, neque etiam, data fingendi licentia, poteſt eſſentia, ſeù exiſtentia diuina conceptu, ſeù cognitione completa eſſentiæ, in ratione formali eſſentiæ intelligi, quin intelligatur ſubſiſtens, ſubſiſtentia abſoluta.

57 Dicet aliquis. Subſiſtentia relatiua reddit naturam diuinam per ſe ſubſiſtentem relatiuè, & incommunicabiliter. Ergo quemadmodum ſubſiſtentia abſoluta eſt intrinſeca, & eſſentialis eſſentiæ diuinæ, vt modus; ita quoquè ſubſiſtentia relatiua.

58 Reſpondetur, diſtinguendo antecedens. Subſiſtentia relatiua reddit naturam diuinam per ſe ſubſiſtentem, ob fœcunditatem naturæ diuinæ ſubſiſtentia abſoluta ſubſiſtentis, concedo antecedens. Propter neceſſitatem ſubſiſtendi, nego antecedens. Ergo, &c. nego conſequentiam. Nam ſubſiſtentia relatiua non ponitur in Deo, propter neceſſitatem ſubſiſtendi; ſed propter fœcunditatem naturæ diuinæ ſubſiſtentis.

59 Quapropter ſubſiſtentia relatiua ſupponit naturam diuinam completè conſtitutam, nedùm, quò ad rationem formalem eſſentiæ; verumetiam quò ad modum intrinſecum, & eſſentialem eius.

60 Ad confirmationem reſpondetur, negando ſequelam; & ratio negationis eſt; quia quamuis ſit bona ratio, quare non poſſit videri diuina eſſentia, quin videatur exiſtentia, cum ſubſiſtentia abſoluta, quæ ſunt de conceptu eſſentiali eſſentiæ diuinæ, modo nuper explicato; non tamen verum eſt, quòd ex hoc preciſè diuina eſſentia videri non poteſt, quin videantur perſonæ diuinæ; quia ſcilicet, ſunt de intrinſeco, ac eſſentiali conceptu naturæ diuinæ. Vnde ipſemet Bañes ſupra, quæſt. 12. art. 7. dub. 2. probat, quòd neque per Dei potentiam abſolutam fieri poteſt, vt aliquis beatus videat eſſentiam diuinam, non viſis perſonis; *Primò. Quia viſio Dei eſt ipſius, ſicuti eſt: ſed ita exiſtit diuina eſſentia à parte rei, quòd eſt in tribus perſonis. Ergo qui videt diuinam eſſentiam ſicuti eſt, videt illam ſicuti eſt in tribus perſonis.*

61 Tunc ſic contra Bañes argumentor. Ceſſante identitate ſecundùm rationem inter eſſentiam diuinam, eiuſquè perſonas; & ſtante ſola identitate reali, & formali ex natura rei actualiter, ſaluatur, recteque probatur, quòd beatus neque per Dei potentiam abſolutam poteſt videre diuinam eſſentiam, & non videre perſonas. Ergo non rectè infertur, quòd ſi relationes diuinæ non ſunt de intrinſeca ratione diuinæ eſſentiæ, poſſet videri eſſentia, non viſis perſonis. Hæc conſequentia eſt euidens. Antecedens verò patet; quia aliàs prima ratio Bañes non rectè probaret concluſionis intentum. Ratio igitur quare neque etiam per potentiam Dei abſolutam poteſt videri eſſentia non viſis perſonis, eſt illa quam aſſignauimus tomo primo diſputat. 114. Vnde verum eſt, quòd vniuerſi Thomiſtæ negant, beatum poſſe videre eſſentiam non viſis perſonis; non tamen verum eſt, quòd vniuerſi Thomiſtæ illo vnico fundamento, in confirmatione poſito ſolummodo præfatam concluſionem probant; de quorum numero eſt ipſemet Sapientiſſimus magiſter Bañes.

62 Obijcies ſextò. Si in diuinis eſſet vna ſola perſonalitas, illa eſſet de intrinſeca, ac eſſentiali ratione Deitatis. Ergo ſimiliter in caſu catholicæ veritatis tres perſonalitates ſunt eodem modo de intrinſeca, ac eſſentiali ratione Deitatis. Antecedens patet. Probatur conſequētia, à paritate.

Reſpondetur, concedendo antecedens, in eo tamen ſenſu, quo diximus ſubſiſtentiam abſolutam eſſe de intrinſeco, ac eſſentiali conceptu diuinæ naturæ; negando verò conſequentiam; & diſparitas ex ſupradictis eſt manifeſta; quia ſi in Deo vna dumtaxat & abſoluta fuiſſet diuina perſonalitas, per eam Deus formaliſſimè exiſteret, tanquàm per modum ſibi intrinſecum: at verò præſuppoſita ſubſiſtentia abſoluta, natura diuina non exigit tres diuinas perſonalitates ob neceſſitatem ſubſiſtendi; ſed ob fœcunditatem Deitatis ſubſiſtentis. Quare in caſu catholicæ veritatis, tres perſonalitates, ſecundùm noſtrum intelligendi modum, veluti ſupponunt diuinam eſſentiam in ratione eſſentiæ completè conſtitutam.

63 Obijcies ſeptimò. Diuina eſſentia eſt eſſentialiter communicabilis. Ergo eſt eſſentialiter tribus perſonis communicata. Ergo perſonæ quibus eſſentia diuina communicatur, ſunt de intrinſeca, & conſtitutiua ratione eſſentiæ. Antecedens probatur. Quia communicabilitas non conuenit eſſentiæ diuinæ accidentaliter. Ergo eſſentialiter. Prima conſequentia probatur; quia communicabilitas in Deo eſt per modum puriſ-

P ſimi

ſimi actus. Ergo eſt ſecundùm vltimū eius complementum: ſed vltimum communicabilitatis complementum eſt actualis communicatio. Ergo diuina eſſentia eſt eſſentialiter tribus perſonis communicata. Probatur ſecunda conſequētia; quia implicat, quod ſit eſſentiale eſſentiæ diuinæ, eſſe actu communicatam tribus perſonis; & quòd relationes non ſint de eſſentia eius.

64 Argumentum hoc à doctiſſimo Magiſtro Herrera loco citato longiori ſermone proponitur, exageratur, & explicatur, ſed,

65 Reſpondetur primò, diſtinguendo antecedens. Diuina eſſentia eſt eſſentialiter realiter, & formaliter ex natura rei, & actualiter, communicabilis, concedo antecedens. Eſt eſſentialiter ſecundùm rationem, communicabilis, adhuc diſtinguo antecedens. Eſt eſſentialiter communicabilis, veluti radicaliter, & quaſi remotè, concedo antecedens. Eſt eſſentialiter communicabilis proximè, nego antecedens; ſimiliter diſtinguendum eſt primum conſequens; & negando ſecundum.

66 Itaquè eſſentia diuina in ratione formali eſſentiæ, non conſtituitur per hoc, quòd eſt tribus diuinis perſonis proximè communicabilis; Quandoquidem, proxima diuinæ naturæ communicabilitas, conſequitur diuinæ naturæ perfectionē. Nec magis eſt de conceptu eſſentiæ potentia volitiua, potentia operatiua, & his ſimilia prædicata; quàm naturam diuinam eſſe proximè communicabilem. Etenim ex communi Theologorum conſenſu contra Durandum, naturæ diuinæ proxima communicabilitas, & actualis communicatio, eſt per intellectum, & voluntatem: ſed diuina eſſentia non eſt proximè volens, nec proximè operans ea ratione qua eſſentia eſt, ſed ea ratione qua potentia operatiua eſt, vt docet D. Thomas de potentia q. 1. art. 1. ad 5. vbi ſic ait. *Iſta ſunt impoſſibilia, quòd Deus ponatur agere per eſſentiam ſuam, & quòd non ſit in Deo potentia. Hoc enim, quod eſt actionis principium, potentia eſt. Vnde eſſentia diuina, ex hoc ipſo quòd ponitur, Deus per ipſam agere, ponitur eſſe potentia*. Et ad 9. ait, *quòd eſſentia Dei ſufficit ad hoc, quòd Deus per eam agat, nec tamen ſuperfluit potentia; quia potentia non intelligitur, quaſi quædam res addita ſupra eſſentiam, ſed ſuperaddit ſecundùm intellectū ſolam relationem principij. Ipſa enim eſſentia, ex hoc, quòd eſt principium agendi habet rationem potentiæ*. Quarè, &c. Ad probationem antecedentis patet reſponſio ex ſuperius dictis, ad argumenta Bañes.

Reſpondetur ſecundò, gratis admiſſis antecedenti, & prima conſequentia, negando tamen vltimam. Ad cuius probationem diſtinguo antecedens. Implicat, quòd ſit eſſentiale eſſentiæ diuinæ, eſſe actu communicatam tribus perſonis, & quòd relationes non ſint de eſſentia eius realiter, & formaliter ex natura rei, concedo antecedens. Formaliter, ſecundùm noſtrum intelligendi modum, nego antecedens. Imo ex arguentis modo loquendi, patet eſſe falſum. Nam eo ipſo quòd natura diuina conſideratur vt communicata perſonæ, tanquàm termino, datur intelligi, quòd ſit alius conceptus naturæ diuinæ communicatæ, & conceptus relationis, ſeù perſonæ conſideratæ vt termino, cui intelligitur diuina natura communicata.

Obijcies octauò ex eodem Herrera. *Relationes diuinæ non diſtinguuntur formaliter ab eſſentia. Ergo clauduntur in eius ratione. Probo conſequentiam. Quæ formaliter diſtinguntur ea, quorum vnum eſt extra rationem formalem, & rationem alterius*.

67 Reſpondetur, vt ſupra, diſtinguendo antecedens. Relationes diuinæ non diſtinguuntur formaliter, actualiter ex natura rei, concedo antecedens. Non diſtinguuntur formaliter virtualiter & ratione actualiter nego antecedens. Ergo, &c. ſimiliter diſtinguendum eſt conſequens. Et ſimiliter reſpondendum eſt ad probationem.

68 *Sed contra hoc eſt*, inquit Herrera, *quia aut ratio formalis actualis eſſentiæ includit ſimul abſoluta, & relationes; vel non. Si primum. Ergo licet virtualiter diſtinguantur in ordine ad noſtros conceptus, relatio, actualiter clauderetur in ratione eſſentiæ; ſiquidem eius ratio actu claudit abſoluta, & relatiua; & vtraquè ſunt de eius ratione per modum omnimodæ ſimplicitatis, & non per modum compoſitionis. Si verò dicas, ſecundum; ſequitur illā rationem eſſe magis limitatam, quàm ſit res cui correſpondet, & non eſſe adæquatam illi. Nam res illa, ſcilicet eſſentia, ſimul includit abſoluta, & relatiua; quæ non includit eius ratio*.

69 Reſpondetur; quòd ratio formalis eſſentiæ ſi conſideretur ſine actuali intellectus noſtri abſtractione, ac diſtinctione, ſed ſecundùm quòd eſt in actu ex natura rei, includit abſoluta, & relationes, & vtraquè prædicata includuntur in ratione formali eſſentiæ, hoc modo conſideratæ; ſed nihil contra nos; imo doctrina noſtra probatur. Si autē ratio formalis actualis eſſentiæ accipiatur pro formali, & actuali ratione eſſentiæ, in ratione eſſētiæ per intellectū abſtractæ, dicimus, quòd includit dūtaxat abſoluta. Ad cuius impugnationē, in primis, nego ſequelā.

Nam

Digitized by Google

Nam ratio eſſentiæ includens dumtaxat abſoluta ſecundùm noſtrum intelligendi modum, non limitatur, magiſquàm ſit res, cui correſpondet. Quandoquidem; non correſpondet rei, vt in ſe eſt, ſed vt cognoſcibilis eſt, & quatenùs ob ſui infinitatem, virtualiter multiplex eſt.

70 Secundò, facit tranſitum à ratione eſſentiæ, vt eſſentia, ad eſſentiam, vt res quædam eſt.

71 Et tertiò, tranſit à multiplicitate virtuali, cui correſpondent multi conceptus obiectiui, non tanquàm limitati, ſeù limitantes rem, ſed tanquàm explicantes in actu virtualem diſtinctionem, non rationem limitationis. Nam quamuis ſit contra rationem infinitatis, & illimitationis dicere diuerſas formalitates ex natura rei actu diſtinctas; non tamen eſt contra rationem infinitatis, dicere plures formalitates per intellectum actu diſtinctas. Intellectus enim actu diſtinguens formalitates ex natura rei actu identificatas, non limitat eas, ſed explicat.

72 Dices. Si eſſent actu diſtinctæ formalitates ex natura rei, eſſent actu limitatę, & finitæ. Ergo ſi per intellectum fiunt actu diſtinctæ, per intellectum fiunt actu limitatę.

73 Reſpondetur, concedendo antecedens, & diſtinguendo conſequens. Ergo ſi per intellectum fiunt actu diſtinctæ, & aliàs non ſunt ex natura rei virtualiter diſtinctę fiunt per intellectum actu limitatæ, concedo conſequentiam. Et aliàs, ex natura rei ſunt virtualiter diſtinctæ, fiunt per intellectum actu limitatæ, nego conſequentiam.

74 Contra. Ex finitate, & imperfectione intellectus noſtri prouenit, quòd prędicata diuina, tam abſoluta, quàm relatiua, actualiter diſtinguantur. Ergo actualis diſtinctio inter eſſentiam, & relationes, dicit neceſſariò finitatem.

75 Reſpondetur, concedendo antecedens; & diſtinguendo conſequens. Ergo actualis diſtinctio inter eſſentiam, & relationes, dicit neceſſariò finitatē, modaliter, & ex parte noſtri modi concipiēdi, concedo conſequentiam. Formaliter, & ex parte obiecti cogniti, nego cōſequentiam. Nam actualis diſtinctio inter eſſentiam, & relationes eius, non prouenit ex intellectu diuino, ſed ex intellectu creato non cognoſcente Deum ſicuti eſt; & ex maxima, ac infinita perfectione Dei, quæ, cum ob ſui infinitatem diuerſis omninò formalitatibus correſpondeat, eſt virtualiter in plures formalitates diſtinguibilis, quarum vna dicitur eſſentia, alia relatio, &c. Vnde non implicat nec diuinæ infinitati repugnat, vt ab intellectu noſtro ratione ſuæ finitatis in diuerſas formalitates ſecundùm rationem diuidatur.

76 Dices. Vnde conceptus v. g. voluntatis in Deo quatenùs ab eſſentia diſtinguitur infinitatem diceret? Non ex ratione diuinæ eſſentiæ, a qua ratione diſtinguitur. Non ex propria ratione voluntatis. Ergo eo ipſo quod vna formalitas in diuinis, eſt formaliter ſecundùm rationem ab eſſentia diuina actualiter diſtincta, eſt formaliter limitata.

77 Reſpondetur, ex vtroquè capite infinitatem diceret; & identitate reali, & formali ex natura rei cum eſſentia diuina; & ex propria ratione voluntatis. Ad impugnationem autem dico, quod ſola diſtinctio ſecundùm rationem inter eſſentiam diuinam, & voluntatem eius, cum identitate reali, & formali ex natura rei non habetur limitatio, nec explicatur illimitatio, ſeù infinitas, benè tamen arguitur; ex propria vero ratione voluntatis dicit infinitatem; quia voluntas, vt voluntas, eſt perfectio ſimpliciter ſimplex; & conſequenter, ex ſuo proprio, ac puro conceptu infinitatem dicit.

78 Tandem, pro multorum ex Scotica officina argumentorum ſolutione, eſt obſeruandum; quod quando dicitur à Thomiſtis in Deo dari diſtinctionem virtualem, & conſequenter Deum eſſe in plures formalitates per intellectum noſtrum diſtinguibilem; quia nimirum, diuerſis formalitatibus correſpondet; non ſic debet intelligi, quaſi ille formalitates quibus correſpondet, ſint in propria linea, formaliter finitæ, & limitatæ. Hoc enim falſum eſt; & in hoc ſenſu argumenta ſupradicta conuincerent; ſed ſenſus eſt, quod correſpondet formalitatibus diuerſis, in ſua tamen linea formaliter illimitatis, & infinitis. Et in hoc ſenſu, omnia contra nos directa ruunt argumenta. Nam ex ſupradicta actuali per intellectum diſtinctione, formalitates remanerent in ſua linea infinitæ.

Digitized by Google

DISPVTATIO CLXI.

VTRVM ESSENTIA DIVINA SIT DE INTRINSECO, ac eſſentiali conceptu relationum.

In tria capita diſtributa.

CAPVT PRIMVM.

Doctorum opiniones referuntur.

1 VIDIMVS, ac reſolutè determinauimus relationes, non eſſe de intrinſeco, ac eſſentiali conceptu eſsentiæ diuinæ; inueſtigandum ſupereſt, vtrum è contra eodem prorſus modo theologizandum ſit de eſsentia reſpectu relationum; vbi nequè etiam Theologi conueniunt in vnum.

2 Quidam enim abſolutè dicunt, eſsentiam diuinam eſſe de intrinſeco, ac eſsẽtiali conceptu relationum. Ita Torres, hic diſp. 2. dub. vltimo. Bañes hìc, Suarez, lib. 4. de Trinitate cap. 7. Arrubal, hìc diſp. 101. cap. 1. Bellarminus, tomo 1. lib. 2. de Chriſto cap. 9. Valentia, lib. 1. de Trinit. cap. 29. & p. p. q. 4. de Trinit. punct. 1. Zumel, hìc diſp. 3. & ſuper, quæſt. 12. art. 7. diſp. 2. Amicus, diſp. 19. ſect. 6.

Torres. Bañes. Suarez. Arrubal. Bellarm. Valentia. Zumel. Amicus.

3 Quidam verò dicunt, eſsentiam diuinam non eſſe de intrinſeco, ac eſſentiali conceptu relationum. Ita Caietanus, infra q. 39. citata. Syluester, in conflato q. 28. ar. 2. §. 1. ad primum. Molina, hìc diſp. 6. concl. 4. Vaſquez, diſp. 121. cap. 2. Becanus, cap. 2. q. 5. Nazarius, hic controuerſia prima concl. 1. Rada, controuerſia 4. poſt tertiam concluſionem §. *Ex his ſequitur*. Gillius, lib. 2. tract. 2. cap. 7. Faſolus, hic dubit. 4. cõcl. 2. & Arriaga, diſp. 18. ſect. 3. ſub ſect. 2.

Caietan. Molina. Vaſquez. Becanus. Nazarius. Radã. Gillius. Faſolus. Arriaga.

CAPVT SECVNDVM.

Determinatio veritatis.

1 ISTA quæſtio eſt magis ad diſcernendum difficilis, quàm præcedẽs. Per ſubſequentia autem planè determinabitur. Vndè prò determinatione veritatis, dico primò. Eſſentia diuina eſt de intrinſeco, ac eſſentiali conceptu naturæ, ſeù eſſentiæ relationis diuinæ. Imò natura, & eſſentia relationis diuinæ, eſt ipſiſſima natura, ſeù eſsẽtia diuina.

2 Probatur; quia in diuinis, quamuis plura per intellectum diſtinguantur attributa, ac prædicata abſoluta, & relatiua, tamen ſecundùm fidem catholicam, vna eſt natura, vna omnium eſſentia. Ergo eſſentia relationis diuinæ eſt ipſamet natura diuina. Ergo.

3 Ex quo liquidò conſtat, quòd quamuis in Deo aliquo modo, alia ſit formalitas relationis, & alia formalitas eſſentiæ; non tamen alia eſt eſſentia relationis; & alia eſſentiæ diuinæ, ſed vna dumtaxat eſt in deitate eſſentia, ſeù natura, non obſtante, quòd in rebus creatis alia ſit eſſentia relationis, paternitatis in Petro; & alia eſſentia Petri, vt in phyloſophcis apparet. Vnde interroganti, in quo cõſiſtat eſſentia relationis diuinæ, poteſt, ac debet abſolutè, ac cum proprietate ſermonis reſponderi, conſiſtere in aliquo abſoluto, ſeù in illo prædicato, quod eſt naturæ diuinæ conſtitutiuum.

4 Dico ſecundò. Eſſentia diuina eſt de intrinſeco, ac eſſentiali conceptu relationum, non ſolùm per modũ eſſentiæ, & naturæ; verumetiam per modum exiſtentiæ.

5 Explico hoc dictum. Omne Dei prædicatum, ſeù omnis formalitas, quæ de Deo verificatur, quæcumquè illa ſit, debet neceſſariò, ac intrinſecè conſiderari vt exiſtens; taliter, quòd licet illa formalitas aliquid ſuperaddat eſſentiæ, numquàm tamen à ſuo conceptu formali excludit eſſentiam per modum exiſtentiæ. In quo ſenſu, relationes diuinę conſiderantur vt exiſtentes exiſtentia abſoluta deitatis. Non enim conſiderantur

Digitized by Google

rantur vt poſſibiles. Ergo vt exiſtentes. Dicimus igitur; quòd cum exiſtentia Dei, ſit ipſamet Dei eſſentia, includitur intrinſecè in cõceptu cuiuſcumquè formalitatis per modum exiſtentiæ, quà formalitas omnis exiſtit.

6 Probatur igitur præſens dictum. Relationes diuinæ ſunt ex ſuo intrinſeco, ac eſſentiali conceptu exiſtentes; vel adminùs exiſtentiam intrinſecè includunt. Ergo exiſtentia eſt de intrinſeco ipſarũ conceptu: ſed huiuſmodi exiſtentia non eſt aliud, niſi ea formalitatis actualitas, qua conſtituitur natura diuina. Ergo eſſentia diuina per modum exiſtentiæ conſiderata, eſt de intrinſeco, ac eſſentiali conceptu relationum.

7 Dico tertiò. Eſſentia diuina non eſt de intrinſeco, ac eſſentiali conceptu relationis, etiam in concreto.

Faſol. n. Hoc dictum eſt contra Faſolum hìc dubitatione 4. num. 90. concluſione prima.

8 Explico hoc dictum. Relatio diuina dupliciter, ſeù duplici modo proferri poteſt, in abſtracto ſcilicet, & in concreto. In abſtarcto, vt paternitas, in concreto, vt Pater. In præſenti loquor de relatione diuina concretè prolata. Vndè ſenſus eſt, quòd eſſentia diuina non eſt de intrinſeco, ac eſſentiali conceptu Patris, accipiendo Patrem, prò præciſo conceptu perſonali.

9 Prò cuius maiori intelligentia inſuper eſt obſeruandum; quòd hoc nomen Pater, v. g. dupliciter conſiderari poteſt; prò eo ſcilicet, quod dicit in recto tantũ; & prò eo, quod dicit in recto, & etiam includit in obliquo. In præſenti loquor de perſona Patris primo modo; & non ſecundo. Quoniam clarum eſt, quòd perſona in diuinis in concreto ſecundo modo accepta, non ſolùm dicit in recto ſubſiſtentiam perſonalem; verumetiam includit naturam diuinam, cuius eſt perſona, iuxta definitionem perſonæ à Boetio traditam, ſcilicet, Perſona *eſt rationalis naturæ indiuidua ſubſtantia*. Vbi patet quòd perſona includit naturam, & quòd non in recto, ſed in obliquo includit eam.

Boetius.

10 Probatur igitur hoc dictum. Perſona diuina concretiuè prolata, dicit in recto relationem; in obliquo verò eſſentiam. Ergo eſſentia non eſt de intrinſeco, ac eſſentiali conceptu relationis concretiuè prolatæ, & in recto. Conſequentia eſt euidens; quia quod ſignificatur in obliquo per relationem, non eſt de intrinſeca ratione relationis in recto, antecedens verò eſt D. Thomæ infra q. 33. art. 3. ad 1.

D. Thom.

11 Probatur ſecundò; quia perſona in concreto ſecundùm proprium, ſeù præciſum perſonæ conceptum, dicit aliquid incommunicabiliter ſubſiſtens. Ergo non eſt formaliſſimè eſſentia diuina, quatenùs eſt in ſe communicabilis. Patet conſequentia; quia in tantùm natura diuina ingreditur perſonæ diuinæ cõſtitutionem, in quantùm dicit aliquid vltra rationem communicabilitatis, ratione cuius veluti modificetur ad conſtituendam vnam, vel alteram perſonam.

12 Probatur tertiò. Perſona diuini Verbi in ratione perſonæ, eſt incarnata, non vero in ratione naturæ, ſeù eſſentiæ. Ergo natura, ſeù eſſentia diuina non eſt omninò de intrinſeco, ac eſſentiali intellectu perſonæ diuinæ. Patet conſequentia; quia ſi eſſet de intrinſeco, ac eſſentiali conceptu perſonæ diuinæ omninò, ſicut incarnata eſt perſona Verbi, in ratione perſonæ, ita quoquè incarnata fuiſſet diuina eſſentia, quatenùs eſt de intrinſeca ratione Verbi.

13 Dico quartò. Eſſentia diuina eſt aliquo modo de intrinſeco conceptu relationis in concreto acceptæ.

Explicatur hoc dictum. Pater æternus, v. g. eſt terminus ſubſtantiuus, & concretus; & conſequenter, vt ex profeſſo in ſummulis explicabimus, ſignificat duo, per ſe, & intrinſecè, paternitatem ſcilicet, ſeù proprietatem relatiuam, & eſſentiam, ſeù naturam diuinam. Nam Pater, vt Pater, generat Filium. Ergo dicit naturam, & relationem, ſeù proprietatem perſonalem. Antecedens patet. Probatur conſequentia; quia generans in diuinis producit perſonam genitam, eidemquè naturam, ſeù eſſentiã diuinam communicat, Ergo in ſe eſt perſona, & intrinſecè habet, & dicit naturam, quam per omnimodam identitatem Filio communicat. Itaquè Pater non eſſet Pater, niſi in ſe haberet vtrumquè, ſuppoſitum ſcilicet, & naturam. Dicimus igitur in præſenti, quòd diuina eſſentia eſt de intrinſeco conceptu cuiuſcumquè perſonæ diuinæ; non quia valeat dicere, quòd conceptus perſonæ diuinæ ſecundùm quòd perſona diuina eſt veluti terminus naturæ diuinæ, ſit conceptus eſſentiæ diuinæ. Hoc enim eſt contra ea quæ diximus in præcedenti dicto; ſed quia perſona non eſt complete perſona in concreto, niſi etiam diuinã includat eſſentiam.

14 Probatur primò authoritate D. Thomæ infra q. 33. art. 3. ad 1. vbi ſic ait. *Communia abſolutè dicta, ſecundùm ordinem intellectus noſtri ſunt priora, quàm propria; quia includuntur in intellectu propriorum. In intellectu enim perſonæ Patris intelligitur Deꝰ; ſed*

Digitized by Google

ſed non conuertitur. Ergo eſſentia diuina intrinſecè includitur aliquo modo in relatione concretiuè accepta.

15 Sed circa iam adducta D. Thomę verba, attentè modum loquendi, imo & ipſa verba conſidera; nam D. Thomas re vera loquitur in concreto de prædicatis communibus, & proprijs; vt manifeſtè conſtat, cum ait; *In intellectu enim perſonæ Patris intelligitur Deus; ſed non conuertitur*. Non dixit, in intellectu paternitatis in abſtracto, ſed in intellectu Patris, in concreto. Hoc aduerto; quoniam apud aduerſarios prò ſuæ ſententiæ confirmatione, hoc teſtimonium iudicatur inſigne.

16 Probatur ſecundò ratione; quia Pater compleтè conceptus, non eſt propriè Pater, niſi dicat intrinsecè perſonam, & naturam. Ergo natura diuina eſt de intrinſeco cōceptu perſonæ Patris, modo iam explicato. Antecedens patet ex numero 13.

17 Dico quintò. Eſſentia diuina in abſtracto conſiderata, non eſt de intrinſeco conceptu relationis in abſtracto acceptæ.

Hoc dictum eſt contra nonnullos Thomiſtas; eſt tamen expreſſa D. Thomæ ſententia, Vnde,

18 Probatur primò ex D. Thoma loco diſput. præcedenti relato, de potentia q. 8. art. 2. ad 6. vbi D. Thomas expreſsè docet, quòd relationes diuinæ non ſunt de intrinſeco conceptu eſſentiæ, neque eſſentia de intrinſeco conceptu relationum vbi inter multa ſic ait. *Non prædicatur paternitas de eſſentia diuina propter idẽtitatem rationis, ſed propter identitatem rei*. *Et ſimiliter* (Nota) *nec eſſentia de paternitate*. Ergo.

19 Et quoniam teſtimonium hoc valde efficax eſt, & clarum, oppoſitum ſentientes dupliciter ſolent explicare.

Primo quidem dicentes, D. Thomam tacitè mutaſſe ſententiam in hac p.p. infra q. 39. art. 6. Nam ibi D. Thomas has duas propoſitiones admittit tamquàm per ſe veras; Eſſentia eſt Pater; & Pater eſt eſſentia. Ergo retractauit ſe, dum dixerat de potentia q. 8. &c. has propoſitiones non eſſe per ſe formaliter veras. Paternitas ſcilicet eſt eſſentia. Et eſſentia eſt paternitas.

20 Contra hanc reſponſionem ſic argumētor hoc modo; quia D. Thom. ibi loquitur de eſſentia, ſeù nominibus eſſentialibus concretis, non verò abſtractis. Ergo non retractauit ſe; quia q. 8. de potentia iam citata, loquitur de nominibus eſſentialibus, & proprijs abſtractis, ſeù in abſtracto prolatis, vt patet ex verbis præcitatis. Antecedens verò probatur; quia in articuli ſexti exordio ſic ait. *Ad ſextũ ſic proceditur, videtur, quòd perſonæ nō poſſint prædicari de nominibus eſſentialibus* (nota) *concretis*.

21 Cōfirmatur; quia D. Thomas ibi loquitur de prædicatione per ſe identica, ac reali; nec non de nominibus eſſentialibus, & perſonalibus in concreto; ſed q. 8. de potentia iam citata, loquitur de identitate formali inter eſſentiam, & relationes, in abſtracto conſideratas. Ergo non retractauit ſe. Minor, & conſequentia patet. Probo maiorem. Nam D. Thomas in corpore ſic ait. *Licet nomina perſonalia, vel notionalia adiectiua, non poſſint prædicari de eſſentia; tamen ſubſtantiua poſſunt propter* (nota) *realem identitatem eſſentiæ, & perſonæ*. *Eſſentia autem diuina, non ſolùm idem eſt* (nota) *realiter cum vna perſona, ſed cum tribus*. *Vnde & vna perſona, & duę, & tres, poſſunt de eſſentia prædicari, vt ſi dicamus, eſſentia eſt Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus. &c.* Puto quòd clariùs dici non poteſt. Nam D. Thomas, perſpicuis, non implicitis, ſed explicitis, diſertiſquè verbis ait, huiuſmodi prædicationes; Pater eſt Deus. Deus eſt Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus, eſſe veras, ac per ſe propter identitatem realem eſſentiæ diuinæ cum perſona. D.Thom.

22 Reſpondent alij ſecundò, explicando D. Thomam ſic. Quando negat huiuſmodi propoſitiones eſſe per ſe veras. Eſſentia eſt paternitas. Paternitas eſt eſſentia, & eſſe veluti per accidens, locutus eſt; quò ad modum ſignificandi, ex parte noſtri intellectus; non verò ex parte formalitatis ſignificatæ.

23 Contra hanc fugam ex diametro militat totus D. Thomę diſcurſus. Etenim D. Thomas ibi parùm, aut nihil curat de ſolo noſtri intellectus modo concipiendi, ſed apertè loquitur de formalitate relationis; & de formalitate eſſentiæ, quatenùs intellectui noſtro correſpondent; & dicit quòd, formalitas paternitatis, non eſt de intrinſeca ratione eſſentiæ; non eſt de intrinſeca ratione paternitatis, vt attentè legenti conſtabit.

24 Alia extant D. Thomæ teſtimonia prò confirmatione dicti præſentis. Vnde videatur hic ad ſecundum, & in corpore. In 1. diſt. 33. q. vnica art. 1. ad 1. & ad 2. & 3. & alibi pluries. Vbi manifeſtè docet, quòd relatio diuina, eiuſquè eſſentia diſtinguuntur ratione, ideſt formalitate, à parte rei quidem virtualiter; & per intellectum ratione. D.Thom.

25 Probatur ſecundò ratione pluries inſinuata. Communicabilitas, vt communicabilitas, non eſt de intrinſeco, ac eſſentiali

eſſentiali conceptu incommunicabilitatis, vt incommunicabilitas eſt, niſi in ſenſu, primo & ſecundo dictis poſito, & explanato: ſed formalitas eſſentiæ diuinæ, eſt formalitas communicabilis, ad minus vt proprium attributum eius; formalitas vero incommunicabilitatis non eſt formalitas communicabilitatis, nec communicabilitas eſt veluti proprium attributum eius. Ergo.

CAPVT TERTIVM.

Proponuntur argumenta in contrarium, & ſoluuntur.

26 SED contra iſtam determinationẽ obijciet aliquis primò contra tertium dictum. Magis intrinſecè, vel non minùs eſt de intrinſeco conceptu Patris, Deus, quàm ſit de intrinſeco conceptu Petri homo: ſed homo eſt omnino de intrinſeco conceptu Petri. Ergo Deus in concreto, eſt de intrinſeco conceptu Patris. Maior patet; quia magis identificatur perſona Patris æterni cum Deo, quàm perſona Petri cum homine. Minor etiam patet; quia homo prædicatur de ſua hypoſtaſi, puta Petro, in primo modo dicendi per ſe. Interroganti enim quid eſt Petrus, reſpondetur, eſt homo. Ergo.

27 Reſpondetur, concedendo maiorem; & diſtinguendo minorem. Sed homo eſt de intrinſeco conceptu Petri, accipiẽdo Petrum pro homine ſingulari, concedo minorem. Accipiendo Petrum pro perſona præciſe, ſeù pro termino humanæ naturæ particularis. Adhuc diſtinguo minorem. Sed homo eſt de intrinſeco conceptu Petri in obliquo, concedo minorem. In recto, nego minorem. Ergo, &c. ſimiliter diſtinguendum eſt conſequens.

28 Explicatur iſta reſponſio, difficilem enim continet, eleuatamquè doctrinã. Sæpè numerò D. Thomas docet, quòd homo in concreto prædicatur de ſua hypoſtaſi, ſeù perſona in concreto accepta, non in materia remota; nec contingẽti, ſed naturali, & per ſe, in primo modo dicendi per ſe. Vnde ait, quòd *hæc propoſitio, Deus eſt homo, non eſt, nequè in materia remota; nequè in materia contingenti, ſed in materia naturali. Et prædicatur homo de Deo, non per accidens, ſed per ſe; ſicut ſpecies de ſua hypoſtaſi.* Ita D. Thomas præſertim 3. p. q. 16. art. 1. ad 1. Ait quoquè, quòd *perſona in quacũquè natura ſignificat id, quod eſt diſtinctum in natura illa. Sicut in humana natura ſignificat has carnes, hæc oſſa, & hanc animam, quæ ſunt principia indiuiduantia hominem. Quæ quidem, licet non ſint de ſignificatione perſonæ, ſunt tamen de ſignificatione perſonæ humanæ.* Ita D. Thomas infra q. 29. art. 4. in corpore.

29 Quæ D. Thomæ dicta, niſi profundiori intelligentia penetrentur, ſed ſimplici, ac ſuperficiali ſermone conciperẽtur, non ſolùm obſcuram, ſed etiam falſam doctrinam continerent. Etenim ſi nomine perſonæ naturæ humanæ intelligantur, ſeù ſignificentur hęc oſſa, hęc caro, & hęc anima, omninò euaneſceret incarnationis myſterium. Quandoquidem, vt fides catholica docet, quando dicitur, quòd, *Verbum caro factum eſt*; nõ ſic intelligitur, quaſi Verbum diuinum euaſerit caro, oſſa, & Chriſti Domini anima; ſed ſic intelligitur, nimirum, Verbum, quod eſt ſecunda in Trinitate perſona, aſſumpſit ad ſe Chriſti Domini ſingularem humanitatem; & conſequenter, ad ſui hypoſtaſim aſſumpſit has carnes, hæc oſſa & hanc animam, puta Sacratiſſimã Chriſti domini humanitatẽ: ſed de fide certum eſt, quòd in humanitate Chriſti Domini nulla fuit creata perſona. Quomodo ergo vera eſt præfata D. Thomæ doctrina, nempè, quòd humana perſona v.g. ſignificat has carnes, hæc oſſa, &c. Quod ſi doctrina vera eſt, quomodo ſaluatur doctrina catholicę veritatis, videlicet, quod Verbum diuinum ad ſui perſonalitatem, non aſſumpſit perſonam creatam, aſſumpſit verò has carnes, hæc oſſa, & hanc animam. Item ſi nomine perſonæ intelligatur aliquid contradiſtinctum realiter à natura, quomodo rectè intelligi poteſt, quòd hæc propoſitio eſt vera, & in primo modo dicendi per ſe, ſumendo ly Deus pro perſona incarnata verbi; eo quia, homo per ſe prædicatur de ſua hypoſtaſi, &c.

30 Si autem profundiùs (vt dixi) viuus, & acutus ſermo Angelici Doctoris penetretur, omnes difficultatis tenebræ euaneſcent, & veritas aperietur, dicentes, vt ſupra diximus, quòd perſona humana, v.g. Petrus, dupliciter accipi poteſt. Primò, pro præciſa ſcilicet, perſonæ ratione, quatenùs eſt naturæ humanæ Petri terminus, ſeù modus, qui nomine perſeitatis in abſtracto, vel etiam in concreto explicatur. Secundò, pro ipſa natura in particulari habẽte perſonalitatẽ, ſeù ſubſiſtentiam, ac perſeitatem, vel prò perſona includente quoquè naturã particularem, per ipſam ſubſiſtentem. Quando D. Thomas dixit, quòd perſona humana v. g. ſignificat has carnes, hæc

Digitized by Google

hæc oſſa, & hanc animam intellectiuã; locutus eſt de perſona ratione naturæ, quam ſignificat, & includit; non verò de perſona, quatenus eſt naturæ particularis terminus. Quando autem dixit, quòd homo prædicatur de Deo, ideſt de perſona verbi incarnata, ſicut homo de ſua hypoſtaſi, ſi hypoſtaſis accipiatur ratione naturæ humanæ particularis, verum eſt, quòd homo prædicatur in recto eſſentialiter, & per prædicationem, in qua dicitur, hoc in recto, eſt eſſentialiter hoc. Valet enim dicere; homo in particulari, eſt eſſentialiter homo. Si verò accipiatur hypoſtaſis, quatenùs eſt perſona terminans, ſeù ſuppoſitans naturam humanam. Adhuc verum eſt, quòd homo prædicatur eſſentialiter de ſua hypoſtaſi humana, eſt eſſentialiter natura humana; benè tamen prædicatione per informationem, quaſi ſit verũ dicere, perſona humana Petri v.g. eſt habens humanam naturam. Vnde, quando dico, perſona humana eſt eſſentialiter homo, & accipio perſonam non ratione naturæ, ſed ratione perſonæ humanæ, hunc ſenſum facio; Perſona humana, eſt id, quod habet humanam naturam.

31 Obijcies ſecundò contra vltimum dictum ex Herrera, authoritate *D. Thomæ infra q. 33. art. 3. vbi habet, quòd communia abſoluta includuntur in conceptu propriorum, vt Deus in conceptu Patris. Idem habet Riccardus de Sancto Victore 1. de triuit. cap. 1. & lib. 5. in principio.* Ergo.

32 Reſponſio clara eſt ex ijs quæ ſupra diximus, & ex verbis eiuſdem D. Thomæ non obſcurè colligitur. Nam ibi Diuus Thomas loquitur de communibus prædicatis reſpectu propriorum, in concreto, non verò in abſtracto.

33 Obijcies tertiò ex eodem, & contra reſponſionem militat argumentum. *Deitas eſt de eſſentia Patris. Ergo etiam de eſſentia paternitatis. Antecedens patet. Nam Pater eſt eſſentialiter Deus. Et conſequentia probatur; quia in diuinis idem prorſus ſunt abſtractum, & concretum; & nihil includit vnum, quod non includat alterum. Quia ſolùm differunt ex noſtro modo ſignificandi.*

34 *Confirmatur. Infra q. 40. art. 1. vbi oſtenditur ex D. Thoma, & Caietano, perſonas, & relationes eſſe idem prorſus. Ergo ſi Deitas eſt de ratione Patris, eſt etiam de ratione paternitatis.*

35 Reſpondetur, diſtinguendo, ſeù potiùs explicando antecedens. Deitas eſt de eſſentia Patris, ideſt, deitas eſt ipſa eſſentia, ſeù natura, quę conuenit Patri, concedo antecedens. Deitas eſt de eſſentia Patris, ideſt de intrinſeco conceptu Patris, aliquo modo, concedo antecedens. Omnibus modis, nego antecedens.

36 Senſus eſt; quòd in Patre æterno nõ datur alia eſſentia, ſeù natura, niſi ſola diuina eſſentia. Vnde, Pater, & Filius, & Spiritusſanctus dicuntur eſſe vnius eſſentiæ. Et inſuper, Pater quatenùs eſt nomen perſonæ in concreto prolatæ, includit in obliquo eſſentiam diuinam; & conſequenter, in hoc ſenſu eſſentia diuina eſt de intrinſeco conceptu Patris. Et tandem perſona Patris, in concreto prolata, quatenùs accipitur pro perſona præciſè, non ſignificat in recto eſſentiã; ita vt valeat dicere, Pater quatenùs dicit perſonam præciſè, eſt eſſentia.

Ad confirmationem patet per idem.

37 Obijcies quartò ex eodem. *Paternitas eſſentialiter includit diuinum eſſe abſolutum. Ergo eſſentialiter includit eſſentiam; quia illa eſt ipſum eſſe Dei.*

38 *Confirmatur. Paternitas eſſentialiter eſt Deus. Ergo in ſuo conceptu eſſentiali includit deitatem. Conſequentia patet. Nam quod eſſentialiter eſt tale, in ſuo conceptu eſſentiali includit formam, qua eſt tale. Antecedens autem probatur. Nam paternitas eſt in Deo, & non eſt creatura. Ergo eſt Deus. Eſt enim Deus, quicquid eſt in Deo, & non eſt creatura. Ergo eſſentialiter eſt Deus. Nihil enim eſt Deus accidentaliter; ſed cuicumquè conuenit eſſe Deum, neceſſariò, & eſſentialiter eſt Deus.*

39 Reſpondetur, diſtinguendo, ſeù explicando antecedens. Paternitas eſſentialiter actualiter, & ex natura rei, includit diuinum eſſe abſolutum, concedo antecedens. Paternitas eſſentialiter per modum prædicationis in recto includit diuinum eſſe abſolutum, nego antecedens. Ergo, &c. ſimiliter diſtinguendũ eſt conſequens.

40 Suppono tamen, quòd ſuperiùs diximus, nempè, quòd paternitas cum includat eſſentiam diuinam per modum ſuæ exiſtentiæ intrinſecè, includit quoquè diuinum eſſe abſolutum, tanquam ſuam proportionatam exiſtentiam.

41 Ad confirmationem, retorqueo in Herreram argumentum. Volitio eſt in Deo; & non eſt creatura. Ergo eſſentialiter eſt Deus. Nihil enim eſt Deus accidentaliter, ſed cuicumque conuenit eſſe Deum, neceſſariò, & eſſentialiter eſt Deus. Tunc ſic. Spirituiſancto per ſuam proceſſionem communicatur velle diuinum, vt docet idem Herrera q. 27. art. 4. §. *Ex his ſequitur noſtra ſecunda ratio.* Ergo Spirituiſancto intrinſecè, & formaliter communicatur natura diuina: ſed hoc eſt contra Herreram loco iam citato, vbi ideo probat proceſſionem verbi

Digitized by Google

Verbi diuini eſſe generationem ; non verò Spiritus ſancti proceſſionem ; quia *per proceſſionem verbi , per ſe primò , & formaliter , communicatur illi primaria , & ſubſtantialis ratio eſſentiæ diuinæ , quæ eſt intelligere ; Spirituiſancto verò per ſuam proceſſionem , non communicatur per ſe primò , & formaliter , niſi velle diuinum ; quod , licet propter infinitam Dei ſimplicitatem identificetur formaliter cum eſſentia Dei ; tamen virtualiter diſtinguitur ab illa , tamquam inclinatio ab eſſentia ; & ſupponit illam , ſicut omnis volitio ſupponit intellectionem .*

42 Reſpondetur deindè ad confirmationem , negando antecedens , in eo ſenſu , in quo militat contra vltimam concluſionem . Ad cuius probationem , concedo antecedens ; & diſtinguo conſequens . Ergo eſt Deus , identicè , & formaliter ex natura rei , concedo conſequentiam . Formaliter ſecundùm rationem , adhùc diſtinguo conſequens . Ergo eſt Deus , conſecutiuè , concedo conſequentiam . Ergo eſt Deus formaliſſimè , nego conſequentiam . Etenim , quicquid eſt in Deo , vel eſt eſſentia diuina , vel eſt formalitas , quæ ſe habet veluti attributum naturæ diuinæ .

43 Obijcies quintò ex eodem . *Nos concipimus relationem ſub ratione entis , & non entis creati . Ergo quando concipimus illam diſtinctè , eo modo , quo in via poſſumus illam percipere per fidem , aut theologiam , concipimus illam ſub ratione entis increati . Ergo ſub conceptu Deitatis .*

44 *Dices ; nego* vltimam *conſequentiam ; quia ſatis eſt , illam concipi ſub ratione entis infiniti relatiui , qua ratione diſtinguitur ab eſſentia .*

45 *Sed contra hoc eſt ; quia ſi concipitur diſtinctè quidquid includitur in illa entitate relatiuè infinita , ita neceſſariò debet concipi eſſentia . Nam illa debet concipi , ſi diſtinctè concipitur , vt ens non ab alio , & vt ens cuius eſſe ſit perfectiſſimum , ſcilicet intelligere . Imo , quòd ſit ſuum eſſe , & ſuum intelligere ; & per conſequens , neceſſariò debet intelligi eſſentia , cuius ratio formalis eſt , eſſe ens non ab alio ; & eſſe ſuum eſſe , & ſuum intelligere .* Hæc ille .

46 Reſpondetur ad argumentum , diſtinguendo antecedens . Nos concipimus relationem ſub ratione entis , & non entis creati , ideſt , ſub ratione alicuis formalitatis relatiuæ , & non formalitatis creatæ , concedo antecedens . Sub ratione entis , ideſt ſub ratione eſſentiæ , & non ſub ratione eſſentiæ creatæ , nego antecedens . Similiter diſtinguendum eſt primum conſequens . Et neganda vltima conſequentia . Fallit enim argumentum , quia tranſit à ratione entis quatenùs ſignificat eſſentiam ſubſiſtentem , ad rationem entis , quatenùs ſignificat aliquam formalitatem , ſeù modalitatem , quæ tribuitur enti , ſeù eſſentiæ ſubſiſtenti . Quælibet enim formalitas , quæ in Deo formaliter reperitur , formaliſſimè loquendo , non eſt ens , ideſt eſſentia ſubſiſtens ; ſed ens , ideſt formalitas , veluti attributalis , vel modus , ſeù terminus , &c. Vndè non oportet ad impugnationem , ſeù ad inſtantiam , quam reſponſioni à ſe adductæ inſtaurat , reſpondere ; quia argumento eius præſentem applicauimus reſponſionem . Neque admiſſa reſponſione per eundem relata , eius inſtantia vrget . Non enim probat , niſi quòd neceſſariò deberet concipi eſſentia , tamquàm exiſtentia abſoluta relationis ; & tanquàm id , in quo conſiſtit eſſentia relationis , ſeù natura ; & quidditas Deitatis . Non tamen neceſſariò debet concipi eſſentia , vt formaliter identificata cum relatione .

Digitized by Google

ARTICVLVS TERTIVS.

Vtrum relationes, quæ ſunt in Deo, realiter ab inuicem diſtinguantur.

AD tertium ſic proceditur. Videtur quod relationes, quæ ſunt in Deo, realiter ab inuicem non diſtinguantur. Quæcunque enim vni, & eidem ſunt eadem, ſibi inuicem ſunt eadem; ſed omnis relatio in Deo exiſtens eſt idem ſecundum rem cum diuina eſſentia: ergo relationes ſecundum rem ab inuicem non diſtinguuntur.

2 *Præterea. Sicut paternitas, & filiatio ſecundum nominis rationem diſtinguuntur ab eſſentia diuina, ita & bonitas, & potentia; ſed propter huiuſmodi rationis diſtinctionem non eſt aliqua realis diſtinctio boniatis, & potentiæ diuinæ: ergo neque paternitatis, & filiationis.*

3 *Præterea. In diuinis non eſt diſtinctio realis niſi ſecundum originem; ſed vna relatio non videtur oriri ex alia: ergo relationes non diſtinguuntur realiter ab inuicem.*

Sed contra eſt, quod dicit Boetius in lib. de Trinitate, quod ſubſtantia in diuinis continet vnitatē: ſi ergo relationes nō diſtinguūtur ab inuicem realiter, non erit in diuinis Trinitas realis, ſed rationis tantum, quod eſt Sabelliani erroris.

Reſpondeo dicendum, quod ex eo, quod aliquid alicui attribuitur, oportet, quod attribuantur ei omnia, quæ ſunt de ratione illius. Sicut cuicunque attribuitur homo, oportet, quod attribuatur ei eſſe rationale. De ratione autem relationis eſt reſpectus vnius ad alterum, ſecundum quem aliquid alteri opponitur relatiuè. Cum igitur in Deo realiter ſit relatio, (vt dictum eſt,) oportet, quod realiter ſit ibi oppoſitio. Relatiua autem oppoſitio in ſui ratione includit diſtinctionem: vnde oportet, quod in Deo ſit realis diſtinctio, non quidem ſecundum rem abſolutam, quæ eſt eſſentia, in qua eſt ſumma vnitas, & ſimplicitas, ſed ſecundum rem relatiuam.

Ad primum ergo dicendum, quod ſecundum Philoſophum in 3. phyſicor. argumentum illud tenet, quod quæcunque vni, & eidem ſunt eadem, ſibi inuicem ſunt eadem, in his, quæ ſunt idem re, & ratione, ſicut tunica, & indumentum: non autem in his, quæ differunt ratione: vnde ibidem dicit, quod licet actio ſit idem motui, ſimiliter & paſſio: non tamen ſequitur, quod actio, & paſſio ſint idem: quia in actione importatur reſpectus, vt à quo eſt motus in mobili; in paſſione verò vt qui eſt ab alio; & ſimiliter licet paternitas ſit idem ſecundum rem cum eſſentia diuina, & ſimiliter filiatio: tamen hæc duo in ſuis proprijs rationibus important oppoſitos reſpectus: vnde diſtinguuntur ab inuicem.

FORMATIO ARTICVLI.

COrporis diſtributio, cōſiſtit in vnica cōcluſione; atquè in vnica eiuſdem probatione.

Quò ad primum, concluſio in corporis calce continetur, & eſt iſta. *Oportet, quòd in Deo ſit realis diſtinctio, non quidem ſecundùm rem abſolutā, quæ eſt eſſentia, in qua eſt ſumma vnitas, & ſimplicitas, ſed ſecundū rem relatiuam.*

Quò ad ſecundū, probatio eſt iſta. *Relatiua oppoſitio in ſui ratione includit diſtinctionem: ſed in Deo realiter eſt relatio.* Ergo *oportet, quòd realiter ſit ibi oppoſitio.* Ergo *oportet, quòd in Deo ſit realis diſtinctio, non quidē, &c.* Vltima conſequentia, quę eſt concluſio principalis, patet ex prima. Primam autem D. Thomas probat ſic. *Ex eo quòd aliquid alicui attribuitur, oportet, quòd attribuantur omnia, quæ ſunt de ratione illius: ſed de ratione relationis eſt reſpectus vnius ad alterū, ſecundùm quem, aliquid alteri opponitur relatiuè; cum igitur in Deo realiter ſit relatio, oportet quod realiter ſit ibi oppoſitio.* Maiorem explicat ſic. *Sicut cuicumquè attribuitur homo, oportet quòd attribuatur ei eſſe rationale.* Maiorem verò principalis argumenti, ſupponit ex ipſis terminis notam.

Ad primum argumentum reſpondet, explicando maiorē. *Quæcunquè vni, & eidē ſunt eadem re, & ratione ſibi inuicē ſūt eadem,* concedit maiorem. Quæcumquè vni, & eidem ſunt eadem, re tantùm, non verò ratione, negat maiorem. Similiter diſtinguenda eſt minor, & neganda eſt conſequentia.

Ad ſecundum argumentum, relicta aliorum formalizatione, ſic reſponſionem in forma propono, reſpondetur negando paritatem poſitam in maiori; & aſſignando diſparitatem; *Nam potentia, & bonitas, non important in ſuis rationibus aliquam oppoſitionem.* Vnde non eſt ſimilis ratio.

Ad tertium argumentum reſpondet, admittēdo in aliquo ſenſu minorem, & explicando maiorē. *In diuinis non eſt diſtinctio realis, niſi ſecundum originem,* vel per oppoſitionem relatiuā, ſecūdùm proceſſionem alicuius ab alio, concedit maiorem. *In diuinis non eſt diſtinctio realis, niſi ſecundùm originem* præciſè, negat maiorem. Tunc admiſſa aliquo modo minori, negat cōſequentiam.

Ad ſecundum dicendum, quod potentia, & bonitas non important in ſuis rationibus aliquam oppoſitionem: vnde non eſt ſimilis ratio.

Ad tertium dicendum, quod quamuis relationes, propriè loquendo non oriantur, vel procedant abinuicem, tamen accipiuntur per oppoſitum ſecundum proceſſionem alicuius ab alio.

SVPER ARTICVLVM COMMENTARIVM.

1 PRO tituli intelligentia obſeruā cum Caietano; quòd ly, *relationes*, indefinitè, non vniuerſaliter tenetur. Idquè ex eo liquidò conſtat; quia in concluſione reſponſiua quæſito, indefinitè reſpondet; ſic enim ait. *Vnde oportet, quòd in Deo ſit realis diſtinctio ſecundùm rem relatiuam*; & euidētiùs apparet ex concluſionis probatione. Nam ideo probat in diuinis eſſe diſtinctionem realem ſecundùm rem relatiuam; quia inter relationes datur oppoſitio. Ergo diſtinctio. Certum autē eſt, non omnes relationes ad inuicem opponi. Loquitur igitur de relationibus indefinitè.

2 Vel dicendum eſt, quòd loquitur de relationibus vniuerſaliter; tamen ly, *ab inuicem*, nō debet diſtribui vniuerſaliter, ſed debita comparatione ſeruata; itaut ſenſus ſit, vtrum omnes relationes, quæ ad inuicem opponuntur in diuinis, ab inuicem diſtinguantur. Et ſic verum eſt, quòd omnes relationes, quæ sūt in Deo, ab inuicem diſtinguuntur, quatenus ad inuicem opponuntur.

3 *Ex eo quod, aliquid alicui attribuitur, oportet, quòd attribuantur ei omnia, quę ſunt de ratione illius*. Propoſitio, ſeù maxima hęc, non ſolùm eſt vera de ijs, quæ ſunt de ratione intrinſeca, in primo modo dicendi per ſe, verumetiam de ijs, quæ per ſe conſequuntur veluti propria paſſio, aut intrinſecus modus illius; nec obſtat, quòd D. Thomas, exemplum dederit de hoc quod eſt, rationale eſſe de ratione hominis; quoniam non tenebatur de omni eo, de quo verificari poteſt, exempla proponere, ſed ſufficiēs fuit aſſignare exemplum de omni rigore verum. Ex quo ſequitur, quòd ſiuè diſtinctio ſit de intrinſeco, ac eſſentiali conceptu oppoſitionis relatiuæ; ſiuè ſit veluti conſequens ex relatiua oppoſitione, ſemper ex ſupradicta maxima, D. Thomas efficaciter ſuæ concluſionis probauit intentum.

4 *De ratione autem relationis, eſt reſpectus vnius ad alterum, ſecundùm quem, aliquid alteri opponitur relatiuè*. Locus iſte eſt inſignis, ad probādum ex D. Thoma, quòd relatio terminetur intrinſecè, non ad abſolutum, ſed ad relatiuū, loquitur enim de relatione ſecundùm eſſe; & ait, quòd *de ratione relationis, eſt reſpectus vnius ad alterum, ſecundùm quem, aliquid alteri opponitur relatiuè*. Oppoſitio autem relatiua, non eſt inter abſolutum, & relatiuum; nec è contra; ſed inter relatiuum, & correlatiuum.

a *Relatiua autem oppoſitio in ſui ratione includit diſtinctionem*. (Nota) ly, *in ſui ratione*; quoniam tripliciter intelligi poteſt. Præſuppoſitiuè ſcilicet, formaliter; & conſecutiuè. Non debet, nec poteſt intelligi tertio modo, quaſi in aliquo priori, intelligatur oppoſitio, cum identitate; ſeù abſquè diſtinctione. Poteſt tamen intelligi primo modo; Nam relatio inter Dominum, & ſeruum; Diſcipulum, & Magiſtrum, non conſtituit diſtinctionem inter Franciſcum Magiſtrū, & Dionyſium diſcipulum, ſed neceſſariò ſupponit diſtinctionem inter perſonam Serui, & Domini; Diſcipuli, & Magiſtri. Poteſt quoquè intelligi ſecundo modo; eſtquè ſenſus rigoroſus, & formalis. Verùm in creatis non inuenitur exemplum; quælibet enim oppoſitio relatiua ſupponit diſtinctionem realem inter vnam perſonam, & alteram, inter qua eſt relatio; ſolùm in diuinis datur hoc, quòd relatio paternitatis v. g. non ſupponat perſonam Patris realiter diſtinctam à perſona Filij. Quandoquidem, perſona Patris conſtituitur per paternitatem; & perſona filij per filiationem, & per eandem paternitatem diſtinguitur a Filio, cui relatiuè opponitur. Imo propoſitio D. Thomæ vera eſt inter relationes ipſas; itaut ſenſus ſit, quòd relatio paternitatis v. g. in diuinis, quæ eſt oppoſitio relatiua reſpectu filiationis, eſt ipſamet diſtinctio. Si verò loquitur de relationibus in creatis, quamuis vera ſit iſta propoſitio, quòd relatiua oppoſitio inter paternitatem, & filiationem eſt formaliſſimè diſtinctio inter paternitatem, & filiationem oppoſitam; tamen ſaluatur diſtinctio realis inter paternitatem, & filiationem, non oppoſitam.

6 *Non quidem ſecundùm rem abſolutam, ſed*

ſecundum rem relatiuam . Dubium occurrit; quia ex hoc modo loquendi inſinuare videtur, quòd in Deo datur duplex res; res ſcilicet abſoluta; & res relatiua, quod non videtur eſſe admittendum. Ergo non rectè locutus eſt. Probatur minor; quia in diuinis non dantur duæ entitates, ſeù duo entia, quorum vnum ſit abſolutum, alterum relatiuum. Non enim dantur duæ eſſentiæ, vna abſoluta, & altera relatiua; non duæ exiſtentiæ vna abſoluta, & altera relatiua; non duo entia, vnum abſolutum, & alterum relatiuum. Ergo.

7 Reſpondetur, explicandò D. Thomã, ſeù propoſitionem D. Thomæ præfatã, ſic. *Non quidem ſecundùm rem abſolutam*, ideſt ſecundùm rem quãtùm ad formalitatem abſolutam; quæ eſt eſſentia; *ſed ſecundùm rem relatiuam*; ideſt ſecundũ rem eandem, quantùm ad formalitatẽ relatiuam, quæ eſt formalitas virtualiter diſtincta à formalitate abſoluta eſſentię. Vtrum autem tres perſonæ diuinæ poſſint cum proprietate ſermonis, dici tres res; dico breuiter, nõ poſſe dici abſolute tres res, ſed cum addito, ideſt tres res relatiuę, poteſt tamen, & debet abſolute dici, eſſentia diuina eſt vna res. Ratio eſt; quia quælibet res propriè, & abſolutè accepta, vel dicit rem eſſentiæ; vel rem exiſtentiæ; vel eſſentiam ſubſiſtentem, & exiſtentem; in diuinis autem, non eſt niſi vna eſſentia, vna exiſtentia; & vna ſubſiſtentia abſoluta, qua natura diuina redditur ſubſiſtens; ſubſiſtentiæ autem relatiuæ, non faciunt ſimpliciter, & abſolutè ſubſiſtere, ſed relatiuè, & incommunicabiliter ſubſiſtere.

8 Quòd ſi aliquando D. Thomas dixerit, tres perſonas diuinas eſſe tres res, debet ſubintelligi cum addito, quando explicitè non ponitur. Sed vide infra diſputatione de hac re ſpeciali.

9 In reſponſione ad primum. *Quæcumquè vni, & eidem ſunt eadem, ſibi inuicem sũt eadem, in his, quæ ſunt idem re, & ratione*. Hanc explicationem nonnulli reijciunt, & contra eam multis inſurgunt, & quoniam ex debili arguentium ingenio, & ex non ſincera litteræ intelligentia procedunt, ideo oportet germanam doctrinæ D. Thomæ afferre explicationem, qua poſita, omnia argumenta cadunt. Putant enim, quòd tota reſponſio conſiſtat in hac, nimirum, quod ea quæ vni tertio conueniunt re, differunt verò ratione, non oportet quòd ad inuicem realiter identificentur, ſed potiùs quòd realiter diſtinguantur. Nihilominùs non in hoc tota intentio D. Thomæ conſiſtit. Hæc eſt ergo legitima eius interpræratio. *Quæcumquè vni, & eidem ſunt eadem* re, & ratione, *ſibi inuicem ſunt eadẽ*. *Quæcumq;* autem *vni, & eidem ſunt eadẽ*, re no verò ratione, ſed potiùs *in ſuis proprijs rationibus important oppoſitos reſpectus*, non eſt vera propoſitio. Sic autem eſt in caſu noſtro. Quamuis enim relationes diuinæ realiter cum eſſentia diuina identificentur; quia tamen ſic ab eadem diſtinguuntur ratione, vt adinuicem in ſuis proprijs rationibus importent reſpectus oppoſitos &c.

10 In reſponſione ad ſecundum. *Potẽtia, & bonitas, non important in ſuis rationibus aliquam oppoſitionem*. Hæc verba, præcedẽtem litteræ D. Thomæ explicationem manifeſtè confirmant. Nam diſparitatem aſſignat, in paritatẽ in maiori propoſitione propoſita. Hæc enim erat paritas; *Sicut paternitas, & filiatio ſecundùm nominis rationem diſtinguũtur ab eſſentia diuina, ita & bonitas, & potentia*. Reſpondet autem quod non *ſicut*; quandoquidem, potentia, & bonitas non ſic ratione ab eſſentia diſtinguuntur, vt in ſuis rationibus importent aliquam oppoſitionem: at vero paternitas, & filiatio, ſic ratione ab eſſentia diſtinguuntur, vt in ſuis proprijs rationibus oppoſitos reſpectus importent.

11 In reſponſione ad tertium. *Quamuis relationes, propriè loquendo, non oriantur, vel procedant ab inuicem, tamen accipiuntur, &c.* Loquuntur de relationibus, ſecundùm proprium, & vltimum illarum conceptum. Et ſenſus eſt, quòd relationes ſecundùm quod dicunt ad, præciſè, ita ſe habent in diuinis, vt ad, vnius, non propriè intelligatur procedere ab ad, alterius. Si tamen nomine relationis, accipiatur perſona, ſeu relatio vt ſubſiſtens, verum eſt, cum omni proprietate ſermonis, quod oriuntur, vel procedunt ab inuicem.

Tamen accipiuntur per oppoſitum ſecundùm proceſſionem alicuius ab alio. Senſus eſt, quòd quamuis vna relatio non procedat ab alia ſecundùm eſſe ad; tamen quia vna relatio opponitur alteri, per hoc, quod vna relatio eſt perſonæ producentis, & alia eſt perſonæ procedentis ab alia.

ARTICVLVS

FORMATIO ARTICVLI.

BIpartita eſt corporis diſtributio. Primò enim probat, quòd relationes reales in Deo nõ poſſunt accipi, niſi ſecundùm actiones, ſecundùm quas eſt proceſſio in Deo intra, ſed non extra. Secũdò, oſtẽdit quatuor tantùm eſſe relationes reales in Deo.

Quò ad primum, ſtatuit hanc concluſionem. *Relationes reales in Deo non poſſunt accipi, niſi ſecundùm actiones, ſecundùm quas eſt proceſſio in Deo intra, ſed non extra.*

Probat autẽ quò ad vtramquè partẽ. Et quidem quò ad primam, ſic. *Secundùm Phyloſophum in 5. metaph. relatio omnis fundatur, vel ſupra quãtitatem, vt duplum, & dimidium: vel ſupra actionem, & paſſionem; vt faciens & factum, Pater & Filius, Dominus & Seruus, & huiuſmodi: ſed quantitas nõ eſt in Deo. Relinquitur ergo, quòd realis relatio in Deo eſſe non poſſit, niſi ſuper actionem fundata;* Minorem probat; quia *vt dicit Auguſtinus, Deus eſt ſine quantitate magnus.*

Quò ad ſecundam vero partem, probat ſic; *quia relationes Dei ad creaturas, non ſunt realiter in ipſo.* Ergo *ſecundùm quas eſt proceſſio in Deo intra, ſed non extra.*

Quò ad ſecũdum, concluſio debet eſſe iſta, nimirum, tantũ quatuor ſunt in Deo relationes reales, ſcilicet, paternitas, filiatio, ſpiratio, & proceſſio.

Probat autem ſic. *Proceſſiones ſunt duæ tantùm.* Ergo quatuor relationes. Antecedens ſupponit vt certum quæſtione præcedenti, illudquè declarat; quia *vna accipitur ſecundùm actionem intellectus, quæ eſt proceſſio Verbi; alia ſecundùm actionem voluntatis, quæ eſt proceſſio amoris.* Et ſubaudi, nec alia dari poteſt.

Probat autem cõſequentiam ſic; *Secundùm quamlibet proceſſionem oportet duas accipere relationes oppoſitas, quarum vna ſit procedentis à principio; & alia ipſius principij:* ſed ſunt duæ proceſſiones. Ergo quatuor relationes.

Aſſignat prò maioris propoſitionis explicatione, relationum nomina, & ſunt iſta, ſcilicet *paternitas, & filiatio; ſpiratio, & proceſſio.*

Rationem duarũ primarũ relationũ, quare ſic vocentur aſſignat ſic. *Relatio principij generationis in viuentibus perfectis dicitur paternitas; r... io*

ARTICVLVS QVARTVS.

Vtrum in Deo ſint quatuor tantum relationes reales, ſcilicet Paternitas, Filiatio, Spiratio, & proceſſio.

AD quartum ſic proceditur, videtur quod in Deo non ſint tantum quatuor relationes reales, ſcilicet Paternitas, Filiatio, Spiratio, & proceſſio: eſt enim cõſiderare in Deo relationes intelligentis ad intellectum, & volentis ad volitum. Quæ videntur eſſe relationes reales, neque ſub prædictis continentur: non ergo ſunt ſolum quatuor relationes reales in Deo.

2 *Præterea. Relationes reales accipiuntur in Deo ſecundum proceſſionem intelligibilem verbi; ſed relationes intelligibiles multiplicantur in infinitum, vt Auic. dicit: ergo in Deo ſunt infinitæ relationes reales.*

3 *Præterea. Ideæ ſunt in Deo ab æterno, vt ſupra dictum eſt: non autem diſtinguuntur abinuicem niſi ſecundum reſpectum ad res, vt ſupra dictum eſt: ergo in Deo ſunt multo plures relationes æternæ.*

4 *Præterea. Aequalitas, & ſimilitudo, & identitas ſunt relationes quædam, & ſunt in Deo ab æterno: ergo plures relationes ſunt ab æterno in Deo, quàm quæ dictæ ſunt.*

Sed contra, videtur quod ſint pauciores, quia ſecundum Philoſoph. in 3. phyſicor. Eadem via eſt de Athenis ad Thebas, & de Thebas ad Athenis: ergo videtur, quod pari ratione eadem ſit relatio de Patre ad Filium, quæ dicitur paternitas, & de filio ad patrem, quæ dicitur filiatio; & ſic non ſunt quatuor relationes in Deo.

Reſpondeo dicendum, quod ſecundum Philoſoph. in 5. metaphyc. Relatio omnis fundatur, vel ſupra quantitatem, vt duplum, & dimidium, vel ſupra actionem, & paſſionem, vt faciens, & factum, Pater & Filius, Dominus & Seruus, & huiuſmodi: cum autem quantitas non ſit in Deo; eſt enim ſine quantitate magnus, vt dicit Auguſt. Relinquitur ergo, quod realis relatio in Deo eſſe non poſſit, niſi ſuper actionem fundata: non autẽ ſuper actiones ſecundum quas procedit aliquid extrinſecum à Deo: quia relationes Dei ad creaturas non ſunt realiter in ipſo, vt ſupra dictum eſt: vnde relinquitur, quod relationes reales in Deo non poſſunt accipi niſi ſecundum actiones, ſecundum quas eſt proceſſio in Deo intra; ſed non extra. Huiuſmodi autem proceſſiones ſunt duæ tantum, vt ſupra dictum eſt. Quarum vna accipitur ſecundum actionem intellectus, quæ eſt proceſſio verbi: alia ſecundum actionem voluntatis, quæ eſt proceſſio amoris. Secundum quamlibet autem proceſſionem oportet duas accipere relationes oppoſitas,

Digitized by Google

verò procedentis à principio, dicitur filiatio, ſed proceſſio Verbi dicitur generatio ſecũdùm propriam rationem, qua cõpetit rebus viuentibus. Ergo iure optimo duæ primæ relationes, paternitas, & filiatio nuncupantur.

De duabus verò vltimis relationibus, rationem propriam nõ aſſignat; eo quia, *proceſſio amoris non habet nomen proprium. Vnde neque relationes, quæ ſecundùm ipſam accipiuntur; ſed vocatur relatio principij huius proceſſionis, ſpiratio: relatio autem procedentis, proceſſio; quamuis hæc duo nomina ad ipſas proceſſiones, vel origines pertineant, & non ad relationes.*

Ad primum reſpõdet, diſtinguẽdo maiorem. *Eſt conſiderare in Deo relationes intelligentis ad intellectum, & volentis ad volitum,* vt indifferens intellectus ab intellecto, volens à volito, concedit maiorem. Vt differens intellectus ab intellecto; & volens à volito, negat maiorem. Ad minorem. *Quæ videntur eſſe, &c.* diſtinguit minorem. *Quæ videntur eſſe relationes reales*, in his in quibus differt intellectus ab intellecto, volens à volito, concedit minorem. *Quæ videntur eſſe relationes reales in Deo*, in quo eſt idem omninò intellectus & intellectum, voluntas & volitum, negat minorem. Ergo, &c. negat conſequentiam.

Ad ſecundum reſpondet, concedendo maiorem, & diſtinguendo, ſeù explicando minorem.

tas, quarum vna ſit procedentis à principio, & alia ipſius principij. Proceſſio autem verbi dicitur generatio ſecundum propriam rationem, qua competit rebus viuentibus. Relatio autem principij generationis in viuentibus perfectis, dicitur paternitas. Relatio verò procedentis à principio dicitur filiatio. Proceſſio verò amoris non habet nomen proprium, vt ſupra dictum eſt: vnde neque relationes, quæ ſecundum ipſam accipiuntur: ſed vocatur relatio principij huius proceſſionis, ſpiratio: relatio autem procedentis, proceſſio, quamuis hæc duo nomina ad ipſas proceſſiones, vel origines pertineant, & non ad relationes.

Ad primum ergo dicendum, quod in his, in quibus differt intellectus, & intellectum, volens & volitum poteſt eſſe realis relatio, & ſcientiæ ad rem ſcitam, & volentis ad rem volitam; ſed in Deo eſt idem omninò intellectus, & intellectũ; quia intelligendo ſe intelligit omnia alia, & eadẽ ratione voluntas, & volitum: vnde in Deo huiuſmodi relationes non ſunt reales, ſicut neque relatio eiuſdem ad idem: ſed tamen relatio ad verbum eſt realis, quia verbum intelligitur, vt procedens per actionem intelligibilem, non autem, vt res intellecta: cum enim intelligimus lapidem, id quod ex re intellecta concipit intellectus vocatur verbum.

Ad ſecundum dicendum, quod in nobis relationes intelligibiles in infinitum multiplicantur, quia alio actu intelligit homo lapidem, & alio actu intelligit ſe intelligere lapidem, & alio etiam intelligit hoc intelligere; & ſic in infinitũ multiplicãtur actus intelligendi, & per conſequens relationes intellectæ; ſed hoc in Deo non habet locum, quia vno actu tantum, omnia intelligit.

Ad tertium dicendum, quod reſpectus ideales ſunt intellecti à Deo: vnde ex eorum pluralitate non ſequitur, quod ſunt plures relationes in Deo; ſed quod Deus cognoſcat plures relationes.

Ad quartum dicendum, quod æqualitas, ſimilitudo, in Deo non ſunt relationes reales, ſed rationis tantum, vt infra patebit.

Ad quintum dicendum, quod via eſt eadem ab vno termino ad alterum, & è conuerſo, ſed tamẽ reſpectus ſunt diuerſi: vnde ex hoc non poteſt cõcludi, quod eadem ſit relatio Patris ad Filium, & è conuerſo: ſed poſſet hoc concludi, de aliquo abſoluto, ſi eſſet medium inter ea.

Sed relationes intelligibiles multiplicantur in infinitum, in nobis, cõcedit minorem. In Deo, negat minorẽ. Et rationẽ aſſignat; quia *in nobis relationes intelligibiles in infinitũ multiplicantur; quia alio actu intelligit homo lapidem; & alio actu intelligit ſe intelligere lapidem, &c.* ſed hoc in Deo non habet locum; quia *vno actu tantum omnia intelligit.*

Ad tertium argumentum reſpondet, concedendo maiorem, & diſtinguendo minorem. *Non autem diſtinguuntur ab inuicem*, niſi ſecundũ reſpectum intellectũ à Deo, concedit minorem. *Non autem diſtinguuntur ab inuicẽ,* niſi ſecundùm reſpectum realiter exiſtentem in Deo, negat minorem. Ergo, &c. negat conſequẽtiam. Et ratio negationis eſt: quia *reſpectus ideales ſunt intellecti à Deo*; & ſubaudi, non verò realiter exiſtentes in Deo. *Vnde ex eorum pluralitate non ſequitur, quod ſint plures relationes in Deo; ſed quòd Deus cognoſcat plures relationes.*

Ad quartum argumentum reſpondet, diſtinguendo antecedẽs. *Æqualitas, & ſimilitudo, & identitas ſunt relationes quædam in Deo*, rationis tantùm, & non relationes reales, concedit antecedens, *ſunt relationes* reales *in Deo*, negat antecedens. Ergo, &c. negat cõſequentiam.

Ad quintũ, quod eſt argumentum, *ad contra*, reſpondet diſtinguendo, ſeù potiùs explicando

tecedens. *Eadem via*, ſed non eadem relatio *eſt, de Athenis, ad Thebas, & de Thebis ad Athenas*, concedit antecedens. *Eadem via*, ſed diuerſa relatio, *eſt de Athenis ad Thebas, & de Thebis ad Athenas*, negat antecedens Ergo, &c. negat conſequentiam.

SVPER ARTICVLVM COMMENTARIVM.

1 R*Elatio omnis fundatur, vel ſupra quantitatem, vt duplum, & dimidium; vel ſupra actionem, & paſſionem, vt faciens, & factum; Pater, & Filius; Dominus, & Seruus*. Dubium occurit; quia datur relatio menſuræ ſcilicet, & menſurati; quæ neque fundatur ſupra quantitatem; neque ſupra actionem, & paſſionem. Ergo diminutus D. Thomas non aſſignans tertium relationis fundamentum; & non rectè dixit; relatio omnis &c.

2 Reſpondetur, concedendo antecedẽs, & negando conſequentiam. Et ratio negationis eſt; quia D. Thomas loquitur de relatione mutua; relatio autem menſuræ, & menſurati non eſt relatio mutua. Vnde cum dicit; *Relatio omnis*, debet ſub intelligi, mutua.

3 *Relatio omnis fundatur, vel ſupra quãtitatem*. Subintellige, ſuper quantitatem, realiter; vel modaliter. Et ſenſus eſt, quòd *relatio omnis* mutua, fundatur ſupra vnitatem, vel in quantitate, vel in qualitate; vel in ſubſtantia.

4 *Cum autem quantitas non ſit in Deo*. Sermo eſt de quantitate molis, non verò de quantitate virtutis, & perfectionis. Vnde D. Auguſtinus lib. 6. de Trin. cap. 8. circa medium tom. 3. ait; quòd *in his, quę non mole magna ſunt, hoc eſt maius eſſe, quod eſt melius eſſe. Nam melius dicitur, quod perfectius eſt*. Vide D. Thomam infra q. 42 art. 1. in corp. vbi ait; quòd *quantitas in diuinis, non eſt aliud quàm eius eſſentia*.

5 *Cum autem quantitas non ſit in Deo &c.* Dubium occurrit. Nam nomine quantitatis ſuper quam fundatur primum relationis genus, intelligitur quantitas nõ ſolùm realiter, verumetiam modaliter, vt paulò ante declarauimus: ſed in Deo datur hoc modo quantitas. Datur enim trium perſonarum in eſſentia vnitas. Ergo non rectè D. Thomas per excluſionem quantitatis propriè acceptæ, concluſit in Deo relationes accipiendas eſſe penes actionem.

6 Reſpondetur, concedendo maiorẽ, & minorem, negando verò conſequentiam. Et ratio negationis eſt; quia Sanctiſſimæ Trinitatis tractatus vaſtiſſimus eſt; & Doctores non poſſunt, nec debent in vno ſolo articulo ſimul omnia probare; ſed ſufficit quæ ad illum articulũ pertinẽt probare; alia verò priùs probata, vel inferiùs probãda ſupponere. D. Thomas igitur ſufficienter probat articuli præſentis intentum. Eo quia, non dari in Deo relationem realem in quantitate modaliter acceptam ſupponit hic, vt probandum infra q. 42. Per excluſionem igitur quantitatis propriè conſideratæ, efficaciter præſentis concluſionis probat intentum.

7 *Relinquitur ergo quòd realis relatio in Deo eſſe non poſſit, niſi ſuper actionem fundata*. Dubium occurit. Quia ſecundùm D. Thomæ ſententiam infra explicandam, ac ſuſtinendam, perſonæ diuinæ conſtituuntur relationibus. Ergo malè dixit, relationem in Deo eſſe non poſſe, niſi ſuper actionem fundatam. Probatur iſta conſequentia; quia actio perſonæ productiua ſupponit perſonam. Ergo ſupponit relationem, quæ eſt conſtitutiua perſonæ. Ergo relatio realis in Deo non fundatur ſuper actionem. Fundamentum enim relationis antecedit relationem.

8 Reſpondetur, concedendo antecedẽs; & negando conſequentiam. Et ratio negationis eſt, quia D. Thomas in hoc art. loquitur de relationibus ſecundùm proprium quidem, ſed vltimum ipſarum munus, ſcilicet, ratione ipſius, ad, non verò quantùm ad adæquatum ipſarum conceptum. Sed huius reſponſionis doctrina fuſiùs declarabitur infra. Vide Eminentiſſimi Caietani ſuper hunc articulum Commentarium.

Digitized by Google

DISPVTATIO CLXII.

VTRVM SPIRATIO ACTIVA DISTINGVANTVR REALITER ex natura rei à paternitate, & filiatione.

In duo capita diſtributa.

CAPVT PRIMVM.

Explicatur titulus, & Doctorum opiniones referuntur.

1 SIC certum exiſtimo dari relationẽ ſpirationis actiuæ, ſicut certum eſt dari relationem paternitatis, & filiationis. Nam ideo in diuinis datur paternitas, quia datur pater; & ideo datur filiatio, quia datur filius. Ergo, quia in diuinis datur ſpirator, debet quoque dari relatio ſpirationis actiuæ. Vnde in Conc. Tolerano 11. in proceſſione fidei habetur, quòd perſonæ diuinæ hoc ſolo numerum inſinuant, quòd ad inuicem ſunt. Et Conc. Florent. collat. 18, ſic ait; *Ob id Pater, & Filius ſunt, quòd Pater principium eſt, Filius autem ex principio:* ſed etiam ex Sacra ſcriptura habemus, quòd Pater, & Filius ſunt principium Spiritus ſancti. Ergo. Solùm igitur in præſenti diſputamus, Vtrum ſpiratio actiua, ſeu relatio ſpirationis actiuæ aliqua reali diſtinctione diſtinguatur à paternitate, & filiatione.

2 Relationem ſpirationis actiuæ ex natura rei à paternitate, & filiatione diſtingui, ſolet attribui Scoto, & Durando locis ſupra citatis.

3 D. Thomas autem docet relationem ſpirationis actiuæ nulla reali actuali diſtinctione à paternitate, & filiatione diſtingui, illique communiſſimè Theologi adhærent.

CAPVT SECVNDVM.

Determinatio veritatis.

4 PRO determinatione ergo veritatis dico primò. Spiratio actiua Patris non eſt aliqua actuali reali diſtinctione diſtincta à ſpiratione actiua filij.

Probatur breuiter, quia ſpiratio actiua Filij, eſt in Filio, vt communicata à Patre. Ergo eſt omninò eadem cum ſpiratione actiua Patris. Antecedens patet; quia quidquid eſt in Filio, vel eſt productũ à Patre; vel eſt à Patre illi communicatũ. Iuxta illud, Matthæi 11. *Omnia mihi tradita ſunt à Patre meo.* Probatur autem cõſequentia; quia quidquid Pater communicat Filio, eſt etiam in Patre. Ergo ſpiratio actiua Filij communicata ſibi à Patre, eſt omnino eadem cum ſpiratione actiua Patris.

5 Confirmatur; quia Pater communicat Filio eamdem omninò Deitatem quam habet in ſe, nulla reali diſtinctione diſtinctam. Ergo communicans Filio ſpirationem actiuam, communicat illi eamdem omninò ſpirationem quam habet in ſe. Antecedens eſt de fide certũ. Probatur autem conſequentia, ab omnimoda paritate.

6 Confirmatur ſecundò; Quia nulla eſt implicantia, vt Pater æternus communicet Filio eamdem omninò ſpirationem actiuam, quam habet in ſe. Ergo de facto ſic eſt, vt ſpiratio actiua Patris ſit omninò identificata cum ſpiratione actiua Filij. Patet conſequentia, quia in diuinis de facto datur quidquid non implicat contradictionem. Probatur antecedens, quia ſiqua eſſet implicãtia, vel eſſet, quia ſpiratio actiua Patris procederet à Patre; & hoc eſt falſum; quia quod realiter procedit à Patre, non ſolùm ex natura rei, ſed etiam actualiter à Patre diſtinguitur; ſicut Filius à Patre. Vel quia eſt communicata: ſed hoc nõ. Nam Deitas Filij eſt etiam communicata à Patre, & tamen eſt omninò eadem in Filio, quæ in Patre. Vide decretum Concilij Florentini ab Eugenio 4.

Dico ſecundò. Spiratio actiua nulla reali diſtinctione

diſtinctione diſtinguitur à paternitate, & filiatione.

7 Probatur primò. Spiratio actiua nulla reali oppoſitione relatiuè opponitur paternitati, aut filiationi. Ergo nulla reali diſtinctione diſtinguitur. Patet antecedens. Probatur conſequentia; quia in diuinis omnia ſunt vnum, vbi nō obuiat relationis oppoſitio.

8 Probatur ſecundò; quia relatio paternitatis non diſtinguitur ex natura rei ab eſſentia diuina. Ergo neque etiam diſtinguitur ex natura rei à ſpiratione actiua. Antecedens ſupponitur vt certum ex ſupradictis articulo ſecundo. Probatur autem conſequentia; quia Pater, & Filius ſunt in omnibus idem, præterquàm in paternitate, & filiatione, ſicut relatio paternitatis cum eſſentia, iuxta illud Ioan. 10. *Ego, & Pater vnum ſumus.* Ergo.

CAPVT TERTIVM.

Proponuntur argumenta in contrarium, & ſoluuntur.

9 SED contra iſtam determinationē obijciet aliquis primò contra primum dictum. Filiatio diſtinguitur realiter à proceſſione paſſiua Spiritus ſancti. Ergo ſpiratio actiua Filij diſtinguitur realiter à ſpiratione actiua Patris. Antecedens patet; quia Filius diſtinguitur à Spiritu ſancto realiter. Ergo filiatio diſtinguitur quoquè realiter à ſpiratione paſſiua Spiritus ſancti. Probatur autem conſequentia; quia ideo, & non aliter, nec alio modo filiatio realiter diſtinguitur à proceſſione paſſiua Spiritus ſancti, quia filiatio includit ſpirationem actiuam, quæ opponitur relatiuè ſpirationi paſſiuæ Spiritus ſancti: ſed ſpiratio actiua Filij includit filiationem, quæ opponitur relatiuè paternitati. Ergo ſpiratio actiua Filij diſtinguitur à paternitate. Ergo ſpiratio actiua Filij diſtinguitur realiter à ſpiratione actiua Patris.

10 Argumentum multùm probat, quod eſt contra catholicam veritatem, ideo nihil probat. Probaret enim quod eſſentia diuina Patris eſſet realiter diſtincta ab eſſentia diuina Filij. Nam eſſentia diuina Patris includit paternitatem, quæ eſt relatiuè oppoſita filiationi. Ergo eſſentia diuina Patris eſt diſtincta à filiatione, cui relatiuè opponitur paternitas.

11 Reſpondetur igitur, concedendo antecedens; & negando conſequentiam. Ad cuius probationem diſtinguo, ſeù explico maiorem. Ideo, &c. quia includit ſic, vt ipſa filiatio ſit ad quam conſequitur neceſſariò ſpiratio actiua, & ſit ipſa quoquè ſpiratiua, concedo maiorē. Quia includit qualitercumquè, identicè ſcilicet, & ex natura rei, nego maiorem. Similiter diſtinguenda eſt minor, & neganda eſt conſequentia.

12 Obijcies ſecundò contra ſecundum dictum. Valet dicere, ſunt quatuor relationes reales in diuinis. Ergo valet dicere, quòd ſpiratio actiua diſtinguitur realiter à paternitate, & filiatione. Antecedens patet; quia quatuor in diuinis numerantur relationes reales, paternitas ſcilicet, filiatio, ſpiratio actiua, & ſpiratio paſſiua, ſeù proceſſio. Ergo realiter diſtinguitur.

13 Reſpondetur, diſtinguendo, ſeù explicando antecedens. Valet dicere ſunt quatuor relationes reales in diuinis, realiter diſtinctæ, iuxta realem, ac proportionatam oppoſitionem relatiuam concedo antecedens. Valet dicere, &c. per comparationem vnius ad quamlibet relationem, adhùc diſtinguo antecedens. Sunt quatuor relationes, veluti formaliter, ſeù veluti ſpecificè realiter exiſtentes in Deo, præſcindendo à reali diſtinctione, concedo antecedens. Sunt quatuor relationes reales, realiter ad inuicē diſtinctæ omninò, nego antecedens. Ergo &c. nego conſequentiam.

14 Obijcies tertiò. Paternitas, Filiatio, & Spiratio actiua ſunt tres relationes reales. Ergo ſunt tres res. Ergo realiter diſtinguuntur.

15 Reſpondetur, diſtinguendo, ſeù explicando antecedens. Sunt tres. Si ly *tres*, multiplicet rationes veluti ſpecificas, concedo antecedens. Si ly *tres*, multiplicet realitates, nego antecedens. Ergo, &c. nego conſequentiam; quoniam dicere ſunt tres res, eſt multiplicare tres realitates à parte rei; quod & ſi verum eſſe poſſit, debita diſtributione ſeruata, ideſt, comparando paternitatem filiationi; & ſpirationem actiuam ſpirationi paſſiuæ, ſeù proceſſioni; tamen verum non eſt diſtinguendo ly *tres* per ordinem vnius relationis ad quamlibet.

Digitized by Google

QVÆSTIO XXIX.

DE PERSONIS DIVINIS.

IN QVATVOR ARTICVLOS DIVISA.

PRæmiſſis autem his, quæ de proceſſionibus, & relationibus præcognoſcenda videbantur, neceſſarium eſt aggredi de perſonis.

Et primò ſecundùm conſiderationem abſolutam, & deinde ſecundùm comparatiuam conſiderationem: oportet autem abſolutè de perſonis, primo quidem in communi conſiderare, deinde de ſingulis perſonis.

Ad communem autem conſideratione͂ perſonarum quatuor pertinere videntur. Primò quidem ſignificatio huius nominis perſona. Secundò verò numerus perſonarum. Tertiò ea, quæ conſequuntur numerum perſonarum, vel ei opponuntur, vt diuerſitas, & ſimilitudo, & huiuſmodi. Quartò verò, ea quæ pertinent ad notitiã perſonarum.

Circa primum quæruntur quatuor.

¶ Primò, de diffinitione perſonæ.

¶ Secundò, de comparatione perſonæ ad eſſentiam, ſubſiſtentiã, & hypoſtaſim.

¶ Tertiò, vtrum nomen perſonæ competat in diuinis.

¶ Quartò, quid ibi ſignificet.

ARTICVLVS PRIMVS.

De diffinitione perſonæ.

A*D primum ſic proceditur, videtur quod incompetẽs ſit diffinitio perſonæ, quam Boetius aſſignat in lib. de duabus naturis, quæ talis eſt. Perſona eſt rationalis naturæ indiuidua ſubſtantia: nullũ n. ſingulare diffinitur: ergo perſona inconuenienter diffinitur.*

2 *Præterea. Subſtantia (prout ponitur in diffinitione perſonæ, aut ſumitur pro ſubſtantia prima, aut pro ſubſtantia ſecunda: ſi pro ſubſtantia prima, ſuperfluè additur indiuidua, quia ſubſtantia prima eſt ſubſtantia indiuidua: ſi verò ſtat pro ſubſtantia ſecunda, falſò additur, & eſt oppoſitio in adiecto: nam ſecundæ ſubſtantiæ dicuntur genera, vel ſpecies: ergo diffinitio eſt malè aſſignata.*

3 *Præterea. Nomen intentionis non debet poni in diffinitione rei: non enim eſſet bona aſſignatio ſi quis diceret, homo eſt ſpecies animalis. Homo enim eſt nomen rei, & ſpecies eſt nomen intentionis: cum igitur perſona ſit nomen rei: ſignificat enim ſubſtantiam quandam rationalis naturæ: ergo inconuenienter indiuiduum, (quod eſt nomen intentionis) in eius diffinitione ponitur.*

4 *Præterea. Natura eſt principium motus, & quietis in eo, in quo eſt per ſe, & non per accidens vt dicitur in 2. phyſicor. ſed perſona eſt in rebus immobilibus, ſicut in Deo, & in Angelis, nõ*

ergo

FORMATIO ARTICVLI.

TRipartita eſt, vt rectè obſeruat Caietanus, corporis diſtributio. Primò, extollit indiuiduum ſubſtantiæ ſupra indiuiduũ accidentis; Secundò, indiuiduum naturæ rationalis ſupra indiuidua aliarum naturarum ſubſtantialium; Et tertiò, reſpondet quæſito.

Quò ad primum, duo facit; primò, ſtatuit concluſionem, ſecũdò, eam probat.

Quò ad horũ primum, concluſio eſt iſta. *Licet vniuerſale, & particulare inueniatur in omnibus generibus, tamen ſpeciali quodam modo indiuiduum inuenitur in genere ſubſtantiæ.*

Quò ad ſecundũ, probatio eſt iſta. *Subſtantia indiuiduatur per ſe ipſam, ſed accidẽtia indiuiduãtur per ſubiectum, quod eſt ſubſtãtia.* Ergo *etiam conuenienter indiuidua ſubſtãtiæ habent aliquod ſpeciale nomen præ alijs.* Probat autem iſtam conſequentiam, non ſolùm de iure, verum etiam de facto id cõtigiſſe demonſtrans, ſic. *Dicuntur enim, indiuidua ſubſtantię, hypoſtaſes, vel primæ ſubſtãtiæ.* Antecedens quò ad primam partem ſupponit vt certum; quò ad ſecundam vero, probat ſic. *Dicitur enim hæc albedo, in quãtùm eſt in hoc ſubiecto.*

Quò ad ſecundum principale, duo etiã

facit.

ergo in diffinitione perſonæ non debuit poni natura, ſed magis eſſentia.

5 *Præterea. Anima ſeparata, eſt rationalis naturæ indiuidua ſubſtantia, non autem eſt perſona: inconuenienter ergo perſona ſic diffinitur.*

Reſpondeo dicendum, quod licet vniuerſale, & particulare inueniantur in omnibus generibus, tamen ſpeciali quodam modo indiuiduum inuenitur in genere ſubſtantiæ: ſubſtantia enim indiuiduatur per ſeipſam, ſed accidentia indiuiduantur per ſubiectum, quod eſt ſubſtantia: dicitur enim hæc albedo inquantum eſt in hoc ſubiecto; vnde etiam conuenienter indiuidua ſubſtantiæ habent aliquod ſpeciale nomen præ alijs. Dicuntur enim hypoſtaſes, vel primæ ſubſtantiæ; ſed adhuc quodam ſpecialiori, & perfectiori modo inuenitur particulare, & indiuiduum in ſubſtantijs rationalibus, quæ habent dominium ſui actus, & non ſolum aguntur ſicut alia ſed per ſe agunt: actiones autem in ſingularibus ſunt; & ideò etiam inter cæteras ſubſtantias, etiam quoddam ſpeciale nomen habent ſingularia rationalis naturæ, & hoc nomen eſt perſona; ideò in prædicta diffinitione perſonæ ponitur ſubſtantia indiuidua, inquantum ſignificat ſingulare in genere ſubſtantiæ: additur autem rationalis naturæ, inquantum ſignificat ſingulare in rationalibus ſubſtantijs.

Ad primum ergo dicendum, quod licet hoc ſingulare, vel illud diffiniri non poſſit, tamen id, quod pertinet ad communem rationem ſingularitatis, diffiniri poteſt, & ſic Philoſoph. diffinit ſubſtantiā primam, & hoc modo diffinit Boetius perſonam.

Ad ſecundum dicendum, quod ſecundum quoſdam ſubſtantia in diffinitione perſonæ ponitur pro ſubſtantia prima, quæ eſt hypoſtaſis, neque tamen ſuperflue additur indiuidua, quia nomine hypoſtaſis; vel ſubſtantiæ primæ excluditur ratio vniuerſalis, & partis. Non enim dicimus, quod homo communis ſit hypoſtaſis, neque etiam manus cum ſit pars, ſed per hoc, quod additur indiuiduum, excluditur à perſona ratio aſſumptibilis: humana enim natura in Chriſto non eſt perſona quia eſt aſſumpta à digniori, ſcilicet à verbo Dei; ſed melius dicendum eſt, quod ſubſtantia accipitur communiter, prout diuiditur per primam, & ſecundam; per hoc, quod additur indiuidua, trahitur ad ſtandum pro ſubſtantia prima.

Ad tertium dicendum, quod quia ſubſtantiales differentiæ non ſunt nobis notæ, vel etiam nominatæ non ſunt, oportet interdum vti differentijs accidentalibus loco ſubſtantialium, puta ſi quis diceret: Ignis eſt corpus ſimplex calidum, & ſiccū. Accidentia enim propria ſunt effectus formarum ſubſtantialium, & manifeſtant eas; & ſimiliter nomina intentionum poſſunt accipi ad diffiniēdum res ſecundum quod accipiuntur pro aliquibus nominibus rerum, quæ non ſunt poſita, & ſic hoc nomen indiuiduum, ponitur in diffinitione perſonæ ad deſignandum modum ſubſiſtendi, qui competit ſubſtantijs particularibus.

Ad quartum dicendum, quod ſecundum Philoſophum in 5. metaphyſ. Nomen naturæ primo impoſitum

facit; ponit enim cōcluſionem; illamque probat.

Quò ad horū primum, concluſio eſt iſta. *Etiam inter cæteras ſubſtātias quoddam ſpeciale nomen habent ſingularia rationalis naturæ, & hoc nomen eſt perſona.*

Quò ad ſecūdum, probatio eſt iſta. *Quodam ſpecialiori, & perfectiori modo inuenitur particulare, & indiuiduum in ſubſtantijs rationalibus, quæ habent dominium ſui actus; & non ſolùm aguntur ſicut alia, ſed per ſe agunt: ſed actiones in ſingularibus ſunt.* Ergo *etiam inter cęteras ſubſtantias, etiam quoddam ſpeciale nomen habent ſingularia rationalis naturæ, & hoc nomen eſt perſona.*

Quò ad tertium principale, reſpondet quęſito cōcluſiones implicitè contentas, illamque probat.

Concluſio principalis debet eſſe iſta. Competens eſt diffinitio perſonæ, quam Boetius aſſignat.

Probatio eſt iſta; quia omnes particulæ ſunt competenter poſitæ. Ergo definitio perſonæ, quam Boetius aſſignat, eſt competens. Conſequentia patet; probat autē antecedens. Nam ponitur in diffinitione perſonæ, *ſubſtantia indiuidua, in quantum ſignificat ſingulare in genere ſubſtātiæ. Additur autem, rationalis naturæ, in quantum ſignificat ſingulare in rationalibus ſubſtātijs*

Ad primum argumentum reſpondet, diſtinguēdo maiorē. *Nullum ſingulare diffinitur*; nullū hoc ſingulare, vel illud diffinitur, cōcedit maiorem. *Nullum ſingulare,* neque id, quod pertinet ad communem rationem ſingularitatis, diffinitur, negat maiorem. Tunc conceſſa minori, negat conſequentiam. Eò quia Boetius diffinit perſonam, pro eo quod pertinet ad communem rationē ſingularitatis.

Ad ſecundum argumentum reſpondet primo ſecundum quoſdā, dicens, quòd ſubſtantia in diffinitione perſonæ, ponitur pro ſubſtantia prima, quæ eſt hypoſtaſis. Ad cuius impugnationem; ait quod *neque ſuperflue additur indiuidua; quia nomine hypoſtaſis, vel ſubſtantiæ primæ excluditur ratio vniuerſalis, & partis. Non enim dicimus, quòd homo communis ſit hypoſtaſis, nequè etiam manus, cum ſit pars, ſed per hoc, quòd additur indiuiduū, excluditur à perſona, ratio aſſumptibilis. Humana enim natura in Chriſto non eſt perſona, quia eſt aſſumpta à digniori, ſcilicet à Verbo Dei.*

Reijcit autem hāc reſponſionem, & aliter ſatisfacit argumento.

Reſpondet igitur ſecundò, negando maiorem tanquàm inſufficientem; & ait, quòd *ſubſtantia accipitur communiter, prout diuiditur per primā, & ſecundam*; & per hoc quòd additur, *indiuidua, trahitur ad ſtandum pro ſubſtantia prima.*

Ad tertium reſpōdet, diſtinguendo antecedens; *Nomen intentionis,* quatenùs ſi-

 gni-

gnificat intentionẽ, *non debet poni in definitione rei*, cõcedit antecedẽs; quatenus ſubſtituitur loco rei, negat antecedens. Ergo &c. negat conſequentiam; Quia *hoc nomen indiuiduum, ponitur in definitione perſonæ ad deſignandum modum ſubſiſtendi, qui competit ſubſtãtijs particularibus.*

Ad quartum argumentum reſpondet, admittendo maiorem cũ debita explicatione in littera poſita, ſimiliter minorem, & negando conſequentiam. Et ratio negationis eſt, quia ideo in diffinitione perſonæ, conuenĩetius fuit, vt vteretur nomine naturæ, quàm eſſentiæ; quia *perſona eſt ſingulare alicuius generis determinati; nomen autẽ eſſentiæ ſumitur ab eſſe, quod eſt communiſſimũ.*

poſitum eſt ad ſignificandam generationem viuentium, quæ dicitur natiuitas; & quia huiuſmodi generatio eſt à principio intrinſeco, extenſum eſt hoc nomen ad ſignificandum principium intrinſecum cuiuſcumque motus; & ſic diffinitur natura in 2. phyſicor. Et quia huiuſmodi principium eſt formale, vel materiale, communiter tàm materia, quàm forma dicitur natura. Et quia per formam completur eſſentia vniuſcuiuſque rei, communiter eſſentia vniuſcuiuſque rei, (quàm ſignificat eius diffinitio) vocatur natura; & ſic accipitur hic natura: vnde Boetius in eodem libro dicit, quod natura eſt vnumquodque informans ſpecifica differentia: ſpecifica enim differentia eſt quæ complet diffinitionem, & ſumitur à propria forma rei. Et ideò conuenientius fuit, quod in diffinitione perſonæ, quæ eſt ſingulare alicuius generis determinati, vteretur nomine naturæ, quàm eſſentiæ, quæ ſumitur ab eſſe, quod eſt communiſſimum.

Ad quintum dicendum, quod anima eſt pars humanæ ſpeciei, & ideò licet ſit ſeparata, quia tamen retinet naturam vnibilitatis, non poteſt dici ſubſtantia indiuidua, quæ eſt hypoſtaſis, vel ſubſtantia prima, ſicut nec manus, nec quæcumque alia partium hominis; & ſic non competit ei, neque diffinitio perſonæ, neque nomen.

Ad quintum argumentum reſpondet, diſtinguendo, ſeù explicando maiorẽ. *Anima ſeparata eſt rationalis naturæ indiuidua ſubſtantia*, vt pars humanæ ſpeciei, ſeù vt retinens naturam vnibilitatis, concedit maiorem. *Anima ſeparata eſt rationalis naturæ indiuidua ſubſtantia*, quæ eſt hypoſtaſis, vel ſubſtantia prima, negat maiorem. Tunc conceſſa minori; negat conſequentiam.

SVPER ARTICVLVM COMMENTARIVM.

1 S*Vbſtantia enim indiuiduatur per ſe ipſam, ſed accidẽtia indiuiduantur per ſubiectum, quod eſt ſubſtantia.* Sic intelligitur; *Subſtantia indiuiduatur per ſe ipſam*, ideſt, per aliquid ſui generis, ſeù de genere ſubſtantiæ; *ſed accidentia indiuiduantur per ſubiectum, quod eſt ſubſtantia*, ideſt, indiuiduantur per aliquod nõ ſui generis, ſed generis ſubſtantiæ.

2 *Dicitur enim hæc albedo, in quantùm eſt in hoc ſubiecto.* Dubium eſſe poteſt; quia hæc albedo poteſt ab hoc ſubiecto, nempè ab hac ſubſtantia ſeparari; imò poteſt produci à Deo abſque eo quòd alicui ſubſtantiæ inhæreat. Ergo falſum eſt, quòd ideo dicitur hæc albedo in quantũ eſt in hoc ſubiecto. Idem patet in altiſſimo altaris Sacramento, vbi eſt hæc quãtitas, non tamen hoc ſubiectum. Nam accidentia quantitatis ſine omni ſubiecto exiſtunt.

3 Reſpondetur, diſtinguendo antecedens. Hæc albedo poteſt ab hoc ſubiecto ſeparari, non tamen ab exigentia intrinſeca, vt ſit tali ſubiecto ſubſtantiali inhæſiua, concedo antecedens. Poteſt ab hoc ſubiecto, & etiam ab exigentia vt ſit tali ſubiecto inhæſiua ſeparari, nego antecedens. Ergo &c. nego conſequentiam.

4 Tranſeunter breuiter aduerto, quòd licèt nulla ſit inter catholicos cõtrouerſia, quòd quantitas poſſit ſine ſubſtantiã exiſtere; difficultas tamen eſt, Vtrum albedo poſſit ſic eſſe ſine ſubiecto ſubſtantiali vt poſſit eſſe etiam ſine quantitate. Et ratio difficultatis eſt; quia non videtur quomodo albedo poſſit eſſe ſine quantitate. Eſt enim diſgregatiua viſus; ſed abſquè quantitate nequaquàm viſũ diſgregare poteſt.

5 Dico tamen breuiter; quòd hæc albedo dupliciter conſiderari poteſt, vt immutatiua viſus ſcilicet, & entitatiuè. Primò modo, poteſt quidem ſine quantitate exiſtere, non autem ſecundo modo. Et ſic debet intelligi D. Thomas cum ait, in quodlib. 7. art. 10. quòd quantitas poteſt eſſe ſine ſubſtantia; albedo verò, ſeù qualitas ſenſibilis, non poteſt eſſe ſine quantitate.

6 In reſponſione ad 2. *Sed meliùs dicendum eſt, quòd ſubſtantia accipitur communiter, pro vt diuiditur per primam, & ſecundam.* Faſolus hic n. 2. aperto ore hãc D. Thomæ expoſitionem reijcit, & impugnat expo-

expoſitionem verò quam D. Thomas reijcit approbat, ac defendit; & contra expoſitionem D. Thomæ ſic argumentatur. *In bonis definitionibus non debet coniungi propria, & vltima definiti differentia cum genere remoto. Neque enim rectè defininieris hominem, ſubſtantiam rationalem, aut viuens rationale. Cum igitur propria, & vltima perſonæ differentia, ſit illud, indiuidua, nō benè coniungeretur in definitione cum ſubſtantia communi ad primam, & ſecundam, quæ eſt quoddam perſonæ genus, ſeu vniuerſale prædicatum remotum, & commune tàm ad ſecundam ſubſtantiam, quæ non eſt perſona, quàm ad primam ſubſtantiam, quæ eſt perſona; ita vt de perſona nihil ſuperius, vel quaſi ſuperius prædicatur niſi prima, quæ, niſi aliquid aliud addatur, non eſt perſona.*

7 Confirmatur ex eodem, quia *ſi ſubſtātia accipitur communiter &c. iam tota perſonæ diffinitio, quæ eſſet naturæ rationalis ſubſtātia primę, conueniret Deitati, & humanitati aſſumptæ; quoniam vtraque eſt prima ſubſtātia naturæ rationalis, ſiuè intellectualis.* Hæc Faſolus.

8 Non dubito aſſerere, Faſolum, Diuum Thomam quantùm ad hoc non intellexiſſe, eiuſquè impugnationem, puerilem eſſe.

Sed antequàm huic Doctori ſatisfaciam, obſeruo primò, quòd D. Thomas reijcit primam reſponſionem, quæ ait, quòd nomine ſubſtantiæ in definitione perſonæ poſitæ, intelligitur ſubſtantia prima, quæ eſt hypoſtaſis; & rationabiliter; quia vt rectè obſeruat D. Thomas 3. p. q. 2. ar. 3. vbi quærit, *Vtrum vnio Verbi incarnati facta ſit in ſuppoſito, vel hypoſtaſi*, in corp. ſic ait; *Reſpondeo dicendum, quòd quidam ignorantes habitudinem hypoſtaſis ad perſonam, licèt concederent in Chriſto vnam ſolam perſonam, poſuerunt tamen aliam hypoſtaſim Dei, & aliam hominis, ac ſi vnio ſit facta in perſona, non in hypoſtaſi.*

9 *Quod quidem apparet erroneum ex hoc, quòd perſona ſuper hypoſtaſim, non addit niſi determinatam naturam, ſcilicet rationalem.* Et paucis interiectis, ſic ait. *Et ideo idem eſt attribuere propriam hypoſtaſim humanæ naturæ in Chriſto, & propriam perſonam.*

10 Et ibidem in reſp. ad 2. ſic ait; *hypoſtaſis ſignificat ſubſtantiam particularem, non quocunquè modo, ſed pro vt eſt in ſuo complemento; ſecundùm verò quòd venit in vnionem alicuius magis completi, non dicitur hypoſtaſis, ſicut manus, vel pes &c. Et ſimiliter, humana natura in Chriſto, quamuis ſit ſubſtantia particularis; quia tamen venit in vnionem cuiuſdā completi, ſcilicet totius Chriſti, pro vt eſt Deus, & homo, non poteſt dici hypoſtaſis vel ſuppoſitum.*

11 Itaquè Doctores, quos D. Thomas reijcit, nomine ſubſtantiæ, intelligunt ſubſtantiam primam, pro vt idem eſt ac hypoſtaſis. Et hoc magis patet ex eodē D. Thoma de potentia q. 9. art. 2. ad. 7. vbi eidem ſupradicto argumento reſpōdens ſic ait. *Quidam dicunt, quod ſubſtantia ponitur in definitione perſonæ, pro vt ſignificat hypoſtaſim; ſed cum de ratione hypoſtaſis ſit indiuiduum, ſecundùm quòd opponitur communitati aſſumptibili, dicūt enim, quòd humana natura in Chriſto eſt hypoſtaſis, ſed non perſona. Et ideo ad excludendum aſſumptibilitatem additur indiuiduum in diffinitione perſonę.*

12 Quo poſito, ſic argumentor contra Faſolum, & Doctores ſuſtinentes primum reſpondendi modum. Subſtantia prima, quę ponitur in diffinitione perſonæ, idem eſt, ac hypoſtaſis: ſed hypoſtaſi repugnat aſſumptibilitas. Ergo in diffinitione perſonæ non rectè ponitur *ſubſtantia prima* veluti ratio communis, & ly *indiuidua* veluti ratio differentialis. Maior patet; minor etiam eſt clara, quā optimè probat D. Thomas 3. p. q. 2. ar. 3. *Nam D. Damaſcenus in 3. lib. fid. Orthod. cap. 3. 4. & 5. ait. In Domino Ieſu Chriſto duas naturas cognoſcimus, vnam autem hypoſtaſim;* Et idem D. Thomas in corp. cōcludit hoc modo. *Sic ergo patet eſſe hæreſim olim ab Eccleſia damnatam, dicere, quòd in Chriſto ſunt duæ hypoſtaſes, vel duo ſuppoſitā; ſiuè quòd vnio non ſit facta in hypoſtaſi; vel ſuppoſito.*

13 Confirmatur; quia ſi in diffinitione perſonæ poneretur ſubſtantia prima, pro vt idem eſt, ac hypoſtaſis, loco rationis veluti genericæ, eſſent veræ iſtæ propoſitiones; Vnio Verbi diuini facta eſt in hypoſtaſi humanitatis Chriſti. In Chriſto ſunt duæ hypoſtaſes; ſed hoc eſt hæreticum dicere. Ergo. Patet ſequela; quia nomine hypoſtaſis intelligitur ſubſtantia aſſumptibilis.

14 Probatur ſecundò; Quia ſubſtantia prima ſecùndum completam rationem ſubſtantiæ primæ eſt omninò incomunicabilis, non ſolùm alteri tanquàm ſubiecto, verumetiam tanquàm ſuppoſito. Vnde Ariſtoteles eam ſic definiuit. *Eſt quæ, nec in ſubiecto eſt, nec de ſubiecto dicitur, propriè tamen principaliter, & maximè dicitur* ſubſtantia, id eſt ſubſiſtentia. Ergo.

15 Confirmatur; Quia ſi in diffinitione perſonæ, ſubſtantia accipitur pro ſubſtātia prima, debet accipi ſecundùm omnē & completam rationem ſubſtantiæ primæ. Ergo accipitur ſecundùm quòd dicit omnimodam incōmunicabilitatē. Ergo omninò fruſtra adderetur illa particula, indiuidua, tanquàm ratio differētialis. Antecedens patet; quia aliàs ſi illa

Digitized by Google

la particula, *indiuidua*, eſſet de intrinſeca ratione ſubſtantiæ primæ; adderetur loco differentiæ id, quod eſt de intrinſeca ratione ſubſtantiæ primæ. Conſequentia eſt euidens.

16 Reſpondetur igitur ad impugnationem Faſoli, concedendo antecedens, & negando conſequentiam. Falſum enim eſt, quòd ratio ſubſtantiæ communiter acceptæ pro vt ſe extendit ad primam, & ſecundam ſit genus remotum perſonæ; & quòd ſubſtantia prima ſit genus proximum, & ly, *indiuidua*, ſit ratio differentialis. Nequè à Faſolo probatur. Solùm enim verba multiplicat; aſſumptum verò nulla ratione probat.

17 Ad confirmationem reſpondetur, negando ſequelam. Ad cuius probationem, nego antecedens de toto ſermonis rigore loquendo; Etenim Deitas ſecundum ſe, non eſt ſubſtantia ſecunda; quia non eſt vniuerſalis; nequè propriè ſubſtantia prima; quia & ſi ſit omninò indiuidua in ratione naturæ; non tamen eſt ita indiuidua, vt non ſit pluribus perſonis de facto communis. Humanitas quoquè à perſona diuini Verbi aſſumpta non eſt ſubſtantia ſecunda; quia non eſt vniuerſalis; non ſubſtantia prima, quantùm ad omne eius eſſentiale complementum, in ratione ſubſtantiæ primæ; Eſt enim aſſumptibilis, immò de facto aſſumpta à perſona diuini Verbi; & conſequenter, non eſt ſubſtantia omninò alteri incommunicabilis.

18 Pro completa D. Thomæ doctrinæ intelligentia, eſt obſeruādum ex Ariſtotele in prædic. ſubſtantiæ cap. 1. vbi loquens de ſubſtantia prima ſic ait; *Subſtātia autem quæ propriè, & principaliter, & maximè dicitur; nequè de ſubiecto aliquo dicitur, nequè in ſubiecto aliquo eſt.*

19 Quæ Ariſtotelis verba, pro vt ad præſens negotium pertinent, hunc ſenſum faciunt, ſecundum communem Doctorum expoſitionem: ſubſtantia prima propriè, principaliter, & maximè dicitur ſingulariter ſubſiſtere; & conſequenter, non ſolùm non eſt theologicum, nequè etiam phyloſophycum aſſerere, quòd humanitas Chriſti ſit verè, & propriè, & in vltimo complemento ſubſtantiæ primæ, cum (vt ex fide ſupponimus) non habeat propriam ſubſiſtentiam, qua incommunicabiliter ſubſiſtat. Similiter Deitas communis tribus ſubſiſtentijs relatiuis, nequè etiam dici poteſt verè, & propriè ſubſtantia prima, cum non ſubſiſtat incommunicabiliter per ſubſiſtentiam abſolutam.

20 Dicet aliquis: Si humanitas Chriſti V. G. non eſt verè, & propriè ſubſtantia prima, & ſimiliter Deitas abſolutè conſiderata; Ergo vtraquè erit ſubſtantia ſecunda; hoc autem non ſolùm eſt falſum, ſed hæreticum. Ergo dicendum eſt, quòd vtraquè eſt ſubſtantia prima. Patet conſequentia. Quia omnis ſubſtantia; vel eſt ſubſtantia prima, vel ſecunda. Sufficienter enim, & adæquatè diuiditur ſubſtantia in primam, & ſecundam.

21 Reſpondetur, negando conſequentiam. Et ratio negationis eſt, quia humanitati Chriſti, nè cum toto rigore, & complemento vltimo, poſſit ſubſtantia prima nuncupari; deeſt inaſſumptibilitas; quod neceſſarium eſt ad completā ſubſtantiæ primæ rationem. Quòd verò Deitas nequè de toto rigore termonis poſſit dici ſubſtantia prima, ex eo patet, quia deeſt illi incommunicabilitas pluribus ſuppoſitis. Ad impugnationē verò patet reſponſio; quia Ariſtoteles locutus eſt de omni ſubſtantia lumine naturali nota; lumine autem naturali cognoſci non poteſt, quòd humanitas Chriſti, quæ non vniuerſalis, ſed ſingularis eſt in ratione humanitatis, ſubſiſtat ſuppoſito ſibi alieno, nempè diuino, & quò ad illud, quod de Deitate tangitur, patet reſponſio, quia nimirum, ſubſtantia, quæ in primam, & ſecundam ſufficienter ab Ariſtotele diſtribuitur, eſt ſubſtantia prædicamentalis. Deitas autem, non eſt ſubſtantia prędicamentalis, ſed extra, immò ſupra quodcumquè aliud genus.

22 Nequè huic obſtat, quòd perſona diuina habet totum illud, quod requiritur ad rationem ſubſtantiæ primæ; cum dicatur propriè, principaliter, & maximè ſingulariter ſubſiſtere; ac proinde eſt ſubſtantia prima, & tamen non eſt prædicamentalis.

23 Non inquam obſtat; quia quamuis perſona diuina poſſit vocari, & verè ſit ſubſtantia prima, ratione ſubſiſtentiæ incommunicabilis alteri ſuppoſito, non tamen dicitur ſubſtantia prima prædicamentaliter; eò quia ſubſtantia prædicamentaliter accepta, eſt compoſita ad minùs ex actu, & potentia; atquè etiam de ea aliqua ſubſtantia ſecunda, ſicut ſuperius de ſuo inferiori prædicatur, quod perſonæ diuinæ repugnat.

Digitized by Google

ARTICVLVS SECVNDVS.

Vtrum perſona ſit idem quòd Hypoſtaſis, Subſiſtentia, & Eſſentia.

AD ſecundum ſic proceditur, videtur, quod perſona ſit idem quod hypoſtaſis, ſubſiſtentia, & eſſentia: dicit enim Boet. lib. de duabus naturis, quod Gręci naturæ rationalis indiuiduam ſubſtantiam hypoſtaſeos nomine vocauerunt; ſed hoc etiam apud nos ſignificat nomen perſonæ: ergo perſona omninò idem eſt, quòd hypoſtaſis.

2. Præterea. Sicut in diuinis dicimus tres perſonas, ita in diuinis dicimus tres ſubſiſtentias. Quod non eſſet, niſi perſona, & ſubſiſtentia idem ſignificarent: ergo idem ſignificant perſona, & ſubſiſtentia.

3. Præterea. Boet. dicit in comment. prædicamentorum, quod vſia (quod eſt idem, quod eſſentia) ſignificat compoſitum ex materia, & forma: id autem quod eſt compoſitum ex materia, & forma, eſt indiuiduum ſubſtantiæ quod & hypoſtaſis, & perſona dicitur: ergo omnia prædicta nomina idem ſignificare videntur.

Sed contra eſt, quod Boet. dicit in lib. de duabus naturis, quod genera, & ſpecies ſubſiſtunt tantum, indiuidua verò non ſubſiſtunt tantum, verum etiã ſubſtant; ſed à ſubſiſtendo dicuntur ſubſiſtentiæ, ſicut à ſubſtando ſubſtantiæ, vel hypoſtaſes: cum igitur eſſe hypoſtaſes vel perſonas, non conueniat generibus, vel ſpeciebus, hypoſtaſes, vel perſonæ, non ſunt idem, quod ſubſiſtentiæ.

4. Præterea. Boet. dicit in comment. prædicamentorum, quod hypoſtaſis dicitur materia, vſioſis autem (ideſt ſubſiſtentia) dicitur forma; ſed neque forma, neque materia poteſt dici perſona: ergo perſona differt à prædictis.

Reſpondeo dicendum, quod ſecundum Philoſophum in 5. metaphy. ſubſtantia dicitur dupliciter; vno modo dicitur ſubſtantia quidditas rei quã ſignificat diffinitio, ſecundum quod dicimus, quod diffinitio ſignificat ſubſtantiam rei. Quam quidẽ ſubſtantiam, Græci vſiam vocant, quod nos eſſentiam dice re poſſumus: alio modo dicitur ſubſtantia ſubiectum, vel ſuppoſitum, quod ſubſiſtit in genere ſubſtantiæ; & hoc quidem communiter accipiendo, nominari poteſt, & nomine ſignificãte intentionem, & ſic dicitur ſuppoſitum. Nominatur etiam tribus nominibus ſignificantibus rem, quæ quidem ſunt res naturæ, ſubſiſtentia, & hypoſtaſis, ſecundum triplicem conſiderationem ſubſtantiæ ſic dictæ. Secundum enim, quod per ſe exiſtit, & non in alio, vocatur ſubſiſtentia. Illa enim ſubſiſtere dicimus, quæ non in alio, ſed in ſe exiſtunt: ſecundum verò, quod ſupponitur alicui naturæ communi, ſic dicitur res naturæ, ſicut hic

homo,

FORMATIO ARTICVLI.

BIpartita eſt corporis diſtributio. Primò enim diſtinguit hoc nomẽ, ſubſtantia. Secundò, tranſit ad quæſiti reſponſionem.

Quò ad primum ſic ait, *ſecundùm Phyloſophum in 5. metaph. ſubſtantia dicitur dupliciter. Vno modo dicitur ſubſtantia quidditas rei, quam ſignificat diffinitio, ſecundùm quòd dicimus, q diffinitio ſignificat ſubſtantiam rei, quã quidem ſubſtantiam, Græci vſiam vocant, quod nos eſſentiam dicere poſſumus. Alio modo dicitur ſubſtantia, ſubiectum, vel ſuppoſitũ, quod ſubſiſtit in genere ſubſtantiæ.*

Quò ad ſecundũ, duo facit; primò explicat terminos; ſecundò, reſpondet quæſito immediatè.

Quò ad primum ſic ait. *Et hoc quidem communiter accipiendo, nominari poteſt, & nomine ſignificante intentionem. Et ſic dicitur ſuppoſitum. Nominatur etiam tribus nominibus ſignificantibus rem. Quæ quidem ſunt, res naturæ, ſubſtantia, & hypoſtaſis ſecundùm triplicem conſiderationẽ ſubſtantiæ, ſic dictæ. Secundùm enim quòd per ſe exiſtit, & non in alio, vocatur ſubſtantia. Illa enim ſubſiſtere dicimus, quæ non in alio, ſed in ſe exiſtunt. Secundũ verò quòd ſupponitur alicui naturæ communi, ſic dicitur res naturæ, ſicut hic homo, eſt res naturæ humanæ; ſecũdũ verò quòd ſupponitur accidentibus, dicitur hypoſtaſis, vel ſubſtantia.*

Quò ad ſecũdùm ſic ait. *Quod autẽ hæc tria nomina ſignificant communiter in toto genere ſubſtantiarum, hoc nomẽ, perſona, ſignificat in genere rationalium ſubſtantiarum.*

Ad primum argumentum reſpondet, explicando maiorẽ. *Græci naturæ rationalis indiuiduam ſubſtantiã, hypoſtaſeos nomine vocauerunt*, ex vſu loquendi, concedit maiorem. ex propria ſignificatione nominis, negat maiorem. Tunc cõceſſa minori, ſimiliter diſtinguẽdum eſt conſequens.

Ad ſecundum argumentum reſpondet, concedendo totum argumentũ iuxta præcedentis argumenti ſolutionem, ſeu diſtinctionem.

Ad tertium argumentum reſpondet, concedendo maiorẽ; & diſtinguendo minorem. *Id quod eſt compoſitũ* ex hac materia, & ex hac forma, *eſt indiuiduum ſubſtantiæ, quod & hypoſtaſis, & perſona dicitur*, concedit minorem. *Id quod eſt compoſitum ex materia, & forma* communi, *eſt indiuiduum ſubſtantiæ, &c.* negat minorẽ.

Et-

homo, eſt res naturæ humanæ, ſecundum verò, quòd ſupponitur accidentibus, dicitur hypoſtaſis, vel ſubſtantia. Quod autem hæc tria nomina ſignificant communiter in toto genere ſubſtantiarũ hoc nomen perſona ſignificat in genere rationaliũ ſubſtantiarum.

Ad primum ergo dicendum, quod hypoſtaſis apud Græcos ex propria ſignificatione nominis habet, quod ſignificet quodcumque indiuiduum ſubſtantiæ, ſed ex vſu loquendi habet, quod ſumatur pro indiuiduo rationalis naturæ, ratione ſuæ excellentiæ.

Ad ſecundum dicendum, quod ſicut nos dicimus in diuinis pluraliter tres perſonas, & tres ſubſiſtentias, ita Græci dicunt tres hypoſtaſes; ſed quia nomen ſubſtantiæ, quod ſecundum proprietatem ſignificationis reſpondet hypoſtaſi, æquiuocatur apud nos, cum quandoque ſignificet eſſentiam, quandoque hypoſtaſim, ne poſſit eſſe erroris occaſio, maluerunt pro hypoſtaſi transferre ſubſiſtentiam, quàm ſubſtantiam.

Ad tertium dicendum, quod eſſentia propriè eſt id, quod ſignificatur per diffinitionem. Diffinitio autem complectitur principia ſpeciei, non autẽ principia indiuidualia: vnde in rebus compoſitis ex materia, & forma, eſſentia ſignificat non ſolum formam nec ſolum materiam, ſed compoſitũ ex materia, & forma communi, prout ſunt principia ſpeciei; ſed compoſitum ex hac materia, & ex hac forma, habet rationem hypoſtaſis, & perſonæ. Anima enim, & caro, & os, ſunt de ratione hominis; ſed hæc anima, & hæc caro, & hoc os, ſunt de ratione huius hominis; & ideò hypoſtaſis, & perſona addunt ſupra rationem eſſentiæ principia indiuidualia, neque ſunt idem cum eſſentia, in compoſitis ex materia, & forma, vt ſupradictum eſt, cum de ſimplicitate diuina ageretur.

Ad quartum dicendum, quod Boet. dicit genera, & ſpecies ſubſiſtere, in quantum indiuiduis aliquibus competit ſubſiſtere, ex eo, quod ſunt ſub generibus, & ſpeciebus in prædicamento ſubſtantiæ comprahenſis, non quod ipſæ ſpecies, vel genera ſubſiſtant, niſi ſecundum opinionem Platonis: qui poſuit ſpecies rerum, ſeparatim ſubſiſtere à ſingularibus. Subſtare verò competit eiſdem indiuiduis in ordine ad accidentia, quæ ſunt præter rationem generum, & ſpecierum.

Ad quintum dicendum eſt, quod indiuiduum compoſitum ex materia, & forma, habet quod ſubſtet accidenti ex proprietate materiæ: vnde & Boet. dicit in lib. 2. de Trinitate: Forma ſimplex ſubiectum eſſe non poteſt; ſed quod per ſe ſubſiſtat, habet ex proprietate ſuæ formæ, quæ non aduenit rei ſubſiſtenti, ſed dat eſſe actuale materiæ, vt ſic indiuiduum ſubſiſtere poſſit. Propter hoc ergo hypoſtaſim attribuit materiæ, & vſioſim, ſiue ſubſiſtentiam formæ, quia materia eſt principium ſubſtandi, & forma eſt principium ſubſiſtendi.

Ergo &c. negat conſequentiam,

Ad quartum argumentum reſpondet, explicando maiorẽ. *Genera, & ſpecies ſubſiſtunt tantùm*, ideſt, ſubſiſtunt in diuinis, quæ ſunt ſub generibus, & ſpeciebus, *indiuidua verò non ſubſiſtunt tantùm, verumetiam ſubſtant*. ideſt, *verumetiam ſubſtãt* accidentibus, maiori propoſitione ſic explicata, diſtinguit minorem. *Sed à ſubſiſtẽdo* modo indiuiduorum, *dicuntur ſubſiſtẽtiæ, ſicut à ſubſtando ſubſtantiæ &c.* concedit minorem. *Sed à ſubſiſtendo* modo generum, & ſpecierum *dicuntur ſubſiſtẽtię &c.* negat minorem. Ergo &c. negat conſequentiam.

Ad quintum argumentum reſpondet explicando maiorẽ. *Hypoſtaſis dicitur materia &c.* ideſt, quòd aliquod indiuiduum compoſitum ex materia, & forma ſubſtet accidentibus, habet ex proprietate materiæ, quòd verò ſubſiſtat, habet ex proprietate formæ, concedit maiorem. & in hoc ſenſu locutus eſt Boetius. *Hypoſtaſis dicitur materia; vſioſis autem, ideſt, ſubſtantia, dicitur forma*, identicè, negat maiorem; & in hoc ſenſu non locutus eſt Boetius. Tunc conceſſa minori, negat conſequentiam.

SVPER ARTICVLVM COMMENTARIVM.

1 PRO tituli intelligentia, eſt obſeruandum quòd alius eſt ſenſus tituli; & alius finis articuli. Senſus enim tituli intelligendus eſt de perſona per comparationem ad hypoſtaſim, ſubſiſtentiam, & eſſentiam indiſcriminatim, ſeù in communi, pro vt abſtrahunt à creatis, & increatis. Finis verò articuli eſt, inſtruere, quomodo in diuinis ſupradicta nomina ad inuicem ſe habeant, & quomodo eis vti debeamus.

2 *Subſtantia dicitur dupliciter. Vno modo, dicitur ſubſtantia quidditas rei, quam ſignificat diffinitio, ſecundùm quòd dicimus, quòd diffinitio ſignificat ſubſtantiam rei. Alio modo dicitur ſubſtantia, ſubiectum, vel ſuppoſitũ.* Intendit per præcitata verba determinare, quòd eſſentia non eſt idem, quòd perſona, hypoſtaſis, & ſubſiſtentia. Et quidem, in creatis ſecundùm rem, in Deo verò ſecundùm rationem. Ita quòd in

Digitized by Google

Deo id, quod conuenit eſſentiæ in ratione formali eſſentiæ, pro vt virtualiter diſtinguitur à perſona, hypoſtaſi, & ſubſiſtentia; non conuenit perſonæ &c. neque è contra.

Vbi, & pro defenſione doctrinæ D. Thomæ à Faſolo impugnatę articulo præcedenti à num. 6. aduerte, quòd Faſolus loquitur contra Cōcilium Florentinum collat. 16. §. *Propter æquiuocationem*, vbi hæc habentur verba. *Cum itaquè audimus Doctores dicentes ſubſtantiam, intelligimus quid commune Patri, & Filio, & Spirituiſancto. Cum dicunt ſubſtantiam primam, intelligimus perſonam*. Et §. *Attende* eadem doctrina habetur. Dixerat enim Faſolus art. præcedenti num. 2. quòd *de perſona nihil ſuperius, vel quaſi ſuperius prædicatur, niſi prima ſubſtantia, quæ niſi aliquid addatur, non eſt perſona*. Verba autem Concilij oppoſitum ſonant. Nam ſi prima ſubſtātia niſi aliquid addatur, non eſt dicenda perſona, nō diceret Cōciliū, quòd cū dicitur ſubſtantia prima intelligitur perſona.

Cōcilium Florent.

Faſolus.

3 *Alio modo dicitur ſubſtantia ſubiectum*; ſi nomine ſubiecti, intelligatur materia, vel ſubiectum accidentium; hoc nomen, *ſubſtantia*, non conuenit Deo, vt manifeſtè patet. Si autem accipiatur in ordine ad prædicatum, ſeù vt ſubiectum in propoſitione; poteſt Deo conuenire; ſed traſcendit omnia prædicata diuina.

4 *Et hoc quidem communiter accipiendo, nominari poteſt, & nomine ſignificante intentionem, & ſic dicitur ſuppoſitum*. Hoc nomen, *ſuppoſitum*, ſi in rigore ſermonis, & quantùm ad id, à quo impoſitum eſt, accipitur, eſt terminus ſecundæ intentionis. Omnis enim terminus ſubſtantiuus, qui in aliqua propoſitione ſupponitur, ſuppoſitū dici poteſt, vt dicitur in ſummulis tract. de ſuppoſit. Suppoſitio enim eſt *acceptio termini ſubſtantiui pro ſuo ſignificato de quo verificatur*. Et hoc modo intelligēdus eſt D. Thomas hìc, dum ait, quòd *ſubſtantia alio modo dicitur ſubiectum, vel ſuppoſitum, quod ſubſiſtit in genere ſubſtantiæ*.

5 *Nominatur etiam tribus nominibus ſignificantibus rem. Quæ quidem ſunt res naturæ, ſubſtantia, & hypoſtaſis*. Subſtantia dicitur, ſecūdū quòd per ſe exiſtit & non in alio. Illa enim ſubſiſtere dicimus, quæ non in alio, ſed in ſe exiſtunt; & hoc modo ſubſtantia nō ſolùm dicitur de creaturis, verumetiam de Deo; & non ſolùm de perſonis diuinis, verumetiam de ipſa eſſentia diuina, quæ per ſe exiſtit, & non in alio à ſe. Dicitur res naturæ, ſecūdū quòd ſupponitur alicui naturæ cōmuni, ideſt, nō ſupponitur tātū in propoſitione, ſeù nō ſolū eſt id, quod ſupponitur alicui naturæ communi, vt ſubiectū prædicato, in quo ſenſu, ſubſtantia vocatur ſuppoſitū, quatenùs eſt terminus ſecūdæ intentionis; ſed etiam vocatur ſuppoſitum, quatenùs eſt res, quæ ſupponitur alicui naturę communi, ad hoc, vt illa à parte rei dicatur ſubſiſtere, ſeù per ſe eſſe. Dicitur tandem hypoſtaſis, vel ſubſtantia, ſecundùm quòd ſupponitur accidentibus, & hoc modo hypoſtaſis nō dicitur de Deo, neque ſubſtantia; quemadmodum non conuenit Deo habere accidentia.

6 *Quod autem hæc tria nomina ſignificant communiter in toto genere ſubſtantiarum, hoc nomen perſona ſignificat in genere rationalium ſubſtantiarum*. Ex quibus verbis habes primò; quòd iſta tria nomina ſcilicet, res naturæ, ſubſtantia, quatenus idem ſonat, ad per ſe, & non in alio exiſtere, & hypoſtaſis, non differunt ab hoc nomine, perſona; ſed idem omninò ſignificant ſecundùm rationem ſubſtantiæ incommunicabilis: differunt autem ſolùm in hoc, quòd nomen perſona, ſaluatur tantum in primis ſubſtantijs in genere rationalium ſubſtantiarum. Vnde valet dicere, hic homo eſt res naturæ, eſt ſubſtantia, eſt hypoſtaſis, eſt perſona; Non tamen valet dicere, hoc brutum eſt perſona, licet valeat dicere, hoc brutum eſt res naturæ, eſt ſubſtantia, eſt hypoſtaſis, vide num. 8.

7 In reſponſione ad 1. *Hypoſtaſis apud Græcos ex propria ſignificatione nominis habet, quòd ſignificet quodcumquè indiuiduum ſubſtantiæ; ſed ex vſu loquendi habet, quòd ſumatur pro indiuiduo rationalis naturæ*.

8 Per quæ verba tacitæ obiectioni reſpondet, & quòd paulòante in corp. dixerat, eruditè explanat. Dixerat enim quòd hypoſtaſis dicitur, ſecundùm quòd *ſupponitur accidentibus*, & conſequenter, de omnibus indiuiduis ſubſtantiæ verificari poteſt, ac debet. Attamen, hoc eſt intelligendum iuxta propriam nominis ſignificationem. Propriam, inquam, originaliter, ſeù deriuatiuè, quantùm ad id, à quo nomen eſt impoſitum; non verò tranſlatiuè, & quantùm ad vſum loquendi; quoniam hoc nomen Hypoſtaſis, ex vſu loquendi habet, quòd ſumatur, pro indiuiduo rationalis naturæ. Vnde quamuis quantùm ad primam, & propriam nominis ſignificationem valeat dicere, hoc brutum eſt hypoſtaſis; non tamen ex vſu loquendi Doctorum valet ſupradicta propoſitio.

9 In reſpon. ad 2. *Sed quia nomen ſubſtantiæ, quod ſecundùm proprietatem ſignificationis reſpondet hypoſtaſi, æquiuocatur*

tur apud nos, cum quandoquè ſignificet eſſentiam, quandoquè hypoſtaſim ne poſſit eſſe erroris occaſio, maluerunt pro hypoſtaſi, transferre ſubſiſtentiam, quam ſubſtantiam.

10 Vide primò, & obſerua cautelam, qua latini Doctores proceſſerũt, vt immaculatam catholicam conſeruarent veritatem. Nam hoc nomen ſubſtantia, reſpondet hypoſtaſi; Et conſequenter, quando dicimus in diuinis tres hypoſtaſes, poſſemus dicere tres ſubſtantias. Quod quidem ſi cum debita explicatione diceretur, nullum ſequeretur abſurdum; Verùm, quia hoc nomen ſubſtantia, apud nos quandoquè accipitur pro eſſentia; idcirco, vt omnis erroris fugiatur occaſio, pro hypoſtaſi, non aſſignatur nomen ſubſtantia, ſed ſubſiſtentia. Quapropter, abſquè vllo prorſus periculo poſſumus dicere, ac in diuinis prædicare, eſſe tres hypoſtaſes, tres ſubſiſtentias; non tamen tres ſubſtantias. Vnde Diuus Hieronymus Epiſt. 57. ad Damaſum ſic ait. *Et quis rogo, ore ſacrilego tres ſubſtantias prædicabit?* Et hoc non ex alio impulſus; niſi quia, in ore latinorum, hoc nomen ſubſtantia, non ſolùm eſt æquiuocum, & poteſt pro eſſentia, atquè etiam pro perſona accipi, verùmetiam, quia eſt magis in latinorum vſu, vt nomine ſubſtantiæ abſolutè prolatæ, intelligatur eſſentia. Et in hoc ſenſu, meritò Diuus Hieronymus dixit, ſacrilegum eſſe tres ſubſtantias in diuinis prædicare.

11 Vide ſecundò, quantùm vnuſquiſquè debet communem vſum loquendi in ſermonis formatione ſeruare. Quantumuè vſus, atquè conſuetudo loquendi ſectanda eſt. Vnde Diuus Auguſtinus lib. 5. de Trinit. cap. 9. ſic ait; *Quia noſtra loquendi conſuetudo iam obtinuit, vt hoc intelligatur, cum dicimus eſſentiam, quod intelligitur cum dicimus ſubſtantiam, non audemus dicere, vnam eſſentiam, tres ſubſtantias; ſed vnam eſſentiam, vel ſubſtantiam: tres autem perſonas; quemadmodum multi latini iſta tractantes, & digni authoritate dixerunt.* Vnde ſiquis dixerit in diuinis, eſſe vnam ſubſtantiam abſolutam, tres autem ſubſtantias relatiuas, intelligendo per tres ſubſtantias relatiuas tres ſubſiſtentias perſonales, non eſſet mala, ſed cautelata locutio, non tamen vſitata. Nominibus enim vtendum eſt, vt plures vtuntur.

12 *Maluerunt pro hypoſtaſi trasferre ſubſiſtentiam, quam ſubſtantiam.* Subſiſtentia igitur videtur hoc loco correſpondere perſonæ, non quòd ex vigore vocabuli ſignificetur perſona nomine ſubſiſtentiæ. Etenim vt probabimus, præter tres ſubſiſtentias relatiuas, datur in Deo ſubſiſtentia abſoluta. Huius autem translationis neceſſitas fuit, ob neceſſitatem loquendi in numero plurali de perſonis, ne dicentes tres ſubſtantias, detur erroris occaſio, vt diximus. Et meritò quidem, quia eſt in vſu Conciliorum, & Patrum, vt nomine ſubſiſtentiæ intelligatur perſona.

13 Vnde oportet aduertere; quòd aliud eſt loqui de ſubſiſtentia more Conciliorum, & Patrum; & aliud more Scholaſticorum. Primo enim modo, ſubſiſtentia accipitur pro perſonis. Secundò autem modo, accipitur pro omni eo, quod reddit eſſentiam, ſeù naturam in ſe, per ſe, & ad ſe, independenter ab aliquo ſubiecto inhæſionis, & ab alio per modum ſuſtentantis. Vnde multa habent ſubſiſtentiam propriam, & non ſunt perſonæ, ſicuti ſecundùm quoſdam eſt materia prima, & ſecundùm nos, anima rationalis in corpore, & extra corpus dicitur ſubſiſtens, & non eſt perſona. Et natura diuina habet vnam ſubſiſtentiam abſolutam, quæ tamen ſubſiſtentia abſoluta non habet propriam, omnemquè perſonæ rationem.

14 Et tranſeunter loquens, obſerua, quòd Vaſquez diſput. 125. capit. 2. num. 6. ait, quòd hanc ſubſiſtentiam abſolutam, ſeù *hoc indiuiduum, appellat Caietanus ſemiperſonam infra quæſt. 39. art. 4.* & diſput. 159. cap. 1. nu. 4. volens de hoc modo loquendi reprehendere Caietanum, ſic ait; *Demum perperam Caietanus indiuiduum illud ſemiperſonam appellat; cum, hac voce nemo hactenùs vſus fuerit: Quinimmo ſi modum loquendi retineret, quem de ſubſiſtentia communi vſurpauit, pleno ore ſuppoſitum vocare deberet. Sicut enim actum exiſtentiæ ipſius naturæ diuinæ nuncupauit ſubſiſtentiam, non ſemiſubſiſtentiam; ita ex ea conſtitutum, non ſemiſuppoſitum, nec ſemihypoſtaſim, ſed abſolutè ſuppoſitum, & hypoſtaſim vocare debuiſſet.* Et num. 2. ſic ait. *Caietanus verò in hunc art. & 3. p. quæſt. 2. art. 2. circa ſolutionem tertij, & quæſt. 3. art. 2. & 3. non ſolum aſtruit tale indiuiduum, & concretum Deitatis ante perſonas, ſed etiam illud appellat ſemiſuppoſitum, vel ſemiperſonam, ne ſi diceret perſonam, vel ſuppoſitũ, quaternitatẽ in Deo introducere videretur.*

In

Digitized by Google

In primis Caietanus, q. 39. art. 4. admittit quidem, & rectè aſtruit concretum Deitatis, ſeù ſubſiſtentiam abſolutam, nullo tamen modo ibi loquitur de hac ſubſiſtentia, an ſit dicenda ſemiperſona, aut ſemiſuppoſitum, aut perſona, vel ſuppoſitum, ſed tantùm docet eſſe ſuppoſitum ſecundum incompletam, & imperfectam ſuppoſiti rationem.

16 Secundò. Vaſquez dicit, quòd Caietanus vſus eſt hac voce, ſcilicet, *ſemiperſona*, & *ſemiſuppoſitum*. Et ne veniamus ad verba, quæ mihi vehementer diſplicent, ſolùm dicam, quòd Caietanus numquàm, & nuſquàm hac voce vſus eſt; Vnde ipſe perperàm tribuit Caietano ſupra dicta voce vſum fuiſſe. Qui ſic loquitur, audit quod non vult; Vnde Vulpes diſput. 63. art. 10. nu. 3. arguit Vaſquez tanquàm mendacē. Et num. 4. hæc verba contra Vaſquez promit. *Verùm ſatis miror, cum hic vir ſic imprudenter loquatur, vt velit alios Scholaſticos contra phraſim Conciliorum, & Patrum nomine ſubſiſtentiæ perperàm eſſe abuſos*. Et ibidem, ingenium Vaſquez dicit eſſe *fallax*. Et nu. 8. in fine ſic ait. *Valeat igitur Vaſquez præſertim in ſuo loquendi modo*. Sed iſta altercatio verborum non eſt imitanda; ſolùm ergo dico, quòd noſtro acutiſſimo Caietano dixiſſe imponit, quod non dixit. Vnde in caſſum Vaſquez laborauit, & Caietanum immerito ſpreuit. Sed infra defendemus Caietanum, & impugnabimus opinionem Vaſquez, & ad eius argumenta ſatisfaciemus, & eadem ad maiorem Caietani defenſionem repetemus.

ARTICVLVS TERTIVS.

Vtrum Nomen Perſonæ ſit ponendum in diuinis.

AD tertium ſic proceditur, *videtur quod nomen perſonæ non ſit ponendum in diuinis: dicit enim Dionyſ. in princ. de diuin. nomin. vniuerſaliter non eſt audendum aliquid dicere, nec cogitare de ſuperſubſtātiali occulta diuinitate, præter ea, quæ diuinitus nobis ex ſanctis eloquijs ſunt expreſſa; ſed nomen perſonæ non exprimitur nobis in ſacra ſcriptura noui, vel veteris teſtamenti: ergo non eſt nomine perſonæ vtendum in diuinis.*

2 *Præterea. Boet. dicit in lib. de duab. natur. nomen perſonę videtur traductum ex his perſonis, quæ in comœdijs, tragœdijſque homines repreſentabant. Perſona enim dicta eſt à perſonando quia concauitate ipſa, maior neceſſe eſt, vt voluatur ſonus. Græci verò has perſonas proſopa vocant: ab eo, quod ponantur in facie, atque ante oculos obtegant vultum: ſed hoc non poteſt competere in diuinis, niſi fortè ſecundum metaphoram; ergo nomen perſonæ non dicitur de Deo niſi metaphoricè.*

3 *Præterea. Omnis perſona eſt hypoſtaſis, ſed nomen hypoſtaſis non videtur Deo competere, cum ſecundum Boet. ſignificet id, quod ſubijcitur accidentibus, quæ in Deo non ſunt. Hier. etiam dicit, quod in hoc nomine hypoſtaſis, venenum latet ſub melle: ergo hoc nomen perſona non eſt dicendum de Deo.*

4 *Præterea. A quocunque remouetur diffinitio, & diffinitum; ſed diffinitio perſonæ ſupra poſita non videtur Deo competere. Tum quia ratio importat diſcurſiuam cognitionem, quæ non competit Deo, vt ſupra oſtenſum eſt; & ſic Deus non*

FORMATIO ARTICVLI.

BIpartita eſt corporis diſtributio. Primò, reſpōdet abſolutè quęſito vnica cōcluſione affirmatiua, eamquè probat. Secundò, aſſignat modū quo perſona dicitur de Deo, & creaturis.

Quò ad primum, concluſio eſt iſta. *Conueniens eſt, vt hoc nomen, perſona, de Deo dicatur.*

Probatio eſt iſta. *Omne illud, quod eſt perfectionis, Deo eſt attribuendum: Sed perſona ſignificat id, quod eſt perfectiſſimum in tota natura, ſcilicet, ſubſiſtēs in rationali natura.* Ergo *cōueniens eſt, vt hoc nomen, perſona, de Deo dicatur.* Probat maiorem; quia *eius eſſētia continet in ſe omnem perfectionem*. Minorem relinquit vt notam.

Quò ad ſecundū, ſic ait. *Non tamen eodem modo, quo dicitur de creaturis, ſed excellentiori modo, ſicut & alia nomina, quę creaturis à nobis impoſita Deo attribuuntur, ſicut ſupra oſtenſum eſt, cum de diuinis nominibus ageretur.*

Ad primum argumentum reſpondet, & reſponſio ſic in forma proponitur, explicando maiorē. *Vniuerſaliter non eſt audendum aliquid dicere, nec cogitare de ſuperſubſtantiali occulta diuinitate, præter ea, quæ diuinitùs nobis ex ſanctis eloquijs ſunt expreſſa*, quò ad vocem, aut quò ad ſignificatum, concedit maiorem. Solùm quò ad vocem, negat maiorem. Similiter diſtinguit minorem, & negat conſequentiā.

Ad ſecundum argumentum reſpondet, explicando maiorē,

Digitized by Google

iorem. *Nomen perſonæ videtur traductum ex his perſonis, quæ in comœdijs, tragedijſquè homines repreſentabāt*, quātùm ad id, à quo impoſitum eſt nomen perſonæ, concedit maiorē. Quantùm ad id, ad quod ſignificandum imponitur, negat maiorem. Similiter diſtinguit minorem, & negat conſequentiā.

Ad tertium argumentum reſpondet, concedendo maiorem, & diſtinguendo minorem. Sed *nomē hypoſtaſis non videtur Deo cōdecere*, quantū ad id, à quo eſt impoſitum nomen, concedit minorē. Quantùm ad id, ad quod eſt impoſitum ad ſignificandū rem ſubſiſtentem, negat minorem. Ergo &c. negat conſequentiam.

Ad quartum argumentum reſpondet, concedēdo maiorē, & negando minorē. Ad cuius primam probationem diſtinguit maiorem. *Ratio propriè accepta, importat diſcurſiuam cognitionem*, concedit maiorem. *Ratio communiter* accepta, negat maiorem. Similiter diſtinguit minorem. Sic. *Quæ, propriè accepta, non cōpetit Deo*, concedit minorem. *Quæ, communiter accepta, nō competit Deo*, negat minorem, &c.

Ad ſecūdam probationem diſtinguit, ſeù explicat antecedens. *Deus dici non poteſt indiuidua ſubſtantia, quantùm ad hoc, quod indiuiduationis principium eſt materia*, concedit antecedēs. *Secundùm quòd, importat incommunicabilitatem*, negat antecedens. Ergo &c. negat conſequentiam.

non poteſt dici rationalis naturæ. Tum etiam quia Deus dici non poteſt indiuidua ſubſtantia, cū principium indiuiduationis ſit materia, Deus autem immaterialis eſt, neque etiam accidētibus ſubſtat, vt ſubſtantia dici poſſit: nomen ergo perſonæ Deo attribui non debet.

Sed contra eſt, quod dicitur in ſymbolo Athanaſij, alia eſt perſona Patris alia Filij, alia Spiritus ſancti.

Reſpondeo dicēdum, quod perſona ſignificat id, quod eſt perfectiſſimū in tota natura, ſcilicet ſubſiſtens in rationali natura: vnde cum omne illud, quod eſt perfectionis, Deo ſit attribuendū, eo quod eius eſſentia continet in ſe omnem perfectionem, conueniens eſt, vt hoc nomen perſona, de Deo dicatur: non tamen eodem modo, quo dicitur de creaturis, ſed excellentiori modo, ſicut & alia nomina, quæ creaturis à nobis impoſita Deo attribuuntur, ſicut ſupra oſtenſum eſt, cum de diuinis nominibus ageretur.

Ad primum ergo dicendum, quod licet nomen perſonæ in ſcriptura veteris, vel noui teſtamenti, non inueniatur dictum de Deo; tamen id, quod nomen ſignificat, multipliciter in ſacra ſcriptura, inuenitur aſſertum de Deo, ſcilicet quod eſt maximè per ſe ens, & perfectiſſimè intelligens. Si autem oportet de Deo dici ſolum illa ſecundum vocem, quę Sacra ſcriptura de Deo tradit, ſequeretur, quod numquam in alia lingua poſſet aliquis loqui de Deo niſi in illa, in qua primo tradita eſt ſcriptura veteris, vel noui teſtamenti. Ad inueniendum autem noua nomina, antiquam fidem de Deo ſignificantia, coegit neceſſitas diſputādi cum hæreticis. Nec hęc nouitas vitanda eſt cum non ſit prophana, vtpotè à ſcripturarum ſenſu non diſcordans: docet autem Apoſtolus prophanas vocum nouitates vitare 1. ad Timoth. vltimo.

Ad ſecundum dicendum, quod quamuis hoc nomen perſona, nō conueniat Deo quantum ad id, à quo impoſitum eſt nomen, tamen quantum ad id, ad quod ſignificandum imponitur, maximè Deo conuenit: quia enim in comœdijs, & tragędijs repræſentabantur aliqui homines famoſi, impoſitum eſt hoc nomen perſona, ad ſignificandum aliquos dignitatem habentes: vnde conſueuerunt dici perſonæ in Eccleſijs, quæ habent aliquam dignitatem. Propter quod quidam diffiniunt perſonam dicentes, quod perſona eſt hypoſtaſis proprietate diſtincta ad dignitatem pertinente; & quia magnæ dignitatis eſt in rationali natura ſubſiſtere, ideò omne indiuiduum rationalis naturæ dicitur perſona, vt dictum eſt; ſed dignitas diuinæ naturæ excedit omnem dignitatem; & ſecundum hoc maximè competit Deo nomen perſonæ.

Ad tertium dicendum, quod nomen hypoſtaſis non competit Deo quantum ad id, à quo eſt impoſitum nomen, cum non ſubſtet accidentibus: competit autem quantum ad id, ad quod eſt impoſitum ad ſignificandum rem ſubſiſtentem. Hieron. autem dicit ſub hoc nomine venenum latere, quia antequam ſignificatio huius nominis eſſet plenè nota apud Latinos, hæretici per hoc nomen ſimplices decipiebant, vt confiterentur plures eſſentias, ſicut confitentur plures hypoſtaſes, propter hoc, quod nomen ſubſtantiæ (cui reſpondet in græco nomen hypoſtaſis) communiter accipitur apud nos pro eſſentia.

Ad quartum dicendum, quod Deus poteſt dici rationalis naturę, ſecundum quod ratio non importat diſcurſum, ſed communiter intelligibilem naturam. Indiuiduum autem Deo competere non poteſt quantum ad hoc, quod indiuiduationis principium eſt materia; ſed ſolum ſecundum quod importat incommunicabilitatem. Subſtantia verò conuenit Deo ſecundum quod ſignificat exiſtere per ſe. Quidam tamen dicunt, quod diffinitio ſuperius à Boet. data, non eſt diffinitio perſonæ, ſecūdum quod perſonas in Deo dicimus. Propter quod Riccard. de ſancto Victore corrigere volens hanc diffinitionem, dixit, quod perſona ſecundum quod de Deo dicitur, eſt diuinæ naturæ incommunicabilis exiſtentia.

Digitized by Google

SVPER ARTICVLVM COMMENTARIVM.

1 NISI diligenter ſenſus tituli intelligatur, certè doctrina corporis, præcipuè ſecundùm illorum opinionem, qui dicunt, perſonalitates, ſeù relationes in diuinis nullam dicere perfectionem, redditur difficilis, & obſcura. Sic igitur explicandus eſt titulus.

2 *Vtrum nomen perſonæ ſit ponendum in diuinis*. Non dicit, vtrum perſona ſit in diuinis, ſed vtrum nomen perſonæ. Nam quamuis de potentia quæſt. 9. ar. 3. quærat, *vtrum in Deo poſſit eſſe perſona*, tamen reſpondens in fine corporis, ſic ait, *conuenienter nomen perſonæ Deo attribui poteſt*, eo quia, ſupponit in præſenti articulo, dari in Deo ſuppoſitum, quod ſit omninò incommunicabile, & quærit, vtrum huiuſmodi ſuppoſitum poſſit nomine perſonæ nuncupari, & per ſequentia magis declarabitur.

3 *Perſona ſignificat id, quod eſt perfectiſſimũ in tota natura*. *Significat*. Non loquitur de ſignificato primario, aut in recto, pro vt diſtinguitur à ſignificato ſecundario, & in obliquo; de hoc enim ſignificato in articulo ſequenti diſquirit, dum quærit; *vtrum hoc nomen perſona, ſignificet relationem*; ſed loquitur de ſignificato totali.

4 *Significat id, quod eſt perfectiſſimum in tota natura*, ideſt, ſignificat ſuppoſitum naturæ intellectualis; quod vt magis clarè pateſiat, iterum atque iterum eadem propoſitio proponitur, & explicatur.

5 *Perſona ſignificat id, quod eſt perfectiſſimũ in tota natura, ſcilicet, ſubſiſtens in rationali natura*. Senſus eſt, quòd perſona duo neceſſariò includit; vnum eſt ſubſiſtentia, ſeù modus per ſe exiſtendi; & aliud eſt natura intellectualis. Quò ad primũ, perſona non ſecernitur à nomine ſuppoſiti, licet quò ad primum non paruã dignitatem dicat. Quò ad ſecundum, perſona diſtinguitur à ſuppoſitis omniũ aliarum naturarum; eò quia, dicit ſuppoſitum naturæ inter omnes aliarum naturarum gradus præſtantiſſimæ. Nãquè natura intellectualis omnes alias præcellit. Et hoc ſonant illa D. Thomę iam præcitata verba, nempè, *ſignificat id, quod eſt perfectiſſimum in tota natura, ſcilicet, ſubſiſtens in rationali natura*. Quaſi diceret, perſona duo perfectionem ſignificantia dicit, ſubſiſtens ſcilicet, & naturam rationalem. Et quia, etiam ſuppoſita ſeu indiuidua aliarum naturarum ſubſiſtentia dicuntur, ideo hoc nomen, perſona, ratione naturæ excellentioris ponitur, & nominatur.

6 *Perſona ſignificat id, quod eſt perfectiſſimũ in tota natura*. Ly, *in tota natura*, dupliciter intelligi poteſt. Primò, itaut per ly, *in tota natura*, accipiatur natura ſecundũ rationem ſpecificam; & comparatio fiat inter perſonalitatem, & naturam ſpecificam; itaut ſenſus ſit, quòd perſona, ſeù perſonalitas, eſt perfectior tota natura ſpecifica. Verbi gratia, ſi dicatur, quod perſonalitas Petri eſt perfectior tota natura humana. Secundò, itaut per ly, *in tota natura*, non accipiatur natura, vt comparata ad ſuam perſonalitatem, ſed prout excellentia naturæ ſubſiſtentis eſt ratio, vt ſuppoſitum eius ſit nobilius ſuppoſitis aliarum inferiorũ naturarum.

7 Et quidem, ſi primo modo, dicendũ eſt, quòd perſonalitas prout ratione à ſpecifica natura diſtinguitur, non ſignificat quid perfectius ipſa natura, ſed potiùs natura eſt ſua perſonalitate perfectior.

8 Et quia, perſonalitas eſt modus ratus, ac perfectus naturæ, idcirco dicendum eſt, quòd natura habet perfectiorẽ modum eſſendi, quatenùs conſideratur vt ſubſiſtens, quàm quatenùs conſideratur in eſſe dumtaxat obiectiuo exiſtens. Hic enim modus eſſendi eſt ſecundùm eſſe intentionale, & diminutum; ille verò eſt ſecundùm eſſe reale, & perfectũ. Et in hoc ſenſu poteſt dici, quod perſona ſignificat id, quod eſt perfectiſſimum in natura, ideſt, ſignificat naturam intellectualem ſubſiſtentem.

9 Verùm, ſaluo meliori aliorum iudicio, non eſt iſtud D. Thomæ principale intentum in propoſitione præfata; eo quia, vt dicebamus, D. Thomas in articulo præſenti quærit, vtrum ſuppoſitũ in diuinis poſſit nuncupari perſona; & conſequenter, comparat ſuppoſitũ perfectioris naturæ cum ſuppoſitis aliarum inferiorum naturarum. Quapropter, parùm pro nũc refert, quomodo ſit præſtantior natura ſe ipſa vt ſubſiſtens, à ſe ipſa, vt à ſubſiſtentia per intellectum ſeparata; Et quomodo perſonalitas ſit minùs magiſùe nobilis, quã natura ſpecifica.

10 Si igitur ſecundo modo, ſic vera quoquè eſt propoſitio, & à D. Thoma intenta. Et hoc magis clarè patet ex modo loquendi eiuſdem Angelici Doctoris quæſt. 9. de potentia art. 3. in corpore, vbi ſic ait. *Perſona ſicut dictum eſt, ſignificat quamdam naturam cum quodam modo exiſtendi. Natura autem, quam perſona in ſua ſignificatione includit, eſt omnium naturarum digniſſima, ſcilicet, natura intellectualis ſecũdùm genus ſuum. Similiter etiam modus exiſtendi, quem importat perſona, eſt digniſſimus: vt, ſcilicet, aliquid ſit per ſe exiſtens. Cum ergo omne, quod eſt digniſſimum in creaturis, Deo ſit attribuendum, conueniẽter nomen perſonæ Deo attribui poteſt*. Hæc ille. Vbi ponderanda eſt illa eiuſdem D. Thomæ explicatio, dum ait ſic. *Natura autem, quam perſona in ſua ſignificatione includit, eſt omnium naturarum digniſſima*, & ſubdit ſic, *ſcilicet, natura intellectualis ſecundùm genus ſuum*. Ecce igitur, quòd quando Diuus Thomas ait in hoc articulo, quòd *perſona ſignificat id, quod eſt perfectiſſimum in tota natura*, non comparat perſonalitatem cum natura ſpecifica, ſed ſuppoſitũ naturæ perfectiſſimæ ſecundum genus ſuum, cum ſuppoſitis aliarum naturarum.

11 *Vnde cum omne illud, quod eſt perfectionis, Deo ſit attribuendum, eo quòd eius eſſentia continet in ſe omnem perfectionem, conueniens eſt, vt hoc nomen, perſona, de Deo dicatur*. Ex quibus verbis apertè colligitur, quòd D. Thomas probat in Deo eſſe perſonã, eò quòd ratio perſonæ ſignificat perfectionem. Dubium tamen occurit; quia licet apud tenentes, perſonalitatem, ſeù relationem in diuinis dicere perfectionẽ. poſſit ſuſtineri iſte diſcurſus; non tamẽ bonus eſſe videtur ſecundùm illorum Thomiſtarum opinionem, qui tenent, perſonalitatem, ſeù relationem in diuinis neque imperfectionem dicere, neque perfectionem. Patet hoc, quia perfectio quam ſignificat perſona, vel eſt ratione naturæ, vel ratione perſonalitatis, prout contradiſtinguitur à natura. Si primum, tranſeat, ſed nihil ad probationis pro concluſione efficaciam confert. Nam ratio perſonæ, vt perſona eſt, non conſtituitur per naturam præcisè, ſed per ſubſiſtentiam incommunicabilem in rationali natura. Ita quòd ſubſiſtentia incommunicabilis eſt ipſe gradus differentialis perſonalitatis. Ergo D. Thomas non rectè ex perfectione naturæ intellectualis concludit in Deo reperiri perſonam, vt perſona eſt.

12 Si dicatur, quòd perſona dicit perfectionem, non ſolùm ratione naturæ intellectualis, ſed etiam ratione ſubſiſtentiæ; quoniam vt optimè docet D. Thomas quæſt. 9. de potentia art. 3. *Natura, quam perſona in ſua ſignificatione includit, eſt omnium naturarum digniſſima, ſcilicet, natura intellectualis ſecundùm genus ſuum. Similiter etiam modus exiſtendi eſt digniſſimus; vt ſcilicet, aliquid ſit per ſe exiſtens*; ac per conſequens, perſona in diuinis, qua eſt quid per ſe exiſtens, dicit perfectionem, non ſolùm ratione naturæ diuinæ, verumetiam ratione modi per ſe exiſtendi; ac proinde rectè concludit ex perfectione, quã ſignificat perſona, dari in Deo nomen perſonæ.

13 Contra hoc eſt, quia modus per ſe exiſtendi perſonæ diuinæ, vel eſt ipſa ſubſiſtentia abſoluta, quæ eſt omnibus tribus perſonis omninò communis; vel eſt ſubſiſtentia relatiua, & cuicumquè perſonæ diuinæ propria. Si primum; tranſeat, ſed nihil confert ad difficultatis ſolutionem. Quandoquidem ſubſiſtentia abſoluta eſt communis, ſicuti eſt ipſa diuina natura. Et per conſeqnens, non eſt propria perfectio perſonæ diuinæ. Vnde non benè concluditur, quòd debet perſona in diuinis ex hoc alio capite. Si ſecundum, non ſumus in caſu; vt patet ex prædictis. Ergo.

14 Dicam quid mihi in hac re dicendum occurrit. Dico enim primò. Quòd perſona creata dicit tria, naturam ſcilicet, per ſe ſubſiſtere, & incommunicabilitatem; Ratione primi, iam dicit perfectionem; etenim dicit, ac ſignificat naturã intellectualem, quæ eſt præſtantior cæteris. Ratione ſecundi, etiam dicit perfectionem; quia eſt participatio ſubſiſtentiæ abſolutæ Dei; quæ maximam quoquè dicit perfectionem.

15 Dixi, quòd ſubſiſtentia perſonæ creatæ eſt participatio ſubſiſtentiæ abſolutæ Dei; & verum eſt, atquè animaduerſione dignum. Nam non poteſt dici, quòd ſit participatio ſubſiſtentiæ relatiuæ. Primò quidem, quia ſubſiſtentia perſonæ createę eſt ſubſiſtentia abſoluta. Ergo non poteſt eſſe participatio ſubſiſtẽtiæ relatiuæ. Secundò, quia, ſi eſſet participatio ſubſiſtentiæ relatiuæ; cum tres ſint in diuinis huiuſmodi ſubſiſtentiæ; ſubſiſtentia ſcilicet, Patris, ſubſiſtentia Filij, & ſubſiſtentia Spiritus ſancti: ſed non poteſt dici, quod ſit participatio ſubſiſtentiæ Patris, aut Filij, aut Spiritus ſancti; neque etiam omnium collectiuè, vt patet. Ergo non eſt participatio ſubſiſtentiæ relatiuæ, ſed ſubſiſtentiæ abſolutæ. Vnde ſi qui dicunt, perſonalitatẽ eſſe per participationem à perſona increata, interpretandi ſunt de participatione, quò ad ſubſiſtentiam abſolutam

perſonæ increatæ; vel non benè dicunt.

16 Ratione verò tertij, dicit imperfectionem; quia ſcilicet, ſubſiſtentiam abſolutam Dei participat, non ſub ratione communicabilitatis eo modo, quo reperitur in Deo, ſed deficienter, puta in communicabiliter, & infœcundè; quia deficientia poſita, habetur ratio perſonæ. Etenim eſſet quid per ſe ſubſiſtens incommunicabiliter in natura intellectuali.

17 Ex quo patet, quòd quando D. Thomas de potentia, quæſt. 9. art. 3. dixit, modum per ſe exiſtendi eſſe digniſſimũ, loquutus eſt de modo per ſe exiſtendi perſonæ creatæ, qui eſt modus per ſe exiſtendi creaturarum, & ſubſiſtendi abſolutè, non verò loquutus eſt de modo per ſe exiſtendi relatiuè, ſicut eſt in diuinis perſonis. Et hoc patet ex modo concludendi. Sic enim concludit. *Cum ergo omne, quod eſt digniſſimum in creaturis, Deo ſit attribuendum, conuenienter nomen perſonæ Deo attribui poteſt.*

18 Dico ſecundò. D. Thomas in præſentis articuli doctrina non ait, quòd perſona quantùm ad rationem incommunicabilitatis dicat aliquod digniſſimum. Patet hoc, tùm quia, vt numero præcedenti vidimus, ſubſiſtentia creata habet incommunicabilitatem ex eius inperfectione procedentem. Tùm etiam quia, totam perſonæ dignitatem conſiſtere inſinuat in natura intellectuali, & ſubſiſtentia illius, nihilquè dignitatis tribuit ſubſiſtentiæ ratione incommunicabilitatis.

19 Dico tertiò. D. Thomas in præſenti articulo non concludit, nec probare intendit, dari perſonam quantùm ad rationem incommunicabilitatis eius; imò ſupponit dari in Deo ſuppoſitum omninò incommunicabile; ſed tantùm probare intendit, ſuppoſitum quod reperitur in Deo, iure optimo nominari perſonam. Eo quia, illud ſuppoſitum poteſt, ac debet meritò nominari perſona, quod *ſignificat id, quod eſt perfectiſſimum in tota natura*, ideſt, quod vltra ſubſiſtentiam abſolutam, dicit etiam naturam intellectualem.

20 Ex quo patet reſponſio ad rationem dubitandi. Dicimus enim bonum eſſe D. Thomæ diſcurſum, etiam ſecundùm opinantes, perſonalitatem, ſeù relationem in diuinis abſtrahere à perfectione, & imperfectione; Et concedimus, quòd perfectio, quam ſignificat perſona creata eſt ratione naturæ, & ratione perſonalitatis, propter ſubſiſtentiam abſolutam, quam dicit; non tamen propter incommunicabilitatem eiuſdem ſubſiſtentiæ. Ad cuius impugnationem, nego aſſumptum. Ad cuius probationem, concedo antecedens, & nego conſequẽtiam; cuius negationis ratio iam aſſignata eſt. Quia ſcilicet, D. Thomas non intendit probare, quòd in Deo detur ratio, ſeù nomen perſonæ, quantùm ad incommunicabilitatem, quam dicit, ſed intendit probare illud incommunicabile, quod in Deo reperiri ſupponit, conuenienter poſſe nominari perſonam.

FORMATIO ARTICVLI.

Qvadripartita eſt principalis corporis diſtributio. Primò, cauſam difficultatis ponit. Secũdò, nonnullas opiniones refert. Tertiò, quæſito ex propria ſententia reſpõdet. Et quartò, opiniones, quas refert, ab errore purificat, & ad bonum ſenſum trahit.

ARTICVLVS QVARTVS.

Vtrum hoc nomen, perſona, ſignificet relationem.

Ad quartum ſic proceditur, videtur, quod hoc nomen perſona non ſignificet relationem, ſed ſubſtantiam in diuinis: dicit enim Auguſt. in 7. de Trinitate: cum dicimus perſonam Patris, non aliud dicimus, quàm ſubſtantiam, ad ſe quippe dicitur perſona, non ad Filium.

2 *Præterea. Quid, quærit de eſſentia, ſed ſicut dicit Auguſt. in eodem loco, cum dicitur: Tres ſunt, qui teſtimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus, & quæritur, quid tres? reſpondetur tres perſonæ: ergo hoc nomen perſona ſignificat eſſentiam.*

3 *Præterea ſecundum Philoſoph. 4. metaph. id quod ſignificatur per nomen, eſt eius diffinitio,*

Quò ad primum, ſic ait. *Circa ſignificationem huius nominis, perſona, in diuinis, difficultatem ingerit, quòd pluraliter de tribus prędicatur, præter naturã eſſentialium nominum; neque etiam ad aliquid dicitur, ſicut nomina, quæ relationem ſignificant.*

Quò ad ſecundũ, ſic ait. *Vnde quibuſdã viſum eſt, quòd hoc nomen,*

men, perſonæ, &c. Lege litteram vſquè ad illa verba; *Ad euidentiam igitur*, excluſiuè.

Quò ad tertium, tria facit. Primò, explanat ſenſum quæſiti. Secundò explicat quid ſignificet perſona in communi. & Tertio reſpõdet quæſito.

Quò ad horum primum, duo facit. Primò, ponit quæſiti declarationem. Secundò, eam probat à ſimili. Quò ad horũ primum, ſic ait. *Aliud eſt quærere de ſignificatione huius nominis, perſona, in communi; & aliud de ſignificatione perſonæ diuinæ.* Quò ad horum ſecundum, probatio à ſimili eſt iſta. *Aliquid eſt de ſignificatione minus communis, quod tamẽ non eſt de ſignificatione magis communis. Rationale enim includitur in ſignificatione hominis, quod tamen non eſt de ſignificatione animalis.* Ergo *aliud eſt quærere de ſignificatione animalis; & aliud eſt quærere de ſignificatione animalis, quod eſt homo.* Ergo *ſimiliter, aliud eſt quærere de ſignificatione huius nominis, perſona in communi, &c.*

Quò ad ſecundum tertij tria facit. Primò, ponit ſignificatum perſonæ in communi, ſimulatquè quid ſit indiuiduum explicat. Secundò, magis clarè ponit ſignificatum perſonæ in quacunque natura; Et tertio, hoc idem exemplariter, ſeu inductiuè probat. Quò ad horum primũ, ſic ait. *Perſona in communi ſignificat ſubſtantiam indiuiduam rationalis naturæ; indiuiduum autem eſt, quod eſt in ſe indiſtinctũ, ab alijs verò diſtinctum.* Quò ad horum ſecũdum, quod eſt deductum ex primo, ſic ait. *Perſona igitur in quacunquè natura ſignificat id, quod eſt diſtinctũ in natura illa.* Quò ad horum tertium, ſic ait; *Sicut in humana natura ſignificat has carnes, hæc oſſa, & hãc animam, quæ ſunt principia indiuiduantia hominem, quæ quidem, licèt non ſint de ſignificatione perſonæ humanæ.*

Quò ad tertium, tertij tria facit. Primò, ponit concluſionem quæſito reſponſiuam; Secundò, eam probat, ac Tertiò declarat.

Quò ad horũ primum, concluſio eſt iſta. *Perſona diuina ſignificat relationem vt ſubſiſtentem.*

Quò ad horum ſecundũ probatio quò ad priorem concluſionis partẽ eſt iſta; quia *diſtinctio in diuinis non fit niſi per relationes originis*: & ſubaudi, ſed diſtinctio in diuinis nõ eſt niſi in perſona. Ergo *perſona diuina ſignificat relationem.*

Probatio verò quò ad poſteriorem eiuſdẽ concluſionis partem eſt iſta. *Relatio in diuinis non eſt ſicut accidens inhærens ſubiecto, ſed eſt ipſa diuina eſſentia. Ergo eſt ſubſiſtens, ſicut eſſentia diuina ſubſiſtit.* Ergo *ſicut deitas eſt Deus, ita paternitas diuina eſt Deus pater: qui eſt perſona diuina.* Ergo *perſona diuina ſignificat relationẽ, vt ſubſiſtentem.*

Quò ad horũ tertium concluſionis explicatio eſt iſta. *Et hoc*

tio, ſed diffinitio perſonæ eſt rationalis naturæ indiuidua ſubſtantia, vt dictum eſt: ergo hoc nomen perſona ſignificat ſubſtantiam.

4 Præterea. Perſona in hominibus, & Angelis non ſignificat relationem, ſed aliquid abſolutum. Si igitur in Deo ſignificaret relationem, diceretur æquiuocè de Deo, & hominibus, & Angelis.

Sed contra eſt, quod dicit Boet. in lib. de Trinitate, quod omne nomen ad perſonas pertinens, relationem ſignificat; ſed nullum nomen magis pertinet ad perſonam, quàm hoc nomen perſona: ergo hoc nomen perſona relationem ſignificat.

Reſpondeo dicendum, quod circa ſignificationem huius nominis perſona in diuinis, difficultatem ingerit, quod pluraliter de tribus prædicatur præter naturam eſſentialium nominum, neque etiã ad aliquid dicitur, ſicut nomina, quæ relationem ſignificant. Vnde quibuſdam viſum eſt, quod hoc nomen perſona, ſimpliciter ex virtute vocabuli, eſſentiam ſignificet in diuinis, ſicut hoc nomen Deus, & hoc nomen ſapiens; ſed propter inſtantiã hæreticorum, eſt accommodatum ex ordinatione Concilij, vt poſſit poni pro relatiuis, & præcipuè in plurali, vel cum nomine partitiuo; vt cum dicimus tres perſonas, vel alia eſt perſona Patris, alia Filij. In ſingulari verò poteſt ſumi pro abſoluto, & pro relatiuo; ſed hæc non videtur ſufficiens ratio, quia ſi hoc nomen perſona ex vi ſuæ ſignificationis, non haberet, quod ſignificet niſi eſſentiam in diuinis, ex hoc quod dictum eſt, tres perſonas, non fuiſſet hæreticorum quietata calumnia; ſed maioris calumniæ data eſſet eis occaſio. & ideò alij dixerunt, quod hoc nomen perſona in diuinis, ſignificat ſimul eſſentiam, & relationem. Quorum quidam dixerunt, quod ſignificat eſſentiam in recto, & relationem in obliquo, quia perſona dicitur quaſi per ſe vna. Vnitas autem pertinet ad eſſentiam: quod autem dicitur per ſe, implicat relationem obliquè. Intelligitur enim Pater per ſe eſſe quaſi relatione diſtinctus à Filio. Quidam verò dixerunt è conuerſo, quod ſignificat relationem in recto, & eſſentiam in obliquo, quia in diffinitione perſonæ, natura ponitur in obliquo, & iſti propinquius ad veritatem acceſſerunt.

Ad euidentiam igitur huius quæſtionis conſiderandum eſt, quod aliquid eſt de ſignificatione minus communis, quod tamen non eſt de ſignificatione magis communis. Rationale enim includitur in ſignificatione hominis, quod tamen non eſt de ſignificatione animalis: vnde aliud eſt quærere de ſignificatione animalis, & aliud eſt quærere de ſignificatione animalis quod eſt homo. Similiter, aliud eſt quærere de ſignificatione huius nominis perſona in cõmuni, & aliud de ſignificatione perſonæ diuinæ. Perſona enim in cõmuni ſignificat ſubſtantiam indiuiduam rationalis naturæ, vt dictum eſt. Indiuiduum autem eſt, quod eſt in ſe indiſtinctum, ab alijs verò diſtinctum. Perſona igitur in quacunque natura, ſignificat id, quod eſt diſtinctũ in natura illa, ſicut in humana natura ſignificat has carnes, & hæc oſſa, & hanc animam, quæ

ſunt

Digitized by Google

hoc eſt ſignificare relationem per modum ſubſtantiæ, quæ eſt hypoſtaſis ſubſiſtens in natura diuina, vt non ſit aliud, quàm natura diuina.

Quò ad quartum principale, purificat primò tertiam opinionem, quæ dicebat, quòd perſona diuina ſignificat relationem in recto, & eſſentiã in obliquo, ſimulatquè declarat, ſic dicens. *Et ſecundùm hoc verũ eſt, quòd hoc nomen, perſona, ſignificat relationem in recto, & eſſentiam in obliquo, non tamen relationem in quantùm eſt relatio, ſed in quantùm ſignificatur per modum hypoſtaſis.*

Purificat ſecundò, ſecundam opinionẽ, quæ dicebat, quòd perſona ſignificat eſſentiam in recto, & relationem in obliquo, ſic dicens. *Similiter etiam ſignificat eſſentiam in recto, & relationem in obliquo, inquantum eſſentia idem eſt quòd hypoſtaſis: Hypoſtaſis autem ſignificatur in diuinis, vt relatione diſtincta.*

Eandem ſecũdam opinionem, ex eò, quòd, ſic relationem in obliquo implicare dicebat, vt relatio ſit de ratione perſonæ, purificat, & confirmat, ſic dicens. *Et ſimiliter, relatio per modũ relationis ſignificata cadit in ratione perſonæ in obliquo.*

Purificat tandem tertiò primã opinionem ſecundùm tria, quæ dicebat. Dicebat enim, hoc nomẽ, perſona, ex virtute vocabuli, eſſentiam ſignificare in diuinis; & per accommodationem ex ordinatione Concilij impoſitum eſſe ad ſignificãdam relationẽ in diuinis, non quòd ex vi ſuæ ſignificationis habeat ſignificare eſſentiã non verò relationẽ, ſic dicens. *Et ſecundũ hoc etiã dici poteſt, quòd hęc ſignificatio huius nominis, perſona, &c.* Lege litteram vſquè ad finem corporis.

Ad primũ argumẽtum reſpõdet, explicando authoritatem D. Auguſtini. *Cum dicimus perſonã Patris, nõ aliud dicimus, quã ſubſtantiam,* id eſt, quã relationẽ vt ſubſiſtẽtẽ, non verò vt inhęrẽtem, cõcedit antecedens. & in hoc ſenſu intelligendus eſt D. Auguſt. *Nõ aliud dicimus, quàm ſubſtantiam,* ideſt, eſſentiã, *prout in Deo eſſentia eſt idẽ cũ hypoſtaſi,* cõcedit antecedens, & in hoc ſenſu dicit, loquutum eſſe Auguſt. Ideſt, eſſentiã, prout ratione diſtinctã ab hypoſtaſi, negat antecedẽs; & in hoc sẽſu nõ loquutus eſt Auguſtinus.

Ad ſecũdũ argumẽtũ reſpondet, diſtinguendo maiorẽ. *Quid quærit de eſſentia. Quandoquè,* cõcedit maiorẽ. Sẽper, negat maiorẽ. Tunc cõceſſa minori, negat conſequentiam.

Ad tertiũ argumẽtũ reſpõdet, cõcedẽdo maiorẽ, & diſtinguẽdo, ſeù explicãdo minorẽ (loquẽdo de perſona diuina.) ſed *diffinitio perſonæ eſt rationalis naturæ indiuidua ſubſtantia,* ideſt, eſt relatio vt ſubſiſtens in natura diuina, cõcedit minorẽ. Eſt indiuidua ſubſtãtia, vt dicit aliquid abſolutũ, negat minorem.

ſunt principia indiuiduantia hominem, quæ quidẽ licet non ſint de ſignificatione perſonæ, ſunt tamen de ſignificatione perſonæ humanæ. Diſtinctio autem in diuinis non fit niſi per relationes originis, vt dictum eſt ſupra. Relatio autem in diuinis non eſt ſicut accidens inhærens ſubiecto; ſed eſt ipſa diuina eſſentia: vnde eſt ſubſiſtens ſicut eſſentia diuina ſubſiſtit. Sicut ergo deitas eſt Deus, ita paternitas diuina eſt Deus pater, qui eſt perſona diuina. Perſona igitur diuina ſignificat relationem, vt ſubſiſtentem; & hoc eſt ſignificare relationem per modum ſubſtantiæ, quæ eſt hypoſtaſis ſubſiſtens in natura diuina, licet ſubſiſtens in natura diuina, non ſit aliud, quàm natura diuina; & ſecundum hoc verum eſt, quod hoc nomen perſona ſignificat relationem in recto, & eſſentiam in obliquo, nõ tamen relationem inquantum eſt relatio, ſed inquantum ſignificatur per modum hypoſtaſis. Similiter etiam ſignificat eſſentiam in recto, & relationem in obliquò, inquãtum eſſentiam idem eſt, quod hypoſtaſis, Hypoſtaſis autem ſignificatur in diuinis, vt relatione diſtincta; & ſimiliter relatio per modum relationis ſignificata cadit in ratione perſonę in obliquo; & ſecundum hoc etiam dici poteſt, quod hęc ſignificatio huius nominis perſona, nõ erat percepta ante hæreticorum calumniam: vnde non erat in vſu hoc nomẽ perſona niſi ſicut vnum aliorum abſolutorum; ſed poſtmodum accomodatum eſt hoc nomen perſona ad ſtandum pro relatiuo ex cõgruẽtia ſuæ ſignificationis, vt ſcilicet hoc, quod ſtat pro relatiuo, non ſolum habeat ex vſu (vt prima opinio dicebat,) ſed etiam ſignificatione ſua.

Ad primum ergo dicendum, quod hoc nomen perſona dicitur ad ſe, non ad alterum, quia ſignificat relationem, non per modum relationis, ſed per modum ſubſtantiæ, quæ eſt hypoſtaſis; & ſecundũ hoc Auguſt. dicit, quod ſignificat eſſentiam, prout in Deo eſſentia eſt idem cum hypoſtaſi, quia in Deo non differt, quod eſt, & quo eſt.

Ad ſecundum dicendum, quod quid quandoque quærit de naturæ, quàm ſignificat diffinitio, vt cum quæritur, quid eſt homo? & reſpondetur, animal rationale mortale: quandoque verò quærit ſuppoſitum, vt cum quæritur, quid natat in mari? & reſpondetur, piſcis; & ſic quærentibus quid tres, reſponſum eſt, tres perſonæ.

Ad tertium dicendum, quod in intellectu ſubſtantiæ indiuiduæ; ideſt diſtinctæ, vel incommunicabilis, intelligitur in diuinis relatio, vt dictum eſt.

Ad quartum dicendum, quod diuerſa ratio minus communium, nõ facit æquiuocationem in magis communi: licet enim ſit alia propria diffinitio equi, & aſini, tamen vniuocantur in nomine animalis, quia communis diffinitio animalis cõuenit vtrique: vnde non ſequitur, quod licet in ſignificatione perſonæ diuinæ contineatur relatio; non autem in ſignificatione Angelicę perſonæ, vel humanę, quod nomen perſonæ æquiuocè dicatur: licet nec etiam dicatur vniuocè, cum nihil vniuocè de Deo dici poſſit, & de creaturis, vt ſupra oſtenſum eſt.

Ergo &c. negat conſequentiam.

Ad quartũ argumentũ reſpõdet, concedendo antecedẽs; & negãdo cõſequẽtiam. Et negationis rationẽ aſſignat; quia *diuerſa ratio minùs communiũ, nõ facit æquiuocationẽ in magis communi &c.* Lege completam diſparitatem in littera.

SVPER ARTICVLVM COMMENTARIVM.

1 TRES terminos poſitos in titulo, nota, videlicet, ly, *perſona*, ly, *ſignificet*. Et ly, *relationem*.

Circa primum cum quæritur, *vtrum perſona*, ſubaudi, diuina, ſeù in diuinis. Quia ſic explicat D. Thomas in principio articuli, dicens; *Ad quartum ſic proceditur. Videtur, quòd hoc nomen, perſona, non ſignificet relationem, ſed ſubſtantiam in diuinis*, & ad hoc tendit totius articuli aurea doctrina.

2 Circa ly, *ſignificet*, eſt obſeruandum, quòd ſignificare in præſenti nil aliud ſonat, ac eſſe impoſitum, ſeù ſubſtitutum loco alicuius rei, vel formalitatis; vt hoc nomen, homo, ſignificat aliquid compoſitum ex corpore, & anima rationali, ideſt, impoſitum, & inſtitutum eſt ad ſignificandum id, quod eſt compoſitum ex corpore, & anima rationali. Vnde cum quæritur, *vtrum hoc nomen, perſona diuina, ſignificet relationem*, ſenſus eſt, vtrum hoc nomen, perſona diuina, ſit inſtitutum in diuinis ad ſignificandam relationem.

3 Circa ly, *relationem*, intellige relationem diuinam, ſiuè quatenùs dicit, ad; ſiuè quatenùs eſt hypoſtaſis, vtrouis enim modo accipitur, prout determinatur in corpore. Vide infra nu. 21.

4 *Similiter, aliud eſt quærere de ſignificatione huius nominis, perſona, in communi; & aliud de ſignificatione perſonæ diuinæ*. Prædixerat, quòd *aliquid eſt de ſignificatione minùs communis; quod tamen non eſt de ſignificatione magis communis*; & conſequenter, quòd *aliud eſt quærere de ſignificatione animalis; & aliud eſt quærere de ſignificatione animalis, quod eſt homo*. Quibus præmiſſis, ſtatim atquè propoſita verba ſubiunxit, ſcilicet, *ſimiliter, aliud eſt quærere &c.* Dubiũ pro Nouitijs occurrit; quia hoc nomen, perſona, prout ſignificat perſonam in communi, & perſonam in particulari, puta, diuinam, non ſimiliter ſe habet, ſicut animal in communi, & animal in particulari. Nam animal in particulari, puta, homo reſpectu animalis in communi eſt ſicut ſpecies reſpectu generis; perſona autẽ diuina reſpectu perſonæ in communi non eſt ſicut ſpecies reſpectu generis. Ergo non benè dixit, *ſimiliter, &c.* cum potiùs diſſimiliter ad inuicem comparentur.

5 Reſpondetur, paritatem non fundari ſuper rationem magis communis, & minùs communis, quaſi magis commune ſit rigorosè genus, & minus commune ſit rigorosè ſpecies; ſed ſuper rationem magis communis, & minùs communis vt ſic, ſiuè magis commune ſit proprie, & rigorosè genus; ſiuè ſit tantùm commune analogicum, ſic eſt in caſu noſtro. Nam per ly, *ſimiliter*, non intelligitur à D. Thoma omnimoda ſimilitudo, ſed ſufficit ea, quæ requiritur ad explicandum intentum.

6 *Sicut in humana natura ſignificat has carnes, hæc oſſa, & hanc animam*. Dubium occurrit; quia hæ carnes, hæc oſſa, & hæc anima in homine non ſunt perſona. Ergo malè dicit, quòd perſona *in humana natura &c.* Antecedens patet, quia de fide certum eſt, in humana natura Chriſti Domini has carnes, hæc oſſa, & hanc animam, non eſſe perſonam, cum de fide certum ſit in humanitate Chriſti Domini, perſonam non fuiſſe creatam, ſed naturam humanam prædictam ſubſiſtere ſubſiſtentia increata Verbi diuini. Et ſimiliter, de Fide certum eſt, has carnes, hæc oſſa, & hanc animam Chriſti Domini fuiſſe aliquid omninò creatum. Et idem Sanctus Thomas quæſt. 9. de potentia art. 2. ad 13. ait. Quòd *humana natura in Chriſto, cum ſit aſſumpta in perſonam diuinam, non poteſt dici ſubſtantia indiuidua, quæ eſt hypoſtaſis; ſicut nec manus, nec pes, nec aliquid eorum, quæ non ſubſiſtunt per ſe ab alijs ſeparata. Et propter hoc non ſequitur*, quòd ſit perſona.

7 Reſpondetur, explicando, ſeù diſtinguendo antecedens. Hæ carnes, hæc oſſa, & hæc anima in homine nõ ſunt perſona, ſunt tamen principia indiuiduantia naturam, concedo antecedens. Non ſũt perſona, neque principia indiuiduantia naturam, nego antecedẽs. Ergo &c. nego conſequentiam. Non enim dixit, quòd hæ carnes, hæc oſſa; & hæc anima humana ſunt perſona humana; ſed dixit, quòd perſona in humana natura ſignificat has carnes, hæc oſſa, & ſubdit ſic; *quæ ſunt principia indiuiduantia hominem*.

8 Pro cuius tamen intelligentia eſt obſeruãdũ, quòd ſignificare has carnes &c. dupliciter

dupliciter cõtingere poteſt. Primò, itaut hę carnes, hęc oſſa & hęc anima ſignificentur in recto per hoc nomen perſona; vel itaut ſignificentur in obliquo. Primo modo falſum eſt, quòd perſona humana, verbi gratia, ſignificat has carnes, hæc oſſa, & hanc animam, quemadmodum falſum eſt, quòd hæ carnes, hęc oſſa, & hæc anima ſunt perſona, vt optimè in dubitatione ex doctrina Diui Thomæ probatur. Si ſecundò modo, verum eſt, quòd perſona humana ſignificat has carnes, hæc oſſa, &c. eo modo quo verum eſt, quòd perſona ſignificat naturam, cuius eſt perſona, non communem ſcilicet, ſed hęcceizatam. Vnde cum Diuus Thomas ait, quod humana natura, quam ſignificat perſona humana, non eſt natura humana in communi, ſed natura humana in particulari, puta, has carnes, hæc oſſa, &c. Sed de hoc hactenùs cum ſupra fuerit etiam benè diſcuſſum.

9 *Diſtinctio autem in diuinis non fit, niſi per relationes originis.* Propoſitio hæc examinabitur, & roborabitur infra q. 36. ar.

10 *Relatio autem in diuinis non eſt ſicut accidens inhærens ſubiecto, ſed eſt ipſa diuina eſſentia.* Intellige de identitate reali, & formali formalitate rei; non autem de identitate formali formalitate obiectiua, aut virtuali.

11 *Vnde eſt ſubſiſtens ſicut eſſentia diuina ſubſiſtit.* Ly, *ſicut*, non debet in præſenti inſinuare, quòd relatio in diuinis ſubſiſtit tantummodo ſubſiſtentia, quæ eſt propria naturæ diuinæ, quaſi ſenſus ſit, quod relatio diuina ſecũdùm proprium conceptum relationis diuinæ, virtualiter ab eſſentia diuina diſtinctæ non habeat propriam ſubſiſtendi rationem. Quoniam vt videbimus, in Deo præter ſubſiſtentiam abſolutam, dantur tres ſubſiſtentiæ relatiuæ. Neque debet intelligi, quòd relatio diuina ſubſiſtit per hoc præcisè, quod eſt identificata cum eſſentia diuina, quæ ſubſiſtit; quoniam licet relatio diuina rectè dicatur eſſe ſubſiſtens per hoc, quòd indentificatur cum eſſentia diuina, quæ eſt ſubſiſtens, non tamen hic videtur eſſe præſentis litteræ ſenſus. Itaquè ly, *ſicut*, ſic ego intelligo, vt dicat proportionalitatem. Et ſenſus eſt, quòd relatio in diuinis per hoc, quòd eſt realiter cum eſſentia diuina identificata, & aliàs eſt perſonæ diuinæ conſtitutiua, & diſtinctiua; debet in ſe ipſa ſubſiſtere, non ſolùm ſubſiſtentia eſſentiæ diuinę, quę eſt abſoluta, & communis, ſed etiam ſubſiſtentia propria. Et hoc inſinuare videtur, dum ſic infert.

12 *Sicut ergo Deitas eſt Deus, ita paternitas diuina eſt Deus Pater, qui eſt perſona diuina.* Quaſi diceret, ſicut conuenit eſſentię diuinę eſſe id, quod ſubſiſtit, ita etiam conuenit relationi paternitatis, verbi gratia, eſſe id, quod ſubſiſtit. Nam ſicut eſſentia diuina eſt id, quod intelligit, & quod vult; & per ordinem ad effectus ad extra, eſt id, quod producit, conſeruat, deſtruit &c. ita relatio paternitatis eſt Deus Pater generans Filium, relatio filiationis eſt Deus Filius genitus à Patre. Et relatio ſpirationis paſſiuę, ſeù proceſſionis eſt Deus Spiritus ſanctus à Patre, Filioquè procedens.

13 *Perſona igitur diuina ſignificat relationem vt ſubſiſtentem.* Intellige iuxta prędicta, ideſt; ſignificat relationem non ſolùm *ſubſiſtentem*. Hoc enim commune eſt omnibus prædicatis, qualitercunquè, propriè tamen Deo conuenientibus, ſed etiam *vt ſubſiſtentem*; eo quia ly, *vt*, denotat perſonam in diuinis, ex proprio perſonę diuinę conceptu, propriam dicere ſubſiſtentiam. *Significat relationem vt ſubſiſtentem.* Iam incipit reſpondere quęſito, quod per ſequentia perficit.

14 *Et ſecundùm hoc verum eſt, quòd hoc nomen, perſona, ſignificat relationem in recto, & eſſentiam in obliquo.* Poſtquàm reſpondit, quod ſignificat relationem *vt ſubſiſtentem*, nunc declarat, quomodo ſignificat relationem, & quomodo eſſentiam. Senſus ergo horum verborum eſt, quòd perſona diuina ſignificat relationem in recto, quatenùs relatio dicitur quid ſubſiſtens. Et hoc de ſignificato formali, quoniam valet dicere formaliſſimè loquendo, perſona diuina eſt ſubſiſtens relatio. Significat autem in obliquo naturam diuinam, propter diſtinctionem formalem, ac virtualem, quæ inter eſſentiam & relationem in diuinis inuenitur.

15 *Non tamen relationem inquantùm eſt relatio, ſed inquantùm ſignificatur per modum hypoſtaſis.* Graue dubium contra hoc poteſt inſurgere. Nam relatio vt ſubſiſtens eſt ipſa formalis, ac propria relationis diuinę ratio, prout ab eſſentia diuina diſtinguitur. Quomodo ergo poteſt ſtare, aut rectè dici, quòd perſona diuina ſignificat in recto relationem, vt ſubſiſtentem; & quòd non ſignificat *relationem, inquantùm eſt relatio in recto*, ſed huiuſmodi ambiguitatem enucleabimus diſputatione ſequenti. Pro nunc autem ſic breuiter explicatur.

Digitized by Google

16 *Non tamen relationem inquantùm eſt relatio*. Ideſt, *inquantùm eſt relatio*, non quidem prout eſt à parte rei ratione primi analogati, ſed prout communiter, ac philoſophicè accipi ſolet.

17 *Similiter etiam ſignificat eſſentiam in recto*. Non in ſenſu formali, ſed identico.

18 *Et Similiter, relatio per modum relationis ſignificata, cadit in ratione perſonæ in obliquo*. Dubium occurrit; quia idem bis abſquè vlla prorsùs neceſſitate repetit. Immediatè enim ſic ante prædixerat, *Similiter etiam ſignificat eſſentiam in recto, & relationem in obliquo*. Ergo cum immediatè verba iam præcitata ſubdit, ſcilicet, *& ſimiliter relatio per modum relationis ſignificata, cadit in ratione perſonæ in obliquo*, idem bis repetit. Etenim in verbis præcedentibus, non loquitur de relatione in diuinis prout eſt in re, ſed de relatione per modum relationis ſignificata. Nam alias non rectè dixiſſet, quòd perſona ſignificat eſſentiam in recto, & relationē in obliquo; quoniam ſi ſit ſermo de relatione in diuinis, prout identificatur eſſentiæ, vtrumquè, eſſentiam ſcilicet, & relationem ſignificaret in recto. Vt quid ergo repetijt ſine neceſſitate verba relata?

19 Reſponſio facilis eſt, ſi ea, quæ in litteræ formatione diximus, circa ſecundæ opinionis in articulo poſitæ purificationē obſeruētur. Duo enim ſecūda aſſerebat opinio, vnum eſt, quòd perſona in diuinis ſignificat in obliquo relationem abſolutè loquendo; Alterum verò eſt, quod perſona in diuinis ſic ſignificat in obliquo relationem, vt relatio ſit de intrinſeca perſonæ ratione, licet in obliquo. Ratione igitur primi, abſolutè dixit, quod ſignificat relationē in obliquo. Ratione verò ſecundi, iam in pręcedenti num. poſuit verba citata. Vnde, non abſolutè dixit hic, quod perſona ſignificat relationem in recto, ſed quòd *relatio per modum relationis ſignificata cadit in ratione perſonæ in obliquo*. Pondera illam particulam, *in ratione*, quoniam per illam nodus difficultatis euaneſcit. Vnde in forma ad rationem dubitandi,

20 Reſpondetur, negando antecedens. Ad cuius probationem, concedo antecedens, & nego conſequentiam. Ad cuius probationem, concedo antecedēs; & quando ſubiunxit, quòd *relatio per modum relationis ſignificata cadit in ratione perſonæ in obliquo*, eſt in manifeſto reſponſio, quia alia ratione, loquitur hic; & alia in verbis præcedentibus. Ibi enim loquitur abſolutè; hic verò modaliter, vt in explicatione poſita diximus.

21 *Et relationem in obliquo*. Intellige *relationem* ferè communiter acceptā, prout ſcilicet, eſt tantùm reſpectus ad aliud.

Et relationem in obliquo. Dummodo perſona diuina intelligatur inadæquatè; quoniam vt infra dicemus, perſona diuina ſecundùm adęquatum perſonę diuinæ conceptum cōſtituitur per relationem, etiam vt relatio eſt, ideſt, vt referens eſt.

22 *Et relationem in obliquo*, loquitur in ſenſu formali, & de conceptu perſonę inadæquatè conſideratę; quoniam in ſenſu identico, quemadmodum valet dicere, quòd perſona diuina ſignificat in recto eſſentiam; quia eſſentia eſt realiter cum perſona diuina identificata, ita pari formiter, quia perſona diuina debet in recto ſignificare relationem, etiam vt relatio eſt, in ſenſu identico, cum perſona diuina ſit quoquè cum relatione ſecundùm omnem eius conceptum realiter identificata.

23 *Et relatio in obliquo*, obſeruandum eſt primò, quòd non ſunt omninò idem ſignificari in recto; & prædicari in recto; ſeù eſſe ſignificatum in recto; & eſſe prędicatum in recto, licet aliquando cōueniant. Quandoquidem ſignificari, ſeù eſſe ſignificatum in recto poteſt cōtingere abſquè eo, quod ſit prędicatū in recto, prędicari verò in recto nō itē. Etenim, hęc vox, v. gratia, album, primò & per ſe, & in recto, ſignificat albedinem. Terminus enim connotatiuus, connotatiuè acceptus primò, & per ſe ſignificat formam, de qua re in ſummulis plura dicemus, non tamen verum eſt, quòd primarium vocis pręfatę ſignificatum prędicatur in recto de re, qui conuenit, ſeù quam informat; non enim valet dicere, paries eſt albedo, ſed tantùm valet dicere, paries eſt albus.

24 Obſeruandum ſecundò, quod prędicari contingit dupliciter, in recto ſcilicet, & in obliquo. Illud in obliquo de aliquo prędicari dicitur, quòd non in caſu recto de aliquo affirmatur, vel negatur; v. g. cum dico, paries habet albedinem; albedo quia informat parietem, de pariete prędicatur, non quidem in caſu recto, ſed in obliquo, vt patet. Prædicari in recto adhùc ſtat dupliciter. In recto, ideſt, in recta linea prędicamentali, in qua acceptione animal prędicatur de homine in recto, rationale verò nequaquā, ſed lateraliter. Quandoquidem vt in arbore porphyriana patet, genera, & ſpecies ponuntur in medio, ſeù in recta linea; differentię verò à latere collocantur. Vel in recto, ideſt, in caſu recto; & ſic nedum genera, & ſpecies, verumetiā diffe-

Digitized by Google

differentiæ, quę obliquè, ſeù à latere in arbore porphyriana ponuntur; in recto prędicantur. Quandoquidem non ſolùm valet dicere homo eſt animal in caſu recto, ſed etiam valet dicere, homo eſt rationalis. In præſenti quando D. Thomas ait, quòd hoc nomen, perſona, ſignificat in recto, aut in obliquo, eſſentiam, aut relationem, intelligitur de ſignificatione nominis ſecundùm quòd coincidit cum prædicatione in recto, vel in obliquo. Vnde cum dicit quòd perſona ſignificat relationem in recto, vel in obliquo &c. Sēſus eſt, quòd relatio prædicatur de perſona in caſu recto, vel in caſu obliquo.

25 *Et ſecundùm hoc etiam dici poteſt, quòd hæc ſignificatio huius nominis, perſona, non erat percepta ante hæreticorum calumniam*. Dubium occurrit; quia hæc vox, perſona, ante Hæreticorum calumniam, vel erat impoſita ad ſignificandum relationem modo iam explicato; vel non. Si primum, non apparet. A quo enim, & quando ſic ad ſignificandum fuit impoſita. Si ſecundum. Eſt contra doctrinam D. Thomæ ſupra quæſt. 13. art. 1. vbi docet, quòd in nomine nulla inuenitur ſignificatio; niſi ea dumtaxat, quæ à primo impoſitore eſt ei impoſita. Ergo non benè dicit, quòd *hæc ſignificatio huius nominis, perſona, non erat percepta ante Hæreticorum calumniam*; Quod enim non eſt ad ſignificandum impoſitum, neque ante Hæreticorum calumniam, neque poſt, poteſt percipi, vt ſignificatiuum.

26 Reſpondetur, hoc nomen perſona, in diuinis, tunc impoſitum fuiſſe ad ſignificandam relationem vt ſubſiſtentem, quando pluraliter prædicata eſt in diuinis, abſque aliquo ſuperaddito, & limitante. Et conſequenter, Patres Concilij Nicæni prędictam huic voci, perſona, impoſuerunt ſignificationem; quam tamen non omnes perceperunt, ſed temporis beneficio dilatata, ac explicata ab omnibus catholicis eſt percepta, quamuis diuerſimodè, & nondum plenè.

27 *Vnde non erat in vſu hoc nomen, perſona, niſi ſicut vnum aliorum abſolutorum*. *Non erat in vſu*, Si ſermo ſit antequàm hoc nomen, perſona, fuiſſet à Sancti Patribus, & ab Eccleſia ad diuinam prædicationē eleuatum. Et ſic dicendum eſt, quòd nullo modo erat in vſu, vt de diuinis pluraliter prædicetur. *Non erat in vſu*, Si ſermo ſit, poſt impoſitionem, & translationem vt ſtet pro hypoſtaſi, ſeù ſuppoſito diuino, ly, *non erat in vſu*, intelligitur ſic; non erat in omnium catholicorum ore verſatum.

28 *Sed poſtmodum accommodatum eſt hoc nomen, perſona, ad ſtandum pro relatiuo, ex congruentia ſuæ ſignificationis*. *Accommodatum eſt*, ideſt, dilatatum eſt. *Ex congruentia ſuæ ſignificationis*, ideſt, ex ſignificatione rationabiliter ab Eccleſia impoſita. Vel *ex congruentia ſuæ ſignificationis*; quia ſcilicet, ex prima impoſitione, vt ſcilicet ſignificet rem incommunicabiliter ſubſiſtentem in intellectuali natura, congruenter ſequitur, quòd ſignificet relationem in diuinis, ſeù quòd extendatur ad ſignificandam relationem diuinam vt ſubſiſtentem. Nec mirum, quia tunc aliquod nomen non poteſt congruēter ad ſtandum pro pluribus, quàm à primò inſtitutore ad ſignificādum fuerat inſtitutum ſubſtitui, quandò primus inſtitutor eſt perfectus impoſitor, quando autem primus nominis inſtitutor non eſt perfectus, contingere poteſt, ac pluries de facto contingit, vt ex congruentia ſuæ primæ impoſitionis accommodetur ad ſignificandum alia; Sic eſt in caſu noſtro. Hoc nomen, *perſona*, priùs ſignificabat perſonam creatam, per hoc, quod iure optimo impoſitum erat ad ſignificandum intellectualis naturæ indiuiduā ſubſtantiam. Et quia adueniente lumine fidei cognitum eſt, quòd vltra ſubſtantiam indiuiduam abſolutam, datur indiuidua ſubſtantia relatiua, ideo rectè dicit, *ex congruentia ſuæ ſignificationis*. Vide quæ ſupra tomo 2. quæſt. 13. art. 1. Super commentarium articuli, & in diſputationibus diximus.

DISPVTA-

pitur hic intẽtio pro intentione generis, aut ſpeciei, benè tamen accipitur intentio ſecunda, quatenùs hoc nomen, perſonalitas, contrahit ſpeciem; ſicut ſpecies ſuum genus, quod indicare videtur per illa verba, ſcilicet, *ſed vocantur hic intentiones largè, conditiones rei, ex oppoſito correſpondentes intentionibus vniuerſalibus propriè dictis, vt ſingularitas &c.* Si ſic Durandus dicere intendat, etiam ſemetipsũ deſtruit. Quandoquidem, aſſignans cauſam quare intentio hic non accipitur pro ratione, quam format intellectus circa rem, ſic ait; *quia indiuiduatio, vel ſingularitas non fiunt in rebus per intellectum, ſed ex natura rei.* Ergo intentio ſuppoſitationis, perſonalitatis &c. non eſſet intentio ſecunda. Vide Durandum in 3. diſt. 11. q. 1. ad 2. vbi manifeſtè tenet perſonam dicere de ſuo formali, & completo ſignificato realitatem.

5 Communiter tamen Philoſophi, ac Theologi de hac materia tractantes, tenent quòd perſona, & præſertim hoc nomen, perſona diuina, ſignificat rem ex ſuo formali, ac primario ſignificato, non verò ſecundam intentionem. Ita D. Thomas q. 9. de potent. art. 2. ad 2. vbi ſic ait; *Ad 2. dicendum, quòd non ſolùm intentio ſingularitatis eſt communis omnibus indiuiduis ſubſtantijs, ſed etiam natura generis, cum tali modo exiſtendi. Et hoc modo ſignificat hoc nomen, hypoſtaſis, naturam genericam ſubſtantiæ, vt indiuiduata; hoc autem nomen, perſona, ſolùm naturam rationalem ſub tali modo exiſtendi. Et propter hoc, nequè hypoſtaſis, nequè perſona eſt nomen intentionis, ſicut ſingulare, vel indiuiduum, ſed nomen rei tantũ, non autem rei, & intentionis ſimul.* Idem docet in hac q. 29. ar. 1. ad 3. & art. 2. in corp. & infra, q. 31. ar. 4. in corp. vbi ſic ait; *Quidam autem dixerunt, quòd eſt communitas intentionis, eo quòd in diffinitione perſonæ ponitur indiuiduum, ſicut ſi dicatur, quòd eſſe ſpeciem, eſt commune equo, & boui: & vtrumquè horum excluditur per hoc, quòd hoc nomen, perſona, non eſt nomen negationis, nequè intentionis, ſed eſt nomen rei.* Et ſequitur Scotus, in 1. diſt. 23. q. vnica, vbi quærit, *Vtrum perſona ſecundum quòd dicit aliquid commune Patri, Filio, & Spirituiſancto, dicat præcisè aliquid ſecundæ intentionis.* Et §. *Ad q. reſpondeo*, reſpondet negatiuè. Hoc idem tenent cum D. Thoma Thomiſtæ, & cum Scoto Scotiſtæ.

D. Thom.

Scotus.

CAPVT SECVNDVM.

Determinatio veritatis.

6 PRO determinatione veritatis dico primò; Si nomine perſonæ accipiatur ſubſtantia prima, pro vt ab Ariſtotele in logica cap. de prædicamento ſubſtantiæ definitur per hoc quòd *neque in ſubiecto eſt, neque de ſubiecto aliquo dicitur*, dicit ſecundam intentionem, ſeù modum communem omnibus ſubſtantijs primis, ſeù perſonis conuenientem.

7 Probatur; quia ſic, ſpectat ad logicam conſiderationem. Ergo ſic, dicit ſecundam intentionem eorum, ſcilicet, quæ incommunicabiliter per ſe exiſtunt. Etenim logica eſt de ſecundis intentionibus adiunctis primis. Videantur Caietanus, & Sotus cap. de prædic. ſubſt.

Caiet. Sotus.

8 Confirmatur; quia indiuiduum ſecũdùm quòd definitur per non prędicari de pluribus, & ſecundùm quòd intentio indiuiduationis, ſignificat ſecundam intentionem. Ergo perſona ſecundùm quòd denominatur prima ſubſtantia, & aliàs ſupradicta definitione ſcilicet per non prędicari de pluribus definitur, ſignificat ſecundamintentionem.

Dico ſecundò. Perſona quatenùs definitur à Boetio, quòd ſit *rationalis naturę indiuidua ſubſtantia*, & à Riccardo de S. Victore ſecundùm quòd de Deo dicitur, *eſt diuinæ naturæ incommunicabilis exiſtentia*, ſignificat de ſuo primario, ac formali ſignificato aliquod reale, non verò ſecundam intentionem.

Boetius. Richard. de S. Vict.

9 Probatur primò vniuerſaliter de perſona in communi; Quia perſona ſecundùm omnes definitionis particulas, eſt realis, & non ſecunda intentio. Ergo ex ſuo formali, & primario ſignificato non dicit ſecundam intentionem. Conſequentia patet; quia ſi definitio quantũ ad omnes ſui partes, explicat aliquod reale, impoſſibile eſt, quòd definitum ex ſuo formali, ac primario ſignificato dicat ens rationis. Probatur antecedens, & quantùm ad definitionem Boetij, & quantùm ad diffinitionem Riccardi. Et quidem in definitione perſonę à Boetio aſſignata, iſtæ particulę continentur, ſcilicet, *rationalis natura, ſubſtantia, & indiuidua.* Quæ omnes veram realitatem dicunt. Nam rationalis natura, non eſt ens rationis, ſed ens reale. Subſtantia, non eſt ens rationis, ſeù ſecunda intentio. Quandoquidem, Ariſtoteles diuidens

dens ens in decem prędicamenta, partitur illud, vt ait, in decem genera rerum, ideſt, in decem entia realia, quæ decem realia, decem generaliſſima ſunt.

10 Nec obeſt, quòd de prædicamento ſubſtantiæ tractatur à logico; quoniam logicus non conſiderat ſubſtantiam, vt ſubſtantia eſt, ſed ſecundùm quod denominabilis eſt per ſecundam intentionem generis, ſpeciei &c. Atquè etiam illa particula, *indiuidua*, non accipitur pro ſecunda intentione, ſed ſecundùm quod determinat, ſeù explicat ſubſtantiā omninò incommunicabilē, vt rectè aduertit D. Thomas in hac q. ar. 1. ad 3.

11 Hoc idem conſtat ex diſtinitione Riccardi. Nam particulæ ſunt iſtę, *naturæ*, *& incommunicabilis exiſtentia*: ſed omnes iſtæ dicunt aliquid reale. Ergo. Probatur minor; quia natura diuina ſignificat eſſentiam Deitatis, quę nedum eſt realiſſima, ſed etiam omnis realitatis radix. Nam hoc nomen, puta, *incommunicabilis*, eſt quid reale, pro vt pertinet ad diuinā exiſtentiam. Et tandem hoc nomen, *exiſtentia*, cum non dicat exiſtentiā duntaxat obiectiuam, ſed exiſtentiam incommunicabilem, quæ conuenit naturæ diuinæ ſecundùm quòd habet rationem perſonæ. Ergo omnes particulæ definitionis perſonæ diuinæ primò, & per ſe, non dicunt aliud, niſi realitatem.

12 Probatur ſecundò; quia hypoſtaſis, & ſubſiſtentia incommunicabilis, ſunt nomina ſignificantia, primò, & per ſe rem, non autem ſecundam intentionem. Ergo etiam hoc nomen, Perſona, ſignificat rem, non verò ſecundam intentionem. Antecedens patet; quia hypoſtaſis, ſignificat ſubſtantiam, vel quæ eſt eſſentia vt hæretici volebant apud D. Thomam ar. 1. ad 3. vel quæ eſt idem, ac incommunicabilis ſubſiſtentia, vt Græci, & Latini volunt: ſed vtroquè modo ſubſtantia eſt realis. Ergo. Item, ſubſiſtentia eſt modus naturæ, loquendo de ſubſiſtentia creata; loquendo verò de ſubſiſtentia incommuni, eſt terminus naturæ. Ergo dicit aliquid reale ex ſua primaria ſignificatione. Quandoquidem, modus naturæ conueniens ei pro vt eſt à parte rei, & terminus naturæ terminans naturam terminatione reali, eſt quoquè realis. Ergo ſubſiſtentia dicit primò, & per ſe aliquam realitatem dumtaxat. Probatur autem conſequentia; quia hoc nomen, Perſona, ſignificat totum illud, quod prędicta nomina dicunt; & in tantùm ijſdem præſtat, eſtquè diſtinctum nomen, in quantùm dicit hypoſtaſim, & ſubſiſtentiam, non cuiuſcumquè naturæ ſubſtantialis, ſed tantummodo intellectualis, ratione cuius non minuitur realitatis ſignificatio, ſed perficitur; quemadmodum perfectior realitas eſt intellectualitas quacumquè alia realitate ſubſtantiali, non intellectuali.

13 Probatur tertiò; Quia vt fides catholica docet, in Incarnationis myſterio facta eſt vnio in perſona diuina Verbi; ſed myſterium Incarnationis nō eſt factum in aliqua ſecunda intentione, ſeù in aliquo ente rationis, benetamen in aliqua vera realitate. Ergo nomen, Perſona, præſertim in diuinis non dicit ſecundam intentionem, ſed aliquam realitatem.

14 Probatur quartò; Quia in Deo dari perſonas, etiam quantùm ad hoc nomē perſonæ, eſt omninò certum, vt ſacra Concilia exclamant, Sancti Patres affirmant, & Theologi vnanimiter confitētur. Ergo in Deo datur ratio perſonæ quantùm ad formale, ac primarium ſignificatum eius, vt pertinens ad naturā diuinam; & ſi non in ratione naturæ, benè tamen in ratione vltimi termini. Ergo perſona diuina primò, & per ſe realitatem, non autem ſecundam intentionem dicit. Patet iſta conſequentia; quia quod ad rationem naturæ diuinæ aliquo modo ſpectat, vt illi identificatū, non eſt ſecunda intentio, ſed vera realitas. Ergo.

15 Probatur quintò; Quia quando in ſymbolo Athanaſij dicitur, *Alia eſt enim Perſona Patris, alia Filij, & alia Spiritus ſancti*. Item. *Nequè confundentes perſonas, nequè ſubſtantiam ſeparantes*; & in præfatione de Sanctiſſima Trinitate ab Eccleſia canitur; *& in perſonis proprietas, & in eſſentia vnitas*. Item cum dicitur tres eſſe in Deitate perſonas, & quòd *tres perſonæ ſunt vnius eſſentiæ*, non eſt ſenſus, quòd alia eſt ſecunda intentio Patris, alia ſecunda intentio Filij, & alia ſecunda intentio Spiritus ſancti; Et ſimiliter cum dicitur, nequè confundentes perſonas, non eſt ſenſus, nequè confundentes ſecundas intētiones, & ſic de ſingulis, ſed ſenſus catholicus eſt iſte; Alia eſt perſona Patris, ideſt, realitas perſonalis, & alia eſt proprietas realis Filij &c. & ſic de cæteris diſcurrendo. Ergo. Athanaſ.

16 Confirmatur. Quia nominibus vtendum eſt, vt plures vtuntur, & præſertim accipienda ſunt nomina iuxta ſenſum Sacrorum Cōciliorum, Sanctorum Patrum, & ſecundùm vſum Sanctæ Matris Eccleſiæ, ſed Sacra Concilia, Sancti Patres, ac Sancta Mater Eccleſia vtuntur hoc nomine, ſcilicet perſona diuina, ad ſignificandam aliquam realitatem cum diuina natura identificatam, non verò

aliquam

Digitized by Google

aliquam ſecundam intentionem, quæ non eſt realis, ſed ab intellectu noſtro formata, ac proinde non eſt in Deo idẽtificata; & in Deo non eſt, nec eſſe poteſt.

17 Dico tertio. Non obſtante primi dicti veritate, abſolutè dicendum eſt, quòd hoc nomen, perſona, ſignificat aliquam realitatem, non verò ſecundam intentionem.

18 Probatur. Quia primum dictum non loquitur de hoc nomine, perſona, abſolutè prolata, ſed ſecundùm quòd logicè conſideratur, vt ibi diximus. Ergo ſtante primi dicti veritate, abſolutè dicendũ eſt, quòd hoc nomen, perſona, ſignificat aliquam realitatem.

19 Dico quartò. Hoc nomen, Perſona diuina, quantùm ad modum ſignificandi ex parte noſtri modi concipiendi, includit neceſſariò ſecundam intentionem.

20 Probatur primò authoritate D. Thomæ infra q. 30. art. 4. vbi ex profeſſo probat, quod hoc nomen, perſona diuina, eſt nomen commune omnibus perſonis diuinis; & non ſolùm quò ad vocem, ſed etiam quò ad ſignificatum, & quòd prædicta communitas eſt communitas, non quidem rei, ſed rationis: ſed communitas rationis eſt ſecunda intentio. Ergo hoc nomen, perſona diuina, etiam includit ſecundam intentionem.

21 Hoc idem manifeſtè conſtat ex eodẽ ibidem in reſp. ad 2. vbi docet, quòd *licet perſona ſit incommunicabilis, tamen ipſe modus exiſtendi incommunicabiliter, poteſt eſſe pluribus communis*. Ergo hoc nomen, perſona, quamuis ex ſuo formali, ac primario ſignificato dicat aliquã realitatẽ, nihilominùs includit quoquè ſecundam intentionem, quæ conſiſtit in illa communitate rationis.

22 Probatur ſecundò ratione ex doctrina præcedenti deprompta. Illud nomen quod ſic eſt impoſitum ad aliquam realitatem ſignificandam, vt ex modo ſignificandi non ſignificet rem vt eſt in ſe omninò, ſed cum aliqua communitate, quæ nõ datur à parte rei, ſignificat quoquè ſecundam intentionem: huiuſmodi eſt hoc nomen, perſona. Ergo. Maior patet; & minor etiam eſt clara ex nu. præcedenti.

CAPVT TERTIVM.

Proponuntur argumenta in contrarium, & ſoluuntur.

23 SED contra iſtam determinationẽ obijciet aliquis primò, contra ſecundum dictum. In diuinis ſuppoſitum, & perſona idem omninò ſunt; imò etiam in creatis: ſed hoc nomen ſuppoſitum, vt docet D. Thomas, in hac q. ar. 2. in corp. ſignificat ſecundam intentionem. Ergo etiam hoc nomen, perſona, in diuinis, & in creatis ſignificat ſecundam intentionem.

24 Reſpondent nonnulli ad hoc argumentum, quòd D. Thomas non dixit hoc nomen, ſuppoſitum, ſignificare ſecundam intentionem, ſed tantùm dixit, ſignificare intentionem, quod intelligẽdum eſſe dicunt de prima, non autem de ſecunda intentione.

25 Sed contra; quia omnia nomina ſignificantia rem, ſignificant primam intentionem. Ergo affirmans, quòd hoc nomen ſuppoſitum, ſignificat intentionem; & negans, quòd iſta nomina, puta, *res natura, hypoſtaſis, ſubſiſtentia, & perſona* ſignificant intentionem; putandum nõ eſt, quòd loquatur de prima, & non de ſecunda intentione.

26 Reſpondetur igitur ad argumentum, diſtinguendo, ſeù explicando maiorem. In diuinis ſuppoſitum, & perſona idem omninò ſunt, ſi ſuppoſitum accipiatur materialiter, pro re, ſcilicet, quæ eſt incommunicabiliter in natura intellectuali ſubſiſtente, concedo maiorẽ. Si ſuppoſitum accipiatur formaliter, pro ea, ſcilicet, intentione, quæ intentioni ſecundæ ſubſtantię ſupponitur, nego maiorem. Similiter diſtinguenda eſt minor, & neganda eſt conſequentia.

27 Obijcies ſecundò ex Durando vbi ſupra nu. 9. *Quia res ſubiecta intentioni, quæ eſt indiuiduum vagum, importatur per terminum ſignificantem naturã generis, vel ſpeciei, addito ſigno particulari, vt aliquod animal, vel aliquis homo. Res ergo ſubiecta intentioni indiuidui vagi in natura intellectuali, benè poteſt deſignari per hæc nomina, quæ ſunt, ſcilicet, quadã natura intellectualis, quidam Angelus, quidam homo, Quid autem ſignificetur per hoc nomen, perſona, valdè extraneum eſt.*

29 Reſpondetur, diſtinguendo antecedens. Res ſubiecta intentioni, quę eſt indiuiduum vagum ſe tenens ex parte naturę, importatur per terminum &c. concedo antecedens. Quę eſt indiuiduum

Digitized by Google

vagum ſignificans rem ſubſiſtentem in natura intellectuali, importatur &c. nego antecedens. Ergo &c. nego conſequentiam. Reſponſio eſt D. Thomæ, quam debuit aduertiſſe Durandus. Etenim q. ſeq. ar. 4. in corp. explicans quomodo hoc nomen, perſona, dicitur indiuiduum vagum, ſic ait; *Hoc tamen intereſt, quòd aliquis homo ſignificat naturam, vel indiuiduum ex parte naturæ cum modo exiſtendi, qui competit ſingularibus: Hoc autem nomen, perſona, non eſt impoſitum ad ſignificandum* (nota) *indiuiduum ex parte naturæ, ſed ad ſignificandum rem ſubſiſtentem in tali natura. Hoc autem eſt commune ſecundùm rationem omnibus perſonis diuinis, vt vnaquæque earum ſubſiſtat in natura diuina diſtincta ab alijs. Et ſic, hoc nomen, perſona, ſecundùm rationem eſt commune tribus perſonis.*

29 Obijcies tertio, ex eodem ibidem n. 10. *De ratione rei ſubiectæ intentioni indiuidui vagi non poteſt eſſe, quòd ſit incommunicabilis: ſed de ratione perſonæ eſt, quòd ſit incommunicabilis vt patet per eius definitionem, ſiuè deſcriptionem, quæ ſecundùm Boetium, & Richardum, eſt quòd perſona eſt rationalis naturæ indiuidua, ſiuè incommunicabilis ſubſtantia. Ergo perſona non dicit rem ſubiectam intentioni indiuidui vagi. Minor iam patet; ſed maior probatur, quia res ſubiecta intentioni indiuidui vagi, ſemper eſt communicabilis pluribus, & tot, ſicut natura ſubiecta intentioni ſpeciei. De tot enim prædicatur aliquis homo, ſicut homo. Et ideo de ratione talis rei non poteſt eſſe incommunicabilis, cum repugnet naturæ rei. Ex hoc enim dicitur vagum; quia poteſt pluribus conuenire, & non vni tantùm.*

30 *Et ideo ſi hoc nomen, perſona, diceret rem ſubiectam intentioni indiuidui vagi, impoſſibile eſſet, quòd de ratione eius eſſet incommunicabilitas.* Hæc ille à n. 10. vſquè ad initiũ 11.

31 Friuola eſt hęc argumentatio Durandi. Quandoquidem hoc nomen *perſona*, quantum ad rem quam ſignificat, non dicit niſi rem incommunicabilem; ſecũdùm quòd verò hoc nomen, *perſona*, dicit modum ſubſtantificum & omninò incommunicabilem, dicit aliquod commune omnibus incommunicabilibus ſubſtantijs per ſe exiſtentibus. Et ſic res, ſeù modus per ſe exiſtendi ſubiectus ſecundæ intentioni communicabilitatem dicit. Et ſenſus eſt, quòd hoc, quod eſt eſſe ſubſtantiam incommunicabilem, iam ſignificat aliquod incommunicabile, tamen hoc, quod eſt eſſe incommunicabile omnibus ſupradicto modo incommunicabilibus eſt communicabile.

32 Reſpondetur igitur ad argumentum in forma, diſtinguendo maiorem. De ratione rei ſubiectæ intentioni indiuidui vagi non poteſt eſſe, quòd ſit incommunicabilis, ratione modi ſignificandi, concedo maiorem. Ratione rei ſignificatę, nego maiorem. Similiter diſtinguenda eſt minor. Sed de ratione perſonæ eſt, quòd ſit incommunicabilis, ratione rei ſignificatæ, concedo maiorem. Ratione modi ſignificandi nego minorem. Ergo &c. nego conſequentiam.

33 Sub alijs verbis ſic poteſt formari diſtinctio. De ratione rei ſubiectæ intentioni indiuidui vagi, nõ poteſt eſſe quòd ſit incommunicabilis, vt quo, concedo. Vt quod; nego maiorem. Et ſimiliter cùm in minori propoſitione dicitur, ſed de ratione perſonæ eſt, quòd ſit incommunicabilis, vt quod, concedo. Quod ſit incommunicabilis vt quo, nego minorem. Et ſenſus eſt iſte. Id quod eſt perſona, eſt omninò incommunicabile; modus verò incommunicabiliter exiſtẽdi per intellectum abſtractus, eſt communis communitate rationis omnibus perſonis.

34 Obijcies quartò. Ex Henrico apud Capreolum loco infra citandum. Quia illud quod opponitur ſecundæ intentioni relatiuè, importat ſecundam intentionem. Oppoſita enim debent eſſe eiuſdem generis, & conditionis: ſed perſona opponitur vniuerſali, ſicut indiuiduũ, & ſingulare: Vnde nullum vniuerſale eſt perſona: vniuerſale autem eſt res ſecundæ intentionis. Ergo perſona ſignificat intentionem.

35 Argumentum hoc confirmat noſtrã primam concluſionem vbi diximus, quòd perſona ſecũdùm quòd ſignificat ſubſtantiam primam, logicè conſideratam dicit ſecundam intentionem. Sic enim eſt relatiuè oppoſita ſubſtantiæ ſecundę, non autem militat contra ſecundam concluſionem: verùm quatenùs contra eam ab arguente dirigitur.

36 Reſpondetur, concedendo maiorem, & diſtinguendo minorem. Sed perſona opponitur vniuerſali &c. Perſona logicè conſiderata, concedo minorem. Phyloſophicè, & theologicè conſiderata, nego minorem. Ergo &c. nego cõſequentiam. Reliqua Henrici argumẽta vide apud Capreolum in 1 diſt. 23. q. vnica ad argumenta contra tertiam cõcluſionem; quoniam ex ijs, quæ diximus, remanent ſoluta, vel ſunt facilis ſolutionis.

DISPV-

Digitized by Google

DISPVTATIO CLXIV.

VTRVM PERSONA, ET PRÆSERTIM PERSONA DIVINA, ex ſuo formali, ac primario ſignificato, conſiſtat in ſola negatione, an potiùs, in aliquo poſitiuo.

In quatuor capita diſtributa.

CAPVT PRIMVM.

Explicatur titulus.

1 PERSONAM dicere realitatem, non verò ſecundam intẽtionem probauimus diſp. præced. contra Henricum, & Durandum. Remanet igitur diſquirendum, quid addat perſona ſupra naturam, ſeù in quo conſiſtat perſonæ realitas.

2 Pro cuius intelligentia ſupponendum eſt primò; quòd neceſſariò dicendum eſt, perſonam, & naturam aliqua vera realitate diſtingui; Etenim de fide certũ eſt, Verbum diuinum aſſumpſiſſe naturã humanam, non verò humanam perſonam; ac proinde naturam humanam aſſumptam à verbo non ſubſiſtere per ſe, ſeù propria ſubſiſtentia, in qua ratio perſonæ conſiſtit, ſed ſubſiſtere in Verbo aſſumente naturam.

3 Supponendum eſt ſecundò, vt in præced. diſp. diximus, quod iſta, nimirum, res naturæ, ſubſiſtentia, hypoſtaſis, ac perſona, ſignificant vnum, & idem, & in hoc perſona a ſupradictis differt; quia hoc nomen, perſona, ſignificat rem naturæ, ſubſiſtentiam, & hypoſtaſim in intellectuali natura. Et hoc loquendo de ſubſiſtentia completa, & in creatis. Quoniam ſi loquamur de ſubſiſtentia in diuinis; ſubſiſtentia, & perſona, non omninò, ſicut hypoſtaſis, & perſona idem ſignificant. Eo quia in diuinis ſubſiſtentia, & ſubſiſtens, aliquando dicunt aliquod abſolutum, ac toti Trinitati commune communitate rei; quandoquidẽ ſecundùm nos datur in Deo vna ſubſiſtentia abſoluta, ac proinde vnum ſubſiſtens abſolutum; & aliquando dicunt aliquid relatiuum; & ſic in Deo præter vnam ſubſiſtentiam abſolutam, dantur tres ſubſiſtentiæ relatiuæ; Vnde loquendo de ſubſiſtentia in diuinis, vt cum perſona diuina conuertatur, dicendum eſt, quòd ſubſiſtentia relatiua, & perſona in Deo idem omninò ſunt. Et hoc apud admittentes tres ſubſiſtentias relatiuas; quoniam apud negantes, & ſubſiſtentiã abſolutam duntaxat concedentes nullatenùs admittenda eſt iſta locutio, videlicet perſona, & ſubſiſtentia in Deo formaliter conuertuntur.

4 Supponendum eſt tertiò; quòd de ratione perſonæ eſt, vt ſit quid completũ, & omninò alteri perſonæ incommunicabile.

5 Ex quo præſuppoſito colligitur primò; Quod nullum vniuerſale eſt perſona. Patet hoc; quia vniuerſale eſt commune multis; ſed rationi perſonæ repugnat, vt ſit communicabilis multis. Ergo.

6 Colligitur ſecundò; quòd natura diuina, vt præciſè natura diuina eſt, non eſt formaliter perſona. Patet hoc; quia licet natura diuina, vt præciſè natura diuina eſt, ſit re vera per ſe ſubſiſtens, tamen pluribus, nempè tribus perſonis communis eſt.

7 Colligitur tertiò; quòd humana natura, quatenùs ex hac anima, & ex hoc corpore coaleſcit præciſè, non eſt perſona; patet hoc; quia humana natura Chriſti Domini, re vera fuit ex hac anima, & ex hoc corpore conſtituta; & tamen non fuit perſona; cum fuerit à perſona diuina ad ſubſiſtendum perſonata. Ex eo igitur, quòd natura ex hoc corpore, & ex hac anima coaleſcens, eſt communicabilis alicui perſonæ; euidenter colligitur, quod non eſt perſona.

8 Colligitur quartò; quòd anima intel-

lectiua, & quælibet corporis humani pars, ſecundùm quòd ſeparatim exiſtūt, non dicuntur perſonæ propriè loquendo; patet hoc, quia deficit eis particula prima, puta, quòd ſit ſubſtantia completa. Vnde anima intellectiua à corpore ſeparata eſt re vera per ſe ſubſiſtens, vt quod, non verò perſona, cum non ſit ſubſiſtens, vt quid completum.

9 Colligitur tandem; quòd perſona, quamuis ſit pluribus naturis communicabilis, non propterea perdit rationem perſonæ. Patet hoc; quia de ratione perſonæ non eſt, vt ſit incommunicabilis pluribus naturis; quandoquidem vna perſona diuina poteſt aſſumere plures naturas creatas, ſed quòd ſit incommunicabilis pluribus perſonis. Hæc igitur preſuppoſita ſint tanquàm omnino neceſſaria ad ea, quæ dicta ſunt, quæ hic, & ad quæ infra dicenda ſunt.

CAPVT SECVNDVM.

Doctorum opiniones referuntur, & explicantur.

Scotus. 10 SCOTVS in 1. diſt. 23. q. vnica, primò variè loquitur. Nam ibidem §. *Reſpondeo*, ſic ait. *Reſpondeo, quòd perſona non tantùm dicit incommunicabilitatem, ſed dat intelligere naturam intellectualem in qua eſt, ſicut indiuiduū, naturam in communi*. Vbi videtur aſſerere, quòd perſona de formali dicit incommunicabilitatem, ſed connotat naturam intellectiuam.

11 Deinde ibidem immediatè poſt, ſic ait; *Dubito tamen, ſi dicat exiſtentiam formaliter cum duplici incommunicabilitate, aut dicat tantùm formaliter incommunicabilitatē; & exiſtentiam in concreto tanquàm modum habendi naturam, vt ſit ſenſus. Perſona eſt incommunicabilis habens exiſtentiam in natura intellectuali*. Vbi iam dubitat, Vtrum perſona dicat formaliter nedum incommunicabilitatem, verumetiam exiſtentiam in concreto.

12 Et ibidem poſt multa, ſic ait. *Sic igitur teneo, quòd perſona non ſit nomen ſecundæ intentionis, ſed primæ; & quòd formaliter ſignificet duplicem negationē communicabilitatis, & quòd importet, naturam intellectualem*. Hæc ille. Vbi Scotus abſolutè tenet iuxta ea, quę in principio dixerat, videlicet, quòd perſona formaliter dicit incommunicabilitatem, & connotat naturam intellectualem.

13 Et ibidem immediatè poſt, ſic ſubiungit; *Et fortè formaliter, etiam importat exiſtentiam perſonæ, & tunc, non tantùm negationem communicabilitatis importat, ſed etiam poſitiuum aliquod*. Hęc ille. Vbi iam de verbis priùs, & immediatè antedictis formidat.

14 Et ibidem immediatè poſt, ſic ait. *Vel fortè non dicit formaliter exiſtentiam, & tunc de formali ſignificato eſt tantùm duplex negatio, dans intelligere duplex poſitiuum, ſcilicet, naturam, & modum habendi naturam*. Hęc ille. Vbi iterum dubitat contra precedens aſſertum, & primum dubitādo tenet.

15 Et quamuis Scotus loquatur, vt eam infringat opinionem, quę dicit perſonā, ſecundam intentionem importare, eamquè falſam oſtendere conatur, iuxta vtramquè viam, penes eam, ſcilicet, quę tenet perſonam formaliter importare dumtaxat, duplicem negationem communicabilitatis, & tantummodo intellectualem naturam connotare, & penes eam, quę docet etiam importare de ſuo formali aliquod poſitiuum; nihiloſeciùs illę particulę, ſcilicet, *fortè, dubito, teneo*, de hac re in Authoris intellectu nō modicam indicant varietatem, non poſt multos tractatus, ſed in eadem breui locutione formata. Imò, in 3. diſt. 1. q. 1. vbi quęrit; *Vtrum poſſibile fuerit naturam humanam vniri verbo vnitate ſuppoſiti* §. *Ideo propter*, ſic ait. *Quid autem ſit illud proprium, quo natura eſt perſonata, duæ videntur viæ probabiles; vna, quòd perſona, ſit perſona per aliquid poſitiuum in natura vltra illud, quo natura eſt indiuidua: ſecunda via, negat omnem realitatem poſitiuam conſtituere perſonam; & ponit illam realitatem, qua natura eſt hæc, eſſe vltimam entitatem poſitiuam, & vltra hanc, non eſſe niſi negationem aliquam, qua dicatur ſubſiſtens in natura intellectuali, & perſona*. Hęc ille. Vbi Scotus apertè dicit vtramquè opinionem eſſe probabilem; propter quòd poſſet aliquis ſuſpicari problematicum in hac re fuiſſe Scotum.

16 Magiſter Gregorius Cyppullus vir planè inſignis ſuper 3. p. D. Thomę q. 2. art. 2. dub. 2. nu. 4. putat Scotum non docuiſſe aſſerendo, perſonam addere ſupra naturam aliquod merè negatiuū, ſed ſolùm diſputando; & addere aliquod poſitiuum, vt quid probabilius docuiſſe; idquè ait ſenſiſſe Lychetum, Scotiſtam fideliſſimum in 3. q. 1. Cyppul. Lychet.

17 Verumtamen, non ita res ſe habet; Etenim quamuis Scotus in 1. & in 3. per verba iam relata vtramquè viam dicat eſſe probabilem; nihilominus magis adhęſiſſe opinioni dicenti, perſonā creatam duplicē dumtaxat ſignificare communicabilitatis negationem apertiùs Scotus.

conſtat.

conſtat; tum quia, ſæpiùs, ac frequentiùs ad eam recurrit, quàm ad alteram. Tum etiam quia in 3. diſt. 1. q. 1. poſtquàm dixit duplicem eſſe viam, & vtrãquè probabilem nominauit, ibidem contra vtramquè viam argumenta proponit; & ea, per quæ probatur, quod perſona non debet addere aliquod poſitiuũ ſupra naturam, inſoluta tamquam efficaciora relinquit: ea verò, quæ contra alteram direxerat, toto conatu reſoluere nititur. Ergo iam magis illi, quam alteri adhæſiſſe videtur.

18 Motiuum autem Cyppulli eſt iſtud; *quia*, inquit, *poteſt ſuaderi, ex eo quod Scotus eadem diſt. 1. q. 4. ſuſtinet vt probabile, ſuppoſitum creatum poſſe aſſumere, & terminare dependentiam alienæ naturæ: at ſi illud conſtitueretur ſola negatione, nullo modo videtur id poſſe ſuſtineri*. Hæc ille.

Locus ille Scoti eſt adeo difficilis, ne contradictionis Scotus arguatur, vt Scotiſtę non parùm ad inuicem digladientur. Quandoquidem, Fauentinus in 3. diſp. 2. cap. 3. nu. 4. concedit vtiquè in via Scoti, quod ſuppoſitum creatum poteſt aſſumere, & terminare dependentiam alienæ naturæ; & cum arguitur, quòd negatio, vt negatio, non poteſt eſſe ratio terminandi vnionem hypoſtaticam; Vnio enim realis, & vera non poteſt fieri niſi per aliquod poſitiuum; Reſpondet, quòd in vnione hypoſtatica duplex terminus inuenitur, totalis, ſcilicet, & formalis. Primus eſt poſitiuus, ſcilicet natura ſingularis à ſuppoſito connotata; alter verò eſt negatiuus, eſtquè perſonalitas, ſeù ſuppoſitalitas. Fauent.

19 Vulpes verò, tom. 3. primæ p. diſput. 63. art. 2. nu. 20. impugnat Fauentinũ, & benè; ipſe autem conuictus vi argumenti tenet, illud Scotum non ex ſua intentione dixiſſe. Vulpes. Fauent.

20 Itaquè ſupradictum Cyppulli motiuum, ſuppoſito, quòd in via, & ad mentem Scoti ſuppoſitum creatum poſſet terminare dependentiam alienæ naturę; optimum eſt ad conuincẽdum Scotum, vt ex eius doctrina teneatur dicere, ſuppoſitum etiam creatum aliquod poſitiuum addere ſupra naturam; ex iis autẽ, quæ manifeſtè dicit, & modo, quo vtitur his duabus opinionibus, expreſsè oppoſitum ſuſtinuiſſe declaratur.

21 Vel dicatur, quòd ex eo quia Scotus loco iam citato probabiliter ſuſtinuit, ſuppoſitum creatum poſſe terminare dependentiam alienæ naturæ, probabiliter etiam ſuſtinuit ſuppoſitum creatum aliquam realitatem poſitiuam addere ſupra naturam, non quòd probabiliùs. Qua igitur probabiliter loco citato Scotus locutus eſt; non proinde ſequitur probabiliùs ſuſtinuiſſe, id, quod ex probabiliter opinato neceſſariò conſequitur.

22 Ex quo etiam patet Lycherum magis piè, quàm fideliter explicauiſſe Scotum.

23 Molina quoquè a Doctoribus pro hac eadem Scoti ſententia refertur hic art. 1. diſp. 2. per hoc fortaſſe, quod ait, *eſt ergo tertia opinio Scoti 1. diſt. 23. & 25. quam amplectendam cenſeo*. Verum Molina in eadem diſp. vacillat. Etenim ibidem §. *ſententia hæc*, ſic ait; *Non enim arbitror perſonam de formali ſignificare aliquid reale, ſed tantum modo quippiam rationis, ſupponereque pro rebus, quæ dicuntur perſonæ*. Et ibidem; *Hinc*, inquit, *patet, quemadmodum vocabulis, ſuppoſitum, & perſona, non ſignificatur aliquid merè reale*. Vbi ſibimet aduerſatur; quoniam iſta duo ſibi inuicem aduerſantur, videlicet, *non arbitror perſonam de formali ſignificare aliquid reale; & eſt tertia opinio Scoti, quam amplectendam cenſeo*. Etenim opinio Scoti eſt, quòd hoc nomen, perſona, de ſuo formali dicit aliquid reale, & ſi non poſitiuum, negatiuum. Nec poteſt dici, Molinam in vno loco locutum eſſe ex aliorum ſententia, & in alio ex propria; quoniam vtrobiquè ex propria ſententia loqui demonſtrat. Vt patet per hæc verba; *Non enim arbitror; & quam amplectendam cenſeo*. Molina.

24 Nequè hic finit vacillationis ſtatus. Etenim ibidem §. *eſt ergo tertia opinio*, poſtquàm approbauit, vt amplectendã Scoti ſententiam, ſic ait; *aut ſi mauis (atquè hoc cenſeo probabilius) dic, ſicut vnum de formali dicit indiuiſionem in ente, eaquè de cauſa includit ens, & addit indiuiſionem, & ob id vnum numero eſt ens indiuiſum in ſe, & diuiſum à quocumque alio, ita ſuppoſitum dicere indiuiduam ſubſtantiam, & propterea includere ſubſtantiam in ſuo ſignificato formali, per quam contrahitur ad eſſe ſuppoſitum; perſonam verò addere ſupra ſuppoſitum, quòd ſit naturæ rationalis*. Vbi Molina apertè à ſententia, quæ docet perſonam pro formali dicere aliquid rationis; & à ſententia Scoti aſſerente perſonam creatam de ſuo formali dicere ſolam negationem; & nullum poſitiuum; manifeſtè recedit. Nam Scotus, quamuis teneat perſonam diuinam de ſuo formali, ac primario ſignificato, dicere aliquod negatiuum, puta, triplicem communicationis negationem, paulò inferiùs explicandam, non tamen dixit, negationem eſſe contrahẽtem, ſed conſequentem poſitiuum. Itaquè in hac Molinæ vacillatione, hæc vltima eſt eius ſententia, quæ non eſt Scoti opinio, quam Molina amplectendam cenſuit. Si fortè Molina per ea, quæ poſt

relationem

Digitized by Google

relationem Scoticæ opinionis, quamquè amplectendam cenſuit, ſubiungit, intendat præcitatam Scoti opinionem declarare, & ſic declaratam defendere; re vera Scotum non defendit, ſed impugnat. Quandoquidem in via Scoti, & Scotiſtarum perſona creata non dicit intrinſecè aliquid poſitiuum, ſed merè negatiuum, vt patet ex locis Scoti iam adductis; & patebit infra à num. 46. locis ex Vulpes adducendis. Quidquid vero intendat eius opinio, ac declarandi modus, impugnabitur rationibus ponendis pro concluſione abſolute; atque etiam ſpecialiter à numero 33.

25 Communiſſima ſententia docet, perſonam ſuper naturam, addere aliquod poſitiuum. Ita D. Thomas, quæſt. ſequenti art. 3. In corpore, Alexander 1. p. quæſt. 56. memb. 2. D. Bonauentura, 1. diſt. 25. ar. 1. quæſt. 1. Gabriel ibidem quæſt. 1. ar. 2. Capreolus quæſt. 1. ar. 1. Canarienſis, Caietanus, Torres, Herrera, & Gonzalez, hic. Bañes, ſupra quæſt. 3. art. 3. concl. 2. Medina 3. p. q. 4. ar. 2. concl. 3. Suarez, in metaph. tom. 2. diſp. 34. ſect. 2. Fonſeca in metaphyſica lib. 5. cap. 8. quæſt. 6. ſect. 2. Vaſquez, 3. p. diſp. 127. cap. 2. num. 5. Aluarez, 3. p. q. 4. ar. 3. diſp. 23. Ayoſſa, diſp. 14. ſect. 2. concl. 2. Salmanticenſes, tract. 6. diſp. 9. dub. 3. Mazziotta, quæſt. 10. nu. 128.

D. Thom. Alexand. D. Bonau. Gabriel Capreol. Canarien. Caiet. Torres. Herrera. Gonzal. Bañes. Medina. Suarez. Fonſeca. Vaſquez. Aluarez. Ayoſſa. Salmanticenſes. Mazziott.

CAPVT TERTIVM.

Determinatio veritatis.

26 PRO determinatione veritatis, Dico breuiter. Perſona, quatenus diſtinguitur à natura, ſuperaddit ei aliquod verè poſitiuum, ad quod conſequitur communicabilitatis negatio.

27 Itaquè dicimus, & fatemur, quòd perſona vtiquè includit illam communicabilitatis negationem, quam Scotus aſſerit conuenire perſonæ, ſed defendimus ante prædictam negationem conſiderari perſonam, vt aliquid poſitiuū naturæ ſuperadditum, quod Scotus negat.

28 Sed pro maiori intelligentia Scoticæ opinionis, eſt obſeruandum cum Scoto in 3. diſt. 1. queſt. 1. §. *non aſſerendo*, quòd dependentia poteſt eſſe triplex; Actualis ſcilicet, potentialis, & aptitudinalis, his enim verbis loquitur. *Sed diſtinguendum eſt inter dependentiam actualem, potentialem, & aptitudinalem; & hoc vocando aptitudinalem, quæ ſemper quantùm eſt de ſe eſſet in actu, quo modo graue aptum natum eſt eſſe in centro [illegible] vbi ſemper eſſet, quantùm eſt de ſe, niſi eſſet impeditum. Et potentialem voco, abſolutè illam, vbi nulla eſt impoſſibilitas ex repugnantia, vel incompoſſibilitate terminorum; & iſta poſſibilitas poteſt eſſe quandoquè reſpectu potentiæ paſſiuæ ſupernaturalis, non tamen naturalis.*

29 Et immediatè ſubiungit ſic. *Licet igitur ſola negatio dependentiæ actualis non ſufficiat ad rationem perſonæ; Neque in dependentia tertia poſſet poni in natura creata ad verbū. Nulla enim eſt natura, vel entitas creata, cui repugnet contradictoriè dependere ad verbum, tamen negatio dependentiæ aptitudinalis poteſt concedi in natura creata perſonata in ſe ad verbum. Alioquin violenter quieſceret in perſona creata; Sicut lapis violenter quieſcit ſurſū; & ita iſta negatio dependentiæ non quidem actualis tantùm, ſed etiam actualis, & aptitudinalis, talis complet rationem perſonæ in natura intellectuali, & ſuppoſiti in alia natura creata; nec tamen hæc independentia aptitudinalis ponit repugnantiam ad dependentiam actualē; quia licet non ſit aptitudo talis naturæ ad dependendum, eſt tamen aptitudo obedientiæ; quia natura illa eſt in perfecta obedientia ad dependendum per actionem agentis ſupernaturalis; & quando datur ſibi talis dependentia, perſonatur perſonalitate illa ad quam dependet; quando autem non datur, perſonatur in ſe iſta negatione formaliter; non aliquo poſitiuo addito vltra illam entitatem poſitiuam, quæ eſt hæc natura.*

30 Et ibidem §. *Reſpondeo*, ſic ait; *ſed negatio communicabilitatis quæ includit repugnantiam ad communicari, non eſt vniuoca, quia nō conuenit creatis, & hoc modo, concedo non eſſe perſonam in creatis. Vnde ſi incommunicabile prout pertinet ad rationem perſonæ perfectæ, dicit non tantùm negationem communicationis vtroquè modo, ſed etiam repugnantiam ad communicari, nulla erit perfectè perſona, niſi diuina.* Hæc ille.

31 Ex quibus Scoti verbis duo habentur; vnum eſt, quòd ad rationem perſonæ creatæ ſufficit, & requiritur, vt dicat negationem communicationis actualem, atque etiam aptitudinalem; negationē verò abſolutam communicabilitatis nō conuenire perſonæ creatæ; ac proinde non repugnare perſonæ creatæ, vt per potentiam Dei abſolutam alteri perſonæ communicetur; & quòd de perfectiſſima ratione perſonæ eſt, vt dicat negationem communicabilitatis etiam abſolutè, & ſic ſoli perſonæ diuinæ conuenit triplex dependentiæ negatio ab alio ſuppoſito. Alterum eſt; quòd non ſolùm de ratione perſonæ creatæ, verumetiam de ratione perſonæ increatæ eſt dicere negationem, ita videlicet, vt increata triplicem; creata verò duplicem tantum:

rum: His ergo in via Scoti præmiſſis.

32 Probatur primò noſtrum dictum ex ipſo perſonæ vocabulo. Quotieſcumquè enim Phyloſophi, ac Theologi volunt aliquam negationem, ſeù aliquod attributum negatiuum explicare, in ipſa nominis impoſitione negationem ponunt, vt patet in iſtis, ſcilicet, infinitum, immateriale, incorruptibile, immobile, innaſcibile, incommunicabile, & alijs ſimilibus: ſed hoc nomen, Perſona, poſitiuè, ſeù affirmatiuè, abſquè vllo prorſus negationis inditio profertur. Eſt enim terminus poſitiuus, vt paruuli ſummuliſtæ cognoſcere poſſunt. Ergo ex ſuo formali, ac primario ſignificato ſignificat aliquod poſitiuum.

33 Probatur ſecundò ratione; quia quælibet negatio fundatur ſuper affirmationem. Cum negatio ſecundùm ſe ſit poſterior affirmatione. Ergo communicationis negatio, quam includit ratio perſonæ præſupponit rationem poſitiuam primò, & per ſe per poſitiuum nomen perſonæ ſignificatum.

34 Confirmatur; quia cum dico, lapis eſt non ſortes, ly, non ſortes, fundatur ſuper poſitiuam realitatem lapidis, cui repugnat eſſe ſortem. Ergo ſimiliter negatio communicationis fundatur ſuper aliquã realitatem poſitiuam ſuperadditam naturæ, cum per Scotum non ſit intrinſecè in natura fundata.

35 Quòd ſi pro Scoto dicatur, negando antecedens vniuerſaliter; & tanquàm non neceſſariò verum; quandoquidem, cum dico, nihil eſt non homo; non ens eſt non homo; non rationale eſt non homo &c. ly, non homo, non fundatur ſuper aliquod eſſe poſitiuum; & per cõſequens falſum eſt antecedens pro noſtra ratione aſſumptum.

36 Nulla eſt iſta reſponſio; quia ſermo eſt de negatione quæ dicitur de aliquo reali, quod conuenit naturæ poſitiuæ reali. Vnde ſic iterum inſtauratur argumentum. Negatio, quæ conuenit alicui naturæ, aut entitati poſitiuæ, debet proximè fundari in illa natura, vel entitate poſitiua ſuperaddita naturæ, ratione cuius prædicetur de ea ipſa negatio: ſed negatio communicabilitatis eſt huiuſmodi. Ergo.

37 Probatur tertiò ſpecialiter, quòd perſona creata includat intrinſecè aliquòd poſitiuum, ſupra quod fundetur communicabilitatis negatio, & quòd hoc ſit à natura diſtinctum. Perſona diuina, & increata dicit triplicem communicationis negationem fundatam in aliquo poſitiuo reali, quod eſt naturæ diuinæ ſuperadditum, vt magis patebit infra in via Scoti. Ergo etiam perſona creata dicit negationem cõmunicationis ſuper aliquod poſitiuum ſuperadditum naturæ, ex quo negatio communicationis oritur. Non intendo probare modo, quòd perſona creata ex formali, ac primario ſignificato dicat aliquod poſitiuum, ſed tantùm quòd vltra naturam dicat aliquod poſitiuum; quod autem ex ſuo formali, ac primario ſignificato dicat illud deducetur infra. Probatur igitur cõſequentia; quia ideo per Scotum negatio communicationis in perſona diuina ſupponit aliquod poſitiuum naturæ diuinæ ſuperadditum; quia repugnantia ad communicandum ſe alijs intelligi abſquè poſitiua ratione, quæ ſit illius radix, non poteſt: ſed nequè etiam intelligi poteſt duplex communicationis negatio, quam tantummodo Scotus creatæ perſonæ concedit ſine aliqua realitate poſitiua, in qua fundetur, & ex qua oriatur. Ergo. Maior patet in via Scoti. Probatur minor; quia illa duplex communicationis negatio non eſt à natura, vt natura eſt, non à ſe ipſa. Ergo ex aliquo poſitiuo debet exoriri. Ergo &c.

38 Confirmatur; quia non ſolùm repugnantia communicationis in diuinis perſonis fundatur ſuper aliquod poſitiuum, verumetiam omnes communicationis negationes in illo poſitiuo fundantur, & ex illo exoriuntur. Ergo etiam illa duplex communicationis negatio, quam perſonis creatis Scotus admittit, debet fundari in aliquo poſitiuo naturæ ſuperaddito, & ex eodem oriri. Antecedẽs eſt Scoti. Probatur autem conſequentia; quia perſona creata eſt participatio perſonæ increatæ. Ergo ſi communicationis negatio in diuinis perſonis oritur ex aliquo poſitiuo ſuperaddito naturæ, etiam in perſonis creatis ab aliquo poſitiuo debet pullulare.

39 Nec valet cum Vulpes tom. 3. p. p. diſp. 63. ar. 3. nu. 19. dicere, quòd perſona creata participat, non adæquat increatam; ac per cõſequens ſi in perſona increata datur poſitiuum in quo communicationis negatio fundatur, in perſona creata ſi datur duplex communicationis negatio, nõ dabitur aliquod poſitiuum, in quo præfata negatio fundetur. Vulpes.

40 Non, inquam, valet; quia ſi communicationis negatio fundaretur in aliquo poſitiuo naturæ creatæ ſuperaddito, perſona creata non adæquaret increatam, ſed re vera eſſet perſonæ increatæ vera participatio. Ergo. Probatur antecedens; quia illud naturæ creatæ ſuperadditum eſſet realiter à natura creata diſtinctum.

Digitized by Google

ſtinctum, in quo perſona creata iam ab increata recederet, ac per conſequens nō adæquaret eam, ſed participaret. Imò euaſio Vulpes in ſuo robore confirmat argumentum; & ſic iterum inſurgo. Perſona increata magis identificatur cū natura increata, quàm perſona creata cum ſua natura creata: ſed hoc non obſtante vt ſaluetur triplex communicationis negatio, debet dari aliquod poſitiuum, in quo fundetur ipſa negatio, ipſumquè ſit increatæ naturę ſuperadditū. Ergo à fortiori debet dari in natura ſubſtantiali, ac intellectuali creata aliquod poſitiuum ſuperadditum realiter ab ipſa diſtinctum, in quo fundetur duplex communicationis negatio.

41 Probatur quartò; quia perſona increata Verbi diuini aſſumpſit naturam humanam præbens ei totam perſonæ rationem, quæ à perſona creata poterat expectari in ratione terminandi. Ergo perſona creata vltra naturam dicit aliquam realitatem poſitiuam. Antecedens patet. Probo conſequentiam; Quia ſi ratio perſonæ creatæ purā communicationis diceret negationem; non apparet, nec data fingendi licentia imaginari poteſt, quid increata perſona Verbi exercuerit in humana natura Chriſti Domini locò perſonæ creatæ. Quod ita manifeſtè demonſtro. Non aliquid poſitiuum, vt Scotus concedit, non aliquā communicationis negationem; eò quia ex hoc, quòd eſt humana natura Chriſti Domini à perſona increata Verbi aſſūpta, iam eſt eidem perſonæ communicata, ſeù hypoſtaticè vnita. Ergo Verbū non exercuit aliquam communicationis negationem, ſed abſtulit. Quandoquidem, ſi natura illa non fuiſſet aſſumpta, retinuiſſet actualem incommunicationem ſuppoſito alienæ naturæ; & ex hoc, quod fuit aſſumpta, non retinuit actualem communicationis negationē, ſed iam de facto perdidit, & amiſit.

41 Si dicatur, antecedens nō eſſe verum; eo quia humanitas Chriſti ſi non fuiſſet à perſona diuini Verbi aſſumpta fuiſſet per ſe ſubſiſtens; & ex hoc quod aſſumpta eſt, non dicitur per ſe, ſed per aliud, nempè per Verbum diuinum ſubſiſtens. Et diceret aduerſarius humanam naturā Chriſti Domini non fuiſſe à perſona increata Verbi aſſumptam, vt vicem gerat creatæ perſonæ, quæ in ſola negatione conſiſtit, ſed vt eleuetur ad ſubſiſtendū ſubſiſtentia poſitiua perſonæ diuinæ, vt ſcilicet, dignificetur humana natura.

43 Vtiquè aduerſarius ſic effugere vim argumenti teneretur. Sed contrà hoc multa theologica militant argumenta. Nam Verbum incarnatum eſt, vt perſonæ humanæ vicem gerens ſatis, faceret pro peccatis hominum ſecundùm quòd Verbum ex vi incarnationis dicitur homo. Ergo ſi ſatisfecit, hoc fuit, quia gerebat vicem perſonæ humanæ.

44 Item ex hoc, quòd Verbum diuinum naturam aſſumpſit humanam, Verbum verè denominatur homo. Ergo ſic denominatur, quia eſt verè ſuppoſitum humanæ naturæ. Ergo ſuppoſitum humanæ naturæ non conſiſtit in aliqua merè negatiua realitate. Alia circa hoc remittuntur ad tractatum de Incarnationis myſterio 3. p.

45 Probatur quintò ſpecialiter de perſonis diuinis, nimirum quòd perſona diuina ex ſuo formali, ac primario ſignificato dicat aliquod poſitiuum intrinſecè inuoluens negatiuum, quòd, ſcilicet, ſit ratio negationis communicationis. Perſona increata Verbi diuini ſecundùm quòd perſona eſt, vera, ac reali vnione, vniuit ſibi humanam Chriſti naturam. Ergo perſona diuina ex ſuo formali, ac primario ſignificato dicit aliquod poſitiuum. Antecedens patet; quia vnio hypoſtatica non eſt facta in natura, ſed in perſona, vt fides catholica confitetur. Probatur conſequentia; quia eſt impoſſibilis vnio vera, & realis, vbi ea, quæ vniuntur, non ſunt quid poſitiuum, & reale.

46 Reſpondet Vulpes, tom. 3. primæ partis diſp. 63. ar. 2. num. 18. & eius reſponſio ſic in forma proponitur, diſtinguendo antecedens; Perſona increata Verbi diuini ſecundùm quòd perſona eſt, quantùm ad materiale perſonæ, vniuit ſibi humanam Chriſti naturam; conceditur antecedens. Quantùm ad formale, ac primarium ſignificatum perſonæ Verbi &c. negatur antecedens. Ergo &c. negatur conſequentia. Nam conſtituitur *formaliter perſona diuina, eſſentia, & proprietate poſitiua, non quatenùs poſitiua per ſe primò, ſed quatenùs incommunicabilis, imò materialiter, ſeù ex conſequenti tantùm eſt poſitiua; in quantùm negatio illa omnimoda ad ſe communicandum nequit in aliquo reperiri abſque ſpeciali ratione poſitiua, quæ ſit ratio intrinſeca fundandi illam repugnantiam*. Et ſubdit ſic; *Terminum vt quo illius vnionis eſſe profectò poſitiuam proprietatem, primò tamen quatenus incommunicabilis. Quare, ſicut in ipſa vnione conſiderantur duæ formalitates, altera vnionis, quæ eſt ratio poſitiua; altera hypoſtaticæ, quæ eſt negatiua; ita ex parte rationis terminandi duplicem habemus formalitatem; poſitiuam vnam, vnioni præcisè reſpondentem, ſicut eſt poſitiua proprietas Verbi; negatiuam alteram, vnionem hypoſtaticam ſpecificantem*, Vulpes.

ficantem, hæc eſt formalitas prima perſonæ, ſcilicet negatiua. Hæc ille. Ex quibus verbis habes, quòd vnio hypoſtatica naturæ humanæ ſcilicet, Chriſti Domini in perſona Verbi diuini, in ratione hypoſtaticæ, non fuit facta, ſed tantummodo in ratione vnionis, ideſt, in illo eſſe poſitiuo ſuperaddito naturæ diuinæ, & quòd eſt ratio fundandi rationem perſonæ, & vnionis in ratione hypoſtaticæ.

47 Contra hanc fugam Vulpeſij argumentor primò ad hominem; quia Vulpes eodem tom. diſput. 64. art. 3. num. 1. ſic ait; *Scotus in eadem diſtinct. 2. monet communem eſſe ſententiam, diuinas perſonas per relationes originis conſtitui, illiſquè inter ſe ſe* (nota) *formaliter diſtingui.*

48 Et ibidem. *Certè*, inquit, *rem ita ſe habere ſatis manifeſtum eſt ex eo, quòd ipſe Scotus vbiquè locorum agens de diuinis perſonis, eas relatiuis nominibus ſemper nominauit, earumquè conſtitutionem per relationes originis expreſſit, vel fieri per illas, tanquàm certum, indubitatumquè ſuppoſuit. Sic in primis conſpicitur diſt. 5. q. 2. infra littera, H, vbi ſupponens perſonas conſtitui formaliter in eſſe perſonali, ex eſſentia, & relatione originis, declarat, eſſentiam, relationemquè ad conſtituendum perſonam, tamquàm duas formalitates ex natura rei diſtinctas vtiquè concurrere, ſed tamen non ſequi perſonam eſſe compoſitam, quaſi eſſentia concurrat per modum potentiæ, relatio per modum actus: concurrunt quippè ambæ tamquàm duo actus; eſſentia veluti actus quidditatiuus communis, non proprius; relatio tamquàm actus hypoſtaticus proprius.*

49 *Et paucis interiectis clariùs loquitur de his relationibus, tamquàm de formalibus perſonarum conſtitutiuis, & diſtinctiuis; namquè concedit illas eſſe perſonarum conſtitutiuas, ac diſtinctiuas, baptizantes eos in nomine Patris &c. Marci vlt. Nam monet, Chriſtum non ſolùm voluiſſe diuinas perſonas in prædicta forma vocare nominibus perſonarum, ſed etiam dediſſe Eccleſiæ nomina ſignificantia illas perſonas ſub proprijs rationibus.* Hæc ille.

50 Iam vides, ſibimet arguentem aduerſari. Vnde contra reſponſionem ſic argumentor primò, & ad hominem. Perſonæ diuinæ conſtituuntur formaliter per relationes originis, vt Vulpes ipſe aperto ore fatetur. Ergo falſum eſt, quòd in reſponſione adducta, & alibi, præſertim diſput. 64. art. 4. num. 9. dicit, videlicet, quòd proprietas perſonalis poſitiua conſtituit perſonam tantùm quò ad eſſe materiale, non autem quò ad eſſe formale. Probo conſequentiam; quia relationes originis de ſuo formali dicunt poſitiuam realitatem, vt nomen ipſum, puta relationis originis, præſefert. Ergo implicat dicere, quòd perſonæ per realitatem poſitiuam conſtituuntur quantùm ad eſſe materiale perſonæ, non autem quantùm ad eſſe formale.

51 Secundò; Quia per Vulpes, Scotus tenet perſonas diuinas conſtitui formaliter per relationes originis, ſecundùm quòd communis ſententia Theologorum docet: ſed hæc eſt in hac materia Theologorum ſententia, videlicet, quòd relationes originis formaliter ſunt conſtitutiuæ perſonarum diuinarum, quatenùs ſunt, & dicunt realitatem poſitiuam, licet, intrinſecè inducentem formalitatem communicationis negatiuam.

52 Tertiò, contra illud, quod à Vulpes dicitur de duplici formalitate concurrente ad vnionem hypoſtaticam, ſcilicet in ratione vnionis, & in ratione hypoſtaticæ. Et ſic argumentor. Vnio in Incarnationis myſterio non eſt præciſè, ſeù tantùm in abſtracto, & in communi, non autem in particulari vnio, ſed etiam vnio hypoſtatica. Sic omnes. Ergo non ſolùm facta fuit vnio quò ad formalitatem vnionis præciſè, ſed formaliter in ratione vnionis hypoſtaticæ. Aliàs non eſſet vera iſta communis, atquè catholica propoſitio, nempè perſona Verbi eſt incarnata, niſi in ſenſu materiali, & identico, non autem in ſenſu formali.

53 Quartò; Quia illud eſſe poſitiuum, quòd Scotus, & Scotiſtæ concedunt ineſſe perſonæ diuinæ, eſt id, vnde oritur illa triplex communicationis negatio, quam ſoli perſonæ diuinæ autumant conuenire. Ergo ratio formalis conſtitutiua perſonæ diuinæ in ratione perſonæ eſt illud eſſe poſitiuum, ſecundùm quòd poſitiuum eſt. Probo conſequentiam; quia illud prædicatum eſt alicuius primò, per ſe, & formaliter conſtitutiuum, quod primò conuenit rei, & à quo tamquàm à propria, ac radicali ratione cætera conſequuntur: huiuſmodi eſt illud eſſe poſitiuum, naturæ diuinæ ſuperadditum, ac ex natura rei ab eadem natura diſtinctum, non autem huiuſmodi eſt ipſa triplex communicabilitatis negatio. Ergo. Maior eſt ex ipſis terminis manifeſta. Minor conſtat ex ſuo antecedenti; & antecedens non ſemel atquè iterum à Scotiſtis aſ-

Digitized by Google

ſeritur ; Vulpes enim tom. 3. partis 1. diſput. 63. art. 2. num. 3. dicit mentem Scoti eſſe, ſolam perſonam creatam in duplici communicationis negatione conſiſtere, & nullum poſitiuum ſupra naturam intellectualem, quam pro ſuo materiali ſignificato connotat includere : Perſonam verò increatam includere triplicem communicationis negationem ; & vltra naturam diuinam, omneque prædicatum toti Trinitati commune, dicere aliquod poſitiuum. Sic enim loco citato ait ; *De increata (ſubaudi perſona) quidem ſana fide dubitari non poteſt, præter incommunicabilitatem dicere realitatem poſitiuam ; non ſolùm, quia communis ſententia eſt, perſonas Sanctiſſimæ Trinitatis in eſſe perſonali conſtitui per relationes originis : ſed etiam quia perſonalitas diuina præſefert triplicem negationem communicabilitatis, vt quod, & quo, ſcilicet actualis, aptitudinalis, potentialis. Vnde includit abſolutam repugnantiam nequientem eſſe ſine entitate poſitiua, quæ ſit ratio illius intrinſeca*. Et paucis interiectis ſic ait ; *Certè veriùs eſſe aſſerimus ſecundum Scotum dumtaxat, negationem, proximè verò connotare intrinſecè realitatē, ſeù exiſtentiam relatiuam originis, qua cum eſſentia conſtituitur hic Deus perſona ſubſiſtens ; Remotè, & quaſi extrinſecè etiam diuinam naturam tanquàm fundamentū commune, in quo omnes tres perſonæ radicātur. Tota itaquè difficultas eſt de perſona creata, an præter propriā incommunicabilitatē per ſe primò in recto formaliter ſignificatā, etiā præſeferat intrinſecè realitatē aliquā poſitiuam, tanquàm ſuum proprium connotatum.*

54 Et ibidem n. 4. ſic ait ; *Neque in eis* (ideſt creaturis) *erit perfecta, ſeù cōpleta ratio perſonæ, ſicut in diuinis, includentis aliquod poſitiuū, ratione cuius ſibi repugnet communicari, vt quo, & vt quod. Repugnantia n. hæc cōtradictoriè ad communicari intelligi abſquè poſitiua ratione, quæ ſit illius radix, non poteſt.*

55 Et ibidē n. 8. concl. 2. ſic ait ; *Dico ſecūdò. Perſonā diuinā pro formali, ſeù in recto, includere triplicē negationē communicationis, vt quò, & vt q, actualis, aptitudinalis, potentialis, cum repugnātia omnimoda ad ſe communicandum ; in obliquo, ſeù pro materiali intrinſecè connotare realitatē quādā poſitiuā tanquā fundamentū proximū ; ex quo intrinſecè exoriatur, & in quo intrinſecè etiā radicetur prædicta triplex communicationis negatio.*

56 Et ſupra diſp. 56. ar. 5. n. 4. ait ſic. *Perſonalitates diuinæ veram, propriamquè exiſtentiam, non abſolutam, ſed reſpectiuam habent.* Hec Vulpes. Ex quib' iā patet antecedēs.

57 Vt video, omneſq; videre poſſunt ; iam nobiſcū Scotiſtę ſentiūt ; & ſolū in modo loquēdi receſſiſſe videtur. Nā ſententia D. Thomæ, & Thomiſtarū eſt, q perſonæ diuinæ dicunt aliquod poſitiuū naturæ diuinæ ſuperadditū, & hoc Scotiſtæ fatētur. Itē, Thomiſtæ cum D. Thoma dicunt, quòd triplex negationis communicatio oritur ex illo eſſe poſitiuo perſonali ; & hoc vltrò Scotiſtæ expreſſe fatētur. Solū in duobus diſcrepāt ; Vnum eſt, quia ſcilicet, illud perſonale poſitiuū naturæ ſuperadditū per Thomiſtas, ſola diſtinctione virtuali, ac ratione ratiocinata ab eſſentia diuina diſtinguitur ; Scotiſtæ autē cū Scoto aſſerunt diſtingui actualiter ex natura rei, ſed hoc præſens nō faceſſit negotiū. Alterū eſt ; quia Scotiſtæ dicūt illud eſſe poſitiuū ſecūdariò, & ex ſuo materiali ſignificato per hoc nomē, Perſona ſignificari, de formali verò, ac primario ſignificato ſignificari & explicat triplicē negationem communicationis duntaxat.

58 Itaquè iam in re ipſa conueniunt Scotiſtæ nobiſcum, quod verò quantùm ad modum loquendi non rectè loquantur, patet ex argumento iam poſito, & ſic iterum inſtauratur. Quod eſt formalitas quædam poſitiua, & prima, ex qua aliæ formalitates oriuntur, eſt formaliter conſtitutiuum eius, cui conuenit, & formalitates ipſum conſequētes, ſiuè affirmatiuę ſint, ſiuè negatiuę, nō primariò, ſed conſecutiuè ſe habēt ad illud, cui cōueniunt vnà cū formalitate priori à qua exoriuntur : ſed per Scotiſtas eſſe perſonale poſitiuū eſt prior ratio, ac formalitas, quàm triplex communicabilitatis negatio. Ergo illud concurrit vt ratio formalis, & primaria, & iſta conſecutiuè.

59 Confirmatur hoc, ſimulatquè explicatur. Homini conuenit eſſe animal rationale, & riſibile ; Et quia riſibile oritur ex rationali, idcircò homo ex ſuo formali, ac primario ſignificato dicit rationale ; riſibile verò nō niſi conſecutiuè ; ſed per Vulpes perſonæ diuinæ conuenit eſſe poſitiuum, & communicationis triplex negatio, ita, videlicet, vt illud eſſe poſitiuū ſit prior ratio perſonæ, & ex illo oritur negatio. Ergo perſona ex ſuo formali, ac primario ſignificato dicit illud eſſe poſitiuum, triplicem autem communicationis negationē, non niſi conſecutiuè.

60 Quartò. Per Vulpes tres diuinæ perſonæ veram, propriamquè exiſtentiam, non abſolutam, ſed reſpectiuam habent. Ergo perſona ex ſuo formali ſignificato ſignificat aliquod poſitiuum. Probo cōſequentiam, Quia exiſtentia poſitiua, vt exiſtentia poſitiua eſt, non conuenit ex ſuo formali, ac primario ſignificato, niſi formalitati poſitiuæ, & reali.

Confir-

Digitized by Google

61 Confirmatur; Quia negatio, vt negatio eſt, quamuis exiſtat aliquando per exiſtentiam alicuius poſitiui, non tamen illa poſitiua exiſtentia, eſt primò, & per ſe, vt reddat exiſtentem illam negationem. Ergo perſona diuina cum ex ſua formali ratione ſit exiſtens exiſtentia reali, & poſitiua ex ſuo formali, ac primariò conceptu ſignificat aliquod poſitiuum, & conſecutiuè negationem.

62 Probatur quintò noſtrum dictum; Quia de fide certum eſt, quòd tres ſunt perſonæ in diuinis; iuxta illud, *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in Cælo, Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus*. Item de fide certum eſt, nomina perſonarum diuinarum fuiſſe nobis per Chriſtum Dominum primò reuelata, & prolata, iuxta illud Marci vltimo: *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti*. Ergo perſonæ diuinæ ex ſuo formali, primario, ac proprio ſignificato conſiſtunt in aliquo poſitiuo, & conſecutiuè in aliquo negatiuo. Probatur conſequentia; quia ſi conſiſterent in aliquo negatiuo, vtiquè Chriſtus Dominus Eccleſiæ ſuæ Sponſæ, & credentibus in eum, iam reuelaſſet, & perſonas diuinas nominibus per ſe primò negationẽ ſignificantibus, non autem per ſe primò aliquod poſitiuum dicentibus, nominaſſet. Pater enim, Filius, & Spiritus ſanctus ex ſuo primario ſignificato in aliquo poſitiuo conſiſtunt.

1. Ioan. 5.

Marc. vlt.

63 Probatur ſextò. De fide certum eſt, quòd perſona Patris æterni, & increati producit per generationem perſonam Filij, ſecundùm totam, & adæquatam rationem perſonæ Filij vt perſona Filij eſt. Ergo hoc nomen perſona in diuinis primò, & per ſe ſignificat aliquod poſitiuum, & conſecutiuè communicationis negationem. Probatur conſequentia; quia præterquamquòd falſum, & contra fidem Orthodoxam eſt, ſtultũ etiã eſt aſſerere, quòd perſona Patris, vt perſona, eſt negatio generans negationem; & ſimiliter, quòd prima, & ſecunda perſona, quę ſunt duę negationes tertiam negationem ſpirant.

64 Probatur ſeptimo ſpecialiter contra Molinam; Poſitiuum, vt poſitiuum, non contrahitur per negatiuum, vt negatiuum eſt. Ergo non rectè loquitur, nec probabiliùs, vt ipſe dicit, ſed minus probabiliter, & minus benè, quàm alij. Probatur antecedens inductiuè. Animal verbi gratia, quando contrahitur ad aliquam ſui ſpeciem, neceſsè eſt, vt per differentiam poſitiuam contrahatur. Vnde quando diuiditur per rationale, & irrationale, ly irrationale, verbaliter eſt aliquia negatio ponitur enim ad circumloquendas differentias poſitiuas. Item Omnis diuiſio, aut eſt generis per differentias, aut generis in ſpecies, aut ſubiecti in accidentia, aut accidentium in ſubiecta; aut accidentis in accidentia; vt patet in ſummulis; & in omnibus aliquo horum modorum aliquod poſitiuum contrahentibus, inductiuè conſtat, quòd nullum poſitiuum contrahitur per negationem. Ergo.

65 Confirmatur eodem exemplo à Molina adducto de vno; Vnum enim additum ſupra ens, non contrahit ens, ſed ipſum in ſua antiqua vniuerſalitate relinquit, & cum ipſo adæquatè conuertitur, & eſt ratio conſequens, non contrahens entitatem. Imò vnum de ſuo formali dicit entitatem, & ſupra entitatem addit tantummodo diuiſionis negationem, non vt contrahentem, vt dixi, ſed vt adæquatè, & conuertibiliter conſequentem.

CAPVT QVARTVM.

Proponuntur argumenta in contrarium, & ſoluuntur.

66 SED contra iſtam determinationẽ obijciet aliquis primò ex Scoto in 3. diſt. 1. q. 1. §. *Contra primam viam; Quia tunc eſſet aliqua entitas poſitiua in natura humana, quæ eſſet inaſſumptibilis à Verbo. Probatio conſequentiæ. Iſti enim vltimæ entitati, quam addit perſona vltra ſingulare, repugnaret contradictoriè communicati, ſicut natura communicatur ſuppoſito, patet, quia perſona eſt incommunicabilis exiſtentia, & ita repugnaret ſibi contradictoriè aſſumi. Conſequens videtur inconueniens. Tùm quia ſecundùm Damaſcenum 25. quod eſt inaſſumptibile, eſt incurabile. Tùm etiam quia, omnis entitas poſitiua creaturæ æquè eſt in potentia obedientiali reſpectu pſonæ diuinæ.* Hęc ille.

67 Reſpondetur, diſtinguendo, ſeù explicando ſequelam. *Eſſet aliqua entitas poſitiua*, tanquàm ratio perſonalis, ſupponens naturam, in ratione naturę conſtitutam, *quæ eſſet inaſſumptibilis à Verbo*, concedo ſequelam. *Eſſet aliqua entitas poſitiua in natura humana*, ratione perſonalitatis excepta, *quæ eſſet inaſſumptibilis à Verbo*, negò ſequelam.

68 Ad primam impugnationem reſpondetur, explicando D. Damaſcenum. *Quod eſt inaſſumptibile* ideſt natura, quę eſt inaſſumptibilis, *eſt incurabilis*; Et ſic vera eſt propoſitio, & à D. Damaſceno intellecta. *Quod eſt inaſſumptibile*, ideſt, ſuppoſitum, *quod eſt inaſſumptibile, eſt incurabile*,

fectionem totius; Quandoquidem, cum ſit pars debet eſſe propter totum; & propterea etiam dum eſt beata, appetit vt corpori reuniatur. Item. Sic appetit anima beata huiuſmodi reunionem, vt beatitudinem qua fruitur, quamquè Dei munere ſibi parauit, non amittat, nec amittere velit. Non enim reunio cum beatitudine pugnat. Quòd ſi iſta duo incompoſſibilia eſſent, beatitudo animæ ſcilicet, & corpori reunio, anima beata potiùs cuperet in ſua beatitudine permanere, quàm eam amittere, vt ſuo corpori reuniatur. Quare patet diſparitas.

77 Quò ad ea verò quæ ſubiungit Scotus, nempè, *ſi dimitteretur ſibi* natura iam aſſumpta, deberet habere aliam perſonalitatem; vel ſine omni perſonalitate poſſet in rerum natura exiſtere. Vtrumquè concedimus. Primum quidem hoc modo; quia ſi natura aſſumpta à Verbo ſibi dimitteretur, ſtatimatquè naturali ſequela propriam acquireret perſonalitatem, quæ ab eadem natura manaret, non quod ſibi deforis data eſſet. Quo ad ſecundum verò cum Caietano exiſtimo, fieri poſſe diuino miraculo, vt natura humana ſingularis poſſit ſine omni ſubſiſtentia poſitiua exiſtere. & tunc eſſet tantummodo per ſe perſeitate negatiua, id eſt, non communicata alteri, nec propriæ perſonalitati. Itaquè Scotus noſtram confirmat, non infirmat concluſionem.

78 Obijciet tertiò ex eodem ibidem. *Quia ſequitur, quòd iſta natura non poſſet dimitti, & eſſe perſonata; quia talis realitas nō poteſt eſſe realitas naturæ, ſicut oſtenſum eſt in 2. diſt. 3. quæſt. de indiuiduatione; Nec poteſt contineri per idemtitatem in aliqua natura, quæ non eſt eadem ſibi. Quidquid enim non continet aliquam realitatem per idemtitatem, manens idem, non poteſt eam continere per idētitatem.*

79 Reſpondetur, negando ſequelam. Ad cuius probationem diſtinguo primā antecedentis partem. Talis realitas non poteſt eſſe realitas naturæ, id eſt, identificata cum natura, concedo. Non poteſt eſſe realitas naturæ, id eſt non poteſt eſſe realitas à natura naturali ſequela fluens, nego antecedens. Quare &c.

80 Obijciet quartò; quia ſequeretur, quòd natura intellectualis poſſet fieri hæc, & actu exiſtens, & nullo modo perſonata. Priùs enim naturaliter poſſet fieri, & non ſub iſta realitate, qua perſonatur, quia ex quo iſta realitas non ponitur realiter, nec formaliter eadem naturæ; & natura, vt natura eſt naturaliter prior ſe ipſa, vt eſt ſub iſta realitate, poſſet fieri non ſub iſta realitate, & in ſecūdo iſtanti naturæ, quo aſſumitur à Verbo, non eſſet neceſſè, Verbum tunc eam aſſumere; poſſet ergo tunc illam non aſſumere, & ita relinqueretur ſibi, & tūc non eſſet perſonata aliqua perſonalitate creata, nec increata.

81 Reſpondetur, concedendo totū Scoti diſcurſum; dicimus enim fieri poſſe, nō quidem de potentia ordinaria, ſed de potentia Dei abſoluta, vt quælibet intellectualis natura in rerum natura exiſtat, & non perſonata; quemadmodum fieri poteſt, imò de facto fit, vt accidens ſine ſubiecto exiſtat, ſeù vt ſit exiſtens ſine inhærentia actuali, vt patet in Sacratiſſimo Altaris Sacramento. Sicut enim accidenti conuenit inhærenter exiſtere, ſic ſubſtantiæ completæ exiſtere ſubſiſtenter, ſeù per perſonalitatem, quæ dicit perſeitatem naturæ ſuperadditam.

82 Solùm corrigenda eſt, vel explicanda illa locutio Scoti, dum ex præmiſſis ſic concludit; *poſſet ergo tunc illam non aſſumere, & ita relinqueretur ſibi, & tunc non eſſet perſonata &c.* Etenim in caſu in præmiſſis poſito non eſt ſermo de natura *relicta ſibi*, quoniam ſi natura eſſet ſibi relicta in illo priori ſigno naturæ, & in poſteriori non eſſet à perſona Verbi diuini aſſumpta, ſtatimatquè ab eodem perſonalitas propria naturali ſequela profluerer. In caſu ergo in præmiſſis poſito, in quo conceditur à nobis, natura non eſſet ſibi relicta, ſed diuinitùs impedita.

83 Obijciet quintò pro Molina. Vnum ſupra ens non addit niſi puram diuiſionis negationem, illam contrahendo ad rationem vnius. Ergo ſimiliter perſona non addit ſupra naturam communicationis negationem, naturam contrahendo ad rationem perſonæ. Antecedens eſt D. Thomæ ſupra q. 11. ar. 1. in corp. vbi ſic ait; *Vnum non addit ſupra ens rem aliquam, ſed tantùm negationem diuiſionis.* Conſequentia patet à paritate.

84 Reſpondetur, concedendo antecedēs, & negando conſequentiam; & ratio diſparitatis eſt, quia aliter comparatur vnum ad ens; & aliter ſuppoſitum, ſeù perſona ad naturam. Etenim vnum eſt idem realiter cum ente, & cum ipſo ſimpliciter omninò conuertitur. Valet enim dicere ens eſt vnum; & vnum eſt ens. Vnde quando dicitur, quòd vnum addit ſupra ens negationem diuiſionis, non eſt ſenſus, quòd diuiſionis negatio limitat, & coarctat entis amplitudinem. Etenim ens, & vnum ſimpliciter cōuertuntur. Omne enim ens eſt vnum; & omne vnum eſt ens. Et hoc loquendo de coarctatione propriè dicta; quoniam

ſi

Digitized by Google

ſi ſermo ſit de coarctatione largè accepta, poſſet dici, quod vnum coarctat ens. Eſſet enim ſenſus, quod vnum, explicat id, quod eſt quidem ens, non tamen entis nomine explicatur: at verò perſona cõparatur ad naturam, vt aliquid diſtinctũ realiter, aut virtualiter à natura. Realiter quidem in creatis; virtualiter vero in diuinis. Primum patet, multipliciterquè ſupra q. 2. probatur, & a nobis iam eſt ex parte inſinuatum; quandoquidẽ Verbum diuinum aſſumpſit naturam humanam Chriſti Domini, abſquè vlla prorſus alicuius perſonę creatæ aſſumptione. Secundum quoquè eſt manifeſtum. Nam perſona in diuinis eſt omninò alijs perſonis incommunicabilis; natura autem diuina tribus perſonis de facto eſt communicata. Item in Incarnationis myſterio perſona Verbi diuini aſſumpſit naturam humanam, iuxta illud Ioannis 1. *Verbum Caro factum eſt*. Natura autem diuina formaliter, ac primariò loquendo, non dicitur incarnata. Ex quo patet, quod vnitas entis aliter comparatur ad ens, & aliter perſona ad naturam; ac proinde vnitas pro vt vltra rationem entis, quam neceſſariò dicit oritur ex ente; negatio verò communicabilitatis, conſequitur ad poſitiuam realitatem perſonalitatis.

75 Obijcies ſextò. Quia D. Thomas 1. contra gentes c. 25. ſic ait. *Sed ad hoc dicendum, quòd in diffinitione ſubſtantia non eſt ens per ſe,* & paucis interiectis ſic ait. *Similiter nec ex hoc, quod dicit per ſe, quia hoc non videtur importare niſi negationem tãtùm. Dicitur enim ens per ſe, ex hoc, quod non eſt in alio, quod eſt negatio pura.* Sed ratio ſuppoſiti ſupra naturam non addit aliud, quàm perſeitatem. Ergo perſona ſupra naturam non addit niſi meram negationem.

86 Reſpondetur, explicando authoritatẽ D. Thomæ. Per ſe, formaliter non videtur importare niſi negationem tantũ, concedo. Per ſe, fundamentaliter, nego. Similiter declaranda eſt minor, & negãda eſt conſequentia. Per ſe autem fundamentaliter, intelligimus rem, cui conuenit eſſe non in ſubiecto. Per ſe verò formaliter, intelligimus puram negationem inhærendi alteri. Lege D. Thomam loco in argumento citato.

DISPVTATIO CLXV.

VTRVM PERSONA DIVINA EX SVO FORMALI, AC primario ſignificato ſignificet relationem, an potiùs aliquod abſolutum.

In tria capita diſtributa.

CAPVT PRIMVM.

Explicatur titulus, & Doctorum opiniones referuntur.

1 PRæſentis diſputationis reſolutio ex alia, infra ex profeſſo tractanda dependet; vtrum ſcilicet perſonæ diuinæ conſtituantur relationibus, an potiùs proprietatibus abſolutis. Illud enim vnumquodquè per ſe primò ſignificat, per quod in ſuo eſſe per ſe primò ponitur, & conſtituitur. Vnde ſenſus huius quæſiti eſt, Vtrum hoc nomen, perſona diuina, ſignificet per ſe primò eſſentiam diuinam; aut proprietatem aliquam abſolutam, ex natura rei, vel ſola diſtinctione virtuali ab eſſentia diſtinctam; aut relationem dumtaxat.

2 In hac re ſunt opiniones, quas hîc art. 4. & in diſputatis de potent. art. 4. D. Th. refert; quidam enim dixerunt, quòd hoc nomen perſona diuina ſimpliciter, ſeù propriè, ſeù ex virtute vocabuli, ſignificat eſſentiã, & ex quadam accommodatione propter inſtantiam hæreticorum extenſum eſt ad ſignificandam relationem. Huius opinionis videtur eſſe Magiſter in 1. vt inſinuat D. Thomas de potent. loco iam cit. Et meritò quidẽ. Nam ibi diſt. 23. littera B. ſic ait; *Ecce expreſſè habes, quòd perſona ſecundùm ſubſtãtiam dicitur; vt cum dicitur, Pater eſt perſona, hic ſit ſenſus: Pater eſt diuina eſſentia. Similiter cum dicitur, Filius eſt perſona, Spiritus*

ſanctus

Digitized by Google

ſanctus eſt perſona, ideſt, eſſentia diuina. Et ibidem littera G. ex D. Auguſtino lib. 7. de Trinit. cap. 4. ſic ait. *Quæro cur non propter eamdem vnitatem Trinitatis dicantur vna perſona, & non tres perſonæ? Vt enim eſt illis commune nomen eſſentiæ, ita vt ſingulus quiſquè dicatur eſſentia, ſic illis commune eſt perſonæ vocabulum. Quid igitur reſtat, niſi vt fateamur, loquendi neceſſitate, à Græcis, & Latinis parta hæc vocabula aduerſus inſidias, vel errores hæreticorum? Cumquè conaretur humana inopia loquendo proferre ad hominum ſenſus, quod in ſecretario mentis de Deo tenet, ſiuè per piam fidem, ſiuè per qualemcumquè intelligentiam, timuit dicere tres eſſentias, ne intelligeretur in illa ſumma æqualitate vlla diuerſitas*. Idem docet diſt. 25. §. *Sciendum eſt igitur*, vbi ſic ait. *Diſcernentes ergo dicendi cauſa huius nóminis, ſcilicet, perſona, ſignificationem diſtinguimus, dicentes, quòd hoc nomen, ſcilicet, perſona, propriè ſecundùm ſubſtantiam dicitur, & eſſentiam ſignificat, ſicut ſupra oſtendit Auguſtinus, cum dicitur Deus eſt perſona, Pater eſt perſona. Quadam tamen neceſſitate (vt ſupra dixit Auguſtinus) tranſlatum eſt hoc nomen, vt pluraliter diceretur, tres perſonæ*. Eiuſdem opinionis videtur fuiſſe Auguſtinus loco nuper citato.

3 *Alij dixerunt, quòd ſimul ſignificat eſſentiã, & relationem; quorum quidam dixerunt, quòd ſignificat eſſentiam in recto, & relationem in obliquo.*

4 *Quidam verò dixerunt, quòd ſignificat relationem in recto, & eſſentiam in obliquo*. Ita D. Thomas.

5 Quidam dixerunt, quòd hoc nomen, perſona, ſignificat aliquam realem communicabilitatis negationem. Ita Scotus tamquàm magis probabile tenet, quam opinionem diſp. præcedenti ex profeſſo reiecimus.

6 Quidam dixerunt, hoc nomen, perſona diuina, non ſignificare primò, & per ſe formalitatem relatiuam, ſed proprietatem abſolutam.

7 Quidam dixerunt, quòd hoc nomen, perſona, ſignificat relationem originis in communi, nõ per modum relationis, ſed hypoſtaſis, ſeù per modum abſoluti: ita videtur dixiſſe Caietanus hìc ar. 4. §. *Ad has*, vbi ſic ait; *Breuiter dicendum eſt, quòd ipſa*, ideſt, perſona diuina, *ſignificat relationem originis in communi, non per modũ relationis, ſed hypoſtaſis*. Et ibidem infra ſic ait; *illa maior non eſt vera, quando relatiuum ſignificatur per modum abſoluti, vt contingit in propoſito*.

CAPVT SECVNDVM.

Determinatio veritatis.

8 PRO determinatione veritatis Dico primò. Hoc nomen, perſona diuina, de ſuo proprio formali, ac primario, ſed completo ſignificato, in recto dicit tantum relationem, non per modum abſoluti, ſed per modũ perfectiſſimæ relationis.

9 Hoc dictum videbitur fortaſsè prima facie aduerſus D. Thomam eiuſque ſequaces. Eſt tamen D. Thomæ, ac ſectatorum eius, vt probabo. Vnde pro eius intelligentia.

10 Præſuppono primò, quòd rel[illegible] perſonales in diuinis ſunt per ſe [illegible] tes ſubſiſtentijs proprijs. [illegible] fra probabimus, in diuinis præter ſubſiſtentiam abſolutam dantur quoquè tres ſubſiſtentiæ relatiuæ.

11 Præſuppono ſecundò, & hoc apud omnes debet eſſe verum, quòd quando aliqua formalitas propriè couenit Deo, & creaturis, non vniuocè, vt etiam ſupponimus, de creaturis, & Deo prædicatur, ſed analogicè; & formalitas illa magis principaliter, magiſuè propriè dicitur de Deo quàm de creaturis; ac proinde Deus eſt primum analogatum, & ſecunda analogata ſunt creaturæ.

12 Ex quo colligi debet; quòd ille eſt proprius illius formalitatis modus, qui conuenit ei ſecundùm quòd eſt in Deo; modus verò eiuſdem, quatenùs in creaturis inuenitur, eſt ex defectu, non autẽ de perfectione formalitatis illius. Nam formalitas quatenùs in creaturis inuenitur, eſt participatio, nõ verò adæquatio, eius formalitatis, quæ reperitur in Deo. Quemadmodum enim creatura longè abire videtur à Deo, ſic formalitas creaturæ à formalitate Dei. Et hoc inductiuè diſcurrenti patet. Intelligere enim noſtrum eſt participatio intelligere diuini, & nihilominùs intelligere noſtrum eſt eſſentialiter, & intrinſecè accidens, ac inhærens; Intelligere verò diuinum eſt intrinſecè, eſſentialiterquè ſubſiſtens. Imò iuxta probabiliſſimam ſententiam aſſerentem cõſtitutiuum Dei eſſe ipſum diuinum intelligere, per ſe ſubſiſtere pertinet ad lineam formalitatis ipſius intelligere. Similiter bonus, & alia prædicata, quæ conueniunt Deo, & creaturis; bonitas enim conuenit Deo ſubſtantialiter, & per eſſentiam; creaturis autem per participationem.

Præſup-

Digitized by Google

13 Præſuppono tertiò, quòd ad lineam relationis perſonalis in diuinis, per ſe, & intrinſecè, non ſolùm pertinet dicere, Ad, verumetiam ſubſiſtentiam propriã, quod non obſcurè D. Thomas inſinuat hìc art. 4. in corp. vbi ait, quod perſona diuina *ſignificat relationem, vt ſubſiſtentem*; Et ſenſus eſt, quòd perſona diuina eſt ordo ſubſiſtens, ſeù ſubſiſtentia ad aliam ſubſiſten tiam ordinata.

14 Ex quo colligitur, quòd relatio, quæ reperitur in creaturis, cum dicat duo inadæquatè, ſcilicet inherentiam in relatiuo quod denominat, & ordinem ad terminum, ad quem relatiuum refertur. Ratione primi, non eſt relationis diuinæ participatio, ſed potius deficientia, & receſſus à relatione diuina. Inhærentia enim non eſt participatio ſubſiſtentiæ: ratione vero ſecundi, eſt aliqualis relationis diuinæ participatio, ſeu imitatio.

15 Dicimus igitur in concluſione, quòd hoc nomen, perſona diuina, de ſuo proprio, formali, ac primario, & completo ſignificato in recto dicit formalitatem relatiuam, non per modum abſoluti, ſed per modum perfectiſſimæ relationis, ideſt, dicit ſubſiſtentiam relatam, ſeu relationem ſubſiſtentem, ita vt, & ſi ſubſiſtentia perſonalis, non dicat modum relatiuum, pro vt relatiuum dicit ipſum, Ad, præcisè, dicit tamen formalitatem perfectiſſimæ relationis.

16 Probatur igitur noſtrum dictum. Formalitas ſignificata per hoc nomen, perſona diuina, non eſt aliquid abſolutũ, quod eſt toti Trinitati commune, vt patet; nequè eſt aliqua proprietas abſoluta, vt iam patebit, & infra cum de conſtitutiuo perſonarum diuinarum agemus, magis fusè probabimus. Ergo eſt relatiua, non ſub ratione abſoluta, ſed ſub ratione relatiua. Antecedens ſupponitur, & conſequentia quò ad primam partem eſt manifeſta; probatur vero quò ad ſecundam, & tertiam ſimul; quia formalitati relatiuæ, vt formalitas relatiua eſt, non conuenit modus abſolutus, ſeù ratio abſoluta, ſed tantummodo modus, & ratio ſibi conueniens, ac proportionata. Ergo ſi perſona diuina ſignificat formalitatem relatiuam, eam non ſub ratione abſoluta dicit, ſed ſub ratione relatiua.

17 Dico ſecundò. Quando D. Thomas ait, quòd *perſona ſignificat relationem in recto, non tamen relationem, in quantum eſt relatio, ſed in quantùm ſignificatur per modum hypoſtaſis*, per illam particulam, *per modum hypoſtaſis*, non intendit dicere. per modũ abſoluti, non obſtante, quòd dixerat, *non tamen relationem in quantum eſt relatio*.

18 Probatur primò; Quia hypoſtaſis ad mentẽ D. Thomæ accipitur non pro eſſentia formaliter. Ergo pro formalitate relatiua. Ergo pro modo conueniente formalitati relatiuæ: ſed modus proportionatus formalitati relatiuæ non eſt ratio abſoluta. Cum abſolutum, & relatiuum opponantur. Ergo eſt ſub ratione relatiua, ſeù ſub formalitate, & modo perfectiſſimæ relationis.

10 Probatur ſecundò; Quia omninò diſplicet, & funditus à doctrina D. Thomæ, & communi, abijcitur opinio docẽs, perſonas diuinas conſtitui proprietatibus abſolutis. Ergo vt quid dicitur, quòd conſtitutiuum perſonæ, ac ſignificatum eius eſt formalitas relatiua, ſed ſub ratione abſoluta? Quòd ſi hoc non eſt inconueniens dicere, neque etiam erit inconueniens aſſerere formalitatem illam eſſe in ſe ipſa abſolutam, & ad eam conſequi relationem.

20 Confirmatur; quia nulla neceſſitate, aut efficaci ratione dicitur, quòd perſona diuina ſignificat formalitatem relatiuam ſub ratione abſoluta. Ergo dicendum eſt, quòd ſignificat formalitatem relatiuam ſub ratione relatiua, ſeù modo relatiuo perfectiſſimæ relationis, non autem ſub ratione abſoluta. Antecedens patet, quia ſiqua eſt aſſignabilis, aſſignetur quod fieri nequit.

21 Quod verò illa verba ſcilicet, *non tamẽ relationem &c.* non obſtent, probatur; Quia D. Thomas per relationem, *in quantùm relatio eſt*, non accipit relationẽ pro formalitate perfectiſſimæ relationis; quoniam iam pauloante dixerat, quòd relatio in diuinis eſt ſubſiſtens, ſeù eſt ſubſiſtentia relatiua, ſeù ſubſiſtens ordo, ſed nomine relationis, vt relatio eſt, intelligit relationem magis nobis notam, quæ accipitur pro expreſſa ratione, Ad; Quod, vt magis intelligatur.

22 Eſt breuiter obſeruandum; quòd quamuis propria ratio relationis, vt relatio eſt, in communi ratione ſcilicet, primi analogati, ſit relatio diuina, quæ eſt ſubſiſtens; tamen, quia huiuſmodi diuina relatio non eſt nobis lumine naturali nota, ſed tantùm ex diuina reuelatione per fidem ſcilicet, cognita; idcircò, nomine relationis, *vt relatio eſt*, ſeù ſecundùm propriam rationẽ relationis, communiter ſolent intelligere Doctores, relationem prædicamentalem, & infra diuinam, de qua verum eſt dicere, quòd propria eius ratio conſiſtit in hoc, vt referat ſubiectum cui inhæret, & ſic intelligendus eſt D. Thomas hìc, cum ait, *non tamen relationem ſecundùm quòd relatio eſt*; quaſi diceret, quòd perſona diuina ſignificat

ficat

Digitized by Google

ficat quidem in recto relationem, ideſt, formalitatem relatiuam, quatenùs illa formalitas eſt hypoſtaſis; eamdem relationem vero, ſecundum explicitum cōceptum ipſius, Ad, ſignificat in obliquo.

23 Et hoc verificatur de relatione diuina, ſeù de formalitate perſonali relatiua, quatenùs in tres inadæquatos conceptus ex imperfecto noſtro modo concipiendi, & per correſpondentiam ad inferiora, vt iam declarabimus, diſtribuitur. Nam quamuis formalitas relatiua in diuinis, V. G. Paternitas, ſimul, & ſemel in tota ſua linea, abſquè vlla prorſus originis prioritate ex parte rei, aut virtuali diſtinctione dicat iſta tria, nempè hypoſtaſim, generationem actiuam Verbi, & ordinem ad Verbum, vt genitum; tamen, intellectus noſter primò prioritate præciſionis, præſcindit, ſeù abſtrahit rationem hypoſtaſis, ſeù conſiderat eam vt hypoſtaſim; ſecundo præſcindit, & eamdem conſiderat relationem, vt productio eſt; & tandem tertiò, conſiderat formalitatem relatiuam, vt ordinantem Patrem ad Filium; ac proinde iuxta hunc diſtributionis modum, priùs conſideratur Pater conſtitutus in ratione perſonæ, deinde in ratione operantis, generantis ſcilicet, & ſpirantis; & tandem, in ratione relati ad genitum, & ſpiratum.

24 Et hoc per correſpondentiam ad hæc inferiora; Quia in his inferioribus perſona generans Filium, habet iſta tria realiter omninò diſtincta, ſcilicet, hypoſtaſim, ſeù ſubſiſtentiam incommunicabilem, generationem actiuam, & ipſam relationem ad Filium iam genitum. Ex quo infertur, quod intellectus noſter aſſuetus iuxta modum horum inferiorum diuina intelligere, ac diſtinguere, priùs format conceptum de illa formalitate perſonali relatiua, vt hypoſtaſis, ſeù vt ſubſiſtens incommunicabiliter eſt, deinde vt producens, ac tandem vt relata eſt; & hoc, vt dixi, per correſpondentiam ad hæc inferiora, in quibus perſona, productio actiua, & relatio ad rem productam realiter diſtinguuntur, taliter, quòd perſona eſt ſubſtantia; productio actiua, accidens de prædicamento actionis; & relatio, accidens ſpectans ad prædicamentum relationis; Quoniā ſi ſermo ſit de formalitate perſonali relatiua, ſecundùm totalem, adæquatamquè lineam eius, non priùs conſtituit perſonam, ſeù hypoſtaſim ſecundùm adæquatam perſonæ diuinæ rationem, ita vt ad adæquatam perſonæ diuinæ rationem ſequatur operatio, ſeù actio productiua, & deinde ordo ad rem productam. Hoc enim modo perſona diuina, V. G. Pater, conſtituitur per totum id, quod formalitas relatiua paternitatis dicit, & conſequenter, Pater conſtituitur adæquatè per hoc, quòd intelligitur ſubſiſtens, generans, ad filiumque relatus.

25 Et de hoc habemus non ineptum ex ſupradictis exemplum. Etenim vt ſupra probabiliter ſuſtinuimus, intelligere per eſſentiam eſt conſtitutiuum Dei, quod ſecundùm totam, & adæquatam formalitatem eius omnia iſta neceſſario dicit, ſcilicet, ens per eſſentiam, ſubſtantiam intellectiuam, vim intelligendi, & actualem attingentiam obiecti, tanquam vnam ſimpliciſſimam Dei formalitatem; tamen per diuerſam correſpondentiam ad hæc inferiora, in diuerſos inadæquatos conceptus diuiditur, & ſic intellectus noſter priùs concipit ipſum intelligere per eſſentiam, vt eſt quoddam ens per eſſentiam, deinde vt ſubſtantiam intellectiuam, poſteà vt vim intelligendi, ſeù vt intellectum, ac tandem vt actionem, quæ eſt attingentia obiecti. Et hoc, quia in nobis eſt diſtincta ratio ſubſtantiæ intellectiuæ à ratione intellectus, & intellectionis. Cæterùm ſecundùm ſe non conſtituit Deū adæquatè in ratione Dei, niſi ſecundùm quòd intelligere per eſſentiam omnia ſupradicta numera exercet. Ita in caſu noſtro, Paternitas V. G. quæ eſt formalitas relatiua, priùs concipitur, vt conſtitutiua Patris in ratione perſonæ, deinde in ratione operantis, & tandem in ratione perſonæ relatæ; ſed hoc ſecundùm inadæquatum perſonæ diuinæ conceptum per correſpondentiam, ſcilicet, ad perſonam creatam vt producentem, & relatam: at verò, ſi adæquatè loquamur, perſona Patris conſtituitur per totum illud, quod per formalitatem paternitatis intrinſecè includitur, & explicatur. Patet ergo quomodo intelligatur, quando à D. Thoma affirmatur, quòd perſona diuina ſignificat in recto relationem, ſecundùm quod hypoſtaſis eſt, non verò in quantùm relatio eſt, niſi in obliquo.

26 Dico tertiò. Perſona diuina non ſignificat aliquam proprietatem abſolutam. Probatur. Quia nulla datur in diuinis formalitas abſoluta, niſi toti Trinitati communis, vt probabimus ſuo loco. Ergo.

Digitized by Google

CAPVT TERTIVM.

Proponuntur argumenta in contrarium, & ſoluuntur.

27 SED contra iſtam determinationem obijciet aliquis primo contra primum dictum. Perſona diuina, V. G. Pater æternus, quando concipitur vt hypoſtaſis, non concipitur modo relatiuo. Ergo modo abſoluto. Ergo perſona diuina ſignificat formalitatem relatiuam ſub ratione abſoluta, non ſub ratione relatiua. Antecedens patet; Quia concipitur vt ſubſiſtens, & conſequenter vt ad ſe, & in ſe exiſtens. Ergo non vt ad Filium ordinatus. Vtraquè verò conſequentia conſtat ex antecedenti. Nam quod nõ concipitur vt relatum, concipitur vt abſolutum.

28 Reſpondetur, negando antecedens. Ad cuius probationem diſtinguo antecedens. Concipitur vt ſubſiſtens, tranſitiuè, concedo antecedens. Concipitur vt ſubſiſtens, intranſitiuè, adhuc diſtinguo; intranſitiuè ex imperfectione noſtri modi preſcindendi, concedo antecedens. Intranſitiuè ex parte formalitatis obiectæ, nego antecedens. Et idem dico ad id, quod deducitur, nempè, & conſequenter vt ad ſe, & vt in ſe exiſtẽs, ſed tranſitiuè, concedo; intranſitiuè, modo iam explicato, nego.

29 Reſponſio eſt ex dictis manifeſta, & inſuper explicatur. Relatio prædicamẽtalis eſt in ſubiecto inhęſiuè, & cõſequẽter dicit, in, ſed quia non inhæret, vt precisè inhæreat, & ſubiectum in ſe ipſo diſponat, ſed inhæret, vt ſubiectũ ad aliud, ideſt, ad terminum referat. Idcirco relatio dicit, in, non quidem intranſitiuè, ſed tranſitiuè. Vnde magis propriè dicitur in ad, quàm in, & ad. Sic in caſu noſtro, relatio perſonalis in diuinis eſt ſubſiſtentia, non quidem intranſitiuè, ſed tranſitiuè; ſicut enim inhærentia ſe habet reſpectu relationis accidentalis, ita ſubſiſtentia reſpectu relationis diuinę, & ſubſtantialis, ac proinde, quemadmodum in relatione accidentali illud eſſe, in, non conſideratur intranſitiuè, & vt aliquid abſolutum. Conſtaret aliàs relatio prędicamentalis ex conceptu reſpectiuo, & abſoluto, ita relatio diuina, ſecundùm quòd dicit eſſe, in, non quidem inhærenter, ſed ſubſiſtenter, non conſideratur intranſitiuè, ſed tranſitiuè.

30 Obijciet ſecundò. Si perſona ex ſuo primario, ac formali ſignificato diceret relationem, ſequeretur, quòd perſona Patris V. G. quemadmodum ſignificaretur nomine Patris, qui ſignificat relationem, ita ſignificaretur nomine perſonæ Patris: ſed hoc non poteſt dici. Ergo. Probatur maior ab optima, imo & ab omnimoda paritate. Probatur ergo minor; Quia valet dicere Pater æternus, Filij æterni, eſt Pater æternus, non tamen valet dicere in diuinis; Perſona Patris perſonæ Filij eſt perſona. Ergo.

31 Confirmatur ex D. Auguſtino lib. 7. de Trinit. cap. 4. circa finem, vbi pro inconuenienti habet, quòd aliquod ſit ſubſiſtens, & ad aliud relatiuè dicatur: ſed perſona diuina eſt ſubſiſtens, ſeù ſignificat aliquod ſubſiſtens. Ergo perſona diuina non ſignificat relationem. Maior patet; ſic enim Auguſtinus ait. *Quod enim eſt, ad ſe dicitur. Pater autem ad Filium, & Dominus ad ſeruientem creaturam dicitur; relatiuè ergo ſubſiſtit, ſicut relatiuè gignit, & relatiuè dominatur. Sicut enim ab eo quod eſt eſſe, appellatur eſſentia, ita ab eo quod eſt ſubſiſtere ſubſtantiam dicimus. Abſurdum eſt autem, vt ſubſtantia relatiuè dicatur*. Ergo ſecundùm D. Auguſtinum abſurdum eſt dicere, quod hoc nomen, perſona ſignificat hypoſtaſim, ſeù ſubſiſtentiam, & dicere, quod ſignificat relationem. D. Aug.

32 Reſpondetur, concedendo maiorem, ſeù ſequelam; & negando minorem. Ad cuius probationem concedo primã antecedẽtis partem, & diſtinguo ſeù explico ſecundam. Non tamen valet dicere in diuinis perſona Patris perſonæ Filij eſt pſona, ratione imperfecti noſtri modi cõcipiẽdi, ratione cuius eſt nomẽ commune perſonæ creatæ, & increatæ, & inadæquatè, atq; intranſitiuè ex modo intelligẽdi cõcipitur, concedo antecedens. Ratione formalitatis obiectæ, nego antecedẽs. Ergo &c. nego conſequentiã.

33 Explicatur iſta reſponſio. In tantùm non valet dicere, quòd perſona Patris perſonæ Filij eſt perſona, in quãtũ intellectus noſter nõ valẽs per præciſiuã cognitionẽ intelligere diuinã perſonã Patris V. G. vnico cõceptu quantũ ad totũ illud, quod ſua formalitas in recto, & adæquatè dicit, eam inſtar creatæ perſonalitatis intelligit, diſtribuẽs in triplicem conceptũ, in rationẽ, ſcilicet, hypoſtaſis, in rationẽ producentis ſi eſt producens, vel in rationẽ producti, ſi eſt genita, vel ſpirata, & tandem in rationẽ relati. & propterea non valet illa locutio, ſcilicet, perſona Patris perſonæ Filij eſt perſona. Cæterùm ſi ſemel rectè, adæquatequè hoc nomen, puta, perſona diuina, explicetur,

cetur: erit verum dicere, perſona diuina Patris perſonæ diuinæ Filij eſt perſona. Vnde D. Auguſtinus lib. 7. de Trinit. cap. 4. ſic ait; *Hic verò vbi nulla eſt eſſentiæ diuerſitas, oportet, vt ſpeciale nomen habeāt hæc tria, quod tamen non inuenitur. Nam perſona, generale nomen eſt, in tantùm, vt etiam homo poſſit hoc dici, cum tamen interſit inter hominem, & Deum.* Propter hanc ergo communem, variamquè perſonæ ſignificationem, ne occaſio præbeatur errandi, non abſolutè dicitur, quòd perſona Patris V. G. perſonæ Filij eſt perſona. Et propterea, idem D. Auguſtinus loco
D.Aug. cit. cap. 6. circa principium ſic ait; *Non placet, vt dicamus Patrem perſonam eſſe Filij, & Spiritus ſancti, aut Filium perſonam eſſe Patris, & Spiritus ſancti, aut Spiritum ſanctum perſonam eſſe Patris, & Filij; ſed neque perſona ita dici alicubi ſolet, neque in hac Trinitate, cum dicimus perſonam Patris, aliud dicimus, quàm ſubſtantiam Patris.*

34 Et paucis interiectis ſic ait; *Ad ſe quippè dicitur perſona, non ad Filium, vel Spiritū ſanctum, ſicut ad ſe dicitur Deus, & magnus, & bonus, & iuſtus, & ſi quid aliud huiuſmodi.*

D.Thom. 35 Quibus D. Auguſtini verbis ſubiungenda eſt D. Thomæ explicatio. Etenim in hac quæſt. art. 4. ad 1. explicans iam verba relata, ſic ait; *Ad primum ergo dicendum, quòd hoc nomen, perſona, dicitur ad ſe, non ad alterum; quia ſignificat relationem, non per modum relationis, ſed per modum ſubſtantiæ, quæ eſt hypoſtaſis.* Et ſecundùm hoc Auguſtinus dicit, quòd ſignificat eſſentiam, pro vt in Deo eſſentia eſt idem cū hypoſtaſi.

36 Quorum D. Thomæ verborum ſenſus eſt, quòd in tantùm D. Auguſtinus ait, quòd perſona ad ſe dicitur, in quantùm non eſt relatio, ſeù non ſignificat relationem, eo modo, quo eſt vel ſignificatur relatio creata. Hæc enim, puta, creata relatio, non eſt ad ſe, ſub quocumquè relationis conceptu concipiatur; Neque ſcilicet, ſecūdum quòd dicit eſſe, in, neque ſecundùm quod dicit eſſe, ad. Non ratione primi, quia ratione illius eſt in ſubiecto, illiquè omninò inhærens; Non ratione ſecundi, ratione cuius eſt ad terminum: At verò perſona diuina, quia eſt re vera propria ſubſiſtentia ſubſiſtens, idcircò dicitur, quòd perſona dicitur ad ſe, & non ad aliud, ideſt, ratione primi muneris, pro vt dicit eſſe in, non eſt inhærens, nec ordinem ad terminum exprimit, ſed ad ſe, ideſt ſubſiſtens. Intellige tamen tranſitiuè, non autem intranſitiuè, vt in reſponſione ad primum diximus, & ex his iam ad argumentum eſt manifeſta reſponſio.

37 Solùm aduertendum ſupereſt, quòd quando dicitur bonam eſſe huiuſmodi locutionem, nimirum, Pater æternus eſt Filij æterni Pater, non debet intelligi eo modo, quo in creatis communiter intelligitur; eo quia, in iis verificatur ratione formalitatis relatiuæ ſub expreſſa ratione ipſius, Ad, non autem ſub ratione perſonæ; & ratio eſt, quia paternitas V. G. in creatis, refert quidem perſonam eam relatiuam conſtituendo, ac denominando, in ratione tamen perſonæ, iam ſupponit ipſam per realitatem abſolutā conſtitutam. Vnde tota paternitatis formalitas formalitatem conſequitur perſonalem. Cæterum, in Patre increato paternitatis formalitas non conſequitur perſonalem Patris proprietatem, ſed eam conſtituit. Quapropter, cum dicitur. Pater æternus Filij æterni Pater, tota formalitas patris dicitur relatiua, in quantùm Pater æternus paternitate ſubſiſtit incommunicabiliter, ad filiumquè ſuum expreſsè refertur, ita vt, illud ſubſiſtere, ſit formalitati relatiuæ intrinſecum, ac primus, vt ita loquar, formalis paternitatis effectus. Vnde rectè conſideranti patebit, quòd quantùm ad rem ſignificatam, poſt exactam explicationem, intelligentiamquè terminorum, idem omnino eſt dicere, perſona Patris æterni eſt Filij æterni perſona, ac dicere, Pater æternus Filij æterni eſt Pater: ſed noli primo loquendi modo vti abſolutè, ne ob diuerſum Sanctorum Patrum loquendi modum, nominumquè æquiuocationem, occaſio præbeatur errandi; benè tamen ſuppoſita, ac ſupradicta explicatione facta, poteſt quiſquè eam locutionem abſque errore ſeruare.

38 Obijciet tertiò; quia ſupradicta prima concluſio eſt contra principaliores noſtræ Scholæ Doctores. Etenim eſt contra Capreolum in 1. diſt. 25. q. 1. art. 1. in probationibus 3. concl. vbi videtur Capreol. cum D. Thoma docere, quòd perſona in diuinis non ſignificat relationem in recto, ſed tantummodo ſubſtantiam diuinam: ſed ſubſtantia diuina eſt aliquid abſolutum. Ergo ſecundùm Capreolū perſona diuina ſignificat relationem, ſeù formam relatiuam per modum abſoluti, non verò modo relatiuo.

39 Item, eſt contra Caietanum in hac quæſt. ar. 4. cuius verba in huius diſputationis exordio retulimus. Caiet.

40 Item eſt contra Ferrarienſem in 4. contra gentes cap. 26. §. *conſiderandum ſecūdò,* vbi ſic ait; Ferrar. *Pater in illo priori quo concipitur à nobis, vt præcedens generationem, & conſtitutus in eſſe hypoſtatico, non concipitur vt aliquid relatiuum, & vt poſitiuè diſtinctus à Filio, cum tunc Filius non intelligatur eſſe, in*

illo priori, ſed vt aliquid abſolutum. Et paucis interiectis, ſic ait; *Vnde nullatenus inconueniens eſt, ſi forma, quam ſignificamus vt conſtitutiuam Patris, intelligatur in illo priori, in quo conſtituit ipſum antequàm generet, ipſum conſtituere ſub aliqua ratione abſoluta*. Et hoc idem quidam alij Thomiſtæ aſſeruiſſe videntur.

41 Reſpondetur, nullum ex præcitatis Doctoribus contra noſtrum primum dictum re vera ſentire; & eorum verba, quibus contrariari videntur, apertiſſimè explicantur. Etenim Capreolus nomine ſubſtantiæ diuinæ non intelligit eſſentiam diuinam ſub formalitate eſſentiæ, ſed intelligit hypoſtaſim, quæ eſt cũ eſſentia diuina realiter identificata. Sic enim locò citato poſt probationes tertiæ concluſionis ait; *Patet ergo, quòd perſona communiter ſumpta ſignificat ſubſtantiam indiuiduam rationalis naturæ. Perſona verò diuina formali ſignificatione ſignificat diſtinctum ſubſiſtens in natura diuina. Et quia hoc non poteſt eſſe* (nota) *niſi relatio, vel relatiuũ, ideo materiali ſignificatione ſignificat relationem, vel relatiuum; & propter hoc poteſt dici, quòd ſignificat relationem per modum ſubſtantiæ*, (nota) *non quæ eſt eſſentia, ſed quæ eſt hypoſtaſis, ſicut & relationem ſignificat non vt relationem, ſed vt relatum, idest, vt ſignificatur hoc nomine Pater, non vt ſignificatur hoc nomine paternitas. Sic enim relatio ſignificata includitur obliquè in ſignificatione diuinæ perſonæ*. Quæ Capreoli verba funditùs præſentis diſput. dæciſionem explanant. Nam quando dicimus, quòd perſona ſignificat relationem, cum perſona ſit nomen concretum, debet in recto concretum quoquè ſignificare, taliter tamẽ, vt per abſtractum intelligatur eſſe conſtitutum; & ſic perſona V. G. in Patre, ſignificat Patrem, & paternitatem. Patrem quidem vt perſonam paternitate conſtitutam.

42 Caietanus quoquè fauet concluſioni, non contradicit. Nam cum ait, quòd relatiuum ſignificatur *per modum abſoluti*, loquitur de ſignificatione non ex parte rei cognitæ. Impoſſibile enim eſt, quòd res cognita petat ſub modo ſibi oppoſito præſentari, aut ſignificari; loquitur igitur, quantùm ad modum ſignificandi ex defectu intellectus noſtri concipientis, pro vt iam per extenſum in hac eadẽ diſp. declarauimus.

43 Ferrarienſis tandem, quamuis prima facie videatur eſſe contrarius, quiquè à nonnullis, ac ſi contrarium diceret, acriter impugnatur, ſe ipſum tamen non obſcurè declarat. Etenim, quando dicit, quòd Pater *in illo priori intelligitur vt aliquid abſolutum*, & quòd forma conſtitutiua Patris conſtituat ipſum ſub aliqua *ratione abſoluta*; poteſt explicari, quòd loquitur de aliquo abſoluto, & de *ratione abſoluta*, non ex parte formalitatis obiectæ, ſeù conceptæ, ſed de aliquo abſoluto, vel *ratione abſoluta* modaliter, modalitate ſe tenente ex imperfectione noſtri modi intelligendi. Quòd autem hæc ſit Ferrarienſis intentio, patet. Nam eodẽ loco ſic ait. *Licet non ſit ordo prioris, & poſterioris in diuinis, vt ſcilicet in aliquo priori extra intellectum Pater prius ſit hypoſtaſis, quàm generet, quàm à Filio relatiuè diſtinguatur, ex parte tamen intellectus noſtri inuenitur ordo quidam: quia enim apud nos priùs ſuppoſitum generans conſtituitur in eſſe, quàm generet, priùs etiam intelligimus in diuinis Patrem in eſſe conſtitutum, deinde Filium generare. Quia verò relatio, qua Pater refertur ad Filiũ in quantùm huiuſmodi, ideſt, in quantùm dicit reſpectum ad alterum, ſequitur actum generationis, ideo Pater in illo priori, quo concipitur à nobis, non vt præcedens generationem; & conſtitutus in eſſe hypoſtatico, non concipitur &c.* Hæc ille.

44 Tria concurrunt ad conſtitutionem perſonæ ex Ferrarienſi; vnum eſt per ſe ſubſiſtere, ſecundum, incommunicabilitas; & tertium diſtinctio ab alia perſona. Primum dicit eſſe à relatione, pro vt eſt eadem eſſentiæ; ſecundum verò, & tertium quatenus ab eſſentia aliqua ratione diſtinguitur, & vtrumquè dicit conuenire relationi, ſecundum propriam rationem relationis. Nõ dico igitur Ferrarien. dicere, ꝙ perſona diuina in ratione hypoſtatica ſeu in ratione ſubſiſtẽdi conſtituatur per relationẽ formaliter, & ſecũdũ propriã rationẽ relationis, quoniã hoc dicit cõuenire perſonæ diuinæ ratione ſubſiſtẽtiæ abſolutæ, quę cõmunis eſt & nõ propria. Et quantùm ad hoc, eſt cõtra noſtrã ſecũdã cõcluſionẽ. Dico itaq; ꝙ ratio incõmunicabilitatis pſonæ diuinæ eſt à relatione formaliter iuxta Ferrariẽſẽ; & cũ ait, ꝙ, *Hæc incõmunicabilitas nõ cõcipitur vt aliquid relatiuũ, ſed vt aliquid abſolutũ, & ſub ratione abſoluta*. Tota ratio abſoluti, abſolutæq; rationis habetur ex imperfecto noſtro modo cõcipiendi.

45 Quòd ſi nõ ſic interpretabitur, ſibimet in eodẽ capite cõtradiceret. Nam dicere, ꝙ cõſtituere rẽ incõmunicabilẽ, & relatiuè diſtinctã cõuenit ſibi (ideſt relationi) ex ſua propria ratione, quà diſtinguitur ab eſſentia; & dicere, ꝙ ſub ratione abſoluta, implicat. Tribuere .n. vtrũquè munus, .ſ. incõmunicabilitatẽ & diſtinctionẽ, ꝓpriæ relationis rationi & à propria relationis ratione ſeiũgere, rationi .ſ. abſolutæ aſcribere, cõtradictionẽ implicat.

QVAESTIO

QVÆSTIO XXX.

DE PLVRALITATE PERSONARVM IN DIVINIS.

IN QVATVOR ARTICVLOS DIVISA.

DEINDE quæritur de pluralitate perſonarum. Et circa hoc quæruntur quatuor.

¶ Primò, vtrum ſint plures perſonæ in diuinis.

¶ Secundò, quot ſint.

¶ Tertiò, quid ſignificent termini numerales in diuinis.

¶ Quartò, de communitate huius nominis perſona.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum ſit ponere plures perſonas in diuinis.

AD primum ſic proceditur, videtur, quod non ſit ponere plures perſonas in diuinis. Perſona enim eſt rationalis naturæ indiuidua ſubſtantia. Si ergo ſunt plures perſonæ in diuinis, ſequitur quod ſint plures ſubſtantiæ; quod videtur hæreticum.

5 *Præterea. Pluralitas proprietatum abſolutarum, non facit diſtinctionem perſonarum, neque in Deo, neque in nobis, multo igitur minus pluralitas relationum; ſed in Deo non eſt alia pluralitas niſi relationum vt ſupra dictum eſt: ergo non poteſt dici, quod in Deo ſint plures perſonæ.*

3 *Præterea. Boet. dicit de Deo loquens, quod hoc verè vnum eſt in quo nullus eſt numerus; ſed pluralitas importat numerum: ergo non ſunt plures perſonæ in diuinis.*

4 *Præterea vbicunque eſt numerus, ibi eſt totum, & pars: ſi igitur in Deo ſit numerus perſonarum, erit in Deo ponere totum, & partem; quod ſimplicitati diuinæ repugnat.*

Sed contra eſt, quod dicit Athanaſius, alia eſt perſona Patris, alia Filij, alia Spiritus ſancti: ergo Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus, ſunt plures perſonæ.

Reſpondeo dicendum, quod plures eſſe perſonas in diuinis, ſequitur ex præmiſſis; oſtenſum eſt enim ſupra, quod hoc nomen perſona, ſignificat in diuinis relationem, vt rem ſubſiſtentem in natura diuina. Supra autem habitum eſt, quod ſunt plures relationes reales in diuinis: vnde ſequitur, quod ſint

plures

FORMATIO ARTICVLI.

COrporis diſtributio in vnica concluſione reſponſiua affirmatiuè quæſito, vnicaquè eiuſdem probatione conſiſtit.

Concluſio eſt iſta. *Plures ſunt perſonæ in diuinis.*

Probatio eſt iſta. *Sunt plures res ſubſiſtẽtes in diuina natura.* Ergo plures sũt perſonæ in diuinis. Patet iſta conſequentia; quia, *hoc eſt eſſe plures perſonas in diuinis.* Probat antecedens; quia *ſupra habitum eſt, quòd ſunt plures relationes reales in diuinis.* Ergo *ſequitur; quòd ſint plures res ſubſiſtentes in diuina natura.* Probat iſtam conſequentiã. *Oſtenſum eſt enim ſupra, quòd hoc nomen perſona, ſignificat in diuinis relationem vt rem ſubſiſtentem in natura diuina.*

Ad primum argumentum reſpondet, explicando antecedens. *Perſona eſt rationalis naturæ indiuidua ſubſtantia*, ideſt, ſuppoſitum, concedit antecedens. Ideſt, eſſentia, negat antecedens; Tunc vlteriùs diſtinguit conſequens. *Si ergo ſunt plures perſonæ in diuinis, ſequitur, quòd ſint plures ſubſtantiæ*, ideſt, plura ſuppoſita, concedit conſequẽtiam. Ideſt, plures eſſentiæ, negat conſequentiam. Et per idem patet ad ſubſumptionem minoris.

Ad ſecundum argumentum reſpondet, concedendo antecedens; & negando conſequentiam; ratio-

rationemquè diſparitatis aſſignat; quia ſcilicet, *proprietates abſolutæ in diuinis, vt bonitas, & ſapientia, non opponuntur ad inuicem, undè nequè realiter diſtinguuntur &c.* Lege litteram.

Ad tertium argumentum reſpondet explicando maiorē. *Hoc verè vnum eſt, in quo nullus eſt numerus,* reſpectu *abſolutè dictorum*, concedit maiorem; & in hoc ſenſu locutus eſt Boetius. Reſpectu *relationū*, ſeù relatiuè dictorum negat maiorem, & in hoc ſenſu dicit Boetium non fuiſſe locutum. Similiter diſtinguenda eſt minor, & neganda eſt conſequentia.

Ad quartum argumentum reſpondet diſtinguendo antecedens. *Vbicumquè eſt numerus ſimplex, vel abſolutus, ibi eſt totum, & pars*, concedit antecedēs. *Vbi eſt numerus, qui eſt in rebus numeratis*, adhuc diſtinguit antecedens. *Vbicumquè eſt numerus in rebus numeratis creatis, ibi eſt totum, & pars*, concedit antecedēs. *In rebus numeratis in*creatis; negat antecedens. *Si igitur &c.* ſimiliter diſtinguendum eſt ſuppoſitum conſequentis, & neganda eſt conſequētia.

plures res ſubſiſtentes, in diuina natura; & hoc eſt eſſe plures perſonas in diuinis.

Ad primum ergo dicendum, quod ſubſtantia non ponitur in diffinitione perſonæ ſecundum quod ſignificat eſſentiam; ſed ſecundum quod ſignificat ſuppoſitum. Quod patet ex hoc, quod additur indiuidua: ad ſignificandum autem ſubſtantiam ſic dictam, habent Græci nomen hypoſtaſis; vnde ſicut nos dicimus tres perſonas, ita ipſi dicunt tres hypoſtaſes. Nos autem non conſueuimus dicere tres ſubſtantias, ne intelligerentur tres eſſentiæ, propter nominis æquiuocationem.

Ad ſecundum dicēdum, quod proprietates abſolutæ in diuinis, (vt bonitas, & ſapientia) non opponuntur adinuicem, vnde neque realiter diſtinguuntur. Quamuis ergo eis conueniat ſubſiſtere, non tamen ſunt plures res ſubſiſtentes, quod eſt eſſe plures perſonas: proprietates autem abſolutæ in rebus creatis non ſubſiſtunt, licet realiter ab inuicē diſtinguantur, vt albedo, & dulcedo; ſed proprietates relatiuæ in Deo, & ſubſiſtunt, & realiter ab inuicem diſtinguuntur, vt ſupra dictum eſt: vnde pluralitas talium proprietatum ſufficit ad pluralitatem perſonarum in diuinis.

Ad tertium dicendum, quod à Deo propter ſummam vnitatem, & ſimplicitatem excluditur omnis pluralitas abſolutè dictorum, non autem pluralitas relationum, quæ relationes prędicantur de aliquo, vt ad alterum; & ſic, compoſitionem in ipſo, de quo dicuntur, non important, vt Boetius in eodem libro docet.

Ad quartum dicendum, quod numerus eſt duplex, ſcilicet numerus ſimplex, vel abſolutus, vt duo, & tria, & quatuor. Et eſt numerus, qui eſt in rebus numeratis, vt duo homines, & duo equi. Si igitur in diuinis accipiatur numerus abſolutè ſine abſtractè, nihil prohibet in eo eſſe totum, & partem, & ſic non eſt niſi in acceptione intellectus noſtri. Non enim numerus abſolutus à rebus numeratis eſt, niſi in intellectu. Si autem accipiamus numerum, prout eſt in rebus numeratis, ſic in rebus quidem creatis, vnum eſt pars duorum, & duo trium, vt vnus homo duorum, & duo trium, & ſic non eſt in Deo, quia tantus eſt Pater, quanta tota Trinitas, vt infra patebit.

SVPER ARTICVLVM COMMENTARIVM.

1 IN titulo, nota, ly, *in diuinis*, non enim accipienda eſt pluraliter illa particula, non obſtante, quod pluraliter proferatur. Aliàs enim quęſitum eſſet ridiculum, & ineptum. Quia ſenſus quæſiti eſſet, *vtrum ſint plures perſonæ in diuinis* perſonis. Supponeret enim plures eſſe diuinas perſonas, & quæreret vtrum ſint plures perſonæ. Accipitur ergo ly, *in diuinis*, pro vt idem ſonat, ac in Deo, ſeù in natura diuina.

2 Plures eſſe perſonas in diuinis, ſequitur ex præmiſſis. Plures eſſe perſonas in diuinis eſt de fide omninò certum. Noetus. Sabellius. Quidquid Noetus, & Sabellius impiè in contrarium dicant. Sic enim ipſa veritas Matthei vlt. teſtificatur, dicens; *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.* Matth. 28. Sic Apoſtolus, & Euangeliſta Ioannes epiſt. 1. cap. 5. *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in Cælo. Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus.* 1. Ioan. 5. Et D. Auguſtinus tom. 3. libr. 7. de Trinit. cap. 4. & ſequentib. D. Aug. explicans ly, *tres*, ſic ait; *Quærentibus autem quid tres, reſpondetur, tres perſonæ.*

3 In reſp. ad 1. *Subſtantia non ponitur in diffinitione perſonæ, ſecundùm quod ſignificat eſſentiam, ſed ſecundùm quòd ſignificat ſuppoſitum.* Dubium occurrit; quia in quæſt. præced. art. 1. ad 2. ait, quòd *ſubſtantia accipitur cōmuniter, pro vt diuiditur in primā, & ſecundam.* Ergo. Non cohęrenter hìc dicit, quòd *ſubſtantia ponitur in diffinitione perſonæ, ſecundùm quòd ſignificat ſuppoſitum.*

4 Reſpondetur cum Petro Bergomenſe in ſuis concordantijs dubio 1026. explicando D. Thomam quantùm ad id Bergom.

quod

quod vtrobiquè dicit. Hic enim accipit ſubſtantiam pro vt vnitam cum illa particula, *indiuidua*, non autem quatenùs præciſè ab intellectu concipitur. Ibi verò accipit ſubſtantiam, pro vt per intellectus noſtri præciſionem antecedit illã particulam, *indiuidua*; Idquè eiuſdem præceptoris verba declarant. Sic enim ibi ait. *Sed meliùs dicendum eſt, quòd ſubſtãtia accipitur communiter, pro vt diuiditur per primam, & ſecundam, & per hoc, quòd additur, indiuidua* (nota) *trahitur ad ſtandum pro ſubſtantia prima*. Et hic ſic ait. *Subſtantia non ponitur in diffinitione perſonæ, ſecundùm quòd ſignificat eſſentiam, ſed ſecundùm quòd ſignificat ſuppoſitum. Quod patet* (nota) *ex hoc, quòd additur, indiuidua*.

5 In reſp. ad 2. *Proprietates abſolutæ in diuinis*, ly, *in diuinis*, conſideratæ à D. Thoma ponitur, vt rectè hìc Caietanus obſeruat. Etenim loquentes de proprietatibus abſolutis in creatis, non opus eſt, vt opponantur, ad hoc vt realiter diſtinguantur.

6 *Proprietates abſolutæ in diuinis, vt bonitas, & ſapientia, non opponuntur ad inuicem. Non opponuntur*. Nam ſi opponerentur, non niſi relatiua eſſet oppoſitio, cum in diuinis nulla alia oppoſitio reperiri poſſit. Ergo non opponuntur. Probatur iſta conſequentia; quia ſi opponerentur relatiuè, non eſſent proprietates abſolutę, ſed relatiuæ.

7 *Quamuis ergo eis conueniat ſubſiſtere*. Proprietatibus abſolutis conuenit quidẽ ſubſiſtere, vnica dumtaxat ſubſiſtentia, non ſolùm realiter, verumetiam virtualiter; ac proinde diſtinctis proprietatibus abſolutis diſtinctione rationi ratiocinatæ, ac virtuali, non multiplicantur virtualiter, aut ratione, ſubſiſtentiæ abſolutæ.

8 Dices. Pluralitas relationum realiter diſtinctarum habet plures ſubſiſtentias relatiuas realiter diſtinctas. Ergo pluralitas proprietatum abſolutarum virtualiter diſtinctarum in diuinis, habet plures ſubſiſtentias abſolutas, etiam virtualiter diſtinctas.

9 Confirmatur. Si proprietates abſolutę realiter ad inuicem diſtinguerentur, haberent quoquè realiter diſtinctas ſubſiſtentias abſolutas. Ergo quia virtualiter, ac ratione ratiocinata diſtinguuntur, eadem prorſus diſtinctione ipſarum ſubſiſtentiæ debent eſſe diſtinctæ.

10 Reſpondetur, concedendo antecedẽs; & negando conſequentiam; & ratio diſparitatis eſt; quia proprietates abſolutæ in diuinis in tantùm dicuntur ſubſiſtentes, in quantùm ſubſiſtunt ſubſiſtentia naturę diuinę, cui conuenit per ſe primò ſubſiſtere. Proprietatibus autem abſolutis nõ conuenit per ſe primò ſubſiſtere, ſeù ratione ſui, ſed quatenùs idẽtificantur cum natura diuina: at verò proprietates relatiuę ferunt ſecum propriam ſubſiſtendi rationem. Conſtituunt enim perſonas, quibus ratione ſui conuenit per propriam ſubſiſtentiam ſubſiſtere.

11 *Quod eſt eſſe plures perſonas*; abſolutas ſcilicet, aut relatiuas, ſecundùm quòd ſunt res ſubſiſtentes, ideſt, ſi diſtinctę res ſubſiſtentes ſunt abſolutę, eſſent plures perſonę abſolutę; Si autem plures res ſubſiſtentes ſunt relatiuę, plures perſonę eſſent quoquè relatiuę.

12 In reſponſione ad 3. *A Deo propter ſummam vnitatem, & ſimplicitatem excluditur omnis pluralitas abſolutè dictorum, non autem pluralitas relationum*. Veriſſima eſt iſta locutio, ac per multùm commẽdat Trinitatis arcanum. Nam in Deo propter ſummam eius vnitatem ac ſimplicitatem, non ſolùm eſt vna diuinitas, verumetiam omnes eius abſolutę proprietates cum diuina eſſentia, & ad inuicem identicam habent vnitatem; quapropter, multitudo, ſeù pluralitas abſolutè dictorum, excluditur à diuinis: at verò pluralitas relationum, quia ex vnitate abſoluta Deitatis, ratione fęcunditatis naturę diuinę per intellectum, & voluntatem, tanquam ex prima radice exoritur, idcircò pluralitas abſolutè dictorum in diuinis non admittitur, benè quidem pluralitas relationum.

13 *Quæ relationes prædicantur de aliquo, vt ad alterum. Prædicantur de aliquo*, non illud pręſupponendo, ſed conſtituendo, ſi ly, *de aliquo*, accipiatur pro ſuppoſito. Et ſenſus eſt, quod conſtituunt aliquid in eſſe ſubſiſtentiali, & perſonali, nõ intranſitiuè, ſed tranſitiuè, quod per illa verba, nempè, vt ad alterum, explicatur. Ideſt, relatio in diuinis ſic cõſtituit perſonam, vt eam ad alteram referat.

14 *Et ſic, compoſitionem in ipſo, de quo dicuntur, non important*. Ly, *in ipſo*, vel demonſtrat Deum; vel ſuppoſitum, ideſt, & ſic in ipſo Deo, de quo dicuntur, compoſitionem nõ important, quia ſcilicet, non componunt cum Deo; quia non comparantur relationes ad Deum, vt actus ad potentiam, aut è contra, ſed vt proprietates relatiuę, veluti rationem eſſentię conſequentes & cum illa realiter idẽtificatę; & quatenùs ab ea ratione diſtinguuntur, non vniuntur vt ratione diſtinctę, ſed tantummodo vt realiter identificatę. Vide, quę ſupra to. 2. q. 13. art. vlt. in Comment. ſuper artic. diximus. Si ſuppoſitum, quod videtur magis ad mentẽ litterę,

& ſic non locutus eſt D. Damaſcenus.

69 Pro maiori tamen propoſitionis D. Damaſceni intelligentia, eſt obſeruandum, quòd loquitur de incurabilitate in genere moris, & de natura humana quãtùm ad ſuam integritatem in eſſe naturę humanæ; ad quam integritatem non pertinet ratio perſonæ. Etenim quamuis non ſit, nec intelligatur completè perfecta ratio ſubſtantię, niſi percipiatur vt per ſe poſitiuè ſubſiſtens, tamen ratio humanæ naturæ, vt humana natura eſt, non completur per rationem ſubſiſtentiæ, ſeù perſonalitatis, ſed tantummodo ex prædicatis eius eſſentialibus.

70 Et inſuper Chriſtus Dominus dicitur, perſonam curaſſe humanam, non quia eam aſſumpſit, ſed quia ſuam propriam poſuit, quæ in ſe Sanctiſſima ſanctitate increata eſt; & actiones humanas Chriſti Domini eliciens de toto rigore iuſtitię pro ſatisfactione generis humani ſatisfecit eas valore dignificans infinito.

71 Ad ſecũdam impugnationem reſpõdetur diſtinguendo, ſeù explicando antecedens. *Omnis entitas poſitiua creaturæ, æquè eſt in potentia obedientiali reſpectu perſonæ diuinæ*, vt producatur, immutetur, annihiletur &c. concedo antecedens. Vt hypoſtaticè aſſumatur, adhùc diſtinguo antecedens. *Omnis entitas poſitiua creaturę* excepta perſona, ſeù ſuppoſito creato, æquè eſt in potentia obedientiali reſpectu perſonæ diuinæ, concedo antecedẽs. Etiam perſona, ſeù ſuppoſito creato ſubintellecto, & incluſo, nego antecedens. Ergo &c. nego conſequentiam.

72 Nec valet exageratio Vulpes, diſp. 63. art. 2. num. 9. quòd ſermo eſt de potentia obedientiali, quæ eſt in omni creatura in ordine ad Deum, quod non videntur percepiſſe Thomiſtæ, vt ipſe putat. Sic enim ait. *Porrò præcisè vnum reperitur in tota coordinatione entium, ſimpliciter independens; Deus ſcilicet, vel ſuppoſitum ſubſiſtens in natura diuina; omnis verò poſitiua entitas creata, vel creabilis, eſt ſuaptè natura dependens in ratione ſubſtentificationis ad illud ſimpliciter primum independens*. Ergo &c. Non inquam, valet, & puto hanc exagerationem feciſſe, propter penuriam argumenti. Non enim valens firma dogmata Thomiſtarum recto diſcurſu ſyllogiſtico impugnare, verbis nititur ſtrepitare. Nam potentia obedientialis, quę eſt in qualibet creatura, non eſt quo ad ea, quæ contradictionem implicant. Etenim Scotus enixè contra D. Thomã tenet, quod natura humana Chriſti Domini à Verbo diuino iam aſſumpta, licet habeat potentiam obedientialem vt aſſumatur à qualibet alia perſona diuina ſeorſim, ac diuiſim, non tamen poteſt ſimul, & collectiuè à tribus diuinis perſonis aſſumi; ac proinde, apud ipſum natura illa eſt in potentia obedientiali, vt ab omnibus tribus perſonis poſſit ſeorſim, ac diuiſim aſſumi, non autem eſt in potentia obedientiali, vt ſimul ab ijs aſſumatur; eò quia apud ipſum hoc contradictionem implicat. Sic in caſu noſtro dicimus. Quare principium petit; & in petitione principij ſiſtit.

73 Obijciet ſecundò ex eodem, & ibidẽ; Quia *ſequitur, quòd natura, quæ iam aſſumpta eſt à Verbo, careret illa entitate poſitiua, quę tamen ponitur vltima, & quaſi actualiſſima, & determinatiſſima in natura tali. Et ſi non videatur inconueniens concedere naturam illã carere ea: arguo, quòd iſta natura non poſſet dimitti ſibi, quin oporteret dari ſibi aliam realitatem ab ea, quam habet, ſcilicet perſonalitatem, vel remaneret non perſonata, quia tunc non eſſet perſonata ſine illa realitate, & illam nunc non habet. Ergo oportet iſtam de nouo illi naturæ dimiſſæ dari.*

74 Totum argumẽtum hoc poteſt Scoto concedi. Etenim benè pro nobis reſpondet; & impugnatio in nullo contra noſtram militat concluſionem. Solùm oportet dulcioribus, proprioribusquè vocabulis noſtram explicare ſententiã. Etenim veriſſimum eſt, quòd ſacratiſſima Chriſti Domini humanitas, Verbo diuino de facto hypoſtaticè vnita, non habet eam realitatem poſitiuam, in qua ratio ſuæ perſonæ creatæ conſiſtit, non tamen propriè dicitur ſua propria perſonalitate carere; quoniam illa particula, *carere*, priuationem indicat, atquè in re priuata imperfectionem arguit. Hoc non reperitur in Chriſti Domini humanitate; quia non eſt ſua propria perſonalitate priuata, quaſi omnimoda careat perſonalitate; ſed loco perſonalitatis creatæ fuit perſonalitate increata, decorata, & exaltata. Ratione cuius ſi humanitati Chriſti Domini proponeretur, velit nec ne, vt dimittatur ab increata perſona, & propriam perſonalitatem acquirat? Reſpondebit vtiquè, velle potiùs ab increata, quàm à creata, & propria perſonari.

75 Quod ſi quis diceret. Anima ſeparata, etiam beata, habet naturale pondus, vt ſuo corpori reuniatur. Ergo etiam ſimiliter humana natura Chriſti Domini ab increata perſona verbi aſſumpta, appetit propria perſonalitatẽ perſonari.

76 Facilis eſt reſponſio, concedendo ſcilicet antecedens, & negando conſequẽtiam: ratio verò diſparitatis eſt omnibus manifeſta. Nam anima ſeparata & beata appetit corpori reuniri, propter per-

fectionem

fectionem totius; Quandoquidem, cum ſit pars debet eſſe propter totum; & propterea etiam dum eſt beata, appetit vt corpori reuniatur. Item. Sic appetit anima beata huiuſmodi reunionem, vt beatitudinem qua fruitur, quamquè Dei munere ſibi parauit, non amittat, nec amittere velit. Non enim reunio cum beatitudine pugnat. Quòd ſi iſta duo incompoſſibilia eſſent, beatitudo animæ ſcilicet, & corpori reunio, anima beata potiùs cuperet in ſua beatitudine permanere, quàm eam amittere, vt ſuo corpori reuniatur. Quare patet diſparitas.

77 Quò ad ea verò quæ ſubiungit Scotus, nempè, *ſi dimitteretur ſibi* natura iam aſſumpta, deberet habere aliam perſonalitatem; vel ſine omni perſonalitate poſſet in rerum natura exiſtere. Vtrumquè concedimus. Primum quidem hoc modo; quia ſi natura aſſumpta à Verbo ſibi dimitteretur, ſtatimatquè naturali ſequela propriam acquireret perſonalitatem, quæ ab eadem natura manaret, non quòd ſibi deforis data eſſet. Quo ad ſecundum verò cum Caietano exiſtimo, fieri poſſe diuino miraculo, vt natura humana ſingularis poſſit ſine omni ſubſiſtentia poſitiua exiſtere. & tunc eſſet tantummodo per ſe perſeitate negatiua, idest, non communicata alteri, nec propriæ perſonalitati. Itaquè Scotus noſtram confirmat, non infirmat concluſionem.

78 Obijciet tertiò ex eodem ibidem. *Quia ſequitur, quòd iſta natura non poſſet dimitti, & eſſe perſonata; quia talis realitas nõ poteſt eſſe realitas naturæ, ſicut oſtenſum eſt in 2. diſt. 3. quæſt. de indiuiduatione; Nec poteſt contineri per idemtitatem in aliqua natura, quæ non eſt eadem ſibi. Quidquid enim non continet aliquam realitatem per idemtitatem manens idem, non poteſt eam continere per idẽtitatem.*

79 Reſpondetur, negando ſequelam. Ad cuius probationem diſtinguo primã antecedentis partem. Talis realitas non poteſt eſſe realitas naturæ, idest, identificata cum natura, concedo. Non poteſt eſſe realitas naturæ, idest non poteſt eſſe realitas à natura naturali ſequela fluens, nego antecedens. Quare &c.

80 Obijciet quartò; quia ſequeretur, quòd natura intellectualis poſſet fieri hæc, & actu exiſtens, & nullo modo perſonata. Prius enim naturaliter poſſet fieri, & non ſub iſta realitate, qua perſonatur, quia ex quo iſta realitas non ponitur realiter, nec formaliter eadem naturæ; & natura, vt natura eſt naturaliter prior ſe ipſa, vt eſt ſub iſta realitate, poſſet fieri non ſub iſta realitate, & in ſecũdo iſtanti naturæ, quo aſſumitur à Verbo, non eſſet neceſſe, Verbum tunc eam aſſumere; poſſet ergo tunc illam non aſſumere, & ita relinqueretur ſibi, & tũc non eſſet perſonata aliqua perſonalitate creata, nec increata.

81 Reſpondetur, concedendo totũ Scoti diſcurſum; dicimus enim fieri poſſe, nõ quidem de potentia ordinaria, ſed de potentia Dei abſoluta, vt quælibet intellectualis natura in rerum natura exiſtat, & non perſonata; quemadmodum fieri poteſt, imò de facto fit, vt accidens ſine ſubiecto exiſtat, ſeù vt ſit exiſtens ſine inhærentia actuali, vt patet in Sacratiſſimo Altaris Sacramento. Sicut enim accidenti conuenit inhærenter exiſtere, ſic ſubſtantiæ completæ exiſtere ſubſiſtenter, ſeù per perſonalitatem, quæ dicit perſeitatem naturæ ſuperadditam.

82 Solùm corrigenda eſt, vel explicanda illa locutio Scoti, dum ex præmiſſis ſic concludit; *poſſet ergo tunc illam non aſſumere, & ita relinqueretur ſibi, & tunc non eſſet perſonata &c.* Etenim in caſu in præmiſſis poſito non eſt ſermo de natura *relicta ſibi*, quoniam ſi natura eſſet ſibi relicta in illo priori ſigno naturæ, & in poſteriori non eſſet à perſona Verbi diuini aſſumpta, ſtatimatquè ab eodem perſonalitas propria naturali ſequela profluerer. In caſu ergo in præmiſſis poſito, in quo conceditur à nobis, natura non eſſet ſibi relicta, ſed diuinitùs impedita.

83 Obijciet quintò pro Molina. Vnum ſupra ens non addit niſi puram diuiſionis negationem, illam contrahendo ad rationem vnius. Ergo ſimiliter perſona non addit ſupra naturam communicationis negationem, naturam contrahendo ad rationem perſonæ. Antecedens eſt D. Thomæ ſupra q. 11. ar. 1. in corp. vbi ſic ait; *Vnum non addit ſupra ens rem aliquam, ſed tantùm negationem diuiſionis.* Conſequentia patet à paritate.

84 Reſpondetur, concedendo antecedẽs, & negando conſequentiam; & ratio diſparitatis eſt, quia aliter comparatur vnum ad ens; & aliter ſuppoſitum, ſeù perſona ad naturam. Etenim vnum eſt idem realiter cum ente, & cum ipſo ſimpliciter omninò conuertitur. Valet enim dicere ens eſt vnum; & vnum eſt ens. Vnde quando dicitur, quòd vnum addit ſupra ens negationem diuiſionis, non eſt ſenſus, quòd diuiſionis negatio limitat, & coarctat entis amplitudinem. Etenim ens, & vnum ſimpliciter conuertuntur. Omne enim ens eſt vnum; & omne vnum eſt ens. Et hoc loquendo de coarctatione propriè dicta; quoniam

ſi

ſi ſermo ſit de coarctatione largè accepta, poſſet dici, quòd vnum coarctat ens. Eſſet enim ſenſus, quod vnum, explicat id, quod eſt quidem ens, non tamen entis nomine explicatur: at vero perſona cōparatur ad naturam, vt aliquid diſtinctū realiter, aut virtualiter à natura. Realiter quidem in creatis; virtualiter vero in diuinis. Primum patet, multipliciterquè ſupra q. 3. probatur, & à nobis iam eſt ex parte inſinuatum; quandoquidē Verbum diuinum aſſumpſit naturam humanam Chriſti Domini, abſquè vlla prorſus alicuius perſonę creatæ aſſumptione. Secundum quoquè eſt manifeſtum. Nam perſona in diuinis eſt omninò alijs perſonis incommunicabilis; natura autem diuina tribus perſonis de facto eſt communicata. Item in Incarnationis myſterio perſona Verbi diuini aſſumpſit naturam humanam, iuxta illud Ioannis 1. *Verbum Caro factum eſt*. Natura autem diuina formaliter, ac primariò loquendo, non dicitur incarnata. Ex quo patet, quòd vnitas entis aliter comparatur ad ens, & aliter perſona ad naturam; ac proinde vnitas pro vt vltra rationem entis, quam neceſſariò dicit oritur ex ente; negatio verò communicabilitatis, conſequitur ad poſitiuam realitatem perſonalitatis.

75 Obijcies ſextò. Quia D. Thomas 1. contra gentes c. 25. ſic ait. *Sed ad hoc dicendum, quòd in diffinitione ſubſtantia non eſt ens per ſe*, & paucis interiectis ſic ait. *Similiter nec ex hoc, quod dicit per ſe, quia hoc non videtur importare niſi negationem tātùm. Dicitur enim ens per ſe, ex hoc, quod non eſt in alio, quod eſt negatio pura*. Sed ratio ſuppoſiti ſupra naturam non addit aliud, quàm perſeitatem. Ergo perſona ſupra naturam non addit niſi meram negationem.

86 Reſpondetur, explicando authoritatē D. Thomæ. Per ſe, formaliter non videtur importare niſi negationem tantū, concedo. Per ſe, fundamentaliter, nego. Similiter declaranda eſt minor, & negāda eſt conſequentia. Per ſe autem fundamentaliter, intelligimus rem, cui conuenit eſſe non in ſubiecto. Per ſe verò formaliter, intelligimus puram negationem inhærendi alter. Lege D. Thomam loco in argumento citato.

DISPVTATIO CLXV.

VTRVM PERSONA DIVINA EX SVO FORMALI, AC primario ſignificato ſignificet relationem, an potiùs aliquod abſolutum.

In tria capita diſtributa.

CAPVT PRIMVM.

Explicatur titulus, & Doctorum opiniones referuntur.

1 PRæſentis diſputationis reſolutio ex alia, infra ex profeſſo tractanda dependet; vtrum ſcilicet, perſonæ diuinæ conſtituantur relationibus, an potiùs proprietatibus abſolutis. Illud enim ynumquodquè per ſe primò ſignificat, per quod in ſuo eſſe per ſe primò ponitur, & conſtituitur. Vnde ſenſus huius quæſiti eſt, Vtrum hoc nomen, perſona diuina, ſignificet per ſe primo eſſentiam diuinam; aut proprietatem aliquam abſolutam, ex natura rei, vel ſola diſtinctione virtuali ab eſſentia diſtinctam; aut relationem dumtaxat.

2 In hac re ſunt opiniones, quas hîc art. 4. & in diſputatis de potent. art. 4. D. Th. refert; quidam enim dixerunt, quòd hoc nomen persona diuina, ſimpliciter, ſeu propriè, ſeù ex virtute vocabuli, ſignificat eſſentiā, & ex quadam accommodatione propter inſtantiam hæreticorum extenſum eſt ad ſignificandam relationem. Huius opinionis videtur eſſe Magiſter in 1. vt inſinuat D. Thomas de potent. loco iam cit. Et meritò quidē. Nam ibi diſt. 23. littera B. ſic ait; *Ecce expreſsè habes, quòd perſona ſecundùm ſubſtātiam dicitur; vt cum dicitur, Pater eſt perſona, hic ſit ſenſus: Pater eſt diuina eſſentia. Similiter cum dicitur, Filius eſt perſona, Spiritus ſanctus*

ſanctus eſt perſona, ideſt, eſſentia diuina. Et ibidem littera G. ex D. Auguſtino lib. 7. de Trinit. cap. 4. ſic ait. *Quaero cur non propter eamdem vnitatem Trinitatis dicantur vna perſona, & non tres perſonæ? Vt enim eſt illis commune nomen eſſentiæ, ita vt ſingulus quiſquè dicatur eſſentia, ſic illis commune eſt perſonæ vocabulum. Quid igitur reſtat, niſi vt fateamur, loquendi neceſſitate, à Græcis, & Latinis parta hæc vocabula aduerſus inſidias, vel errores hæreticorum? Cumquè conaretur humana inopia loquendo proferre ad hominum ſenſus, quod in ſecretario mentis de Deo tenet, ſiuè per piam fidem, ſiuè per qualemcumquè intelligentiam, timuit dicere tres eſſentias, ne intelligeretur in illa ſumma æqualitate vlla diuerſitas.* Idem docet diſt. 25. §. *Sciendum eſt igitur*, vbi ſic ait. *Diſcernentes ergo dicendi cauſa huius nominis, ſcilicet, perſona, ſignificationem diſtinguimus, dicentes, quòd hoc nomen, ſcilicet, perſona, propriè ſecundùm ſubſtantiam dicitur, & eſſentiam ſignificat, ſicut ſupra oſtendit Auguſtinus, cum dicitur Deus eſt perſona, Pater eſt perſona. Quadam tamen neceſſitate (vt ſupra dixit Auguſtinus) tranſlatum eſt hoc nomen, vt pluraliter diceretur, tres perſonæ.* Eiuſdem opinionis videtur fuiſſe Auguſtinus loco nuper citato.

3 *Alij dixerunt, quòd ſimul ſignificat eſſentiã, & relationem; quorum quidam dixerunt, quòd ſignificat eſſentiam in recto, & relationem in obliquo.*

4 *Quidam verò dixerunt, quòd ſignificat relationem in recto, & eſſentiam in obliquo.* Ita D. Thomas.

5 Quidam dixerunt, quòd hoc nomen, perſona, ſignificat aliquam realem communicabilitatis negationem. Ita Scotus tamquàm magis probabile tenet, quam opinionem diſp. præcedenti ex profeſſo reiecimus.

6 Quidam dixerunt, hoc nomen, perſona diuina, non ſignificare primò, & per ſe formalitatem relatiuam, ſed proprietatem abſolutam.

7 Quidam dixerunt, quòd hoc nomen, perſona, ſignificat relationem originis in communi, nõ per modum relationis, ſed hypoſtaſis, ſeù per modum abſoluti; ita videtur dixiſſe Caietanus hìc ar. 4. §. *Ad has*, vbi ſic ait; *Breuiter dicendum eſt, quòd ipſa*, ideſt, perſona diuina, *ſignificat relationem originis in communi, non per modũ relationis, ſed hypoſtaſis.* Et ibidem infra ſic ait; *illa maior non eſt vera, quando relatiuum ſignificatur per modum abſoluti, vt contingit in propoſito.*

CAPVT SECVNDVM.

Determinatio veritatis.

8 PRO determinatione veritatis Dico primò. Hoc nomen, perſona diuina, de ſuo proprio formali, ac primario, ſed completo ſignificato, in recto dicit tantum relationem, non per modum abſoluti, ſed per modũ perfectiſſimæ relationis.

9 Hoc dictum videbitur fortaſsè prima facie aduerſus D. Thomam eiuſquè ſequaces. Eſt tamen D. Thomæ, ac ſectatorum eius, vt probabo. Vnde pro eius intelligentia.

10 Præſuppono primò, quòd relationes perſonales in diuinis ſunt per ſe [illegible] tes ſubſiſtentijs proprijs. [illegible] fra probabimus, in diuinis præter ſubſiſtentiam abſolutam dantur quoquè tres ſubſiſtentiæ relatiuæ.

11 Præſuppono ſecundò, & hoc apud omnes debet eſſe verum, quòd quando aliqua formalitas propriè conuenit Deo, & creaturis, non vniuocè, vt etiam ſupponimus, de creaturis, & Deo prædicatur, ſed analogicè; & formalitas illa magis principaliter, magiſuè propriè dicitur de Deo quàm de creaturis; ac proinde Deus eſt primum analogatum, & ſecunda analogata ſunt creaturæ.

12 Ex quo colligi debet; quòd ille eſt proprius illius formalitatis modus, qui conuenit ei ſecundùm quòd eſt in Deo; modus verò eiuſdem, quatenùs in creaturis inuenitur, eſt ex defectu, non autẽ de perfectione formalitatis illius. Nam formalitas quatenùs in creaturis inuenitur, eſt participatio, nõ verò adæquatio, eius formalitatis, quæ reperitur in Deo. Quemadmodum enim creatura longè abire videtur à Deo, ſic formalitas creaturæ à formalitate Dei. Et hoc inductiuè diſcurrenti patet. Intelligere enim noſtrum eſt participatio intelligere diuini, & nihilominùs intelligere noſtrum eſt eſſentialiter, & intrinſecè accidens, ac inhærens; Intelligere verò diuinum eſt intrinſecè, eſſentialiterquè ſubſiſtens. Imò iuxta probabiliſſimam ſententiam aſſerentem cõſtitutiuum Dei eſſe ipſum diuinum intelligere, per ſe ſubſiſtere pertinet ad lineam formalitatis ipſius intelligere. Similiter bonus, & alia prædicata, quæ conueniunt Deo, & creaturis; bonitas enim conuenit Deo ſubſtantialiter, & per eſſentiam; creaturis autem per participationem.

Præſup-

Digitized by Google

ſicat quidem in recto relationem, ideſt, formalitatem relatiuam quatenùs illa formalitas eſt hypoſtaſis; eamdem relationem verò, ſecundum explicitum cõceptum ipſius Ad ſignificat in obliquo.

23 Et hoc verificatur de relatione diuina, ſeù de formalitate perſonali relatiua, quatenùs in tres inadæquatos conceptus ex imperfecto noſtro modo concipiendi, & per correſpondentiam ad inferiora, vt iam declarabimus, diſtribuitur. Nam quamuis formalitas relatiua in diuinis, V. G. Paternitas, ſimul, & ſemel in tota ſua linea, abſquè vlla prorſus originis prioritate ex parte rei, aut virtuali diſtinctione dicat iſta tria, nempè hypoſtaſim, generationem actiuam Verbi, & ordinem ad Verbum, vt genitum; tamen, intellectus noſter primò prioritate præciſionis, præſcindit, ſeù abſtrahit rationem hypoſtaſis, ſeù conſiderat eam vt hypoſtaſim; ſecundò præſcindit, & eamdem conſiderat relationem, vt productio eſt; & tandem tertiò, conſiderat formalitatem relatiuam, vt ordinantem Patrem ad Filium; ac proinde iuxta hunc diſtributionis modum, priùs conſideratur Pater conſtitutus in ratione perſonæ, deinde in ratione operantis, generantis ſcilicet, & ſpirantis; & tandem, in ratione relati ad genitum, & ſpiratum.

24 Et hoc per correſpondentiam ad hæc inferiora; Quia in his inferioribus perſona generans Filium, habet iſta tria realiter omninò diſtincta, ſcilicet, hypoſtaſim, ſeù ſubſiſtentiam incommunicabilem, generationem actiuam, & ipſam relationem ad Filium iam genitum. Ex quo infertur, quod intellectus noſter aſſuetus iuxta modum horum inferiorum diuina intelligere, ac diſtinguere, priùs format conceptum de illa formalitate perſonali relatiua, vt hypoſtaſis, ſeù vt ſubſiſtens incommunicabiliter eſt, deinde vt producens, ac tandem vt relata eſt; & hoc, vt dixi, per correſpondentiam ad hæc inferiora, in quibus perſona, productio actiua, & relatio ad rem productam realiter diſtinguuntur, taliter, quòd perſona eſt ſubſtantia; productio actiua, accidens de prædicamento actionis; & relatio, accidens ſpectans ad prædicamentum relationis; Quoniã ſi ſermo ſit de formalitate perſonali relatiua, ſecundùm totalem, adæquatamquè lineam eius, non priùs conſtituit perſonam, ſeù hypoſtaſim ſecundùm adæquatam perſonæ diuinæ rationem, ita vt ad adæquatam perſoſonæ diuinæ rationem ſequatur operatio, ſeù actio productiua, & deinde ordo ad rem productam. Hoc enim modo perſona diuina, V. G. Pater, conſtituitur per totum id, quod formalitas relatiua paternitatis dicit, & conſequẽnter, Pater conſtituitur adæquate per hoc, quòd intelligitur ſubſiſtens, generans, ad filiumque relatus.

25 Et de hoc habemus non ineptum ex ſupradictis exemplum. Etenim vt ſupra probabiliter ſuſtinuimus, intelligere per eſſentiam eſt conſtitutiuum Dei, quod ſecundùm totam, & adæquatam formalitatem eius omnia iſta neceſſariò dicit, ſcilicet, ens per eſſentiam, ſubſtantiam intellectiuam, vim intelligendi, & actualem attingentiam obiecti, tanquam vnam ſimpliciſſimam Dei formalitatem; tamen per diuerſam correſpondentiam ad hæc inferiora, in diuerſos inadæquatos conceptus diuiditur, & ſic intellectus noſter priùs concipit ipſum intelligere per eſſentiam, vt eſt quoddam ens per eſſentiam, deinde vt ſubſtantiam intellectiuam, poſteà vt vim intelligendi, ſeu vt intellectum, ac tandem vt actionem, quæ eſt attingentia obiecti. Et hoc, quia in nobis eſt diſtincta ratio ſubſtantiæ intellectiuæ à ratione intellectus, & intellectionis. Cæterùm ſecundùm ſe non conſtituit Deũ adæquatè in ratione Dei, niſi ſecundùm quòd intelligere per eſſentiam omnia ſupradicta numera exercet. Ita in caſu noſtro, Paternitas V. G. quæ eſt formalitas relatiua, priùs concipitur, vt conſtitutiua Patris in ratione perſonæ, deinde in ratione operantis, & tandem in ratione perſonæ relatæ; ſed hoc ſecundùm inadæquatum perſonæ diuinæ conceptum per correſpondentiam, ſcilicet, ad perſonam creatam vt producentem, & relatam: at verò, ſi adæquatè loquamur, perſona Patris conſtituitur per totum illud, quod per formalitatem paternitatis intrinſecè includitur, & explicatur. Patet ergo quomodo intelligatur, quando à D. Thoma affirmatur, quòd perſona diuina ſignificat in recto relationem, ſecundùm quod hypoſtaſis eſt, non verò in quantùm relatio eſt, niſi in obliquo.

26 Dico tertiò. Perſona diuina non ſignificat aliquam proprietatem abſolutam. Probatur. Quia nulla datur in diuinis formalitas abſoluta, niſi toti Trinitati communis, vt probabimus ſuo loco. Ergo.

CAPVT TERTIVM.

Proponuntur argumenta in contrarium, & ſoluuntur.

27 SED contra iſtam determinationem objiciet aliquis primo contra primum dictum. Perſona diuina, V. G. Pater æternus, quando concipitur vt hypoſtaſis, non concipitur modo relatiuo. Ergo modo abſoluto. Ergo perſona diuina ſignificat formalitatem relatiuam ſub ratione abſoluta, non ſub ratione relatiua. Antecedens patet; Quia concipitur vt ſubſiſtens, & conſequenter vt ad ſe, & in ſe exiſtens. Ergo non vt ad Filium ordinatus. Vtraquè verò conſequentia conſtat ex antecedenti. Nam quod nō concipitur vt relatum, concipitur vt abſolutum.

28 Reſpondetur, negando antecedens. Ad cuius probationem diſtinguo antecedens. Concipitur vt ſubſiſtens, tranſitiuè, concedo antecedens. Concipitur vt ſubſiſtens, intranſitiuè, adhuc diſtinguo; intranſitiuè ex imperfectione noſtri modi præſcindendi, concedo antecedens. Intranſitiuè ex parte formalitatis obiectæ, nego antecedens. Et idem dico ad id, quod deducitur, nempè, & conſequenter vt ad ſe, & vt in ſe exiſtēs, ſed tranſitiuè, concedo; intranſitiuè, modo iam explicato, nego.

29 Reſponſio eſt ex dictis manifeſta, & inſuper explicatur. Relatio prædicamētalis eſt in ſubiecto inhęſiuè, & cōſequēter dicit, in, ſed quia non inhæret, vt præcisè inhæreat, & ſubiectum in ſe ipſo diſponat, ſed inhæret, vt ſubiectū ad aliud, ideſt, ad terminum referat. Idcirco relatio dicit, in, non quidem intranſitiuè, ſed tranſitiuè. Vnde magis propriè dicitur in ad, quàm in, & ad. Sic in caſu noſtro, relatio perſonalis in diuinis eſt ſubſiſtentia, non quidem intranſitiuè, ſed tranſitiuè; ſicut enim inhærentia ſe habet reſpectu relationis accidentalis, ita ſubſiſtentia reſpectu relationis diuinę, & ſubſtantialis, ac proinde, quemadmodum in relatione accidentali illud eſſe, in, non conſideratur intranſitiuè, & vt aliquid abſolutum. Conſtaret aliàs relatio prędicamentalis ex conceptu reſpectiuo, & abſoluto, ita relatio diuina, ſecundùm quòd dicit eſſe, in, non quidem inhærenter, ſed ſubſiſtenter, non conſideratur intranſitiuè, ſed tranſitiuè.

30 Obijciet ſecundò. Si perſona ex ſuo primario, ac formali ſignificato diceret relationem, ſequeretur, quòd perſona Patris V. G. quemadmodum ſignificaretur nomine Patris, qui ſignificat relationem, ita ſignificaretur nomine perſonæ Patris: ſed hoc non poteſt dici. Ergo. Probatur maior ab optima, imo & ab omnimoda paritate. Probatur ergo minor; Quia valet dicere Pater æternus, Filij æterni, eſt Pater æternus, non tamen valet dicere in diuinis; Perſona Patris perſonæ Filij eſt perſona. Ergo.

31 Confirmatur ex D. Auguſtino lib. 7. de Trinit. cap. 4. circa finem, vbi pro inconuenienti habet, quòd aliquod ſit ſubſiſtens, & ad aliud relatiuè dicatur: ſed perſona diuina eſt ſubſiſtens, ſeù ſignificat aliquid ſubſiſtens. Ergo perſona diuina non ſignificat relationem. Maior patet; ſic enim Auguſtinus ait. *Quod enim eſt, ad ſe dicitur. Pater autem ad Filium, & Dominus ad ſeruientem creaturam dicuntur; relatiuè ergo ſubſiſtit, ſicut relatiuè gignit, & relatiuè dominatur. Sicut enim ab eo quod eſt eſſe, appellatur eſſentia, ita ab eo quod eſt ſubſiſtere ſubſtantiam dicimus. Abſurdum eſt autem, vt ſubſtantia relatiuè dicatur.* Ergo ſecundùm D. Auguſtinum abſurdum eſt dicere, quod hoc nomen, perſona ſignificat hypoſtaſim, ſeù ſubſiſtentiam, & dicere, quod ſignificat relationem. D. Aug.

32 Reſpondetur, concedendo maiorem, ſeù ſequelam; & negando minorem. Ad cuius probationem concedo primā antecedētis partem, & diſtinguo, ſeù explico ſecundam. Non tamen valet dicere in diuinis perſona Patris perſonæ Filij eſt pſona, ratione imperfecti noſtri modi cōcipiēdi, ratione cuius eſt nomē commune perſonæ creatæ, & increatæ, & inadæquatè, atq; intranſitiuè ex modo intelligēdi cōcipitur, concedo antecedens. Ratione formalitatis obiectæ, nego antecedēs. Ergo &c. nego conſequentiā.

33 Explicatur iſta reſponſio. In tantùm non valet dicere, quòd perſona Patris perſonæ Filij eſt perſona, in quātū intellectus noſter nō valēs per præciſiuā cognitionē intelligere diuinā perſonā Patris V. G. vnico cōceptu quantū ad totū illud, quod ſua formalitas in recto, & adæquatè dicit, eam inſtar creatæ perſonalitatis intelligit, diſtribuēs in triplicem conceptū, in rationē, ſcilicet, hypoſtaſis, in rationē producentis ſi eſt producens, vel in rationē producti, ſi eſt genita, vel ſpirata, & tandem in rationē relati. & propterea non valet illa locutio, ſcilicet, perſona Patris perſonæ Filij eſt perſona. Cæterùm ſi ſemel rectè, adæquatequè hoc nomen, puta, perſona diuina explicetur,

Digitized by Google

cetur: erit verum dicere, perſona diuina Patris perſonæ diuinæ Filij eſt perſona. Vnde D. Auguſtinus lib. 7. de Trinit. cap. 4. ſic ait; *Hic verò vbi nulla eſt eſſentię diuerſitas, oportet, vt ſpeciale nomen habeāt hæc tria, quod tamen non inuenitur. Nam perſona, generale nomen eſt, in tantùm, vt etiam homo poſſit hoc dici, cum tamen interſit inter hominem, & Deum.* Propter hanc ergo communem, variamquè perſonæ ſignificationem, ne occaſio præbeatur errandi, non abſolutè dicitur, quòd perſona Patris V. G. perſonæ Filij eſt perſona. Et propterea, idem D. Auguſtinus loco cit. cap. 6. circa principium ſic ait; *Non placet, vt dicamus Patrem perſonam eſſe Filij, & Spiritus ſancti, aut Filium perſonam eſſe Patris, & Spiritus ſancti, aut Spiritum ſanctum perſonam eſſe Patris, & Filij; ſed nequè perſona ita dici alicubi ſolet, nequè in hac Trinitate, cum dicimus perſonam Patris, aliud dicimus, quàm ſubſtantiam Patris.* D. Aug.

34 Et paucis interiectis ſic ait; *Ad ſe quippè dicitur perſona, non ad Filium, vel Spiritū ſanctum, ſicut ad ſe dicitur Deus, & magnus, & bonus, & iuſtus, & ſi quid aliud huiuſmodi.*

35 Quibus D. Auguſtini verbis ſubiungenda eſt D. Thomæ explicatio. Etenim in hac quæſt. art. 4. ad 1. explicans iam verba relata, ſic ait; *Ad primum ergo dicendum, quòd hoc nomen, perſona, dicitur ad ſe, non ad alterum; quia ſignificat relationem, non per modum relationis, ſed per modum ſubſtantiæ, quæ eſt hypoſtaſis.* Et ſecundùm hoc Auguſtinus dicit, quòd ſignificat eſſentiam, pro vt in Deo eſſentia eſt idem cū hypoſtaſi. D. Thom.

36 Quorum D. Thomæ verborum ſenſus eſt, quòd in tantùm D. Auguſtinus ait, quòd perſona ad ſe dicitur, in quantùm non eſt relatio, ſeù non ſignificat relationem, eo modo, quo eſt vel ſignificatur relatio creata. Hæc enim, puta, creata relatio, non eſt ad ſe, ſub quocumquè relationis conceptu concipiatur; Nequè ſcilicet, ſecūdum quòd dicit eſſe, in, nequè ſecundùm quod dicit eſſe, ad. Non ratione primi, quia ratione illius eſt in ſubiecto, illiquè omninò inhærens; Non ratione ſecundi, ratione cuius eſt ad terminum: At verò perſona diuina, quia eſt re vera propria ſubſiſtentia ſubſiſtens, idcircò dicitur, quòd perſona dicitur ad ſe, & non ad aliud, ideſt, ratione primi muneris, pro vt dicit eſſe in, non eſt inhærens, nec ordinem ad terminum exprimit, ſed ad ſe, ideſt ſubſiſtens. Intellige tamen tranſitiuè, non autem intranſitiuè, vt in reſponſione ad primum diximus, & ex his iam ad argumentum eſt manifeſta reſponſio.

37 Solum aduertendum ſupereſt, quòd quando dicitur bonam eſſe huiuſmodi locutionem, nimirum, Pater æternus eſt Filij æterni Pater, non debet intelligi eo modo, quo in creatis communiter intelligitur; eo quia, in iis verificatur ratione formalitatis relatiuæ ſub expreſſa ratione ipſius, Ad, non autem ſub ratione perſonæ; & ratio eſt, quia paternitas V. G. in creatis, refert quidem perſonam eam relatiuam conſtituendo, ac denominando, in ratione tamen perſonę, iam ſupponit ipſam per realitatem abſolutā conſtitutam. Vnde tota paternitatis formalitas formalitatem conſequitur perſonalem. Cæterùm, in Patre increato paternitatis formalitas non conſequitur perſonalem Patris proprietatem, ſed eam conſtituit. Quapropter, cum dicitur. Pater æternus Filij æterni Pater, tota formalitas patris dicitur relatiua, in quantùm Pater ęternus paternitate ſubſiſtit incommunicabiliter, ad filiumquè ſuum expreſsè refertur, ita vt, illud ſubſiſtere, ſit formalitati relatiuæ intrinſecum, ac primus, vt ita loquar, formalis paternitatis effectus. Vnde rectè conſideranti patebit, quòd quantùm ad rem ſignificatam, poſt exactam explicationem, intelligentiamquè terminorum, idem omnino eſt dicere, perſona Patris æterni eſt Filij æterni perſona, ac dicere, Pater æternus Filij æterni eſt Pater: ſed noli primo loquendi modo vti abſolutè, ne ob diuerſum Sanctorum Patrum loquendi modum, nominumquè æquiuocationem, occaſio præbeatur errandi; benè tamen ſuppoſita, ac ſupradicta explicatione facta, poteſt quiquè eam locutionem abſque errore ſeruare.

38 Obijciet tertiò; quia ſupradicta prima concluſio eſt contra principaliores noſtræ Scholæ Doctores. Etenim eſt contra Capreolum in 1. diſt. 25. q. 1. art. 1. in probationibus 3. concl. vbi videtur cum D. Thoma docere, quòd perſona in diuinis non ſignificat relationem in recto, ſed tantummodo ſubſtantiam diuinam: ſed ſubſtantia diuina eſt aliquid abſolutum. Ergo ſecundùm Capreolū perſona diuina ſignificat relationem, ſeù formam relatiuam per modum abſoluti, non verò modo relatiuo. Capreol.

39 Item, eſt contra Caietanum in hac quæſt. ar. 4. cuius verba in huius diſputationis exordio retulimus. Caiet.

40 Item eſt contra Ferrarienſem in 4. contra gentes cap. 26. §. *conſiderandum ſecūdò,* vbi ſic ait; *Pater in illo priori quo concipitur à nobis, vt præcedens generationem, & conſtitutus in eſſe hypoſtatico, non concipitur vt aliquid relatiuum, & vt poſitiuè diſtinctus à Filio, cum tunc Filius non intelligatur eſſe in* Ferrar.

illo priori, ſed vt aliquid abſolutum . Et paucis interiectis, ſic ait; *Vnde nullum inconueniens eſt, ſi forma, quam ſignificamus vt conſtitutiuam Patris, intelligatur in illo priori, in quo conſtituit ipſum antequàm generet, ipſum conſtituere ſub aliqua ratione abſoluta* . Et hoc idem quidam alij Thomiſtæ aſſeruiſſe videntur.

41 Reſpondetur, nullum ex præcitatis Doctoribus contra noſtrum primum dictum re vera ſentire; & eorum verba, quibus contrariare videntur, apertiſſimè explicantur. Etenim Capreolus, nomine ſubſtantiæ diuinæ, non intelligit eſſentiam diuinam ſub formalitate eſſentiæ, ſed intelligit hypoſtaſim, quæ eſt cũ eſſentia diuina realiter identificata. Sic enim locò citato poſt probationes tertię concluſionis ait; *Patet ergo, quòd perſona communiter ſumpta ſignificat ſubſtantiam indiuiduam rationalis naturæ. Perſona verò diuina formali ſignificatione ſignificat diſtinctum ſubſiſtens in natura diuina. Et quia hoc non poteſt eſſe* (nota) *niſi relatio, vel relatiuũ, ideo materiali ſignificatione ſignificat relationem, vel relatiuum; & propter hoc poteſt dici, quòd ſignificat relationem per modum ſubſtantiæ*, (nota) *non quæ eſt eſſentia, ſed quæ eſt hypoſtaſis, ſicut & relationem ſignificat non vt relationem, ſed vt relatum, id eſt, vt ſignificatur hoc nomine Pater, non vt ſignificatur hoc nomine paternitas. Sic enim relatio ſignificata includitur obliquè in ſignificatione diuinæ perſonæ*. Quæ Capreoli verba funditùs præſentis diſput. deciſionem explanant. Nam quando dicimus, quòd perſona ſignificat relationem, cum perſona ſit nomen concretum, debet in recto concretum quoquè ſignificare, taliter tamẽ, vt per abſtractum intelligatur eſſe conſtitutum; & ſic perſona V. G. in Patre, ſignificat Patrem, & paternitatem. Patrem quidem vt perſonam paternitate conſtitutam.

42 Caietanus quoquè, fauet concluſioni, non contradicit. Nam cum ait, quòd relatiuum ſignificatur *per modum abſoluti*, loquitur de ſignificatione non ex parte rei cognitæ. Impoſſibile enim eſt, quòd res cognita petat ſub modo ſibi oppoſito præſentari, aut ſignificari; loquitur igitur, quantùm ad modum ſignificandi ex defectu intellectus noſtri concipientis, pro vt iam per extenſum in hac eadẽ diſp. declarauimus.

43 Ferrarienſis tandem, quamuis prima facie videatur eſſe contrarius, quiquè à nonnullis, ac ſi contrarium diceret, acriter impugnatur, ſe ipſum tamen non obſcurè declarat. Etenim, quando dicit, quòd Pater *in illo priori intelligitur vt aliquid abſolutum*, & quòd forma conſtitutiua Patris conſtituat ipſum ſub aliqua *ratione abſoluta*; poteſt explicari, quòd loquitur de aliquo abſoluto, & de *ratione abſoluta*, non ex parte formalitatis obiectæ, ſeù conceptæ, ſed de aliquo abſoluto, vel *ratione abſoluta* modaliter, modalitate ſe tenente ex imperfectione noſtri modi intelligendi. Quòd autem hæc ſit Ferrarienſis intentio, patet. Nam eodẽ loco ſic ait. *Licet non ſit ordo prioris, & poſterioris in diuinis, vt ſcilicet in aliquo priori extra intellectum Pater priùs ſit hypoſtaſis, quàm generet, quàm à Filio relatiuè diſtinguatur, ex parte tamen intellectus noſtri inuenitur ordo quidam: quia enim apud nos priùs ſuppoſitum generans conſtituitur in eſſe, quàm generet, priùs etiam intelligimus in diuinis Patrem in eſſe conſtitutum, deinde Filium generare. Quia verò relatio, qua Pater refertur ad Filiũ in quantùm huiuſmodi, id eſt, in quantùm dicit reſpectum ad alterum, ſequitur actum generationis, ideo Pater in illo priori, quo concipitur à nobis, non vt præcedens generationem; & conſtitutus in eſſe hypoſtatico, non concipitur &c.* Hæc ille.

44 Tria concurrunt ad conſtitutionem perſonæ ex Ferrarienſi; vnum eſt per ſe ſubſiſtere, ſecundum, incommunicabilitas; & tertium, diſtinctio ab alia perſona. Primum dicit eſſe à relatione, pro vt eſt eadem eſſentiæ; ſecundum verò, & tertium quatenùs ab eſſentia aliqua ratione diſtinguitur, & vtrumquè dicit conuenire relationi, ſecundum propriam rationem relationis. Nõ dico igitur Ferrarien. dicere, ꝙ perſona diuina in ratione hypoſtatica, ſeu in ratione ſubſiſtẽdi conſtituatur per relationẽ formaliter, & ſecũdũ propriã rationẽ relationis, quoniã hoc dicit cõuenire perſonæ diuinæ ratione ſubſiſtẽtiæ abſolutæ, quę cõmunis eſt & nõ propria. Et quantùm ad hoc, eſt cõtra noſtrã ſecũdã cõcluſionẽ. Dico itaq; ꝙ ratio incõmunicabilitatis ꝑſonæ diuinæ eſt à relatione formaliter iuxta Ferrariẽſẽ; & cũ ait, ꝙ, *Hæc incõmunicabilitas nõ cõcipitur vt aliquid relatiuũ, ſed vt aliquid abſolutũ, & ſub ratione abſoluta*. Tota ratio abſoluti, abſolutæq; rationis habetur ex imperfecto noſtro modo cõcipiendi.

45 Quòd ſi nõ ſic interpretabitur, ſibimet in eodẽ capite cõtradiceret. Nam dicere, ꝙ cõſtituere rẽ incõmunicabilẽ, & relatiuè diſtinctã cõuenit ſibi (id eſt relationi) ex ſua propria ratione, qua diſtinguitur ab eſſentia; & dicere, ꝙ ſub ratione abſoluta, implicat. Tribuere .n. vtrũquè munus, .ſ. incõmunicabilitatẽ & diſtinctionẽ, ꝓpriæ relationis rationi & à propria relationis ratione ſeiũgere, rationi .ſ. abſolutæ aſcribere, cõtradictionẽ implicat.

QVAESTIO

QVÆSTIO XXX.

DE PLVRALITATE PERSONARVM IN DIVINIS.

IN QVATVOR ARTICVLOS DIVISA.

DEINDE quæritur de pluralitate perſonarum. Et circa hoc quæruntur quatuor.

¶ Primò, vtrum ſint plures perſonæ in diuinis.

¶ Secundò, quot ſint.

¶ Tertiò, quid ſignificent termini numerales in diuinis.

¶ Quartò, de communitate huius nominis perſona.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum ſit ponere plures perſonas in diuinis.

AD primum ſic proceditur, videtur, quod non ſit ponere plures perſonas in diuinis. Perſona enim eſt rationalis naturæ indiuidua ſubſtantia. Si ergo ſunt plures perſonæ in diuinis, ſequitur quod ſint plures ſubſtantiæ; quod videtur hæreticum.

5 *Præterea. Pluralitas proprietatum abſolutarum, non facit diſtinctionem perſonarum, neque in Deo, neque in nobis, multo igitur minus pluralitas relationum; ſed in Deo non eſt alia pluralitas niſi relationum vt ſupra dictum eſt: ergo non poteſt dici, quod in Deo ſint plures perſonæ.*

3 *Præterea. Boet. dicit de Deo loquens, quod hoc verè vnum eſt in quo nullus eſt numerus; ſed pluralitas importat numerum: ergo non ſunt plures perſonæ in diuinis.*

4 *Præterea vbicunque eſt numerus, ibi eſt totum, & pars: ſi igitur in Deo ſit numerus perſonarum, erit in Deo ponere totum, & partem; quod ſimplicitati diuinæ repugnat.*

Sed contra eſt, quod dicit Athanaſius, alia eſt perſona Patris, alia Filij, alia Spiritus ſancti: ergo Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus, ſunt plures perſonæ.

Reſpondeo dicendum, quod plures eſſe perſonas in diuinis, ſequitur ex præmiſſis; oſtenſum eſt enim ſupra, quod hoc nomen perſona, ſignificat in diuinis relationem, vt rem ſubſiſtentem in natura diuina. Supra autem habitum eſt, quod ſunt plures relationes reales in diuinis: vnde ſequitur, quod ſint plures

FORMATIO ARTICVLI.

COrporis diſtributio in vnica concluſione reſponſiua affirmatiuè quæſito, vnicaquè eiuſdem probatione conſiſtit.

Concluſio eſt iſta. *Plures ſunt perſonæ in diuinis.*

Probatio eſt iſta. *Sunt plures res ſubſiſtẽtes in diuina natura.* Ergo plures sũt perſonæ in diuinis. Patet iſta conſequentia; quia, *hoc eſt eſſe plures perſonas in diuinis.* Probat antecedens; quia *ſupra habitum eſt, quòd ſunt plures relationes reales in diuinis. Ergo ſequitur; quòd ſint plures res ſubſiſtentes in diuina natura.* Probat iſtam conſequentiã. *Oſtenſum eſt enim ſupra, quòd hoc nomen perſona, ſignificat in diuinis relationem vt rem ſubſiſtentem in natura diuina.*

Ad primum argumentum reſpondet, explicando antecedens. *Perſona eſt rationalis naturæ indiuidua ſubſtantia*, ideſt, ſuppoſitum, concedit antecedens. Ideſt, eſſentia, negat antecedens; Tunc vlteriùs diſtinguit conſequens. *Si ergo ſunt plures perſonæ in diuinis, ſequitur, quòd ſint plures ſubſtantiæ*, ideſt, plura ſuppoſita, concedit conſequẽtiam. Ideſt, plures eſſentiæ, negat conſequentiam. Et per idem patet ad ſubſumptionem minoris.

Ad ſecundum argumentum reſpondet, concedendo antecedens; & negando conſequentiam; ratio-

Digitized by Google

1 rationemquè diſparitatis aſſignat; quia ſcilicet, *proprietates abſolutæ in diuinis, vt bonitas, & ſapientia, non opponuntur ad inuicem, vndè nequè realiter diſtinguuntur &c.* Lege litteram.

Ad tertium argumentum reſpondet explicando maiorē. *Hoc verè vnum eſt, in quo nullus eſt numerus,* reſpectu *abſolutè dictorum*, concedit maiorem; & in hoc ſenſu locutus eſt Boetius. Reſpectu *relationū*, ſeù relatiuè dictorum negat maiorem, & in hoc ſenſu dicit Boetium non fuiſſe locutum. Similiter diſtinguenda eſt

plures res ſubſiſtentes, in diuina natura; & hoc eſt eſſe plures perſonas in diuinis.

Ad primum ergo dicendum, quod ſubſtantia non ponitur in diffinitione perſonæ ſecundum quod ſignificat eſſentiam; ſed ſecundum quod ſignificat ſuppoſitum. Quod patet ex hoc, quod additur indiuidua: ad ſignificandum autem ſubſtantiam ſic dictam, habent Græci nomen hypoſtaſis: vnde ſicut nos dicimus tres perſonas, ita ipſi dicunt tres hypoſtaſes. Nos autem non conſueuimus dicere tres ſubſtantias, ne intelligerentur tres eſſentiæ, propter nominis æquiuocationem.

Ad ſecundum dicēdum, quod proprietates abſolutæ in diuinis, (vt bonitas, & ſapientia) non opponuntur ad inuicem, vnde neque realiter diſtinguuntur. Quamuis ergo eis conueniat ſubſiſtere, non tamen ſunt plures res ſubſiſtentes, quod eſt eſſe plures perſonas: proprietates autem abſolutæ in rebus creatis non ſubſiſtunt, licet realiter ab inuicē diſtinguantur, vt albedo, & dulcedo; ſed proprietates relatiuæ in Deo, & ſubſiſtunt, & realiter ab inuicem diſtinguuntur, vt ſupra dictum eſt: vnde pluralitas talium proprietatum ſufficit ad pluralitatem perſonarum in diuinis.

Ad tertium dicendum, quod à Deo propter ſummam vnitatem, & ſimplicitatem excluditur omnis pluralitas abſolutè dictorum, non autem pluralitas relationum, quæ relationes prędicantur de aliquo, vt ad alterum; & ſic, compoſitionem in ipſo, de quo dicuntur, non importāt, vt Boetius in eodem libro docet.

Ad quartum dicendum, quod numerus eſt duplex, ſcilicet numerus ſimplex, vel abſolutus, vt duo, & tria, & quatuor. Et eſt numerus, qui eſt in rebus numeratis, vt duo homines, & duo equi. Si igitur in diuinis accipiatur numerus abſolutè, ſine abſtractè, nihil prohibet in eo eſſe totum, & partem, & ſic non eſt niſi in acceptione intellectus noſtri. Non enim numerus abſolutus à rebus numeratis eſt, niſi in intellectu. Si autem accipiamus numerum, prout eſt in rebus numeratis, ſic in rebus quidem creatis, vnum eſt pars duorum, & duo trium, vt vnus homo duorum, & duo trium, & ſic non eſt in Deo, quia tantus eſt Pater, quanta tota Trinitas, vt infra patebit.

minor, & neganda eſt conſequentia.

Ad quartum argumentum reſpondet diſtinguendo antecedens. *Vbicumquè eſt numerus ſimplex, vel abſolutus, ibi eſt totum, & pars*, concedit antecedēs. *Vbi eſt numerus, qui eſt in rebus numeratis*, adhuc diſtinguit antecedens. *Vbicumquè eſt numerus in rebus numeratis creatis, ibi eſt totum, & pars*, concedit antecedēs. *In rebus numeratis increatis*; negat antecedens. *Si igitur &c.* ſimiliter diſtinguendum eſt ſuppoſitum conſequentis, & neganda eſt conſequētia.

SVPER ARTICVLVM COMMENTARIVM.

1 IN titulo, nota, ly, *in diuinis*, non enim accipienda eſt pluraliter illa particula, non obſtante, quod pluraliter proferatur. Aliàs enim quęſitum eſſet ridiculum, & ineptum. Quia ſenſus quæſiti eſſet, *vtrum ſint plures perſonæ in diuinis* perſonis. Supponeret enim plures eſſe diuinas perſonas, & quæreret vtrum ſint plures perſonæ. Accipitur ergo ly, *in diuinis*, pro vt idem ſonat, ac in Deo, ſeù in natura diuina.

2 Plures eſſe perſonas in diuinis, ſequitur ex præmiſſis. Plures eſſe perſonas in diuinis eſt de fide omnino certum. Quidquid Noetus, & Sabellius impiè in contrarium dicant. Sic enim ipſa veritas Matthei vlt. teſtificatur, dicens; *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.* Sic Apoſtolus, & Euangeliſta Ioannes epiſt. 1. cap. 5. *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in Cælo. Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus.* Et D. Auguſtinus tom. 3. libr. 7. de Trinit. cap. 4. & ſequentib. explicans ly, *tres*, ſic ait; *Quærentibus autem quid tres, reſpondetur, tres perſonæ.*

Noetus. Sabellius. — Matth. 28. — 1. Ioan. 5. — D. Aug.

3 In reſp. ad 1. *Subſtantia non ponitur in diffinitione perſonæ, ſecundùm quod ſignificat eſſentiam, ſed ſecundùm quòd ſignificat ſuppoſitum.* Dubium occurrit; quia in quæſt. præced. art. 1. ad 2. ait, quòd *ſubſtantia accipitur cōmuniter, pro vt diuiditur in primā, & ſecundam.* Ergo. Non cohęrenter hic dicit, quòd *ſubſtantia ponitur in diffinitione perſonæ, ſecundùm quòd ſignificat ſuppoſitum.*

4 Reſpondetur cum Petro Bergomenſe in ſuis concordantijs dubio 1026. explicando D. Thomam quantùm ad id quod

Bergom.

Digitized by Google

quod vtrobiquè dicit. Hic enim accipit ſubſtantiam pro vt vnitam cum illa particula, *indiuidua*, non autem quatenùs præcisè ab intellectu concipitur. Ibi verò accipit ſubſtantiam, pro vt per intellectus noſtri præciſionem antecedit illã particulam, *indiuidua*; Idquè eiuſdem præceptoris verba declarant. Sic enim ibi ait. *Sed meliùs dicendum eſt, quòd ſubſtãtia accipitur communiter, pro vt diuiditur per primam, & ſecundam, & per hoc, quòd additur, indiuidua* (nota) *trahitur ad ſtandum pro ſubſtantia prima*. Et hic ſic ait. *Subſtantia non ponitur in diffinitione perſonæ, ſecundùm quòd ſignificat eſſentiam, ſed ſecundum quòd ſignificat ſuppoſitum. Quod patet* (nota) *ex hoc, quòd additur, indiuidua*.

5 In reſp. ad 2. *Proprietates abſolutæ in diuinis*, ly, *in diuinis*, conſideratæ à D. Thoma ponitur, vt rectè hìc Caietanus obſeruat. Etenim loquentes de proprietatibus abſolutis in creatis, non opus eſt, vt opponantur, ad hoc vt realiter diſtinguantur.

6 *Proprietates abſolutæ in diuinis, vt bonitas, & ſapientia, non opponuntur ad inuicem. Non opponuntur*. Nam ſi opponerentur, non niſi relatiua eſſet oppoſitio, cum in diuinis nulla alia oppoſitio reperiri poſſit. Ergo non opponuntur. Probatur iſta conſequentia; quia ſi opponerentur relatiuè, non eſſent proprietates abſolutę, ſed relatiuæ.

7 *Quamuis ergo eis conueniat ſubſiſtere*. Proprietatibus abſolutis conuenit quidẽ ſubſiſtere, vnica dumtaxat ſubſiſtentia, non ſolùm realiter, verumetiam virtualiter; ac proinde diſtinctis proprietatibus abſolutis diſtinctione rationis ratiocinatæ, ac virtuali, non multiplicantur virtualiter, aut ratione, ſubſiſtentiæ abſolutæ.

8 Dices. Pluralitas relationum realiter diſtinctarum habet plures ſubſiſtentias relatiuas realiter diſtinctas. Ergo pluralitas proprietatum abſolutarum virtualiter diſtinctarum in diuinis, habet plures ſubſiſtentias abſolutas, etiam virtualiter diſtinctas.

9 Confirmatur. Si proprietates abſolutę realiter ad inuicem diſtinguerentur, haberent quoquè realiter diſtinctas ſubſiſtentias abſolutas. Ergo quia virtualiter, ac ratione ratiocinata diſtinguuntur, eadem prorſus diſtinctione ipſarum ſubſiſtentiæ debent eſſe diſtinctæ.

10 Reſpondetur, concedendo antecedẽs; & negando conſequentiam; & ratio diſparitatis eſt; quia proprietates abſolutæ in diuinis in tantùm dicuntur ſubſiſtentes in quantùm ſubſiſtunt ſubſiſtentia naturę diuinę, cui conuenit per ſe primò ſubſiſtere. Proprietatibus autem abſolutis nõ conuenit per ſe primò ſubſiſtere, ſeù ratione ſui, ſed quatenùs idẽtificantur cum natura diuina: at verò proprietates relatiuę ferunt ſecum propriam ſubſiſtendi rationem. Conſtituunt enim perſonas, quibus ratione ſui conuenit per propriam ſubſiſtentiam ſubſiſtere.

11 *Quod eſt eſſe plures perſonas*; abſolutas ſcilicet, aut relatiuas, ſecundùm quòd ſunt res ſubſiſtentes, ideſt, ſi diſtinctę res ſubſiſtentes ſunt abſolutę, eſſent plures perſonę abſolutę; Si autem plures res ſubſiſtentes ſunt relatiuę, plures perſonę eſſent quoquè relatiuę.

12 In reſponſione ad 3. *A Deo propter ſummam vnitatem, & ſimplicitatem excluditur omnis pluralitas abſolutè dictorum, non autem pluralitas relationum*. Veriſſima eſt iſta locutio, ac per multùm commẽdat Trinitatis arcanum. Nam in Deo propter ſummam eius vnitatem ac ſimplicitatem, non ſolùm eſt vna diuinitas, verumetiam omnes eius abſolutę proprietates cum diuina eſſentia, & ad inuicem identicam habent vnitatem; quapropter, multitudo, ſeù pluralitas abſolutè dictorum, excluditur à diuinis: at verò pluralitas relationum, quia ex vnitate abſoluta Deitatis, ratione fęcunditatis naturę diuinę per intellectum, & voluntatem, tanquam ex prima radice exoritur, idcircò pluralitas abſolutè dictorum in diuinis non admittitur, benè quidem pluralitas relationum.

13 *Quæ relationes prædicantur de aliquo, vt ad alterum. Prædicantur de aliquo* non illud preſupponendo, ſed conſtituendo. ſi ly, *de aliquo*, accipiatur pro ſuppoſito. Et ſenſus eſt, quod conſtituunt aliquid in eſſe ſubſiſtentiali, & perſonali, nõ intranſitiuè, ſed tranſitiuè, quod per illa verba, nempè, vt ad alterum, explicatur. Ideſt, relatio in diuinis ſic cõſtituit perſonam, vt eam ad alteram referat.

14 *Et ſic, compoſitionem in ipſo, de quo dicuntur, non important*. Ly, *in ipſo*, vel demonſtrat Deum; vel ſuppoſitum, ideſt, & ſic in ipſo Deo, de quo dicuntur, compoſitionem nõ important, quia ſcilicet, non componunt cum Deo; quia non comparantur relationes ad Deum, vt actus ad potentiam, aut è contra, ſed vt proprietates relatiuę, veluti rationem eſſentię conſequentes, & cum illa realiter idẽtificatę, & quatenùs ab ea ratione diſtinguuntur, non vniuntur vt ratione diſtinctę, ſed tantummodo vt realiter identificatę. Vide, quę ſupra to. 2. q. 13. art. vlt. in Comment. ſuper artic. diximus. Si ſuppoſitum, quod videtur magis ad mentẽ

litterę,

litteræ, propter id quod ſequitur, videlicet, de quo dicuntur, ſenſus eſt, quòd *in ipſo* ſuppoſito, de quo dicuntur conſtitutiuè & relatiuè, compoſitionem non important; & ratio eſt; quia relatio cum quo omninò identificatur, & in nullo ab eo differt, niſi ſicut abſtractum à concreto, nullam cum eo compoſitionem facit: ſic ſe habet relatio perſonalis in diuinis reſpectu ſui ſuppoſiti. Ergo.

14 In reſponſione ad quartũ Numerus eſt duplex, ſcilicet, numerus ſimplex, vel abſolutus, vt duo, & tria, & quatuor. Et eſt numerus, qui eſt in rebus numeratis, vt duo homines, & duo equi. Senſus eſt, quod duplex eſt numerus, abſtractus à rebus: & in ipſis rebus numeratis. Primus dicitur numerus numerans; ſecundus, dicitur numerus nemeratus. Primus, non eſt, niſi in acceptione intellectus noſtri, non enim numerus abſolutus à rebus numeratis eſt, niſi in intellectu. Secundus eſt in ipſis rebus.

15 Vaſquez in præſentis artic. annotationibus nu. 10 dicit, hanc intelligentiam veram non eſſe: & aliam aſſignat dicẽs, quòd duplex eſt numerus; vnus ſecundùm quantitatem diſcretam, alter verò ſecundùm quantitatem continuam. Et quòd per numerum abſolutum, intelligit eum, qui eſt, ſecundùm quantitatem diſcretam. Per numerum vero in rebus numeratis, intelligit numerum ſecundũ quantitatem continuam. Videndus eſt Gonzalez ſuper hunc art. qui rectè refert explicationem Vaſquez eam impugnat, ipſiuſquè ſoluit argumentum. Et Collegium Salmanticenſe latiùs Vaſquez impugnat tract. 6. diſput. 10. dub. 2. à num. 46. & deinceps. Vaſquez. Gonzal. Salmant.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Vtrum in Deo ſint plures perſonæ, quàm tres.

AD ſecundum ſic proceditur, videtur quod in Deo ſunt plures perſonæ, quàm tres. Pluralitas enim perſonarum in diuinis eſt ſecundum pluralitatem proprietatum relatiuarum, vt dictum eſt; ſed quatuor ſunt relationes in diuinis, (vt ſupra dictum eſt) ſcilicet Paternitas, Filiatio, communis ſpiratio, & proceſſio: ergo quatuor perſonæ ſunt in diuinis.*

2 Præterea. Non plus differt natura à voluntate in Deo, quàm natura ab intellectu; ſed in diuinis eſt alia perſona quæ procedit per modum voluntatis, vt amor, & alia, quæ procedit per modum naturæ, vt filius; ergo eſt etiam alia, quæ procedit per modum intellectus, vt verbum, & alia, quæ procedit per modum naturæ, vt filius: & ſic iterum ſequitur, quod non ſunt tantum tres perſonæ in diuinis.

3 Præterea. In rebus creatis, quod excellentius eſt, plures habet operationes intrinſecas, ſicut homo ſupra alia animalia habet intelligere, & velle; ſed Deus in infinitum excedit omnem creaturam: ergo non ſolum eſt ibi perſona procedens per modum voluntatis, & per modum intellectus, ſed infinitis alijs modis: ergo ſunt infinitæ perſonæ in diuinis.

4 Præterea. Ex infinita bonitate Patris eſt, quod infinitè ſeipſum communicet producendo perſonam diuinam, ſed etiam in Spiritu ſancto eſt infinita bonitas: ergo Spiritus ſanctus producit diuinam perſonam, & illa alia, & ſic in infinitum.

5 Præterea. Omne quod continetur ſub determinato

FORMATIO ARTICVLI.

TRipartita eſt principalis corporis diſtributio. Primò enim ponit concluſionem excluſiuam in cõfuſo tamen, quæ eſt immediatè reſponſiua quæſito. Secundò, eam probat. Et tandem tertiò, ponit concluſionem ſpecificantẽ numerũ perſonarum.

Quò ad primum, concluſio eſt iſta. *Secundùm præmiſſa neceſſè eſt ponere tantùm tres perſonas in diuinis.*

Quòad ſecũdum. Solet ſub hac ſyllogiſtica forma ratio D. Thomæ formari. Quot ſunt relationes ſubſiſtentes ab inuicem realiter diſtinctæ, tot ſunt perſonæ: ſed tres, & non plures ſunt relationes ſubſiſtentes ab inuicem realiter diſtinctæ in diuinis. Ergo tres perſonæ, & non plures ſunt in diuinis; & ad harum trium propoſitionum tota corporis doctrina vertatur.

Verùm, & ſi nõ tàm ſyllogiſticè, tamen magis litteraliter eſt proponenda probatio.

Quò ad ſecundum igitur duo facit; primò, probat duas in diuinis concedendas eſſe perſonas. Secundò, probat præter eas aliam, & non plus vltra dari.

Quò ad horũ primum, probatio duas in diuinis admittendas eſſe perſonas, eſt iſta: *Paternitas, Filiatio, cum ſint oppoſitæ relationes, ad duas perſonas ex neceſſitate pertinent.* Ergo *paternitas ſubſiſtẽs eſt perſona Patris*, ecce prima perſona. *Et filiatio ſubſiſtens*

Digitized by Google

ſtens eſt perſona filij, ecce ſecunda perſona. Antecedens probat ſic. Oportet duas relationes oppoſitas ad duas perſonas pertinere. Siquę autem relationes oppoſitæ non ſunt, ad eamdem perſonam neceſse eſt eas pertinere. Ergo paternitas, & filiatio &c. Probat huius conſequentiæ antecedens; quia Realis diſtinctio inter relationes diuinas non eſt, niſi in ratione oppoſitionis relatiuæ. Ergo oportet duas relationes &c. Principalẽ vero conſequentiam probat ſic. Oſtenſum eſt enim, quòd plures perſonæ ſunt plures relationes ſubſiſtentes ab inuicem realiter diſtinctæ.

Quò ad horum ſecundum, nempè, quòd præter duas perſonas, Patris ſcilicet, & Filij admittenda ſit tertia perſona, puta Spiritus ſancti, & vltra eam non ſit alia concedenda, probatio eſt iſta. Spiratio conuenit & perſonæ Patris, & perſonæ Filij, vtpotè nullam habens oppoſitionem relatiuam, nec ad paternitatem, nec ad filiationem. Et per conſequens, ſeù ergo oportet, quòd conueniat proceſſio alteri perſonæ, quæ dicitur perſona Spiritus ſancti, quæ per modum amoris procedit. Probat conſequentiam; Oportet, quòd vel vna earum, ideſt; ſpiratio actiua, aut proceſſio, conueniat vtriquè dictarum perſonarum; aut quòd vna vni, & alia alij: ſed non poteſt eſſe, quòd proceſſio conueniat Patri, & Filio, vel alteri eorum. Relinquitur ergo quòd

minato numero eſt menſuratum: numerus enim menſura quædam eſt; ſed perſonæ diuinæ ſunt immenſæ, vt patet per Athanaſium: immenſus Pater, immenſus Filius, immenſus Spiritus ſanctus: non ergo ſub numero ternario continentur.

Sed contra eſt, quod dicitur 1. Ioan. vltim. Tres ſunt qui teſtimonium dant in cælo, Pater, Verbũ, & Spiritus ſanctus. Quærentibus autem quid tres, reſpondetur, tres perſonæ, vt Auguſt. dicit 7. de Trinit. ſunt igitur tres perſonæ tantum in diuinis.

Reſpondeo dicendum, quod ſecundum præmiſſa neceſſe eſt ponere tantum tres perſonas in diuinis. Oſtenſum eſt enim, quod plures perſonæ ſunt plures relationes ſubſiſtentes ab inuicem realiter diſtinſtæ, realis autem diſtinctio inter relationes diuinas, non eſt niſi in ratione oppoſitionis relatiuę: ergo oportet duas relationes oppoſitas ad duas perſonas pertinere. Siquæ autem relationes oppoſitę non ſunt, ad eandem perſonam neceſſe eſt eas pertinere. Paternitas ergo, & Filiatio (cum ſint oppoſitæ relationes) ad duas perſonas ex neceſſitate pertinent. Paternitas igitur ſubſiſtens eſt perſona Patris, & filiatio ſubſiſtens eſt perſona Filij. Aliæ autem duæ relationes ad neutram harum oppoſitionem habent, ſed ſibi inuicem opponuntur: impoſſibile eſt igitur, quod ambæ vni perſonæ conueniant. Oportet ergo, quod vel vna earum conueniat vtrique dictarum perſonarum; aut quod vna vni, & alia alij: non autem poteſt eſſe, quod proceſſio conueniat Patri, & Filio, vel alteri eorum, quia ſic ſequeretur, quod proceſſio intellectus, quæ eſt generatio in diuinis, ſecundum quam accipitur paternitas, & filiatio, prodiret ex proceſſione amoris, ſecundum quam accipitur ſpiratio, & proceſſio, ſi perſona generans, & genita, procederent à ſpirante. Quando eſt contra præmiſſa: relinquitur ergo, quod ſpiratio conueniat, & perſonæ patris, & perſonæ filij, vtpote nullam habens oppoſitionem relatiuam, nec ad paternitatem, nec ad filiationem, & per conſequens oportet, quod conueniat proceſſio alteri perſonę, quę dicitur perſona Spiritus ſancti, quæ per modum amoris procedit, vt ſupra habitum eſt. Relinquitur ergo tantum tres perſonas eſſe in diuinis, ſcilicet Patrẽ, & Filium, & Spiritum ſanctum.

Ad primum ergo dicendũ, quod licet ſint quatuor relationes in diuinis: tamen vna earum, ſcilicet ſpiratio, non ſeparatur à perſona Patris, & Filij; ſed conuenit vtrique; & ſic licet ſit relatio, nõ tamen dicitur proprietas, (quia non conuenit vni tantũ perſonæ,) neque relatio perſonalis, ideſt conſtituens perſonã; ſed hæ tres relationes, paternitas, filiatio, & proceſſio, dicuntur proprietates perſonales, quaſi perſonas conſtituentes: nam paternitas eſt perſona Patris, filiatio perſona Filij, proceſſio perſona Spiritus ſancti.

Ad ſecundũ dicendũ, quod id, quod procedit per modum intellectus vt verbum, procedit ſecundum rationem ſimilitudinis, ſicut etiam id, quod procedit per modum naturæ; & ideò ſupra dictum eſt, quod proceſſio Verbi diuini, eſt ipſa generatio per modum

ſpiratio &c. Probat minorem; quia ſic ſequeretur, quòd proceſſio intellectus, quę eſt generatio in diuinis, ſecundùm quam accipitur paternitas, & filiatio, prodiret ex proceſſione amoris, ſecundùm quam accipitur ſpiratio, & proceſſio, ſi perſona generans, & genita, procederent à ſpirante: quod eſt contra præmiſſa. Ergo non poteſt eſſe &c. Probat verò maiorem. Quia impoſſibile eſt, quòd ambæ vni perſonæ conueniant. Ergo oportet, quòd vel vna earum &c. Probat huius conſequentiæ antecedens; quia, Aliæ duæ relationes, nempè ſpiratio actiua, & proceſſio, ad neutram harum oppoſitionem habent, ſed ſibi inuicem opponuntur. Ergo impoſſibile eſt &c.

Quò ad tertium principale, concluſio quæ in corporis principio fuerat in confuſo poſita, in fine diſtinctè ponitur, & eſt iſta. Relinquitur ergo tantùm tres perſonas eſſe in diuinis, ſcilicet, Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum.

Ad primum argumentum reſpondet, concedendo maiorem, & diſtinguendo, ſeù explicando minorem. Sed quatuor ſunt relationes in diuinis, ita vt tres tantùm ſint proprietates relatiuæ, & vna ex quatuor non ſit proprietas perſonalis, ſed potiùs perſonarum, concedit minorem; Ita vt omnes quatuor relationes in diuinis ſint proprietates perſonales,

modum naturæ, Amor autem inquantum huiuſmodi, non procedit, vt ſimilitudo illius à quo procedit: licet in diuinis amor ſit coeſſentialis, inquantum eſt diuinus; & ideò proceſſio amoris non dicitur generatio in diuinis.

Ad tertium dicendum, quod homo (cum ſit perfectior alijs animalibus) habet plures operationes intrinſecas, quàm alia animalia, quia eius perfectio eſt per modum compoſitionis: vnde in Angelis, qui ſunt perfectiores, & ſimpliciores, ſunt pauciores operationes intrinſecæ, quàm in homine, quia in eis non eſt imaginari, ſentire, & huiuſmodi; ſed in Deo ſecundum rem nõn eſt, niſi vna operatio, quæ eſt ſua eſſentia; ſed quomodo ſunt duæ proceſſiones, ſupra oſtenſum eſt.

Ad quartum dicendum, quod ratio illa procederet, ſi Spiritus ſanctus haberet aliam numero bonitatem à bonitate Patris: oporteret enim, quod ſicut Pater per ſuam bonitatem producit perſonã diuinam, ita & Spiritus ſanctus; ſed vna & eadem bonitas Patris eſt, & Spiritus ſancti: neque etiam eſt diſtinctio, niſi per relationes perſonarum: vnde bonitas conuenit Spiritui ſancto, quaſi habita ab alio, Patri autem, ſicut à quo communicatur alteri. Oppoſitio autem relationis non permittit, vt cum relatione Spiritus ſancti, ſit relatio principij reſpectu diuinæ perſonæ, quia ipſe procedit ab alijs perſonis, quæ in diuinis eſſe poſſunt.

Ad quintum dicendum, quod numerus determinatus (ſi accipiatur numerus ſimplex, qui eſt tantum in acceptione intellectus) per vnum menſuratur. Si verò accipiatur numerus rerum in diuinis perſonis, ſic non competit ibi ratio menſurati, quia eadem eſt magnitudo trium perſonarum, vt infra patebit: idem autem non menſuratur per idem.

nales, negat minorem. Ergo &c. negat conſequentiam. Lege totam reſponſionem in littera.

Ad ſecundum argumentum reſpondet, concedendo maiorem, minorem quo ad ſecundam partem, diſtinguendo verò, ſeu explicando eam quo ad ſecundam; *& alia quæ procedit per modum naturæ*, ideſt, per modum ſimilitudinis, concedit minorem. *Et alia, per modum naturæ*, ideſt, per naturam, & non per intellectum, negat minorem. Ergo &c. negat conſequentiam. Et rationem negationis perſpicuè ponit in littera.

Ad tertium argumentum reſpondet, explicando maiorẽ. *In rebus creatis, quod excellentiùs eſt plures habet operationes intrinſecas, ſicut homo*, ratione perfectionis, quæ eſt per modum compoſitionis, concedit maiorem. In rebus creatis ſicut in Angelis, qui ſunt perfectiores, & ſimpliciores, quod excellentiùs eſt plures habet operationes, negat maiorem. Tunc conceſſa minori, negat conſequentiam: lege litteram.

Ad quartum argumentum reſpondet, concedendo maiorem, & diſtinguẽdo, ſeu potiùs explicando minorem. Sed etiam in Spiritu ſancto eſt infinita bonitas eadem numero cum bonitate Patris, concedit minorem. Alia numero à bonitate Patris, negat minorem. Ergo &c. negat conſequentiã. lege litteram.

Ad quintum argumentum reſpondet, diſtinguendo maiorem. Omne quod continetur ſub determinato numero ſimplici, qui eſt tãtùm in acceptione intellectus, eſt menſuratũ, concedit maiorem. Omne quod cõtinetur ſub determinato numero, rerũ; adhùc diſtinguit maiorem; continetur ſub determinato numero rerum creatarũ, eſt menſuratũ, concedit maiorem. Rerum increatarum, ſeu in diuinis, negat maiorem. Tunc conceſſa minori, negat conſequentiam; vel ſimiliter diſtinguẽdum eſt conſequens.

SVPER ARTICVLVM COMMENTARIVM.

1 N*Eceſſe eſt ponere tantùm tres perſonas in diuinis*. Concluſio hæc de fide certa eſt; quia ſic dicitur 1. Ioannis vlt. (1. Joa. vlt.) *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus*. Sic Matthæi vlt. dicitur. (Matt. vlt.) *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti*. Sic determinatum eſt à Papa Innocẽtio tertio in Concil. gener. extra (Innoc. 3.) de Summa Trinit. cap. Firmiter credimus, vbi dicitur; quòd *vnus ſolus eſt Deus, Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus*.

2 Et ex huius concluſionis firmiſſima veritate, hæreſes omnes aſſerentes, vel quòd vna ſit, dumtaxat, in Deitate perſona, vt Iudæi, & cum eis Sabellius, & alij; vel quòd ſunt tantùm duæ perſonæ, (Vig. Pap.) ſcilicet, Pater, & Filius, vt refert Vigilius Papa, & martir cap. 2. ſuç Epiſtolç ad Euthenium valide confunduntur. Vnde iſti hæretici dicũt, quòd cũ ab Eccleſia gloria Deo canitur, his verbis, ſcilicet;

Gloria

Gloria Patri, & Filio, & Spirituiſancto; & à Chriſto Domino Matthæi vlt. dicitur, *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij Spiritus ſancti*, ſubtrahenda eſt illa particula vltima coniunctiua, puta, *Et*, ac proinde, ſic legendum, ſeù canendum eſſe dicunt. *Gloria Patri, & Filio Spirituiſancto*. Et ſimiliter *baptizantes eos in nomine Patris, & Filij Spiritus ſancti*. Quare aiunt, perſonã Filij, & Spiritus ſancti vnam, eamdemquè, & non duas eſſe perſonas. Matt. vlt.

3 Quamuis concluſio articuli ſit vnum ex Sacræ Theologiæ principijs, nihilominus eam D. Thomas adhùc efficaciter ex ijs, quæ ſupra ex fide aſſerta ſunt, & explicata deducit, & ſic ex parte eſt principium theologiæ, & ex altera parte concluſio.

4 *Siquè autem relationes oppoſitæ non ſunt*; Ly, *ſi*, non accipitur dubitatiuè, ſed aſſertiuè, ac deductiuè. Et ſenſus eſt, quòd aliæ *relationes*, quæ *oppoſitæ non ſunt*, ad eamdem perſonam neceſſe eſt eas pertinere.

5 *Siquè autem relationes oppoſitæ non ſunt, ad eamdem perſonam neceſſe eſt eas pertinere*. *Neceſſè eſt*, eò quia, realis diſtinctio in diuinis inter ea dumtaxat, inuenitur, quæ relatiuè ad inuicem opponuntur.

6 Ex qua propoſitione fidei catholicæ doctrina magnoperè declaratur, & commendatur. Hinc enim ſequitur, quòd cum Ioan. cap. 15. dicitur; *Spiritus ſanctus qui à Patre procedit*, neceſſe eſt, quòd Spiratio actiua conueniat quoquè Filio, eo quia filiationi non opponitur relatiuè; ac proinde dicens, qui à Patre procedit, ſubintelligit quoquè, & à Filio; vnde in Concilij Nicęni ſymbolo, cũ dicitur, *qui à Patre Filioquè procedit*, non additur nouus fidei articulus, ſed qui in ly, *à Patre*, implicitè ſubintelligebatur, propter hæreticorum pertinaciam, catholicorumquè inſtructionem, explicitè declaratur. Hinc quoquè ſequitur, quòd quidquid eſt in Patre, ſiuè abſolutum, ſiuè relatiuum, dicitur de quacumque alia perſona, dummodo illi relatiuè nullatenùs opponatur. Ioan. 15.

7 *Aliæ autem duæ relationes ad neutram harum oppoſitionem habent*. *Aliæ autem duæ*, ideſt, ſpiratio actiua, & proceſſio. Dubium occurrit. Quia ſi hæc propoſitio eſt vera, ſequitur, quòd ambæ, ſcilicet, ſpiratio actiua, & proceſſio ambabus, ſcilicet paternitati, filiationique ſimul neceſſariò conuenirent: ſed hoc non poteſt dici, & in corpore præſentis articuli à D. Thoma efficaciter impugnatur. Ergo. Probatur ſequela. Ex eodem D. Thoma hìc in verbis paulò ante relatis, & explicatis, dum ait. *Siquæ autem relationes oppoſitæ non ſunt, ad eamdẽ perſonam neceſſe eſt eas pertinere*. Ergo ſi ſecundùm D. Thomam ſpiratio actiua, & proceſſio ad neutram ſcilicet, nequè ad paternitatem, nequè ad filiationem oppoſitionem habent, ambæ ad vtramquè pertinebunt. D. Thom.

8 Reſpondetur, negando ſequelam. Ad cuius probationem explico antecedens. Ex eodem D. Thoma hìc in verbis paulò ante relatis &c. *Siquæ autem relationes oppoſitæ non ſunt* præciſe, nequè conſecutiuè, *ad eamdem perſonam neceſſe eſt eas pertinere*, concedo. *Oppoſitæ non ſunt* præciſè, ſunt tamen oppoſitæ conſecutiuè, *ad eãdem perſonam &c.* nego antecedens. D. Thomas intelligendus eſt in primo ſenſu iam affirmato, non autem in ſecũdò negato. Et cum dixit ſic; *Aliæ autem duę relationes ad neutram harum oppoſitionẽ habent*, intelligendus eſt de oppoſitione ſub præciſa ratione paternitatis, & filiationis, non autem de oppoſitione prædictas relationes conſequente. Et vt magis intelligatur hæc propoſitio, iterum proponitur, & explicatur. D. Thom.

9 *Aliæ autem duæ relationes ad neutram harum oppoſitionem habent*. *Ad neutram*, ſubaudi, ſub præciſa, & expreſſa paternitatis, ac filiationis ratione dumtaxat; quoniam ſi ſermo ſit de oppoſitione relatiua, quę conſequitur relationes paternitatis, & filiationis, proceſſio eſt relatiuè oppoſita paternitati, & filiationi; eo quia, ad paternitatem, & filiationem pertinet ratio ſpirationis actiuæ.

10 *Relinquitur ergo, quòd ſpiratio conueniat, & perſonæ Patris, & perſonæ Filij, vtpotè, nullam habens oppoſitionem relatiuam, nec ad paternitatem, nec ad filiationem*. Nota diligenter illam particulam, *nullam*, quoniam præcedentes propoſitiones iam poſitas ad inuicem concordat, & explanat, dubitationem à Caietano hìc §. *circa eundẽ*, propoſitam diſſoluit, ac ſolutionem dub. præced. datam, re vera confirmat. Per illam enim deſignatur, quòd cum dixit, ſic; *Siquæ autem relationes oppoſitæ non ſunt, ad eamdem perſonam neceſſe eſt eas pertinere*, per ly, *oppoſitę, non ſunt*, intelligit ſic, ideſt, *ſiquæ autem relationes nullam oppoſitionem habent*. Et cum dixit ſic; *Aliæ autem duæ relationes ad neutram harum oppoſitionem habent*, non intendit dicere, quòd nullam oppoſitionem habent. Aliàs enim in eodem articulo catholicæ veritatis Doctor, videretur ſibimet aduerſari. Per illam ergo particulam, *nullam*, intelligit id, quod ſupra dicebamus, ideſt, nequè habent oppoſitionem relatiuam ad relationes paternitatis, & filiationis ſecundùm quod paternitas, & filiatio ſub ex- Caiet.

 plicita,

Digitized by Google

explicita, & expreſſa paternitatis, ac filiationis ratione conſiderantur, neque conſecutiuè. Etenim proceſſio expreſsè, & immediatè relatiuè opponitur relationi ſpirationis actiuæ, & procedens, ſpiratori, ſeù ſpirantibus. Vnde, Spiritus ſanctus Patri, Filioquè opponitur relatiuè expreſsè, pro vt perſona Patris, & perſona Filij habent rationem vnius ſpiratoris, ſeù duorum ſpirãtium; & ſic formale correlatiuũ Spiritus sãcti procedẽtis, eſt relatio ſpiratoris: eſſe autem ſpiratorem conuenit relationi paternitatis, & filiationis, quatenùs ſic ſunt duæ ſubſiſtentes relationes, vt eis vnitim, ac ſimpliciter conueniat virtus ſpirationis actiuæ. Sed de hac re infra iterum ſermo redibit quæſt. 36.

11 In reſponſ. ad 1. *Licet ſint quatuor relationes in diuinis, tamen vna earum, ſcilicet ſpiratio, non ſeparatur à perſona Patris, & Filij, ſed conuenit vtriquè*. *Non ſeparatur*, ſubaudi, per realem, relatiuamquè oppoſitionem; neque etiam per omnimodam eſſentiæ ſcilicet, aut exiſtentiæ ſegregationem. Primò enim modo, omnes tres perſonæ diuinæ poſſunt intelligi ad inuicem ſeparatæ, ideſt, diſtinctæ; ſecundò verò, nequaquàm. Dicitur enim a Filio Dei Ioannis 10. *Ego in Patre, & Pater in me eſt*. Et ibidem pauloante, *Ego, & Pater vnum ſumus*. Tum etiam quia, nulla perſona diuina ab eſſentia ſeparatim exiſtit, ac proinde in qualibet perſona diuina cum ſit eſſentia diuina per identitatem, in qualibet quoquè diuina perſona ſunt aliæ perſonæ, quatenùs cũ eſſentia identitatem habent; & inſuper; quia perſona producens non agit per actionem ad exteriorem materiam tranſeuntem, ſed immanenter: ideo iuxta ſecundum ſeparationis modum nulla perſona diuina, nullaquè diuina relatio ab alia ſeparatim exiſtit.

Ioan. 10.

12 *Non ſeparatur à perſona Patris, & Filij, ſed conuenit vtriquè*, non ſecundùm communem identitatis modum; Etenim ſpiratio actiua neque etiam eſt ab eſſentia diuina ſeparata, neque aliquã reali diſtinctione diſtincta; *Sed conuenit vtriquè*, non ſolùm per identitatem, verumetiam, vt referens vtrumquè, ſcilicet, Patrem, & Filium ad Spiritum ſanctum, quemadmodum non conuenit eſſentiæ diuinæ ſpirare, ſed Patri, Filioquè dumtaxat, conuenit ſpirare Spiritum ſanctum.

13 In reſp. ad 3. *Homo (cum ſit perfectior alijs animalibus) habet plures operationes, quàm alia animalia, quia eius perfectio eſt per modum compoſitionis*. Nota ly, *per modum compoſitionis*; & ly, *cum ſit perfectior alijs animalibus*; Nam non eſt ſermo de compoſitione ex eſſentia, & exiſtentia; quoniam hæc reperitur etiam in Angelis, ſed de compoſitione eſſentiæ, quæ, ſcilicet, ex materia, & forma coaleſcit, in qua ſecundùm quòd aliquid eſt eſſentiæ perfectioris, ſequitur, quòd plures entium gradus includat; & conſequenter, quot ſunt in aliqua entis compoſiti eſſentia gradus, tot conueniunt ei operationes genericè diuerſæ. Gradus enim (loquimur de gradibus metaphyſicè acceptis, ſicuti ſunt, eſſe corporeum, vegetatiuũ, sẽſitiuum, & intellectiuum) eſt de genere ſubſtantię principium operationis genericè diuerſæ. Cum igitur homo ſit perfectior alijs animalibus, eius eſſentia, quæ eſt per modum compoſitionis omnes gradus, tot quoquè homo diuerſas operationes habet; hoc autem in Angelis non reperitur; eo quia, Angeli quamuis ſint homine præſtantiores, tamen in ſui eſſentia ſunt omnis compoſitionis ex materia, ſcilicet, & forma expertes; & eorum eſſentia tantùm in ſubſtantiali intellectualitate perfecta, ſeù completa in ſpecie conſiſtit. Vnde licet diuerſas operationes habeat, omnes tamen ad gradum intellectiuum pertinent.

14 *Habet plures operationes intrinſecas*, ideſt, ab intrinſeco principio ſibi cõuenientes. Item. *Intrinſecas*, ideſt, immanentes. Etenim nutritio, & augumentatio, ſentire, intelligere, & velle, ſunt operationes intrinſecæ, ideſt, immanentes,

15 In reſp. ad 4. *Ratio illa procederet, ſi Spiritus ſanctus haberet aliam numero bonitatem à bonitate Patris*. Supponit D. Thomas, & admittit argumenti dari de facto proceſſionem in infinito ente per eſſentiã, ex vi infinitæ bonitatis, & ſic ſuppoſito, ſeù dato argumenti, quod Pater æternus debet ſe infinito modo communicare, ob infinitam Deitatis bonitatem; ſic dicit, quòd *ratio illa procederet ſi Spiritus ſanctus haberet aliam numero bonitatem à bonitate Patris*. Verùm, quia eſt eadem omninò bonitas Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, non oportet, quòd Spiritus ſanctus alij perſonæ infinitè ſe communicet.

16 Nec propterea ſequitur, quòd duæ dumtaxat, in diuinis deberent eſſe perſonæ; eo quia, infinita Dei bonitas eſt ratio, vt Pater infinitè ſe communicet per omnes facultates, per quas in natura intellectuali ſolet fieri communicatio; Huiuſmodi autem facultates ſunt duæ, intellectus, ſcilicet, & voluntas, & idcircò ob infinitam diuinæ naturæ bonitatẽ non vna tantùm, ſed duæ debent eſſe productæ in Trinitate perſonæ.

17 In reſponſ. ad 5. *Numerus determinatus (ſi accipiatur numerus ſimplex, qui eſt tantũ*

in

in acceptione intellectus) per vnum menſuratur. Verba hæc confirmant explicationem ad quartum præcedentis articuli communiter à Thomiſtis poſitam, & Vaſqueſij explicationem inpugnant. Vide Caietanum hìc, & Iauellum circa commentationem litteræ D. Thomæ optimè diſcurrentes.

Caiet. Iauell.

18 *Numerus determinatus*. Ly, *determinatus*, accipitur pro vt opponitur numero indeterminato, indeterminato, inquam, non pro vt coincidit cum infinito, ſed pro vt aliquam determinatam ſpeciem numeri non explanat. Vnde numerus indeterminatus per huiuſmodi nomina ſignificari ſolet, ſcilicet, multi, plures, pauci &c.

19 *Si accipiatur numerus ſimplex*. Si omnis numerus ex pluribus vnitatibus eſt compoſitus, quare ergo D. Thomas dixit ſic, *ſi accipiatur numerus ſimplex?* Dicendum eſt, quòd cum ſimplex diſtinguatur contra compoſitum, nomine numeri ſimplicis non intelligit numerũ, qui non ſit ex pluribus vnitatibus aliqua ratione cõpoſitus, ſed intelligit numerũ, pro vt non eſt mixtus cum rebus numeratis. Vnde numerus, qui hìc vocatur *ſimplex*, dicitur quoquè abſolutus, & abſtractus. Abſolutus quidem, quia eſt abſtractus à rebus numeratis; abſtractus quoquè, non quia ſit terminus abſtractus; multa enim, plura, duo, tria &c. non ſunt termini abſtracti, ſed concreti, ſed vocatur numerus abſtractus, quia, ſcilicet, aliqualiter eſt abſtractus à rebus numeratis, vt diximus in Commentario ſuper art. 1. in reſp. ad 4. num. 15.

20 *Qui eſt tantùm in acceptione intellectus*. Subaudi, noſtri. Etenim numerus ſimplex, abſolutus, & à rebus numeratis abſtractus non datur in intellectu diuino immediatè, cum intellectus diuinus non ſit abſtractiuus.

21 Ex quo ſequitur, quòd numerus, pro vt eſt in intellectu diuino, non numeratur ab eo per vnitatem, quia huiuſmodi numeratio ſucceſſionem ex parte numerantis indicat, eſt igitur in intellectu diuino non per modum numeri numeratus, ſed quantùm ad omnes ſui ſpecies vnico, ac ſimpliciſſimo intuitu perfectiſſimè cognitus. Vnde cum Pſalm. 146. dicitur; *Qui numerat multitudinem ſtellarũ*, non ſic intelligitur, quaſi numerationẽ faciat à prima vſquè ad vltimam ſtellarum perueniens; ſed ſic intelligitur, qui omnium ſtellarum numerum perfectè cognoſcit.

22 *Qui eſt tantùm in acceptione intellectus*. *In acceptione*, ideſt, in enumeratione modo compoſitiuo, quæ eſt tantùm in intellectu noſtro, vt enumerante vnum poſt aliud.

23 *In acceptione intellectus*, iterũ ſubaudi, noſtri, nõ vt fingẽtis, ſed pro vt dicebamus, pro opportunitate, vel occaſione enumerare incipientis, ac proſequentis enumerationem.

24 Ex quo colligitur, quomodo intelligenda ſit doctrina D. Thomæ in 8. metaphyſ. lect. 3. vbi docet, quòd in numeris vltima vnitas ſe habet vt forma. Non enim ſic intelligitur, quaſi ſenſus ſit, quod vltima vnitas conſtituat ſpeciẽ numeri, vt forma totius; neque, quaſi in rebus numeratis detur eſſentialiter aliqua vnitas, quæ ſit alijs vnitatibus ad eumdem numerum pertinentibus prior, ſed hoc intelligitur reſpectu intellectus noſtri, vt enumerantis vnam vnitatem poſt aliam, ſeù vnum poſt aliud, non autem de numero vt exiſtente. Sic enim ęque ex omnibus vnitatibus ſimul ſumptis coſtat, quod exemplis faciliùs intelligitur, & commodiùs declaratur. Sint enim quinquè homines per circuitum poſiti; iam datur numerus quinarius, ſed quæ determinatè ſit prima vnitas, & quæ quinta ex natura rei, non apparet; Poteſt enim vnuſquiſquè à quolibet illorum quinquè hominum incipere, & ad quemlibet numerationem terminare. Ergo datur numerus quinarius ex quinquè vnitatibus coaleſcens, & non poteſt, quæ ſit vltima illius vnitas aſſignari, niſi ex ſola acceptione, ideſt, ex ſola intellectus noſtri numeratione. Hoc idem patet, ſi eſſent quinquè homines per rectam lineam ordinati. Nam poteſt fieri enumeratio incipiendo ab vna parte, & è contra; & ſic qui eſt numeratione primus, in eodem numero erit è contra, quintus. Vltima ergo vnitas in numero quinario V.G. quando compoſitiuè proceditur, ſe habet vt forma; ideſt, eſt vltimum complementum conſtitutiuum numeri in illa ſpecie. Vnde in numero quinario, quinta vnitas ſe habet vt forma partis, & ſpecificans, quatuor verò præcedentes vnitates ſe habẽt vt materia, cui ſcilicet fit additio quintæ vnitatis, ex cuius additione numerus quinarius conſtituitur, vnde ſi ſermo ſit de numero abſtracto vltima vnitas formaliter eſt ſpecificans, quæcumque illa ſit.

25 Vbi aduerte, quod quatuor vnitates reſpectu numeri quinarij non conſiderantur, formaliter loquendo, in ratione numeri quaternarij, ſed vt diſpoſitio ad numerum quinarium. Nam numerus quaternarius eſt ſpecies numeri, & conſequenter finaliter, & intranſitiuè conſiderari, ac pronunciari debet. Quatuor verò

verò vnitates, quatenùs ſunt diſpoſitio ad numerum quinarium conſtituendū, tranſitiuè, & nō in ratione numeri pronunciari debent. Et in hoc ſenſu Ariſtoteles 3. phyſic. textu 68. dixit, quòd ſex non ſunt bis tria; eo quia, tria, & tria, ſunt duo numeri completè in ſuo eſſe conſtituti, & ſic non tranſeunt ad aliam ſpeciem numeri ſtatuendam, niſi materialiter dumtaxat loquendo. Ariſtot.

26 Poteſt eſſe circa ea, quæ iam diximus, dubitatio; Nam in Sacratiſſimæ Trinitatis myſterio dantur tres perſonæ diuinæ, ac proinde tres vnitates relatiuæ. Ergo datur à parte rei numerus ternarius, qui habet ex natura rei priorem, ſecundam, ac tertiam, ſeù vltimam vnitatem. Ergo malè dictum eſt, quòd enumeratio eſt in acceptione tantùm intellectus noſtri.

27 Reſpondetur, concedendo antecedēs, & diſtinguendo, ſeù explicando conſequens. Ergo datur à parte rei numerus ternarius, qui &c. Originatiuè, ſeu proceſſiuè, concedo conſequentiam. Numeratiuè, nego conſequentiam. Quandoquidem licet Pater dicatur prima perſona, quia à nulla alia, & omnes aliæ ab ipſo, tanquàm à primo fonte procedūt; & Filius, ſecunda, quia ab vna ſola, puta à Patre; & tandem Spiritus ſanctus tertia, quia à duabus perſonis, puta, à Patre Filioquè procedit; tamen eodem ſacro ternario numero inuariato manente, poteſt numeratio variari, ſiquis enim ſic Sanctiſſimæ Trinitatis perſonas voluerit numerare, Spiritus ſanctus, Pater, & Filius, idem omnino eſſet ternarius numerus perſonarum; ac iſte. Pater, Filius, & Spiritus ſanctus, quodquè in Sacra ſcriptura Lucę 1. ſeruatum fuiſſe refertur, dum Angelus ad Virginem dixit, *Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus altiſſimi obumbrabit tibi; & quod naſcetur ex te Sanctum vocabitur Filius Dei*. Et puto diuino factum fuiſſe Concilio; hæc enim feſtiuitas ſpeciali quodam titulo Spiritui ſancto tribuitur, iuxta illud ſymboli, *Qui conceptus eſt de Spiritu ſancto*, & Spiritus ſanctus in Incarnationis myſterio tāquàm ſponſus obuiam Virgini exiuit, ac proinde conueniens fuit, vt Virgini Spiritus ſancti ſpōſæ, Angelus à ſponſo ſuū exordiretur opus; vt vnde Spiritus ſanctus non erat prima, ſed vltima originatiuè, perſona, hìc eſſet numeratione prima. Lucæ 1.

FORMATIO

ARTICVLI.

Qvadripartita eſt corporis diſtributio. Primò, duas refert Doctorū opiniones. Secundò, ad deciſionem veritatis ſe diſponit. Tertio, ponit radicem diuerſa ſentientium. Et quartò, reſpondet quæſito.

Quò ad primum, ſic ait; *Magiſter in ſententijs ponit &c.* Lege litteram vſquè ad illa verba; *Ad euidentiā igitur*, excluſiuè.

Quò ad ſecundum duo facit; Primò, ſtatuit vnam propoſitionem; Secundò, illa propoſitione pręſuppoſita ſtatuit vnā diſtinctionē, & mēbrorū eius proprietates explicat, & declarat.

Quò ad horū primum, ſic ait; *Ad euidentiam igitur huius, conſiderandum eſt, quòd omnis pluralitas conſequitur aliquam diuiſionem.*

Quò ad horum ſecundum, diſtinctionē aſſignat, ſic dicens. *Eſt autem duplex diuiſio. Vna materialis &c.* Lege litteram vt iacet vſquè ad illa verba, *Quidam igitur*, excluſiuè.

Quò ad tertium, ſic

ARTICVLVS TERTIVS.

Vtrum termini numerales ponant aliquid in diuinis.

Ad tertium ſic proceditur, videtur quod termini numerales ponant aliquid in diuinis: vnitas enim diuina eſt eius eſſentia, ſed omnis numerus eſt vnitas repetita: ergo omnis terminus numeralis in diuinis ſignificat eſſentiam: ergo ponit aliquid in Deo.

2 *Præterea. Quicquid dicitur de Deo, & creaturis eminentius conuenit Deo quàm creaturis; ſed termini numerales in creaturis aliquid ponunt: ergo multo magis in Deo.*

3 *Præterea. Si termini numerales non ponunt aliquid in diuinis, ſed inducuntur ad remouendum tantum, vt per pluralitatem remoueatur vnitas, & per vnitatem pluralitas, ſequitur, quod ſit circulatio in ratione, confundens intellectum, & nihil certificans, quod eſt inconueniens. Relinquitur ergo, quod termini numerales aliquid ponunt in diuinis.*

Sed contra eſt, quod Hilar. dicit in 4. de Trinitate, ſuſtulit ſingularitatis, ac ſolitudinis intelligentiam profeſſio conſortij, quod eſt profeſſio pluralitatis; & Ambroſ. dicit in lib. de fide: cum vnum Deum dicimus, vnitas pluralitatem excludit

Digitized by Google

ſic ait. *Quidam igitur non conſiderantes &c.* Lege litteram vſquè ad illa verba, *Nos autem dicimus*, excluſiuè.

Quò ad quartum principale, reſpõdet quæſito triplici concluſione cum triplici probatione; ſecundam vt notam relinquens.

Prima concluſio eſt iſta. *Nos autem dicimus, quòd termini numerales, ſecũdũ quod veniunt in prædicationẽ diuinam, non ſumuntur à numero, qui eſt ſpecies quantitatis.*

Probatio eſt iſta; quia *ſic, de Deo non dicerentur niſi metaphoricè, ſicut, & aliæ proprietates corporalium, ſicut latitudo, longitudo, & ſimilia.*

Secunda concluſio eſt iſta. *Termini numerales*, ſubaudi, ſecũdũ quòd veniunt in prædicationem diuinam, *ſumuntur à multitudine, ſecundùm quòd eſt traſcendens.* Hanc concluſionem relinquit vt notam.

Tertia concluſio immediatè reſponſiua quæſito eſt iſta. *Termini numerales ſignificant in diuinis illa de quibus dicuntur, & ſuper hoc nihil addunt niſi negationem.*

Circa hoc tria facit. Primò, eam probat. Secundò, opinionem Magiſtri ab errore purificat; Et tertiò concluſionem explicat, ſeù confirmat.

Quò ad horũ primum, probatio eſt iſta; *De quocumquè dicatur vnum, ſignificatur illa res indiuiſa, ſicut vnum, dictum de homine, ſignificat naturam, vel ſubſtantiam hominis nõ*

dit Deorum, non quantitatem in Deo ponimus; ex quibus videtur, quod huiuſmodi nomina ſunt inducta in diuinis ad remouendum non ad ponendum aliquid.

Reſpondeo dicendum, quod Magiſter in ſententijs ponit, quod termini numerales non ponunt aliquid in diuinis, ſed remouent tantum: alij verò dicunt contrarium.

Ad euidentiam igitur huius, conſiderandum eſt, quod omnis pluralitas conſequitur aliquam diuiſionem: eſt autem duplex diuiſio: vna materialis, quæ fit ſecundum diuiſionem continui, & hanc conſequitur numerus qui eſt ſpecies quantitatis: vnde talis numerus non eſt niſi in rebus materialibus habentibus quantitatem. Alia eſt diuiſio formalis, quæ fit per oppoſitas, vel diuerſas formas; & hanc diuiſionem ſequitur multitudo, quæ non eſt in aliquo genere, ſed eſt de tranſcendentibus, ſecundum quod ens diuiditur per vnum, & multa. Et talem multitudinem ſolam contingit eſſe in rebus immaterialibus: quidam igitur non conſiderantes niſi multitudinem ſolam, quæ eſt ſpecies quantitatis diſcretæ, (quia videbant, quod quantitas diſcreta non habet locum in diuinis) poſuerunt, quod termini numerales non ponunt aliquid in Deo, ſed remouent tantum. Alij verò eandem multitudinem conſiderantes dixerunt, quod ſicut ſcientia ponitur in Deo ſecundum rationem propriam ſcientiæ, non autem ſecundum rationem ſui generis (quia in Deo nulla eſt qualitas,) ita numerus in Deo ponitur ſecundum propriam rationẽ numeri, non autem ſecundum rationem ſui generis, quod eſt quantitas. Nos autem dicimus, quod termini numerales ſecũdum quod veniunt in prædicationem diuinam, non ſumuntur à numero, qui eſt ſpecies quantitatis, quia ſic de Deo non dicerẽtur niſi metaphoricè, ſicut & aliæ proprietates corporalium, ſicut latitudo, longitudo, & ſimilia; ſed ſumuntur à multitudine, ſecundum quod eſt tranſcendens. Multitudo autem ſic accepta, hoc modo ſe habet ad multa, de quibus prædicatur, ſicut vnum, quod conuertitur cum ente ad ens. Huiuſmodi autem vnum (ſicut ſupra dictum eſt, cũ de Dei vnitate ageretur) non addit aliquid ſupra ens niſi negationem diuiſionis tantum, vnum enim ſignificat ens indiuiſum; & ideò de quocunque dicetur vnum, ſignificatur illa res indiuiſa, ſicut vnum dictum de homine ſignificat naturam, vel ſubſtantiam hominis non diuiſam. Et eadem ratione cum dicuntur res multæ, multitudo ſic accepta, ſignificat res illas, cum indiuiſione circa vnamquamque earum. Numerus autem, qui eſt ſpecies quantitatis, ponit quoddam accidens additum ſupra ens, & ſimiliter vnum, quod eſt principium numeri. Termini ergo numerales ſignificãt in diuinis illa, de quibus dicuntur, & ſuper hoc nihil addunt niſi negationem, vt dictum eſt, & quantum ad hoc, veritatem dixit Magiſter in ſententijs: vt cum dicimus, eſſentia eſt vna, vnum ſignificat eſſentiam indiuiſam; cum dicimus, perſona eſt vna, ſignificat perſonam indiuiſam, cum dicimus, perſonæ ſunt plures, ſignificatur illæ perſonæ,

na,

diuiſam; Et eadem ratione, cum dicuntur res multæ, multitudo ſic accepta ſignificat res illas cum indiuiſione circa vnamquamquè earum. Numerus autem qui eſt ſpecies quantitatis, ponit quoddam accidens additum ſupra ens, & ſimiliter vnum, quod eſt principium numeri. Ergo *termini numerales &c.* probat antecedens; quia *huiuſmodi vnum non addit aliquid ſupra ens, niſi negationem diuiſionis tãtùm: ſed multitudo ſic accepta*, ideſt, traſcendens, *hoc modo ſe habet ad multa de quibus prædicatur, ſicut vnum quod conuertitur cum ente.* Ergo de *quocumquè dicatur vnum, ſignificat ens indiuiſum.*

Quò ad horum ſecundum, ſic ait; *Et quantùm ad hoc, veritatem dixit Magiſter in ſententijs.*

Quò ad horũ tertium, explicatio, ſeù concluſionis confirmatio eſt iſta. *Vt cum dicimus, eſſentia eſt vna &c.* Lege litteram vſquè ad finem corporis.

Ad primum argumentum reſpondet, diſtinguendo, ſeù explicando maiorem. *Vnitas diuina eſt eius eſſentia* indiuiſa, concedit maiorem. Non vt indiuiſa, negat maiorem; tunc conceſſa minori, ſimiliter diſtinguendum eſt vtrũquè conſequẽs.

Ad ſecundum argumentum reſpondet, concedendo maiorem, & diſtinguẽdo minorem. Sed *termini naturales*, qui ſunt ſpecies quantitatis, *quæ non traſmittitur in diuinam prædicationem*, in creaturis

aliquid

aliquid ponunt, concedit minorem. *Sed termini numerales* traſcēdentales in creaturis *aliquid ponunt*, negat minorem. Ergo &c. negat conſequentiā.

Ad tertium argumentum reſpondet, negando ſuppoſitū ſequelę, ſcilicet, quòd *termini numerales in diuinis inducuntur ad remouendum tantùm, vt per pluralitatem remoueatur vnitas*; Lege litteram.

Ad quartum argumentum, quod eſt argumentum *ſed contra*, quatenùs contra alteram cōcluſionis partem militare videtur, reſpondet, cōcedendo antecedēs, & negando conſequentiam, & rationem negationis aſſignat; Quia authoritates in oppoſitum inductæ, non probāt ſufficienter propoſitum &c. Lege litteram.

na, & indiuiſio circa vnamquamque earum, quia de ratione multitudinis eſt, quod ex vnitatibus cōſtet.

Ad primum ergo dicendum, quod vnum cum ſit de traſcendentibus eſt communius, quàm ſubſtantia, & quàm relatio, & ſimiliter multitudo: vnde poteſt ſtare in diuinis, & pro ſubſtantia, & pro relatione ſecundum quod competit his, quibus adiungitur; & tamen per huiuſmodi nomina ſupra eſſentiam, vel relationem, additur ex eorum ſignificatione propria, negatio quadam diuiſionis, vt dictum eſt.

Ad ſecundum dicendum, quod multitudo, quæ ponit aliquid in rebus creatis, eſt ſpecies quātitatis, quæ non tranſumitur in diuinam prædicationē, ſed tantum multitudo tranſcendens, quæ non addit ſupra ea, de quibus dicitur, niſi indiuiſionem circa ſingula; & talis multitudo dicitur de Deo.

Ad tertium dicendum, quod vnum non eſt remotiuum multitudinis; ſed diuiſionis, quæ eſt prior ſecundum rationem, quàm vnum, vel multitudo. Multitudo autem non remouet vnitatem, ſed remouet diuiſionem circa vnumquodque corū, ex quibus conſtat multitudo; & hæc ſupra expoſita ſunt, cum de diuina vnitate ageretur. Sciendum tamen eſt, quod autoritates in oppoſitum inductæ, non probant ſufficienter propoſitum; licet enim pluralitate excludatur ſolitudo, & vnitate deorum pluralitas, non tamen ſequitur, quod his nominibus hoc ſolum ſignificetur. Albedine enim excluditur nigredo, non tamen nomine albedinis ſignificatur ſola nigredinis excluſio.

SVPER ARTICVLVM COMMENTARIVM.

1 IN titulo. *Vtrum termini numerales*; *Termini numerales* ſunt, vt vnum, duo, tria; multa, pauca &c.

2 *Ponant aliquid in diuinis*, ideſt, prędicentur poſitiuè de ijs, de quibus prædicantur; ita vt ſenſus ſit, quando dicitur, Deus eſt vnus; Vtrum ly, vnus, ſit aliquod prædicatum poſitiuum. Et cum dicitur Pater, & Filius, & Spiritusſanctus ſunt tres perſonæ, ly tres, dicat aliquid poſitiuum Patri, & Filio, ac Spirituiſancto conueniens, an potiùs aliquod negatiuum.

3 In corpore. *Huiuſmodi autem vnum*, ſubaudi, traſcendens; *non addit aliquid ſupra ens*. Vnum traſcendens dupliciter conſiderari poteſt. Primò, communiſſimè acceptum, pro vt, ſcilicet, conuertitur cum ente vniuerſaliſſimè accepto. Secundò, minùs communiter, pro vt, ſcilicet, correſpondet alicui enti in ſpeciali; vt cum dico Raphael eſt vnus. Ly, vnus, conuertitur cum ente, quod eſt Raphael, non verò cum ente communiſſimè accepto. Non enim valet dicere, ens eſt vnum, ea dumtaxat vnitate, quæ conuertitur cum entitate Raphaelis. Et è conuerſo, non valet dicere, vnum, quod conuertitur cum entitate Raphaelis, cōuertitur cum ente communiſſimè accepto.

4 *Numerus autem qui eſt ſpecies quantitatis, ponit quoddam accidens additum ſupra ens. Supra ens*, vt ens eſt. Et ſenſus eſt, quòd numerus, qui eſt ſpecies quantitatis diſcretę, ſupra rem, quæ in ſe conſideratur vna vnitate traſcendentali, addit extenſionem partium diſcretam; vt cum dico, tres homines, dico tres res habentes tres quantitates continuas ab inuicem diuerſas, & ſeparatas. Et hoc magis explicabitur in hoc eodem commentario.

5 *Numerus autem qui eſt ſpecies quantitatis*. *Numerus*, quò ad res numeratas, quæ ſunt ſubſtantiæ, qualitates, aut relationes &c. non eſt ſpecies quantitatis, cum huiuſmodi ſint extra prædicamentum quantitatis. *Numerus* igitur *qui eſt ſpecies quantitatis*, eſt id, quo res à parte rei numeratæ dicuntur; & non eſt aliud, vt dicebamus, niſi extenſo partium diſcretè extenſiuarum, & ab inuicem diuiſarum, habentium tamen in ſe ipſis indiuiſionem.

6 *Et ſimiliter vnum, quod eſt principium numeri*. Huiuſmodi vnum, addit aliquid poſitiuum ſupra ens, quod præſuppo-

nitur

Digitized by Google

nitur vnum vnitate traſcendente eſtquè illud poſitiuum quantitas vt indiuiſa, ſed vt ordinata ad numerandum cum alia quantitate à ſe ſeparata.

7 Nota, quòd ſicut ſe habet vnum, quod eſt principium numeri quantitatiui, in ordine ad multitudinem, ſeù numerum quantitatiuum, ſic ſe habet vnum traſcendens ad multitudinem, ſeù ad numerum traſcendentalem, quantùm ad hoc, videlicet, quòd vnum ſpectans ad prædicamentum quantitatis, vt principium numeri, dicit duo, eſſe, ſcilicet, poſitiuum, & indiuiſionem in ſe; Et numerus quantitatiuus ſignificat quātitates illas ad inuicem diuiſas, cum indiuiſione circa vnamquāquè earum; ita vnum traſcendens dicit etiam duo, eſſe, ſcilicet, poſitiuum, ſeù ens, & indiuiſionem in ſe; & numerus traſcendentalis dicit res illas cum indiuiſione circa vnamquamquè earum.

8 Diſcrimen autem eſt, quantùm ad hoc; quia ſcilicet, omnis numerus quantitatiuus augetur, aut minuitur, iuxta plurium, aut paucarum vnitatum poſitionem, vel ablationem, & augetur, vel minuitur in quantitate. Maioris enim quantitatis ſunt tres palmi, quàm duo: at verò numerus traſcendentalis, & ſi in rebus creatis data paritate pariformiter numero quantitatiuo correſpondeat; Tres enim homines, ſeù tres Angeli &c. nedùm in ratione numeri abſtractè accepti, duos homines, vel duos Angelos, verumetiam in ratione entitatiua, ac perfectione eſſentiali excedunt. Perfectiores enim ſunt tres homines, quàm duo, & tres Angeli, quàm duo; Cæteris enim paribus loquimur; quia tres homines poſſunt eſſe minoris perfectionis, quàm duo; & ſimiliter, tres Angeli, vt patet de cæteris hominibus per comparationem ad primum hominem Adam, & Chriſtum; & de tribus Angelis inferioris ordinis in ordine ad duos Angelos ordinis ſuperioris. Sermo ergo eſt de tribus hominibus, aut tribus Angelis in ordine ad duos, ſupra quos tertij ſit additio; Nihilominus in diuinis nō ita res ſe habet; quamuis .n. in ratione multitudinis, & numeri in abſtracto plures ſint tres perſonę diuinę, quàm duæ, & duæ, quàm vna, tamen in ratione entitatiua, & perfectionis, non ſunt plures tres perſonæ, quàm duæ; & duæ, quàm vna; Et hoc propter infinitam eſſentiæ diuinæ perfectionem, ratione cuius vna perſona diuina cum ſit eſſentiæ diuinæ identificata, habet in ſe entitatem omnium trium perſonarum, non quidem ea ratione, qua vna alteri eſt relatiuè oppoſita, ſed qua omnes ſunt cum diuina eſſentia identicè vnitæ. Et hoc eſt, quod intendit dicere Diuus Thomas art. 2. ad 5. vbi ſic ait; *Si verò accipiatur numerus rerum in diuinis perſonis, ſic non competit ibi ratio menſurati, quia eadem eſt magnitudo trium perſonarum.* Et in art. 1 in reſp. ad 4. ſic ait; *Si autem accipiamus numerum, pro vt eſt in rebus numeratis, ſic in rebus quidem creatis, vnus, eſt pars duorum, & duo trium, vt vnus homo, duorum, & duo, trium; Et ſic non eſt in Deo; quia tantus eſt Pater, quanta tota Trinitas.* D.Thom.

9 In reſponſione ad 2. *Multitudo, quæ ponit aliquid in rebus creatis, eſt ſpecies quantitatis.* Senſus eſt, quòd multitudo, quæ ponit aliquid in rebus creatis, ideſt, quæ vltra res creatas quantitate affectas; ponit aliquid, ideſt, ponit accidens ad genus quantitatis pertinens, eſtquè ſpecies quantitatis. Et iſta duo dicuntur ad conuertentiam, ſcilicet, multitudo, quæ ponit aliquid in rebus creatis eſt ſpecies quantitatis; & multitudo, quæ eſt ſpecies quantitatis, ponit aliquid in rebus creatis. Vnde D. Thomas in corp. ſic ait. *Numerus, qui eſt ſpecies quantitatis, ponit quoddam accidens additum ſupra ens.* Et ſupra quæſt. 11. ar. 1. ad 1. ait ſic. *Vnum, quod eſt principium numeri, addit aliquid ſupra ens, ad genus quantitatis pertinens.* D.Thom.

10 *Ponit aliquid.* Ideſt, quantitatem indiuiſam in ſe, & diuiſam à qualibet alia quantitate. Exempli gratia. Cum dico tres homines; vltra tres humanitates ſubſtantialiter, ſed dumtaxat numero diſtinctas, dico, & pono tres quantitates, quæ in ſe ſunt actu indiuiſæ, & diuiſæ à qualibuſcumquè alijs quantitatibus:

11 In reſponſione ad 3. *Vnum non eſt remotiuum multitudinis. Vnum*, quod eſt principium numeri, & ad genus quantitatis pertinet, non eſt remotiuum multitudinis, quæ eſt ſpecies quantitatis, ideſt, quæ eſt vna ex ſpeciebus quantitatis diſcretæ. *Non eſt remotiuum*, inquit, *multitudinis*, quia potiùs vnum eſt in multitudine incluſum; eſt enim numerus, multitudo menſurata per vnum. Opponitur tamen huiuſmodi vnum multitudini, non contradictoriè, aut priuatiuè, ſed ſicut menſura opponitur menſurato, ſed hoc intellige, de vno, pro vt dicendum eſt, ſicut infra, num. 15.

12 *Vnum non eſt remotiuum multitudinis.* Vnum autem, quod conuertitur cum ente, opponitur multitudini, per modum priuationis, vt indiuiſum diuiſo,

D.Thom. ita D. Thomas ſupra, quæſt. 11. art. 2. in corp.

13 *Vnum non eſt remotiuum multitudinis, ſed diuiſionis*, ſubaudi, in ſe; Vnum enim quodcumquè illud ſit, eo ipſo, quòd eſt vnum, debet dicere indiuiſionem in ſe, ad minùs actualem, ac per conſequens, eſt remotiuum diuiſionis in ſe; Diximus in ſe, quoniam vnum, non ſolùm non remouet diuiſionem ſui ab alijs, ſed eam neceſſariò dicit, ad minùs ſecundariò, & ſecundùm rationem, vt iam dicemus. Vnum enim eſt indiuiſum in ſe, & diuiſum ab alio; Et hoc aliquando ſecundùm rem, aliquãdo verò ſecũdùm rationem. Primum eſt, quando in re non ſolùm datur ipſum, quod eſt vnum, ſed alia ab ipſo quoquè exiſtunt. Secundum eſſet, in caſu quo, ipſum dumtaxat exiſteret; quemadmodũ ante mundi creationem ſolus Deus exiſtebat; & tunc valebat dicere, Deus eſt vnus, ac per conſequens erat indiuiſus in ſe, non tamen eius exiſtentia erat diuiſa à quolibet alio; cum nullius alius fuerit exiſtentia. Et ſimiliter, quando fuit creatus ſolus Adam, valebat dicere, quòd erat indiuiſus in ſe, non tamen quòd erat diuiſus à quolibet alio homine, quia tunc nullus alius exiſtebat homo; ſecũdùm rationem tantùm poterat ſic dici, quatenùs alij homines deſignabantur in mente.

14 *Vnum, non eſt remotiuum multitudinis, ſed diuiſionis*. Hæc propoſitio eſt vera, loquendo tam de vno prædicamentali, quàm traſcendentali, debita tamen proportione ſeruata, Ita vt vera ſit iſta. Vnum, quod eſt principium multitudinis, ſeù numeri prædicamentalis, non eſt remotiuum multitudinis prædicamẽtalis, ſed diuiſionis in ſe. Et vnum, quod eſt principium numeri tranſcendentalis, non eſt remotiuum multitudinis tranſcendentalis, ſed diuiſionis tranſcendentalis in ſe.

15 *Vnum, non eſt remotiuum multitudinis, ſed diuiſionis*. *Vnum*, ſi conſideretur, vt dicit indiuiſionem in ſe, & diuiſionem à quocunquè alio, opponitur multitudini priuatiuè, non quia multitudo ſit de ſuo formali aliquod poſitiuum, vt conten-
Vaſquez. dunt quidam, etiam ad mentem D.Thomæ inter quos eſt Vaſquez diſp. 228. putans vnum, & multa opponi contrariè ſicut duo poſitiua; ſed tàm vnum, quàm multa ſupra rem, quæ eſt vna, & ſupra res, quæ ſunt multæ, non niſi negationẽ addunt; Vnum ſupra rem vnam addit dumtaxat negationem; & multa, duplicem, v.g. cum dicitur Pater eſt vna perſona, ly vna perſona, ſupra rationem perſonalitatis addit hanc negationẽ, videlicet, indiuiſionem in ſe; cum verò Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus dicuntur tres perſonæ; Ly, tres, ſupra perſonas addit duplicem negationem; vna eſt, negatio identitatis vnius perſonæ ab alia: altera autem eſt, negatio diuiſionis circa vnam quamquè.

16 Et hoc pluries docet D.Thomas, hìc, & alibi, ſed apertiſſimè quæſt. 9. de potentia ar. 7. vbi ſic ait. *Patet ergo quòd vnũ, quod conuertitur cum ente, ponit quidem ipſum* D.Thom. *ens, ſed nihil ſuperaddit, niſi negationem diuiſionis. Multitudo autem ei correſpondens addit ſupra res quę dicũtur multæ, ꝙ vnaquæq; earũ ſit vna, & quòd vna earũ non ſit altera, in quo cõſiſtit ratio diſtinctionis. Et ſic, cũ vnũ addat ſupra ens vnã negationẽ, ſecundũ ꝙ eſt aliquid indiuiſũ in ſe, multitudo addit duas negationes, pro vt ſcilicet, aliquid eſt in ſe indiuiſũ, & pro vt eſt ab alio diuiſũ: ꝙ quidẽ diuidi, eſt vnũ eorũ non eſſe alterũ.* Vide eumdem, quodlib. 10. quæſt. 2. ar. 1. & in 1. diſt. 24. quęſt. 1. ar. 3.

17 Nec obſtat, quòd Ariſt. 10. Metaph. c. 5. & apud D. Thomã lect. 4. qui vnũ; & multa vocat cõtrariè, non autẽ cõtradictoriè, priuatiuè aut relatiuè oppoſita.

18 Nam ibi D.Thomas loquitur de vno, & multis ratione rei poſitiuæ, quã dicũt, non autẽ ratione eius, quod rei, vel rebus ſuperaddunt, vt videri poteſt apud D. Thomam ibidem.

19 Nequè obſtat, quòd ſi opponũtur priuatiuè, ſequitur, quòd ſi vnum addit aliquam negationem, multa debeant dicere poſitiuum; per hoc, quòd quæ priuatiuè opponuntur, vnum eſt poſitiuũ, ſi alterum eſt negatiuum.

Nam vnũ, & multa opponuntur priuatiuè, nõ ſicut habitus, & priuatio, quæ eſt oppoſitio priuatiua ex toto rigore, ſed ſicut vna negatio reſpectu pluriũ negationũ.

20 *Sed diuiſionis, quæ eſt prior ſecundum rationem, quàm vnum, vel multitudo.* Prior quò ad nos, nõ autẽ ſecundũ ſe. Nam or- D.Thom. dine naturę ſimpliciora ſunt compoſitis priora. Vide D.Thomã 10. Metaph. lect. 4. vbi ſic ait. *Licet vnũ ſit prius ſecundũ naturã multitudine, tamen ſecundũ cognitionem noſtrã diffinitur, & determinatur ex priuatione diuiſionis; & propter hoc Phyloſophus dicit, quòd ipſum vnum dicitur, ideſt nominatur; & oſtenditur, ideſt, cognoſcitur ex ſuo contrario, ſicut indiuiſibile ex diuiſibili; propter hoc, quòd multitudo eſt magis ſenſibilis quàm vnum, & diuiſibile, quàm indiuiſibile, non quidem ſecundum ordinem naturæ, ſed propter ſenſum, qui eſt principium noſtræ cognitionis.*

ARTICVLVS

Digitized by Google

FORMATIO ARTICVLI.

BIpartita eſt principalis corporis diſtributio. Primò, reſpondet quæſito abſolutè. Secundò, modaliter.

Quò ad primum, concluſio reſponſiua quæſito abſolutè eſt iſta. Hoc nomẽ, perſona, eſt commune tribus.

Probatio eſt iſta. *Ipſe modus loquendi oſtendit hoc nomen, perſona, tribus eſſe commune.* Ergo. Probat antecedens; Quia *cum dicimus tres homines oſtẽdimus hominem eſſe commune tribus. ſed etiam dicimus tres perſonas.* Ergo *ipſe modus loquendi oſtendit hoc nomen, perſona, tribus eſſe commune.*

Quò ad ſecundum, duo facit. Primò, reſpondet quæſito determinans quam, & quomodo communitatem non habeat. Secundò, determinans quam cõmunitatem dicat.

Quò ad horũ primum, ponit concluſionem negatiuam omnibuſquè communẽ, eamquè probat.

Concluſio negatiua eſt iſta. *Manifeſtũ eſt autem, quòd non eſt communitas rei, ſicut vna eſſentia communis eſt tribus.*

Probatio eſt iſta; *quia ſic ſequeretur vnã eſſe perſonam triũ, ſicut eſſentia eſt vna.*

ARTICVLVS QVARTVS.

Vtrum hoc nomen Perſona, poſſit eſſe commune tribus perſonis.

AD quartum ſic proceditur. *Videtur, quod hoc nomen perſona, non poſſit eſſe commune tribus perſonis: nihil enim eſt commune tribus perſonis niſi eſſentia; ſed hoc nomen perſona, non ſignificat eſſentiam in recto: ergo non eſt commune tribus.*

2 *Præterea. Commune opponitur incommunicabili; ſed de ratione perſonæ eſt, quod ſit incommunicabilis, vt patet ex diffinitione Riccardi de ſancto Victore ſupra poſita: ergo hoc nomen perſona, non eſt commune tribus.*

3 *Præterea. Si eſt commune tribus, aut iſta communitas attenditur ſecundum rem, aut ſecundum rationem; ſed non ſecundum rem, quia ſic tres perſonæ eſſent vna perſona: nec iterum ſecundum rationem tantum, quia ſic perſona eſſet vniuerſale. In diuinis autem non eſt vniuerſale, nec etiam particulare, neque genus, neque ſpecies, vt ſupra oſtenſum eſt: non ergo hoc nomen perſona, eſt commune tribus.*

Sed contra eſt, quod dicit Auguſt. 7. de Trinit. quod cum quæreretur quid tres, reſponſum eſt, tres perſonæ, quia commune eſt eis id, quod eſt perſona.

Reſpondeo dicendum, quod ipſe modus loquendi oſtendit hoc nomen perſona, tribus eſſe commune cum dicimus tres perſonas, ſicut cum dicimus tres homines, oſtendimus hominem eſſe commune tribus. Manifeſtum eſt autem, quod non eſt communitas rei, ſicut vna eſſentia communis eſt tribus, quia ſic ſequeretur vnam eſſe perſonam triũ, ſicut eſſentia eſt vna. Qualis autem ſit communitas, inueſtigantes diuerſimodè locuti ſunt. Quidam enim dixerunt, quod eſt communitas negationis propter hoc, quod in diffinitione perſonæ ponitur incommunicabile. Quidam autem dixerunt, quod eſt communitas intentionis, eo quod in diffinitione perſonæ ponitur indiuiduum, ſicut ſi dicatur, quod eſſe ſpeciem eſt commune equo, & boui, & vtrumquè horum excluditur per hoc, quod hoc nomen perſonæ, non eſt nomen negationis, neque intentionis; ſed eſt nomen rei; & ideò dicendum eſt, quod etiam in rebus humanis hoc nomen perſona eſt commune communitate rationis, non ſicut genus, vel ſpecies: ſed ſicut indiuiduum vagum. Nomina enim generum, vel ſpecierum, vt homo, vel animal, ſunt impoſita ad ſignificandum ipſas naturas communes, non autem intentiones naturarum communium, quæ ſignificantur his nominibus genus, vel ſpecies; ſed indiuiduum vagũ, (vt aliquis homo) ſignificat naturam communem cum determinato modo eſſendi, qui competit ſingularibus, vt ſcilicet ſit per ſe ſubſiſtens diſtin- ctum

Quò ad horum ſecundum, tria facit; primò, refert aliorũ Doctorum opiniones, eaſquè confutat; ſecundò, ſtatuit duplicem concluſionẽ.

Quò ad horum primum, ſic ait. *Qualis autem ſit communitas, inueſtigantes diuerſimodè locuti ſunt. Quidam enim dixerũt &c.* Lege litteram vſquè ad illa verba, *equo, & boui*, incluſiuè.

Confutat autem vtramquè relatam opinionem ſic. *Et vtrumquè horũ excluditur per hoc, quòd hoc nomen, perſona, non eſt nomen negationis, nequè intentionis, ſed eſt nomẽ rei.*

Quò ad horum ſecundum, prima concluſio eſt iſta. *Dicendum eſt, quod etiam in rebus humanis hoc nomen, perſona, eſt commune communitate rationis, non ſicut genus, vel ſpecies, ſed ſicut indiuiduum vagum.*

Quòd ſit commune, præſupponit ex concluſione abſolutè reſponſiua quæſito, eiuſquè probatione.

Quòd ſit commune comunitate rationis, præſupponitur probatum ex cõcluſione negatiua, eiuſquè probatione.

Quòd verò ſit commune communitate rationis, non ſicut genus, vel ſpecies, ſed ſicut indiuiduum va-

gum probat ex differentia inter ſignificationem nominũ, quæ ſignificant genus, indiuiduum vagum, & ſingulare, & inter indiuiduum vagũ ex parte naturæ, & quod ſignificans rem ſubſiſtentem in natura. Nomina enim generũ &c. Lege litteram vſquè ad illa verba, *in tali natura*.

Secunda concluſio eſt iſta. *Hoc nomen, perſona, ſecundùm rationem eſt commune tribus perſonis diuinis.*

Probatio eſt iſta. Quia *hoc eſt commune ſecundùm rationem omnibus perſonis diuinis, vt vnaquęquè earum ſubſiſtat in natura diuina, diſtincta ab alijs*. Ergo *hoc nomen, perſona &c.*

Ad primum argumentum reſpondet, diſtinguendo maiorem. *Nihil eſt commune, communitate rei tribus perſonis, niſi eſſentia,* concedit maiorem. *Nihil eſt commune communitate rationis tribus perſonis, niſi eſſentia,* negat maiorem. Tunc conceſſa minori, ſimiliter diſtinguendum eſt conſequens.

ctum ab alijs; ſed in nomine ſingularis deſignati, ſignificatur determinatum diſtinguens. Sicut in nomine Sor. hæc caro, & hoc os; hoc tamen intereſt, quod aliquis homo ſignificat naturam, vel indiuiduum ex parte naturæ cum modo exiſtendi, qui competit ſingularibus. Hoc autem nomen perſona, non eſt impoſitum ad ſignificandum indiuiduum ex parte naturæ; ſed ad ſignificandum rẽ ſubſiſtentem in tali natura. Hoc autem eſt commune ſecundum rationem omnibus perſonis diuinis, vt vnaquæque earum ſubſiſtat in natura diuina diſtincta ab alijs; & ſic, hoc nomen perſona, ſecundum rationem eſt commune tribus perſonis diuinis:

Ad primum ergo dicendum, quod ratio illa procedit de communitate rei.

Ad ſecundum dicendum, quod licet perſona ſit incommunicabilis, tamen ipſe modus exiſtendi incommunicabiliter, poteſt eſſe pluribus communis.

Ad tertium dicendum, quod licet ſit communitas rationis, & non rei, tamen non ſequitur, quod in diuinis ſit vniuerſale, vel particulare, vel genus, vel ſpecies: tum quia neque in rebus humanis communitas perſonæ eſt communitas generis, vel ſpeciei, tum quia perſonæ diuinæ habent vnum eſſe: genus autem, & ſpecies, & quodlibet vniuerſale prædicatur de pluribus, ſecundum eſſe differentibus.

Ad ſecundum argumentum reſpondet, & reſponſio ſic in forma proponitur, cõcedẽdo maiorem, & diſtinguendo, ſeù potiùs explicando minorem. *Sed de ratione perſonæ eſt, quòd ſit incommunicabilis*, & quòd incommunicabilitas ſit cõmunis tribus perſonis, concedit minorem. *Quod ſit incommunicabilis*, & quòd incommunicabilitas non ſit communis omnibus tribus diuinis perſonis, negat minorem. Ergo &c. negat conſequentiã, & rationem negationis aſſignat; quia licet perſona &c. Lege litteram.

Ad tertium argumentum reſpondet, concedendo maiorẽ, & minorem quò ad primã eius partem, negando verò minorem, quò ad ſecundam partem eius. Ad cuius probationem, negat ſequelam, & rationem negationis aſſignat, quia *licet ſit communitas rationis, & non rei, tamen non ſequitur &c.* Lege litteram.

SVPER ARTICVLVM COMMENTARIVM.

1 SICVT *cum dicimus tres homines, oſtendimus hominem eſſe commune tribus*, & meritò quidem, nam huiuſmodi loquendi vſus rationabilis eſt; etenim ly, *tres*, eſt nomen partitiuum, & conſequẽter, partes facit alicuius totius, ſeù communis. Partire enim, eſt aliquod totum, aut commune in partes diuidere. Vnde D. Auguſtinus 7. de Trin. cap. 4. ſic ait. *Propterea dicimus tres perſonas, quia commune eſt eis, id quod perſona eſt; alioquin nullo modo poſſunt ita dici, quemadmodum non dicuntur tres filij, quia non commune eſt eis, id quod eſt Filius.*

2 *Non eſt communitas rei*. Sic enim eſſent tres perſonæ vna perſona, ſeù tres perſonæ eſſent vnius perſonæ, ſeù vna perſona eſſet communis tribus perſonis.

3 *Quia ſic ſequeretur vnam eſſe perſonam trium, ſicut eſſentia eſt vna*. Ly, *ſicut*, paritatem dicit, quantùm ad communitatẽ rei, non autem quantùm ad tria, quorũ eſt eſſentia diuina communis. Nam eſſentia eſt communis tribus, non quidem eſſentijs, ſed perſonis; perſona verò communis communitate rei ſi daretur, eſſet communis tribus perſonis. Vnde in caſu vero, vna diuina eſſentia eſt, non plures eſſentiæ; in caſu autem ficto, eſſet vna perſona communis, & tres aliæ perſonæ, quibus communis eſſet illa perſona.

4 *Et vtrumquè horum excluditur per hoc, quòd hoc nomen perſonæ, non eſt nomen negationis,*

Digitized by Google

tionis, neque intentionis, ſed eſt nomen rei. Dubium occurit, quia vel petit principium; vel omninò probandum aſſumit. Quādoquidem, qui dixerunt hoc nomē perſona, dicere communitatem negationis, aut intentionis, ideo ſic dixerunt, quia putabant hoc nomen perſona, non eſſe nomen rei, ſed negationis, aut intentionis.

5 Reſpondetur, neque litteram petere principium, neque probandum aſſumere, ſed iam aſſumpſiſſe probatum. Vnde poſt ly, *ſed eſt nomen rei,* ſubaudiendum eſt hoc, nimirum, vt ſupra queſt. præced. art. 1. probatumeſt.

6 *Et ideo dicendum eſt, quòd etiam in rebus humanis hoc nomen perſona, eſt commune communitate rationis.* Dubium occurrit; quia nomen quod eſt commune communitate rationis, non eſt nomen rei, ſed intentionis: ſed D. Thomas immediatè ante dixit, quòd hoc nomen perſona, non eſt nomen intentionis, ſed nomē rei. Ergo ſibimet aduerſatur.

7 Reſpondetur, diſtinguendo, ſeù potiùs explicando maiorem. Nomen, quod eſt commune communitate rationis, quantùm ad conditionem communitatis, & rem ſignificatam, non eſt nomen rei, ſed intentionis, concedo maiorem. Nomen, quod eſt commune communitate rationis, quantùm ad cōditionem communitatis, non verò quantùm ad rem, ſeù naturam ſignificatam, non eſt nomen rei, ſed intentionis, nego maiorem, ſimpliciter loquendo, vel iterum declaro maiorem. Non eſt nomen rei, ſed intentionis, ratione conditionis illius communitatis, concedo maiorem. Ratione rei, aut naturæ ſignificatæ, nego maiorem. Tunc conceſſa minori, nego conſequentiam. Doctrina eſt D. Thomæ in hoc eodem at, in corp. vbi ſic ait; *Nomina enim generum, vel ſpecierum, vt homo, vel animal, ſunt impoſita ad ſignificandum ipſas naturas communes, non autem intentiones naturarum communium.*

8 *Hoc tamen intereſt, quòd aliquis homo &c.* Nota optimum inter indiuiduum vagū ex parte naturæ, & indiuiduū vagū, quod dicitur perſona, diſcrimē; quoniàm multa aduerſariorum ex malo litteræ intellectu diſrumpit argumenta. Etenim aliquis homo v.g. eſt indiuiduum vagum vagans per totam naturam, ſeù ſe tenens ex parte naturæ, ſignificat naturam, vel indiuiduum ex parte naturæ cum modo exiſtendi, qui competit ſingularibus. De tot enim dicitur indiuiduum vagum ſe tenens ex parte naturæ, de quot dicitur ipſa natura. Vagatio autem eſt ſignificata per modificationem ipſius naturæ, vt patet in exemplo poſito, puta, aliquis homo: at verò, perſona, eſt indiuiduum vagum, ſed non per vagationē, quæ fit circa naturam, ſed per eam, quæ fit circa rem ſubſiſtentem in tali natura, & propterea iſta vagatio non fit per ly, *aliquis,* ſed tantùm per hoc nomen, *perſona*.

9 Ex quo ſequitur, quòd hoc nomen, perſona, poteſt etiam per particulam vagè ſignificantem explicari, vt aliqua perſona; vel particulam demonſtrantem, vt cum dico, hæc perſona; Eo quia, hoc nomen, perſona, eſt indiuiduum vagum non primo, ſed ſecundo modo.

10 *Hoc autem nomen, perſona, non eſt impoſitū ad ſignificandum indiuiduum ex parte naturæ.* Non dicit, quod hoc nomen perſona diuina, eſt indiuiduum vagum ex parte naturæ diuinæ. Et merito quidem; quia hoc nomen perſona diuina, non eſt propriè indiuiduum naturæ diuinæ, quemadmodum hoc nomen, natura diuina, nō eſt propriè ſpecies prædicabilis de perſona diuina, neque eſt propriè indiuiduū perſonæ diuinæ ſecundùm communitatem rationis conſideratæ.

11 Dices. Omnis communitas ſecundū rationem, aut eſt communitas generica, aut ſpecifica, aut aliqua communitate alicuius ex quinquè prædicabilibus. Ergo eſt propriè communitas indiuidui vagi ex parte naturæ.

12 Reſpondetur, concedendo antecedens; & negando conſequentiam; & ratio negationis eſt; quia communitatem aliquam ſecundùm rationem, eſſe propriè genus, ſpeciem, differentiam, proprium, aut accidens, aut aliquid ſub iſtis omninò contentum, eſt reſpectu eorū, in quibus reperitur formalitas determinabilis, & formalitas determinans, ac proinde, ratio potentialitatis, quæ Deo, omnibuſque prædicatis diuinæ naturæ repugnat; Deo autem ratio actualitatis per modum ſubſiſtentis conuenit; ſed ratio actualitatis per modū actualizātis, Deo conuenire non poteſt. Communitas igitur ſecundum rationem perſonę diuinæ, neque eſt propriè communitas generis, aut ſpeciei &c. neque indiuidui vagi, ex parte naturæ, ſed ſolùm ſecundum quamdam modalitatem, & ſimilitudinem; quia ſcilicet, in rebus creatis, perſona eſt verè, & propriè indiuiduum.

13 *Hoc autem eſt commune ſecundum rationē omnibus perſonis diuinis, vt vnaquęquè earum ſubſiſtat in natura diuina, diſtincta ab alijs.* Ponderanda ſunt verba citata; non enim dicit D. Thomas, quòd hoc eſt commune ſecundùm rationem omnibus perſonis diuinis, quaſi quid perfectè præciſum

ab

ab vnaquaquè ſubſiſtente perſona, puta, eſſe ſubſiſtens in natura diuina, diſtinctum ab alijs ſubſiſtentibus, ſed dicit ſic, *vt vnaquęquè earum ſubſiſtat in natura diuina &c.* ad denotandum, quòd nō datur in diuinis perſonis aliqua ratio ab eis perfectè præcisa, & abſtracta.

14 In reſponſ. ad 2. *Licet perſona ſit incommunicabilis, tamen ipſe modus exiſtendi incommunicabiliter, poteſt eſſe pluribus communis.* Indiſcriminatim loquitur de perſona, ſcilicet, creata, & increata; ſed ad perſonas in particulari deſcenſus, ad creatam ſcilicet, vel increatam, non eſt pariformis; eo quia perſona creata conſideratur vt verè, & propriè intellectualis naturæ indiuiduum; increata verò nequaquàm, vt dicebamus; & hoc iam magis declarabitur.

15 In reſpon. ad 3. *Licet ſit communitas rationis, & non rei, tamen non ſequitur, quòd in diuinis ſit vniuerſale.* Et ratio eſt; quia communitas rationis cum ſit multiplex, & ſe extendat non ſolùm ad genus, ſpeciem &c. ſed etiam ad communitatem non perfectè præciſam, ad communitatem indiuidui vagi &c. ideo non benè ſic arguitur. Eſt communitas rationis. Ergo eſt communitas vniuerſalis.

16 *Tum quia, perſonæ diuinæ habent vnum eſſe, genus autem, & ſpecies, & quodlibet vniuerſale prædicatur de pluribus ſecundùm eſſe differentibus.* Difficilis eſt huius loci intelligentia, & in illius explicatione variant D. Thomæ expoſitores. Vera tamen ni fallor, intelligentia eſt iſta; videlicet; Perſonæ diuinæ habent vnum eſſe, ſubaudi, eſſentiale, & exiſtentiale, puta, naturę diuinę eſſentiam, & exiſtentiā, cum qua, ſic identificantur, vt non poſſit ex parte formalitatis obiectę cum fundamento in re aliqua ratione pręſcindi ratio perſonę ab eſſentia, & perſonis in particulari; eò quia, licet perſona diuina in ratione perſonę, ſit virtualiter diſtincta à ratione eſſentię in ratione eſſentię, non tamen eſt ſic diſtincta ab eadem in ratione exiſtentię, vt per rationem poſſit ratio perſonæ diuinę ab exiſtentia diuina perfectè pręſcindi; ac proinde, nequè ratio perſonę diuinę ſecundùm communitatem rationis à perſonis diuinis poteſt eſſe perfectè abſtracta.

17 His adde, quòd cum quęlibet perſona diuina includat intrinſecè exiſtentiam, includit quoquè vna alteram, & altera aliam, ratione ipſius eſſe, quod perfectam impedit abſtractionem.

18 Et hinc patet illius diſputationis reſolutio, quam iam tractabimus, Vtrum ſcilicet, perſona diuina ſecundùm rationē communem conſiderata, de tribus diuinis perſonis in particulari, vniuocè, an potius analogicè prædicetur, vbi vt videbimus ſunt Theologorum partes affirmantes, & reclamantes. Dicendum enim mihi videtur; quod nequè de toto rigore vniuocè, nequè de toto rigore analogicè prædicatur. Non quidem de toto rigore vniuocè; quia, licet in huiuſmodi communitate ſeruetur æqualitas; æqualiter enim, ideſt, non magis, nequè minus conuenit perſonæ Patris incommunicabiliter per paternitatem ſubſiſtere, quàm perſonæ filij per relationem filiationis &c. deficit verò perfecta præciſio, quæ ad rigoroſam vniuocationem ſimpliciter eſt requiſita. Et quidem, quòd iſta deficiat, patet ex ſupradictis num 12. Quia quod eſt perfectè præciſum, eſt determinabile, & potentiale, quod perſonæ diuinæ cum fundamento in re conuenire non poteſt.

19 Nequè de toto rigore analogicè; quia licet nō adſit perfecta præciſio, quod ad rationem analogi requiritur, adeſt tamē perfecta, ac ęqua, de omnibus prędicatio. Pater enim, & Filius, & Spiritus ſanctus, æquè, & immediatè habent rationem perſonæ diuinæ.

20 Ex dictis quoquè colligitur, quòd perſona diuina in ſpeciali, puta Pater, Filius, & Spiritus ſanctus non dicūtur tria particularia, pro vt particulare accipitur vt quoddam correlatiuum vniuerſalis. Et hoc eſt, quod D. Thomas hìc intendit, cum ait; *Licet ſit communitas rationis, & non rei, tamen non ſequitur, quòd in diuinis ſit vniuerſale, vel particulare.* Quoniam ſi nomine particularis intelligatur aliquod incommunicabiliter exiſtens, nemo ambigere poteſt, Patrem, quamlibetquè perſonam diuinam eſſe particularem.

DISPVTATIO

DISPVTATIO CLXVI.

VTRVM CONCEDENDA SIT IN DEO SVBSISTENTIA abſoluta, & communis.

In tria capita diſtributa.

CAPVT PRIMVM.

Explicatur titulus, & Doctorum opiniones referuntur.

1 SVPPONO in præſenti quid ſit per ſe ſubſiſtere, & quid ſubſiſtentia.
2 Suppono quoquè, quòd ſubſiſtentia, dupliciter accipi poteſt, in abſtracto, ſcilicet, & in concreto. In abſtracto, eſt illa formalitas, qua aliquod redditur ſubſiſtens; in concreto verò, illud eſt, quod dicitur, ſeù denominatur ſubſiſtens. In præſenti non quærimus de ſubſiſtentia in concreto; quoniam apud omnes certum eſt dari vnum ſubſiſtens abſolutum, & commune in Deo. Valet enim dicere, quòd Deus, ſecundũ quòd eſt aliquid abſolutum, & commune tribus perſonis eſt verè, & propriè ſubſiſtens. Eſt ergo diſputatio de ſubſiſtentia abſtractè accepta; Vnde ſenſus huius quæſiti eſt, Vtrum in Deo detur aliqua formalitas abſoluta, & communis, qua Deus dicatur eſſe per ſe, & in ſe, antecedenter ſcilicet, ſeù præciſo Deo à perſonalitatibus ſubſiſtens.

3 In qua re, Vaſquez, in hac 1. p. D. Thomæ diſp. 125. à cap 3. vſquè ad vlt. negatiuè reſpondet, & pro ſe refert Alexãdrum Alenſem, 3. p. q. 1. memb. 3. & q. 7. memb. 1. ar. 3. Bonauenturã, in 3. diſt. 1. ar. 1. q. 3. Riccardum, in 1. diſt. 26. ar. 1. q. 1. Marſilium, in 3. q. 2. ar. 3. dubit. 2. circa finem. Henricum, quodlib. 5. q. 8. ſub finem. Genebrardum, lib. 2. de Trinit. pag. 85. & poſt ipſum. Albertinus, tom. 2. coroll. 11. theolog. ex prædicam. ſubſtan. dubit. 1. Recupitus, lib 2. de eſſentia Dei q. 10. nu. 3. §. inſtabis circa medium. Arriaga, diſp. 51. ſect. 2. ſubſect. 2. nu. 7. §. *Denique*. Solent pro hac eadem ſententia nonnulli alij moderni citari.

Vaſquez. Alexand. D. Bonau. Riccard. Marſil. Henricus. Genebr. Albertin. Recupit. Arriaga.

4 Aliorum verò Theologorum magnę authoritatis eſt opinio, dari in Deo vnã ſubſiſtentiam abſolutam, & communẽ correſpondentem vni eſſentiæ, ſeù exiſtentiæ abſolutæ, & communi. Ita inprimis ſubtiliſſimus Scotus, in 3. diſt. 1. q. 2. §. *Quòd autem ipſa eſſentia*. Cuius iſta ſunt verba. *Quòd autem ipſa eſſentia per ſe exiſtens poſſet eſſe terminus proximus illius vnionis, videtur; quia ipſa nullum eſſe habet à perſona, ſed eſt prius naturaliter, quàm ſit in perſona, & dat eſſe perſonæ. Eſt enim natura de ſe hoc, & per ſe ſubſiſtens, licèt non incommunicabiliter: videtur autem, quòd incommunicabilitas non ſit neceſſariò ratio propria terminandi iſtam dependentiam, ſed ſubſiſtentia ſingularis*. Idem docet alibi pluries. Nam quodlib. 4. art. 2. §. *Aliter dicitur*, ſic ait, *ſola eſſentia eſt ratio ſubſiſtendi*. Et quodlib. 5. ar. 3. ad 3. ſic ait. *Subſiſtere formaliter dicit perfectiſſimum eſſe, & non dicit niſi eſſentiam ſecundùm Auguſtinum*. Et in 1. diſt. 4. q. 2. §. vlt. *Ad euidentiam*, vbi ſic ait. *Eſt ſciendum, quòd ſicut dictum eſt in q. præc. cuilibet vnicæ naturę adæquatè correſpondet vnum ſingulare, quod ſingulare, vel eſt incommunicabile ſicut in creaturis; vel communicabile, ſicut in Deo. Natura autem diuina vnica eſt, omninò impluriſicabilis, & innumerabilis. Ergo ei adæquatè correſpondet vnum ſingulare, quod exprimitur nomine Dei, quod naturali intelligentia intelligitur ante quamcumquè proprietatem perſonalem. Et ſi conſideretur illud ſingulare, vt quoddam ens ad ſe, cui conueniunt omnes proprietates eſſentiales, & perfectiones, ante omnem proprietatem perſonarum; quod quidem eſt ad ſe ens, & per ſe, nullo modo pluriſicabile, vel numerabile, licèt communicabile ſit in ſuppoſitis pluribus, quę communicatio intelligitur per proprietates notionales. Et ſicut eſt illa vera: Deus eſt Pater, Filius, & Spiritus ſanctus; ita iſta. Hic Deus eſt Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus. Exemplum iam tactum eſt; quia ſi eſſet vnus color in tribus ſuperficiebus, ille color,*

Scotus.

puta

puta albedo, diſgregaret, & haberet omnes perfectiones albedini competentes, ſed non vt primò eſt in illa, vel in illa ſuperficie, ſed ſecũdùm ſe; licèt illas haberet exiſtentes in illis ſuperficiebus, non tamen primò, ſic autem eſt hîc. Hæc Scotus.

Aegidius. Paluda. Durand.

Aegidius, in 1. diſt. 23. q. 2. art. 2. ad 4. Paludanus, in 3. diſt. 1. q. 2. colum. 15. Durandus, in 1. diſt. 33. num. 37. circa medium vbi ſic ait. *In diuinis non eſt niſi vnica ſubſiſtentia*, quam propoſitionem probat authoritate *D. Auguſtini 5. de Trinit. cap. 4. vbi dicit, quod omnis res ad ſe ſubſiſtit, quãtò magis Deus? & cap. 5. in fine dicit, quod hoc eſt Deo eſſe, quod ſubſiſtere, & ita ſubſiſtere eſt abſolutum, quod non plurificatur in diuinis, & ſic in diuinis non eſt niſi vna ſubſiſtentia.* Et lib. 3. diſt. 1. q. 2. ponens inter ſuppoſitum diuinum, creatumquè diſcrimen, ſic ait. *Subſiſtit autem*, (ſubaudi ſuppoſitum diuinum) *non per proprietatem relatiuam, ſed per eſſentiam, vel ſubſtantiam*, & huius rationem aſſignat ſic dicens. *Cuius ratio eſt, quia ſubſiſtere dicit eſſe ſecundùm perfectiſſimum modum eſſendi: ſed perfectiſſimus modus eſſendi eſt eſſe in ſe, vel ad ſe. Hoc autem non conuenit alicui in diuinis niſi ratione eſſentiæ, quia per omnia alia, ſuppoſita diuina dicuntur ad aliud, & non ad ſe; quare ſuppoſitum diuinum ſubſiſtit per eſſentiam, & non per proprietatem relatiuam &c.* Et hoc ibidem per authoritatem D. Auguſtini, qua in 1. diſt. 26. cit. iterum probat. Idem docet Argentina, in 1. diſt. 26. q. vnica art. 4. ad 9. Capreolus, in 3. diſt. 1. q. 1. art. 3. in reſp. ad argumenta: præſertim contra ſecundam cõcluſionem à reſp. quarta ad probationem minoris, & deinceps per longum, pro qua veritate plura D. Thomæ loca conglomerat. Dionyſius Carthuſianus, in 1. diſt. 26. q. 8. ad 2. Et Marſilius, q. 30. in eodem primo ſententiarum ar. 2. ad 4. hoc idem ſentire videtur, quatenùs admittit, quòd independenter per ſe exiſtere conueniat primò huic termino, Deus, & ratione eius prędicatur de omnibus perſonis.

Argent. Capreol. Carthuſ. Marſilius.

Caietan.

5 Eamdem ſententiam docet Caietanus, non ſemel, atquè iterum, ſed pluries. Sic enim docet ſupra q. 3. ar. 3. §. *Ad hoc*, vbi ſic ait. *Ly, Deus, poteſt tripliciter ſumi. Primò; vt ſignificat concretum quaſi ſpecificũ naturæ diuinæ, ideſt, habens Deitatem; ſicut homo ſignificat habens humanitatem. Secundò, vt ſignificat concretum indiuiduale naturæ diuinæ, ideſt, hunc habentem Deitatem, ſeù hũc Deum; ſicut homo poteſt ſupponere pro hoc homine. Tertiò, vt ſignificat ſuppoſitum naturæ diuinæ, ideſt, hunc incommunicabiliter habentẽ Deitatem, ideſt, hanc perſonam diuinam, ſicut homo poteſt ſupponere pro ſorte.* Et ſubdit ſic. *Et hoc intereſt inter Deum ex vna parte, & hominem, cæterarumquè naturarum concreta ex altera parte. Quod in alijs non diſtinguitur indiuiduum naturæ in concreto à ſuppoſito. Non enim diſtinguitur hic homo ab humano ſuppoſito, aut è conuerſo. In Deo autem diſtinguitur indiuiduum naturæ in concreto, ideſt, hic Deus, à ſuppoſito diuino, ideſt, Patre, & Filio, & Spiritu ſancto.*

6 Et infra q. 39. art. 4. §. *Ad euidentiam horum*, vbi ſic ait. *Notandum eſt diligentiſſimè, quòd inter Deum, & cæteras ſubſtantias hoc intereſt, quòd in reliquis hæc duo, ſcilicet, naturam, & habens naturam, oportet ſic ſe habere, vt habens naturam ſit ſuppoſitum; Natura verò ſit ipſa eſſentia; in Deo autem habens naturam dupliciter inuenitur, ſcilicet, ſuppoſitum, vt Pater, vel Filius: Et ſingulare, ideſt, hic Deus. Itaquè in diuinis conſideranda ſunt tria; ſcilicet, eſſentia, hic Deus, & ſuppoſita diuina, ſcilicet, Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus &c.*

7 Et 3. p. q. 2. art. 2. §. *Ad hoc dubium*, vbi primò quorumdam ad dubium ibi propoſitum reſponſionem impugnans, ex profeſſo probat dari indiuiduum Deitatis, quod eſt per ſe ſubſiſtens ſubſiſtẽtia abſoluta, & in quarta reſponſione ſic ait. *Quartò reſpondetur, diſtinguendo ly, perſona, quòd perſona ſumitur dupliciter; primò, ſecundùm completam rationem perſonæ, ſeù hypoſtaſis, & ſic ſignificat ſingulare habens naturam ſubſtantialem incommunicabiliter. Alio modo ſumitur ſecundùm rationem quãdẽ perſonæ, ſed imperfectam, & ſic ſignificat ſingulare habens ſubſtantialem naturam, ita quod ſola incommunicabilitas illi deeſt ad perfectam rationem perſonæ.* Et poſt multa ſic ait. *Patet autem hanc eſſe intentionem authoris, ex eo, quòd in littera in corp. art. pro eodem habetur indiuiduum ſubſiſtens in natura, & ſuppoſitum. Conſtat autem hunc Deum eſſe indiuiduum ſubſiſtens in natura, & non habere completam rationem ſuppoſiti. Et rurſus dicitur in corpore art. loquendo de Deo, quòd natura diuina dicitur ſuppoſitum, ſecundùm quòd eſt ſubſiſtens. Quid clarius? Conſtat enim hunc Deum ſignificare naturam diuinam, ſecundùm quòd eſt ſubſiſtens. Eſt enim hic Deus ſubſiſtẽs in natura diuina, vt patet ex modo ſignificandi. Communiter igitur ſuppoſiti, ſeù perſonæ ratio hic ſumitur, vt ſcilicet, ſignificat hoc ſubſiſtens in natura.* Et quæſt. 3. ar. 2. §. *In reſp. ad 3.* idem confirmat. Et §. *Ad hanc quæſt.* ſimiliter, & ſic ait. *Sic procedendum eſt, quòd primò oſtendendum eſt, quòd ſubſiſtere in diuinis eſt eſſentiale, & perſonale, ſicut res. Ita quòd, ſicut tàm eſſentia, quàm perſona qualibet eſt ſecundùm ſe ipſam formaliter res; & ſimul non quatuor, ſed tres res ſunt. Ita tàm eſſentia, quàm perſona qualibet eſt ſecundùm ſe ipſam formaliter ſubſiſtens, & ſimul non ſunt quatuor, ſed tres ſubſiſtentiæ*, & eodem art.

pluries

Digitized by Google

pluriès eamdem repetit opinionem.

8 Placuit omnia præcitata Caietani verba tranſcribere, vt rectiùs, apertiuſquè eius percipiatur opinio; Et quidam, tantùm virum immeritò mordentes, ora ducant obſtruere. Præſertim Ambroſius Caterinus lib. 4. annotationum contra Caietanum §. ſecundò. *Caie in.*

9 Habes enim primò ex præallegatis verbis, quòd Caietanus admittens ſubſiſtentiam abſolutam, ſimulatquè tres ſubſiſtentias relatiuas, non dixit dari quaternitatem, ſeù quatuor ſubſiſtentias in diuinis, nequè quartam, imò hoc ipſum expreſsè negauit, vt patet ex verbis immediatè antè adductis. Vnde immeritò Vaſquez diſput. 125. c. 2. num. 2. attribuit Caietano, dixiſſe dandum eſſe quartam ſubſiſtentiam. *Vaſquez.*

10 Habes ſecundò, quòd ſubſiſtentia abſoluta in Deo datur à Caietano, vt correſpondeat naturæ abſolutæ, quatenùs idem ſonat, ac indiuiduum habens naturam diuinam. *Caiet.*

11 Habes tertiò, quòd Caietanus nomine ſubſiſtentiæ abſolutæ, non intellexit ſuppoſitum abſolutum, imò ſe manifeſtè declarat, quòd ſubſiſtentia abſoluta non eſt ſuppoſitum; Exiſtimat enim, quòd ad rationem ſuppoſiti quantùm ad omnem eius formalem rationem conſiderati, requiritur vt ſit omninò incommunicabile alteri ſuppoſito. Quòd ſi aliquando nomine ſuppoſiti intellexerit ſubſiſtentiam abſolutam, etiam ſe declarauit, ſermonem habuiſſe de ſuppoſito non rigoroſè, ſed communiter, & largè accepto. Vnde ſecundùm Caietanum Deus communiter acceptus eſt per ſe, & propriè ſubſiſtens, ſubſiſtentia abſoluta, non tamen eſt per ſe, & propriè ſuppoſitum. *Caiet.*

12 Habes quartò, quòd quando Caietanus dixit, quòd ſubſiſtentiæ abſolutæ ſola incommunicabilitas deeſt ad perfectam rationem perſonæ, iam explicat, quid intelligat cum ait; Subſiſtentiam abſolutam dici, ſeù habere rationem perſonæ non quidem perfectam, ſed imperfectam. Noluit enim dicere, quòd ſubſiſtens, ſeù hic Deus, eſt aliquid incompletum, aut ſemiperſona, ſed quòd huiuſmodi ſubſiſtens abſolutum comparatum ad omnes perſonæ conditiones, & rationes, hoc illi deeſt de ratione perſonæ, puta incommunicabilitas; ſicuti ſi perſona conferatur cum ſubſiſtentia abſoluta, & communi, poteſt dici, quòd eſt ſubſiſtentia communis ſecūdùm imperfectam ideſt, incompletam, ſeù inadæquatam rationem, & hoc illi deeſt, vt ſit ſubſiſtentia abſoluta, puta communicabilitas. Vnico verbo dicam. Voluit dicere Caietanus, quòd ſubſiſtentia abſoluta non correſpondet adæquatè ſubſiſtentiæ relatiuæ, ſeù rationi perſonæ. Vel quòd ſubſiſtens abſolutum in diuinis, & perſona in aliquo diſcriminantur. Vnde non eſt aliqua cenſura digna ſententia Caietani, vt rectè notauit Ayeſſa diſp. 18. ſect. 2. §. ſecundò ſic dicens. *Non maretur autem ſententia Caietani, quò ad rem cenſuram aliquam.* Eſto igitur quòd modus loquendi non ſit congruus, dummodo ſenſus ſit verus, non eſt cenſura dignus, vt enim ſæpiùs cum Diuo Auguſtino diximus, fruſtra de controuerſia vocabuli diſputamus, quando in re ſignificata conuenimus. Vnde falsò à Vaſquez diſput. 125. c. 2. num. 6. aſcribitur Caietano, quòd hanc ſubſiſtentiam appellat ſemiperſonam. *Caiet.* *Ayeſſ.* *Vaſquez.*

13 Ferrarienſis in 4. contra gentes cap. 26. §. attendendum tertiò, vbi ſic ait. *Licèt relatio iſta tria in ſe habeat, ipſaque ſuppoſito communicet, quia tamen primum cui conuenit ſubſiſtere in diuinis, eſt diuina eſſentia, ex qua intelligimus omnia alia in diuinis habere vt ſubſiſtant: relationi, conuenit conſtituere rem ſubſiſtentem, non ex aliqua ſua propria ratione, qua diſtinguatur ab eſſentia, ſed ex ratione eſſentiæ, cui identificatur, & ex qua, ipſa etiam habet vt ſubſiſtat. Conſtituere verò rem incommunicabilem, & relatiuè diſtinctam; conuenit ſibi ex ſua propria ratione, qua diſtinguitur ab eſſentia.* Hæc ille. *Ferrar.*

14 Idem docent Palatius, in 1. diſt. 1. diſput. 3. colum. 3. Bartolomçus Medina 3. p. q. 3. art. 2. §. *Quarta opinio*, qui tamen nomine ſubſiſtentiæ abſolutæ intelligit exiſtentiam per ſe. Bartolomçus Carranza in ſumma Concil. in adnotationibus ad ſextam Synodum actione 11. §. *Deinde ſequitur*. Bellarminus, tom. 1. lib. 2. de Chriſto cap. 15. Fonſeca, 5. metaph. cap. 8. q. 5. ſect. 5. Molina, q. 29. art. 2. diſput. 3. concl. 2. qui ait, quòd hæc opinio non eſt ſpernenda. Bañes, eadem quæſt. 29. art. 3. §. *Præterea*, & quæſt. 40. art. 4. dub. 2. concl. 4. Zumel, quæſt. 30. diſput. vnica concl. 1. & ſupra, quæſt. 28. art. 2. diſput. 4. concl. 2. Rada, controu. 27. in initio in ſecunda appendice. Suarez, tom. 1. in 3. p. diſp. 11. ſect. 3. & lib. 4. de Trinit. cap. 11. per totum, & cap. 14. & in metap. diſp. 34. ſect. 1. Florauantius, lib. 1. de Trinit. pag. 29. & notatione 22. Nazarius, ſupra quæſt. 3. art. 3. controuerſ. 1. Ledeſma de diuina perfect. quæſt. 3. art. 1. concl. 1. Herrera, q. 29. art. 2. dubit. 2. & ferè omnes pro oppoſita ſententia adducti. *Carra.* *Bellar.* *Fonſe.* *Molin.* *Bañes.* *Zumel.* *Rada.* *Suarez.* *Florauan.* *Nazarius.* *Ledeſma.* *Herrer.*

Faſolus. palumb. adducti. Nam quidam eorum quamuis negent hanc vocem ſubſiſtentiæ ſcilicet, abſolutæ, tamen rem ipſam affirmant. Nam nomine ſubſiſtentiæ intelligunt ſuppoſitum, & perſonam, concedunt autem naturam diuinam eſſe per ſe ad ſe, & in ſe, non ex perſonis, ſed ex ſe. Faſolus, quæſt. 30. art. 1. dub. 3. & Palumbus, de diuinis perſonis exam. 1. concl. 4.

15 Et quidam negantes ſubſiſtentiam abſolutam in Deo, eam poſtea inaduertenter admittunt, non ſolùm quò ad rem ſignificatam per ſubſiſtentiam, ſed etiam quò ad vocem. Ita præſertim Becanus, tract. 2. cap. 3. quæſt. 10. Nam ibidem num. 6. ſic ait. *Si propriè loquamur de ſubſiſtentia, non datur vlla ſubſiſtentia abſoluta in Deo*. Ecce negatio ſubſiſtentiæ abſolutæ. Et ſubdit, *ſed vna tantum exiſtentia abſoluta, per quam Deus actu exiſtit*; & paucis interiectis. *Loquor*, inquit, *de ſubſiſtentia propriè dicta; quia ſi dicamus cum quibuſdam recentioribus, ſubſiſtentiam ſumi poſſe pro ratione exiſtendi per ſe, & independenter, facile concedam, dar. vnam ſubſiſtentiam abſolutam in Deo*. Ecce ſubſiſtentia abſoluta quantùm ad rem ſignificatam; quoniam vtrum ſubſiſtentia abſoluta ſit ratione diſtincta ab exiſtentia diuina abſoluta, pro vt dicit eſſe per ſe &c. eſt alia quæſtio. Item ibidem num. 8. ſic ait. *Aliud eſt ſubſiſtere; aliud incommunicabiliter ſubſiſtere. Ratio ſubſiſtendi, ſeù exiſtendi per ſe, dicit perfectionem ſimpliciter, & ideo abſoluta eſt, & communis tribus perſonis*. Ecce quomodo concedit ſubſiſtentiam abſolutam in Deo, etiam quò ad vocem.

Becanus.

Amicus. 16 Et Pater Amicus, diſput. 21. quamuis dicat num. 18. in Deo non eſſe ſubſiſtentiam abſolutam diſtinctam à ſubſiſtentijs relatiuis perſonarum, tamen contra ſubſiſtentiam abſolutam num. 21. arguens, ſic ait. *Hæc ſubſiſtentia abſoluta derogat exiſtentiæ naturæ diuinæ; quia ſupponit illam, non eſſe ſufficientem ex ſe ad reddendam naturam diuinam perfectè exiſtentem independenter à quacumquè alia formalitate ſuperaddita, ſpectante ad eamdem lineam, & formalitatem exiſtentiæ*. Vbi in manifeſto habes, Amicum concedere ſubſiſtentiam in Deo, ſeù illud, quod per formalitatem ſubſiſtentiæ intelligimus, & ſolùm negare, ſubſiſtentiam abſolutam ratione diſtingui ab exiſtentia, ſeù ab eſſentia; quod eſt alia quæſtio. Eodem modo loquitur Albertinus coroll. 11. citato concl. 2. vbi ſic ait. *Natura diuina ex intrinſecis principijs habet, vt exiſtat in ſe ſine alio ſubſtentante, ſiuè ſubiecto, ſiuè termino ſubſtentante. Vbi iam concedit formalitatem ſubſiſtentiæ abſolutæ in Deo*.

CAPVT SECVNDVM.

Determinatio veritatis.

PRO determinatione veritatis dico breuiter. Datur in Deo ſubſiſtentia abſoluta.

17 Probatur primò authoritate Agathonis Papæ in Epiſt. quæ habetur in 6. ſynod. actione 4. & incipit ſic. *Pijſſimus Deus*, & infra, vbi hæc habentur verba. *Confitemur, Deum Patrem, Deum Filium, Deum Spiritum ſanctum: non tres Deos, ſed vnum Deum, non trium nominum ſubſiſtentiam, ſed trium ſubſiſtentiarum, ſeù perſonarum vnam ſubſiſtentiam*. Ergo in diuinis eſt ſubſiſtentia abſoluta. Et quia Caietanus concedit etiam tres ſubſiſtentias relatiuas, ideo ex hoc teſtimonio confirmatur, & debet haberi pro firma, & rata ſententia Caietani. Nam vtrumquè in præfata authoritate aſſeritur, & quod ſunt tres ſubſiſtentiæ relatiuæ, & quod ſit vna ſubſiſtentia abſoluta. Et quoniam teſtimonium hoc valde clarum eſt, idcirco conatus eſt Vaſquez huic reſpondere. Aga. Papa Caiet.

18 Reſpondet itaquè Vaſquez nu. 21. §. *Alia verò*, his verbis. *Ad illud Agathonis reſpondemus, litteram eſſe mendoſam, cum legitur, trium ſubſiſtentiarum, ſeù perſonarum vnam ſubſiſtentiam, ſed legendum eſt, vnam ſubſtantiam, ſicut in pluribus latinis exemplaribus reperitur: nec credibile eſt, in tàm paucis verbis eadem voce vſum fuiſſe Agathonem in ſenſu tàm diuerſo*. Hoc idem de huiuſmodi teſtimonio ſentiunt Molina diſput. 3. cit. & Faſolus qui ſupra dub. 4. num. 38. Vaſquez. Agatho. Molina. Vaſquez.

19 Præſuppono, quòd Epiſt. 2. Agathonis Papæ in qua præcitata continentur verba, eſt ſexta ſynodus quæ eſt tertia Conſtantinopolitana, & etiam eſt Romana ſynodus, quæ eſt inſtructio legatorum colum. 3. in profeſſ. fidei, vt communiter Doctores vtriuſquè partis noſtræ, ſcilicet, & aduerſantis admittunt. Vnde à nullo prædictum teſtimonium poteſt aliqua tergiuerſatione negari. Agatho.

Quò

Digitized by Google

20 Quò ſuppoſito argumentor primò contra Vaſquez. Codices antiquiores ſic habent, *Trium ſubſiſtentiarum, ſeù perſonarum vnicam ſubſiſtentiam*. Ergo tenendum eſt ſic fuiſſe ab Agathone ſcriptum.

21 Secundò; quia quamuis nonnulli codices moderniores mutauerint, *vnicam ſubſiſtentiam, in vnam ſubſtantiam*, nō propterea dicendum eſt antiquiores codices fuiſſe mendoſos; ſed omnes idem ſignificare intendunt. Vetuſtiores quidem, nomine vnius ſubſiſtentiæ, intelligunt ſubſiſtentiam abſolutam: Moderniores verò nomine ſubſtantiæ, intelligere eſſentiam per ſe ſubſiſtentem.

22 Et quidem ratio vtriuſquè lecturæ nō eſt ſpernenda, ſed amplectenda. Nam Agatho Papa fuit nedum in Sacra ſcrip-
Aga. Papa tura, verumetiam in diſputationibus ſapientiſſimè verſatus. Vnde tenendum eſt, locutum fuiſſe ſcholaſticorum more. Tenentes enim celebrem Caietani opinionem de tribus, ſcilicet, ſubſiſtentijs relatiuis, & vna ſubſiſtentia abſoluta in diuinis, nonne rectè ſuam explicarent ſententiam, ſi ſic dicerent. Suſtinemus in diuinis trium ſubſiſtentiarum vnam ſubſiſtentiam, intelligendo per tres ſubſiſtentias, tres perſonalitates, ſeù tres ſubſiſtentias perſonales; & per vnam ſubſiſtentiam, ſubſiſtentiam abſolutam, ſeù eſſentialem? Ergo lectura iuxta antiquiores codices eſt bona, & non mendoſa, vt Vaſquez ait.

23 Item, mutare ly, *vnam ſubſiſtentiam*, *in vnam ſubſtantiam*, recto iudicio factum eſt, ad euitanda ſcilicet, incommoda, quæ incautos decipere poſſent. Nam quia eſt ferè in vſu ſacrorum Conciliorum vt nomine ſubſiſtentiæ intelligatur perſona, maioris claritatis gratia mutatum eſt nomen ſubſiſtentiæ, in *ſubſtantiam*; ſed ſemper inuariato ſignificato manente. Quid enim prohibet nomine ſubſtantiæ cui conuenit per ſe ſubſiſtere, intelligere eſſentiam diuinam per ſe ſubſiſtentem? Itaquè diuerſa in diuerſis codicibus lectio non inficit, nec debilitat ſententiam Caietani, & aliorum, ſed potiùs roborat, & confirmat.

24 Nequè benè arguitur ex diuerſa lectione, mendoſitas in præcedentibus codicibus. Innumerabilia enim ſunt Sacræ ſcripturæ loca, quæ diuerſa lectione proferunt, dummodo tamen vnum ſignificatum alteri non contradicat.

25 Nequè ratio Vaſquez aliquam ſubſiſtentiam habet; nam ſuppoſito, quod eadem vox diuerſa ſignificet, non implicat, vt in aliqua ſubiecta materia diuerſimodè accipiatur. Nonne etiam logici hoc faciunt? Dicit enim Porphyrius, quòd plures homines ſunt vnus homo, ideſt plures homines in particulari, ſunt vnus homo ſecundùm rationem ſpecificam, & communem. Imò vt rectè Salmanticenſes diſp. 8. dub. 5. nu. 89. obſeruant, potuit optimè Agatho Papa, *confiteri in diuinis trium ſubſiſtentiarum, ſeù perſonarum vnam ſubſiſtentiam, vt denotaret eſſe ibidem tres ſubſiſtentias relatiuas conuenientes perſonis ratione ſui; & vnam ſubſiſtētiam abſolutam competentem eiſdem ratione eſſentiæ. Dicens enim Agatho Papa, confitemur trium ſubſiſtentiarum vnam ſubſiſtentiā, ſatis denotatur, fieri ſermonem de ſubſiſtentia in diuerſa acceptione*. Habemus quoquè in ipſa Sacra ſcriptura exemplum. Dici-
tur enim 1. Ioannis v. ltm. *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus. Et hi tres, vnum ſunt.* Tres, & vnum in diuerſa acceptione à Sacra ſcriptura ex ipſo modo loquendi accipiuntur. Ita ſimiliter in caſu noſtro, nulla committitur ab Agathone æquiuocatio, nulla obſcuritas inducitur, ſed proprietas theologica aperitur. Vnde quidquid alij dicant, verba Agathonis Papæ ſunt valdè illuſtre pro Caietani ſententia teſtimonium. 1. Io. 5. lt.

26 Probatur ſecundò authoritate Sophronij Patriarchæ Hyeriſolimorum in ſua Epiſt. ad idem Concilium Conſtantinop. quod dicitur ſexta Sydonus à Ioāne 11. cuius epiſtola ab eodem Concilio actione 13. approbata eſt. Sic enim poſt multa de Sanctiſſimæ Trinitatis myſterio fatur. *Trinitatem itaquè in vnitate credimus, & in vnitate Trinitatem glorificamus. Trinitatem quidem prò tribus ſubſiſtentijs; vnitatem autem propter ſingularitatem Deitatis*. Et inſuper. *ſeù Igitur*, inquit, *Sancta Trinitas numerabilis perſonalibus facta eſt ſubſiſtentijs; ſiuè ſancta vnitas, extra omnem numerum eſt, & hæc quidem indiuiſibilem habet diuiſionem, & inconfuſam gerit coniunctionem*. Vbi Bartolomęus Carranza in ſumma Conc. ſic ſubiungit. *Vnde collige ſubſiſtentiam in diuinis, & perſonaliter, & eſſentialiter dici. Si perſonaliter accipias, tres ſubſiſtentiæ ſunt; ſi eſſentialiter, vnica eſt ſubſiſtentia.* Et certè rectè Carranza ſupradictam deduxit illationem. Sunt enim benè ponderanda illa verba Concilij, ſeù Sophronij, ſcilicet; Vnitatem autem propter ſingularitatem Deitatis. Singularitas autem Deitatis, eſt hic Deus in concreto, quatenùs idem ſonat, quòd hoc habens Deitatem, quod non eſt aliud, niſi hoc ſubſiſtens. Ergo ex Sophronio, ſeù ex Concilio Conſtantinop. ſexto, præter tres ſubſiſtentias relatiuas datur ſubſiſtentia abſoluta in Deo.

Sophro.

Carranza.

Digitized by Google

27 Item, per illa verba, ſcilicet, *Sancta Trinitas numerabilis perſonalibus facta eſt ſubſiſtentijs*, datur vehemens inſinuatio de ſubſiſtentia abſoluta. Per hoc enim quòd dicitur perſonalis ſubſiſtentia, inſinuatur, quòd datur in diuinis ſubſiſtentia non perſonalis. In reſponſionibus autem ad argumenta in contrarium explicabimus verba Sophronij, quibus in eadem epiſtola aduerſariæ ſententiæ fauere videtur.

D. Athan. 28 Probatur tertiò ex verbis Athanaſij in ſymbolo, vbi dicitur, *Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus ſanctus; & tamen non tres Dij, ſed vnus eſt Deus*. Ergo, *Deus*, ibi accipitur pro ſubſiſtente ſubſiſtentia abſoluta. Probo conſequentiam; quia ly, *Deus*, ſecundùm quòd prædicatur de Patre, Filio, & Spiritu ſancto, eſt concretũ Deitatis exiſtens, vt habens, ſcilicet, Deitatem. Ergo ex ſymbolo Athanaſij colligitur dari in Deo ſubſiſtentiam abſolutam.

29 Reſpondet Vaſquez. diſp. 125. cap. 6. nu. 25. Et diſp. 156. cap 2. concedendo antecedens, & negando conſequentiã. Et ratio negationis eſt: quia cum dicitur, *Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus ſanctus*, ly, *Deus*, non accipitur pro vno habente Deitatem, ſed pro ipſa natura diuina, quæ in ratione naturæ eſt omninò numerò vna, & communis tribus perſonis; dicitur tamen Deus in concreto, quia connotat perſonas diuinas, & ſi non in particulari determinatè, tamen in communi.

30 Contra primò; quia cum dicitur, *Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus ſanctus*, ly, *Deus*, prædicatur de tribus perſonis non ſolùm ſecundùm rationem abſtractam Deitatis, ſed etiam ſecundùm quòd eſt quid concretum Deitatis, vt habẽs Deitatem. Ergo in ratione ſubſiſtentis prędicatur vt quid commune communitate rei de omnibus tribus perſonis.

31 Si dicatur, quòd ſic prædicatur Deus de tribus perſonis, ſicuti prædicaretur homo, ſi vna natura numero, v. g. humana, à tribus diuinis perſonis fuiſſet aſſumpta; ac proinde ſicuti eſſent tres habentes humanitatem, eſſent autem vnus homo, ita quoquè in caſu noſtro natura diuina ſubſiſtens tantummodo ſubſiſtẽtijs relatiuis diceretur vnus Deus, abſquè eo quòd detur vna ſubſiſtentia abſoluta in Deo, ratione cuius habeatur hoc concretum, puta, *hic Deus*.

Vaſquez. 32 Et vt clariùs præſens reſponſio, quæ eſt Patris Vaſquez præſertim diſp. 156. c. 2. eluceat, eius referamus verba, quibus ſuã declarat opinionem. Nam cap. 2. nu. 6. ſic ait. *Cum dicimus nomina concreta naturarum, vt homo, & Deus directè ſignificare naturam, & connotare perſonam in qua ſubſiſtit natura, hoc ita debet intelligi, vt non connotet hanc, vel illam perſonam, ſeù ſuppoſitum ſingulare, ſed vniuersè hanc, vel illam perſonam, vel ſuppoſitum*.

33 Et nu. 7. ſic ait. *Concreta aliarum naturarum eodem modo ſignificantur cum connotatione ſuppoſiti, non in ſingulari, ſed vniuerſim, ſicut concretum Deitatis. Eadem enim omnium eſt ratio. Ergo concretum, ſicut quid commune ex parte connotati præcedit, conſideratione noſtra perſonas, & ita, ſi vna humanitas à tribus perſonis aſſumeretur, eodem prorſus modo demonſtraretur concretum humanitatis, & diceremus, hunc hominem non oſtenſa hac, vel illa perſona ſingulari &c.* hæc ille.

34 Hæc reſponſio paulò inferiùs impugnabitur ratione, nunc autem contra eã non aliter argumentor, niſi quia eſt directè contra D. Thomam. Etenim D. Thomas 3. p. q. 16. pluries, & præſertim art. 9. vbi quærens, *vtrum hæc ſit vera, iſte homo, demonſtrato Chriſto, incœpit eſſe*, reſpõdet; quòd *non eſt dicendum, quòd ille homo, demonſtrato Chriſto, incœperit eſſe*. Idquè, duplici ratione probat, quarum prima eſt iſta; quia ſcilicet *hæc locutio eſt ſimpliciter falſa, ſecundùm ſententiam catholicæ fidei, qua ponimus in Chriſto vnum ſuppoſitum, & vnam hypoſtaſim, ſicut & vnam perſonam. Secundùm hoc enim oportet, quòd in hoc quod dicitur, iſte homo, demonſtrato Chriſto, deſignetur ſuppoſitum æternum, eius æternitati repugnat incipere eſſe. Vnde hæc eſt falſa, hic homo incœpit eſſe. Nec obſtat, quòd incipere eſſe conuenit humanæ naturæ, quæ ſignificatur per hoc nomen, homo; quia terminus in ſubiecto poſitus, non tenetur formaliter pro natura, ſed magis materialiter pro ſuppoſito, vt ſupra dictum eſt*. Et refert ſe ipſum ſupra ſcilicet in eadem q. ar. 7. ad 3. vbi ſic ait. *Terminus in ſubiecto poſitus tenetur materialiter, ideſt, pro ſuppoſito; poſitus verò in prædicato, tenetur formaliter, ideſt, pro natura ſignificata*.

35 Idem docet art. 10. in corp. vbi ſic ait. *Sciendum tamen, quòd nomen ſic reſumptum in reduplicatione, magis propriè tenetur pro natura, quàm pro ſuppoſito. Reſumitur enim in vi prædicati, quod tenetur formaliter, idem enim eſt dictu, Chriſtus ſecundùm quòd homo, ac ſi diceretur, Chriſtus, ſecundùm quòd eſt homo. Et ideo hæc magis eſt concedenda, quã neganda; Chriſtus, ſecundùm quòd eſt homo, eſt creatura. Si tamen adderetur aliquid, per quod traheretur ad ſuppoſitum, eſſet propoſitio magis neganda, quàm concedenda; puta ſi diceretur, Chriſtus, ſecundùm quòd hic homo, eſt creatura*. Et in reſponſ. ad 2. ſic ait. *Ly, homo, ſecundùm quòd ponitur in ſubiecto, magis reſpicit ſuppoſitum; ſecundùm autem quòd ponitur in reduplicatione, magis reſpicit*

Digitized by Google

reſpicit naturam, & hoc idem pluries ſparſim habet,

36 Ex quibus Angelici præceptoris verbis habetur primò, eſſe expreſsè contra D. Thomam dicere, quòd terminus cõcretus ſubſtantiuus in recto ſupponat dumtaxat pro natura, & connotatiuè ſupponat pro ſuppoſito, ſeù perſona. Nam ſecundùm S. Thomam terminus concretus ſubſtantiuus ſignificat ſuppoſitum, & naturam. Quid autem magis principaliter? non abſolutè, ſed ſubalternatim exiſtimat eſſe reſpondendum, ſcilicet, quòd magis principaliter ſignificat ſuppoſitum, ſi ponatur ex parte ſubiecti; magis verò principaliter ſignificat naturam, ſi in propoſitione accipiatur ex parte prædicati.

37 Secundò habetur, contra D. Thomã eſſe aſſerere, quòd cum dico V. G. *hic homo*; ly, *hic*, demonſtret naturam ſingularem in recto, & connotatiuè perſonã; quoniam hæc propoſitio, *hic homo, demõſtrato Chriſto incepit eſſe*, eſſet ſimpliciter vera. Nam ſi ly, *hic homo*, ſimpliciter demonſtrat naturam ſingularem, non poſſet aliquo modo negari, ſicuti nequaquàm negari poteſt, quòd natura humana non ſolùm aliorum hominum, verumetiam natura humana Chriſti Domini incępit eſſe. Eſt enim & lumine naturali, & lumine fidei nota: ſed D. Thomas putat abſolutè falſam, hanc propoſitionem, *hic homo, demonſtrato Chriſto, incępit eſſe*; eo quia, ly, *hic*, demonſtrat potiùs ſuppoſitum, quàm naturam. Ergo Vaſquez expreſsè loquitur contra D. Thomam.

Anaſtaſ. Cyrillus.

38 Probatur quartò authoritatibus Anaſtaſij Patriarchæ Theopolitani, & Cyrilli Alexandrini in compendiaria fidei explicatione, vt habetur in to. 4 Biblioth. Vet. P. P. vbi iſti Patres de Deitate loquentes, ſic interrogantes aiunt. *Quid eſt Deus? Eſſentia cuius nullus eſt author, cui prorſus nihil deſit. Quid eſt eſſentia? Res, quæ per ſe eſt, nec altero indiget, ad hoc vt ipſa ſubſiſtat.*

39 Reſpondēt nonnulli apud Salmanticenſes loco cit. nu. 94. ſermonem eſſe de *eſſentia ſubſtantiali, pro vt abſtrahit à creata, & increata; & ſenſus eſt, quòd eſſentia ſubſtantialis, vt ſubſiſtat, non indiget aliquo, ſubiecto cui inſit, ſeu inhæreat, ad ſubſiſtendũ.*

40 Contra; quia reſponſio repugnat textui, cum ibi dicatur, *quid eſt Deus &c.* & deinde ſubdatur, *quid eſt eſſentia*, quaſi dicerent, non ſolùm Deus in concreto, ſed etiam Deitas in abſtracto ſubſiſtit.

D. Hilar.

40 Probatur quintò, authoritate D. Hilarij 7. de Trinit. in fine, vbi ſic ait. *Non eſt corporalium naturarum iſta conditio; vt inſint ſibi inuicem, vt ſubſiſtentiæ naturæ habeãt perfectam vnitatem*. Et poſt pauca ſic ſubdit. *Ineſſe autem non aliud in illo, vt corpus in corpore, ſed ita eſſe ac ſubſiſtere, vt in ſubſiſtente inſit, ita verò ineſſe, vt & ipſa ſubſiſtat*. Ergo iam concedit Hilarius ſubſiſtentiam naturæ prioribus verbis, per hoc, quòd ait, vt ſubſiſtentiæ naturæ &c. Et in ſequẽtibus ſimiliter, per hoc, quòd ait, vt & ipſa ſubſiſtat.

41 Reſpondet Vaſquez diſp. 125. cap. 5. nu. 21. hoc modo. *Ad Hilarium dico, verba illius malè etiam citari. Nec enim in prioribus verbis allegatis dicit Hilarius, vt ſubſiſtentiæ naturæ habeãt perfectam vnitatem, ſed vt ſubſiſtentis naturæ habeant perfectam vnitatem: ſenſus autem*, inquit, *eſt, in corporalibus rebus non eſſe vnam in alia, vt habeant eamdem naturam ſubſiſtentem: non dicit eamdem communem ſubſiſtentiam, ſed eamdem naturam, cui conuenit ſanè ſubſiſtere ratione ſuppoſiti: & ideo dicitur ſubſiſtens natura. Deinde in poſterioribus non ait; ita verò ineſſe, vt & ipſa (ſcilicet natura diuina) ſubſiſtat, ſed, ita vt & ipſe (ſcilicet Deus) ſubſiſtat. Senſus autem eſt, ita in diuinis vnus ſubſiſtens eſt in alio ſubſiſtente, vt & ipſe ſubſiſtat.* Vaſquez.

42 Reſpondet ſecundò, quò ad poſteriora verba, *ſed agè demus, verba illa referri ad naturam, vt dicatur, & ipſa (ſcilicet natura diuina) ſubſiſtat, nihil tamen inde colligi poterit. Nec enim negamus nos, aut negare aliquis poteſt, naturam diuinam ſubſiſtere. Abſit: ſed dicimus cum Damaſceno 3. de fide cap. 3. eſſentiam diuinam ſubſiſtere, quidem in tribus tamen perſonis.*

43 Contra primam reſponſionem argumentor primò. Quia vt rectè Salmanticenſes nu. 95. obſeruant, à pluribus Doctoribus fide dignis ſic legitur, ſicut arguendo poſitum eſt.

44 Secundò; quia ex verbis ab eodem Vaſquez adductis probatur, Hilarius ſubſiſtentiam abſolutam conceſſiſſe. Nam perſonalitates ſecundùm Hilarium ſunt perſonalitates ſubſiſtentis naturæ, vt habeant perfectam vnitatẽ in natura ſubſiſtente. Ergo ſermo eſt de ſubſiſtentia abſoluta, non verò de ſubſiſtentia relatiua. Probo conſequentiam. Quia per Hilarium non ſolùm vna perſona ſubſiſtens eſt in alia perſona ſubſiſtente tanquàm per diſtinctam ſubſiſtentiã vnius perſonæ ſubſiſtentis ab alia, verumetiam ſunt in natura ſubſiſtente in qua vniuntur, perfectèque habent vnitatem; ſed non vniuntur per perſonales ſubſiſtentias, quibus relatiuè ad inuicem opponuntur. Ergo per abſolutam ſubſiſtentiam.

45 Quantùm verò ad poſteriora verba, probo non malè citari; quia in impreſ-

Digitized by Google

ſione facta Pariſijs anno 1544. ſic legitur, ſicut in argumento contra Vaſquez ponitur. Ergo.

46 Neque valet dicere, mendoſas fuiſſe prædictas impreſſiones, tunc enim præſupponitur error in aliqua impreſſione, quando ex antecedentibus, & conſequẽtibus patet, non ſic eſſe legendum; quando verò diuerſi codices diuerſis ſyllabis eumdem, vel bonum ſenſum habent, dicendum eſt, quòd littera prægnans eſt, & vtroquè modo litterari poteſt.

47 Contra ſecundam reſponſionem, ſic argumentor. D. Hilarius contraponit perſonas diuinas ad inuicem, & cum diuina eſſentia, dicens, quòd perſonæ ita ſe habent, vt vna ſit ſubſiſtens ſicut & altera, & vna ſit in altera, & omnes in diuina eſſentia, taliter, quòd etiam ipſa diuina eſsentia in ſe ipſa ſubſiſtat. Ergo nulla reſponſio. Patet conſequentia; quia dicere, quòd diuina eſsentia ſit ſubſiſtẽs eſt dicere, quòd ſicut perſonæ ſubſiſtunt propria ipſarum ſubſiſtentia, ita etiam eſsentia ſubſiſtit ſubſiſtẽtia ſibi propria. Nam dicere quòd ſubſiſtat in tribus, & non ſubſiſtentia ſibi propria, eſt dicere, quòd perſonæ ſubſiſtunt per ſe, ipſa verò non ſubſiſtit, niſi per perſonas. D. Hilar.

48 Probatur ſextò, authoritate Boetij lib. de duabus naturis colum. 3. qui diſtinguit has voces, *Vſiam*, *Vſioſin*, *hypoſtaſim*, *proſopon*. Primæ, ideſt, *Vſia*, dicit quòd correſpondet *eſſentia*; Secundæ, ideſt, *Vſioſin*, dicit quòd correſpondet latinè, *ſubſiſtentia*. Tertiæ, & quartæ, ideſt, *hypoſtaſi*, *& Proſopon*, dicit quòd correſpondet, *perſona*. Ecce igitur quomodo ſubſiſtentia abſoluta cum tribus ſubſiſtentijs relatiuis non à Caietano fuit primò adinuenta. Boetius.

49 Nec huic teſtimonio tàm facile Pater Vaſquez poteſt reſpondere, quia ipſemet diſp. 125. cap. 5. nu. 14. eadem verba refert, ideſt, Vſia, Vſioſis &c. & dicit ſic. *Demonſtrat Boetius lib. illo de duabus naturis, tria,* inquit, *eſſe nomina Græca*, *Vſia*, *quod eſſentiam latinè ipſe interpretatur*. *Vſioſis, quam, ſubſiſtentiam latinè reddit, & ait*, (Nota) *vnam eſſe ſolùm in Deo*. Ecce igitur quomodo ex ipſa intelligentia Vaſquez à Boetio expreſſe admittitur ſubſiſtentia abſoluta. Quod fortaſſe ipſe Vaſquez obſeruans, ſic immediatè ſubdit. *Meliùs tamen exiſtimatam interpretaretur, quaſi actum ipſius eſſentiæ, & Vſiæ*. Vnde vides, quòd videtur reſpondere, quòd Boetius nomine ſubſiſtentiæ debebat intelligere exiſtentiam. Et ſic ait, non congruè dixiſſe ſubſiſtentiam, quia debuiſſet dicere, exiſtentiam. Quamobrem in bono ſenſu reſponſio eſt, quod non fuit congrua Boetij translatio. Vaſquez. Boetius.

50 Et idem Boetius ibidem colum. 4. ſic ait. *Deus eſt hypoſtaſis, ideſt*, inquit, *ſubſiſtentia; ſubſiſtit enim nullo indigens. Vnde etiam dicimus, vnam eſſe Vſiam, vel Vſioſim, ideſt, eſſentiam, vel ſubſiſtentiam Deitatis*; Et inſuper, iterum perſonæ deffinitionem tradens ſic ait. *Eſt naturæ rationalis indiuidua ſubſiſtentia*. Ergo ſupponit aliam dari ſubſiſtentiam non indiuiduam; & proinde, ſubſiſtentiam abſolutam. Per ly enim *indiuidua*, limitat ſubſiſtentiã communiter acceptam, ad talem ſubſiſtentiam, ſcilicet, perſonalem.

51 Probatur ſeptimò authoritatibus Sãctorum Hyeronimi, & Auguſtini. Nam D. Hyeronimus epiſt. 57. ad Damaſum Papam, ſic ait. *Tota ſæcularium litterarũ ſchola, nihil aliud Hypoſtaſim, niſi Vſiam nouit. Et quis rogo, ore ſacrilego tres ſubſtantias prædicabit. Vna eſt Dei, & ſola natura, quæ verè eſt. Id enim quod ſubſiſtit, non habet aliunde, ſed ſuum eſt. Cætera, quæ creata ſunt, etiam ſi videntur eſſe, non ſunt; quia aliquando non fuerunt, & poteſt rurſum non eſſe, quod non fuit. Deus ſolus, qui æternus eſt, hoc eſt, qui exordium non habet, eſſentiæ nomen verè tenet. Idcirco, & ad Moyſen de rubo loquitur. Ego ſum, qui ſum; & rurſum, qui eſt, me miſit &c. ſed quia illa ſola natura eſt perfecta, & in tribus perſonis Deitas vna ſubſiſtit; quæ eſt verè, & vna natura eſt*. Et poſt nonnulla. *Sufficiat nobis dicere vnam ſubſtantiam, tres perſonas ſubſiſtentes, perfectas, æquales, coæternas. Taceantur tres hypoſtaſes ſi placet, & vna teneatur*. D. Hier. D. Augu.

52 Ex quibus verbis non obſcurè colligitur ſubſiſtentia abſoluta in Deo. Nam in primis D. Hyeronimus circa nomen hoc, puta, *hypoſtaſis*, quò ad ſignificatum eius, dicit, quòd nihil aliud ſignificat, iuxta totam ſæcularium litterarum ſcholam, niſi *Vſiam*, & vt videre licet apud Calepinum verbo hypoſtaſis. Hypoſtaſis ſic transfertur, *ſubſtantia, ſiue natura ſubſiſtens; aliquando pro perſona accipitur*. Ergo ad mentem D. Hyeronimi *Vſia*, ſeu eſſentia diuina eſt hypoſtaſis, ideſt, eſſentia ſubſiſtens; & loquitur de eſſentia, vt ſubſiſtens eſt. Et aliàs per D. Hyeronimum vna hypoſtaſis eſt dicenda in Deo, vt patet, cum ait. *Taceantur tres hypoſtaſes, ſi placet, & vna teneatur*, ideſt, vna eſſentia cum ſua propria ſubſiſtentia teneatur. Calepinus

53 Item; hoc idem eiuſdem Hyeronimi verba ſuadent, & confirmant; dum ſic ait. *Vna eſt Dei, & ſola natura, quæ verè eſt. Id enim quod ſubſiſtit, non habet aliunde, ſed ſuum eſt*. Vbi ponderanda ſunt hæc verba. ſcilicet, *quæ verè eſt; & id quod ſubſiſtit, non habet aliunde, ſed ſuum eſt*. Nam loquitur

Digitized by Google

loquitur de natura diuina, non ſolùm, vt diſtinguitur realiter à natura creata, verumetiam pro vt ratione diſtinguitur à perſonis; & dicit, quòd natura diuina verè eſt, non ſolùm exiſtenter, ſed etiam ſubſiſtenter. Et hoc ſubſiſtere nō habet aliunde, ſcilicet, à creatura, vel à perſonis ſuis, ſed ſuum eſt, ideſt, conuenit naturæ diuinæ, ſeù Deo, vt natura diuina, & vt Deus eſt.

54 Item; hoc idem eiuſdem Hieronymi verba relata confirmant, dum ait. *Deus ſolus, qui æternus eſt, hoc eſt, qui exordium non habet, eſſentiæ nomen verè tenet*. Ideſt, eſſentiæ in ſe, & ex ſe ſubſiſtentis nomē verè tenet. Vnde deducit, quod *idcirco, ad Moyſen de rubo loquitur*, ſic dicens; *Ego ſum, qui ſum; & rurſum, qui eſt me miſit*. Quaſi diceret. ex præcitatis verbis ſequitur, quòd dùm ait Dominus, *Ego ſum, qui ſum*. Ideſt, Ego ſum ſemper ſubſiſtēs, ſubſiſtentia abſoluta, ſeù mihi propria.

55 Et quia hæc ſubſiſtentia eſt communis tribus perſonis, ac proinde dum illis communicatur, adhùc in illis Deitas vna ſubſiſtentia ſubſiſtit, idcirco ſic ſequitur, *ſed quia, illa ſola natura eſt perfecta, & in tribus perſonis Deitas vna ſubſiſtit, quæ eſt verè, & vna natura eſt*, quaſi diceret; licèt ſit communis tribus perſonis, quæ proprijs etiam ſubſiſtunt ſubſiſtentijs; non tamen ſubſiſtit per ſubſiſtentias relatiuas, ob neceſſitatem ſubſiſtendi; quia *illa ſola natura eſt perfecta*; ac proinde, propriam ſubſiſtentiam habet; & *in tribus perſonis Deitas vna ſubſiſtit*. Si enim ſubſiſteret per ſubſiſtentias ſuarum perſonarum, aliunde, & ſi non realiter ad minus virtualiter haberet vt ſubſiſtat, quod videtur à Hieronymo omninò negari; eo vel maximè; quia in tantùm dicit, quòd vna ſubſiſtit in tribus, in quantùm vere eſt: ſed naturam diuinam verè eſſe habet à ſe, & non à perſonis ſuis. Ergo.

D.Aug. 56 Et D. Auguſtinus, lib. 7. de Trinit. cap. 4. ſic ait. *Nam ſi hoc eſt Deo eſſe, quod ſubſiſtere, ita non erant dicendæ tres ſubſtantiæ, vt non dicuntur tres eſſentiæ, quemadmodum, quia hoc eſt Deo eſſe, quod ſapere, ſicut non tres eſſentias, ita nec tres ſapientias dicimus. Sic enim; quia hoc eſt illi Deum eſſe, quod eſt eſſe; tàm tres eſſentias, quàm tres Deos dicere, fas non eſt. Si autem aliud eſt Deo eſſe, aliud ſubſiſtere, ſicut aliud Deo eſſe, aliud Patrem, aut Dominum eſſe. Quod enim eſt, ad ſe dicitur: Pater autem ad Filium, & Dominus ad ſeruientem creaturarum dicitur. Relatiuè ergo ſubſiſtit, ſicut relatiuè gignit, & relatiuè dominatur. Ita iam ſubſtantia non erit ſubſtantia, quia relatiuum erit. Sicut enim ab eo quòd eſt eſſe, appellatur eſſentia, ita ab eo quod eſt ſubſiſtere, ſubſtantiam dicimus: abſurdum autem eſt, vt ſubſtantia relatiuè dicatur. Omnis enim res ad ſe ipſam ſubſiſtit, quantò magis Deus*. Huculquè Auguſtinus, & ab eodem Vaſquez diſp. 125. cap. 1 eadem verba referuntur; qui tamen ita ſubdit. *Hactenus Auguſtinus, qui ita probat ſuſiſtere in Deo eſſe abſolutum, vt nullum ſit relatiuum ſed immeritò, vt patebit*. Vaſquez.

57 Ex iam D. Auguſtini verbis relatis euidenter noſtra concluſio probatur. Nam D. Auguſtinus ex hoc, quòd Deus eſt ſubſtantia, deducit, quod debet habere ſubſiſtentiam abſolutam. Et quia, ſubſiſtentia intra ſubſtantiæ viſcera continetur; & implicat ſecundùm D. Auguſtinum, eſſe aliquam eſsētiam ſubſtātialem, & non habere etiam ſubſiſtentiā ſubſtantialem propriam correſpondentem. Quod magis patet ex verbis vltimis cum ſic arguit. *Omnis enim res ad ſe ipſam ſubſiſtit, quantò magis Deus?* Quaſi diceret; ſi omnis res, ſeù eſſentia ſubſtantialis, quæ eſt abſoluta. quantò magis Deus debet habere ſubſiſtentiam abſolutam correſpondentem Deo, ſeù eſſentiæ diuinæ ſecundùm rationem eiuſdem abſolutam.

58 Reſpondet Vaſquez, diſp. 125. cap. 5. his verbis; *Reſpondeo, nullius eſſe momenti pro prima, aut ſecunda ſententia. Adde, quòd ſi alicuius roboris eſſet, nihil ſecundæ ſententiæ faueret. Hæc enim non audet vnam ſolùm ſubſiſtentiam abſolutam in Deo concedere, ſicut prima; ſed tres etiam relatiuas eſſe affirmat: at Auguſtinus omnem certè relatiuam ſubſiſtentiam negat, & vnam ſolùm abſolutā aſſerit, cum dicat, Deum non relatiuè, ſed ad ſe ſubſiſtere*. Vaſquez.

59 Et inſuper nu. 10. ſic ait. *Cum igitur Auguſtinus adhùc timeret, tres hypoſtaſes, aut ſubſtantias latinè concedere, iure optimo dixit, Deum ad ſe, non ad aliud, ſubſiſtere, ſicut ad ſe, non ad aliud ſubſtantia, & eſſentia eſt. Quod ſi tres ipſe ſubſiſtentias fateretur, ſicut fateri neceſſarium eſſe probauimus, non negaret, Deū ad aliud ſubſiſtere. Namquè intelligere, idem eſſe ſubſiſtere, quod incommunicabiliter exiſtere; Et quia, ratio incommunicabilis prouenit ex relatione, inde quoquè diceret, Deum relatiuè ſubſiſtere, ſicut etiam, nunc dicitur in Deo relatiua ſubſiſtentia: quare, non aſſereret, in Deo eſſe vnam abſolutam ſubſiſtentiam, ſed tres ſolùm relatiuas fateretur*. Vaſquez.

60 Reſpondet tamen pauloante, ſic dicens; *Quare; cum probat, Deum ad ſe ſubſiſtere, non relatè, ſolùm loquitur de actu ſubſiſtentiæ, quem poſſumus exiſtentiam ſubſtantialem appellare, non de ſubſiſtentia, nec concretè, nec abſtractè, de qua aſt nobis nunc controuerſia*.

61 *Ad Hieronymum eodem prorſus modo reſpondeo*. Et paucis interiectis aliam adhibet

bet

bet ſolutionem, concedendo verba Hieronymi, & negando conſequentiam noſtram; eo quia, eſſentia diuina verè dicitur ſubſiſtere à ſe, & non ab alio tanquã à cauſa, etiam ſi ſubſiſtat ſubſiſtentijs dumtaxat relatiuis.

Vaſquez.

62 Et tandem, num. 11. ſic ait. *Quare, non poſſum non mirari viros aliàs doctos, & eruditos, his teſtimonijs Hieronymi, & Auguſtini adductos, vt crederent, concedendam eſſe in Deo ſubſiſtentiam vnam abſolutam; cum modus loquendi horum Patrum poſt compoſitam litem de nomine ſubſiſtentiæ, & hypoſtaſis, probandus vlla ratione non ſit. Decepti ſanè mihi videntur prædicti Theologi, quod verba ſolùm horum Patrum, non tamen ipſorum mentem perſpectam habuerint: aut ſi prædicti ſcholaſtici Auguſtinum, & Hieronymum ſequi volunt; dicant cum eis, eſſe in Deo vnam ſubſiſtentiam abſolutam, & negent cum eiſdem tres relatiuas: quod nulla ratione tamen ipſis licebit. Aſſerere autem in Deo vnam abſolutam ſubſiſtentiam, & negare cum eiſdem tres relatiuas, idem eſt, quod ex duabus ſententijs omninò contrarijs vnam conflare, quæ ſecum conſtare nequeat.* Hæc Vaſquez.

63 Contra; Quia tanti momenti, ac roboris eſt authoritas Auguſtini pro noſtra ſententia, vt ad mentem Auguſtini ſit prorſus improbabilis opinio Vaſquez. Nam D. Auguſtinus expreſsè concedit in Deo ſubſiſtentiam abſolutam, & non negat tres ſubſiſtentias relatiuas, vt falsò, & immeritò Vaſquez tribuit Auguſtino, vt patebit diſp. ſequenti.

64 Itẽ; non eſt neceſſarium, ſi tres ſubſiſtẽtiæ relatiuæ admittuntur, vt abſoluta ſubſiſtentia reijciatur, vt rectè, nedùm noſtri, verumetiã præſtantiores Theologi Societatis, & præſertim Suarez, loco cit. Fonſeca, etiam loco citato. Cardinalis Bellarminus, tom. 1. controuerſ. 2. lib. 2. cap. 11. Albertinus, coroll. 11. ex prædicam. ſubſtantię dubit. 1. concl. 2. num. 12. ſic dicens; *etiam ſi daretur ſubſiſtentia abſoluta adhuc non eſſet negandum dari in Deo tres ſubſiſtentias relatiuas, vt benedicit Caietanus, Medina &c.* Faſolus, qui ſupra, & alij. Ex quo patet, non eſſe verum, quod Vaſquez ait; aſſerere in Deo vnam abſolutam ſubſiſtentiam, & tres relatiuas, idem eſſe, quod ex duabus ſententijs omnino contrarijs vnam conflare, quæ ſecum conſtare nequeat.

Suarez. Fonſeca. Bellar. Albertin.

Caiet.

Medina. Faſolus.

65 Contra reſponſionem verò militant verba D. Auguſtini; vnde ſic argumentor primò. D. Auguſtinus in prææallegatis verbis iſta tria ponit in Deo, puta, eſſentiam Dei, exiſtentiam, & ſubſiſtentiam; & eſſentiæ, & exiſtentiæ Dei dicit conuenire, vt ſubſiſtat abſolutè, quod ita manifeſtari poteſt. Nam ait ſic. *Hoc eſt, illi Deum eſſe, quod eſt eſſe.* Et poſt pauca. *Sicut enim*, inquit, *ab eo quod eſt eſſe, appellatur eſſentia; ita ab eo quod eſt ſubſiſtere, ſubſtantiam dicimus.* Tria ergo diſtinguit Auguſtinus, eaquè dicit Deo abſolutè conuenire; ſcilicet, *eſſe Deum, eſſe, & ſubſiſtere*, ideſt, eſſentia, exiſtentia, & ſubſiſtentia. Et dicit, quòd eſſentia Dei non eſt aliud Deo, niſi exiſtentia. Et eſſentia ſimul & exiſtentia Dei, non eſt aliud, niſi ſubſiſtere, ſeù ſubſiſtentia. Et ſicut eſſentia Dei, ſeù exiſtentia, eſt aliquid abſolutum in Deo, ita ſubſiſtere in Deo, pro vt ſcilicet ſubſiſtere correſpondet eſſentiæ, eſt aliquid abſolutum. Ergo D. Auguſtinus non poteſt interpretari, de ſubſiſtentia, pro vt dicit exiſtentiam aliqua ratione diſtinctam à ſubſiſtentia, de qua eſt diſputatio præſens.

66 Secundo; quia idem Auguſtinus ibidem, poſt illa verba, ſcilicet, *Omnis enim res ad ſe ipſam ſubſiſtit, quantò magis Deus*, ſic immediatè ſubdit. *Si tamen dignum eſt, vt Deus dicatur ſubſiſtere. De his enim rebus rectè intelligitur, in quibus ſubiectis ſunt ea, quæ in aliquo ſubiecto eſſe dicuntur; ſicut color, aut forma in corpore. Corpus enim ſubſiſtit, & ideo ſubſtantia eſt &c.* Et poſt pauca. *Nefas*, inquit, *eſt autem dicere, vt ſubſiſtit, & ſubſit Deus bonitati ſuæ, atquè illa bonitas non ſubſtantia ſit, vel potiùs eſſentia, neque ipſe Deus ſit bonitas ſua, ſed in illo ſit tanquàm in ſubiecto. Vnde manifeſtum eſt, Deum abuſiuè ſubſtantiam vocari, vt nomine vſitatiore intelligatur eſſentia, quod verè, ac propriè dicitur, ita vt fortaſſe ſolùm Deum dici oporteat eſſentiam*; Et poſt pauca. *Sed tamen*, inquit, *ſiuè eſſentia dicatur, quod propriè dicitur, ſiuè ſubſtantia, quod abuſiue, vtrumquè ad ſe dicitur, non relatiuè ad aliquid. Vnde hoc eſt Deo eſſe, quod ſubſiſtere; Et ideò ſi vna eſſentia Trinitas, vna etiam ſubſtantia.*

67 Vbi patet, quòd D. Auguſtinus nomine ſubſiſtẽtiæ intelligit id, quo aliquid per ſe propriè ſubſiſtit, pro vt à metaphyſicis, ac Theologis propriè ſubſiſtere ſumitur. Nam ſi loquamur de ſubſiſtere, quantùm ad id à quo hoc nomen eſt impoſitum, Deus abuſiuè dicitur ſubſiſtere, aut ſubſtantia, quod intendit D. Auguſtinus explicare.

68 Obſeruanda quoquè ſunt illa D. Auguſtini verba, ſcilicet, *vt nomine vſitatiore intelligatur eſſentia, quod verè, ac propriè dicitur, ita vt fortaſſe ſolum Deum dici oporteat eſſentiam*; quoniam elegantem, acutamquè ſpeculationem continent metaphyſicam. Vult enim dicere; quòd ſi propriè, ac ſeclusis imperfectionibus loqui velimus, Deus cum proprietate D. Aug.

dicitur

Digitized by Google

dicitur eſſentia; & quòd eſſentia intra ſua viſcera perſeitatem ſibi propriam tanquàm modum ſibi intrinſecum includit, quod ſoli Deo conuenit.

69 De D. autem Hieronymo ex verbis iam adductis, Vaſquez fuga reijcitur. Etenim D. Hieronymus timet concedere tres hypoſtaſes, ne videatur concedere tres eſſentias, ſeu tres ſubſtātias, aut ſubſiſtentias abſolutas; & libentiùs admittit vnam hypoſtaſim, id eſt, vnam eſſentiam abſolutè ſubſiſtentem. Non enim putat, quòd *hypoſtaſis* ſignificat eſſentiā nudè acceptam; ſicuti neque *Vſia*; quoniam *Vſia*, ſeu eſſentia in ſuo perfectiſſimo conceptu, intra eſſentiæ lineam includit tanquàm ſibi modum intrinſecū, perſeitatem, vt ex D. Auguſtino, qui in hac materia manum Hieronymo dedit, numero præced. diximus.

D. Hier.

70 Tandem, quantùm ad admirationem Vaſquez contra eos Doctores, qui in hac materia authoritatibus Sanctorum Hieronymi, & Auguſtini ducuntur, & quantùm ad contemptum, ſeu deſpectum ſupradictorum Patrum, dum ſic ait; *Non poſſum non mirari viros aliàs doctos, & eruditos his teſtimonijs Hieronymi, & Auguſtini adductos, vt crederent concedendam eſſe in Deo ſubſiſtentiam vnam abſolutam, cum modus loquendi horum Patrum poſt compoſitam litem de nomine ſubſiſtentiæ, & hypoſtaſis, probandus vlla ratione non ſit.*

Vaſquez.

71 Breuiter dico, quòd poſt cōpoſitā ſupradictam litem, & ante, ſemper authoritates Hieronymi, & Auguſtini ſunt, ac debent eſſe magni ponderis, & momenti; eo vel maximè; quia lis non erat de re, ſed de voce. Vnde id, quod nomine ipſius ſubſiſtere abſolutè accepti à Hieronymo, & Auguſtino intelligebatur, ſemper in ſua firmitate remanſit. Quapropter neſcio, quomodo vlla ratione probandum non ſit. Vtrum autem Doctores ſequentes prædictos Patres decepti fuerint, & ſolùm ipſorum verba, non tamen mentem perſpectam habuerint, legentes iudicent, ac rectè intelligentes determinent.

Vaſquez. Caiet.

72 Etiā, atque etiā dicā, quòd Vaſquez eadem diſp. 125. cap. 4. num. 13. in fine ſic contra Caietanum effutire non erubuit; *Caietanus verò*, inquit, *locis citatis, dum concedit ſemiſuppoſitum, vel ſemiperſonam abſolutam, nec audet ſine vllo additamento perſonam, aut ſuppoſitum abſolutum aſſerere, non ita aduerſatur phraſi conciliorum, & Patrum; reprehenſione tamen dignus eſt, quia nouum, & ſatis abſonum modum loquendi primus in ſcholas induxit;* Et Caietanus nunquàm his vocibus vſus eſt, & nihilominùs Vaſquez imponit Caietano, quod non dixit, & ipſum dicit eſſe reprehenſione dignum. Vtrum igitur Vaſquez ſic contra Theologos loquens, ac Sanctos Patres Hieronymum, & Auguſtinum ſpernens, ſit aliqua reprehenſione dignus, definiant peritiores.

73 Probatur octauò, authoritatibus D. Thomæ in diuerſis locis. Nam in primis in 1. d. [illegible] q. 2. ar. 1. ſic ait. *Hic terminus, Deus, prædicat naturam diuinam de tribus perſonis, quæ etiam in ſe eſt habens eſſe ſubſiſtens, nulla perſonarum diſtinctione intellecta. Vnde quamuis prædicet [illegible] diuina, vt naturam diuinam, & non vt quid ſubſiſtens, nihilominus tamen id quod prædicat, quid ſubſiſtens eſt.* D. Thom.

74 Et infra diſt. 26. q. 1. ar. 1. ad 4. ſic ait. *Nomina, quæ dicuntur per reſpectum ad ea, quæ prædicantur ſingulariter, vt ſubſiſtentia, & eſſentia; quamuis ſubſiſtentia propriè ſumatur pro hypoſtaſi;* & addit ſic; *Subſiſtentia, & eſſentia non nominant eas [illegible]; vnde etiam per prius ſunt in generibus, & ſpeciebus, quàm in indiuiduis ſecundùm Boetium; & ideo ſi propriè accipiantur, pluraliter non prædicantur.*

75 Et in 3. d. 6. q. 2. ar. 1. ad 2. ſic ait. *Dicendū, quòd aliud eſt de Deo, & de omnibus alijs rebus; quia in Deo ipſa diuina eſſentia ſubſiſtens eſt. Vnde ſibi ſecundū ſe debetur eſſe, imò ipſa eſt ſuum eſſe ſubſiſtens.*

76 Et in diſputatis quæſt. 2. de potentia ar. 1. in corp. vbi ſic ait. *Natura diuina à formis materialibus in duobus differt; primò quidem per hoc, quòd formæ materiales nō ſunt ſubſiſtētes. Vnde humanitas in homine nō eſt idē quòd homo, qui ſubſiſtit; Deitas autem eſt idem quod Deus. Vnde ipſa natura diuina eſt ſubſiſtens. Aliud eſt, quod nulla forma, vel naturæ creata eſt ſuum eſſe, ſed ipſum eſſe Dei eſt eius natura, & quidditas; & inde eſt, quòd propriū nomen ipſius eſt, Qui eſt. Vt patet Exod. 3. quia ſic denominatur, quaſi à propria ſua forma;* Et paucis interiectis ſic ait. *In communicatione verò qua diuina natura communicatur, quia ipſa eſt per ſe ſubſiſtens, non requiritur aliquid materiale, per quod ſubſiſtentiam recipiat.* Et paucis interiectis, ſic ſubdit. *Et quia iterum ipſa eſſentia eſt ſuum eſſe, non accipit eſſe per ſuppoſita, in quibus eſt. Vnde per vnum, & idē eſſe eſt in communicante, & in eo cui communicatur; & ſic manet eadem ſecundū numerum in vtroque.*

77 Et infra q. 9. ar. 13. ſic ait. *Natura enim communis,* (id eſt, in rebus creatis) *de ſe nō ſubſiſtit, niſi in ſingularibus. Aliud eſt, quòd per principia indiuiduantia ſuppoſita naturæ communis diſtinguuntur. In diuinis autem proprietates perſonales hoc ſolùm habent, quòd ſuppoſita diuinæ naturæ ab inuicem diſtinguuntur: non autem ſunt principium ſubſiſtendi diuinæ eſſentiæ. Ipſa enim diuina eſſentia* (nota) *eſt ſecundùm ſe ſubſiſtens. Sed è conuerſo,*

proprietates perſonales habent, quòd ſubſiſtant ab eſſentia. Ex eo enim paternitas habet quòd ſit res ſubſiſtens, quia eſſentia diuina, cui eſt idem ſecundum rem, eſt res ſubſiſtens. Vt inde ſequatur, quòd ſicut eſſentia diuina eſt Deus, ita paternitas eſt Pater. Et paucis interiectis ſic ait. *Licet ergo diuina eſſentia ſecundum ſe ipſam (vt ita dicam) indiuiduetur, quantùm ad hoc, quod eſt per ſe ſubſiſtere, tamen ipſa vna exiſtente ſecundùm numerum, ſunt in diuinis plura ſuppoſita ab inuicem diſtincta per relationes ſubſiſtentes.*

78 Et 4. contra gentil. cap. 14. ſic ait. *Sunt igitur plures res ſubſiſtentes* (idest in Deo) *ſi relationes conſiderentur: eſt autem vna res ſubſiſtens, ſi conſideretur eſſentia. Et propter hoc dicimus vnum Deum eſſe, quia eſt vna eſſentia ſubſiſtens, & plures perſonas propter diſtinctionem ſubſiſtentium relationum.*

79 Et in hac 1. p. ſupra q. 3. art. 2. ad 3. ſic ait. *Illa forma, quæ non eſt receptibilis in materia, ſed eſt per ſe ſubſiſtens, ex hoc ipſo indiuiduatur, quòd non poteſt recipi in alio. Et huiuſmodi forma eſt Deus.* Et q. 4. art. 2. in corp. ſic ait. *Deus eſt ipſum eſſe per ſe ſubſiſtens. Ex quo oportet, quod totam perfectionem eſſendi in ſe contineat.* Et poſt pauca. *Vnde*, inquit, *cum Deus ſit ipſum eſſe ſubſiſtens, nihil de perfectione eſſendi poteſt ei deeſſe.* Idem docet ibidem in reſponſ. ad 3. & quæſt. 7. art. 1. in corporis fine ſic ait. *Cum igitur eſſe diuinum non ſit eſſe receptum in aliquo, ſed ipſe ſit ſuum eſſe ſubſiſtens & cæt.* & quæſt. 12. art. 4. in corpore ſic ait. *Solius autem Dei proprius modus eſſendi eſt, vt ſit ſuum eſſe ſubſiſtens.* & quæſt. 13. art. 1. ad 2. ſic ait. *Forma autem in eis* (idest creaturis) *non eſt aliquid completum ſubſiſtens, ſed magis quo aliquid eſt*, & poſt pauca. *Quod igitur*, inquit, *& Deus ſimplex eſt, & ſubſiſtens eſt, attribuimus ei nomina ſimplicia, & nomina abſtracta, ad ſignificandam ſimplicitatem eius, & nomina concreta ad ſignificandum ſubſiſtentiam, & perfectionem ipſius.* & quæſt. 14. art. 2. ad 1. ſic ait. *Redire ad eſſentiam ſuam, nihil aliud eſt, quàm rem ſubſiſtere in ſe ipſa*, & poſt pauca. *Per ſe autem ſubſiſtere maximè conuenit Deo. Vnde ſecundùm hunc modum loquendi, ipſe eſt maximè rediens ad eſſentiam ſuam, & cognoſcens ſe ipſum.* & art. 4. ſic ait. *Intelligere diuinum, quod eſt in ſe ipſo ſubſiſtens, eſt ſui ipſius, & non alicuius alterius.* & quæſt. 29 art. 4. in corpore ſic ait. *Relatio autem in diuinis non eſt ſicut accidens inhærens ſubiecto, ſed eſt ipſa diuina eſſentia. Vnde eſt ſubſiſtens, ſicut eſſentia diuina ſubſiſtit. Sicut ergo Deitas eſt Deus, ita paternitas diuina eſt Deus Pater, qui eſt perſona diuina.*

80 Et infra, quæſt. 39. art. 4. in corp. ſic ait. *Hoc nomen, Deus, ſignificat diuinam eſſentiam, vt in habente ipſam, ſicut hoc nomen, homo, humanitatem ſignificat vt in ſuppoſito.* & paucis interiectis. *Quandoquè ergo*, inquit, *hoc nomen Deus ſupponit, pro eſſentia, vt cum dicitur, Deus creat.* & poſt ibidem ad 2. & infra, quæſt. 40. art. 2. ſic ait. *Perſonæ diuinæ non diſtinguuntur in eſſe in quo ſubſiſtunt, neque in aliquo abſoluto, ſed ſolum ſecundùm id, quod ad aliquid dicuntur.*

81 Et 3. p. quæſt. 3. art. 3. ad 1. ſic ait. *Ad primum ergo dicendum, quòd quia in diuinis idem eſt, quo eſt, & quod eſt, quicquid eorum, quæ attribuuntur Deo in abſtracto, ſi ſecundùm ſe conſideretur alijs circumſcriptis, erit aliquid ſubſiſtẽs.* Ex quibus omnia hæc habes. *Natura diuina in ſe eſt habens eſſe ſubſiſtens, nulla perſonarum diſtinctione intellecta. Subſiſtentia diuinæ naturæ ſingulariter prædicatur, eſt ſecundùm ſe ſubſiſtens, & hoc non accipit à perſonis. Eſt id quo eſt, & id quod eſt. Aliæ formæ rerum ſcilicet, materialium, non ſunt ſubſiſtentes, Natura diuina vtiquè.* Omnes præfatas D. Thomæ authoritates adduxi, quia per eas, reſponſiones, ſeù explicationes, quas nonnulli ad quaſdam Diui Thomæ propoſitiones adducere ſolent, reijciuntur. Nam quidam reſpondent, explicantes Diuum Thomam de exiſtentia, non de ſubſiſtentia. Et hæc explicatio manifeſtè refellitur ex locis prællegatis, dum Diuus Thomas ponit differentiam inter formas materiales, & naturam diuinam; quia, ſcilicet, illæ non ſunt ſubſiſtentes, natura vero diuina eſt per ſe ſubſiſtens.

82 Reſpondent verò nonnulli, explicantes Diuum Thomam de ſubſiſtentia negatiuè accepta. Et hæc quoquè per ſupradicta verba impugnatur. Nam Diuus Thomas expreſsè habet, quòd Deus eſt ipſum eſſe per ſe ſubſiſtens, & quòd perſonæ diuinæ non diſtinguuntur in eſſe, in quo ſubſiſtunt, & quòd ſuppoſita diuinæ naturæ non ſunt principium ſubſiſtendi eſſentiæ diuinæ &c. Vbi apertè loquitur de ſubſiſtentia poſitiuè accepta. Et re vera negare ſubſiſtentiam abſolutam in Deo, eſt clariſſimè D. Thomam impugnare.

83 Probatur nonò ratione. Subſiſtere abſolutè eſt perfectio ſimpliciter ſimplex. Ergo datur in Deo ſubſiſtere, ſeù ſubſiſtẽtia abſoluta. Scio anteccdẽs ab authoritatibus opinionis aduerſæ negari. Dicũt enim, ꝙ ſubſiſtere eſt perfe-

ctio

ctio ſimpliciter ſimplex, non tamen ſubſiſtere abſolutè, ſeu ſubſiſtentia abſoluta; eo quia, ſubſiſtere conuenit naturæ, pro vt habet rationem perſonæ, puta, Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Probo igitur antecedens. Subſiſtere abſolutè, ſeu ſubſiſtentia abſoluta conuenit naturæ diuinæ, qua infinitè perfecta eſt. Ergo eſt perfectio ſimpliciter ſimplex. Conſequentia eſt euidens; quia quod conuenit Deo ratione ſuæ infinitæ perfectionis abſolutè conuenit ei, eſtquè illud toti Trinitati commune. Probatur igitur antecedens; quia eſſe per ſe dicit perfectionem. Ergo eſſe infinitè perfectum, ſeu eſſe per ſe, dicit infinitam perfectionem.

84 Confirmatur. Aut ſubſiſtentia abſoluta dicit perfectionem infinitam; aut dicit imperfectionem, ad minùs arguitiuè. Non ſecundum; Ergo primum. Si primum; Ergo ſubſiſtentia abſoluta datur in Deo. Patet conſequentia; quia quod dicit perfectionem eſt ponendum in Deo. Probatur igitur quod non ſecũdum; & quidem, quòd non dicat imperfectionem, quia eſſentia abſoluta non dicit imperfectionem. Ergo ſubſiſtentia abſoluta non dicit imperfectionem.

85 Confirmatur hoc. Eſſentia abſoluta, & exiſtentia abſoluta non dicunt imperfectionem. Ergo neque etiam ſubſiſtẽtia abſoluta dicit imperfectionem. Antecedens eſt de fide certum; ſicuti de fide certum eſt, eſſentiam, ac exiſtentiam Dei eſſe aliquid abſolutum in ratione eſſentiali, ſcilicet, ſeu exiſtentiali. Probatur igitur conſequentia; quia cuilibet eſſentiæ ſubſtantiali completæ, & perfectę conuenit ſubſiſtentia. Ergo ſi eſſentia ſubſtantialis abſoluta non dicit imperfectionem, neque etiam ſubſiſtentia abſoluta adæquatè correſpondens eſſentiæ dicit imperfectionem.

86 Quòd verò ſubſiſtentia abſoluta neque etiam arguat imperfectionem; ſic probo. Si imperfectionem argueret, ideo eſſet, quia fœcunditatem naturę diuinæ non admitteret: ſed hoc nõ eſt verum; Ergo. Sequela patet; quia non poteſt alia imperfectio, quam argueret, aſſignari. Probatur igitur minor; Quia ſubſiſtentia abſoluta redderet quidem naturam diuinam in ſuo eſſe eſſentiali per ſe, & in ſe poſitiuè; ita vt valeat dicere, natura diuina eſt Deus: ſed hoc, quod eſt Deus abſolutè, non aufert vt Deus, ſeu natura diuina ſit tribus diuinis perſonis communicabilis, ſeu communicata. Ergo ſubſiſtentia abſoluta non tollit fœcunditatem naturæ diuinæ, ſicuti neque natura diuina vna abſoluta, ac indiuiſa exiſtens fœcunditatem aufert.

87 Si dicatur, quòd ſubſiſtentia ex ſua propria linea arguit deſtructionem fœcunditatis, quia ſcilicet, ſubſiſtentia ex ſua formali ratione reddit naturam incommunicabilem; & propterea, ſubſiſtentia abſoluta arguit in Deo imperfectionem, puta, fœcunditatis naturæ diuinæ negationem.

88 Contra; quia hæc eſt petitio principij, & fallit reſponſio, eo quia, à ſubſiſtẽtia abſoluta naturæ incommunicabilis, exemplariter tranſit ad ſubſiſtentiam abſolutam naturæ communicabilis. Ideo enim ſubſiſtẽtia abſoluta V. G. Raphaelis, reddit naturam incommunicabilem pluribus ſuppoſitis; quia ipſa natura Raphaelis cum ſit infœcunda, habet quoquè talem ſubſiſtentiam abſolutam, quę pluribus ſubſiſtentijs relatiuis ſit & ipſa incommunicabilis. Ergo ſubſiſtentia abſoluta naturæ abſolutæ & communicabilis, ſicuti eſt natura diuina non impedit communicationem. Subſiſtentia enim eſt conformis naturæ.

89 Confirmatur hoc; quia ſicuti Deus eſt fœcundus ad intra, ſic quoquè ſecundùm rationem ſubſtantialem, & abſolutam eſt infinitè perfectus. Ergo ſicut fœcunditas diuinæ naturæ non arguit imperfectionem, ſed compatitur cum infinita perfectione Dei, in ratione ſubſtantiæ abſolutæ, ita quoquè infinita ſubſtantia abſoluta Dei, cum ſubſiſtentia abſoluta, non lædit fecunditatem naturæ diuinæ.

90 Probatur decimò. Valet dicere, Deus eſt intelligens, & volens abſolutè. Ergo datur ſubſiſtentia abſoluta. Antecedẽs patet; Quia eſſe intelligens, & eſſe volens, eſt aliquid abſolutum. Probo conſequentiam. Quia quod eſt intelligens, & volens, vt intelligens, & vt volens, eſt neceſſariò ſubſiſtens: ſed vt dictum eſt in antecedenti, Deus eſt intelligens, & volens abſolutè. Ergo Deus eſt ſubſiſtens abſolutè.

91 Confirmatur. Antecedenter ſecundùm præciſionem intelligentiæ noſtræ, ad perſonalitates diuinas, valet iſta propoſitio, Deitas eſt Deus, & hæc Deitas, eſt hic Deus. Ergo antecedenter ad perſonalitates relatiuas, Deus eſt ſubſiſtens; ſed non ſubſiſtentijs relatiuis. Ergo ſubſiſtentia propria, & abſoluta.

92 Si reſpondeatur pro aduerſijs, explicando antecedens. Deus eſt intelligẽs, & volens abſolutè, ratione naturæ diuinæ, quam ly, Deus, dicit in recto, conceditur antecedens. Ratione perſonæ, ſeu perſonarum, quas connotat ly, Deus, negatur antecedens. Dicunt enim, quòd

ly, Deus, vtiquè eſt aliquod abſolutum, ratione eius quod ſignificat per ſe primò. Nam per ſe primò ſignificat naturam diuinam. Tamen connotat perſonas diuinas in particulari, aut in communi. Vnde Deus, & hic Deus, datur antecedenter ſecundùm noſtræ intelligentiæ rationem ad perſonas, non totaliter, aut qualitercumquè, ſed antecedenter ad hanc vel illam, non tamen ad omnes ad minùs in confuſo.

93 Contra primò; quia hæc fuga, ſeù hic dicendi modus eſt cōtra dignitatem naturæ diuinæ. Ergo non eſt admittendus. Probo antecedens. Quia eſſe vt quod, reſpectu operationum eſſentialium, pertinet ad Deum, vt Deus eſt, omninò abſolutè. Aliàs, illud eſſentialiter operari, non eſſet totaliter eſſentiale; nam eſſet tanquàm ex ſubſiſtente, ſeù tanquàm à ratione ſubſiſtēdi à rationibus notionalibus. Nam ſecundùm hunc dicendi modum, priùs debemus conſiderare perſonas diuinas, & deinde Deum intelligentem. Etenim cum dico, Deus eſt intelligens, dico naturam diuinam, & perſonas connotatas. Ergo contra dignitatem naturæ diuinæ &c.

94 Secundò. Pater æternus communicat Filio hoc, quod eſt eſſe Deum intelligentem, & volentem, & ſolùm ſubſiſtentiam producit Filij relatiuam. Ergo Deus dicitur intelligens, & volens antecedenter modo ſupradicto ad ſubſiſtentias relatiuas: ſed non dicitur intelligēs, & volens, niſi vt ſubſiſtens eſt. Ergo nulla aduerſariorum fuga.

95 Probatur vndecimò. Deus in ratione Dei eſt perfectiſſimè conſtitutus ſub ratione abſoluta antecedenter ad ſubſiſtentias relatiuas. Ergo vt ſic conceptus, eſt ſubſiſtens. Ergo ſubſiſtens ſubſiſtētia abſoluta. Secunda conſequentia eſt euidens; quia quod concipitur vt ſubſiſtens, & non per ſubſiſtentias relatiuas, debet concipi ſubſiſtens, per ſubſiſtentiam abſolutam. Prima verò conſequentia euidenter ex ſuo colligitur antecedenti. Nam Deus ſub præciſa, ac eſſentiali ratione Deitatis eſt quid perfectiſſimum in linea ſubſtantiali. Ergo debet concipi vt in eadem linea perfectiſſimè ſubſiſtens. Antecedens eſt clarum, ſed ad fugiendas æquiuocationes aduerſæ partis explicatur. Non dicimus, quòd Deus ſub præciſa ratione Deitatis debeat includere omnes perfectiones, quæ reperiuntur in ipſo; quoniam vt ex ſupradictis tom. 2. patet, Deus in ratione Deitatis, non conſtituitur per omne prædicatum, quod formaliter reperitur in eo, ſed per vnum dumtaxat, perfectum, atquè in ſua linea adæquatum; & hoc diximus eſſe intelligere per eſſentiam &c. Cætera verò prædicata dicuntur attributalia, vel perſonalia. Dicimus igitur, quòd Deus in ratione abſoluta Deitatis, debet concipi vt ſubſtantia perfectiſſima, ac per ſe ſubſiſtens; Et ſi non in præciſa ratione eſſentiali, ad minùs in præciſa & abſoluta ratione attributali. Ex hoc enim quod Deus in ratione Deitatis eſt abſolutè perfectus, ſequitur quòd in eo eſt abſolutè voluntas, etiamſi voluntas conſecutiuè ſe habeat ad Deitatis rationem. Præterquamquòd, aliter conſequitur Deitatem ſubſiſtentia abſoluta, quàm increata, & abſolutè voluntas. Nam ſubſiſtentia eſt veluti modus (vt ita loquar) intra viſcera eſſentiæ intrinſecè latitans, & incluſus. Imò vt ex mente Auguſtini ſupra diximus, eſt de ratione pfectiſſimæ eſsētiæ, volūtas verò nō ita.

96 Quibus poſitis ſic proſequimur probationem. Deus ſub ratione abſoluta Deitatis habet omne illud, quod ad perfectiſſimam rationem eſſentiæ ſubſtantialis concurrere debet. Sic eſt ſubſiſtētia vnum ex his. Ergo.

97 Si dicas cum Vaſquez, diſp. 125. cap. 3. & 6. Et Arriaga diſp. 51. ſect. 2. ſubſect. 3. num. 12. eſſentiam diuinam non compleri, ſeù non eſſe completam antecedenter ad ſubſiſtentiam relatiuam, ſed vltimum complementum veluti expectari à ſubſiſtentia relatiua. Vaſquez. Arriaga.

98 Contra primò, quia Pater æternus v.g. communicat Filio naturam diuinam ſecundùm totum eſſe completum naturæ diuinæ. Ergo non completur per ſubſiſtentiam relatiuam.

99 Secundò; quia quælibet perſona diuina eſt completè Deus, & completè natura diuina. Ergo natura diuina & Deus, pro vt hoc nomine appellatur eſt, completè Deus, antecedēter ad ſubſiſtentias relatiuas. Antecedens apud omnes debet eſſe certum. Probo conſequentiam; quia aliàs cum dico, Pater eſt Deus, ly, Deus, non eſſet completè natura diuina, nequè completè Deus in ratione naturæ. Hoc non eſt dicendum. Ergo. Probo ſequelam; quia Deus, ſeù natura diuina, vel completur per vnam dumtaxat ſubſiſtentiam relatiuam; per duas; an per omnes tres ſimul? Si primum, quando dico, Filius eſt Deus; ly Deus, vel accipitur, vt completur per paternitatem dumtaxat, vel non. Si primum, eſt falſum; quia eſset dicere, quòd Filius eſt Deus, ſeù natura diuina vt completa per Patrem. Si ſecundum; Ergo ly, Deus, non prædicatur, vt natura diuina completè accepta, quod eſt falſum.

Simi-

Digitized by Google

100 Similiter, ſi per duas, aut per omnes; inconuenienter dicitur. Nam ſi per omnes, cum dico, Filius eſt Deus, ly, Deus, prædicaretur de Filio, etiam pro vt eſt Pater, & pro vt eſt Spiritus ſanctus. Et ſi per duas, aſſignentur;& eadem diſcurrendo inconuenientia ſequentur.

101 Contra ſecundò, & principaliter argumentor contra Arriagam, qui loco iam cit. ſic ait. *à perſona producente communicari naturam completam in eſſe naturæ, & produci complementum vltimum, id eſt, perſonalitatem.*

Arriaga.

102 Quantùm ad hoc, quòd dicit, *à perſona producente communicari naturam completam in eſſe naturæ*, benè dicit; quantùm ad hoc, quod dicit *produci perſonalitatem*, benè etiam dicit. Sed cum ait, *vltimum complementum*, eſſe perſonalitatem, peto, vel hoc vltimum complementum, eſt complementum naturæ; vel non. Si ſecundum, dicat, cuius eſt vltimum complementum? Si primum. Ergo non cohærenter dicit, à perſona producente communicari naturam completam in eſſe naturæ. Si enim natura non habet vltimum complementum, quomodo communicatur completa in eſſe naturę?

Arriaga.

103 Item. Pater Arriaga ni fallor ego, ipſe ſibimet apertiſſimè contradicit. Nã ſupra eodem tom. in 1. p. D. Thomæ diſp. 16. ſect. 4. nu. 23. loquens de conſtitutiuo naturæ diuinæ, dicit, quòd eſt, *ens ſpirituale à ſe ſubſiſtens*. Et hoc dicit concipi ratione noſtra ante intellectionem, & ante relationes, ſeù perſonas, vt patet num. 29. eiuſdem diſp. & ſectionis. Ergo per Arriagam apertiſſimè datur ſubſiſtẽtia abſoluta, quam ipſe aperto marte, ac ex profeſſo impugnat. Probo conſequentiam; Quia conſtitutiuum Dei ſub ratione abſoluta Deitatis per Arriagam eſt ens ſpiritua le à ſe ſubſiſtẽs. Ergo in ratione formali, & intrinſeca Deitatis per ipſum, includitur, imò exprimitur ſubſiſtentia abſoluta. Ergo hæc doctrina, quæ quãtùm ad hoc, quod dicit conſtitutiuum Dei eſſe ens ſpirituale à ſe ſubſiſtens, eſt vera: & contradicit alteri, nempè quòd non datur ſubſiſtẽtia abſoluta, & non eſt, nec poteſt eſſe vera.

Arriaga.

104 His adde primò., quòd idem Arriaga eadem diſp. 16. num. 32. volens explicare, quòd conſtitutiuum eſſentiæ diuinæ ſit, *ens ſpirituale à ſe ſubſiſtens*, & non ens à ſe, ſic ait. *Oportet ergo ſemper addere prædicatum aliquod determinatum, vt ſic acquieſcat intellectus, ideo illud aſſignaui ſupra ens à ſe ſubſiſtens. Ly, enim ſubſiſtens, ſeù perfectio fundans ſubſiſtentiam, eſt iam prædicatũ particulare, declarans quòd ſit illud ens primũ, ſeù illud à ſe, etiam ratione noſtra, & per illud excluditur intellectio, & volitio, & alia attributa diuina.* Ergo per Arriagam ſubſiſtẽtia eſt conſtitutiua Dei in ratione abſoluti; ac proinde ſibi contradicit, dum ait; ſubſiſtentiam in Deo eſſe tantummodo perſonalem, & non dari ſubſiſtentiam abſolutam.

105 Secundò; Quia infra, diſp. 50. ſect. 6. nu. 33. ſic ait. *Reſpodeo, ex actis à me in metaphyſica diſp. 4. à num. 123. effectum formalem ſubſiſtentiæ non eſſe, tribuere naturæ vim ad operandum, nec quidem per modum conditionis; ſed ſolùm eſſe complementum ſubſtantiale in ordine ad eſſendum*. Hæc ille. Tunc ſic argumentor. Effectus ſubſiſtentiæ eſt eſſe complementum ſubſtantiale in ordine ad eſſendum: ſed diuina eſſentia eſt infinitè perfecta ſubſtantia, & dicit eſſe infinitè perfectum ſecũdùm rationem abſolutam. Ergo debet habere complementum ſubſtantiale in ordine ad eſſendum abſolutè: ſed per Arriagam complementum ſubſtantiale in ordine ad eſſendum eſt ſubſiſtentia, vel à ſubſiſtentia. Ergo per Arriagam debet dari in Deo ſubſiſtentia abſoluta, ſicuti datur eſſe infinitè perfectum, & abſolutum. Ergo negans ſubſiſtentiam abſolutam, ſibimet aduerſatur.

106 Probatur duodecimò. Dantur in Deo tres ſubſiſtentiæ relatiuæ. Ergo datur in Deo vna ſubſiſtentia abſoluta. Antecedens eſt certum: ab Authoribus partis contrariæ conceditur & à nobis diſp. ſeq. probabitur. Probatur igitur conſequentia; quia ideo dantur tres ſubſiſtentiæ relatiuæ; quia dantur tres ſubſtantię relatiuę, ſeù tres relationes ſubſtantiales: ſed pręter tres ſubſtantias relatiuas datur in Deo vna ſubſtantia abſoluta. Ergo præter tres ſubſiſtentias relatiuas debet etiam dari in Deo vna ſubſiſtentia abſoluta. Maior patet; & inſuper declaratur; Tres perſonales relationes ſunt tres ſubſiſtentiæ relatiuæ, quia ſunt ſubſtantificæ, ſeù ſubſtantiales, non quidem ſubſtantialitate eſſentiali; quoniam ſecundùm omnes catholicos nõ datur in Deo, niſi vna dumtaxat eſſentia, ſed dicuntur ſubſtantificæ; quia licet relationes creatæ ſint accidentia, pro vt tamen ad diuinam transferuntur prædicationem, habent rationem ſubſtãtiæ perſonalis, quæ eſt ſubſtantia indiuidua, id eſt, ſubſiſtentia incommunicabiliter ſe habens, eo modo, quo Boetius definiens perſonam, ait; perſona *eſt rationalis naturæ indiuidua ſubſtantia*. Cum igitur eſſentia diuina, ſeù exiſtentia, quæ eſt ipſiſſima Dei eſſentia, ſit perfectiſſimè ſubſtantia, neceſſariò ſequitur, quòd ſit ipſiſſima ſubſiſtentia abſoluta, vel ad minùs ad ipſam conſequitur

Boetius.

quitur abſoluta ſubſiſtentia, tanquàm vltimum ipſius eſſentiæ, & exiſtentiæ complementum.

107 Eſt tamen breuiter obſeruandum, quòd ſubſiſtentiæ relatiuæ non ſunt in Deo, ad hoc vt diuina eſſentia ſit in ſuo eſſe ſubſiſtentiali perfectiſſimè conſtituta; quoniam natura diuina per ſuam eſſentiam, & ſuam abſolutam ſubſiſtentiam, iam habet perfectiſſimum eſſendi modum; ſed dantur in Deo ſubſiſtentiæ relatiuæ propter diuinæ naturæ fœcunditatem; vnde non dantur, vt ſint vltimum eſſentiæ diuinæ in ratione eſſendi complementum; ac proinde non conſequuntur magis immediatè eſſentiam diuinam, quàm cætera attributa, ac proprietates abſolutæ.

108 Probatur tertiodecimo, ad hominem, contra aduerſarios ex conceſſis ab eis. Deo ſecundum rationem abſolutam conuenit eſſe. Ergo conuenit ei abſolutè ſubſiſtere. Antecedens eſt ipſorum, & commune. Probo conſequentiam. Quia cui conuenit abſolutè eſſe, conuenit quoquè abſolutè ſubſiſtere. Ergo ſi Deo conuenit abſolutè eſſe, conuenit quoquè Deo abſolutè ſubſiſtere. Probo antecedens; quia D. Thom. intra quæſt. 45. art. 4. vbi quærit, *Vtrum creari ſit proprium ſubſiſtentium*, & reſpondēs affirmatiuè ſic ait. *Creari eſt quoddam fieri: ſieri autem ordinatur ad eſſe rei. Vnde illis propriè conuenit fieri, & creari, quibus conuenit eſſe. Quod quidem conuenit propriè ſubſiſtentibus, ſiuè ſint ſimplicia, ſicut ſubſtantiæ ſeparatæ, ſiuè ſint compoſita, ſicut ſubſtantiæ materiales. Illi enim propriè conuenit eſſe, quod habet eſſe, & quod eſt ſubſiſtens in ſuo eſſe.* Ergo cui conuenit abſolutè eſſe, conuenit abſolutè ſubſiſtere.

109 Vt magis huius rationis efficacia eluceſcat, confirmatur primò. Valet illa propoſitio. Diuina eſſentia ſecundum ſe, ſeu ſecundùm rationem abſolutam eſt, ſeu habet eſſe. Ergo datur in Deo ſubſiſtentia abſoluta. Antecedens eſt certum, & ab aduerſarijs non negatur. Probatur vero conſequentia; quia illi propriè conuenit eſſe, quod habet eſſe; & quod eſt ſubſiſtens in ſuo eſſe.

110 Confirmatur ſecundò. Ideo propriū eſt ſubſiſtentium creari; quia ea, quæ creantur, dicuntur eſſe; ac proinde, producuntur à Deo, non vt inſint, nec vt ſubſint, ſed vt ſint, taliter, quòd vel dum creantur, creatur quoquè cum ipſis ſubſiſtentia, qua ſubſiſtant, ſeù qua dicantur eſſe; vel producuntur quantum ad ipſorum eſſentiam, ſeù entitatem eſſentialem, & ſimul, & ſemel communicatur eis diuina exiſtentia, & ſubſiſtentia, vt patet in humanitate Chriſti Domini, quæ fuit verè creata, & non habuit propriam ſubſiſtentiam, ſed fuit aſſumpta à Deo. Ergo cum diuina eſſentia ſit ipſum eſſe per eſſentiam abſolutè, debet ei aſſignari ſubſiſtentia abſoluta.

111 Confirmatur tertiò. Materia prima per aduerſarios habet propriam ſubſiſtentiam, licet imperfectam, & incompletam ſicuti eſt ipſa materia imperfecta, & incompleta. Ergo diuina eſſentia abſolutè conſiderata habet propriam ſubſiſtentiam abſolutè ſibi correſpondentem. Probo conſequentiam; quia eſt abſolutè. Ergo quia magis, imò incomparabiliter eſſentia diuina ſecundū conceptum eſſentiæ diuinæ dicitur eſſe, debet ſecundùm eumdem cōceptum dici ſubſiſtens.

112 Confirmatur quartò. Creatura ſecundùm quòd eſt terminus creationis, debet ad minùs connaturaliter exigere propriam ſubſiſtentiam. Ergo Creator, vt Creator, à fortiori debet habere propriam ſubſiſtentiam. Antecedens Vaſquez ipſe concedit, infra, d. 175. cap. 4. nu. 21. Probatur verò conſequentia à fortiori; quia magis requiritur ſubſiſtētia in Creatore, ſeù creante, quàm in creatura, ſeù creato. Ergo ſi creatura, ſeù creatum, vt creatum petit propriam ſibi ſubſiſtentiam, multo fortiùs illam debet habere Creator.

113 Probatur 14. ſeu confirmatur; quia ſubſiſtentia creata, vel eſt ſubſiſtentia per eſſentiam; vel ſubſiſtentia per participationem. Non primum, quia implicat in terminis eſſe creatum, ſeù eſſe creatam ſubſiſtentiam, & eſſe ſubſiſtentiam per eſſentiam. Ergo ſecundum. Tunc ſic. Subſiſtentia creata eſt ſubſiſtentia per participationem. Ergo per participationem à ſubſiſtentia abſoluta. Probo conſequentiam; quia (& accipio ſubſiſtentiam Adæ) hæc ſubſiſtentia non eſt per participationem à ſubſiſtentijs relatiuis. Ergo per participationem à ſubſiſtentia abſoluta. Probo antecedens; quia tres ſunt ſubſiſtentiæ relatiuæ, ſcilicet, ſubſiſtentia Patris, ſubſiſtētia Filij, & ſubſiſtentia Spiritus ſancti: ſed ſubſiſtentia Adæ non eſt per participationem à ſubſiſtentia Patris, Filij, & Spiritus ſancti, neque collectiuè, neque diuiſiuè. Ergo. Maior patet; Probatur minor; Primò; quia ſubſiſtentia Adæ eſt ſubſiſtentia abſoluta; ſed ſubſiſtentiæ Patris, ſcilicet, Filij, & Spiritus ſancti ſunt ſubſiſtentiæ relatiuæ. Ergo non eſt participatio huiuſmodi ſubſiſtētiarum. Secundò; quia non eſt participatio omnium trium ſimul; cum non

apparcat,

Digitized by Google

appareat, in quo omnibus tribus relatiuis ſubſiſtentijs correſpondeat ſubſiſtẽtia Adæ. Neque per participationem vnius, aut duarum tantùm; quia neque etiam apparet, nec aſſignari poteſt, in quo ſubſiſtentia Adæ ſit participatio vnius, vel duarum dumtaxat ſubſiſtentiarum relatiuarum ſit particeps, & non etiam tertiæ, vt diſcurrendo patet. Ergo. Vide, quę ſupra à n. 51. diſp. 156. diximus.

114 Confirmatur; quia homo factus eſt ad imaginem & ſimilitudinem Dei, non ſolùm quantùm ad Trinitatem perſonarum, ſed etiam quantùm ad prædicata abſoluta, vt docet D. Thomas infra quæſt. 113. ſed quatenùs homo eſt ad imaginem Dei, quantùm ad prædicata abſoluta, connumeratur hominis ſubſiſtentia abſoluta, quæ cum ſit incommunicabilis dicitur perſona. Ergo datur in Deo ſubſiſtentia abſoluta. Probatur minor ex D. Thoma infra q. 113. art. 6. in corp. circa medium, vbi ſic ait. *Poteſt ergo huiuſmodi differentia attendi inter creaturas rationales, & alias creaturas, & quantùm ad hoc, quòd in creaturis rationalibus repræſentatur ſimilitudo diuinæ naturæ; & quantũ ad hoc, quòd in eis repræſentatur ſimilitudo Trinitatis increatæ. Nam quantùm ad ſimilitudinem diuinæ naturæ pertinet, creaturæ rationales videntur quodammodo ad repreſentationem ſpeciei pertingere, in quantùm imitantur Deum, non ſolùm in hoc, quod eſt, & viuit, ſed etiam in hoc, quod intelligit.* Ergo in Deo eſſe id, quod intelligit, id, quod viuit, & id, quod eſt, pertinet ad diuinam naturã vt vna eſt, & abſoluta. Ergo homo eſt ad imaginem Dei, ſeù eſt participatio Dei, vt ſubſiſtentis abſolutè, quæ aſſimilatio, ſeù imago, reperitur etiam in alijs ab homine, vt docet D. Thomas loc. cit. art. in corp. vbi ſic ait. *Manifeſtum eſt autem, quòd ſimilitudo ſpeciei attenditur ſecundùm vltimam differentiam; aſſimilantur autem aliqua Deo; primò quidem, & maximè communiter, in quantùm ſunt. Secundò verò in quantùm viuunt. Tertiò verò, in quantùm ſapiunt, vel intelligunt &c.*

115 Probatur quintodecimò. Quia ſi non darentur tres ſubſiſtentiæ relatiuæ, daretur vna dumtaxat ſubſiſtentia abſoluta, adæquatè correſpõdens eſſentiæ, ac exiſtentiæ Dei abſolutæ. Ergo de facto datur vna ſubſiſtentia abſoluta. Antecedens patet; Probatur conſequentia. Quia ideo daretur vna ſubſiſtentia abſoluta, vt adæquatè faciat ſubſiſtere eſſentiam abſolutam; ſed eadem ratio currit de facto, cum conceduntur tres ſubſiſtentiæ relatiuæ. Ergo. Probo ſubſumptionem minoris; quia illud, quod conueniret Deo, ſi non eſſet trinus in perſonis, eſſet autem vnus in eſſentia, conuenit de facto Deo, ſi non conuenit ei, vt trinus eſt: ſed vna ſubſiſtentia abſoluta conueniret Deo, ſi non eſſet trinus in perſonis; Eo quia, eſſet vnus in eſſentia. Ergo de facto conuenit Deo.

116 Reſpondebit aliquis, concedendo antecedens, & negando conſequentiam; & ratio negationis eſt; Quia daretur vna ſubſiſtentia abſoluta, in caſu, quo nõ eſſent tres ſubſiſtentiæ relatiuæ, tamen in eo caſu, illa vna ſubſiſtentia abſoluta diceretur vnà perſona abſoluta; vnde ſi quid probaret argumentum, probaret quoque, quod præter tres ſubſiſtentias relatiuas, ſeù perſonas relatiuas, datur de facto vna perſona abſoluta, quod eſt hæreticum affirmare.

117 Contra; quia in tantùm illa ſubſiſtẽtia abſoluta ſi non darentur tres ſubſiſtentiæ relatiuæ, diceretur perſona, in quantùm illa ſubſiſtentia abſoluta vltra hoc, quod eſt eſſe per ſe, diceret quoque incommunicabilitatem. Ergo ſic datur vna ſubſiſtentia abſoluta, in caſu vero, quod ſcilicet, dantur tres ſubſiſtentię relatiuę, ſicuti in caſu impoſſibili ſi ſcilicet, non eſſent huiuſmodi tres ſubſiſtẽtię relatiuę; Hoc ſolùm excepto; quod de facto ſubſiſtentia abſoluta eſt communis tribus relatiuis, & in alio caſu eſſet incommunicabilis, non communis.

CAPVT TERTIVM.

Proponuntur argumenta in contrarium, & ſoluuntur.

118 SED contra iſtam determinationem objiciet aliquis primò; Quia noſtra ſententia eſt contra phraſim Conciliorum, & Patrum. Ergo non eſt vera. Probatur antecedẽs; quia in Synodo Generali ſecunda, quę eſt prima Conſtantinopolitana initio Epiſtolę ad Sanctum Damaſum, ſic habetur. *Nos credere, videlicet, vt diuinitas, & poteſtas vna Patris, & Filij, & Spiritus ſancti &c. in tribus perfectis ſubſiſtentijs, ſiuè in tribus perfectis perſonis.* Et Imperator Iuſtinianus, & ipſe latinè ſcribẽs ad Pontificem Ioannem II. in edicto, ſeù confeſſione ad eum miſſa, quę habetur in tomis Conciliorum poſt Concilium Toletanum ſecundum colum. 9. ita ſcribit. *Quoniam non eſt idem natura, & ſubſiſtentia. Omnes enim Sancti Patres conſonanter nos docent, aliud eſſe naturam, ſiuè ſubſtantiam, & formam; aliud ſubſiſtentiam, ſiuè perſonam. Et naturam quidem, vel ſubſtantiam,*

tiam, & formam, hoc quod eſt commune ſignificare: ſubſiſtentiam autem, ſiuè perſonam, hoc quod eſt ſpeciale. Et ſic patet in multis Sanctorum Conciliorum, ac Patrum loquendi modis. Ergo ſecundum hęc, & alia ſimilia teſtimonia non datur vna ſubſiſtentia abſoluta, & communis in Deo; & illam admittere, eſt cōtra phraſim, ac modum loquendi Conciliorum, & Sanctorum Patrum. Patet conſequentia.

119 Confirmatur: Quia hypoſtaſis, & ſubſiſtentia ſunt omnino idem: ſed communiter Concilia, & Sancti Patres concedunt tres ſubſiſtentias, & tres hypoſtaſes, negant verò vnam hypoſtaſim. Ergo negant vnam ſubſiſtentiam abſolutam.

120 Reſpondetur, eſſe quidem in vſu frequentiori, quod nomine ſubſiſtentię intelligatur idem omnino quod perſona; Et iuxta hunc frequentiorem vſum, quędam Concilia, ac digni fide Doctores dixerunt, dari tres ſubſiſtentias in diuinis, ſicut dantur tres hypoſtaſes, ſeu tres perſonę. Verùm non eſt contra mentem Conciliorum, & Patrum dari vltra tres ſubſiſtentias relatiuas, vnam ſubſiſtentiam abſolutam; imo nec contra phraſim, vt patet ex teſtimonijs adductis pro confirmatione noſtrę cōcluſionis. Vnde,

121 Reſpondetur, negando antecedens. Ad cuius probationem, concedo antecedens, & nego conſequentiam; & ratio negationis eſt; quia ſupradicta, & alia conſimilia teſtimonia loquuntur de ſubſiſtentia iuxta frequentiorem loquēdi modum; & quoties ab ijſdem vna negatur ſubſiſtentia, & tres tantùm conceduntur, interpretandi ſunt de ſubſiſtētia relatiua, ſeu incommunicabili ad fugiendam occaſionem, ne quaternitas in diuinis admittatur.

122 Ad confirmationem diſtinguo, ſeu potiùs explico maiorem. Hypoſtaſis & ſubſiſtentia ſunt omninò idem. Si hypoſtaſis non accipiatur ita contractè, ſed pro vt idem ſonat, ac per ſe ſubſiſtere, concedo maiorem. Si accipiatur contractè pro perſona tantùm, adhùc explico maiorem. Hypoſtaſis, & ſubſiſtentia ſunt omninò idem, accipiendo ſubſiſtentiam ſine addito iuxta phraſim frequentiorem nonnullorum Conciliorū, & Patrum, concedo maiorem. Iuxta proprietatem vocabuli, & cum aliquo addito, propter non frequentiorē phraſim nonnullorum Conciliorum; & Patrum, nego maiorem. Similiter explicanda eſt minor; & neganda eſt conſequentia.

123 Vbi obſeruandum eſt, quòd D. Hieronymus non auſus eſt concedere tres hypoſtaſes; quia nomine hypoſtaſis intelligebat quidem ſubſiſtentiam non tamen perſonalem, ſed eſſentialem; & propterea timebat tres hypoſtaſes admittere, ne concederet tres eſſentias. Vnde Epiſt. 57. ad Damaſum, poſtquam audiuit quoſdam tres hypoſtaſes concedentes, intelligentes tamen per hypoſtaſim, perſonam, ſic ait. *Si ſic credunt, vt interpretantur, non damno quod retinent. Si ſic credo, vt ipſi ſentire ſe ſimulant; permittatur & mihi, meis verbis ſuum ſenſum loqui*. Et quia vehementer vt tres hypoſtaſes cōcederet excitabatur; eo quia, nonnulli ſcilicet, Vitalis, Meletius, & Paulinus hoc loquendi modo vtebantur, ſic ait. *Non noui Vitalem, Meletium reſpuo, ignoro Paulinum, qui itaque tecum non colligit, ſpargit. Hoc eſt, qui Chriſti non eſt, Antechriſti eſt*. Et quia, hoc faciebat vt fides, qua pollebat, firma, & inconcuſſa maneret, idcircò Summum Pontificem humiliter ſic vt rem definiret deprecatus eſt. *Quamobrē, obteſtor Beatitudinem tuam per Crucifixum mundi ſalutem; per Homonſion Trinitatem, vt mihi Epiſtolis tuis, ſiuè tacendarum, ſiuè dicendarum hypoſtaſeon detur authoritas*. Et in fine Epiſtolæ ſequentis de hac eadem re ſic iterum obſecrat. *Vt qui Apoſtolos honore ſequeris, ſequaris & merito, ita in ſolio cum duodecim iudicaturus ſedeas; ita te alius ſenem cum Petro cingat; ita municipatum Cœli cum Paulo conſequaris, vt mihi litteris tuis, apud quem in Syria debeam communicare, ſignifices. Noli deſpicere animam meam, pro qua Chriſtus mortuus eſt*. Ecce igitur, quomodò hoc nomen, hypoſtaſis, ſignificat rem ſubſiſtentem, ſeu ſubſiſtentiā, & ſecundum Sanctum Hieronymum, & Sanctum Auguſtinum, accipitur pro vt ſignificat ſubſiſtentiam abſolutam. quòd idem docuit Auguſtinus. & ſignificare ſubſiſtentiam abſolutam, & tres ſubſiſtentias relatiuas, expreſſè docuit Aghato Papa, vt ſupra vidimus.

124 Obijcies ſecundo ex Anico. *Subſiſtentia abſoluta derogat maiori perfectioni diuinæ. Igitur non eſt admittenda*. Conſequentia patet. Antecedens verò probatur; *Nam hæc ſubſiſtentia abſoluta derogat exiſtentiæ naturæ diuinæ; quia ſupponit illam, non eſſe ſufficientem ex ſe ad reddendam naturam diuinam perfectè exiſtentem, independenter à quacumquè alia formalitate ſuperaddita, ſpectante ad eamdem lineam, & formalitatem exiſtentiæ*. Ergo.

125 Reſpondetur, negando antecedens. Ad cuius probationem, nego antecedēs. Ad cuius probationem, dico, quòd eſt extra caſum diſputationis. Sufficit enim nobis.

Digitized by Google

nobis, quòd detur in Deo id per quod Deus dicitur per ſe abſolutè ſubſiſtens, ſiuè hoc ſit ratione exiſtentiæ; ſiuè per formalitatem diſtinctam à formalitate exiſtentiæ. Imo dicimus, quòd in Deo ratio formalis exiſtentiæ, & eſſentiæ ſunt vna formalitas, & ſubſiſtentia abſoluta eſt intrinſecè intra viſcera eſſentiæ incluſa. Non enim quærimus in præſenti, vtrum ratio, quam nomine ſubſiſtentiæ abſolutæ intelligimus, ſit extra lineam abſolutę exiſtentiæ Dei, an ſit de intrinſeco illius conceptu, an extra. imò affirmamus ad intrinſecam rationem eſſentiæ diuinę pertinere, ad minùs tanquã intrinſecum modum eius.

126 Obijcies tertiò. Si daretur ſubſiſtentia abſoluta, ſequeretur, quòd nõ eſſet bona iſta cõſequentia, ſcilicet, vnio in myſterio Incarnationis nõ eſt facta in natura. Ergo eſt facta in perſona: ſed hoc nõ debet dici. Ergo. Probatur ſequela; quia inter vnionẽ in natura, & vnionẽ in perſona mediaret vnio in ſubſiſtẽtia abſoluta. Probatur minor; quia communiter Cõcilia, & Patres ſic loqui ſolent, & contra hæreticos argumẽtari, nempè quòd ſi vnio non eſt facta in natura, ſequitur per bonã cõſequẽtiã, ꝙ eſt facta in perſona.

127 Reſpondetur, omiſſis aliorũ ſolutionibus, negãdo ſequelã. Ad cuius probationẽ nego antecedẽs. Nam ſubſiſtentia abſoluta nõ eſt ita à natura diuina diſtincta, vt ſit ab ea quaſi diuerſa formalitas, ſed intrinſecè imbibitur in ratione eſſentiæ, ac exiſtentiæ diuinæ. Vnde, eò ipſo, quòd natura diuina vniretur naturæ humanæ, haberet propriam ſubſiſtentiã abſolutam, per quam redderet eam ſubſiſtentem, licet non perſonatã: ſed de hac materia Deo duce dicemus 3.p.q.3.ar. Præterquamquod ſanctorum Patrũ argumentatiò, ſcilicet, ſupradicta illatio, nimirum vnio non eſt facta in naturæ Verbi. Ergo facta eſt in perſona, eſt ad hominem contra hæreticos, præſertim contra Eutichetem, concedentem vnionem non eſſe factam in natura, neque in ſubſiſtentia abſoluta, quam fortè ipſe negauit, quapropter optima eſt Patrum contra Eutichetem illatio.

Amicus. 128 Obijcies quartò ex Amico. *De ratione ſubſiſtentiæ eſt incommunicabilitas. Igitur competere non poteſt Deo præciſo à relationibus. Probatur antecedens. Nam ſubſiſtentia eſt vltimus terminus naturæ ſubſtantialis: ſed de ratione vltimi termini eſt incommunicabilitas. Ergo &c. Minor patet; alioqui non eſſet vltimus terminus, ſi natura vlteriorem terminum exigeret. Maior probatur; Quoniam ſubſiſtentia, præſertim diuina, debet ſupponere naturam perfectè exiſtentem. Cum omnis perfectio diuina debeat in ſuo genere ſupponi vltimò completa &c.*

129 Reſpondetur, negando antecedens. Ad cuius probationem reſpondetur primò, diſtinguendo, ſeù explicando maiorem: Subſiſtentia eſt vltimus terminus naturæ ſubſtantialis, intra lineam, ſeù formalitatem perfectionis eſſentialis, concedo maiorem. Omnibus modis, nego maiorem. Secundò, adhuc diſtinguo maiorem. Subſiſtentia eſt vltimus terminus naturæ ſubſtantialis abſolutæ, vt abſolutè ſubſiſtat, concedo maiorem. Eſt vltimus terminus naturæ ſubſtantialis abſolutæ, vt abſolutè, & vt relatiuè quoque ſubſiſtat. Nego maiorem. Similiter diſtinguenda, ſeù explicanda eſt minor, & neganda eſt conſequentia. Tertiò; negando maiorem. De ratione enim ſubſiſtentiæ eſt, reddere naturam per ſe. Verum eſt tamen, quod ſubſiſtentia relatiua eſt vltimus terminus naturæ diuinę, quo ſcilicet, natura diuina redditur incommunicabilis alijs ſuppoſitis; reſpectu verò ſubſiſtentiæ creatæ in ordine ad ſuam eſſentiam, dicendum eſt ad mentem D. Thomæ, quod ſubſiſtentia non eſt vltimus terminus naturę; quandoquidem ſubſiſtentia ſequitur exiſtentia; & per ſe, deinde, conſideratur exiſtens exiſtentiã ſibi proportionata. Sed de hac materia alibi.

130 Obijcies quintò. Non valet dicere, datur vnus Deus abſolutus, & tres Dij relatiui. Ergo neque etiam valet dicere, datur vna ſubſiſtentia abſoluta, & tres ſubſiſtentiæ relatiuæ. Antecedens eſt de fide certũ. Probatur autem conſequẽtia; quia vtrobiquè eſt eadem ratio.

131 Reſpondetur, concedendo antecedẽs, & negando conſequentiam; & ratio diſparitatis aſſignatur. Nã aliter aſſignatur vna ſubſiſtentia abſoluta communis tribus ſubſiſtentijs relatiuis; & aliter aſſignaretur vnus Deus abſolutus, & ſimulatquè darentur tres Dij relatiui. Nam à Theologis cum datur vna ſubſiſtentia abſoluta communis tribus ſubſiſtentijs relatiuis, nõ eſt ſenſus, quòd ipſamet vna ſubſiſtentia, quę eſt abſoluta multiplicatur in tribus relatiuis, ſed quòd vna ſubſiſtentia abſoluta in ſe omninò indiuiſa manens, eſt communis tribus relatiuis, quæ ſunt alterius rationis à ſubſiſtentia abſoluta: at verò dicere, quòd datur vnus Deus abſolutus, & vltra hũc, dãtur quoquè tres Dij relatiui, eſſet dicere, quòd datur vna natura diuina abſoluta, & tres naturæ diuinæ relatiuæ.

132 Obijcies ſextò. Valet dicere, quòd Pater, & Filius ſunt vnus ſpirator Spiritus ſancti, ratione vnius virtutis ſpiratiuæ; ſed

Digitized by Google

ſed nõ inde ſequitur, quòd vnus ſpirator habeat vnũ ſubſiſtens in ratione ſpiratoris. Ergo neque etiã ſequitur, ex eo, quia Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus ſunt vnus Deus, quòd datur vnũ ſubſiſtens abſolutũ, ſeù vnũ ſubſiſtere, aut vna ſubſiſtẽtia abſoluta. Maior eſt D. Thomę infra, q. 36. ar. 4. & conſequentia currit à pari: quia vna ex rationibus, quare probamus dari in Deo vnã ſubſiſtẽtiã abſolutã, eſt iſta; quia ſcilicet, Deus ſecundũ rationẽ abſolutã eſt intelligens, & volẽs in numero ſingulari. Natura diuina eſt Deus, ſeù Deitas eſt Deus, & hæc Deitas eſt hic Deus &c. Require reſponſionem infra, quæſt. 36. art. 4. diſp. 198. in fine.

133 Obijcies ſeptimò. Si natura diuina ſecundũ ſe ſubſiſteret ſubſiſtentia abſoluta, non poſſet concipi in abſtracto, & vt id quo Deus eſt, ſed neceſſario, & tantum, deberet concipi, vt id quod eſt. Hoc eſt falſum. Ergo. Maior patet; quia quod concipitur vt ſubſiſtens, non concipitur vt id quo, ſed vt id quod eſt; vt patet ex ratione termini abſtracti. Minor etiam patet, eamquè expreſsè docet D. Thomas infra, q. 39. ar. 5. in corp. vbi ſic ait. *Eſſentia non habet ex modo ſuæ ſignificationis, quòd ſupponat pro perſona, quia ſignificat eſſentiam, vt formam abſtractam.*

134 Reſpõdetur, negãdo ſequelã. Ad cuius probationẽ cõcedo antecedẽs, & nego conſequentiã; & ratio negationis eſt; quia diuina eſſentia cũ ſit ipſa ſubſtentia abſoluta, ipſumque ſubſiſtẽs abſolutum, poteſt vtroquè modo cõcipi, vt quo ſcilicet, ſeù in abſtracto; & ſic nõ cõcipitur vt ſubſiſtẽs, ſed vt ſubſiſtẽtia, & vt quod, ſeù in cõcreto, & ſic concipitur, vt ſubſiſtẽs. Et hoc eſt, quod pluries D. Thomas de eſsẽtia diuina loquẽs ait; Quòd in Deo idem eſt, id quo eſt, & id quod eſt. Et hoc etiam eſt, quod alij Doctores Thomiſtæ huic reſpõdentes argumẽto dicũt, quod eſſentia diuina adequatè cõſiderata, non poteſt cõcipi niſi etiã cõcipiatur vt ſubſiſtens; inadæquatè verò, vtique; quia ſcilicet, & ſi nõ cõcipiatur vt ſubſiſtens, intelligitur tamen vt ſubſiſtentia.

135 Obijcies octauò. Si daretur ſubſiſtẽtia abſoluta, illa eſſet perſona: Sed hoc non poteſt dici. Ergo. Minor eſt inter catholicos manifeſta. Probatur ſequela; primò, quia, huiuſmodi ſubſiſtentia abſoluta reddet naturã diuinam incõmunicabilẽ. Secundò; quia, eſſet operans. Ergo perſona. Probatur iſta conſequẽtia; quia actiones ſunt ſuppoſitorum.

136 Reſpondetur, & reſpõſio patet ex ſupradictis, nu. 129. negatur enim ſequela; ad cuius primam probationẽ nego antecedens. De ratione enim ſubſiſtẽtiæ, naturæ communicabilis eſt, reddere illam in ſuo eſſe per ſe, & in ſe; & ſi incommunicabilitatem dicit, hoc eſt in ordine ad alias ſubſiſtentias abſolutas, non autem in ordine ad tres ſubſiſtentias relatiuas. Ad 2. probationem, concedo antecedẽs, & nego conſequentiam. Ad cuius probationem dico cum Capreolo, in 1. diſt. 25. q. 1. ad 4. Scoti contra 1. concluſionem, quòd *illa maxima, actiones ſunt ſuppoſitorum, intelligenda eſt ſic, id eſt, rerum ſubſiſtentium, ſiue ſint ſuppoſita, ſiue non.*

137 Obijcies nonò; authoritatibus Diui Thomæ. Nam de potentia quæſt. 9. ar. 3. ad 1. ſic ait. *Illud quod ſignificatur per nomen ſcilicet, ſubſiſtens in natura intellectuali, competit Deo. Et propter hoc, nomen perſonæ propriè ſumitur in diuinis.* Et ibidem ad 5. ſic ait. *Formæ verò immateriales cum ſint per ſe ſubſiſtẽtes, ex ſe ipſis indiuiduãtur; ex hoc enim quod aliquid eſt ſubſiſtens, habet quòd de pluribus prædicari non poteſt. Et ideo nihil prohibet in rebus immaterialibus, ſubſtantiam indiuiduam, & perſonam inueniri.* Et ibidem ad 6. ſic ait. *Licet ſubeſſe à quo imponitur vocabulum ſubſiſtendi, Deo non conueniat, tãmen per ſe eſſe, ad quod ſignificandum imponitur, competit ei.* Ex quo, vult concludere, quòd in Deo poſſit eſſe ratio perſonæ. Et art. 5. in fine corp. ſic ait. *Res autẽ ſubſiſtentes in diuina natura ſunt diuinæ perſonæ. Et propter hoc ponimus perſonarũ numerum.* D.Thom.

138 Item, in ſumma p. p. q. 29. ar. 2. ait, quod ſubſiſtẽtia, res naturę, & hypoſtaſis idem ſunt, ac perſona. Et eadem q. ar. 3. ſic ait. *Perſona ſignificat id, quod eſt perfectiſſimum in tota natura, ſcilicet, ſubſiſtẽs in rationali natura.* Et 3. p. q. 2. ar. 2. in corp. ſic ait. *Si qua verò res eſt, in qua omnino nihil aliud eſt præter rationẽ ſpeciei, vel naturæ ſuæ (ſicut eſt in Deo) ibi nõ eſt aliud ſecundũ rem, ſuppoſitũ, & natura, ſed ſolũ ſecundũ rationẽ intelligendi; quia natura dicitur, ſecundũ quòd eſt eſſentia quædã; eadẽ verò, dicitur ſuppoſitũ, ſecundũ quod eſt ſubſiſtens.* Et q. 3. ar. 2. in corp. ſic ait. *Eſſe terminũ aſſumptionis nõ conuenit naturæ diuinę ſecundũ ſe ipsã, ſed ratione perſonæ in qua cõſideratur.* Et ibidẽ ad 2. ſic ait. *Illud, quod cõuenit naturæ diuinę ſm̃ ſe, cõuenit tribus perſonis, ſicut bonitas, ſapiẽtia, & huiuſmodi, ſed aſſumere cõuenit ei, ratione perſonæ Verbi.* Et in 3. diſt. 5. q. 2. ar. 3. ſic ait. *Si circũſcribatur à Deo omnis ratio perſonalitatis, ipſa natura neq; erit ſubſiſtẽs in ſe, neq; erit in aliquo ſubſiſtẽte.* Hæc & alia ſimilia teſtimonia ex D. Th. pro oppoſita opinione ſolent, & poſſent adduci. D.Thom.

139 Sed reſpõdetur ad ſingula; & quidẽ ad primũ de potent. q. 9. ar. 3. ad 1. patet reſpõſio; Quia ibi D. Th. intẽdit cõcludere, quod in Deo datur perſona; quia in Deo datur ſubſiſtens in naturã intellectuali, ex quo rectè concluditur dari perſonam, etiam

Digitized by Google

etiam ſi in Deo daretur ſubſiſtentia abſoluta, ratione cuius, hic Deus, eſſet ſubſiſtens in natura intellectuali; quia vbi datur ſubſiſtens communicabile, in natura intellectuali, ibi etiam debet dari ſubſiſtens incommunicabile in eadem natura, præterquamquòd, per ſubſiſtẽs in natura intellectuali, accipit ſubſiſtens incommunicabile, quia aliquando D. Thomas nomine ſubſiſtentis, aut ſubſiſtentiæ, vtitur iuxta phraſim, & conſuetum loquẽdi modum, quo Sancti Patres ſolent vti; nam vt ipſe D. Thomas in 1. diſt. 26. q. 2. ar. 1. ad 4. obſeruat, illa nomina, quæ dicuntur de Deo per reſpectũ ad eſſe, prædicantur ſingulariter, vt ſubſiſtentia, & eſſentia; & addit ſic; *Quamuis nomen ſubſiſtentiæ apud vſum Sanctorum ſumatur pro hypoſtaſi*, & tunc præcipuè D. Thomas vtitur nomine ſubſiſtentis in natura intellectuali, ſeù ſubſiſtentiæ pro perſona, quando loquitur de Trinitatis myſterio, aut de vnione facta in incarnationis arcano. D.Thom.

140 Ad aliud ibidem ad 5. reſpondetur, duo in illo teſtimonio eſſe, quæ poſſent oppoſitæ fauere ſententiæ. Primum eſt, ly, ex hoc, quòd aliquid eſt ſubſiſtens, habet quòd de pluribus prædicari nõ poſſit. Secundum verò, quia ex per ſe ſubſiſtere, concludit, quòd nihil prohibet in rebus immaterialibus perſonam inueniri. Neutrum horum proficit arguenti. Non quidem primum; quia quod eſt per ſe ſubſiſtens, non poteſt de pluribus prędicari, tanquàm vniuerſale de ſuis ſingularibus, aut ſuperius de ſuis inferioribus; non tamen implicat, vt aliquod per ſe ſubſiſtẽs, ſicuti eſt in caſu noſtro, de pluribus prędicetur tanquàm quid commune ſecundùm rem, omninò manens indiuiſum, etiam dum eſt pluribus communicatum. Item D. Thomas loquitur de per ſe ſubſiſtente iuxta frequentiorem, ac vſitatiorem modum loquendi Sanctorum, apud quos per ſe ſubſiſtens, frequentiùs ſolet accipi pro perſona, vt nu. præced. ex D. Thoma diximus, & communiter Scholaſtici obſeruant.

141 Ad aliud ibidem ad 6. reſpondetur, ſicuti ad primum teſtimonium diximus. Loquitur enim de ſubſiſtentia, pro vt ad ſuum pertinet inſtitutum, vt probet ſcilicet, & defendat in Deo dari poſſe perſonam, quod rectè colligit, etiam admiſſa ſubſiſtentia abſoluta, de qua non facit ibi mentionem, quia eſt extra diſputationis ſtatum. Et per, ly, *per ſe eſſe*, non intelligit eſſe, abſolutè, ſeù eſſe eſſentiæ, aut exiſtentiæ, ſed eſſe relationis perſonalis, & vult dicere, Deo, ſeù relationi diuinæ per ſe eſſe, ideſt, per ſe relatiuè ſubſiſtere.

142 Ad aliud ex eadem quæſt. ar. 5. in fine corp. reſpondetur; ibi D. Thomam manifeſtè eſſe pro nobis contra arguentem; ſic enim ait. *Relationes autem in diuinis non ſunt accidentia, ſed vnaquæquè earũ eſt realiter diuina eſſentia. Vnde & vnaquæquè earum eſt ſubſiſtens, ſicut diuina eſſentia: vt ſicut diuinitas eſt idem quòd Deus, ita paternitas eſt idem, quòd Pater; & per hoc, Pater idem quod Deus. Numerus ergo relationum, eſt numerus rerum ſubſiſtentium in diuina natura. Res autem ſubſiſtentes in diuina natura ſunt diuinæ perſonæ.* Vbi D. Thomas manifeſtè concedit vnam ſubſiſtentiam abſolutam, & tres ſubſiſtentias relatiuas. D.Thom.

143 Ad aliud ex 1. p. q. 29. art. 2. reſpõdetur, ſicut ad primum teſtimonium.

144 Ad aliud ex eadem quæſt. art. 3. reſpondetur, ſicuti in commentario ſuper eumdem articulum verba D. Thomæ declarauimus.

145 Ad aliud ex 3. p. q. 2. art. 2. in corp. reſpondetur, ſicut ad primum teſtimonium.

146 Ad aliud ex eadem 3. p. q. 3. art. 2. in corp. reſpondetur, explicando D. Thomam de termino aſſumptionis de facto, non de poſſibili. Et ſenſus verborum D. Thomæ eſt, quòd natura diuina in myſterio Incarnationis non dicitur terminus vnionis, niſi ratione perſonæ; ideſt cum natura diuina dicitur vnita humanæ naturæ, hoc non intelligitur ratione naturæ diuinæ, cui ſecundùm ſe, ratione ſcilicet exiſtentiæ, ac ſubſiſtentiæ abſolutæ, etiam conuenit poſſe aſſumere, ſed dicitur vnita ratione perſonæ.

147 Ad aliud ex eadem q. & art. ad 2. reſpondetur, ſimiliter ſicut ad præcedẽs.

148 Et tandem ad vltimum ex 3. diſt. 5. q. 2. art. 3. reſpondetur, explicando D. Thomam ſic. Si circumſcribatur à Deo omnis ratio perſonalitatis relatiuè, ſcilicet; & abſolutè; ita nimirùm; vt in Deo nulla perſonalitatis ratio inueniatur, ipſa natura neque erit ſubſiſtens; & ratio eſt; quia natura, cui repugnat perſonalitas, repugnat quoquè per ſe ſubſiſtere, ſeù ſubſiſtentia, non ſolum abſoluta, verumetiam reſpectiua, & è contra.

149 Obijcies decimò. Quia hæc opinio de ſubſiſtentia abſoluta eſt noua, & à Caietano imaginata; eò vel maximè, quia Caietanus fuit primus huius vocis inuentor, nempè quòd hæc ſubſiſtentia abſoluta vocatur in Deo ſemiperſona, & ſemiſuppoſitum, & perſona incompleta; ſed hoc nullo modo eſt admittendum. Ergo. Caiet.

150 Reſpondetur, negando maiorem, namque vt ſupra in hac eadem diſput.

vidimus, hæc de ſubſiſtentia abſoluta opinio, eſt Agathonis Papæ, D. Hieronymi, Auguſtini, Boetij, D. Thomæ, & antiquiorum Scholaſticorum.

151 Quid de voce tanquàm à Caietano nouiter imaginata, Vaſquez dixerit, iam retulimus, ſed etiam Suarez, in metaphyſica diſp. 34. ſect. 1. nu. 2. ſic ait. *Vnde meritò inter Theologos reprehenditur Caietanus, quòd aliquo modo admiſerit vnum ſuppoſitum commune tribus perſonis, quamquàm non ſimpliciter, ſed cum addito hic dixerit, ſcilicet, ſuppoſitum incompletum, vel perſonam incompletam. Hæc enim locutio, & Theologorum aures offendit, quia non ſolùm inuſitata eſt apud Patres, verumetiam ab eorũ modo loquendi aliena; & in rigore eſt falſa. Quia ratio ſuppoſiti repugnat cum communicabilitate diuinæ ſubſiſtentiæ.* Eodem modo loquitur 3. p. tom. 1. diſp. 11.

Caiet. Suarez.

152 Verùm, vt videri poteſt apud Caietanum, numquàm dixit ſubſiſtentiam abſolutam, ſeù Deum vt ſubſiſtentem ſubſiſtentia abſoluta, eſſe ſemiſuppoſitum, ſeù ſemiperſonam, vt eius verba à nobis ſupra relata, hac eadem diſp. teſtantur; Neque aliquando dixit, eſſe perſonam, ſeù hypoſtaſim incompletã; dixit tamen, Deum vt ſubſiſtentem ſubſiſtentia abſoluta, poſſe dici perſonam ſecundùm rationem imperfectam perſonæ, & quòd non habet completam rationem ſuppoſiti. Et 3. p. q. 3. art. 3. ait; quòd Deus, vt ſubſiſtens ſubſiſtentia abſoluta, non eſt perſona completè, *ſed incompletè*. Non dixit, quòd eſt perſona incompleta nominatiuè, *ſed incompletè*, aduerbialiter; & Suarez accipit ly, incompletè, nominatiuè. Et ſenſus verborum Caietani adhùc ſupra declaratus eſt. Vnde miror quomodo etiam ex noſtris eodem modo locutum fuiſſe Caietanum affirmare videntur, inter quos eſt Gonzalez, q. 29. art. 2. diſp. 7. ſect. 2. concl. 3. Oportet legere attentè Doctores, & deinde fideliter eorum ſententias, & ſi commodè fieri poteſt quo ad ipſa verba referre. Non igitur noua nõ temeraria, non improbabilis, nec ſingularis eſt ſententia de ſubſiſtentia abſoluta, ſed communior quàm oppoſita, authoritatibus vndequaquè munita, rationibuſquè firmata.

Caiet. Caiet. Suarez.

DISPVTATIO CLXVII.

VTRVM PRÆTER SVBSISTENTIAM ABSOLVTAM dentur in Deo tres ſubſiſtentiæ relatiuæ.

In tria capita diſtributa.

CAPVT PRIMVM.

Explicatur titulus, & Doctorum opiniones referuntur, & declarantur.

1 SENSVS quæſiti eſt, Vtrum in Deo ſint non ſolùm tres perſonæ ſubſiſtentes, ſed etiàm ſint tres rationes relatiuæ ſubſiſtendi. Seù Vtrum in Deo ſint non ſolùm tres ſubſiſtentes perſonæ in concreto, ſed etiam ſint tres ſubſiſtentiæ in abſtracto.

2 Suppono tamẽ, ꝙ in Deo dari ſubſiſtẽtiam, apud omnes certum eſſe debet; dari quoquè vnam ſubſiſtentiam abſolutam, & communem, quamuis quidam negent, diſputatione tamen præcedenti dandam eſſe probauimus; nunc autem quærimus vtrum ſint admittẽdæ in Deo tres ſubſiſtentiæ relatiuæ, ita vt cuilibet perſonæ diuinæ propria correſpondeat ſubſiſtentia; taliter, quòd ſi dantur tres huiuſmodi ſubſiſtentiæ relatiuæ, non habeant cum ſubſiſtentia abſoluta repugnantiam.

3 Dicunt ergo nonnulli in Deo dari quidem ſubſiſtentiam abſolutam, non verò dari tres ſubſiſtentias relatiuas. Hanc opinionem tribuunt Scoto, in 3. diſt. 1. Verùm quidam Scotiſtæ reclamant; dicunt enim, quòd immeritò pro hac opinione citatur Scotus; Nam quodlib. 5. ar. 3. ad 3. quamuis aſſerat, quòd *ſubſiſtere formaliter dicit perfectiſſimum eſſe, & non dicit, niſi eſſentiam ſecundùm Auguſtinum*, nihilominus

Scotus.

Digitized by Google

nihilominus tamen, ibidem tres ſubſiſtentias diſtinguit relatiuas; ſubdit enim quòd datur ſubſiſtentia, quæ *eſt ratio ſubſiſtendi, quæ eſt ratio incommunicabiliter per ſe eſſendi*.

4 Tribuunt quoquè hanc eamdem opinionem Capreolo, in 1. diſt. 26. q. 1. art. 1. concl. 3. ſi tamen Capreolus attentè, patienterquè legatur, aliqua pro hac, & aliqua pro alia opinione profectò reperiretur. Nam in primis, nunquàm negauit tres ſubſiſtentias relatiuas, nequè vnā dumtaxat conceſſit abſolutam ſub terminis ſubſiſtentiarum, & ſubſiſtentiæ. Imò eodem loco ad argumenta Scoti contra ſecundam concluſionem §. *Ad quartum dicitur*, ſic ait; *Licet in diuinis ſit vnum ſubſiſtere abſolutum, non tamen vna ſubſiſtentia abſoluta; quia ſubſiſtentia, licèt quantùm ad rationem à qua, ſumatur à ſubſiſtere, tamen quantùm ad rationem ad quam imponitur, ſignificat ſubſiſtens diſtinctum incommunicabile, & nulli abſoluto iſta conueniunt in diuinis*. Vbi Capreolus per ly, *ſubſiſtere abſolutum*, admittit ſubſiſtentiā abſolutam; modo diſp. præcedenti probatam; cum autem negat dari vnā ſubſiſtentiam abſolutam, ac proinde concedit tres ſubſiſtentias relatiuas, nomine ſubſiſtentiæ, intelligit rationem ſubſiſtendi incommunicabiliter, & vtitur nomine ſubſiſtentię ſecundùm frequentiorem ſanctorum Patrum vſum. Quod confirmare videtur ad argumenta Aureoli contra ſecundam concluſionem ad 1. vbi ſic ait. *Iſtis enim dicitur, quòd paternitas dum concipitur vt conſtitutiua Patris, intelligitur quid relatiuum, ſed non relatiuè, nec ſub ratione relatiui. Paternitas enim vt relatio talis conſtituit Patrē in eſſe Patris, ſed vt concipitur conſtitutiua hypoſtaſis, vel perſonæ, quò ad eſſe diuinæ perſonæ, vel ſuppoſiti, concipitur vt quædam forma incommunicabilis naturæ intellectualis diuinæ, & taliter cōcipi, eſt abſolutè concipi*. Vbi habentur duo, vnum eſt, quòd paternitas conſtituit hypoſtaſim, vel perſonam; alterum quod hoc facit ſub ratione abſoluta. Secundum, debet explicari ſicut ſupra, ideſt, de ratione abſoluta, quò ad imperfectum noſtrum modum intelligendi, & pro vt diſtinguitur à relatione, vt dicit Ad; non autem de ratione abſoluta, ideſt, de formalitate, quæ in ſe eſt formaliter quid abſolutum. Primum verò, ſpectat ad præſentis diſputationis intentum. Ex hoc enim quòd paternitas cōſtituit hypoſtaſim, ſeu ſuppoſitum, colligitur quòd ipſa ſit ſubſiſtentia relatiua.

5 Hoc idem poteſt confirmari ex ijs, quæ dicit ibidem. *Ad primum eorum, quæ quinto loco inducit*, vbi ſic ait. *Non poteſt intelligi, quòd remoueatur in diuinis relatio, & remaneat aliquid ſubſiſtens relationi; quia ipſamet ſibi ſubſiſtit*. Item, ibidem ad ſecundum ſic ait. *Omne quod ſubſiſtit in diuinis eſt incommunicabile illa communicabilitate, quæ competit vniuerſali reſpectu ſuorum inferiorum, tamen aliquod ſubſiſtens eſt ibi communicabile illa communicabilitate, qua forma communicatur ſuppoſito; & illa, qua commune communicatur proprio; ſicut diuinitas tribus ſuppoſitis eſt communis; & ſpiratio actiua eſt communis Patri, & Filio &c.* Et poſt nonnulla ex D. Thoma ſic ait. *Proprietates autem perſonales, puta paternitas, filiatio, proceſſio incommunicabiles ſunt pluribus, quia ſunt in ſuppoſitis, vt principia indiuiduantia*. Vbi non obſcurè diſtinguit duplex ſubſiſtens in diuinis, vnum communicabile pluribus ſuppoſitis, & alterum omnino incommunicabile. Quapropter, videtur concedere præter ſubſiſtere abſolutum, & communicabile tres ſubſiſtentias relatiuas, eaſquè omnino incommunicabiles.

6 Et ibidem. Ad primum eorum quæ ſecundo loco &c. ſic ait, *ſubſiſtentia verò non dicit effectum formalem eſſentiæ, ſed illud, quod habet in ſe illum effectum*. Et iterum ſic. *Cum ſubſiſtentia dicatur à ſubſiſtere, & ſic eius conceptus formalis, quomodo plurificatur ſubſiſtentia, non plurificato ſubſiſtere?* Reſpondet ſic. *Dico* quod argumentum cōcluderet, ſi ſubſiſtentia ſolùm diceretur à ſubſiſtere: ſed non ſic eſt; Nam ſubſiſtētia dicit vltra hoc, indiuiſionem, & incommunicabilitatem. Subſiſtentia enim eſt nomen ſuppoſiti ſubſtantiæ, & ideo in diuinis non plurificatur ſubſiſtentia ex parte ipſius ſubſiſtere, quod eſt vnicū in diuinis, ſed ex parte indiuiſionis, quæ in diuinis plurificatur ſecundùm pluralitatem ſuppoſitorum.

7 Quæ verba videntur etiam ex parte manum oppoſitæ opinioni præbere, per hoc quòd aſſerunt indiuiſiones multiplicari ſecundùm multiplicationem ſuppoſitorum; ſuppoſita autem intrinſecè multiplicari debent ſecundùm ſubſiſtētiam; aliàs multiplicarentur relationes ſuppoſitorum, & non ſuppoſita ſubſiſtentia, ſeu perſonæ.

8 His adde verba ad 4. ibidem vbi ſic ait. *Ad 4. dico, quòd de conſtitutione ſubſiſtentiæ in diuinis loquendum eſt, ſicut de conſtitutione perſonæ dictum eſt; Vnde dico, quòd eſſentia non conſtituit ſubſiſtentiam, ſed relatio diuina quæ habet omnia requiſita ad conſtitutiuum perſonæ, quia ſcilicet, talis relatio eſt incommunicabilis, eſt ſubſtantia naturæ intellectiuæ, & ſe habet modo formæ, & vt quò aliquid eſt*.

9 Nec obſtat id, quod ſic immediatè ſubdit, ſcilicet, *& cum infertur; quod ſi relatio conſtituit*

Capreo.

Aureolus. Capreo.

Capreo.

Capreo.

Capreo.

conſtituit ſubſiſtentiam indiuiduam, quod ipſa, vt relatio, dat ſubſiſtere, negatur conſequentia. Ad rationem enim ſubſiſtentiæ non ſolùm requiruntur multa, quorum non omnia facit relatio, vt relatio, ſed vt eſt diuina eſſentia.

Capreo. 10 Non, inquam, obſtat; quia Capreolus intendit aſſerere, quòd relatio diuina, V. G. paternitas, non dat ſubſiſtere relatiuè, vt relatio eſt; quatenùs ly, *vt relatio eſt*, replicat, ſeù reduplicat relationem ſecundùm communiſſimam, analogicamquè relationis rationem, non autem ibi negat, quòd relatio ſecundùm quod eſt diuina, ac proindè ſubſtantialis, præbeat ſubſiſtere relatiuè, ſeù ſit ipſa ſubſiſtentia relatiua.

11 Et cum ibidem ad primum ſic ait. *Nunc dico ad propoſitum, quòd formæ, quo ſubſiſtunt perſonæ, eſt eſſentia, & eius formalis effectus eſt ſubſiſtere, quod nullo modo in diuinis plurificatur; non enim ſunt in diuinis plura eſſe, nec plura ſubſiſtere.* Et ibidem ad 4. in fine poſt quaſdam D. Thomæ relatas authoritates ſic ait. *Ex quibus patet, quod priùs dicebatur, ſcilicet, quòd in diuinis non eſt niſi vnum eſſe, & conſequenter, nec niſi vnum ſubſiſtere.* Et paucis interiectis ſic ſubdit. *Sic ergo in diuinis nõ eſt niſi vnũ ſubſiſtere &c. nec relatio, nec perſona habet ſubſiſtere, niſi per eſſentiam;* Adhùc poſſet pro oppoſita opinione explicari, dicendo, quod per *ſubſiſtere*, intendit effectum formalem eſſentię ſubſtantialis, quod conuenit eſſentiæ in ratione eſſentiæ, ſeù in ratione eſſendi non autem loquitur de *ſubſiſtere*, quod non conuenit eſſentię, vt per ſe ſit, ſicuti eſt ſubſiſtere relatiuum, quod ponitur non propter neceſſitatem ſubſiſtendi naturæ diuinæ, ſed propter eiuſdem eſſentiæ ſubſtantificam fœcunditatem.

12 Et eadem diſt. & quæſt. §. *Ad ea, quæ Scotus primo loco contra eamdem concluſionẽ ſimul & tertiam inducit*, ſic ait. *Cum enim dicitur, quòd eſſe ad ſe opponitur relationi, hoc poteſt intelligi benè, & malè. Si enim intelligatur per eſſe ad ſe modus eſſendi ſubſtantiæ, tunc dico, quòd talis modus non repugnat relationi, quæ eſt extra genus accidentis, ſed ſoli relationi, quæ eſt accidens. Si autem per eſſe ad ſe intelligatur ratio quidditatiua ſubſtantię, vel abſoluti, tunc dico, quòd ratio relationis, & ratio abſoluti oppoſitæ ſunt, vel diſparatæ, ſed tamẽ non obſtante illa oppoſitione eadem res extra genus poteſt ſubeſſe vtriquè rationi ſicuti in diuinis; & ideo argumentum nõ probat, niſi quòd relatio, vt relatio, non habet quod ſit ad ſe, vel quòd ſubſiſtat, aut ſubſiſtere faciat, ſed nõ probat, quin relatio extra genus habeat modum eſſendi ſubſtantiæ, & faciat ſubſiſtere in quantùm eſt ſubſtantia.* Ex quibus verbis ſatis rectè concluditur, quòd relatio diuina, cum ſecundùm propriam rationẽ, quatenùs ſcilicet ratione ab eſſentia diſtinguitur, ſit ſubſtantia, dat ſubſiſtere perſonæ, non quidem illud, quod conuenit eſſentiæ, vt in ſe ſubſiſtat, ſed quod propriæ lineæ ſibi conuenit, ſcilicet, relatiuæ.

13 Itaquè ſi ea, quæ ex Capreolo ſunt relata attendamus, non debet tàm determinatè pro hac opinione referri, cum Capreo. vehementer videatur oppoſitæ fauere ſententiæ. Verùm, quia in 3. diſt. 1. q. 1. art. 3. ferè per totum, approbat de hac re Durandi ſententiam, ac plures cum eo dicit, in Deo non dari niſi vnicũ ſubſiſtere, eo modo, ſcilicet, quo à Durando aſſeritur, & alias non obſcurè Du- Durand. randus huius eſt opinionis: idcirco, quãtùm ad ea quæ in 3. loco cit. dicit, ſit, & pro hac opinione citetur.

13 Idem tenent Durandus, in 1. d. 26. nu. 6. & in 3. diſt. 1. q. 2. præſertim à nu. 7. Durand. Paludanus, ibidem q. 2. in fine. Ferra- Ferrarien. rienſis, 4. contra gentes cap. 26. §. *Attendendum tertiò*. Petrus Ledeſma, de diu. Ledeſma. perfect. q. 3. art. 1. concl. 2. qui proba- Herrera. biliter hanc ſuſtinet opinionem. Petrus de Herrera, q. 29. art. 2. concl. 3. Palum- Palum. bus, de diuinis perſonis exam. 1. cap. 3. concl. 4.

15 Horum tamen opinio in hoc cõſiſtit, videlicet, tria ſunt in qualibet diuina perſona, in ratione perſonæ neceſſario requiſita, ſcilicet, ſubſiſtere incommunicabilitas, & ordo ad aliam perſonam relatiuè ſibi coppoſitam. Primum, dicunt eſſe à diuina eſſentia, ſecundum, & tertium à relatione perſonali. Vnde dicunt, quòd ſubſiſtere diuinum, commune, & abſolutum v. g. paternitate quaſi modificatum, conſtituit perſonam Patris; quaſi modificatum vero filiatione, conſtituit perſonam Filij. Et tandem, quaſi modificatum, proceſſione conſtituit perſonam Spiritus ſancti; & ſic dicunt, quòd ſunt tres perſonæ diuinæ, & tres res ſubſiſtentes, ſumendo ly, tres ſubſiſtentes, adiectiuè non ſubſtantiuè. Sed in ratione incommunicabilis, & relatiui, ſunt tres non ſolùm adiectiuè, verumetiam ſubſtantiuè.

16 Alij verò tenent, quòd ſi datur vna ſubſiſtentia abſoluta, eſt impoſſibile dari tres ſubſiſtentias relatiuas; & vtramquè ſimul opinionem ſuſtinere, eſt idẽ, quod *ex duabus ſententijs omninò contrarijs vnam conflare, quæ ſecum conſtare nequeũt*. Ita Vaſquez, diſp. 125. præſertim cap. 5. Vaſquez. nu. 21. Vbi aduerte, quòd non omnes Doctores cõcedentes ſubſiſtentiam abſolutam, & negantes tres ſubſiſtentias relatiuas, aut è contra, dicunt ſubſiſtentiam

Albertin. tiam abſolutam, & tres relatiuas ſibi inuicem aduerſari. Nam Albertinus, corollar. 11. Theolog. ex prædicamento ſubſtantiæ 1. dubit. concl. 2. nu. 12. *Etiam ſi daretur ſubſiſtentia abſoluta, adhùc non eſſet negandum dari in Deo tres ſubſiſtentias relatiuas*. Vnde aliqui abſolutam admittunt, & relatiuas negant, non ex repugnantia quam habent ad inuicem, ſed quia abſoluta poſita, fruſtratoriæ eſſent relatiuæ.

17 Alij tandem dicunt, dari ſubſiſtentiam abſolutam, vt diſputatione præcedenti probauimus, & vltra eam tres relatiuas ſubſiſtentias in Deo aſtruẽdas eſſe defendunt. Ita Caiet. infra, q. 40. ar. 4. & alibi. Carranza loco diſput. præcedẽti citato. Medina 3. p. q. 3. art. 2. concl. 2. qui loquens de ſententia Caietani ſic ait. *Opinio, ſcilicet, Caietani complectitur mirabiles ſententias*; & ibidem q. 4. art. 2. concl. 4. Zumel, q. 28. art. 2. diſput. 4. concl. 2. & latiùs in ſua quæſt. vnica. Gabrera, 3. p. q. 2. art. diſp. 4. nu. 14. Suarez, lib. 4. de Trinit. cap. 11. & 14. & 3. p. tom 1. diſp. 11. ſect. 3. 4. & 5. Molina, Fonſeca, 5. metaph. cap. 8. q. 5. ſect. Bañes, q. 4. art. 4. concl. 2. Bellarminus, tom 1. cõtrou. 2. lib. 2. de Chriſto cap. 15. Nazarius, infra, q. 39. art. 4. controu. 1. Gonzalez, diſp. 7. ſect. 3. Ledeſma de diu. perfect. q. 3. concl. 3. qui licet probabiliter oppoſitam ſuſtinuerit opinionem, de hac tamen loquens ſic ait. *Tertia concluſio. Longè probabilior ſentẽtia eſt, quæ aſſerit, quòd in Deo ſunt tres ſubſiſtentiæ reſpectiuæ realiter diſtinctæ inter ſe, non tamen à ſubſiſtentia, eſſentiali abſoluta à qua ſolùm diſtinguuntur ratione*. Salmanticenſes, tract. 6. diſp. 9. ſect. 4. Faſolus, quæſt. 30. art. 1. dubit. 4. & huius opinionis mentionem ex parte fecit Durandus, in 1. diſt. 26. quæſt. 1. Mazziotta quæſt. 10.

(Caiet. Carrãza. Medina. Zumel. Gabrera. Suarez. Molina. Fonſeca. Bañes. Bellarm. Nazarius. Gonzal. Ledeſma. Salmanti. Faſolus.)

18 Ex ijs verò, qui negant ſubſiſtentiam abſolutam, Vaſquez diſput. 125. nu. 44. Ayoſſa, quæſt. 30. ar. 4. diſp. 18. ſect. 5. Albertinus, vbi ſupra. Amicus, diſp. 19. ſect. 8. nu. 203. & diſp. 20. & diſput. 21. Arriaga, vbi ſupra; & alij.

(Vaſquez. Ayoſſa. Albertin. Amicus. Arriaga.)

CAPVT SECVNDVM.

Determinatio veritatis.

19 PRO determinatione veritatis, dico breuiter. In Deo præter ſubſiſtentiam abſolutã, dantur tres ſubſiſtentiæ relatiuæ. Probatur primò authoritatibus. Nam in Synodo quinta generali, alias ſecunda Conſtantinopolitana can. 1. ſic dicitur. *Si quis non confitetur vnam Deitatem in tribus ſubſiſtentijs, ſiuè perſonis adorandam, anathema ſit*. Et in ſexta Synodo, aliàs tertia Conſtãtinopolitana habetur Epiſtola Agathonis Papæ, quæ eſt legatorum inſtructio, ſic habetur. *Confitemur Trinitatem in vnitate, & vnitatem in Trinitate: Vnitatem quidem eſſentiæ, Trinitatem verò perſonarum, ſiuè ſubſiſtentiarum. Non trium nominum ſubſiſtentiam, ſed trium ſubſiſtentiarum vnam ſubſiſtentiam*, ſeù vt alij legunt, *vnam ſubſtantiam*. Quæ verba diſp. præced. num. 17. ad probandam ſubſiſtentiam abſolutam adduximus, & explicauimus. Faciunt quoquè pro præſentis concluſionis probationem dum Agatho Papa ſãctitate, æque, & doctrina inſignis expreſſo nomine tres ſubſiſtentias in diuinis credendas eſſe proponit. Agatho. Synod. 6. Conſtant.

20 Et quia, quidam exiſtimant mendosè legi vnam ſubſiſtentiam, & volunt potiùs dici vnam ſubſtantiam, pro defenſione ſubſiſtentiæ abſolutæ in præced. diſp. probatæ, obſeruanda iterum, ac explicanda duxi Pontificis verba propoſita, ſecundùm vtramquè lecturam. Etenim ſemper confeſſus eſt, confiteriquè præcepit vnam ſubſiſtentiam abſolutã, & laborabat, vt vnica ſubſiſtentia conceſſa, ſimiliter tres ſubſiſtentiæ relatiuæ concedantur, quod eiuſdem modus loquendi deſignat, dum ſic ait. *Non trium nominum ſubſiſtentiam, ſed trium ſubſiſtentiarum, vnam ſubſiſtentiam*, quaſi diceret, nõ ſicut Sabelliani dicunt, ſunt tria nomina vnius ſubſiſtentiæ perſonalis, ſed vnius ſubſiſtentiæ eſſentialis, tres ſubſiſtentiæ perſonales. Ideſt, vnius ſubſiſtentię abſolutę quę perſonalis non eſt, tres etiam concedendę ſunt ſubſiſtentię relatiuę, quæ perſonales, ſeù ipſę perſonę ſunt. Vel iuxta eos qui legunt, *vnam ſubſtantiã*; dic ſic, trium ſubſiſtẽtiarum, vnam confitemur ſubſtantiam, ideſt, vnam eſſentiã in ſe ſubſiſtentem.

21 Et in eadem ſexta Synodo actione 11. Sophronius diſp. pręced. citatus ſic ait. *Credimus Trinitatem pro tribus ſubſiſtẽtijs*; & paucis interiectis; *Sancta Trinitas numerabilis perſonalibus facta eſt ſubſiſtentijs. Diuiditur namquè numerabilibus ſubſiſtentijs, & numeratur perſonalibus alteritatibus*. Et poſt pauca; *Sabellianorum* inquit, *iſta eſt prauitas, in vnam ſubſiſtentiam, tres confundere ſubſiſtentias*. Sophron.

22 Et in Concilio Niceno ſecundo, ſic dicitur. *Definimus Trinitatem, vnam Deitatem in tribus ſubſiſtentijs indiuiſim diſcretam, & diſtinctim vnitam*. Nicen. 2.

23 Et Concilium Lateranenſe tempore Martini primi, conſult. 1. can. 1. ſic habet. *Si quis ſecundùm Sanctos Patres non confitetur* Lateran.

Digitized by Google

ſicetur propriè, & veraciter vnitatem in Trinitate, hoc eſt, vnum Deum in tribus ſubſiſtentijs conſubſtantialibus condemnatus ſit. Idem communiter ſancti Patres tenere videntur, præſertim Nyſſenus de Trinit. ad-
Nyſſenus. uerſus Iudæos, vbi ſic de ſuppoſitis diuinis ait. *Vnumquodque eſt in propria ſubſiſtentia perſonæ*. Et Nazianzenus, orat. 25. ad
Nazianz. Arianos ſic ait. *Vnam naturam*, ſubaudi confiteor, *in tribus proprietatibus perfectis, per ſe ipſas ſubſiſtentibus numero diuiſibilibus*.
Baſilius. Et D. Baſilius, epiſt. 64. idem confirmat,
Hieron. ſimiliter D. Hieronymus in exposit. catholicæ fidei, & in expoſit. ſymboli ad Damaſum ſic ait; *Impietatem Sabellij declinantes, tres perſonas, vel vt Græci explicant hypoſtaſes, hoc eſt ſubſiſtentias*, confitemur.
Cyrillus. Et D. Cyrillus lib. 2. dialogorum de Trinit. ſic ait. *Tres ſubſiſtentias proprias* confitemur; Et D. Damaſcenus lib. 1. fidei
Damaſc. cap. 9. *Filius*, inquit, *propriam habet ſubſiſtentiam, præter eam, quæ Patris eſt*.

24 Teſtimonia hęc ſatis aperta ſunt; tñ authores oppoſitę ſētētię ad has, & ad alias conſimiles authoritates, quę poſſent, & ſolent adduci, (quandoquidē fere omnes in harum authoritatum coacernatione conueniunt) reſpondent, quod nomine ſubſiſtentiarum, quæ pluraliter prædicantur in diuinis, intelligitur à ſupradictis, ſubſiſtentia concretiuè, non abſtractiuè, ideſt non pro ratione ſubſiſtendi; ſed pro perſona ſubſiſtente; vnde quaſi ſemper dum dicuntur tres ſubſiſtentię additur iſta particula, ſeu perſonę.

25 Reſponſio hęc non eſt adeo ſpernenda, vt oppoſita ſententia digna ſit aliqua temeritatis nota; imo eſt adeò fundata, vt eam ab omni prorſus in fide excuſet errore; Attamen modus loquendi vehementer inſinuat ſermonem eſſe de ſubſiſtentijs etiam abſtractè intellectis, niſi velimus preclariſſimos viros, in materia graui incongruę locutionis arguere. Dicere enim, quod *Sancta Trinitas numerabilis, perſonalibus facta eſt ſubſiſtentijs*, vt Sophronius, ſi nomine ſubſiſtentię intelligitur perſona, ſenſus eſſet iſte. Sancta Trinitas numerabilis, perſonis facta eſt perſonis, quę locutio incōgrua eſt, & ridicula. Et ſimiliter, dicere, quod perſona *eſt in propria ſubſiſtentia perſonæ*, vt Nyſſenus; Senſus eſſet iſte. Perſona eſt in propria perſona perſonę. His adde, quod Doctores, qui ſic loquebantur nō erant ignari ſermonum, ſed optimè in Phyloſophicis, ac Theologicis tractatibus eruditi.

26 Confirmatur primò; Nam ſuſtinentes dari ſubſiſtentiam abſolutam, probant quibuſdam Patrum, ſanctorumque authoritatibus, non magis claris pro ſubſiſtentia abſoluta, quàm ſunt authoritates allatę pro ſubſiſtentijs relatiuis. Ergo ſi illę probant dari ſubſiſtentiam abſolutam ſubſtantiuè, quare iſtę non probant dari tres ſubſiſtētias relatiuas etiam ſubſtantiuè acceptas. Probo antecedens. Nil clariùs pro ſubſiſtētia abſoluta poſſet adduci, quàm dicere, quòd in Deo datur vna ſubſiſtentia. Sed eodem modo, & plurieś Cōcilia, & Patres dicunt, confitendas eſſe in Deo, tres ſubſiſtentias, vt vidimus. Ergo.

27 Confirmatur ſecundò; Quia authoritates & loca pro ſubſiſtentijs, relatiuis rectè de ſubſiſtentijs adiectiuè explicantur, rectè quoquè authoritates, & loca pro vna ſubſiſtentia abſoluta, de vnitate, ratione vnius eſſentiæ abſolutæ in concreto in tribus, & ratione trium ſubſiſtētiarum ſubſiſtentis, poſſent explicari; ac proinde dicendum eſſet, authoritates hinc & inde allatas neutri parti fauere. Quod ſi illæ, vni; hæ, & alteri.

28 Probatur ſecundò authoritatibus D. Thomæ; Nam D. Th. ar. 4. huius quęſt. vbi quęrit, *Vtrum hoc nomen, perſona, ſignificet relationem*, in corpore ſic ait. *Relatio eſt* D.Thom.
ſubſiſtens, ſicut eſſentia diuina ſubſiſtit. Sicut ergo Deitas eſt Deus, ita paternitas diuina eſt Deus Pater, qui eſt perſona diuina. Perſona igitur diuina ſignificat relationem, vt ſubſiſtentē. Vbi ponderanda ſunt illa verba, ſcilicet, *eſt ſubſiſtens, ſicut eſſentia diuina ſubſiſtit*; quoniam ſenſus eſt, quòd ſicuti eſſentiæ diuinæ in ſua linea abſoluta conuenit ſubſiſtere; ita quoquè relationi diuinæ in ſua linea, ſcilicet, relationis diuinæ, conuenit ſubſiſtere. Et ibidem ad primum ſic ait.
Hoc nomen perſona dicitur ad ſe, non ad alterū, quia ſignificat relationem non per modum relationis, ſed per modum ſubſtantiæ, quæ eſt hypoſtaſis. Igitur perſona diuina ſignificat relationem non ſecundùm purum eſſe ad, ſed ſecundùm quòd eſt in ſe ſubſiſtens, ſeù ſecundùm quòd conſtituitur per relationem perſonalem, quæ eſt ipſa ſubſiſtentia relatiua. Et ad 3. ſic ait. *In intellectu ſubſtantiæ indiuiduæ, ideſt, diſtinctæ, vel incommunicabilis, intelligitur in diuinis relatio*: ſed in intellectu ſubſtantiæ indiuiduæ, vt indiuidua eſt, non explicatur aliud, niſi relatio. Ergo perſona in diuinis ad mentem D. Thomę non ſolùm eſt ſubſiſtēs, verumetiam eſt ipſa ſubſiſtentia relatiua. D.Thom.

29 Et art. 2. eiuſdem quæſt. ad 2. ſic ait.
Sicut nos dicimus in diuinis pluraliter tres perſonas, & tres ſubſiſtentias, ita Græci dicunt tres hypoſtaſes. Sed quia nomen ſubſtantiæ, quod ſecundùm proprietatem ſignificationis reſpondet hypoſtaſi, æquiuocatur apud nos, cum quandoque ſignificet eſſentiam, quandoquè hypoſtaſim, D.Thom.

Digitized by Google

ſim, ne poſſit eſſe erroris occaſio, maluerunt pro hypoſtaſi transferre ſubſiſtentiam, quam ſubſtantiam. Vbi habes, quòd ſicut perſonæ in diuinis dicuntur tres ſubſtantiuè, ita etiam dicuntur tres ſubſiſtentiæ; neque curandum eſt, quòd perſonæ proferuntur multipliciter in concreto, ſubſiſtentiæ verò in abſtracto; quia cum in diuinis ſit idem id quo eſt, & id, quod eſt, ſi multiplicatur vnum, multiplicatur & reliquum. Et hæc eſt ratio, quare loco perſonæ in concreto ponitur ſubſiſtentia in abſtracto. Vide eumdem infra, q. 39. art. 3. ad 4.

30 Et infra, q. 40. art. 3. in corp. ſic ait. *Non enim proprietates perſonales, ſic intelliguntur aduenire hypoſtaſibus diuinis, ſicut forma ſubiecto praexiſtenti, ſed ferunt ſecum ſua ſuppoſita, in quantùm ſunt ipſæ perſonæ ſubſiſtentes. Sicut paternitas eſt ipſe Pater. Hypoſtaſis enim ſignificat aliquid diſtinctum in diuinis; cum hypoſtaſis ſit ſubſtantia indiuidua.* Et ſubdit ſic, *Cum igitur relatio ſit, quæ diſtinguit hypoſtaſes, & conſtituit, relinquitur, quòd relationibus perſonalibus remotis per intellectum, non remaneant hypoſtaſes.* Vbi non obſcurè docet, quòd relatio fert ſecum ſubſiſtẽtiam propriam, quemadmodum fert ſecum propriũ ſuppoſitũ. Et ibidem in reſp. ad 2. ſic ait; *Paternitate Pater non ſolum eſt Pater, ſed eſt perſona, & eſt quis, ſiuè hypoſtaſis. Nec tamen ſequitur, quòd Filius non ſit quis, ſiuè hypoſtaſis, ſicut non ſequitur, quod non ſit perſona.* Ex quibus verbis rectè colligitur, quòd quælibet perſona, propriã habet ſubſiſtentiam. Nam Pater habet à paternitate quòd ſit Pater, & ꝙ ſit perſona, ſeu ſubſiſtẽs. Ergo paternitas debet eſſe ſubſiſtentia. Et hoc idem dicẽdum eſt de qualibet perſona diuina: Lege eumdẽ D. Thomã de potentia q. 9. ar. 2. ad 8. & 4. cõtra gẽtes cap. 14. & alibi.

D. Thom.

31 Probatur tertiò ratione. Perſona diuina v.g. Filij verè per generationẽ æternã ab æterno Patre producitur. Ergo datur in Filio propria ſubſiſtẽtia relatiua. Antecedẽs eſt de fide certũ; Probatur verò cõſequẽtia. Quia tenẽtur omnes aſſignare, quid, quæ, & qualis eſt illa formalitas quæ primò à Patre producitur. Huiuſmodi debet eſſe ſubſiſtẽtia propria Filij. Ergo. Maior eſt certa. Probatur minor. Quia in perſona Filij iſta ſunt: Eſſentia, ſubſiſtẽtia abſoluta, incõmunicabilitas, & ordo ad Patrẽ: Ergo vel quòd nõ datur ſubſiſtẽtia propria relatiua Filij, vel aliquod horũ per generationẽ debet eſſe productũ. Sed huiuſmodi nõ ſunt eſſentia, nec ſubſiſtẽtia abſoluta, vt patet; quia nullũ abſolutũ in Deo poteſt dici productum. Neque incommunicabilitas: quia incommunicabilitas, vt incommunicabilitas eſt pura communicationis negatio, cui repugnat primò produci, vt ex ipſis terminis conſtat. Neque etiã eſt relatio, vt eſt purus ordo ad Patrẽ; quia iſte ordo cõſequitur ad incõmunicabilitatẽ, ac proinde nõ poteſt eſſe id, quod primo producitur. Ergo remanet ſola propria ſubſiſtentia Filij.

32 Cõfirmatur primò. Perſona Filij ęterni per æternã generationẽ à Patre producta, habet incomunicabilitatẽ propriam, quę cõſequitur ad propriã eiuſdẽ ꝑſonæ rationẽ: Sed nõ poteſt aſſignari aliud, ꝙ ſit Filio propriũ ad ꝙ ſequatur huiuſmodi incommunicabilitas, niſi ſola ſubſiſtentia relatiua, ſeu relatio vt ſubſiſtentia eſt. Ergo. Maior patet, probatur minor; quia vt ex ſupradictis patet. Perſona addit aliquod poſitiuum, & reale ſupra naturã cuius eſt ꝑſona: ſed niſi hoc poſitiuũ ſit ſubſiſtẽtia incõmunicabilis, eſt inaſſignabile; Ergo.

33 Confirmatur ſecũdò; In rebus creatis quod generatur eſt ſubſiſtẽs, & ꝙ per generationẽ producitur per ſe eſt, natura. Vnde in humanitate Chriſti Domini ex puriſſimis ſanguinibus Virginis Beatiſſimæ genita, habuit ſubſiſtentiã, & naturã. Natura fuit producta, ſubſiſtentia verò fuit improducta. Ergo in diuinis ꝙ per generationẽ producitur eſt ſubſiſtẽtia, & quod cõmunicatur eſt natura. Ergo. Vis huius cõfirmationis iam iã explicabitur.

34 Cõfirmatur tertiò; Generatio eſt origo viuẽtis à viuẽte coniuncto in ſimilitudinẽ eiuſdẽ ſpeciei. Ergo id, quod per generationẽ producitur, eſt ſubſiſtẽs ſubſiſtentia propria. Antecedens patet ex ſupradictis. Probatur cõſequentia; quia id, quod propriè producitur eſt ſubſiſtens.

35 Confirmatur quartò; Quia quod creatur ſubſiſtit ſubſiſtentia ſibi propria, aut exigit connaturaliter eam. Ergo ſimiliter quod generatur; & à fortiori ꝙ propriè generatur in diuinis, debet habere propriã ſubſiſtentiam, ratione cuius valeat dicere, eſſe genitum.

36 Antecedẽs patet, & declaratur. Nam humanitas Chriſti dicitur genita, & creata à Deo quãtũ ad animam; & quamuis fuerit ſubſiſtẽs per ſubſiſtẽtiã Verbi diuini, nihilominùs niſi fuerit à Verbo diuino preuẽta, ſimul cũ ipſa fuiſſet propria ſubſiſtẽtia producta, ſeu ab ipſa propria ſubſiſtẽtia manaſſet. Cũ igitur perſona increata Verbi nõ potuerit ab alia ſuperiori ſubſiſtentia præueniri, & ſit verè, & propriè genita, vt quod, debet habere propriam ſubſiſtentiam relatiuam.

37 Explicatur amplius quod in hoc argumẽto, cũ ſuis cõfirmationibus prætendimus. Tria ſunt in rebus creatis, quæ per

Digitized by Google

ſubſtātialē generationē, vel per creationē poſſunt attingi. Eſſentia, exiſtētia, & ſubſiſtētia. Subſiſtētia debet quidē attingi, ſed vel tanquā id, quod per generationē, aut creationē producitur, vel tanquā id, quod communicatur. Hoc dico, propter humanitatē Chriſti Domini, quę, vt iam diximus, nō habuit ſubſiſtentiā productā, ſed diuinitùs ſibi cōmunicatā. Exiſtētiā in via D. Thomę, & Thomiſtarū ſimiliter. Nos enim cū D. Thoma dicimus in humanitate Chriſti Domini non fuiſſe ſubſiſtētiā neque exiſtentiā creatā, ſed vtrāq; habuiſſe à Verbo diuino. Sola ergo eſſentia per generationem, aut per creationē producitur. At verò in Deo, nō debemus ſimilē formare diſcurſū, ſed valde abſimilem. Ibi enim adeſt eſſentia, exiſtētia, & ſubſiſtētia. Eſſētia, & exiſtētia in Deo non producuntur, & ſimiliter nec ſubſiſtētia abſoluta. Ergo debet produci ſubſiſtentia perſonalis; & ſicut in creatis eſſentia producitur, & ſubſiſtētia communicatur. Ita in diuinis, perſonalis ſubſiſtentia producitur, & eſſentia, ſeu exiſtentia, & abſoluta ſubſiſtentia communicatur.

38\. Cōfirmatur tandē; In diuinis datur id, quod generat, & id, quod generatur, & perſona procedēs. Ergo dātur tres ſubſiſtētiæ relatiuæ ad inuicē diſtinctæ. Antecedens patet. Probo conſequentiā; quia ſuppoſitum, ſeu perſona dicitur id, quod, propter ſubſiſtentiam. Ergo ſi dicitur id, quod creat, dicitur propter ſubſiſtentiā abſolutā, omnibuſquè communē; & ſi dicitur id, quod generat, & id, quod generatur, eſt propter ſubſiſtētiā vnius cuiuſquè propriā; Probo conſequētiā hanc; quia id, quod generat, realiter diſtinguitur ab eo, quod eſt genitum.

39\. Probatur quartò; Quia multiplicatis terminis ſubſtātiuis, multiplicātur ſuppoſita, & rationes ipſorū. Sed iſte terminus perſona, eſt terminus ſubſtātiuus, & multiplicabilis in diuinis. Ergo debē multiplicari ſubſiſtētiæ, quibus perſonaliter ſubſiſtūt. Maior patet, & eſt D. Thomæ infra, q. 39. ar. 3. Minor eſt de fide; & conſequentia ex præmiſſis benè colligitur.

D.Thom.

40\. Cōfirmatur. Terminus adiectiuus poteſt, & ſolet ſubſtātiuè accipi, vt cū dico Albū. At verò terminus ſubſtātiuus ſubſtātiuè prolatus, nō poteſt adiectiuè accipi; ſed in diuinis tres pſonæ diuinæ dicūtur tres ſubſiſtētes ſubſtantiuè. Ergo debēt multiplicari ipſæ ſubſiſtētiæ. Maiorē relinquo vt notā; probo minorem. Quia Sacra cōcilia, & Patres nō dū vocāt diuinas pſonas tres ſubſiſtētes, ſed etiā tres ſubſiſtentias, vt viſum eſt. Ergo

41\. Probatur quintò; Quia ſunt tres relationes perſonales in diuinis. Ergo ſunt quoquè tres ſubſiſtētię relatiuę, ſeu pſonales. Antecedēs patet. Probatur cōſequētia. Quia huiuſmodi tres ſubſiſtētiæ ſunt tres ſubſtātię. Ergo. Patet cōſequētia; quia ſubſiſtētia vel ſequitur ſubſtantiā, ſi nomine ſubſtantiæ intelligitur eſſentia; vel eſt ipſa ſubſiſtentia. Ergo.

Dices. Relatio ſpiratoris eſt ſubſtātia; & tamen non eſt ſubſiſtentia.

42\. Cōtra. Relatio ſpirationis nō eſt pſonalis, ſed pſonarū. Ergo nō eſt ſubſtātia, quæ eſt cōſequēs eſſentiā, neq; ſubſtātia quę eſt ſubſiſtētia, ſed eſt cōſequens ſubſtātiā, quæ eſt duplex ſubſiſtētia, ideſt, Patris, & Filij. Itaq; eſt ſubſtātia idēticè, nō formaliter: Ratio autē quare relatio pſonalis eſt formaliter, & nō tantùm idēticè ſubſtātia, eſt quia perſona eſt formaliter, & nō tātūmodo idēticè ſubſtātia. Eſt. n. perſona *rationalis naturæ indiuidua ſubſtātia*.

43\. Cōfirmatur. Valet dicere, tres pſonæ diuinę ſunt ſubſtātię relatiuæ completę. Ergo valet quoq; dicere, ꝙ ſunt tres ſubſiſtentię relatiuæ. Probatur antecedens; Quia pſona eſt rationalis naturę indiuiduā ſubſtātia. Ergo ad propriā rationem ptinet eſſe ſubſtantiā indiuiduā: ſed valet dicere, ſūt tres pſonę: ergo valet dicere, ꝙ ſūt tres ſubſtātiæ indiuiduę. Cōſequētia verò ſequitur ex ſuo antecedēti; quia quęlibet ſubſtātia cōpleta eſt ſubſiſtētia, vel ipſam ſequitur ſubſiſtentia.

44\. Probatur textò; Quia Verbū diuinum humanā naturā Chriſti Dñi aſſūpſit, ad ſubſiſtēdū ſubſiſtētia propria ſibi. Ergo datur in Verbo diuino ꝓpria ſubſiſtētia relatiua, diſtincta à pſonalitate Patris, & Spiritꝰ ſācti. Cōſequētia patet; quia aliàs nō aſſūpſiſſet ad ſubſiſtēdū ſubſiſtentia ꝓpria Verbi. Probatur autē antecedens; quia vnio hypoſtatica ideo facta eſt vt ſacratiſſima Chriſti Dñi humanitas ſubſiſteret ſubſiſtētia Verbi, & loco ſubſiſtētię ac perſonalitatis proprię habeat ſubſiſtentiam Verbi.

45\. Cōfirmatur; quia pſona Verbi in humanitate aſſūpta exercet totū illud, ꝙ per ꝓpriā ſubſiſtētiā, ſeu pſonalitatē creatā tributū fuiſſet, ſecluſis tamen imperfectionibus: ſed per pſonalitatē creatā hābuiſſet propriam, ac pſonalē ſubſiſtētiā. Ergo à Verbo diuino accipit ſubſiſtentiā propriam Verbi.

46\. Si reſpondeatur cum Durando, in 3. diſt. 1. q. 2. & 3. quod vnio Verbi diuini cum humana natura facta eſt in ſubſiſtentia abſoluta, non autem in ſubſiſtentia relatiua Verbi, nec propterea talis vnio ſufficit ad vnionem perſonalem, ſed, inquit, *requiritur vlterior vnio, quantùm ad ea, quæ ſunt propriæ perſonæ.* Durand.

Digitized by Google

Capreol. Durand. 47 Pro cuius intelligentia eſt obſeruandum, quòd licet Capreolus cum Durando teneat, in Deo non dari niſi vnicam abſolutam ſubſiſtentiam, eſt tamen inter eos diuerſus loquendi modus. Nam Durandus loquens de vnione Verbi diuini cum natura humana ait, quòd vnio ad ſubſiſtendum eſt in ipſa ſubſiſtentia abſoluta, pro vt abſoluta eſt, & quòd priùs eſt vnio humanæ naturæ cum diuina natura in ratione ſubſiſtētiæ, quàm in ratione perſonæ. Vnde ibidem q. 2. num. 12. in fine ſic ait. *Et ſic patet primū, ſcilicet, quòd ad vnionem perſonalem naturæ humanæ cum perſona diuina præexigitur vnio naturæ humanæ cum diuina natura.* Capreolus verò non ſic, imò reprehendit hunc modū loquēdi Durandi; Nam in 3. diſt. 1. q. 1. ad argumentum Durandi in fine ſic ait. *Et ſciendum, quòd Durandus in hac materia periculoſus eſt. Nam in ſuo ſcripto præter illa, quæ allegata ſunt, videtur concedere, quòd natura humana vnita eſt cuilibet perſonæ diuinæ; imò ex ſuis dictis videtur ſequi, quòd qualibet perſona eſt incarnata, ſicut patet legēti eum in hac materia.* Modus igitur loquēdi Capreoli in hac materia eſt, quòd licèt in Deo non detur niſi vnum ſubſiſtere eſſentiale, & abſolutum; tamen Verbum diuinum terminat dependentiā humanæ naturæ etiam quantùm ad rationem ſubſiſtendi, ſecundùm quòd illa ſubſiſtentia eſt ſubſiſtentia Verbi, vnde idem Capreolus ibidem ſic ait. *Perſona non terminat dependentiam ſecundam per ſuū ſolum ſubſiſtere, quod eſt commune toti Trinitati, ſed per ſuam proprietatem ſubſiſtentem, quæ includit non ſolùm ſubſiſtere eſſentiale, ſed vltra hoc relationem, cui conuenit tale ſubſiſtere, nec per ſe ſubſiſtere diuinum, vt eſt naturæ, ſed vt eſt perſonæ.* Et infra ibidem, circa finem ſic ait. *Ex quibus patet illud, quod dictum eſt ſupra* (& eſt quod modo ex eodem Capreolo adduxi) *ſcilicet, quòd perſona non terminat dependentiā naturæ aſſumptæ per ſuum ſubſiſtere, pro vt eſt naturæ, ſed pro vt eſt ſuppoſiti, vel perſonæ.*

Durand. · Capreol.

48 Itaquè differt à Durando Capreolus; quia Capreolus tenet, quòd Verbum diuinum terminat dependentiam naturæ humanę aſſumptæ per ſubſiſtentiam abſolutam, ac ſi eſſet propria Verbi. Et Durandus defendit, quòd Verbum diuinum dupliciter terminauit humanam naturam; primò, quantùm ad ſubſiſtentiam abſolutā, pro vt abſoluta, & communis eſt; & ſecundò, quantùm ad proprietatem relatiuam Verbi.

49 Contra igitur reſponſionem Durandi eſt argumentum; quia ex eius reſpōſione ſequeretur, quòd in ratione ſubſiſtendi nō magis eſſet incarnata perſona Filij, quàm perſona Patris, & Spiritus Sancti. Hoc nefas eſt dicere. Ergo. Minor docetur in Concilio Toletano, ſexto, & vndecimo, vbi ſic in principio dicitur. *Solus Filius aſſumpſit humanitatem in eo, quod proprium eſt Filij, non quod commune eſt Trinitati*; Et in ſexta Synodo Generali act. 8. vbi redditur ratio quare Verbum diuinum dumtaxat eſt incarnatū, ſic dicitur. *Quia Pater, & Spiritus ſanctus nihil in incarnatione habent commune, niſi benigniſſimam voluntatem.* Probatur ſequela; Quia ſubſiſtētia abſoluta in Deo prædicatur de vnā perſona ſicut de alia; imò eſt æquè communis ſecundùm rem omnibus tribus perſonis. Ergo ſi incarnatio facta eſt quo ad rationem ſubſiſtendi in ſubſiſtentia abſoluta naturę diuinę, non magis eſſet incarnata perſona Filij, quàm perſona Patris, & Spiritus ſancti.

Tolet. 6. & 11. · Synod. 6. general.

50 Durandus, in 3. diſt. 1. q. 4. vidit hanc difficultatem, eaquè conuictus ſic ibi nu. 7. ait. *Dicendum, quòd licèt eſſet verum dicere, Deus eſt homo, non tamen ſequitur; Ergo Pater, vel Filius, vel Spiritus ſanctus, niſi cum hac reduplicatione, ſcilicet, in quantùm Deus, quod poſſet concedi, dummodo ſanè intelligeretur. Quod enim ad Deitatem pertinet, totum eſſet carni vnitum, ſicut & Damaſcenus dicit, quòd perfecta diuinitas incarnata fuit. Non eſſet tamen extendenda locutio, vt ſine additione dicatur, Pater eſt incarnatus, vel Filius, vel Spiritus ſanctus; quia his nominibus formaliter importatur id, quod ad relationem pertinet, cui nondum facta eſt vnio, propter quòd Doctores has locutiones non conſueuerunt recipere, quamuis cum prædicta reduplicatione tolerari poſſit ſanè intelligendo.*

Durand.

51 Itaquè Durandus concedit veram eſſe iſtam locutionem, Pater eſt incarnatus, & iſtam, Spiritus ſanctus eſt incarnatus, in tantùm, in quantùm eſt vera iſta, vnio naturæ diuinæ facta eſt in ſubſiſtentia abſoluta, quæ valde periculoſa eſt.

52 Vnde contra Durandum eſt argumētum. In tantùm valet dicere, quod perſona Patris eſt incarnata, & perſona Spiritus ſancti ſimiliter eſt incarnata, in quantùm perſonæ Patris, ac perſonæ Spiritus ſancti conuenit quidquid conuenit Deo vt ſubſiſtenti ſubſiſtentia abſoluta; ſed cum proprietate ſermonis, abſquè addito valet dicere, Pater ſubſiſtit ſubſiſtentia abſoluta, & Spiritus ſanctus ſubſiſtit ſubſiſtentia abſoluta. Et ſimiliter, valet dicere, ſubſiſtens ſubſiſtentia abſoluta eſt Pater, & eſt Spiritus ſanctus. Ergo valet quoquè cum proprietate ſermonis, abſque aliquo addito, & abſolutè dicere, quòd Pater eſt incarnatus, & ſimiliter quòd Spiritus ſanctus eſt incarnatus.

53 Confirmatur; quia ſecundùm Durandum, in Incarnationis myſterio duplex vnio conſideratur, & interuenit, ſcilicet, vnio in ſubſiſtentia, ſeu ad ſubſiſtendum; & vnio in ratione perſonali. Prima, eſt in natura diuina ratione ſubſiſtentiæ abſolutæ. Secunda, eſt in ijs, quæ ſunt propria perſonæ Verbi, & dicitur vnio in perſona: ſed primo modo vere Deus ſecundùm rationem communem dicitur incarnatus. Ergo etiam tota Trinitas dicitur incarnata.

CAPVT TERTIVM.

Proponuntur argumenta in contrarium, & ſoluuntur.

54 SED contra iſtam determinationẽ objiciet aliquis primò authoritate D. Auguſtini. Nam D. Auguſtinus 7. de Trinit. cap. 4. cuius verba per extenſum ſupra diſp. præced. retulimus. *Abſurdum*, inquit, *eſt, vt ſubſtantia relatiuè dicatur*; ac proinde quod aliquod dicatur ſubſiſtere, & quod relatiuè ſubſiſtat, & dicere quòd aliquod relatiuè ſubſiſtat, eſt dicere, quòd ſubſtantia non eſt ſubſtantia. D. Aug

55 Teſtimonium hoc multorum ingenia torziſſe, ac in diuerſas ſententias diuiſiſſe manifeſtum eſt; Nam quidam dixerunt, D. Auguſtinum conceſſiſſe ſubſiſtentiam abſolutam, & tres ſubſiſtentias relatiuas omninò negaſſe, & alij diuerſimodè pro ſubſiſtentijs relatiuis expoſuiſſe.

56 Sed breuiter reſpondetur, explicando D. Auguſtinum. Abſurdum eſt, vt ſubſtantia relatiuè dicatur, ideſt, vt ſubſtantia ex ſuo primario, ac explicito ſignificato dicatur relatiuè, pro vt relatiuè dici conſuetum eſt accipi, pro eo, quod eſt ad aliud duntaxat, ſe habere; ſeu pro vt dicit purum, ad, concedo antecedens, & ſic intelligendus eſt Auguſtinus. Abſurdum eſt, vt ſubſtantia relatiuè dicatur, ideſt, vt ſubſtantia (loquendo de ſubſtantia prima) relatiuè ſecundùm perfectiſſimum conceptum relationis, dicatur, nego antecedens. Et in hoc ſenſu non locutus eſt Auguſtinus.

57 Senſus igitur reſponſionis eſt, quòd D. Auguſtinus à ratione ſubſtantiæ negat rationem relationis, pro vt relatio explicat tantummodo ad aliud ſe habere, & in ſe non habet per ſe eſſe. Idquè manifeſtè eius verba teſtantur. Sic enim arguit, abſurdum autem eſt, vt ſubſtantia relatiuè dicatur; omnis enim res ad ſe ipſam ſubſiſtit, quantò magis Deus?

58 His addc, quòd ſi ſermo ſit de ſubſtãtia, pro vt ſubſtantia dicit eſſentiam, ſic vndequaque verum eſt, quod ſubſtantia ſic per ſe ſubſiſtit, vt nullatenùs relatiuè dicatur. Vnde ſubſiſtentia abſoluta ab omni abſoluitur relatione, non quidem ab identitate cum relationibus. Eſſentia enim diuina non diſtinguitur realiter à relationibus ſuis, ſed concretiuè, & denominatiuè, quia videlicet, eſſentia diuina non refert, nec refertur, licèt ſit cum relationibus identificata. Sermo igitur eſt de ſubſtantia perſonaliter accepta.

59 Objiciet ſecundò authoritatibus D. Thomæ, quibus authores oppoſitæ ſententiæ nituntur. Nam D. Thomas de pot. q. 8. art. 3. ad 7. ſic ait. *Relationes autem in diuinis, & ſi conſtituant hypoſtaſes, & ſi faciant eas ſubſiſtentes, hoc tamen faciunt, in quantùm ſunt eſſentia diuina. Relatio enim, in quantùm eſt relatio, non habet, quòd ſubſiſtat, vel ſubſiſtere faciat: hoc enim ſolius ſubſtantiæ eſt. Diſtinguunt verò relationes, in quãtùm relationes ſunt. Sic enim oppoſitionem habent.* D.Thom.

60 Et ibidem ad 8. ſic ait. *Relatio in diuinis non ſolùm eſt relatio, ſed eſt ſecundùm rem ipſa diuina ſubſtantia. Et ideo poteſt conſtituere al quid ſubſiſtens, & non ſolùm aliquid relatiuum.* Et ibidem in reſp. ad 9. ſic ait. *Relatio diſtinguit, in quantùm eſt relatio; Conſtituit autem hypoſtaſim, in quantùm eſt diuina eſſentia, & vtrumquè facit, in quantùm eſt diuina eſſentia, & relatio.* Ergo relatio perſonalis in diuinis non eſt ex ſuo proprio conceptu propria ratione ſubſiſtens, ſed ſubſiſtit ſubſiſtentia abſoluta eſſentiæ diuinæ.

61 Non eſt pro arguẽte præfata D. Thomæ doctrina, imò ex eadem doctrina retorqueo in arguentem argumentum. *Solius ſubſtantiæ eſt, quòd ſubſiſtat, vel quòd ſubſiſtere faciat*: ſed relatiò perſonalis in diuinis ex ſua propria ratione relationis, pro vt ſcilicet, perſonalis eſt, eſt ſubſtantia. Ergo ex ſua propria ratione ſubſiſtens eſt. Maior eſt D. Thomæ. Et minor probatur; quia ſubſtantia indiuidua, ſeu incommunicabilis eſt formalis, & quidditatiua ratio perſonæ. Eſt enim per Boetium perſona *rationalis naturæ indiuidua ſubſtantia, ſeu ſubſiſtentia*. Ergo. Boetius.

62 Reſpondetur igitur explicando D. Thomam. Relationes in diuinis &c. hoc tamen faciunt, in quantùm ſunt eſſentia diuina, ideſt habent, quòd ſint ſubſtantificæ non ex communi conceptu relationis, de qua Phyloſophi ſolent loqui, præſertim ſicuti eſt relatio purè prædicamentalis, quæ conſideratur ſecundũ purum, ad; ſed hoc habent ex ratione formali

formali relationis diuinæ, quæ eſt identificata cum diuina eſſentia, concedo antecedens. Hoc tamen faciunt in quantùm ſunt eſſentia diuina, ideſt, non ratione propria, ſed ratione eſſentiæ diuinæ præciſe, nego antecedens. D. Thomas autem locutus eſt in primo, non autem in ſecundò ſenſu.

63 Explicatur hoc. Aliud eſt dicere; Relatio perſonalis diuina facit ſubſiſtere, in quantùm eſt eſſentia diuina; & aliud eſt dicere, quòd relatio perſonalis in diuinis facit ſubſiſtere, ſeu eſt ſubſiſtens ratione eſſentiæ, ſeù ſubſiſtentiæ diuinæ. Primum eſt verum; Secundum vero falſum. D. Thomas dixit primum, non ſecundum. Senſus autem primi eſt iſte. Relationes in diuinis faciunt hypoſtaſes ſubſiſtentes, eaſquè conſtituunt, in quãtùm ſunt per ſe ſubſiſtentes, & in ſe ipſis propriam ſubſiſtentiam habent. Et hoc ideo, quia ſunt ipſa eſſentia diuina. Ideſt, relationes perſonales in diuinis, ex hoc quod cum diuina eſſentia identificantur, obtinent vt ſint, & ipſæ ſubſiſtẽtes, imò ſubſiſtentiæ. Senſus verò ſecũdi eſt, quòd relationes in diuinis, ſecundùm propria ipſarum merita nil aliud habent, niſi relatiuè diſtinguere, ſeù referre; Subſiſtere verò non pertinet ad conceptum relationum, ſed ad conceptũ ſolius eſſentiæ, quod non admittimus, nec admitti debet. Alias non rectè D. Thomas diceret, quòd relationes faciũt ſubſiſtere, in quantùm ſunt ipſa diuina eſſentia. Nemo enim dat quod non habet. Si ergo relationes diuinæ non ſunt rationes ſubſiſtẽdi, neque ſunt per ſe ipſas, ſed solummodo ratione eſſentiæ diuinæ ſubſiſtentes. Quomodo ergo, congruè dici poteſt, quòd ipſæ faciunt ſubſiſtere, in quantùm ſunt ipſa diuina eſſentia? Dicendum enim erat, non quod ipſæ faciunt; ſed quòd fiunt per ſubſiſtentiam diuinæ eſſentiæ, ſubſiſtentes. Et hoc eſt, quod acutè docet Caietanus infra, q. 40. art. 4. quòd de eſſentia diuina, vt relationes diuinæ ſubſiſtant, procedit quaſi ex radice, ſeù radicaliter; quoniã proximè, & formaliter habent ex ſe ipſis. Caiet.

64 Quare autem solummodo relationes perſonales ſecum proprias ſubſiſtentias ferant, & nõ etiam relatio perſonarum, ſicuti eſt relatio ſpiratoris, iam num. 41. diximus.

65 Obijciet tertiò. Sufficit ſubſiſtentia abſoluta. Ergo fruſtratoriæ ſunt ſubſiſtentiæ in diuinis. Ergo non dantur. Prima, & ſecunda conſequentia patent; quidquid eſt formaliter in Deo; neceſſariò eſt in eo. Probatur autem antecedens. Primò; quia ſufficit exiſtentia abſoluta. Ergo ſufficit ſubſiſtentia abſoluta. Secundò; quia ſubſiſtentia abſoluta reddit quoquè ſubſiſtentia attributa. Ergo reddit quoquè ſubſiſtentes perſonas.

66 Reſpondetur, diſtinguendo, ſeù potiùs explicando antecedens. Sufficit ſubſiſtẽtia abſoluta, ad abſolutè, ac perfectiſſimè ſubſiſtendum, concedo antecedens. Sufficit ſubſiſtentia abſoluta, ad ſubſiſtendum fœcundè, ideſt ad ſubſiſtendum cum pluralitate perſonarum, nego antecedens. Ergo &c. nego cõſequentiã. Quandoquidem tres ſubſiſtentię relatiuę in diuinis non dantur ad hoc, vt natura diuina in ratione ſubſiſtendi perfectè ſubſiſtat, ſed propter fœcunditatem naturæ diuinæ; quæ fœcunditas conſiſtit in communicatione naturæ diuinæ ad plures perſonas; ac proinde ad plures ſubſtantias incommunicabiles, quæ ſunt plures ſubſiſtentiæ relatiuæ. Et per hoc patet ad primam, & ſecundam probationem. Quare autem dantur tres ſubſiſtentiæ relatiuæ, non verè tres exiſtentiæ, inſuper diſp. ſequenti dicemus.

67 Obijciet quartò. Non datur in Deo niſi vna omnipotẽtia, & vna miſericordia. Ergo nequè niſi vna ſubſiſtentia. Antecedens ſupponitur, & conſequentia patet à pari.

68 Reſpondetur, concedendo antecedens, & negando conſequentiam; & & ratio diſparitatis eſt ex numero præcedenti petenda. Nam fœcunditas diuinæ naturæ conſiſtit in communicatione vnius naturæ diuinæ pluribus perſonis. Ad rationem autem plurium perſonarum requiritur quidem vltra rationem ſubſtantiæ abſolutæ, & eſſentialis multitudo, ſeù pluralitas perſonalium ſubſtãtiarum, & per conſequens perſonalium ſubſiſtentiarum; at verò non requiritur multitudo, ſeù pluralitas omnipotentiarum, aut miſericordiarum.

69 Obijciet quintò. Subſiſtentia dicit perfectionem, imò maximam perfectionem. Ergo eſt tantùm vna, & abſoluta, & nullatenùs eſt admittenda pluralitas ſubſiſtentiarum. Antecedens ſupponitur, & probatur; quia ſubſiſtentia dicit eſſentiam quantùm ad id, in quo ſubſtãtia redditur accidente præſtantior. Ergo ſubſiſtentia dicit perfectionem. Probatur verò cõſequentia; quia iuxta probabilem multorum Theologorum ſententiam, relatio in diuinis, nequè dicit perfectionem, nequè imperfectionem. Ergo ea, quæ perfectionem dicunt, ad rationem eſſentialem, & abſolutam ſpectant. Ergo &c.

Reſpon

Digitized by Google

53 Confirmatur; quia ſecundùm Durandum, in Incarnationis myſterio duplex vnio conſideratur, & interuenit, ſcilicet, vnio in ſubſiſtentia, ſeu ad ſubſiſtendum; & vnio in ratione perſonali. Prima, eſt in natura diuina ratione ſubſiſtentiæ abſolutæ. Secunda, eſt in ijs, quæ ſunt propria perſonæ Verbi, & dicitur vnio in perſona: ſed primo modo vere Deus ſecundùm rationem communem dicitur incarnatus. Ergo etiam tota Trinitas dicitur incarnata.

CAPVT TERTIVM.

Proponuntur argumenta in contrarium, & ſoluuntur.

54 SED contra iſtam determinationẽ obijciet aliquis primo authoritate D. Auguſtini. Nam D. Auguſtinus 7. de Trinit. cap. 4. cuius verba per extenſum ſupra diſp. præced. retulimus. *Abſurdum*, inquit, *ſi, vt ſubſtātia relatiuè dicatur*; ac proinde quod aliquod dicatur ſubſiſtere, & quod relatiuè ſubſiſtat, & dicere quòd aliquod relatiuè ſubſiſtat, eſt dicere, quod ſubſtantia non eſt ſubſtantia. D. Aug

55 Teſtimonium hoc multorum ingenia torziſſe, ac in diuerſas ſententias diuiſiſſe manifeſtum eſt; Nam quidam dixerunt, D. Auguſtinum conceſſiſſe ſubſiſtentiam abſolutam, & tres ſubſiſtentias relatiuas omninò negaſſe, & alij diuerſimodè pro ſubſiſtentijs relatiuis expoſuiſſe.

56 Sed breuiter reſpondetur, explicando D. Auguſtinum. Abſurdum eſt, vt ſubſtantia relatiuè dicatur, ideſt, vt ſubſtantia ex ſuo primario, ac explicito ſignificato dicatur relatiuè, pro vt relatiuè dici conſuetum eſt accipi, pro eo, quod eſt ad aliud duntaxat, ſe habere; ſeu pro vt dicit purum, ad, concedo antecedens, & ſic intelligendus eſt Auguſtinus. Abſurdum eſt, vt ſubſtantia relatiuè dicatur, ideſt, vt ſubſtantia (loquendo de ſubſtantia prima) relatiuè ſecundùm perfectiſſimum conceptum relationis, dicatur, nego antecedens. Et in hoc ſenſu non locutus eſt Auguſtinus.

57 Senſus igitur reſponſionis eſt, quòd D. Auguſtinus à ratione ſubſtantiæ negat rationem relationis, pro vt relatio explicat tantummodo ad aliud ſe habere, & in ſe non habet per ſe eſſe. Idquè manifeſtè eius verba teſtantur. Sic enim arguit, abſurdum autem eſt, vt ſubſtantia relatiuè dicatur; omnis enim res ad ſe ipſam ſubſiſtit, quantò magis Deus?

58 His adde, quòd ſi ſermo ſit de ſubſtātia, pro vt ſubſtantia dicit eſſentiam, ſic vndequaque verum eſt, quòd ſubſtantia ſic per ſe ſubſiſtit, vt nullatenùs relatiuè dicatur. Vnde ſubſiſtentia abſoluta ab omni abſoluitur relatione, non quidem ab identitate cum relationibus. Eſſentia enim diuina non diſtinguitur realiter à relationibus ſuis, ſed concretiuè, & denominatiuè, quia videlicet, eſſentia diuina non refert, nec refertur, licèt ſit cum relationibus identificata. Sermo igitur eſt de ſubſtantia perſonaliter accepta.

59 Obijciet ſecundò authoritatibus D. Thomæ, quibus authores oppoſitæ ſententiæ nituntur. Nam D. Thomas de pot. q. 8. art. 3. ad 7. ſic ait. *Relationes autem in diuinis, & ſi conſtituant hypoſtaſes, & ſic faciant eas ſubſiſtentes, hoc tamen faciunt, in quantùm ſunt eſſentia diuina. Relatio enim, in quantùm eſt relatio, non habet, quòd ſubſiſtat, vel ſubſiſtere faciat: hoc enim ſolius ſubſtantiæ eſt. Diſtinguunt verò relationes, in quātùm relationes ſunt. Sic enim oppoſitionem habent.* D. Thom.

60 Et ibidem ad 8. ſic ait. *Relatio in diuinis non ſolùm eſt relatio, ſed eſt ſecundùm rem ipſa diuina ſubſtantia. Et ideo poteſt conſtituere aliquid ſubſiſtens, & non ſolùm aliquid relatiuum.* Et ibidem in reſp. ad 9. ſic ait. *Relatio diſtinguit, in quantùm eſt relatio; Conſtituit autem hypoſtaſim, in quantùm eſt diuina eſſentia, & vtrumquè facit, in quantùm eſt diuina eſſentia, & relatio.* Ergo relatio perſonalis in diuinis non eſt ex ſuo proprio conceptu propria ratione ſubſiſtens, ſed ſubſiſtit ſubſiſtentia abſoluta eſſentiæ diuinæ.

61 Non eſt pro arguẽte præfata D. Thomæ doctrina, imò ex eadem doctrina retorqueo in arguentem argumentum. *Solius ſubſtantiæ eſt, quòd ſubſiſtat, vel quòd ſubſiſtere faciat*: ſed relatió perſonalis in diuinis ex ſua propria ratione relationis, pro vt ſcilicet, perſonalis eſt, eſt ſubſtantia. Ergo ex ſua propria ratione ſubſiſtens eſt. Maior eſt D. Thomæ. Et minor probatur; quia ſubſtantia indiuidua, ſeù incommunicabilis eſt formalis, & quidditatiua ratio perſonæ. Eſt enim per Boetium perſona *rationalis naturæ indiuidua ſubſtantia, ſeù ſubſiſtentia*. Ergo. Boetius.

62 Reſpondetur igitur explicando D. Thomam. Relationes in diuinis &c. hoc tamen faciunt, in quantùm ſunt eſſentia diuina, ideſt habent, quòd ſint ſubſtantificæ non ex communi conceptu relationis, de qua Phyloſophi ſolent loqui, præſertim ſicuti eſt relatio purè prædicamentalis, quæ conſideratur ſecundũ purum, ad; ſed hoc habent ex ratione

formali

formali relationis diuinæ, quæ eſt identificata cum diuina eſſentia concedo antecedens. Hoc tamen faciunt in quantùm ſunt eſſentia diuina, ideſt, non ratione propria, ſed ratione eſſentiæ diuinæ præciſe, nego antecedens. D. Thomas autem locutus eſt in primo, non autem in ſecundo ſenſu.

63 Explicatur hoc. Aliud eſt dicere; Relatio perſonalis diuina facit ſubſiſtere, in quantùm eſt eſſentia diuina; & aliud eſt dicere, quod relatio perſonalis in diuinis facit ſubſiſtere, ſeu eſt ſubſiſtens ratione eſſentiæ, ſeù ſubſiſtentiæ diuinæ. Primum eſt verum; Secundum vero falſum. D. Thomas dixit primum, non ſecundum. Senſus autem primi eſt iſte. Relationes in diuinis faciunt hypoſtaſes ſubſiſtentes, eaſquè conſtituunt, in quãtum ſunt per ſe ſubſiſtentes, & in ſe ipſis propriam ſubſiſtentiam habent. Et hoc ideo, quia ſunt ipſa eſſentia diuina. Ideſt, relationes perſonales in diuinis, ex hoc quod cum diuina eſſentia identificantur, obtinent vt ſint & ipſæ ſubſiſtẽtes, imò ſubſiſtentiæ. Senſus vero ſecũdi eſt, quòd relationes in diuinis, ſecundùm propria ipſarum merita nil aliud habent, niſi relatiuè diſtinguere, ſeù referre; Subſiſtere verò non pertinet ad conceptum relationum, ſed ad conceptũ ſolius eſſentiæ, quod non admittimus, nec admitti debet. Aliàs non rectè D. Thomas diceret, quòd relationes faciũt ſubſiſtere, in quantum ſunt ipſa diuina eſſentia. Nemo enim dat quod non habet. Si ergo relationes diuinæ non ſunt rationes ſubſiſtẽdi, neque ſunt per ſe ipſas, ſed ſolummodo ratione eſſentiæ diuinæ ſubſiſtentes. Quomodo ergo, congruè dici pôteſt, quod ipſæ faciunt ſubſiſtere, in quantùm ſunt ipſa diuina eſſentia? Dicendum enim erat, non quod ipſæ faciunt, ſed quòd ſiunt per ſubſiſtentiam diuinæ eſſentiæ, ſubſiſtentes. Et hoc eſt, quod acutè docet Caietanus infra, q. 40. art. 4. quòd de eſſentia diuina, vt relationes diuinæ ſubſiſtant, procedit quaſi ex radice, ſeù radicaliter; quoniã proximè, & formaliter habent ex ſe ipſis. Caiet.

64 Quare autem ſolummodo relationes perſonales ſecum proprias ſubſiſtentias ferant, & nõ etiam relatio perſonarum, ſicuti eſt relatio ſpiratoris, iam num. 41. diximus.

65 Obijciet tertiò. Sufficit ſubſiſtentia abſoluta. Ergo fruſtratoriæ ſunt ſubſiſtentiæ in diuinis. Ergo non dantur. Prima, & ſecunda conſequentia patent; quidquid eſt formaliter in Deo, neceſſariò eſt in eo. Probatur autem antecedens. Primò; quia ſufficit exiſtentia abſoluta. Ergo ſufficit ſubſiſtentia abſoluta. Secundò; quia ſubſiſtentia abſoluta reddit quoquè ſubſiſtentia attributa. Ergo reddit quoquè ſubſiſtentes perſonas.

66 Reſpondetur, diſtinguendo, ſeù potiùs explicando antecedens. Sufficit ſubſiſtẽtia abſoluta, ad abſolutè, ac perfectiſſimè ſubſiſtendum, concedo antecedens. Sufficit ſubſiſtentia abſoluta, ad ſubſiſtendum fœcunde, ideſt, ad ſubſiſtendum cum pluralitate perſonarum, nego antecedens. Ergo &c. nego cõſequentiã. Quandoquidem tres ſubſiſtentię relatiuę in diuinis non dantur ad hoc, vt natura diuina in ratione ſubſiſtendi perfectè ſubſiſtat, ſed propter fœcunditatem naturæ diuinæ; quæ fœcunditas, conſiſtit in communicatione naturæ diuinæ ad plures perſonas; ac proinde ad plures, ſubſtantias incommunicabiles, quæ ſunt plures ſubſiſtentiæ relatiuæ. Et per hoc patet ad primam, & ſecundam probationem. Quare autem dantur tres ſubſiſtentiæ relatiuæ, non verè tres exiſtentiæ, inſuper diſp. ſequenti dicemus.

67 Obijciet quartò. Non datur in Deo niſi vna omnipotẽtia, & vna miſericordia. Ergo neque niſi vna ſubſiſtentia. Antecedens ſupponitur, & conſequentia patet à pari.

68 Reſpondetur, concedendo antecedens, & negando conſequentiam; & & ratio diſparitatis eſt ex numero præcedenti petenda. Nam fœcunditas diuinæ naturæ conſiſtit in communicatione vnius naturæ diuinæ pluribus perſonis. Ad rationem autem plurium perſonarum requiritur quidem vltra rationem ſubſtantiæ abſolutæ, & eſſentialis multitudo, ſeù pluralitas perſonalium ſubſtãtiarum, & per conſequens perſonalium ſubſiſtentiarum; at verò non requiritur multitudo, ſeù pluralitas omnipotentiarum, aut miſericordiarum.

69 Obijciet quintò. Subſiſtentia dicit perfectionem, imò maximam perfectionem. Ergo eſt tantùm vna, & abſoluta, & nullatenùs eſt admittenda pluralitas ſubſiſtentiarum. Antecedens ſupponitur, & probatur; quia ſubſiſtentia dicit eſſentiam quantùm ad id, in quo ſubſtãtia redditur accidente præſtantior. Ergo ſubſiſtentia dicit perfectionem. Probatur verò cõſequentia; quia iuxta probabilem multorum Theologorum ſententiam, relatio in diuinis, neque dicit perfectionem, neque imperfectionem. Ergo ea, quæ perfectionem dicunt, ad rationem eſſentialem, & abſolutam ſpectant. Ergo &c.

R-

70 Reſpondetur, diſtinguendo, ſeù potiùs explicando antecedens. Subſiſtentia, quæ datur propter rationem ſubſiſtendi præcisè, dicit perfectionem, concedo antecedens. Subſiſtentia, quæ ſupponit rationem ſubſiſtendi, & datur propter fęcunditatem naturæ ſubſiſtentis dicit perfectionem, adhùc diſtinguo; Arguitiuè, concedo antecedens. Formaliter, nego antecedens. Dicit quidē perfectionem arguitiuè, quia arguit rationem fœcunditatis in natura, quæ vna cum ſit ſecundum rem, pluribus ſuppoſitis ab inuicem realiter diſtinctis, cum ipſa tamen identificatis, communicatur. Ergo &c. nego conſequentiam; vel ſimiliter diſtinguendum eſt conſequens.

71 Obijciet ſextò. Subſiſtentia abſoluta, & tres ſubſiſtentiæ relatiuæ ad inuicem pugnant; ſed datur vna ſubſiſtentia abſoluta. Ergo non dantur tres ſubſiſtentiæ relatiuæ. Minor cum conſequentia patet; Probatur maior; quia ſi datur vna ſubſiſtentia abſoluta, illa redderet naturam diuinam omninò terminatam. Ergo non eſt vltra terminabilis. Ergo non datur aliqua ſubſiſtentia relatiua. Patet iſta conſequentia; quia ſubſiſtentia relatiua datur, vt ſit vltimum complementum naturæ diuinæ.

72 Reſpōdetur, negādo maiorē. Ad cuius probationē, diſtinguo antecedēs. Si daur vna ſubſiſtētia abſoluta illa redderet naturā diuinam omninò terminatam, quò ad terminum ſibi eſſentialiter conuenientem, concedo antecedens. Quò ad terminum ſibi ratione fęcunditatis conuenientem, nego antecedens. Ergo &c. nego conſequentiam.

DISPVTATIO CLXVIII.

VTRVM IN DEO SINT TRES EXISTENTIÆ relatiuæ.

In tria capita diſtributa.

CAPVT PRIMVM.

Explicatur titulus, & Doctorum opiniones referuntur.

1 SENSVS quæſiti eſt, Vtrum in diuinis tribus perſonis ſint tres actualitates propriè, realiterquè diſtinctæ, ac relatiuè oppoſitæ inter ſe; quibus conſtituantur in eſſe à parte rei; non quidem per incæptionem, ſed ab æterno.

2 Quidam partem tuentur affirmatiuā. Ita Suarez, 3. p. tom. 1. diſp. 11. ſect. 2. & lib. 3. de Trinit. cap. 5. & lib. 5. cap. 2. Zumel, ſupra, q. 28. diſp. 4. concl. 1. vbi ſubdit, quod *poteſt colligi à Caietano 3. p. q. 3. art. 2.* & ſubdit immediatè ſic. *Verum eſt, quod ibi loquitur de ſubſiſtentia, ſed videtur vtrobiquè eadem ratio.* Zuniga, diſp. 5. dub. 11. concl. 2. Becanus, cap. 3. q. 8. concl. 2. qui licèt oppoſitam ſententiā probabiliorem tēneat, hanc tamen defendit vt probabilem. Arrubal, q. 30. diſp. 104. cap. 3. Florauantius, de Trinit. lib. 2. pag. 32. Ruiz, diſp. 25. ſect. 5. & 6. qui tamen ſect. 3. & 4. oppoſitum tenet. Theodorus Bergomēſis Cappuccinus, cap. 4. dubit. 6. circa finem ſui libri de Trinit. Amicus, diſp. 19. ſect. 7. Faſolus, q. 30. art. 1. dubit. 2. Arriaga, diſp. 49. ſect. 2. Et hi ſecuti ſunt Scotum in 1. diſt. 11. q. 2. § *Ad primum dico.*

Suarez. Zumel. Zuniga. Becanus. Arrubal. Florauāt. Ruiz. Cappuc. Amicus. Faſolus. Arriaga. Scotus.

3 Quidam verò pauci apud Suarez loco cit. tenent, in Deo dari quidem tres exiſtentias relatiuas, negant verò in Deo vnam exiſtentiam abſolutam. Suarez.

4 Alij tandem cum D. Thoma tenent, non eſſe in Deo admittendam niſi vnicam dumtaxat, exiſtentiam abſolutam. Ita Durandus, in 3. diſt. 1. q. 2. Capreolus, in 1. diſt. 26. q. 1. ad 4. Aureoli, & diſt. 33. q. vnica ar. 2. ad 5. Aureoli cōtra 3. concl. Hiſpalenſis, in 1. diſt. 29. q. vnica art. 3. notab. 1. diſt. 33. q. 1. art. 3. Caietanus, q. 28. art. 2. quare non rectè pro oppoſita parte à Zumel trahitur. Solùm enim concedit tres ſubſiſtentias relatiuas, quod longè diuerſum eſt, vt Vaſquez

Durand. Capreol. Hiſpal. Caiet. Vaſquez.

Digitized by Google

Sylueſter. Bañes. Albertin. Deza. Ledeſma. Vaſquez. Becanus. Fonſeca. Granadus. Gonzal. Ayoſſa. Zamorus Cappuc. Aluarez. Herrera. Salmanti.

Vaſquez, iam citandus obſeruat: Sylueſter, in conſl. q. 28. art. 6. §. 4. Bañes, q. 29. art. 3. §. *Præterea*; & q. 40. art. 4. dub. 2. concl. 3. Albertinus, tom. 2. pag. 433. Deza, in 1. diſt. 33. q. 1. art. 3. notab. 4. & diſt. 29. q. vnica art. 3. Ledeſma, de diu. perfect. q. 3. concl. 4. Vaſquez, diſp. 126. cap. 2. Becanus, loco cit. Fonſeca, tom. 2. metaph. lib. 5. cap. 8. q. 5. ſect. 9. Granadus, tom. 3. in 1. p. tract. 5. diſp. 1. ſect. 3. num. 21. Gonzalez, q. 29. art. 2. diſp. 8. ſect. 2. Ayoſſa, q. 30. art. 4. diſp. 18. ſect. 1. §. 1. qui problematicè defendit vtramquè contradictionis partem. Io: Maria Zamorus Capuccinus, tract. 9. q. 7. Aluarez, ad 3. p. S. Th. q. 2. art. 8. in explicatione articuli not. 2. Petrus de Herrera, ſupra q. 28. art. 2. dub. 3. concl. 2. Salmanticenſes tract. 6. diſp. 7. dub. vnico.

CAPVT SECVNDVM.

Determinatio veritatis.

5 PRO determinatione veritatis dico primò. Datur in Deo vna exiſtentia abſoluta. Hoc dictum communiter Theologi valde paucis exceptis adeò verum exiſtimant, vt oppoſitam ſententiam veluti falſam, ac temerariam notent.

6 Probatur autem breuiter ſic. Exiſtentia eſt id, quo eſſentia eſt actu in rerum natura: ſed eſſentia diuina ex ſuo formaliſſimo conceptu independenter à relationibus eſt actu in rerum natura ex ſe. Ergo eſſentia diuina ex ſe, & ex ſuo formali conceptu habet exiſtentiam abſolutam.

7 Explicatur huius rationis efficacia. Phyloſophi, ac Theologi de exiſtentia creaturarum loquentes dicere ſolent, quòd nomine exiſtentiæ intelligitur illa formalitas, qua res extra ſuas cauſas formaliter conſtituitur; tamen ſi loquamur de exiſtentia communiſſimè accepta, ſeu de ratione, quæ eſt exiſtentiæ intimior, dicendum eſt, quòd nomine exiſtentiæ intelligendum eſt id, quo eſſentia, aut quælibet formalitas eſt actu in rerum natura. Et hoc modo conuenit diuinæ eſſentiæ, ac tribus diuinis perſonis. Eſſentiæ quidem; quia licèt eſſentia diuina non poſſit dici extra ſuas cauſas poſita; eo, quia nullum principium, nullamquè ſui cauſam habet; dicitur tamen, & rectè eſſe in rerum natura iuxta illud Exod. 3. *Qui eſt, miſit me ad vos*. Et illud, *Ego ſum, qui ſum*: Tribus quo-

Exod. 3.

què perſonis diuinis exiſtentia conuenit, non quia ipſæ veram ſui cauſam agnoſcant, nam & ſi Pater ſit principium Filij; & Pater, & Filius ſint principium Spiritus ſancti, non tamen dicuntur verè & propriè cauſa. Dicuntur verò verè, & propriè eſſe in rerum natura, iuxta illud 1. Ioan. vlt. *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in cælo; Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus, & hi tres vnum ſunt*. Non dicit tres intelliguntur, aut tres obijciuntur, ſed tres ſũt. Et prima perſona, puta, Pater, ſic eſt, vt non ſit ab aliquo tanquam a cauſa, nequè tanquàm à principio, iuxta illud Athanaſij; *Pater a nullo eſt factus*. Filius, & Spiritus ſanctus, quamuis agnoſcunt in æternitate principium, non tamen habent ſui eſſe initia; quapropter valet dicere, quòd Filius V. G. accipit eſſe a Patre, nõ tamen valet dicere, quod Filius ſit extra ſuas cauſas à Patre, nec etiam valet dicere rigoroſè loquendo, quod Filius eſt extra ſuum principium à Patre; quia quod fit extra præſupponitur fuiſſe intra, antecedenter ad ipſum extra; & quia Filius eſt ex ſui natura æternus, ideo valet cum proprietate dicere; Filius ſemper fuit, & eſt à Patre, non tamen valet dicere, Filius producitur extra ſuũ principium &c. Itaquè nomine exiſtentiæ intelligimus, id quo aliqua res, vel formalitas eſt in rerum natura. Cum igitur eſſe actualiter in rerum natura non conueniat eſſentiæ propter relationes, ſed potiùs relationibus propter eſſentiam, idcirco valde abſurdum eſt negare, dari in Deo exiſtentiam abſolutam.

Ioan. vlt.

Athanaſ.

8 Omitto alias pro hoc dicto rationes; quia res eſt apud omnes certa, & ratio poſita ſufficiens.

9 Dico ſecundò. Non dantur in Deo tres exiſtentiæ relatiuæ, ſed tantummodo vna exiſtentia abſoluta.

10 Et quia nonnulli ex oppoſitum ſentientibus, ſuam ſuſtinent opinionem ad mentem D. Thomæ, ideo probatur primò noſtra concluſio D. Thomæ authoritatibus. Nam D. Thomas quodlib. 12. vbi ex profeſſo quærit, *Vtrum in Deo ſit tantùm vnum eſſe*, & reſpondet, quòd *in Deo eſt vnum tantùm eſſe, ſcilicet, eſſentiale*, ideſt, vna exiſtentia, quæ eſt eſſentialis. Et de verit. q. 1. ar. 5. ad 18. ſic ait. *Quãuis autem in diuinis ponantur plures perſonæ, vel proprietates; non tamen ibi ponitur, niſi vnum eſſe; quia eſſe in diuinis* (nota) *non niſi eſſentialiter dicitur*. Idem prędocuit de potent. q. 2. ar. 6. vbi ſic ait. *Non eſt concedendum, quòd aliquid abſolutum in diuinis multiplicetur, ſicut quidam dicunt, quòd in diuinis eſt duplex eſſe, eſſentiale, & perſonale. Omne enim eſſe in diuinis* (nota) *eſſentiale eſt: nec perſona*

D.Thom.

eſt, niſi per eſſe eſſentiæ. Et q. 8. ar. 2. ad 11. ſic ait. *In diuinis nullo modo eſt eſſe, niſi eſſentia; ſicut nec intelligere, niſi intellectus. Et propter hoc, ſicut in Deo eſt tantum vnum intelligere, ita etiam vnum eſſe. Et ideo nullo modo concedendum eſt, quòd aliud* (nota) *ſit eſſe relationis in diuinis, & aliud eſſentiæ*.

11 Et in hac 1. p. q. 28. art. 2. in corpore vbi ſic ait. *Sic igitur ex ea parte, qua relatio in rebus creatis habet eſſe accidentale in ſubiecto, relatio realiter exiſtens in Deo, habet eſſe eſſentiæ diuinæ, idem omninò ei exiſtens.* Et ſic in corporis fine concludit. *Patet ergo, quòd in Deo non eſt aliud eſſe relationis, & eſſe eſſentiæ, ſed vnum, & idem.* Ergo ad mentem D. Thomæ dicendum eſt, quòd in Deo non datur aliud eſſe exiſtentiale præter exiſtentiam abſolutam.

12 Reſpondent Suarez, & Arrubal, explicantes D. Thomam, de eſſe eſſentiali, non verò de eſſe exiſtentiali.

13 Sed re vera D. Thomæ verba ſincero contemplanti obtutu, contra explicationem tanquam ſibi aduerſantem exclamant. Nam per hoc quod dicit, *non eſt aliud eſſe relationis, & eſſe eſſentiæ*, ſi per eſſe, intelligeretur eſſentia, & non formaliter ipſa exiſtentia, hunc ſenſum facerent. In Deo non eſt aliud eſſentia relationis, & eſſentia eſſentiæ, quod valde incongruũ, & ineptum eſt. Et ſimiliter dicendum eſt de omnibus authoritatibus.

14 Præterea: Quia D. Thomas, 3. p. q. 17. art. 2. ad 3. ſic ait. *Ad tertium dicendũ, quòd ſicut in 1. p. dictum eſt, quia perſona diuina eſt idem cum natura, in perſonis diuinis non eſt aliud eſſe perſonæ, præter eſſe naturæ: & ideo tres perſonæ non habent niſi vnum eſſe. Haberent autem triplex eſſe, ſi in eis eſſet aliud eſſe perſonæ, & aliud eſſe naturæ.* Quæ verba adeo pro noſtra ſententia clara ſunt, vt virtute huius teſtimonij, Vaſquez, in 1. p. diſp. 126. cap. 2. nu. 3. ſic dixerit. *Hanc ſententiam tradidit apertè Sanctus Thomas 3. p. q. 17. art. 2. ad 3.* Et ibidem adducit eundem *q. 2. de pot. art. 6. & q. 8. art. 2. ad 11.* & ſic ait; *Vbi planè docet, Deo non conuenire, niſi eſſe abſolutum, quo etiam relationes exiſtunt: nec illis conuenire aliquod eſſe relatiuum.* Et meritò. Quia ex diſcurſu articuli patet, etenim ibi D. Thomas quærit, Vtrum in Chriſto ſit tantum vnum eſſe, & concludit affirmatiuè; non autem poteſt dici, quòd ſit vnum tantùm eſſe eſſentiæ; quia in Chriſto Dño ſunt duæ eſſentiæ, puta eſsẽtia naturæ diuinę & eſſentia naturæ humanę, vt fides catholica confitetur. Ergo dum ait, quòd *eſt tantùm vnum eſſe*, & ſupponit dari in Chriſto vnum eſſe ſubſiſtẽtiale perſonale, ſubſiſtentia, ſcilicet, perſonæ Verbi, loquitur de eſſe exiſtentiali, ſecundum quod eſt exiſtentia Verbi diuini.

15 Item. Quia ibi D. Thomas reſpondet tertio argumento contra concluſionem principalem militanti, & eſt iſtud. *In Trinitate quamuis ſint tres perſonæ, eſt tamen vnum eſſe propter vnitatem naturæ: ſed in Chriſto ſunt duæ naturæ, quamuis ſint vna perſona. Ergo in Chriſto non eſt tantùm vnum eſſe, ſed duo.* Intendit ergo argumentũ probare contra concluſionem in corpore principaliter intentam, videlicet, quòd in Chriſto non ſit tantùm vnum eſſe, ſicuti concluſio affirmat, ſed duo: ſed Diuus Thomas non affirmat in Chriſto eſſe vnam tantummodo naturam; neque diſputat, Vtrum ſit in Chriſto vna dumtaxat, perſona, quoniam hoc, cum catholica fide ſupra concluſerat. Ergo remanet, quod loquitur de vnico eſſe exiſtentiæ, & contra hoc militat argumentum, vt eius verba apertè teſtãtur. Nam in primis maior propoſitio, ſupponit in diuinis tres perſonas, & vnum eſſe, non quidem eſſentiæ, ſed propter vnitatem naturæ; quapropter inſinuatur, quòd in Deo, & ſi ſint tres perſonæ, ac proinde tres ſubſiſtentiæ relatiuæ propter tres perſonalitates; eſt tamen vna exiſtentia abſoluta, propter vnitatem naturæ. Minor propoſitio etiam inſinuat intẽtum; Nam ex hoc, quòd in Chriſto ſunt duæ naturæ, & vna perſona, non concludit ſic; Ergo in Chriſto ſunt duæ naturæ; ſed ſic, *Ergo in Chriſto non eſt tantùm vnum eſſe, ſed duo*. Quæ igitur ſunt iſta duo eſſe, quæ in Chriſto dari contendit argumentum? Non eſſe naturæ; quia vt diximus, iam in minori propoſitione etiã ipſum argumentum ſupponit, in Chriſto duas eſſe naturas. Non duo eſſe perſonalia, ſeu duo ſuppoſita; quia in eadem minori propoſitione ſicuti ſupponitur in Chriſto duas eſſe naturas, ita quoquè aſſumitur vnã dumtaxat, adeſſe perſonam. Ergo nil aliud remanet, niſi vt intendat concludere, dari in Deo duo eſſe, ideſt, duas exiſtentias. Et præfato reſpondens argumento D. Thomas cõcedit in Deo tres perſonas, & vnum eſſe. Ergo ſatis apertè loquitur de eſſe exiſtentiæ.

16 Ex quo etiam colligitur, ineptam eſſe interpretationem illam, quę ait, D. Thomam loqui in omnibus prçfatis authoritatibus de eſſe exiſtentię eſſentiali, & abſoluto, quod eſt eſſe exiſtẽtiale ſimpliciter dictum; Et hoc negat eſſe triplex, & affirmat eſſe vnum tantùm, nõ tamen negat in Deo eſſe tres exiſtentias cum addito, nempè relatiuas. Nam gloſſa hęc eſt de illarum numero, quę textum deſtruunt. D. Thomas loquitur de

Digitized by Google

de eſſe, quod habent tres perſonæ, & nõ ſolùm dicit in tribus perſonis diuinis eſſe vnum eſſe, veruméetiam cum excluſiua loquitur, ſcilicet, *non habent, niſi vnum eſſe.* Poſſet tolerari, hæc gloſſa ſi ſermo eſſet de natura diuina, ſeù de Deo abſolutè cõſiderato; hoc enim modo poſſet aliqualiter dici, diuina natura habet tantùm vnum eſſe; eò quia poſſet aliqua tergiuerſatione prædicta locutio excuſari; quia nimirum, ſermo eſſet de natura diuina, quæ ex ſua formali ratione explicat aliquod abſolutum; ac proinde exiſtentia ſibi propriè, ſimpliciterquè conueniens, eſt exiſtentia abſoluta: at verò non eſt iſta D. Thomæ locutio; loquitur enim de tribus perſonis, & de ipſarũ eſſe; & dicit, quòd tres perſonæ, non habent niſi vnum tantùm eſſe. Quare &c.

17 Probatur ſecũdò ratione. Exiſtẽtia eſt actus purus in Deo. Ergo eſt vna. Antecedẽs patet; quia exiſtẽtia ex ſua ratione formali, & communi communitate, inquam, analogica, eſt actus. Ergo pro vt eſt in Deo, eſt actus purus. Conſequentia verò probatur; quia falſa eſt iſta propoſitio; In Deo ſunt plures actus puri. Nam D. Thomas ſupra q. 14. art. 3. probat, quòd in Deo intellectus, intellectum, & ſpecies intelligibilis ſunt omnibus modis idem; quia Deus eſt actus purus. Ergo ad mentem D. Thomæ, vbi datur ratio actus puri, ibi è medio tollitur omnis vera, realiſquè diſtinctio.

18 Probatur tertiò. Exiſtentia realiter multiplicata non pertinet ad fœcunditatem naturæ diuinæ; neque propter perſonarum rationem, nimirũ vt exiſtant. Ergo eſt omninò neganda. Patet conſequentia; quia quidquid realiter multiplicatur in Deo, pertinet ad fœcunditatem naturę diuinę, & ad multitudinem diuinarum perſonarum neceſſariò exigitur. Ergo. Probatur igitur antecedens; Quia fœcunditas naturę diuinę, perſonarumquè diſtinctio ex ſola ſubſiſtentiæ perſonalis reali diſtinctione ſaluatur. Et aliàs Pater per intrinſecam identitatem cum natura diuina re vera, & ſufficienter exiſtit per exiſtentiã abſolutã, & eſſentialẽ naturæ diuinæ. Filius procedens à Patre accipit etiã vt ſibi communicatã exiſtentiã a Patre, exiſtentiã, inquã, naturę diuinæ. Vnde D. Thomas acutè, & eruditè ſimul ſupra q. 27. art. 2. in corp. probat, quod Verbũ diuinũ procedit, vt exiſtens in eadem natura, cum natura diuina Patris, per hoc, quòd in Deo idem eſt intelligere, & eſſe. D. Thom.

19 Diligenti, atquè accurata attentione conſidera hęc, quæ modo ex D. Thoma dixi; quoniam efficaciter noſtrę concluſionis probant intentum. Etenim Diuus Thomas loco iam cit. probat, quòd Verbum diuinum, ſic eſt ſimilitudo naturę diuinę, vt procedat tanquàm exiſtens in eadem natura diuina, ideſt, vt exiſtat per exiſtentiam naturę diuinę, tanquàm per exiſtentiam Verbo diuino vt procedenti competentem. Hęc enim ſunt Angelici Pręceptoris verba. *Et in eadem natura exiſtens; quia in Deo idem eſt intelligere, & eſſe.* Similiter dicendum eſt de Spiritu ſancto. Nam Spirituiſancto procedenti, ſicuti communicatur natura diuina, ita quoquè communicatur eiuſdem naturę diuinę exiſtentia.

20 Confirmatur. Exiſtentia nõ propter aliud ponitur, niſi vt res ſit actu in rerum natura: ſed hoc diuinę perſonę iã habẽt per exiſtentiã abſolutã, Ergo fruſtra multiplicãtur tres exiſtẽtiæ relatiuę. Maior patet. Probatur minor; quia omne eſſentiale, ſeù abſolutum conuenit naturę diuinę, omnibuſquè perſonis. Ergo ſi omnes tres diuinę perſonę habent ex natura diuina vt exiſtant, habent quoquè vt ſint actu in rerum natura ex eadem natura diuina. Exiſtentia enim non facit aliud, niſi exiſtere.

21 Si dicas. Etiam ſubſiſtẽtia facit ſubſiſtere. Ergo poſita ſubſiſtẽtia abſoluta in Deo omnes tres diuinę perſonę ſufficiẽter per eamdem abſolutã ſubſiſtentiam ſubſiſtunt. Ergo non dantur in Deo tres ſubſiſtentię relatiuę pręter vnã ſubſiſtẽtiã abſolutã. Ergo nulla eſt iſta probatio.

22 Reſpõdetur, ſimulatquè pręſens euaſio impugnatur. Quia ſubſiſtentia relatiua intrinſecè dicit, imò conſtituit rationem perſonę diuinę. Vnde Boetius definiens perſonã dixit, quòd *eſt rationalis naturæ indiuidua ſubſtantia;* & iterum ſic eamdẽ definitionẽ repetit; *Eſt rationalis naturæ indiuidua ſubſiſtentia.* Ergo ſubſiſtentię relatiuæ multiplicatio in diuinis pertinet ad fœcunditatẽ naturę diuinę, atquè ad realẽ triũ perſonarũ diſtinctionẽ; attamẽ exiſtentia relatiua nõ eſt propter perſonarum diſtinctionẽ, neq; propter naturę diuinę fœcunditatẽ, ſed tantùm datur vt faciat exiſtere, ſeù vt perſona diuina cõſtituatur actu in rerũ natura. Ergo &c. Boetius.

23 Huius confirmationis, ſi placet, ſic exagera vires. Iam perſonę diuinę habẽt in ſe exiſtentiam abſolutam; quid igitur huiuſmodi, exiſtentia facit? Nil aliud certè, niſi quòd exiſtentię munus exercet. Munus exiſtentię quodnam eſt? non aliud, niſi reddere rem actu in rerum natura. Ergo exiſtentia diuina communicata perſonis, hoc idem munus circa eas exercebit; & aliàs exiſtentia relatiua nõ eſt ad oppoſitionem relatiuã neceſſaria.

Digitized by Google

Ergo non eſt ponenda in Deo ſeù in tribus perſonis, niſi vnica tantùm exiſtentia abſoluta.

24 Probatur quartò. In Deo non dantur tres æternitates relatiuæ pręter vnā ęternitatē abſolutā. Ergo neque etiā dantur tres exiſtētiæ relatiuæ, præter exiſtentiā abſolutam. Antecedēs patet; iuxta illud Athanaſij. *Non tres æterni, ſed vnus æternus.* Et ab aduerſarijs non negatur. Probatur autē cōſequentia; quia ſi darētur tres exiſtentiæ relatiuæ, darentur quoquè tres æternitates relatiuæ. Ergo. Probatur ſequela; quia darentur tres durationes relatiuæ; Ergo ſi darentur tres exiſtentiæ relatiuæ, darentur tres æternitates relatiuæ. Patet antecedens; quia quælibet exiſtētia debet neceſſariò habere propriā durationē. Eſſent tres exiſtentiæ. Ergo eſſent tres durationes.

25 Reſpondent aduerſarij primò, concedētes in Deo dari tres durationes relatiuas, negantes verò inde ſequi, concedendas eſſe tres æternitates relatiuas.

26 Contra primò; Quia ex D. Th. ſupra q. 10. ar. 1. Aeternitas ſaluatur in hoc, ꝙ ſit principio, & fine carēs, & in hoc, quòd ſucceſſione careat, & tota ſimul exiſtat. ſic enim ait. *Sic ergo ex duobus notificatur æternitas. Primò ex hoc, quòd id, quod eſt in æternitate, eſt interminabile, idest, principio, & fine carens: vt terminus ad vtrumque referatur. Secundò, per hoc, quòd ipſa ęternitas ſucceſſione caret tota ſimul exiſtēs.* Ergo implicat in terminis concedere tres durationes relatiuas, & negare tres æternitates relatiuas. Probatur cōſequētia. Quia tres durationes relatiuæ principio, & fine ac ſucceſſione carerent, atquè totæ ſimul exiſterēt. Ergo haberent rationē æternitatis.

27 Contra ſecundò; Quia D. Thomas q. 10. ar. 2. vbi quærit, *Vtrum Deus ſit æternus.* Reſpōdet, quòd æternitas Deo maximè cōuenit, & quòd Deus eſt ſua æternitas. Probat primū ſic. *Quia ratio æternitatis cōſequitur immutabilitatem. Vnde cum Deus ſit maximè immutabilis, ſibi maximè cōpetit eſſe ęternū.* De ſecundò verò ſic diſcurrit. *Nec ſolùm eſt æternus, ſed eſt ſua æternitas: cū tamē nulla alia res ſit ſua duratio: quia non eſt ſuum eſſe. Deus autē eſt ſuū eſſe vniforme. Vnde ſicut eſt ſua eſſentia, ita ſua æternitas:* Sed ſi in Deo eſſent tres exiſtentiæ relatiuæ, haberent propriam, & intrinſecā ſui immutabilitatē; & quælibet perſona, quia eſſet ſuum eſſe, abſolutū, & relatiuū, eſſet ſua duratio abſoluta, & relatiua. Ergo tres exiſtētiæ relatiuæ ſecū ferrent tres æternitates relatiuas ſubſtantiuè. Poteſt iterum hæc confirmatio hoc modo formari. Si tres perſonę diuinę haberēt tres exiſtētias relatiuas, eſſent tria ſua eſſe vniformia. Ergo eſſent tres æternitates relatiuę. Patet cōſequentia ex doctrina D. Th. iā allata.

28 Cōfirmatur tertiò; Quia ſi darētur tres exiſtētię relatiuę in diuinis, haberēt omnimodā pmanentiā in ſe ipſis. Ergo eſſēt tres æternitates. Antecedens patet. Probatur cōſequentia. Quia D. Thomas q. 10. art. 5. in corp. vbi ponēs differētiā inter æuū, & tēpus ſic ait. *Eſt ergo dicendum. quòd cū æternitas ſit mēſura eſſe permanentis. ſecundū quòd aliquid recedit à permanētia eſſendi, ſecundū hoc recedit ab æternitate.* Ergo ſi darētur tres exiſtētiæ relatiuæ, in nullo recederēt à permanētia eſſendi. Ergo in nullo recederēt à propria ratione ęternitatis. Ergo eſſent tres æternitates relatiuæ. Quod adeò falſum eſt, vt Eccleſia in ſymbolo Athanaſij exclamet, *Æternus Pater, Æternus Filius, Æternus Spiritus ſanctus. Et tamē non tres æterni, ſed vnus æternus.* D.Thom.

29 Cōfirmatur quartò; Quia omne eſſe habet ſuā durationē; quæ eſt tēpus, ęuū, aut æternitas. Ergo ſi dātur tres exiſtētię relatiuæ, ipſarum propria duratio, aut eſt tēpus, aut ęuū, aut æternitas. Non tēpus; neque ęuū. Ergo ęternitas. Sunt tres exiſtētię relatiuæ. Ergo ſunt tres æternitates relatiuę. Antecedēs patet ex D. Thoma quęſt. 10. præſertim art. 4. & 5. Et conſequentiæ claræ.

30 Reſpōdent ſecundò, cōcedēdo in Deo tres æternitates cum addito, puta, relatiuas; Nec hoc reputant inconueniens; Ad illud autem Athanaſij dicūt, Athanaſium loqui de æternitate abſolutà, & ſimpliciter dicta; non autē negauit tres æternitates relatiuas. Ita præſertim Arriaga, diſp. 49. ſect 7. num 9. Arriaga.

31 Contra primò. D. Athanaſius ait, quòd ſicut eſt, *Increatus Pater, Increatus Filius, Increatus Spiritus ſanctus. Immenſus Pater, Immenſus Filius, Immenſus Spiritus ſanctus. Similiter* dicitur, *Omnipotens Pater, Omnipotens Filius, Omnipotēs Spiritus ſanctus;* & *Deus Pater, Deus Filius, & Deus Spiritus ſanctus.* Et eodem prorſus modo negat tres increatos, tres ęternos, & tres immēſos, ſicut negat tres omnipotentes: ſed non poteſt dici, quòd ſunt tres omnipotentiæ relatiuæ ſubſtantiuè, neque quòd ſunt tres Deitates relatiuæ. Ergo neque etiā poteſt dici, quòd sūt tres æternitates relatiuę. Patet cōſequētia à paternitate ab Athanaſio aſſignata, & ab Eccleſia confirmata. D.Athan.

32 Cōtra ſecūdò; Quia D. Thomas infra q. 39. art. 3. Aeternitatē dicit eſſe de numero eorū, quę ad eſſētiā ptinēt, & in tātū dici poſſe tres æternos, in quātū æternus accipitur adiectiuè. Et ſic loquitur. *Vnde nomina ſignificātia diuinā eſſētiā ſubſtātiuè, ſingulariter, & nō pluraliter de trib⁹ pſonis* D.Thom.

nis prædicãtur. Hęc igitur eſt ratio, quare Socratē, & Platonē, & Ciceronē dicimus tres homines, Patrem autem, & Filium, & Spiritum ſanctum non dicimus tres Deos, ſed vnum Deum; quia in tribus ſuppoſitis humanæ naturæ ſunt tres humanitates; in tribus autem perſonis eſt vna diuina eſſentia. Ea verò, quæ ſignificant eſſentiam adiectiuè, prędicantur pluraliter de tribus, propter pluralitatem ſuppoſitorum. Et pariformiter exemplificat de exiſtentia, & æternitate. Sic enim ſubdit. *Dicimus enim tres exiſtentes, vel tres ſapientes, aut tres æternos, & increatos, & immenſos, ſi adiectiuè ſumantur; ſi verò ſubſtantiuè ſumantur, dicimus vnum increatum, immenſum, & æternum, vt Athanaſius dicit.* Ergo ad mentē D. Thomæ contra D. Athanaſium eſt dicere, quòd in diuinis ſunt tres æternitates ſubſtantiuè. D. Thom. D. Athan.

33 Imò ex D. Thoma quò ad verba citata colligitur efficax pro principali noſtra concluſione probatio. Nam D. Thomas ſicuti negat tres æternos ſubſtantiuè, ita quoquè negat tres exiſtētes ſubſtantiuè. Ergo ex mente D. Thomæ nedum implicita, ſed explicita non dantur in diuinis tres exiſtentiæ relatiuæ. Patet iſta conſequentia; quia ſi darentur tres exiſtentiæ relatiuæ, ſicuti valet dicere, quòd Pater, Filius, & Spiritus ſanctus ſunt vnus exiſtens ſubſtantiuè, loquendo de exiſtentia abſoluta, ita quoquè propter tres exiſtentias relatiuas valeret dicere, quòd Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus ſunt tres exiſtentes ſunſtantiuè; quod à D. Thoma omninò negatur.

34 Probatur quintò; Si tres perſonæ diuinæ haberent tres exiſtentias relatiuas, hoc nomen, perſona, poſſet dici aliquod vniuerſale, reſpectu trium perſonarum: Hoc non poteſt dici. Ergo. Probatur ſequela, quia D. Thomas quæſt. 30. art. 4. ad 3. ait, quod hoc nomen, perſona, eſt commune tribus perſonis, & huiuſmodi communitas *licèt ſit communitas rationis, & non rei, tamen non ſequitur, quòd in diuinis ſit vniuerſale, vel particulare, vel genus, vel ſpecies. Tum quia, neque in rebus humanis communitas perſonæ eſt communitas generis, vel ſpeciei. Tum quia, perſonæ diuinæ habent vnum eſſe, genus autem, & ſpecies, & quodlibet vniuerſale prædicatur de pluribus, ſecundùm eſſe differentibus.* Vbi ex proprijs perſonæ diuinæ rationem ſufficientem aſſignat, quare hoc nomen perſona diuina commune tribus ſecundùm rationē, non ſit vniuerſale; quia perſonæ diuinæ non differunt ſecundum eſſe.

CAPVT TERTIVM.

Proponuntur argumenta in contrarium, & ſoluuntur.

35 SED contra iſtam determinationē obijciet aliquis primo; Quia ſic Patres dicunt. Nam Ricchardus de S. Victore lib. 4. de Trinit. cap. 16. ſic ait. *In diuina procuidubio natura eſt exiſtentia, quæ eſt pluribus communis, & eſt ibi exiſtentia, quę omnino eſt incommunicabilis.* Et paucis interiectis ſubdit ſic. *Sciendum eſt, quòd exiſtentia deſignat ſubſtantiale eſſe, ſed aliquando quod ſit ex communi; aliquando quòd ſit ex incommunicabili proprietate. Communem autem exiſtentiam dicimus, vbi intelligitur eſſe habens ex proprietate communi: Incommunicabilem verò, vbi intelligitur eſſe habens ex proprietate incommunicabili.* Et cap. 17. in fine ſic ait. *Quot igitur in diuinitate perſonæ, tot incommunicabiles exiſtentiæ.* Et in Deo eſſe tres exiſtentias Ricchardus non ſemel, atquè iterum, ſed pluries repetijt, vt ipſum legenti conſtabit.

36 Reſpondetur, reiectis quibuſdam aliorum explicationibus explicado Ricchardum de ſubſiſtentia. Etenim nomine exiſtentiæ, intelligit id, quod communiter Scholaſtici intelligere ſolent nomine ſubſiſtentiæ; & magis ei placet hæc vox trium, ſcilicet, exiſtentiarum perſonalium, & vnius exiſtentiæ communis in diuinis, quam dicere in Deo eſſe tres ſubſiſtentias perſonales, & vnam abſolutā.

37 Et hoc ex eodem Riccardo non obſcurè colligitur. Nam ibidem cap. 19. definiens perſonam ſic ait. *Perſona eſt exiſtens per ſe, ſolùm iuxta ſingularem quemdam rationalis exiſtentiæ modum*, vbi per exiſtētiam incommunicabilē intelligit, quod Boetius nomine ſubſtantiæ, ſeù ſubſiſtentiæ indiuiduæ intellexit. Iudicauit enim explicatiùs declarari ratio perſonę, ſeù modus incommunicabiliter eſſendi, per incommunicabilem exiſtentiam, quam per indiuiduam ſubſtantiam, ſeù ſubſiſtentiam. Idquè manifeſtiùs explanat cap. ſequen. 20. ſic dicens. *Vt autem inter ſubſtantiam, & ſubſiſtentiam iuxta horū acceptionem breuiter diſtinguam; per ſubſtantiam intellige (quod ſuperiùs dixi) exiſtentiā communem: per ſubſiſtentiam (quod dixi) exiſtentiam incommunicabilem.* Et inſuper. *Idcircò*, inquit, *perſonæ rectiùs dicuntur exiſtentiæ, quam ſubſtantiæ, vel ſubſiſtentiæ.* Ecce igitur, quomodo Riccardus nomine triū exiſtentiarum vtitur loco trium ſubſiſtentiarum, ex eo quia putat non ita

Digitized by Google

propriè ad diuinam transferri prædicationem nomen ſubſiſtentiæ, ſicut nomē exiſtentiæ.

38 Obijcies ſecundò. Quælibet perſona diuina eſt in actu in rerum natura, nec intelligi poteſt, niſi vt actu exiſtens: ſed ſunt tres perſonæ diuinæ. Ergo ſunt tres exiſtentiæ perſonales.

39 Confirmatur. Omnis productio alicuius entis completi terminatur ad eſſe; ſed Filius, & Spiritus ſanctus re vera ſunt entia completa, & producta. Ergo ipſorum productio terminatur ad eſſe. Ergo quælibet perſona habet propriam exiſtentiam.

40 Reſpondetur ad argumentum diſtinguendo, ſeù potiùs explicando maiorē. Quælibet perſona diuina eſt in actu in rerum natura, nec intelligi poteſt, niſi vt actu exiſtens, exiſtentia communi ſibi communicata, concedo maiorem. Exiſtentia ſibi propria, ſeù producta, nego maiorem. Tunc conceſſa minori, nego conſequentiam.

41 Ad confirmationem ſimiliter reſpondetur, diſtinguendo, ſeù explicando maiorem. Omnis productio alicuius entis completi, terminatur ad eſſe vt communicatum, vel vt productum, concedo maiorem. Semper vt productum, nego maiorem. Tunc conceſſa minori. Similiter diſtinguendum eſt primum conſequens, & negando ſecundum.

42 Poſſet enim ex hoc argumentandi modo in arguentem argumētum retorqueri, hoc modo. Quælibet perſona diuina eſt in actu natura diuina, nec poteſt intelligi eſſe abſquè natura diuina: ſed ſunt tres perſonæ diuinæ productæ. Ergo tres quoquè ſunt naturæ diuinæ productæ. Item omnis productio terminatur ad naturā: Perſonæ diuinę producuntur. Ergo ipſarum productio terminatur ad naturam diuinam. Ergo ſicuti producitur perſona, ita etiam natura diuina producitur.

43 Si reſpondeatur, quòd in diuinis productionibus attingitur perſona ſimul & natura, ſed perſona producitur, ſeù attingit, vt terminus qui pducitur; & natura cōmunicatur, ſeù attingitur vt terminus, qui perſonæ productæ communicatur. Bona quidem, & Catholica reſponſio; ſed quod de natura dicis, dicas quoquè de exiſtentia, quæ in diuinis, vel eſt ipſiſſima eſſentia diuina, vel ad eſſentiā pertinet; ac proinde, ſicuti producitur perſona, & communicatur eſſentia, ita producitur perſona, & communicatur exiſtentia. Quatuor enim ſunt in diuinis; Eſſentia, Exiſtentia, Subſiſtentia abſoluta, & Subſiſtentia relatiua. Vltimum producitur, reſpectu perſonarum procèdentium; reliqua verò non producuntur, ſed in perſonarū productione perēadem omninò actionem cōmunicantur.

44 Eodem prorſus modo explicandus eſt Cyrillus, dialogo de Trinit. lib. 1. inter medium, & finem vbi ſic ait. *Cum vterquè ſit, ac ſubſiſtat, propriamquè habere dicatur exiſtentiam.* Et lib. 2. dialogi ſic habet. *Sic enim manifeſtam, & incōfuſam trium ſubſiſtentiarum in proprijs exiſtentijs proprietatem ſeruans.* Vbiquè enim loquitur de ſubſiſtentia, vt patet ex eodem Cyrillo lib. 2. decalogi, vbi inquit; *Diſtinctiſſimè nobis conſtituentia vniuſcuiuſquè ſignificari propriā exiſtentiam.* Cyrillus.

45 Arriaga diſp. 49. ſect. 2. nu. 7. ait, quòd facilè reijcitur, nempè hoc, quod exiſtētia communicatur in diuinis, & non producitur; & ſic ait. *Quod autem dicit Vaſquez* (Vaſquez enim noſtram ſequens opinionem, vt apertam D. Thomæ ſententiam, eamdem argumēto poſito præbet reſponſionem) *de communicatione exiſtentiæ, facilè reijcitur; quia rogo id, cui exiſtētia communicatur, exiſtebat ne priùs ratione, quàm communicaretur, an non? Si exiſtebat; ergò non producitur tunc. Si non exiſtebat, quomodo poteſt ei communicari exiſtentia? Vt enim alicui communicetur forma aliqua, debet iam exiſtere, vel tunc produci, quando communicatur: id autem quod tunc producitur, vt producitur, debet eſſe diſtinctum à communicatione. Ergo habet eſſe actuale, ſeù exiſtentiā diſtinctam à communicatione.* Arriaga.

46 Et quia Vaſquez retorquet in arguētem argumentum hoc modo: *Si hoc argumentum alicuius momenti eſſet, eodem modo probaret, in perſona procedente nouam naturam, & eſſentiam produci. Nam ſi productio ad exiſtentiam productam terminatur, ad eſſentiam quoquè productam terminari debet. Cæterùm, ſicut in diuinis dicimus, eſſe aliud genus productionis, quo, ſcilicet, non natura, & eſſentia producitur, ſed eadem eſſentia perſonæ producentis perſonæ productæ communicatur, idem etiam de exiſtentia, & eſſe, quòd idem prorſus ſunt, dici debet, nempè productionem diuinæ perſonæ eſſe quidem productionem perſonæ diſtinctæ à producente, ſed per eam communicari perſonæ productæ idem eſſe, & exiſtentiam, & eamdem naturam.* Sic Vaſquez. diſp. 126. cap. 3. nu. 14. Ideo Arriaga ſic loco cit. immediatè ſequitur. *Inſtantia autem de eſſentia diuina non eſt ad rem. Nam productio etiam in creatis non petit, vt producatur id, quòd abſolutè dicitur eſſentia, ſed ſolùm vt noua entitas producatur, licèt reſpectu illius entitatis, quæ producitur, id quod producitur, poſſet in rigore dici eſſentia. Vnde ablato periculo ſcandali, ſine dubio, ſicut relatio, vt relatio, eſt entitas, ita habet ſua prædicata eſſentialia.* Vaſquez. Arriaga.

Digitized by Google

ſentialia, quibus in ratione talis entitatis conſtituitur, & conſequenter, habet etiam ſuam eſſentiam, quia eſſentia, & entitas eſt idem in rigore phyſico, licèt in diuinis iam ſit hæc vox applicata ad ſolam naturam ſignificandam. Vnde verum eſt, in diuinis produci aliquam entitatem, ſeù quidditatem, ſeù eſſentiam modo dicto, ideoquè eadem eſt ratio de exiſtentia, entitate, quidditate, & eſsentia, ſi vis nominis attendatur. Hæc Arriaga.

47 Et ibidem ante omnia hæc, immediatè poſt reſponſionem Vaſquez ſic ait. *Verùm hæc ſolutio facilè præcluditur, quia repugnat in terminis, eſse productionem, niſi aliquid extrahatur ad eſse actuale: non poteſt autem extrahi, niſi producatur eius exiſtentia, qua formaliter exiſtit*. Hæc ille.

48 Arriaga in præcitatis verbis multa dicit, quorum quædam eſt facilis impugnatio; quædam verò à Theologis ſunt omninò fugienda.

49 Et quidem contra reſponſionem impugnatio, quam hoc vltimo loco retulimus, nullius eſt momenti. Etenim imprimis incongruis verbis vtitur. Nam non valet dicere, quòd perſona diuina, quæ ab æterno producitur, ab æterno ad eſſe actuale extrahitur. Nam hæc particula, extrahitur, idem ſonat, ac illud, quod intra principium producens erat, extra illud dicitur emanare: ſed perſona ab æterno producta, ex hoc, quòd fuit producta ab æterno, numquàm fuit intra virtutem potentiæ productiuæ, ac per conſequens, in nullo ſigno valet dicere, quòd fuit extracta. Vnde benè Arriaga infra diſp. 52. ſect. 4. nu. 34. ſic ait. *Sæpè dixi, quòd inter perſonam producentem, & productam vix dari prioritatem in quo, etiã ratione noſtra; quia implicat concipere Patrẽ, niſi concepto Filio, quãdoquidem conſtituitur Pater eſſentialiter per actualem productionem Filij. Tota ergo prioritas eſt pura à quo. Vnde argumento negandum eſt, quando Verbum producitur, non eſse Spiritum ſanctum & ſcientiã ipſius. Omnia enim tunc ſimul ſunt, etiamſi vnum ſit ab alio; benè ergo poteſt ex hoc capite eſse tunc cognitio Spiritus ſancti, vt exiſtentis*. Et quamuis immediatè poſt admittat prioritatem in quo, non propterea præfatam reſponſionem retractauit. Ergo iuxta modum loquendi Arriagæ, non debet dici, quòd perſona æternaliter producta, ſit extracta ad eſſe actuale.

Arriaga.

50 Secundò; quia non probat, quòd in ſua minori aſſumit. Primò quidem; quia perſona producta etiã extrahitur, vt vocabulis eiuſdem vtar, ad eſſe actuale eſſentiæ, ſeù naturæ diuinæ, nec tamẽ inde ſequitur, quòd dum perſona diuina producitur, producatur quoquè natura diuina. Secundò; quia, vt ipſemet Arriaga cum firmiori doctrina rectè fatetur, dum producitur V. G. perſona Verbi diuini a Patre æterno, communicatur ei exiſtentia abſoluta, quemadmodum & eſſentia. Ergo ſtat, quòd perſona Verbi extrahatur ad eſſe actuale, abſque eo, quòd eſſe exiſtentiale Verbi producatur. Patet iſta conſequentia; quia intantùm per Arriagam neceſse eſt, vt exiſtentia Verbi producatur, in quantum neceſsè eſt, vt Verbum dicatur formaliter exiſtere: ſed ſic eſt, quòd per exiſtẽtiam abſolutam Verbum diuinum dicitur formaliter exiſtere. Ergo non probat, quod in ſua minori aſſumit. Patet minor iſta ſubſumpta; quia exiſtentia communicata Verbo facit Verbum formaliter exiſtere: ſed iam fatetur, quòd Verbo diuino communicatur exiſtentia abſoluta. Ergo per illam exiſtentiam abſolutam iam formaliter exiſtit. Ergo vt Verbum diuinum dicatur formaliter exiſtere, non eſt neceſſe, vt eius exiſtentia producatur; Ideoquè omninò falſa eſt illa minor, nempè, *non poteſt extrahi, niſi producatur eius exiſtentia, qua formaliter exiſtit*.

51 Nullius quoquè momenti eſt id, quod Arriaga ſubdit, dum ſic ait; *Rogo, id cui exiſtentia communicatur, exiſtebat ne priùs ratione, quàm communicaretur, an non? Si exiſtebat &c.*

52 Reſpondeo enim, quòd in nullo priori valet dicere, id cui exiſtentia communicatur, exiſtere priùs, quàm communicaretur, ſed tunc produci quando communicatur; & tunc communicari, quãdo producitur. Eadem enim actione, qua perſona diuina producitur, exiſtentia communicatur. Etenim actio productiua perſonæ ſi adæquatè concipiatur, eſt communicatiua exiſtentiæ, ſicut etiam eſt communicatiua naturæ. Imò etiamſi actio, vt productio, & actio, vt communicatio, ratione differant, non tamen inde ſequitur, quòd priùs ratione ſit productio perſonæ, quàm communicatio exiſtentiæ. Hinc enim ſequeretur, quòd priùs ratione eſſet perſona diuina producta, quàm haberet exiſtentiam abſolutam communicatam, imò quàm haberet ipſam eſſentiam, ſeù naturam diuinam; ac proinde ſequeretur, quòd in aliquo ſigno, eſſet perſona producta, & in illo ſigno non eſſet Deus; cum in illo ſigno intelligatur producta, & non ſit illi communicata diuina natura.

53 Reſpondetur igitur iuxta formam arguentis, amplectendo ſecundum interrogationis membrum. Ad cuius impugnationem, dico, quòd recedit à propoſito.

Digitized by Google

ſito. Etenim in interrogatione duo membra proponit, ſcilicet, id, cui communicatur exiſtentia, exiſtebat ne priùs ratione, quàm communicaretur, an non? Itaquè interrogatio eſt de preexiſtentia, vel de non præexiſtentia; & volens impugnare ſecundum, tranſit ad exiſtentiam. Probat enim, quòd id, quod non exiſtit non poteſt habere communicatã exiſtentiam, quod eſt contra arguentis intentum. Quamuis igitur non exiſtenti, vt non exiſtenti, non poſſit communicari exiſtentia, tamen id, cui communicatur exiſtentia, non debet præexiſtere, quoniam implicat in terminis communicari alicui exiſtentiam, & intelligi præexiſtens, ideoquè id, cui communicatur exiſtentia, tunc exiſtit, quãdo producitur, & tunc producitur, quando ei communicatur exiſtentia. Quod rectè explicauit D. Auguſtinus lib. 15. de Trinitate cap. 17. ſic dicens. *Sed hoc quoquè illi Pater dedit non iam exiſtenti nondum habenti, ſed quidquid vnigenito Verbo dedit, gignendo dedit.*

54 Quantùm verò ad id, quod Arriaga dicit, nimirum, id quod producitur, quod poſſet in rigore dici eſſentia; & quod *ablato periculo ſcandali, ſine dubio ſicut relatio vt relatio eſt entitas, ita habet ſua prædicatã eſſentialia, quibus in ratione talis entitatis conſtituitur, & conſequenter habet ſuam eſſentiam &c.* eſt fugiendus omninò. Etenim duo inuoluit. Vnum eſt, quòd in rigore vocabuli, id quod producitur in diuinis, poteſt dici eſſentia producta. Alterum eſt, quòd hoc nomen, eſſentia, ſit vox per applicationem vſurpata ad ſignificandam naturam diuinam tantùm, & non ex propria ſignificatione vocabuli.

55 Et contra Arriagam ſic inſurgo primò; Quia ipſemet diſp. 47. ſect. 6. ſubſect. 2. ait, quod hoc nomẽ, natura, *à phyloſophis, & Theologis accipitur pro primo conſtitutiuo rei, quòd ſit radix operationum, vel perfectionum, quæ in tali re reperiuntur*, & ſic immediatè ſubdit. *Quo ſenſu idem eſt natura, ac eſſentia ex acceptione phyloſophorum, ac Theologorum ferè omnium; ideoquè eſſentia humana, & natura humana idem eſt; & in Deo, & in Angelis pro eodem vſurpantur.* Quibus ex Arriaga ſuppoſitis dupliciter contra eum inſurgo. Primò quidem; quia eſſentia intelligitur id in vnoquoq; quod eſt primò cõſtitutiuum rei, eſtquè radix operationum, vel perfectionum, quæ in tali reperiuntur: ſed in Deo hoc vnum dumtaxat eſt. Ergo in Deo non datur niſi vna dumtaxat, eſſentia, quæ eſt quid abſolutum, ac per conſequens, non dantur tres eſſentiæ relatiuæ, ſi vis rigoroſa vocabuli attendatur.

56 Confirmatur; quia vt ipſemet Arriaga diſp. 51. ſect. 2. ſubſect. 3. nu. 12. docet, *à perſona producente communicari naturam completam in eſſe naturæ, & produci cõplementum vltimum, id eſt, perſonalitatem.* Quibus ex Arriaga ſuppoſitis verbis, ſic argumentor. Perſonalitas, quæ producitur, non eſt natura, nec pertinet ad cõplementum naturæ, in eſſe naturæ, ſed producitur vt vltimum complementum ab ipſomet Arriaga explicandum. Ergo ex dictis eiuſdem falſum eſt, quod perſona diuina, ſeù perſonalitas, quæ producitur, in diuinis ſit in vigore vocabuli eſſentia, ſeù natura.

57 Secundò; quia natura in diffinitione generationis poſita, non deſumitur pro virtute producendi, aut generandi aliquid ad intra, ſed purè pro eſſentia, vt ipſe diſp. 47. eodem nu. 47. docet. Ergo vt quid iſta ſaltatio? dum volens explicare, quòd hæc particula, eſſentia, ſit limitata per applicationem, ad eſſentiam abſolutam, & non ad relatiuam; ſic dixit; *licèt in diuinis iam ſit hæc vox applicata ad ſolam naturam ſignificandam*; ſic enim inſurgo. Per ipſum natura accipitur pro pura eſſentia, taliter, quòd natura, & eſſentia in ore ferè omnium Theologorum pro eodem vſurpatur. Ergo per ly, *ad ſolam naturam ſignificandã*, nihil aliud præter id quod nomine eſſentiæ ſignificatur, explicauit. Vel dicendum eſt, quòd per hæc verba ad veram, communemquè Theologorum ſententiam ſe conuertit, quaſi diceret, quod in diuinis ſicut non datur niſi vna natura, quæ eſt quid abſolutum, omnibuſquè commune, ita nequè datur niſi vna eſſẽtia, vim vocabuli attendendo.

58 Contra ſecundò principaliter ſic inſurgo; Quia modus loquendi Arriagæ contradicit Sacris Concilijs, & Patribus. Nam in Concilio Lateranẽſe ſub Innocentio III. celebrato contra Abbatem Ioachim ſic habetur. *Quælibet trium perſonarum eſt illa res, videlicet, ſubſtantia, eſſentia, ſiuè natura diuina, quæ ſola eſt vniuerſorum principium, præterquam aliud inueniri non poteſt, & illa res non eſt generans, nequè genita, nec procedens, ſed eſt Pater, qui generat, Filius qui gignitur, & Spiritus ſanctus, qui procedit, vt diſtinctiones ſint in perſonis, & vnitas in natura.* Ex quibus Sacri Concilij verbis, apertè colligitur, id quod rectè eſt ab eodem Arriaga obſeruatum, primò, quòd idem ſignificatur nomine eſſentiæ, & naturæ. Secundò, quòd non dãtur plures eſſentiæ relatiuæ in diuinis; quia Concilium vult *vt diſtinctiones ſint in perſonis, & vnitas in natura*: Quòd ſi perſonæ ſuas proprias eſſentias haberent relatiuas

Digitized by Google

tiuas de vigore vocabuli, debuiſſet dicere, vt diſtinctiones ſint in eſſentijs relatiuis, & vnitas in eſſentia abſoluta.

59 Item. Sophronius, in 6. Synod. act. 11. ſic ait, *Neque tres naturas in Sancta Trinitate glorificamus, nec tres eſſentias*. Idem habetur de vna in Deo natura in 6. ſyn. act. 4. in 5. ſynodo. Et Concilio Toletano ſexto, & vndecimo in confeſſ. fidei idem docet D. Athanaſius, tract. de diffinitionibus, vbi ſic ait, *Si quis de diuinitate quærat, quot confitearis naturas? Reſp. Vnam, & tres hypoſtaſes*.

Sophron.

Tolet. 6. 11.

D. Athan.

60 Idem affirmat D. Auguſtinus, lib. 7. de Trinit. cap. 3. circa finem, vbi ſic ait. *Lumen ergo Pater, lumen Filius, lumen Spiritus ſanctus. Simul autem non tria lumina, ſed vnum lumen. Et ideo ſapientia Pater, ſapientia Filius, ſapientia Spiritus ſanctus; ſimul non tres ſapientiæ, ſed vna ſapientia; & quia hoc eſt ibi eſſe, quod ſapere, vna eſſentia Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus*. Et paucis interiectis *dictum eſt*, inquit, *à noſtris Græcis, vna eſſentia, tres ſubſtantiæ; à Latinis autem vna eſſentia, vel ſubſtantia, tres perſonæ*, & eodem lib. cap. 4. multo poſt medium, ſic ait. *Timuit dicere tres eſſentias, ne intelligeretur in illa ſumma æqualitate vlla diuerſitas*; & poſt nonnulla; *Sic enim*, inquit, *quia hoc illi eſt Deum eſſe, quod eſt eſſe, tam tres eſſentias, quã tres Deos dici fas non eſt*. Et eodem lib. cap. 5. ſic ait. *Vnde manifeſtum eſt Deum abuſiuè ſubſtantiam vocari, vt nomine vſitatiore intelligatur eſſentia, quod verè, ac propriè dicitur, ita vt fortaſſe ſolum Deum dici oporteat eſſentiam*. Et ibidem paucis interiectis ſic ait. *Et ideo ſi vna eſſentia Trinitas, vna etiam ſubſtantia*.

D. Aug.

61 Item ex hoc modo dicendi ſequeretur, quòd in rigore ſermonis eſſet vera iſta locutio; In Deo eſt vna natura abſoluta, & tres naturæ relatiuę; ſed hoc eſt contra Concilia, & Patres. Ergo.

62 Videndus eſt D. Thomas, q. 29. art. 1. ad 4. vbi ſic ait. *Et quia per formam completur eſſentia vniuſcuiuſque rei communiter eſſentia vniuſcuiuſquè rei (quam ſignificat eius diffinitio) vocatur natura. Et ſic accipitur hic natura. Vnde Boetius in eodem lib. dicit, quòd natura eſt vnumquodquè informans ſpecifica differentia. Specifica enim differentia eſt, quæ complet diffinitionẽ, & ſumitur à propria forma rei*. Videatur quoquè q. 39. art. 2. vbi eruditè explicat dictum Auguſtini, nempè quòd tres perſonæ ſunt vnius eſſentiæ. Vnde circa finẽ corporis ſic ait. *Et ſimiliter, quia in diuinis multiplicatis perſonis, nõ multiplicatur eſſentia, dicimus vnam eſſentiam eſſe trium perſonarum, & tres perſonas vnius eſſentię*.

D. Thom.

63 His adde, quod etiam in creatis perſonalitas non eſt eſſentia, ſeù natura, ſed aliquid ſuperadditũ eſſentiæ, ſeù naturæ.

64 Ac demum Arriaga affirmat quidem id, quod producitur, poſſe in rigore dici eſſentiam, non tamen probat, aut phyloſophicè, ſeù theologicè aliqua ratione fundat, ſed potiùs voluntariè, quàm rationabiliter loquitur. Nam ſi eſſentia, & entitas in rigore phyſico ſunt idem, vbi in rigore phyſico proprietates, vbi potentiæ? vbi operationes?

65 Obijciet tertiò. Relationes create habent propriam exiſtentiam. Ergo etiam relationes increatę.

66 Reſpondetur, concedendo antecedẽs, & negando conſequentiam, & ratio diſparitatis eſt; quia relationes create eſſentialiter à ſubiecto, cui inhęrent diſtinguuntur; & ſi inhęrent ſubſtantię, multo potiori iure exiſtentia relationis, quę eſt accidens, differt ab exiſtentia eſſentię ſubſtantialis.

67 Obijciet quartò. Non valet dicere, Pater diuinus eſt ad ſe, Filius diuinus eſt ad ſe & Spiritus ſanctus eſt ad ſe. Ergo neque valet dicere, Pater, & Filius & Spiritus ſanctus exiſtunt exiſtẽtia abſoluta. Patet antecedens. Quia non valet dicere relatiuum, vt relatiuum eſt ad ſe. Ergo neque etiam valet dicere, Pater eſt ad ſe. Filius eſt ad ſe. Patet iſta conſequentia; quia Pater, & Filius ſunt relatiua: ſed ſi Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus exiſterent exiſtentia dumtaxat abſoluta, valeret dicere, quòd Pater eſt ad ſe, Filius eſt ad ſe, & Spiritus ſanctus eſt ad ſe; eò quia exiſtentia eſſet abſoluta. Quod enim eſt abſolutum, eſt ad ſe.

68 Reſpondetur, concedendo antecedẽs, & negando conſequentiam; & ratio negationis eſt; quia quando dico, Pater eſt ad ſe, eſt ſenſus formalis, & facit hunc ſenſum, Pater, qua Pater, nõ eſt ad aliud, ſed ad ſe, quod eſt falſum; Quando verò dico, quòd Pater exiſtit exiſtentia abſoluta, non eſt ſenſus, quòd Pater qua Pater, non eſt ad Filium, ſed dico quòd Pater, qui ſecundùm formalitatem Patris eſt ad Filium, quò ad exiſtentiam, nõ eſt relatiuè oppoſitus Filio, ſed potiùs eſt idem cum Filio. Et ſenſus eſt, quòd Pater, & Filius, qui ratione Paternitatis, & Filiationis relatiuè opponſitur, ac proinde realiter diſtinguuntur, ratione actualitatis in rerum natura, ſeù ratione exiſtentię non opponuntur, & per conſequens non diſtinguuntur.

69 Obijciet quintò. In diuinis ſunt tres entitates relatiuę, & ſimiliter tres res relatiuę. Ergo ſunt etiam tres exiſtentiæ relatiuę. Antecedens ſupponitur. Probatur verò conſequentia à paritate.

Reſpõſio huius argumẽti ex dicendis infra patebit.

DISPV-

DISPVTATIO CLXIX.

VTRVM TRES DIVINÆ PERSONÆ POSSINT DICI tres res.

Per vnicum caput diſtributa.

CAPVT VNICVM.

Determinatio veritatis.

1 QVIA præſens controuerſia facilis decisionis eſt, & explicatis terminis, nullam difficultatem habet, ideo relictis diuerſis aliorum dicendi modis, pro determinatione veritatis, dico breuiter. Tres perſonæ diuinæ poſſunt dici tres res. Et pro Nouitijs, atque ad fugiendas hæreticorum latebras, tutior erit concluſio ſi ſic proponatur; Tres perſonæ diuinæ ſunt tres res relatiuæ.

2 Explicatur autem iſta concluſio. Hoc nomen, res, ſi accipiatur pro eſſentia, aut pro exiſtentia, ſic non valet dicere, quòd tres perſonæ diuinæ ſunt tres res, vt diſputatione ſequenti videbimus; & in hoc ſenſu non intelligitur aſſignata concluſio. Attamen, ſi hoc nomen, res, accipiatur magis tranſcendentaliter, quatenùs, ſcilicet, non ſolùm ſe extendit ad eſſentias, & exiſtentias ſignificandas, ſed etiam, quatenùs ambit vltra eſſentias, & exiſtentias, omnes omnium, qui à nihilo diſtinguuntur, modos, ac formalitates ambit; ſic valet dicere, quòd tres perſonæ diuinæ ſunt tres res.

3 S. Anſel. Probatur primò authoritatibus; Quia ſic loquitur S. Anſelmus, lib. de Incarnat. Verbi cap. 3. vbi ſic ait. *Omnes Chriſtianos ſentire perſonas diuinas ſecundùm propria, & perſonalia eſſe tres res, ſed ſecundū eſſentiā eſſe vnā rē abſque ſeparatione aliqua, vel diuiſione.*

4 D. Thom. Sic quoquè docet D. Thomas pluriès, præſertim 4. contra gent. cap. 14. §. *Similiter*, vbi ſic ait. *Huiſmodi autem relationes non ſunt accidentia in Deo, ſed res ſubſiſtētes.* Ecce quomodo loquitur in numero plurali. Et ibidem ſic immediatè ſubdit. *Deo enim nihil accidere poteſt. Sunt igitur plures res ſubſiſtentes, ſi relationes conſiderentur; eſt autem vna res ſubſiſtens, ſi conſideretur eſſentia.* Et in hac 1. p. q. 39. art. 3. ad 3. vbi ſic ait. *Hoc nomen res, eſt de tranſcendētibus. Vnde ſecundùm quòd pertinet ad relationem, pluraliter prædicatur in diuinis; ſecūdùm verò quòd pertinet ad ſubſtantiam, ſingulariter prædicatur.* Videndus eſt D. Thomas in 1. diſt. 25. q. 1. ar. 4.

5 Probatur ſecundò ratione. Valet dicere, quòd in Deo ſunt tres perſonæ diuinæ, ſunt tres relationes perſonales. Ergo valet dicere quòd ſunt tres res, & magis propriè valet ſi dicatur, quòd ſunt tres res relatiuæ. Antecedens eſt certum ex fide; Probatur conſequentia; quia quælibet perſona prout eſt ab alia realiter diſtincta, eſt aliqua realitas à parte rei. Ergo eſt res: ſed ſunt tres perſonæ. Ergo ſunt tres res. In ſumma dicimus, quòd ſicut perſonæ diuinę dicuntur tres in ratione perſonali, ita dicuntur tres res.

6 Ex quo ſoluitur, quod poſſet obijci argumentum, ſcilicet; res ſolet ſignificare quidditatem alicuius: ſed non valet dicere in diuinis ſunt tres quidditates. Ergo neque valet dicere, ſunt tres res.

7 Reſpondetur enim, quòd ſi res accipiatur, quatenùs ſignificat eſſentiam; vtiquè negandum eſt tres perſonas diuinas eſſe tres res. Si verò accipiatur quatenùs ſe extendit ad ſignificandum, nedùm eſſentias, & exiſtentias rerum, ſed etiam omnes formalitates, ac modos, ſic poſſunt dici tres perſonæ diuinę, tres res, ſicuti ſunt tres realitates relatiuę. Et in hoc ſenſu accepit rem Concilium Lateranenſe cap. 2. loquens contra errorem Abbatis Ioachim dum ait, Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum eſſe vnam ſummā rem cum Petro Lombardo, his verbis loquens. *Nos autem Sacro, & vniuerſali Concilio approbante, credimus, & confitemur cum Petro, quòd vna quadam res eſt incomprehenſibilis quidem, & inæſtimabilis, quæ* Lateran. Abb. Ioa.

veraciter

veraciter eſt Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus: Tres ſimul perſonæ, ac ſingulatim qualibet earumdem; & ideo in Deo Trinitas eſt ſolummodo, non quaternitas; quia qualibet triũ perſonarum eſt illa res, videlicet, ſubſtantia, eſſentia, ſiuè natura diuina &c.

8 Ecce igitur quomodo, quando Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus dicuntur vna res, accipitur res pro eſſentia. Vnde nos, vt completè loquamur, debemus dicere, quòd Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus ſunt tres res relatiuæ, & vna res abſoluta. Aliter tamen, & aliter accipiendo rem, cum dicimus tres rès; & aliter cum dicimus, quòd ſunt vna res. Sicuti Ioannes in ſua canonica epiſtola 1. cap. 5. dicit. *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in cœlo, Pater, & Verbum, & Spiritus ſanctus.* Aliter enim Pater, & Verbum, & Spiritus ſanctus dicuntur tres; & aliter vnũ. Sunt tres perſonæ, ſunt verò vnum in eſſentia, ideſt, vna eſſentia. Sed hæc relatio magis diſputatione ſequenti declarabitur.

DISPVTATIO CLXX.

VTRVM TRES DIVINÆ PERSONÆ poſsint dici tria entia, tres eſſentiæ, tres veritates, tres vnitates, & tres infinitates.

Per vnicum caput expedita.

CAPVT VNICVM.

Determinatio veritatis.

1 QVAMVIS reſpectu ſupradictorum non omnes Theologi vno ore loquantur, nihilominùs tamen præſens diſputatio breuitatis gratia eſt ſub cõpendio tractanda; Vnde,

2 Pro determinatione veritatis, Dico primò; Si nomine entis intelligatur eſſentia, aut exiſtentia, non valet dicere, quòd tres perſonæ diuinæ ſunt tria entia ſubſtantiuè.

3 Probatur primò authoritatibus. Sic enim docet Concilium Lateranenſe ſub Innocentio III. cap. 2. ait enim, *Patrem totam ſuam entitatem dediſſe Filio.* (Lateran. Innoc. 3.)

4 Sic expreſsè docet D. Thomas in 1. diſt. 25. q. 1. art. 4. vbi ſic ait. *Nomen entis ſumitur ab eſſe rei; Et ideo cum vnum & idem ſit eſſe trium perſonarum, ſi ens ſumatur ſubſtantiuè, non poteſt pluraliter prædicari de tribus perſonis, quia forma à qua imponitur, ſcilicet, eſſe, non multiplicatur in eis. Si autem ſumatur participialiter, & adiectiuè, ſic pluraliter prædicari poteſt, quia huiuſmodi recipiũt numerum à ſuppoſitis, & non à forma ſignificata.* Idem docet ibidem in reſp. ad 1. vbi ſic ait; *Nomen entis nullo modo ſumitur ab aliqua relatione, ſed ab eſſe, quod abſolutũ eſt ſimpliciter in diuinis. Et ideo non prædicatur pluraliter ex forma ſua, ſed ex ſuppoſito, pro vt eſt adiectiuum, vel participium. Sed nomen rei imponitur à quidditate, vel forma, quæ poteſt eſſe, & abſoluta, & relata: & ideo poteſt pluraliter prædicari.* (D. Thom.)

5 Probatur ſecundò ratione; Quia in Deo non datur niſi vna natura diuina, & vna exiſtentia diuina. Ergo ſi ſumatur ens hoc modo, non valet dicere in Deo dantur tria entia ſubſtantiuè.

6 Dico ſecundò. Non valet dicere abſolutè,

abſolutè, quòd in Deo ſunt tres quidditates relatiuæ; valet tamen quodammodo & impropriè ſic dicere.

Explicatur iſta concluſio. Si propriè vocabulis vti velimus, nomine quidditatis idem omninò intelligitur, ac eſſentia, & natura rei, quæ eſt omnium proprietatum radix prima; & quia non datur in Deo, niſi vna eſſentia, iuxta hanc acceptionem, ideo ſicuti non valet dicere, quòd in Deo ſunt plures eſſentiæ, aut plures naturæ, ita neque valet dicere, quòd in Deo ſunt plures quidditates. Verùm, nomine quidditatis aliquando intelligimus (licèt impropriè) formalitatem intrinſecam alicuius. Et in hoc ſenſu relatio perſonalis in diuinis, eſt intrinſeca perſonæ cuius eſt relatio, & per conſequens, ſicut dantur tres relationes perſonales, ita quoquè poteſt dici quodammodo, & impropriè, quòd in diuinis dantur tres quidditates relatiuæ.

7 Hoc dictum eſt D. Thomæ in 1. diſt. 25. q. 1. art. 4. ad 2. vbi ſic ait. *Si autem per quidditatem intelligitur, non ſolùm natura abſoluta, ſed ratio, vel intentio cuiuſcumquè, vel ſubſtantiæ, vel accidentis, vel relationis, ſic in diuinis quamuis ſit vna quidditas abſoluta, tamen ſunt plures rationes relationum realium; & ita* (nota) *plures quidditates quodammodo. Quamuis hoc* (nota) *non poſſit propriè concedi, quia quidditas, & eſſentia, & diffinitio eſt ſimpliciter tantùm ſubſtantiarum, vt probat Phyloſophus 7. metaph.* Hæc ille. Ex quibus vnuſquiſquè pro concluſione poteſt formare rationem. D.Thom.

8 Dico tertiò. Nõ valet abſolutè dicere, in Deo ſunt tres eſſentiæ relatiuæ, etiã ſi nomine eſſentiæ intelligatur quidditas, ſeù intrinſeca alicuius ratio.

9 Probatur; quia in materia tàm graui non ſolùm attendenda eſt bona, ac ſana loquentis intentio; verumetiam, ipſarum vocum prolatio. Quandoquidem, ex verbis inordinatè prolatis incurritur hæreſis; & quia ſunt nonnulli hæretici negantes tres diuinas perſonas eſſe vnius, & eiuſdem eſſentiæ; ideo non debemus ſimpliciter dicere, in diuinis dari tres eſſentias relatiuas; & quidem, ſi non ex falſa propoſitione, adminùs ex voce ſcandaloſa. Hæc enim locutio, In diuinis ſunt tres eſſentiæ relatiuæ. Scandalum parere poteſt. Et ſi non rectè intelligentibus, ſcientibuſquè mentem ſanam eſſe loquentis, ad minùs incipientibus.

10 Dico quartò. Si nomine entis, intelligatur qualiſcumquè poſitiua realitas, valet dicere, quòd in diuinis dantur tria entia ſubſtantiuè, ſed relatiua.

Patet; quia valet dicere, quòd tres perſonæ diuinæ ſunt tres realitates poſitiuæ. Ergo valet dicere, quòd ſunt tria entia, accipiendo ens modo iam explicato.

11 Dico quintò. Valet dicere; Tres diuinæ perſonæ ſunt tres veritates relatiuæ, quatenùs veritas conſequitur entitatem communiſſimè acceptam.

Probatur. Valet dicere; Tres perſonæ diuinæ ſunt tres entitates relatiuæ. Ergo valet quoquè dicere, quòd ſunt tres veritates relatiuæ. Patet conſequentia; quia, veritas eſt paſſio entis, & cuiuſcumquè entitatis. Ergo eo modo, quo tres perſonæ diuinæ ſunt tres entitates relatiuę, ſunt etiam tres veritater relatiuæ.

12 Hinc collige, quòd quando Diuus Thomas non ſemel atque iterum, ſed pluriès docet, veritatem in diuinis accipi eſſentialiter, & eſſe vnam, vt refert Herrera, quæſt. 30. art. 1. §. *Nihilominus tamen*, & deinceps, loquitur de veritate, pro vt eſt paſſio entis, quatenùs ens accipitur pro eſſentia, aut pro exiſtentia, non autem de veritatè quatenus conſequitur entitatem, pro vt etiam dicit aliquam poſitiuam realitatem, quæ neque ſit formaliter eſſentia, nequè formaliter exiſtentia. Herrera.

13 Dico ſextò. Valet dicerè, Tres perſonæ diuinæ ſunt tres vnitates relatiuæ.

Patet etiam hoc dictum; quia valet dicere, quòd in diuinis ſunt tres perſonæ relatiuæ. Ergo valet etiam dicere, quòd ſunt tres vnitates relatiuæ; patet conſequentia; quia quælibet perſona habet propriam perſonalem vnitatem realiter ab alia diſtinctam. Ergo.

14 Debemus etiam cautè, & adæquatè loqui, videlicet, quòd dum tres vnitates relatiuas exprimimus, non taceamus in eſſentia vnitatem. Sic enim tres vnitates confitemur, vt vnitati eſſentiali nullatenùs præiudicium inferamus. Vnde D. Bernardus lib. 5. de conſideratione paulò ante medium ſic ait. *Cum ſint tres perſonæ, quis numerum neget? Nam verè tres ſunt. Quis numerat tamen? Nam verè vnum ſunt*; & paucis interiectis, ſic nos in loquendo cautos facit; *Dicamus itaquè*, inquit, *tres, ſed non ad præiudicium vnitatis. Dicamus vnum, ſed non ad confuſionem Trinitatis.* Cum igitur dicimus, quòd valet dicere ſic, tres perſonæ diuinæ ſunt tres vnitates relatiuæ, debemus ſubdere, vel ad minùs omninò ſubintelligere ſic, & vna vnitas abſoluta, & eſſentialis. D.Bern.

Dico

Digitized by Google

15 Dico ſeptimò. Si relatio perſonalis in diuinis, ſeù perſonalitas, quatenùs ratione ab eſſentia diſtinguitur, dicat perfectionem, dicendum eſt, quòd tres perſonæ diuinæ ſunt tres infinitates relatiuæ.

16 Pater Gabriel Vaſquez diſp. 122. cap. 6. quem defendit Ruiz, diſp. 30. concedens relationes perſonales in diuinis ſecundùm proprias ipſarum rationes dicere perfectionem, pro vt ſcilicet, ſunt ab eſſentia diuina aliqua ratione diſtinctæ, negat eſſe dicendas tres infinitates, ſed vnam.

Vaſquez. Ruiz.

17 Verũ hæc imaginatio Vaſquez cõmuniter à Doctoribus impugnatur, & re vera eſt inintelligibilis, & ab omnibus efficaciter impugnat. primò. Quę cõueniũt perſonis diuinis, ſeù relationibus, ſecũdũ propriam rationem perſonalem, & relatiuam, quatenùs, ſcilicet, vna perſona realiter ab alia diſtinguitur, & ab eſſentia diſtinguuntur perſonę, aliqua ratione debent multiplicari, quemadmodum relationes, ſeù perſonæ ipſæ multiplicantur: ſed per Patrem Vaſquez relatio diuina dicit perfectionem, ſecũdùm quòd vna perſona realiter eſt ab alia diſtincta. Ergo quot ſunt perfectiones relatiuæ, tot ſunt relatiuæ infinitates. Idem enim eſt dicere tres perfectiones relatiuas, ac tres infinitates relatiuas. Nam infinitas dicit quantitatem molis, aut virtutis, ſeù perfectionis; & in diuinis cum nulla ſit quantitas molis, ſequitur, quòd cum auditur infinitas, perfectio infinita intelligitur. Maior mihi eſt euidens. Duo enim prædicatorum genera in Deo reperiuntur; relatiua ſcilicet, & abſoluta. Relatiua conueniunt perſonis, ſecundùm propriam vniuſcuiuſquè rationem, quatenùs ſcilicet, vna perſona realiter eſt ab alia diſtincta. Abſoluta verò conueniunt eſſentiæ diuinæ, vt eſſentia eſt, aut ratione eſſentiæ, ſicuti sũt attributa, ac per conſequens, conueniũt perſonis, non pro vt ad inuicem realiter diſtinguuntur, ſed potiùs quatenùs ad inuicem identificantur. Hoc eſt valdè clarũ, ſed adhuc inductiuè probatur. Pater, & Filius, & Spiritus ſãctus habẽt duo prædicata .ſ. eſſe Creatorẽ & eſſe pſonã. Primum eſt commune Patri, Filio, & Spirituiſancto; eo quia eſſe Creatorem non conuenit Patri, ſecundùm quod à Filio diſtinguitur, ſed ſecundum quod in virtute creatiua cum Filio identificatur; & per conſequens Pater & Filius, & Spiritus ſanctus ſunt vnus Creator: at verò, quia eſſe perſonam Patris, conuenit Patri, pro vt realiter a Filio, & Spiritu ſancto diſtinguitur; & ſimiliter de cæteris perſonis diſcurrendo, idcircò non valet dicere Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus ſunt vna perſona. Ergo ſi relatio, ſeù perſonalitas diuina dicit perfectionem, non ſolùm qua eſſentia diuina eſt, ſed etiam qua relatio, ac perſonalitas eſt, euidenter ſequitur, quòd ſicuti ſunt tres perſonæ diuinæ, ita etiam dicendæ ſunt tres infinitates relatiuæ, ſeù perſonales.

18 Secundò. Perfectio, quam dicit relatio, vt relatio eſt, vel eſt abſoluta, & eſſentialis, vel relatiua. Si primum. Ergo relatio nõ dicit perfectionem, quatenùs vna perſona eſt ab alia diſtincta. Si ſecundum. Ergo multiplicatur. Patet cõſequentia; Quia ſola relatio multiplicat Trinitatem.

DISPVTATIO CLXXI.

VTRVM HOC NOMEN, PERSONA DIVINA, SIT quid commune vniuocum tribus diuinis perſonis.

In tria capita diſtributa.

CAPVT PRIMVM.

Doctorum opiniones referuntur.

Caet. Zumel. Nazarius. Suarez. Gonzal. Herrera. Zamorus.

1 QVIDAM affirmant, perſonam de tribus diuinis perſonis vniuocè prędicari. Ita Caietanus, q. 28. & 29. art. 4. Zumel, q. 30. ar. 4. Nazarius ibidem, controuer. vnica §. tertio circa finem & concl. 6. Suarez, lib. 1. de Trinit. cap. 3. num. 8. Gonzalez, q. 30. art. 4. concl. 1. Herrera, eodem loco, concl. 2. Zamorus, tract. 9. q. 1. art. 3. vbi quærit, *Num perſonæ nomen de creatis, & increatis perſonis vniuocè dicatur*, & ſic in principio art. ait; *ſupponimus in præſentiarum, perſonæ nomen in diuinis vniuocè dici de tribus perſonis*. Verùm iſte Doctor nomine vniuocæ conuenientiæ, non intelligit perfectam ab inferioribus præciſionem, quatenùs ab analogica conuenientia diſtinguitur. Nam poſtquam ibidem nu. 19. dixit, perſonam vniuocè dici de creata, & increata, ſi propria, & formalis perſonæ ratio dicit negationem actualem, & aptitudinalem communicationis, contendit ſententiam D. Thomæ, Bonauenturæ, Alexandri, & Alberti Magni nō eſſe ſuę poſitioni contrariam; eò quia vt ipſe ait, ijdem Doctores, licèt dicant nomen perſonæ de increatis, & creatis perſonis dictum non eſſe commune vniuocum, ſed analogum. *Illa*, inquit, *quam nos ſtatuimus, vniuocatio, analogicè haud quaquam repugnat, ſed eam ſecum compatitur*. Itaquè loquitur de vniuocatione, prout etiam ſecum analogiam patitur. Idem docet Arriaga diſp. 46. ſect. 4. ſubſect. 1.

Arriaga.

Molina. Ægidius.

2 Alij verò dicunt, hoc nomen, perſona diuina, analogicè de tribus diuinis perſonis dici. Ita refertur etiam Molina, ſupra q. 28. art. 4. Aegidius, diſt. 25. q. 2. qui tamen non loquitur de ratione perſonę diuinę, ſed de ratione pſonę in cōmuni. Ayoſſa de Trinit. diſp. 17. Arrubal diſp. 10. nu. 55. Zuniga, diſp. 5. dub. 5. Salmanticenſes tract. 6. dub. 5. Faſolus, quæſt. 30. ar. 4. num. 12.

Ayoſſa. Arrubal. Zuniga. Faſolus.

CAPVT SECVNDVM.

Determinatio veritatis.

3 PRO determinatione veritatis dico primò: Hoc nomen, perſona diuina, non dicitur purè æquiuocè de tribus diuinis perſonis.

Probatur; Quia, quod de pluribus ęquiuocè dicitur ſolam vocem communem habet, non autem rationem aliquam communem: ſed hoc nomen, perſona diuina, non habet ſolam vocem communē tribus perſonis diuinis, verumetiam dicit aliquam rationem communem eis, nomine perſonæ diuinæ ſignificatam. Ergo non eſt quid commune æquiuocū. Maior patet ex definitione æquiuocorum, & minor eſt D. Auguſtini lib. 7. de Trinit. cap. 4. & deinceps. Et lib. 5. cap. 9. circa finem. *Cum quæreretur*, inquit, *quid tres, reſponſum eſt, tres perſonæ, quia commune eſt eis id, quod eſt perſona*.

Arriaga.

4 Dico ſecundò. Hoc nomen, perſona diuina, non dicitur vniuocè de tribus perſonis diuinis, loquendo de vniuoca prædicatione ſecundùm rigoroſam eius acceptionem.

5 Probatur; quia in rigoroſa vniuoca prædicatione requiritur perfecta præciſio alicuius formalitatis cōtrahibilis per differentias ſpecificas, vel numericas ad

inferiora.

Digitized by Google

inferiora, de quibus vniuocè prædicatur: ſed perſona diuina non habet, nec habere poteſt hanc à tribus diuinis perſonis abſtractionem. Ergo. Maior ſupponitur ex logica. Aliàs eſſet de ſolo nomine diſputatio. Minor probatur primò; quia ſi daretur huiuſmodi perfecta præciſio, ſcilicet perſonæ diuinæ à perſonis in particulari daretur in Deo, ſeu in perſona diuina ſic abſtracta ratio potentialitatis. Hoc repugnat. Ergo. Probatur ſequela, quia eſſet determinabilis, ſeù contrahibilis. Ergo potentialis.

6 Probatur minor; quia ei quod eſt actus purus, vel cũ actu puro idẽtificatum, repugnat ratio potentialitatis: ſed ratio perſonæ diuinæ, ſi ex ſua ratione formali & explicita non dicit actum purum, tamen eſt cum actu puro identificata. Ergo. Secundo, quia ſequeretur, quòd eſſet compoſita ex genere, & differentia, & quòd eſſet ſub aliquo determinato genere: ſed Deo, omnibuſquè prędicatis eius repugnat compoſitio ex genere, & differentia, ac eſſe ſub aliquo genere logico. Ergo. Sequela patet. Probatur minor ex D. Thoma ſupra q. 3. art. 5. Et inſuper patet. Quia compoſitio repugnat ſimplicitati: ſed Deus eſt ſimpliciſſimus actus. Ergo quælibet compoſitio illi repugnat. Item, ſi daretur aliqua cõpoſitio metaphiſica in Deo peto, vel ea eſſet ex actu, & actu, vel ex actu, & potentia: neutra poteſt affirmari in Deo. Ergo. Maior patet. Probatur minor; & quidem, quòd nõ poſſit aſſignari prima, patet; quia ex actu, & ex actu non fit vnum per ſe, ſed per accidens. Ergo non prima. Neque poteſt dici ſecunda; quia vt dicebamus, Deus eſt omnibus modis actus purus, non ſolùm ſecundũ rem, ſed etiam ſecundùm quod intellectui obijcitur. Ergo nullo modo eſt potentialis. Ergo non poteſt aſſignari in Deo duarum formalitatũ compoſitio, quarum vna in eſſe obiectiuo ſit potentialis, & altera actualis.

D. Thom.

7 Dico tertiò. Hoc nomen, perſona diuina, non eſt quid commune omnibus perſonis diuinis ſecundùm communitatem analogiæ attributionis.

Patet; quia omnes tres perſonæ diuinæ æquè perfectè dicuntur eſſe perſonæ, ita vt vna non dicatur perſona per attributionem ad alteram. Ergo non dicitur quid commune hoc nomen, perſona diuina, ſecũdùm analogiam attributionis. Antecedens patet; & conſequentia eſt quoquè euidens ex ijs, quæ dicuntur in logica, & in tractatu de nominum analogia.

8 Dico quartò. Hoc nomen, perſona diuina, neque etiam dicitur analogicè de tribus diuinis perſonis ſecundùm analogiam proportionis, loquendo de hac analogia in toto rigore.

9 Probatur; quia æquè perfectè dicitur perſona diuina Pater, ſicut Filius, & Spiritus ſanctus, & è contra. Ergo non eſt propriè, ſeù de toto rigore, quid commune analogum analogia proportionis. Antecedens patet, & à nullo negatur. Probatur conſequentia; quia quod prędicatur analogicè de pluribus ſecundùm analogiam proportionis, ita ſe habet, quod in vno analogatorum magis perfectè ſaluatur, quam in alio, licet data proportione ſaluetur æqualitas: ſed hoc nomen, perſona diuina, non ſolùm æquè perfectè dicitur de vna perſona, ſed de omnibus non ſolùm proportione ſeruata, verumetiam ſimpliciter loquendo. Ergo. Maior patet. Nam cum dico, ſubſtantia eſt ens, accidens eſt ens, ad formandam communitatem ſecũdùm analogiã proportionis, ſufficit iſta proportio, ſcilicet, vt valeat dicere, ſicut ſubſtãtia eſt ens ſubſtantiale, ſeù ſubſiſtens, ita accidens in linea ſua eſt ens accidentale, ſeù in alio non tamen valet dicere quod ens æquè perfectè dicitur de ſubſtantia, & de accidente; quoniam aliàs accederet ad vniuocationem, æqualis enim alicuius pręd cati conuenientia per ſe ad vniuocationem pertinet, & à nulla analogia exigitur. Minor verò eſt omnibus manifeſta.

10 Dico quintò. Hoc nomen, perſona diuina neque eſt de toto rigore commune vniuocum neque de toto rigore analogum analogia proportionis, ſed habet aliquid de ratione vniuoci, & aliquid de ratione analogi.

11 Explicatur iſta concluſio. Hoc nomẽ, perſona diuina, de vniuocatione habet æquè perfectam perſonæ diuinæ rationem; de analogia verò proportionis, habet præciſionem ſolummodo ex parte intellectus concipientis, non verò perfectam abſtractionem ex parte formalitatis obiectæ, quaſi id, quod intellectui noſtro obijcitur ſit conceptus perſonæ diuinæ omninò abſtractę à ratione huius, alterius, vel alterius perſonæ. Et ſic videtur mihi reſpondendum eſſe quæſtio, & ex iam dictis patet præſentis dicti probatio.

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT TERTIVM.

Proponuntur argumenta in contrarium, & ſoluuntur.

12 SED contra iſtam determinationē obijciet aliquis primò, preſertim contra ſecundum dictum, & propono motiua Patris Arriagæ. Nō reputatur abſurdum concedere in Deo metaphiſicam compoſitionem. Ergo ruit ſecundę concluſionis argumentum, ſimul & ipſa concluſio. Probat antecedens. Non reputatur abſurdum compoſitio virtualis in Deo, ergo non repugnabit ſimplicitati Dei compoſitio metaphiſica, quæ minor eſt, & ſolùm per intellectum.

Arriaga.

13 Confirmatur. *In Deo attributa, ratione noſtra diſtincta, ſiue dubio ratione noſtra, ſeù metaphyſicè (quod idem eſt) faciunt compoſitionem cum Deo*. Ergo.

14 Reſpondetur, negando antecedens. Ad cuius probationem explico antecedens. Non reputatur abſurdum, compoſitio virtualis in Deo, ſi nomine compoſitionis virtualis intelligat omnimodam Dei ſimplicitatem, dicentem ſimpliciter, & vnitim, totum id, quod formalis compoſitio dicit, concedo antecedens, & nego conſequentiam, ſicuti ſimpliciter nego huiuſmodi compoſitionē virtualem eſſe metaphiſica compoſitione minorem. Iſta enim eſt vera compoſitio ex actu, & potentia, illa verò compoſitio virtualis quam admittimus, eſt ipſa pura diuina ſimplicitas. Non reputatur abſurdum compoſitio virtualis, ſi nomine compoſitionis virtualis, intelligatur inter duas formalitates naturæ diuinæ diſtinctio talis, qualis ſufficiat ad fundandam inter eas compoſitionem, ita vt vna ſe habeat vt actualis, vt potētialis altera, nego antecedens.

15 Ad cōfirmationem nego ſimpliciter antecedens. Ego enim admitto inter diuina attributa diſtinctionem virtualē, & conſequenter diſtinctionem rationis ratiocinatæ, non tamen concedo inter ea compoſitionem rationis ratiocinatę. Vnde cum dicitur, Deus eſt volens, ſeù intellectus in Deo eſt voluntas, nulla eſt phyſica, metaphiſica, aut logica compoſitio, ſed ſolùm eſt propoſitio compoſita, & non datur ſubiectum formalitatis, ſed ſubiectum propoſitionis, ſicut dicēdum eſt de prædicato. Vnde cum dicitur, Deus eſt volēs, intellectus eſt realiter voluntas, ſenſus eſt, quòd Deus, qui ratione ratiocinata à voluntate diſtinguitur, realiter identificatur. Et ſimiliter cū dicitur, in Deo intellectus realiter eſt voluntas, ſēſus eſt, quòd intellectus qui eſt ratione ratiocinata à volūtate diſtinctus, eſt realiter cum ea identificatus. Hoc enim per ly, eſt, denotatur, vt docet D. Thomas ſupra q. 13. art. 12. & nos in commentario eiuſdem articuli expoſuimus.

D.Thom.

16 Obijciet ſecundò. *Siue ratio ſuperior ſit vniuoca, ſiuè analoga determinatur per rationem particularem, ſeù per differentiā. Ergo cū illa, efficiet compoſitionem metaphiſicam.*

17 Confirmatur. *In homine eſt etiam compoſitio ex ratione entis vt ſic, & ex talibus differentijs, licet ratio entis analoga dicatur communiter. Ratio eſt, quia hæc compoſitio ſolùm requirit rationem ſuperiorem, & inferiorem, nequè curat, an ſint vniuocæ, an analogæ, hoc enim illi eſt omninò per accidens: pertinet enim id præcisè ad maiorem, minoremuè conuenientiam.*

18 Reſpondetur, explicando, ſeù diſtinguendo antecedens. Siuè ratio ſuperior ſit vniuoca, ſiuè analoga determinatur per rationem particularem, ſeù per differentiam, diſpariter, concedo antecedēs. Pariter, nego antecedens. Similiter diſtinguendum eſt primum conſequens, & negando ſecundam conſequentiam.

19 Explicatur reſpōſio. Aliter determinatur ratio ſuperior vniuoca: & aliter analoga. Prima determinatur per rationem particularem, ſeù per differentiam ratione determinabilitatis, quæ eſt in formalitate ratione ſuæ intrinſecæ potentialitatis; Secunda verò, determinatur ratione potentialitatis intellectus concipientis; quia, ſcilicet, intellectus explicitè cōcipit vnam rem, ſeù formalitatem inadæquatè iuxta lineam eius, & rationem huius explicitæ, ſed inadæquatę conceptionis habetur ratio communitatis, quæ non eſſet, ſi conciperetur explicitè quātùm ad totum id, quod formalitas concepta in ſua linea dicit. Vnde prouenit, quòd determinatio non ſit ratione formalitatis conceptæ, ſed ratione potentialitatis intellectus concipientis. Ac proindę nō eſt compoſitio inter formalitates conceptas, ſed ex parte actus intellectus, non ratione rationis ratiocinatæ, ſed ratione rationis ratiocinātis, quæ propriè, ac metaphiſicè loquendo non poteſt compoſitio metaphiſica, quæ eſt cum fundamento in re nuncupari. Et per idem patet ad confirmationem.

20 Obijciet tertiò ex eodem. *Ratio relationis, & perſonalitatis, æquè propriè, & perfectè conuenit vni, ac alteri; & illa concipi poteſt ſub vno conceptu communi, V. G. relatio diuina, perſonalitas diuina, non concipiendo*

tunc

tunc differentias particulares, nõ minùs, quàm poteſt concipi animalitas non concepta rationalitate, & irrationalitate. Ergo illa ratio eſt quid vniuerſale, & commune illi vniuocè.

21 Reſpondetur, negando ſecundam antecedentis partem. Nam animalitas poteſt concipi non concepta rationalitate, & irrationalitate, non ſolùm propter potentialitatem, & imperfectionem intellectus noſtri concipientis, verumetiam, propter potentialitatem, ac determinabilitatem formalitatis animaleitatis, quę vt ſic abſtracta, ſe habet, vt quid actuabile per rationalitatem, & irrationalitatem: at verò ratio relationis, & perſonalitatis diuinæ, quando concipitur ſub conceptu communi, non concipiendo tunc differentias particulares, non prouenit ex intrinſeca formalitatis conceptæ determinabilitate, ac potentialitate, ſeù ex perfecta eius præciſione, ſed potiùs ex inadæquata intellectus conceptione, vt iam declaratum eſt; quare patet apertè diſparitas.

D.Thom. 22 Obijciet aliquis quartò authoritate D. Thomę, in 1. diſt. 25. q. 1. art. 3. vbi apertè docet hoc nomen, perſona diuina, ſeù relatio diuina, non analogicè, ſed vniuocè de tribus diuinis perſonis prędicari. Sic enim ait, aliorum referens opiniones. *Vnde alij dicunt, quòd eſt communitas ſecundùm rationem proportionis, ſicut dicimus, quòd ſicut ſe habet Rector in Ciuitate, ita nauta in naui. Et ſic dicunt, quòd perſona eſt communis Patri, & Filio: quia ſicut Pater ſe habet vt ſubſiſtens ad naturam diuinam, ita & Filius. Alij dicunt, quòd eſt communitas ſecundùm rationem intentionis; ſicut dicitur, quòd color; & animal conueniunt in intentione generis.* Et ſubdit ſic. *Sed hæc duo dicta in idem referuntur; quia communitas intentionum non eſt, niſi ſecundùm proportionem communis ad proprium, vel è contrario.* Et ſubdit; [& hoc etiam non videtur ſufficere; quia perſona non tantùm nominat intentionem, vel habitudinem alicuius ſubſiſtentis ad naturam communem, ſicut hoc nomen ſuppoſitum, vel particulare, vel aliquid huiuſmodi, ſed magis nominat illam rem, cui accidit talis intentio. Vnde communitas perſonę in diuinis non poteſt eſſe ſecundùm communitatem talis habitudinis, vel intentionis; ſed iſta communitas eſt, qua hoc nomen ſuppoſitum commune eſt tribus perſonis diuinis. Et ideo aliter dicendū eſt, quod pręter has communitates, quę aliquo modo includuntur in communitate perſonę, eſt ibi communitas rationis fundata in re, ſicut dicimus, quòd ratio animalis eſt communis homini, & aſino.] Ergo perſona diuina dicitur vniuocè &c.

23 Reſpondetur, cõcedendo totum ex D. Thoma poſitum, & negando conſequentiam. Duo enim ſunt, quę ex D. Thoma poſſent noſtrę aduerſari ſententię. Primum eſt, quia D. Thomas impugnat illorum opinionem, qui dicebãt, hoc nomẽ perſona diuina, analogicè de tribus perſonis diuinis prędicari. Secundum eſt, quia docet, & affirmat hoc nomen perſona diuina, eſſe quid commune tribus diuinis perſonis, ſicut ratio animalis eſt communis homini, & aſino. Vbi ratione primi habetur excluſio communitatis analogicę; ratione verò ſecundi affirmatur communitas vniuocationis; ideoquè dicendum eſſe ex mẽte D. Thomę, hoc nomen, perſona diuina, dici vniuocè de tribus diuinis perſonis, non verò analogicè ſecundùm rationem proportionis. Verùm ſi rectè D. Thomæ verba perpendantur, nec totaliter analogia proportionis à D. Thoma negatur, nequè totaliter vniuocatio affirmatur, quod conſtat ex eiuſdem D. Thomę verbis, dum ſic ait; *& ideo aliter dicendum eſt, quòd præter has communitates, quæ aliquo modo includuntur in communitate perſonæ eſt ibi communitas &c.* Vbi D. Thomas manifeſtè ſentit, quòd hoc nomen, perſona diuina, non eſt in toto rigore analogum, nequè in toto rigore vniuocum, ſed aliquid habet de ratione analoga, & aliquid de vniuoca. Habet quidem de analoga proportionem; habet de vniuoca ęqualitatem.

DISPV-

Digitized by Google

DISPVTATIO CLXXII.

VTRVM HOC NOMEN, PERSONA DIVINA, QVIDDITATIVE de tribus perſonis diuinis prædicetur; & poſsit dici verè, & propriè vniuerſale.

Per vnicum caput expedita.

CAPVT VNICVM.

Doctorum opiniones referuntur, & veritas ſtabilitur.

1 VASQVEZ diſp. 130. tenet, hoc nomen, perſona diuina, ſignificare quid commune relationibus, ſeu perſonis diuinis, nō quidditatiuè, ſed denominatiuè. Vaſquez.

2 Communior tamen Theologorum ſententia eſt, prædicari quidditatiuè, & ſi non propriè loquendo de quidditate, tamen largè, & communiter. Non oportet recenſere Doctores breuitatis gratia.

3 Hoc nomen, perſona diuina, eſſe verè, & propriè quid vniuerſale affirmat Arriaga, diſp. 46. ſect. 4. ſubſect. 1. præſertim nu. 26. vbi docet, quòd perſonæ diuinæ differunt ſpecie inter ſe, loquendo de ſpecie propriè dicta, non quidem prædicabili, ſed ſubijcibili; & quòd hoc nomen, perſona diuina, eſt verè, & propriè genus reſpectu trium perſonarum diuinarum. Verùm ſi attentiùs Arriaga legatur, nomine generis, vel ſpeciei non intelligit perfectam præciſionem ex parte formalitatis obiectæ, ſed ex parte intellectus dumtaxat concipientis. Sic enim ait. *Vnde perſonæ diuinæ abſolutè in ratione talium perſonarum propriè differunt ſpecie ſub genere perſonæ diuinæ vt ſic. Hanc negant nonnulli, qui neſcio, qua indecentia in voce iſta, genus, & ſpecies concipiunt; immeritò tamen: eſt enim tota ea conſtitutio per intellectum noſtrum concipientem confuſè eas perſonas, quatenùs inter ſe conueniunt, & poſtea diſtinctè, quatenùs differunt inter ſe.* Et ſic videtur dicere, quòd tota vniuocationis ratio ſit ex parte ſolius intellectus confuſè concipientis, & non ex parte formalitatis conceptæ. Vnde quando dicit, hoc nomen, perſona diuina, eſſe vniuocum, & abſtractum à tribus perſonis in particulari, poteſt eodem prorſus modo explicari, ac per cōſequens, in ſola voce à noſtra ſententia diſcordare. Nihilominùs vix explicari, aut intelligi poteſt, quòd hæc abſtractio, & conuenientia ſit ſolùm ratione ſolius intellectus abſtrahentis, & non etiam ratione formalitatis abſtractæ ex parte ſcilicet rei conceptæ. Nam ſecundùm Arriagam, perſonæ diuinæ in ratione perſonę diuinæ in communi conueniunt, quatenùs ſcilicet, confuſè concipiuntur; & diſtinguuntur, id eſt, ſecundum rationes particulares intelliguntur. Ergo conuenientia eſt in formalitate perſonæ in confuſo conceptæ. Ergo non eſt abſtractio, & vniuocatio penes intellectum præciſè, & in confuſo concipientem. Sed quidquid ſit de aliorum intentione.

Arriaga.

4 Pro determinatione veritatis Dico primo. Hoc nomen, perſona diuina, non prædicatur quidditatiuè de tribus diuinis perſonis, ſi propriè de quidditatiua prædicatione loquamur.

5 Probatur breuiter; Quia in diuinis nō datur niſi vna quidditas propriè; puta diuina eſſentia. Ergo hoc nomen, perſona diuina, non prædicatur propriè quidditatiuè de tribus diuinis perſonis. Patet conſequentia; quia in præſenti nomine perſonę diuinæ, intelligimus rationem relatiuam ratione ratiocinata, virtualiterquè ab eſſentia diuina diſtinctā. Patet antecedens; quia quidditas propriè loquendo, & eſſentia ſunt omninò vnum, & idem.

6 Dico ſecundò. Hoc nomen, perſona diuina, prædicatur quidditatiuè de omnibus tribus perſonis diuinis, & collectiuè, & diuiſiuè acceptis, ſi nomine quid-

ditatiuæ

Digitized by Google

ditatiuæ prædicationis intelligamus formalitatem rei intrinſecam.

7 Probatur; quia formalitas perſonæ diuinæ eſt intrinſeca Patri, Filio, & Spirituiſancto. Ergo quidditatiuè de eis prædicatur. Patet antecedens; quia ſic eſt prædicatum intrinſecum Patri ratio perſonæ, ſicuti eſt prædicatum intrinſecum habenti intellectum, eſſe intellectiuum, & habenti voluntatem, eſſe volitiuum: ſed eſſe intellectiuum, non denominatiuè, imò quidditatiuè de habente intellectum prædicatur. Ergo &c.

8 Confirmatur; quia cum dico, Pater eſt perſona diuina, dico aliquod prædicatũ verificari de eo, quod intrinſecè includit illud. Ergo hoc nomen, perſona diuina, quidditatiuè prædicatur de Patre.

9 Dico tertiò. Hoc nomen, perſona diuina, non poteſt propriè dici prædicatũ vniuerſale.

D.Thom. Hoc dictum eſt expreſſa ſententia D. Thomæ q. 30. ar. 4. in corp. & in reſp. ad 3.

10 Probatur tamen primò ratione; quia hoc nomẽ, perſona diuina, dicit aliquod veluti indiuiduum vagum; Ergo non eſt propriè quid vniuerſale. Antecedens eſt D. Thomæ; probatur conſequẽtia; quia vniuerſale quodcumquè illud ſit, vel prędicatur de ſpeciebus, vel de indiuiduis, ac proinde, ſemper eſt ſupra rationem indiuidui. Ergo perſona non poteſt habere rationem vniuerſalis.

11 Confirmatur; quia quodlibet vniuerſale eſt genus, ſpecies, differentia, proprium, aut accidens, nec aliquid aliud vltra huiuſmodi vniuerſale reperitur, vt patet ex logica: ſed hoc nomen perſona diuina, nullum iſtorum eſt. Ergo vniuerſale non eſt. Probatur minor; & quidem, quòd non ſit accidens patet; quòd non ſit proprium; etiam eſt clarũ; quia proprium in tantùm prædicatur de pluribus, in quantùm prædicatur de natura cui conuenit prædicari de pluribus. Riſibilitas enim prædicatur de Petro, quia prædicatur de homine, qui prędicatur de Petro. Non poteſt eſſe differentia, quia prædicatum differentiale diuidit genus, & conſtituit ſpeciem. Hoc autem nomẽ, perſona diuina, non eſt huiuſmodi. Nam quod eſt hoc genus, quod diuidit? Si quod enim eſſet, eſſet natura diuina: ſed hoc non eſt; hæreticum enim eſt dicere, quòd natura diuina per aliquod prædicatum differentiale diuidatur. Remanẽt ergo duo vniuerſalia dumtaxat, excludẽda, nẽpè genus, & ſpecies. Et hoc adhuc probatur. Et quidem, quòd nõ ſit genus probatur, quia genus dicit naturam quãdam in recta linea collocatã, quę per differentias eſſentialiter diuerſas diuiditur, & ad ſpecies, ſeù ſpecificas rationes determinatur, & contrahitur: ſed hoc nomen, perſona diuina, non dicit naturam, ſed veluti proprietatem naturæ diuinæ, ſeù vt alij Theologi dicunt, inter quos eſt ipſe Arriaga, eſt vltimum complementum naturæ diuinæ. Ergo nõ poteſt dici genus. Similiter nec poteſt dici ſpecies, nec prædicabilis, nec ſubijcibilis. Nõ ſubijcibilis, vt Arriaga putat; quia ſpecies ſubijcibilis eſt id, de quo eſſentia, ſeù natura generica prædicatur. Ergo cum perſona nõ dicat naturam communem multis, & in illis diuiſibilẽ, vt ſupra probatum eſt, non poteſt dici ſpecies ſubijcibilis. Neque eſt ſpecies vt prædicabilis; quia ſpecies vt prædicabilis nõ dicit proprietatem rei, ſed naturam ſeù eſſentiã, quæ per cõditiones indiuiduantes ad ſolo numero differentia deſcendit: ſed perſona diuina nõ eſt huiuſmodi, vt probatum eſt. Ergo. Arriaga.

12 Probatur ſecũdò; Omnis formalitas, quæ denominatur vniuerſalis & præſertim ea, quæ eſt generica, vel ſpecifica eſt potentialis: ſed ratio potentialitatis repugnat formalitati perſonæ diuinæ. Ergo repugnat quoquè ratio vniuerſalis. Maior patet ex ſupradictis; & minor eſt apud omnes vera.

13 Confirmatur. Si darentur tres exiſtẽtiæ relatiuæ in diuinis, ratio exiſtentię relatiuæ ſecundùm communitatem rationis non poſſet dici vniuerſalis propriè. Ergo nequè etiam ratio perſonæ diuinę, quæ eſt communis ſecundùm rationem omnibus diuinis perſonis, poteſt dici propriè vniuerſalis. Probatur antecedens; quia ratio exiſtentię relatiuę eſt ratio actualitatis, vt actualitas eſt. Ergo non eſt ratio determinabilis, & potentialis. Ergo nequè eſt propriè vniuerſalis. Antecedens patet; quia exiſtentia, vt exiſtentia, ſiuè ſit relatiua, ſiuè abſoluta eſt actus, ſeù actualitas. Prima conſequentia patet ex antecedenti; quia determinabilitas, & potentialitas directè opponitur actualitati, a qua omnis determinatio dependet. Secunda conſequentia patet ex prima; quia vniuerſale eſt quoddam totum potentiale. Vltima verò conſequentia patet ex ſecũda. Conſequẽtia ergo principalis probatur; Quia ſicuti repugnat exiſtentiæ relatiuæ in diuinis potentialitas, ita etiam perſonalitati, ſeù ſubſiſtentiæ relatiuæ repugnat ipſa ratio potẽtialitatis. Nam quamuis perſonalitas iuxta probabilem opinionem non dicat in diuinis actualitatem, cum nõ dicat perfectionem, nõ tamen dicit potentialitatẽ, cum non dicat imperfectionem; imò & ſi non dicat actualitatem, eſt cum pu-

Digitized by Google

ritate actus identificata. Ergo &c.

14 Probatur tertiò. Perſona creata non eſt genus, neque ſpecies propriè. Ergo neque perſona diuina ſecundū communē rationē accepta. Probatur antecedēs; quia perſona creata ſecūdùm rationem communē, accepta ſubijcitur in recta linea prædicamentali generi, & ſpeciei, generi ſcilicet, mediatè, ſpeciei verò immediatè. Ergo non eſt propriè genus, neq; ſpecies. Antecedens patet; quia perſona communiter accepta eſt indiuiduū naturę rationalis genericè, & ſpecificè conſideratæ. Ergo ſubijcitur in recta linea prędicamentali generi, & ſpeciei. Probatur verò conſequentia, quia quod ſubijcitur generi, & ſpeciei non eſt propriè genus, neque ſpecies: ſed perſona ſubijcitur generi, & ſpeciei. Ergo.

15 Probatur verò conſequētia principalis; quia ideo perſona creata etiam ſecūdū rationē communē cōſiderata, nō eſt propriè genus, neq; propriè ſpecies; quia eſt aliquod indiuiduū: ſed etiā perſona diuina eſt aliquod indiuiduū; cū de ratione perſonæ diuinæ ſit incommunicabiliter in diuina natura ſubſiſtere. Ergo.

16 Et ſi profūdiùs inter rationē perſonæ creatæ, & increatæ aliquod diſcrimē cōſiderare velimus, argumētū eſt a fortiori. Quandoquidē, perſona creata ſecūdū communē rationē cōſiderata, eſt reſpectu naturæ diuiſæ, & multiplicatæ ſecundū diuiſionē, & multiplicationē perſonarū; ideoquè habet, vt ſit aliquod cōmune diuiſibile, & contrahibile ad ſua inferiora ſecundū eſſe eſſentię & eſſe exiſtētiæ diſtincta: perſona verò diuina ſtrictiori modo dicitur communis tribus diuinis perſonis; eò quia ſolū ſecundū eſſe perſonale communitatē, ac diſtinctionē habet; nam ſecundū eſſe eſſentiæ, & exiſtentię nō dicit niſi vnā naturā diuinam cōmunē tribus diuinis perſonis, non quidē communitate rationis, ſed communitate rei. Quod adeo vniuerſalitatis rationi repugnat, vt D. Thomas ex hoc præciſo capite velit perſonā diuinam eſſe ab vniuerſalitatis ratione excludendam. Et merito quidē; quia vniuerſale prædicatur de pluribus differentibus nō ſolū ſecundū eſſe eſſentiæ, ſed etiā ſecundū eſſe exiſtentiæ. Nā naturaliter loquēdo, quęlibet eſſentia cōpleta petit exiſtentiā diſtinctā ab exiſtētia cōpleta alterius naturæ. Dico eſſentiā cōpletā; propter rationem ſubſtantiæ, quatenùs prædicatur de materia, & forma ſubſtātiali; Nā quāuis materia, & forma ſubſtantialis diſtinctas ad inuicē habeāt eſſētias, nō tamē diſtinctas habent exiſtentias; materia enim exiſtit, eo modo quo ei cōuenit exiſtētia, per exiſtētiā à forma ſibi communicatā. Dico naturaliter loquēdo, quia ſupernaturaliter fieri poteſt, vt duæ ſubſtantiales eſſentiæ cōpletæ exiſtāt per eamdē exiſtentiā, puta per exiſtentiā Dei. Etenim humana natura Chriſti Domini in ſentētia D. Thomæ nō ſolū ſubſiſtit ſubſiſtētia increata Verbi, ſed etiā exiſtit exiſtentia increata eiuſdem.

17 Sed contra iſtā determinationē obijciet aliquis primò cōtra ſecundū dictum ex Vaſquez diſp. 120. Perſona eſt veluti paſſio propria: paſſio autem non prędicatur in quid, ſed denominatiuè. Ergo perſona diuina nō prædicatur in quid de tribus diuinis pſonis, ſed denominatiuè. Vaſquez.

18 Reſpōdetur, diſtinguēdo maiorē. Perſona eſt veluti paſſio propria naturę cōcedo maiorem. Eſt veluti paſſio propria ſuppoſiti, ſeu huius, vel illius perſonę, nego maiorē. Similiter diſtinguēda eſt minor. Paſſio non prædicatur in quid de eo cuius eſt paſſio, cōcedo minorē. Paſſio nō prædicatur in quid de eo reſpectu cuius nō eſt paſſio, nego minorē. Ergo &c. nego conſequentiā. Sic enim eſt in caſu noſtro. Nam licet perſona diuina reſpectu eſſentiæ diuinæ ſe habeat veluti paſſio, ac proinde ſecundū noſtrū intelligēdi modū quaſi denominatiuè de eſſentia diuina prędicetur tamen reſpectu perſonarum in particulari nō ſe habet vt ipſarū paſſio, ſed potiùs vt intrinſecū earumdē prædicatū. Eſtquè exemplū. Riſibilitas enim eſt paſſio hominis, ideoquè denominatiuè de homine prędicatur, attamē, reſpectu riſibilitatū in particulari, nō eſt paſſio, ſed intrinſecè de illis verè prædicatur; In iſta enim propoſitione. Hæc riſibilitas eſt riſibilitas, riſibilitas in communi prædicatur vt quid intrinſecum de hac riſibilitate in particulari; atquè adeò in prędicta propoſitione, riſibilitas nō denominatiuè, ſed quidditatiuè de riſibilitate in particulari prædicatur.

19 Obijciet ſecūdò cōtra tertiū dictū ex Arriaga. Perſona diuina prædicatur de pluribus differētibus ſpecie. Ergo eſt genus propriè. Cōſequētia eſt euidēs; quia genus dicitur id, quod prędicatur de pluribus differētibus ſpecie in quid. Probatur autē antecedēs; quia prędicatur de tribus perſonis diuinis, quę differunt ſpecie. Ergo. Probatur antecedens; quia *perſona Patris eſt eſſentialiter perſona improducta, & perſona Filij eſt eſſentialiter producta à Patre, & Spiritus ſanctus eſſētialiter ab vtroquē.* Ergo *omnes differunt eſſentialiter inter ſe. Conſequentia eſt euidens;* quia *eſſe eſſentialiter improductū, prædicatū eſt pluſquā numero diuerſū ab eſſe producto eſſentialiter, & eſſe ab vno eſſentialiter, differētia eſt maior quā numerica, ab eſſe à duobus.* Arriaga.

Reſpon-

20 Reſpondetur primò, diſtinguẽdo antecedens. Perſona diuina prædicatur de pluribus, tanquàm aliquid incommunicabiliter ſubſiſtens, concedo antecedẽs. Prædicatur de pluribus, nõ tanquàm aliquid incommunicabiliter ſubſiſtens, nego antecedens. Ergo &c. nego conſequentiam. Et ratio negationis eſt; quia genus prædicatur de pluribus ſicut natura communis, non vt aliquid incommunicabiliter ſubſiſtens.

21 Reſpondetur ſecundò, diſtinguendo antecedens. Perſona diuina prædicatur de pluribus, vt aliqua natura non perfectè præciſa ab inferioribus, concedo antecedens. Vt perfectè præciſa ab inferioribus, nego antecedens. Ergo &c. nego conſequentiam. Et ratio negationis eſt; quia genus prædicatur de pluribus ſicut natura ab inferioribus, ſcilicet à ſpeciebus, tanquàm aliquid ab eis perfectè præciſum.

22 Reſpondetur tertiò, diſtinguendo antecedens quo ad vltimam eius particulam. Perſona diuina prędicatur de pluribus differentibus ſpecie impropriè, cõcedo antecedens. Propriè, nego antecedens. Ergo &c. nego conſequentiã. Vel diſtinguo conſequens. Ergo eſt genus impropriè, tranſeat conſequentia. Propriè, nego conſequentiam. Etenim perſonę diuinę neque propriè differunt ſpecie; neque propriè differunt numero. Illa enim dicuntur differre numero, quę ſub natura ſpecifica, quę eſt vna ſecundùm rationem ſpecificam, multiplicantur ſecundùm rationem indiuidualem, taliter, quod ipſamet natura ſpecifica in ipſis, numero quoquè multiplicari dicitur. Quod in perſonis diuinis non contingere patet; namquè perſonę diuinę ſic ad inuicem diſtinguuntur, vt quid incommunicabiliter ſubſiſtens, vt natura diuina nullatenùs in ipſis multiplicari dicatur. Neque differunt ſpeciè propriè loquendo; quia vt ſupra probauimus, nulla perſona diuina eſt propriè ſpecies, neque ſubijcibilis, neque prędicabilis.

23 Ad probationem igitur antecedentis, nego antecedens. Ad cuius probationem diſtinguo antecedens. Perſona Patris eſt eſſentialiter improducta, ſi ly, *eſſentialiter*; accipiatur aliqualiter, & impropriè, tranſeat antecedens. Si ly, *eſſentialiter*, accipiatur ſimpliciter & propriè; nego antecedens. Accipitur autem ly *eſſentialiter*, ſimpliciter, & propriè, quando idem ſonat, ac ratione eſſentiali, ſeu ratione eſſentiæ. Tunc verò accipitur impropriè, quando idem ſonat, ac de intrinſeca ratione perſonali. Perſona ergo diuina Patris non dicitur eſſentialiter improducta primo modo, quia ſenſus eſſet quòd perſona Patris ratione eſſentię diuinę habet, quod ſit improducta, quod eſt omninò talium bene tamen ſecũdo modo, quia hunc ſenſum facit, nimirum, perſona Patris ex intrinſeca ratione perſonali Patris petit vt ſit improducta. Et in hoc ſenſu, etiam quę ſolo numero differunt, eſſentialiter poſſunt dici differre, quia vnum indiuiduum ex eius intrinſeca indiuiduali ratione habet, vt ſit tale & ab alio differat.

24 Itaquè perſonę diuinæ aliquid habent de differentia numerica, & aliquid de differentia ſpecifica. Ita quòd nec totum, quod ad differentiam numericam, nec totum, quod ad differentiam ſpecificam pertinet, habent. Id quod de differentia numerica includunt, eſt hoc; quia ſcilicet, vna perſona diuina differt ab alia, vt vnum incommunicabiliter ſubſiſtens ad eamdem omninò naturam ſpectans, ab alio incommunicabiliter etiam ſubſiſtẽte, & ad eamdem naturam pertinente: Attamen habent aliquid de differentia ſpecifica; quia ratio generantis, & ratio geniti, & ratio ſpiratoris, & ratio procedentis ſunt rationes pluſquàm numero diſtinctæ, cum non ſint eiuſdem rationis. Quòd verò neque ſint propriè ſpecificè differentes, neque propriè numericè, ex dictis iam manifeſtè conſtat.

Digitized by Google

QVÆSTIO XXXI.

DE HIS, QVÆ AD VNITATEM, VEL PLVRALITATEM PERTINENT IN DIVINIS.

IN QVATVOR ARTICVLOS DIVISA.

POST hæc conſiderandum eſt de his, quæ ad vnitatem, vel pluralitatem pertinent in diuinis.

Et circa hoc quęruntur quatuor.

¶ Primò, de ipſo nomine Trinitatis.

¶ Secundò, vtrum poſſit dici Filius eſt alius à Patre.

¶ Tertiò, vtrum dictio excluſiua, quæ videtur alietatem excludere, poſſit adiungi nomini eſſentiali in diuinis.

¶ Quartò, vtrum poſſit adiungi termino perſonali.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum ſit Trinitas in diuinis.

AD primum ſic proceditur, videtur quod non ſit Trinitas in diuinis: omne enim nomen in diuinis, vel ſignificat ſubſtantiam, vel relationem: ſed hoc nomen, Trinitas, non ſignificat ſubſtantiam: prædicaretur enim de ſingulis perſonis, neque ſignificat relationem, quia non dicitur ſecundum nomen ad aliud: ergo nomine Trinitatis non eſt vtendum in diuinis.

2 *Præterea. Hoc nomen Trinitas, videtur eſſe nomen collectiuum, cum ſignificet multitudinem. Tale autem nomen non conuenit in diuinis, cum vnitas importata per nomen collectiuum, ſit minima vnitas. In diuinis autem eſt maxima vnitas: ergo hoc nomen Trinitas, non conuenit in diuinis.*

3 *Præterea. Omne trinum eſt triplex, ſed in Deo non eſt triplicitas, cum triplicitas ſit ſpecies inæqualitatis: ergo nec Trinitas.*

4 *Præterea. Quicquid eſt in Deo, eſt in vnitate eſſentiæ diuinæ, quia Deus eſt ſua eſſentia. Si igitur Trinitas eſt in Deo, erit in vnitate eſſentiæ diuinæ, & ſic in Deo erunt tres eſſentiales vnitates, quod eſt hæreticum.*

5 *Præterea. In omnibus, quæ dicuntur de Deo, concretum prædicatur de abſtracto. Deitas enim eſt Deus, & Paternitas eſt Pater; ſed Trinitas non poteſt dici trina, quia ſic eſſent nouē res in diuinis, quod*

FORMATIO ARTICVLI.

COrporis diſtributio in vnica concluſione affirmatiua, vnicaquè eiuſdem probatione conſiſtit.

Concluſio eſt iſta. *Sicut ponitur pluralitas perſonarum in diuinis, ita vtendum eſt nomine Trinitatis.*

Probatio eſt iſta. *Nomen Trinitatis in diuinis ſignificat determinatum numerum perſonarum.* Ergo *ſicut &c.* Antecedens patet, probat verò conſequentiam; quia *hoc idē, quod ſignificat pluralitas indeterminatè, ſignificat hoc nomen Trinitas determinatè.*

Ad primum argumentum reſpondens duo facit; Primò explicat ſignificatum huius nominis, Trinitas; Secundò ſatisfacit argumē. Quò ad horum primū, ſic ait. *Hoc nomen, Trinitas, ſecundùm etymologiam &c.* lege litteram, vſq; ad illa verba, *tres perſonæ*, incluſiuè. Quò ad horum ſecundum, reſpondet ad argumētum, & reſponſio ſic in forma proponitur. *Omne nomen in diuinis, vel ſignificat ſubſtantiam, vel relationē*, ſuppoſito quòd nomine relationis nō intelligatur relatio vt hypoſtaſis, aut vt ſubſiſtens, ſed tantūmodo provt dicit ad, negando maiorem. Et rationem negationis aſſignat; quia

Digitized by Google

hoc nomen Trinitas, non ſignificat ipſas relationes perſonarum, ſed magis numerum perſonarũ ad inuicẽ relatarũ &c.

Secũdò, poteſt ſic in forma reſponderi, diſtinguendo, ſeù potiùs explicando maiorem. *Omne enim nomen in diuinis, vel ſignificat ſubſtantiam, vel relationem,* aut *numerum perſonarum relatarum*, ſeù, aut numerum relationum vt ſubſiſtẽtium, concedit maiorem. Et nullum nomen ſignificat *numerum perſonarum relatarum &c.* negat maiorem. Similiter diſtinguẽda eſt minor, & neganda eſt conſequentia.

Ad ſecundum argumentum reſpondet, diſtinguendo, ſeù explicando maiorẽ. *Hoc nomen, Trinitas, videtur eſſe collectiuum*, idеſt, *conuenit cum nominibus collectiuis, quãtùm ad vnum*, ſcilicet *pluralitatem ſuppoſitorum*, concedit maiorem. Quantùm ad duo, *qua nomen collectiuum importat*, puta, etiam quantùm ad vnitatem, negat maiorem. Similiter diſtinguẽda eſt minor, & neganda eſt conſequentia. Lege litteram.

Ad tertium argumentum reſpondet, negando maiorem, vniuerſaliter; & differentiam inter Trinitatem, ac triplicitatem pulchrè, breuiterquè aſſignat. Lege litteram.

Ad quartum argumentum reſpondet, concedendo antecedens, & diſtinguendo conſequens. *Si igitur Trinitas eſt in Deo, erit in vnitate eſſentiæ diuinæ*, ita vt Trinitas attendatur ſecũdùm *perſonas numeratas*, concedit cõſequentiam; & tunc vlteriùs concedit minorem ſubſumptã & negat illius conſequentiam. *Si igitur Trinitas eſt in Deo, erit in vnitate eſſentiæ, quaſi eſſentia ſit ter vna*, negat conſequentiam. Et conceſſa minore ſubſumpta, vltimam negat conſequentiã.

Ad quintum argumentum reſpondet, negando maiorem, vniuerſaliter. & præſertim in caſu poſito; nam ſi diceretur quòd *Trinitas eſt trina, ratione numeri ſignificati &c.* Lege litteram.

quod eſt erroneum: ergo nomine Trinitatis non eſt vtendum in diuinis.

Sed contra eſt, quod Athanaſius dicit, quod vnitas in Trinitate, & Trinitas in Vnitate veneranda ſit.

Reſpondeo dicendum, quod nomen Trinitatis in diuinis, ſignificat determinatum numerum perſonarum; ſicut igitur ponitur pluralitas perſonarum in diuinis, ita vtendum eſt nomine Trinitatis, quia hoc idem, quod ſignificat pluralitas indeterminatè, ſignificat hoc nomen Trinitas determinatè.

Ad primum ergo dicendum, quod hoc nomen Trinitas, ſecundum etymologiam vocabuli, videtur ſignificare vnam eſſentiam trium perſonarum, ſecundum quod dicitur Trinitas, quaſi trium vnitas; ſed ſecundum proprietatem vocabuli, ſignificat magis numerum perſonarum vnius eſſentiæ, & propter hoc, non poſſumus dicere, quod Pater ſit Trinitas, quia non eſt tres perſonæ. Non autem ſignificat ipſas relationes perſonarum, ſed magis numerum perſonarum adinuicem relatarum, & inde eſt, quod ſecundum nomen, ad aliud non refertur.

Ad ſecundum dicendum, quod nomen collectiuum duo importat, ſcilicet pluralitatem ſuppoſitorum, & vnitatem quandam, ſcilicet ordinis alicuius. Populus enim eſt multitudo hominum ſub aliquo ordine comprehenſorum. Quantum ergo ad primum, hoc nomen Trinitas, conuenit cum nominibus collectiuis, ſed quantum ad ſecundum differt, quia in diuina Trinitate, non ſolum eſt vnitas ordinis, ſed cum hoc, eſt etiam vnitas eſſentiæ.

Ad tertium dicendum, quod Trinitas abſolutè dicitur: ſignificat enim numerum ternarium perſonarum; ſed triplicitas ſignificat proportionem inæqualitatis: eſt enim ſpecies proportionis inæqualis, ſicut patet per Boet. in aritmetica; & ideò non eſt in Deo triplicitas, ſed Trinitas.

Ad quartum dicendum, quod in Trinitate diuina intelligitur, & numerus, & perſonæ numeratæ: cum ergo dicimus Trinitatem in vnitate, non ponimus numerum in vnitate eſſentiæ quaſi ſit ter vna, ſed perſonas numeratas ponimus in vnitate naturæ, ſicut ſuppoſita alicuius naturæ, dicuntur eſſe in natura illa; è conuerſo autem dicimus vnitatem in Trinitate, ſicut natura dicitur eſſe in ſuis ſuppoſitis.

Ad quintum dicendum, quod cum dicimus, Trinitas eſt trina ratione numeri importati, ſignificatur multiplicatio eiuſdem numeri in ſeipſum, cum hoc, quod dico trinum, importet diſtinctionẽ in ſuppoſitis illius, de quo dicitur; & ideò non poteſt dici, quod Trinitas ſit trina, quia ſequeretur ſi Trinitas eſſet trina, quod tria eſſent ſuppoſita Trinitatis, ſicut cum dicitur, Deus eſt Trinus, ſequitur, quod ſunt tria ſuppoſita deitatis.

SVPER ARTICVLVM COMMENTARIVM.

1. VTRVM *ſit Trinitas in diuinis*. Dubium eſt de ſenſu quæſiti. Etenim pro vt patet in reſp. ad 1. nomine Trinitatis ſecundùm proprietatem vocabuli, intelligitur idem ac tres vnius, idеſt, tres perſonæ vnius eſſentiæ. Aut ergo ly, *Trinitas*, accipitur pro tribus perſonis vnius eſſentiæ, quod eſt propria illius vocis ſignificatio, & hoc probatur à D. Thoma infra q. 39. ar. 2. aut ſignificat determinatum numerum perſonarum

D.Thom. rum, vt eidem D. Thomæ placet in principio corporis, vbi ait, quòd hoc nomen Trinitatis in diuinis, ſignificat determinatum numerum perſonarũ in diuinis, & hoc iam probauit quæſt. præced. ar. 2. Quid ergo ſibi vult in præſenti quæſito?

2 Reſpondetur, D. Thomã in hoc quæſito ſupponere tres dumtaxat eſſe in Deitate perſonas; & has eſſe vnius eſſentiæ infra, loco nuper citato, pro nunc vt probandum etiam ſupponit; In præſenti ergo quæſito non de re, ſed de modo loquendi, ſeù de nomine hoc, puta, Trinitas, diſputat, Vtrum ſcilicet, hoc nomen Trinitas, Deo ſit conueniens.

3 *Sicut igitur ponitur pluralitas perſonarum in diuinis, ita vtendum eſt nomine Trinitatis.* Nota ly, *vtendum eſt nomine Trinitatis*, quoniam reſponſionem iam dub. præced. allatam explicat, & confirmat.

Conc. Toletan. 11. 4 *Vtendum eſt nomine Trinitatis*; quia ſic Sacra Concilia volunt, præſertim Concilium Toletanum vndecimum circa tempora Vitiliani Papæ celebratum. Ibi enim pluriès hoc nomen Trinitas, aſſumitur, & nominatur. Namquè art. 1. ſic habetur. *Hæc eſt Sanctæ Trinitatis relata narratio, quæ non triplex, ſed Trinitas* (nota) *& dici, & credi debet*. Et art. 2. *hæc ergo Sãcta Trinitas, quæ vnus, & verus eſt Deus, nec recedit à numero, nec capitur numero*. Et art. 3. *hoc nobis dignata eſt ipſa Trinitas euidenter oſtendere.*

Conc Nicænum 2. 5 Et in Synodo 2. Nicæna, quam Græci ſeptimam generalem appellant anno Domini 781. ſub Adriano primo hoc nomine Papa, celebrata, in confeſſione catholica ſic dicitur; *Credo, & confiteor in Deum Patrem &c. & Trinitatem*. Et poſt pauca *in vnius Sanctæ Trinitatis &c.*

6 Et in Concilio Lateranenſe ſub Innocentio III. celebrato anno ſalutis 1215. cui inter alios pro catholica fide tuenda adfuerunt Sanctiſſimi viri Pater noſter Dominicus, ſcilicet, & Franciſcus Aſſiſinas cap. 1. ſic dicitur. *Hæc Sancta Trinitas ſecundùm communem eſſentiam indiuidua, & ſecundùm perſonales proprietates eſt diſcreta*. Et poſt pauca. *Vnigenitus Dei Filius à tota Trinitatè communiter eſt incarnatus.*

S.Domin. S.Franc.

Iac.Apoſt. 7 Videatur miſſa Iacobi fratris Domini, pro vt accipitur to. 6. Bibliothecæ Vet. P.P. vbi ſemel dicitur, *Trinitas vnus Deus*, & iterum, *vnus*, ſcilicet, Deus *Sanctæ Trinitatis*; Et inſuper, *Sanctam, & conſubſtantialem Trinitatem.*

S.Dionyſ. 8 Sancti Patres antiquiores, hoc etiam nomine Trinitatis vſi ſunt. Sic Sanctus Dionyſius Areopagita cap. 1. de diu. nom. poſt multa: *In omnibus*, inquit, *ferè diuinis libris diuinitatē ipſam ſacris laudibus ornari, vt vnitatem, & vt Trinitatem, propter cæleſtis fœcunditatis in tribus perſonis enunciationem*, & eodem libr. cap. 3. in principio, & paucis interiectis eodē nomine Trinitatis vtitur. Idemquè obſeruat lib. de myſtica theologia in principio, & cap. 3.

9 Idem obſeruat Iuſtinus Martir, in expoſitione fidei, Gregorius Thaumaturgus, in confeſſione fidei, Dionyſius Papa apud Athanaſium lib. de decretis Nycenæ Synodi, Sanctus Athanaſius, in omnibus ſuis ferè libris, præſertim in Symbolo, vbi dicitur, *vnitas in Trinitate, & Trinitas in vnitate veneranda ſit*. Omitto D. Auguſtinum, qui quindecim libros de Trinitate compoſuit: Nec oportet alios in re tam certa enumerare.

Iuſt mart. Taumat. Athanaſ. D. Aug.

10 In reſp. ad 1. *Hoc nomen Trinitas, ſecundùm ethymologiam vocabuli, videtur ſignificare vnam eſſentiam trium perſonarum &c.* Hinc habes, quòd hoc nomen Trinitas non ſignificat tres perſonas dumtaxat in diuinis, ſed ſiuè ſub vna, ſiuè ſub altera acceptione ſumatur, ſignificat Trinitatem, & vnitatem, Trinitatem, ſcilicet, perſonarum, & vnitatem eſſentiæ. Sic communiter Sancti Patres, ac Theologi, quidquid dicat Henricus. Nam ſi Trinitas ſignificaret ſolùm numerum ternarium perſonarum, & non conſignificaret illarum in eſſentia vnitatem, pariformiter tres homines, tria accidentia, tria animalia &c. poſſent abſolutè, & cum proprietate ſermonis Trinitas appellari, quod alienum eſt ab vſu, & modo loquendi Sanctorum, & Theologorum, qui abſolutè, & ſimpliciter nomine Trinitatis intelligunt tres perſonas diuinas vnius eſſentiæ diuinæ.

Henricus.

11 Nec obſtat, ſi dicatur, quòd multoriès nominatur Trinitas, & ſimul additur Deitatis vnitas, vt cum dicitur, Sancta Trinitas, vnus Deus. Ergo nomine Trinitatis nō conſignificatur Deitatis vnitas, ſed tantummodo perſonarum diuinarum numerus.

12 Non, inquam, obſtat; Quoniam ly, *vnus Deus*, ſuperadditur Trinitati, emphaticè, & explicatiuè, non neceſſariò ad conſignificationem Trinitatis abſolutè prolatę exigitum; & pro hæreticorum calumnijs confutandis, ad denotandum, quod non ſolus Pater eſt Deus, quaſi Filius, & Spiritus ſanctus non ſint quoquè Deus, ſicut Arriani iniquiſſime exiſtimarunt. Etenim, quando in Sacra ſcriptura de Spiritu ſancto dicitur, *Qui a Patre procedit*, dum nominatur Pater, reſpectu proceſſionis Spiritus ſancti, ſubintelligendus eſt etiã Filius. Quãdoquidē ea, reſpectu quorum Pater non opponitur relatiuè Filio, & è contra, ſunt communia Patri,

Digitized by Google

Matth 11. Patri, & Filio, iuxta illud. *Omnia mihi tradita ſunt à Patre meo*, & nihilominus in ſymbolo Nicæno canitur, *Qui à Patre, Filioquè procedit*, vbi ſuperadditur illa particula, *Filioquè*, non tanquàm ſimpliciter neceſſaria, ſed maioris explicationis gratia, & ad euertendã hæreſim Græcorum, aſſerentium Spiritum ſanctum à Patre, & nullatenùs à Filio procedere. Quare &c. Nicænũ.

13 *Sed ſecundùm proprietatem vocabuli ſignificat magis numerum perſonarum vnius eſſentiæ*; diligenter obſerua, quòd acceptio huius vocabuli, Trinitas, ſecundùm ethimologiam vocabuli à Theologis in materia de qua loquimur, eſt reijcienda; acceptio verò ſecũdùm proprietatem vocabuli, ideſt, ſecundùm quòd hoc nomẽ Trinitas, à Sacris Concilijs, Sanctis Patribus, & à doctiſſimis Theologis eſt ad ſignificandum impoſitum, omninò amplectenda eſt, & ratio eſt manifeſta; quia ſi iuxta primam acceptionem amplecteretur, in recto, & immediatè ſignificaret eſſentiam, & in obliquo, & conſequenter, conſignificaret perſonas, ac proinde hoc nomen, Trinitas, eſſet nomen eſſentiale, eſſetquè verum dicere, quòd Pater eſt Trininitas, Filius eſt Trinitas, & Spiritus ſanctus eſt Trinitas; quod non eſt verum: ſi verò iuxta ſecundam acceptionem, nõ eſſet verum dicere, quòd Pater eſt Trinitas &c. ſicut non eſt verum dicere quòd Pater eſt tres perſonæ.

14 *Sed magis numerum perſonarum ad inuicẽ relatarum*. Itaquè interroganti Vtrum hoc nomen, Trinitas, ſit nomen ſignificans ſubſtantiam, an relationem, dicendum eſt, quòd non eſt nomen ſignificãs ſubſtantiam, nec relationem, aut perſonam, ſed relationes, ſeù perſonas, quæ relatiuè dicuntur. Et hoc intelligit Diuus Thomas per præcitata verba, ſcilicet, *ſed magis numerum perſonarum, ad inuicem relatarum*.

15 *Et inde eſt, quòd ſecundum nomen, ad aliud non refertur*. Et meritò quidem; quia hoc nomen, Trinitas, non eſt nomen relatiuum, ſed abſolutum, ſignificans tamẽ determinatum relationum, ſeù diuinarũ numerum perſonarum.

16 In reſp. ad 2. *Nomen collectiuum duo importat*, ſubaudi, non permiſſiuè, ſed neceſſariò.

17 *Et vnitatem quãdam, ſcilicet ordinis*. Ideſt, & ſolùm *vnitatem quandam*, ſeù, *& vnitatem quandam ſcilicet ordinis*, intranſitiuè, quoniam ſi hoc vltrò, importat etiam vnitatem eſſentiæ, non eſt nomen collectiuum, ſed tranſit ad aliud longè præſtantius, ſicut à minima ad maximam, præſtantiſſimamquè vnitatem tranſit.

Et hoc ſonant aurea D. Thomæ verba in fine reſponſionis, dum ait. *Indiuidua Trinitate* (nota) *non ſolùm eſt vnitas ordinis; ſed cum hoc, eſt etiam vnitas eſſentiæ*. Ecce quomodo affirmat in Trinitate ordinis vnitatem, non intranſitiuè, ſed tranſitiuè, quod termino collectiuo repugnat.

18 *Quantum ergo ad primum, hoc nomen Trinitas, conuenit cum nominibus collectiuis, ſed quantùm ad ſecundum differt*. Quomodo quantùm ad ſecundum differat, iam numero præcedenti explicauimus. Quomodo verò propter conuenientiam in primo, dicatur nomen collectiuum, ex diſcurſu litteræ patet. Nam cum non habeat totaliter nominis collectiui rationem, non poteſt dici totaliter nomen collectiuum, ſed aliqualiter; quia ſcilicet, conuenit cum primo omninò, differt autem à ſecundo, non quia ordinis careat vnitate, ſed quia vltra vnitatem ordinis, quæ minima eſt, habet vnitatem in eſſentia, quæ maxima eſt.

19 In reſp. ad 3. *Trinitas abſolutè dicitur. Significat enim numerum ternarium perſonarũ*, *Abſolutè dicitur*, ideſt, non dicit aliquam reflexionem, ſeù exceſſum ſupra dualitatem. Non enim ad hoc ſignificandum impoſitum eſt hoc nomen, ſed tantummodo ad ſignificandum determinatum numerum, puta, ternarium.

20 *Sed triplicitas ſignificat proportionem inæqualitatis, eſt enim ſpecies proportionis inæqualis*. Triplicitas igitur à Trinitate differt; qa Trinitas ſignificat ſeù vt dicebamus, abſoluiè dicit numerum trium. Triplicitas verò dicit inæqualitatem proportionis ideſt, exceſſum ſupra duo. Et hoc ſi propriè, & iuxta conſuetum loquendi modum Sacri Concilij Toletani XI. in profeſſione fidei, vbi in explicatione proceſſionis Spiritus ſancti ſic dicitur. *Hæc eſt Sanctæ Trinitatis relata narratio, quæ* (nota) *non triplex ſed Trinitas, & dici, & credi debet*. Idem communiter Sancti Patres, ac Scholaſtici docent.

21 Ex quo collige, an benè, vel malè Suarez lib. 3. de Trinit. cap. vlt. num. 10. Vaſquez diſp. 131. cap. 3. num. 16. & Faſolus ſuper hunc art. nu. 12. dixerint tres perſonas diuinas non ſolùm dici Trinitatem, verumetiam triplicem, ſeù dici poſſe, & benè, in diuinis triplicem dari perſonam, ſed quia non de re, ſed de modo loquendi eſt controuerſia, nobis ſufficit ſaniorem ſequi ſententiam, ac communiorem. Suarez. Vaſquez. Faſolus.

22 Vide ſi aliquando in aliquo Sancto Patre, aut magnæ authoritatis theologo, in explicandis diuinis perſonis, proceſsionibus, aut relationibus aliqua no-

nuina,

Digitized by Google

mina, duplicitatis, triplicitatis, quadruplicitatis, duplicis, triplicis &c. inuenietur; locutiones accipiendæ ſunt, vt exponendę, & non vt extendendæ, ac proinde, in ſenſu improprio accipiendæ, vel ab iiſdem de ſola diſtinctione explicatę; Vnde D. Thomas, quem pro ſe ipſis aduerſarij adducunt de potent. q. 10. art. 2. in corp. paucis poſt principium interiectis, dum ſic ait; *Et ideo ad huius erroris excluſionem, neceſſarium fuit, quòd Doctores noſtri manifeſtarent, quòd diuina natura poteſt communicari duplici proceſſione*, ſemetipsũ explicauit, quòd per ly, *duplici proceſſione*, intelligitur diſtinctio duarum proceſſionum, ſic dicens. *Et hoc eſt quærere proceſſionum diſtinctionem in diuinis*. Et vſus eſt illa particula *duplici*, ad denotandum, quod poteſt quis ea in diuinis vti, dummodo non accipiatur in ſenſu proprio, ſed ſecundum debitam explicationem. D.Thom.

23 In reſp. ad 4. *Cum ergo dicimus Trinitatem in vnitate, non ponimus numerum in vnitate eſſentiæ &c.* Hinc patet verborum Athanaſij in ſymbolo intelligentia, vbi dicitur, *Vnitas in Trinitate, & Trinitas in vnitate veneranda ſit*. Non enim ſenſus eſſe debet, quòd ſit vnitas perſonæ in Trinitate eſſentiæ, neque quod ſit vnitas Deitatis, & Trinitas eiuſdem. Quandoquidem, Deitas eſt omninò vna, ſed ſenſus eſt, quòd verificatur in diuinis, vnitas, & Trinitas; Vnitas, ſcilicet, Deitatis, & Trinitas perſonarum.

24 Sed quando tres perſonę numerātur, vnitas abſolutè loquendo, neutraliter proferri debet. Vnde dicitur Ioannis 5. *Tres ſunt qui teſtimonium dant in cælo, & hi tres, vnum ſunt.* Non dixit, vnus, ſed *vnum*. Quoniam neutraliter acceptum ſubſtātiam, ſeu eſſentiam ſignificat; Vnus vero maſculinè prolatus, abſolutè loquendo pro perſona intelligitur. Poteſt tamen, & ſolet, ac benè ly, *vnus*, proferri, dummodo alicui particulæ denotanti prædicatum eſſentiale adiungatur. Et Ioan. 5.

ſic poteſt dici, & benè. Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus ſunt tres perſonæ, & vnus Deus. *Et Sancta Trinitas vnus Deus.*

25 *Cum ergo dicimus Trinitatem in vnitate, non ponimus numerum in vnitate eſſentiæ, ſed perſonas numeratas ponimus in vnitate naturę.* Hinc explicantur verba Concilij Toletani Vndecimi loco citat. vbi ſic dicitur. Tolet. 11. *Nec rectè dici poteſt, vt in vno Deo ſit Trinitas*, ideſt, vt Trinitas numeret Deitatem. Vnde Sacrum Concilium immediatè ſubdit, *ſed vnus Deus Trinitas.*

26 In reſp. ad 5. *Et ideo non poteſt dici, quòd Trinitas ſit trina, quia ſequeretur, ſi Trinitas eſſet trina, quòd tria eſſent ſuppoſita Trinitatis*; ac proinde eſſent nouem perſonæ, vt optimè infert argumentum. Optima eſt doctrina, ſed dubium occurrit; quia idem D. Thomas in fine ſui hymni, D.Thom. quem canit Eccleſia pro feſto Sanctiſſimi Corporis Chriſti ſic ait; *Te Trina Deitas, vnaquè poſcimus &c.* Ergo ſicut ly, *trina*, multiplicaret proprium, ac immediatum Trinitatis ſuppoſitum. Ita quoquè cum dicitur *Trina Deitas*, ly, *trina*, debet multiplicare Deitatem in ſua immediata ſubſiſtentia abſoluta, vel in ipſa ratione Deitatis.

27 Reſpondetur, quod Trinum multiplicat ſuppoſitum, ideſt perſonam, ſeu ſubſiſtens perſonale, non naturam, ſeu ſubſiſtens eſſentiale, quòd ſi proferatur propter multiplicationem naturæ, falſa eſſet iſta locutio *Trina Deitas*. Et quia Diuus Thomas per ly, *Trina Deitas*, D.Thom. intelligit vnitatem Deitatis, & perſonarum eiuſdem Deitatis Trinitatem, ideo bona eſt iſta locutio, *Te Trina Deitas*. Verba enim accipienda ſunt ſecundùm modum ac intentum proferentis, & non ſecũdùm intentionem calumniantis. Dicatur igitur Te trina Deitas, & te trina Trinitas, nullatenùs proferatur. Vide aliud dubium in Gonzalez circa reſp. ad 5. cum eiuſdem ſolutionibus.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Vtrum Filius ſit alius à Patre.

AD *ſecundum ſic proceditur, videtur quod Filius non ſit alius à Patre: alius enim eſt relatiuum diuerſitatis ſubſtātiæ. Si igitur Filius eſt alius à Patre, videtur, quod ſit à Patre diuerſus. Quod eſt contra Auguſt. 7. de Trinitate, vbi dicit, quod cum dicimus tres perſonas, non diuerſitatem intelligere volumus.*

2 *Præterea. Quicunque ſunt alij abinuicem, aliquo*

FORMATIO ARTICVLI.

BIpartita eſt corporis diſtributio. Primò ponit vnum documentum, vt abſquè periculo de Trinitate loquamur. Secundò, ponit concluſionẽ reſponſiuam quæſito, eamquè probat.

Quoad primum, tria facit; Primò ponit documentum, illudquè duplici authoritate confirmat. Secundò, aſſignat duos hæreticorum de

de Trinitate errores, à quibus in modo loquẽdi cauere debeamus. Et tertiò, aſſignat voces in particulari, quas vitare debemus, ne in alterum incidamus errorem.

Quò ad horum primum, documẽtũ eſt iſtud. *Cum de Trinitate loquimur, cum cautela, & modeſtia eſt agendum*. Probat primò authoritate Hieronymi ſic dicentis; *quia ex verbis inordinatè prolatis incurrĩt hęreſis*. Ergo *cum de Trinitate loquimur &c.* Probat ſecundò authoritate Auguſtini ſic dicentis, *Nec periculoſiùs alicubi erratur, nec laborioſiùs aliquid quæritur, nec fructuoſiùs aliquid inuenitur*. Ergo *cum de Trinitate loquimur &c.*

Quò ad horum ſecundum, ſic ait; *Oportet autem in his &c.* Lege litteram vſquè ad illa verba, ad vnitatem perſonę incluſiuè.

Quò ad horum tertium, ſic ait; *Ad euitandum igitur errorem Arrij &c.* Lege litteram vſque ad illa verba, *Deus eſt confitendus*, incluſiuè, nec oportet ea tranſcribere, aut formare, quoniam per ordinem, ac mirabili breuitate, omnia dicenda perſtrinxit.

Quò ad ſecundum principale, concluſio eſt iſta, *Conuenienter dicere poſſumus, quòd Filius eſt alius à Patre*.

Probatio eſt iſta; quia *hoc nomen alius, maſculinè ſumptum, non importat, niſi diſtinctionem ſuppoſiti*. Ergo *conuenienter dicere poſſumus &c.*

Confirmatur etiã ſic; quia, ſubaudi, dicere, quòd filius eſt alius à Patre eſt idem ac dicere, *Filius eſt aliud ſuppoſitum diuinæ naturæ, ſicut eſt alia perſona, & alia hypoſtaſis*.

Ad primum argumentum reſpondet, negando ſimpliciter antecedens, & rationem aſſignat; quia *alius, quia eſt ſicut quoddam articulare nomen, tenet ſe ex parte ſuppoſiti &c.* Lege litteram.

Ad ſecundum argumentum reſpondet, diſtinguendo antecedens. *Quicumquè ſunt alij*, in ratione formæ, aliquo modo ab inuicem differunt, concedit antecedens. *Quicũque ſunt alij*, in ratione ſuppoſiti, aliquo modo ab inuicem differunt, negat antecedens. Similiter diſtinguendum, ſeù explicandum eſt ſuppoſitum conſequentis, & neganda eſt conſequentia. Lege litteram.

Ad tertium argumentum reſpondet, diſtinguendo, ſeù explicando maiorẽ. *Alienum ab alio dicitur*, Si *alienum* non eſt, *quod eſt extraneum, & diſſimile*, concedit maiorẽ. Si *alienum eſt extraneũ, & diſſimile*, negat maiorem. Tunc conceſſa minori, negat conſequentiam.

Ad quartum argumentum reſpondet, negando maiorem vniuerſaliter, & rationẽ aſſignat, quia *neutrum genus eſt informe, maſculinum*

aliquo modo ab inuicem differunt: ſi igitur Filius eſt alius à Patre, ſequitur quod ſit differens à Patre; quod eſt contra Ambroſ. in 1. de fide, vbi ait: Pater & Filius deitate vnum ſunt, nec eſt ibi ſubſtantiæ differentia, neque vlla diuerſitas.

3 *Præterea. Alienum ab alio dicitur; ſed Pater non eſt alienus à Filio; dicit enim Hilar. in 7. de Trinitate, quod in diuinis perſonis nihil eſt diuerſum, nihil alienum, nihil ſeparabile: ergo Filius non eſt alius à Patre.*

4 *Præterea. Alius, & aliud idem ſignificant, ſed ſola generis conſignificatione differunt. Si ergo Filius eſt alius à Patre, videtur ſequi, quod Filius ſit aliud à Patre.*

Sed contra eſt, quod Auguſt. dicit in lib. de fide ad Petrum. Vna eſt enim eſſentia Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, in qua non eſt aliud Pater, aliud Filius, aliud Spiritus ſanctus, quamuis perſonaliter ſit alius Pater, alius Filius, alius Spiritus ſanctus.

Reſpondeo dicendum, quod quia ex verbis inordinatè prolatis incurritur hæreſis, (vt Hieron. dicit) ideò cum de Trinitate loquimur, cum cautela, & modeſtia eſt agendum, quia vt Auguſt. dicit in 1. de Trinitate: nec periculoſius alicubi erratur, nec laborioſius aliquid quæritur, nec fructuoſius aliquid inuenitur: oportet autem in his, quæ de Trinitate loquimur, duos errores oppoſitos cauere, temperatè inter vtrumque procedentes, ſcilicet errorem Arrij, qui poſuit cum Trinitate perſonarum Trinitatem ſubſtantiarum, & errorem Sabellij, qui poſuit cum vnitate eſſentiæ vnitatem perſonæ. Ad euitandum igitur errorem Arrij, (vitare debemus in diuinis) nomen diuerſitatis, & differentiæ, ne tollatur vnitas eſſentiæ. Poſſumus autem vti nomine diſtinctionis propter oppoſitionem relatiuam: vnde ſicubi in aliqua ſcriptura authentica, diuerſitas, vel differentia perſonarum inuenitur, ſumitur diuerſitas, vel differentia pro diſtinctione: Ne autem tollatur ſimplicitas diuinæ eſſentiæ, vitandũ eſt nomen ſeparationis & diuiſionis, quæ eſt totius in partes, ne autem tollatur æqualitas, vitandum eſt nomen diſparitatis: ne verò tollatur ſimilitudo, vitandum eſt nomen alieni, & diſcrepantis. Dicit enim Ambroſ. in lib. de fide, quod in Patre, & Filio non eſt diſcrepans, ſed vna diuinitas; & ſecundùm Hilar. (vt dictum eſt) in diuinis nihil eſt ſeparabile. Ad vitandum verò errorem Sabellij vitare debemus ſingularitatem, ne tollatur communicabilitas eſſentiæ diuinæ: vnde Hilar. dicit 7. de Trinit. Patrem, & Filium ſingularem Deum prædicare, ſacrilegum eſt. Debemus etiam vitare nomen vnici, ne tollatur numerus perſonarum: vnde Hilar. in eodem libro dicit, quod à Deo excluditur ſingularitas, atque vnici intelligentia: dicimus tamen vnicum Filium quia non ſunt plures Filij in diuinis. Neque tamen dicimus vnicum Deum, quia pluribus Deitas eſt communis: vitamus etiam nomen confuſi, ne tollatur ordo naturæ, à perſonis: vnde Ambroſ. dicit 2. de fide. Neque confuſum eſt, quod vnum eſt,

autem eſt formatum, & diſtinctum, & ſimi-

eſt, neque multiplex eſſe poteſt, quod indifferens eſt; vitandum eſt etiam nomen ſolitarij, ne tollatur conſortium trium perſonarum: dicit enim Hilar. in 4. de Trinitate. Nobis neque ſolitarius, neque diuerſus Deus eſt confitendus; hoc autem nomen

liter femininum, &c. Lege litteram.

alius, maſculine ſumptum, non importat, niſi diſtinctionem ſuppoſiti, vnde conuenienter dicere poſſumus, quod Filius eſt alius à Patre; quia ſcilicet, eſt aliud ſuppoſitum diuinæ naturæ, ſicut eſt alia perſona, & alia hypoſtaſis.

Ad primum ergo dicendum, quod alius, quia eſt ſicut quoddam articulare nomen, tenet ſe ex parte ſuppoſiti, vnde ad eius rationem ſufficit diſtinctio ſubſtantiæ, quæ eſt hypoſtaſis, vel perſona; ſed diuerſitas requirit diſtinctionem ſubſtantiæ, quæ eſt eſſentia; & ideò non poſſumus dicere, quod Filius ſit diuerſus à Patre, licet ſit alius.

Ad ſecundum dicendum, quod differentia importat diſtinctionem formæ: eſt autem tantum vna forma in diuinis, vt patet per id, quod dicitur Philip. 2. Qui cum in forma Dei eſſet; & ideò nomen differentis non propriè competit in diuinis, vt patet per autoritatem inductam: vtitur tamen Damaſ. nomine differentiæ in diuinis perſonis, ſecundum quod proprietas relatiua, ſignificatur per modum formæ: vnde dicit, quod non differunt ab inuicem hypoſtaſes ſecundum ſubſtantiam, ſed ſecundum determinatas proprietates: ſed differentia ſumitur pro diſtinctione, vt dictum eſt.

Ad tertium dicendum, quod alienum eſt, quod eſt extraneum, & diſſimile; ſed hoc non importatur cum dicitur alius, & ideò dicimus Flium aliũ à Patre, licet non dicamus alienum.

Ad quartum dicendum, quod neutrum genus, eſt informe, maſculinum autem eſt formatum, & diſtinctum, & ſimiliter fæmininum; & ideò conuenienter per neutrum genus, ſignificatur eſſentia communis, per maſculinum autem, & fæmininum, aliquid ſuppoſitum determinatum in communi natura: vnde etiam in rebus humanis, ſi quæratur. Quis eſt iſte, reſpondetur, Sor. quod nomen eſt ſuppoſiti. Si autem quæratur, quid eſt iſte, reſpondetur, animal rationale, & mortale; & ideò quia in diuinis diſtinctio eſt ſecundum perſonas, non autem ſecundum eſſentiã, dicimus, quod Pater eſt alius à Filio, ſed non aliud, & è conuerſo dicimus, quod ſunt vnum, ſed non vnus.

SVPER ARTICVLVM COMMENTARIVM.

1 VTRVM *Filius ſit alius à Patre.* Senſus eſt, Vtrum cum proprietate ſermonis ſit vera iſta propoſitio, Filius eſt alius à Patre; an potiùs per quamdam accommodationem, impropriè, & explicatiuè.

2 *Ex verbis inordinatè prolatis incurritur hæreſis.* Intellige quando ſermo eſt de ijs, quæ ad fidem pertinent.

3 *Cum de Trinitate loquimur cum cautela, & modeſtia eſt agendum.* Notent ſcholaſtici, ac obſeruent hoc ſalutiferum documentum. Quid enim prodeſt eis in materia tàm graui vti nominibus, quę fauent hęreticis, quibuſuè hæretici ſeminant impiorum dogmatum iniqua venena? Nominibus enim vtendum eſt, vt plures vtuntur, & cum hæreticis quando fieri poteſt, nequè etiam debemus in nominibus conuenire.

4 *Nec periculoſiùs alicubi erratur, nec laborioſiùs aliquid quæritur, nec fructuoſiùs aliquid inuenitur. Periculoſiùs erratur;* quia errans in Trinitatis myſterio, errat in principaliori fidei Sacramento. Eſt enim tam altum fidei arcanum, quòd ſecunda in Trinitate perſona nobis reuelandum ſibi reſeruauit. Nec laborioſiùs aliquid quæritur. *Laborioſiùs;* quia nullum eſt in Deitate tàm difficile prædicatum, quàm Sanctiſſimæ Trinitatis in vna eſſentia myſterium, non quia, vt alibi in primo, ſcilicet, tomo dicebamus, Trinitas ſit ex parte Dei magis ſupernaturalis, ſed quia non habemus effectus naturales, ex quorum cognitione in Trinitatem perſonarum peruenire valeamus, quemadmodum habemus effectus, ex quorum cognitione Deitatis exiſtentiã demonſtratiuè cognoſcimus. *Nec fructuoſiùs aliquid inuenitur,* quoniam nõ modicum fructum percipimus, quãdo Domino reuelante credimus Trinitatem. Ex cuius vera cognitione tota noſtra ſalus dependet.

5 *Vitare debemus in diuinis, nomen diuerſitatis, & differẽtię, ne tollatur vnitas eſſẽtię;* & rationẽ huius aſſignat in reſponſione ad 2. quia ſcilicet, *differẽtia importat diſtinctionẽ formæ: Eſt autem tantũ vna forma in diuinis.*

Itaquè

Digitized by Google

Itaquè in tantùm ſunt nomina prædicta vitanda, in quantùm poſſunt Arrianorũ errori proficere. Vnde ſi cum magna cautela, & à catholicis rectè intelligentibus animo ſignificandi ſolam perſonarum diſtinctionem proferantur, non sũt vitanda, ſed tantummodo tamquam impropria accipienda. Quod etiam Diuus Thomas notat. *Vitandum eſt nomen ſeparationis, & diuiſionis*. Et hoc ſi propriè loquamus. Etenim quamuis Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus ad inuicem realiter diſtinguantur, non tamen ad inuicem realiter ſeparantur. Vnde Filius Ioannis 11. ait. *Ego in Patre, & Pater in me eſt*. Quod idem intelligendum eſt de Spiritu ſancto; & merito, quia Filius & Spiritus ſanctus procedunt immanẽter, non tranſeunter. Verùm, ſi quandoquè dicatur Pater ſeparatus à Filio, vel diuiſus, taliter, quod ex modo loquendi nomine ſeparationis, aut diuiſionis intelligatur inter Patrem, & Filium, & Spiritũ ſanctum ſola correlatiua diſtinctio, non eſſet falſa locutio. Vnde in hoc ſenſu Iacobus frater Domini in ſua Liturgia circa principium ſic de Trinitate fatur. *Quæ ſine diuiſione diuiditur, Trinitas enim vnus Deus*. Et Ioannes Papa Primus epiſt. ad ſenatores de duabus naturis prout habetur tomo 4. Bibliothecæ Vet. Patrum ſic de Trinitate ait; *Diuiditur indiuiſibiliter, vt ita dicam; & coniungitur diuiſibiliter*. Et Sanctus Athanaſius de vna Deitate lib. 2. circa finem. *Planè*, inquit, *diuiſa eſt in nominibus tantùm perſonarum. In Deitate autem indiuiſa eſt*. Et Niſſenus lib. de differentia eſſentiæ, & hypoſtaſeos pag. 4. ſic ait; *Ne mireris, ſi idem, & coniunctum, & ſeparatum, atquè diſcretum dicimus, & quoddã quaſi per ænigma, ex cogitamus nouũ, & à communi ſenſu, & opinione abhorrens, tum diſcrimen coniunctum, tum diſcretam coniunctionem*. Imo D. Thomas q. præced. att. 2. ad 1. ſic ait; *Licet ſint quatuor relationes in diuinis, tamen vna earum, ſcilicet, ſpiratio, non ſeparatur à perſona Patris, & Filij, ſed conuenit vtrique*. Vbi per ly, *non ſeparatur*, idem intelligit, ac realiter non diſtinguitur, ſicut per ly, *conuenit vtrique*, intelligit indiſtinctionem realem.

D.Thom. Ioan. 11. Iacobus. Io. Pap. 1. Athanaſ. Niſſenus. D.Thom.

6 *Vitandum eſt nomen diſparitatis*, & meritò; quia diſparitas æqualitatem aufert. Quæ enim ſunt æqualia, ſunt paria, & è contra. Inter diuinas autem perſonas omnimoda ſeruatur æqualitas. Quod ſi quis dixerit, Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum inter ſe diſpares eſſe, intelligẽs nomine diſparitatis realem in perſonalitate diſtinctionẽ, eſſet impropria, & abuſiua locutio, ac proinde explicãda & ad proprietatem ſermonis reducẽda.

7 *Vitandum eſt nomen alieni, & diſcrepantis*; & ratio eſt, quia vt dicit D. Thomas in reſp. ad 3. *Alienum eſt, quod eſt extraneum, & diſſimile*. Perſonæ autem diuinæ non habent extraneitatem, nec diſsimilitudinem ad inuicem, ſed diſtinctionem inter ſe, & cum eſſentia identitatem.

8 *Vitare debemus ſingularitatem*; & rationem aſſignat, ne tollatur communicabilitas eſſentiæ diuinæ. Et hoc quando ſingularitas addatur termino eſſentiali; quoniam ſi addatur termino perſonali, non eſt vitandum nomen ſingularis; quælibet enim perſona diuina eſt ſingularis. Eſſentia autem diuina neque eſt ſingularis; neque vniuerſalis. Non quidem ſingularis; quia ſingulare ſi propriè loquamur, dicit vnum omnino incommunicabile alijs ſuppoſitis; neque verò vniuerſalis; quia vniuerſale eſt vnum in multis, quæ multiplicantur ſub ratione eiuſdem vniuerſalis; Eſſentia autem diuina eſt vtiquè vna in pluribus perſonis diuinis, non autem eſt vna in multis eſſentijs. Quod ſi nomine ſingularis intelligatur vnus cum excluſione aliorũ, vitandum eſt hoc nomen, ſingularis, etiam ſi coniungatur termino perſonali. Vnde ſi quis diceret; Pater in diuinis eſt perſona ſingularis, ideſt, abſquè alterius perſonę conſortio falſa eſſet propoſitio, ac proinde vitanda ſingularis dictio.

9 *Debemus etiam vitare nomen vnici, ne tollatur numerus perſonarum*. Intellige ſi hoc nomen vnicum, addatur ſupra ſuppoſitũ diuinum per perſonam diuinam in communi. Falſum enim, & hæreticum eſſet dicere, in diuinis eſt tantùm vnicum ſuppoſitum; Eſt tantùm vnica perſona. Si autem addatur ſuper perſonam aliquam in particulari, non eſſet vitandum. Verum enim eſt dicere, quòd in diuinis eſt vnicus Pater, vnicus Filius, & vnicus Spiritus ſanctus, dummodo per huiuſmodi locutiones excludantur à conſortio Patris, alij Patres, à conſortio Filij, alij Filij, & à conſortio Spiritus ſancti, alij Spiritus ſancti.

10 *Neque tamen dicimus vnicum Deum*. In tantùm ſcilicet, vt ipſemet D. Thomas exponit; in quantùm ex talis nominis vſu, denotaretur Deitas non eſſe communis.

11 *Vitamus etiam nomen confuſi*. Et ratio eſt, quam idem D. Thomas aſsignat; ne ſcilicet, *tollatur ordo naturæ*. *Ordo*, inquit, *naturæ*, non prioritas naturæ; in diuinis enim datur ordo naturæ, qui conſiſtit in hoc, vt vna perſona à nulla procedat, altera à Patre, & alia à Patre, & Filio, non vero datur prioritas naturę, vt magis mõſtrabit infra q. 42. Ad huiuſmodi igitur

confuſionem vitandam, vti confuſo nomine non debemus.

12 *Vitandum eſt etiam nomen, Solitarij*. In tantùm, in quantùm ex eius prolatione, trium perſonarum conſortium tolleretur; Vnde ſi nomine Solitarij, quis vellet Deorum conſortiũ & pluritatem excludere, poſſet ſed cum cautela eo nomine vti.

13 *Hoc autem nomen, alius, maſculinè ſumptũ, non importat, niſi diſtinctionem ſuppoſiti.* Hoc dictum eſt de fide certum. Nam fides catholica docet, vnam perſonam diuinã eſſe realiter ab alia diſtinctam in ratione perſonali, non autem in ratione eſſentiali. Et eadem fides catholica dicit vnam perſonam diuinam eſſe aliam ab altera. Vnde Ioan. 14. ſecunda in Trinitate perſona dicit. *Ego rogabo Patrem, & aliũ Paraclitum dabit vobis, Spiritum veritatis*. Et Concilium Lateranenſe cap. de err. Abb. Ioachim vbi ſic dicitur. *Sed eſt Pater, qui generat, Filius qui gignitur, & Spiritus ſanctus, qui procedit, vt diſtinctiones ſint in perſonis, & vnitas in natura. Licet igitur alius ſit Pater, alius Filius, alius Spiritus ſanctus, non tamen &c.* Et in Symbolo Athanaſij Eccleſia canit, *Alia eſt enim perſona Patris, alia Filij, alia Spiritus ſancti*. Et quò ad authoritates Sanctorum Patrum, ac Theologorum paginæ plenę ſunt.

Ioan. 14.

Lateran.

Athanaſ.

14 *Hoc autem nomen, alius, maſculinè ſumptũ, non importat niſi diſtinctionem ſuppoſiti*. Ita D. Thom. hìc, & Theophylactus exponens caput Ioan. 1. *Alius enim*, inquit, *& alius de perſona dicitur*.

D. Thom. S. Teoph.

15 *Hoc autem nomen, alius, maſculinè ſumptum*. *Alius*, non poteſt niſi maſculinè accipi, quomodo ergo dixit, *alius maſculinè ſumptum?* Dicere voluit, quòd hoc *nomen alius*, tres voces habens, ſcilicet, alius, alia, aliud, quando accipitur maſculinè, ſignificat diſtinctionem ſuppoſiti, ſi coniungatur inter duas perſonas, vt cum dico, Pater eſt alius à Filio.

16 *Hoc autem nomen, alius, maſculinè ſumptum, non importat, niſi diſtinctionem ſuppoſiti*. Subaudi, in diuinis, quando ſcilicet, Pater dicitur alius à Filio, eſt vera propoſitio, quia ly, *alius*, ſi prædicto modo proferatur, ſe tenet ex parte ſuppoſiti.

17 Sed aduerte, quòd licèt ly, *alius*, magis principaliter ſe teneat ex parte ſuppoſiti, tamen ſi aliquid ei addatur, poteſt ſe tenere ex parte naturæ, vt cum dico, non datur alius verus Deus, niſi vnus. Et ſimiliter cum dico, Deus eſt alius à natura creata, ly, *alius*, ſe tenet ex parte naturæ.

18 *Vnde conuenienter dicere poſſumus, quòd Filius eſt alius à Patre, quia ſcilicet, eſt aliud ſuppoſitũ diuinæ naturæ.* Si hoc nomẽ, alius, in tantùm ſignificat diſtinctionem, tenentem ſe ex parte ſuppoſiti in diuinis, in quantùm maſculinè accipitur. Quomodo ergo dicit, quòd *ideo conuenienter dicere poſſumus, quòd Filius eſt alius à Patre, quia ſcilicet, eſt aliud ſuppoſitum*, cum recurrat à maſculino ad neutrum? Quando neutrum accipitur propter concordantiam grammaticalem, dummodo cadat ſupra rationem perſonalem, ſiuè hoc nomen, *alius*, ſit maſculinè, ſiuè neutraliter ſumptum, idẽ eſt, ac ſi maſculinè ſumeretur. Quoniam cum ait, quòd hoc nomen, *alius*, maſculinè ſumptum &c. loquitur de hoc nomine pro vt applicatur his nominibus, ſcilicet, Pater, Filius, & Spiritus ſanctus. Et ſi dicatur quod Pater eſt alius à Filio, catholica eſt propoſitio. Si verò dicatur, quòd Pater eſt aliud à Filio, eſſet hæretica propoſitio. Vnde dicere, quòd ſuppoſitum Patris eſt aliud à ſuppoſito Filij, non fit tranſitus à maſculino ad neutrum, ſicuti fit tranſitus a genere maſculino ad neutrum, ſi dicatur, quòd Pater eſt aliud à Filio.

19 In reſp. ad 1. *Alius, quia eſt ſicut quoddã particulare nomen, tenet ſe ex parte ſuppoſiti*; vbi aduerte, quod non ſolùm in diuinis, verumetiam in creatis ly, *alius*, abſolutè loquendo, niſi aliud addatur, tenet ſe ex parte ſuppoſiti, cum ſit quoddam particulare nomen, ac proinde non ex voluntario Sanctorum Patrum ac Theologorum vſu ly, *alius*, dicit ſuppoſitalem diſtinctionem, verumetiam ex ipſa ratione, & modo ſupponendi colligitur.

20 In reſp. ad 2. *Eſt autem tantum vna forma in diuinis*. Hæc authoritas multùm prodeſt illi opinioni, quæ docet relationes in diuinis nullam dicere perfectionẽ. Nam ſi eſt vna tantùm forma in diuinis, vna quoquè tantùm erit actualitas, ac proinde vna perfectio.

21 In reſp. ad 4. *Dicimus quòd Pater eſt alius à Filio, ſed non aliud*, propoſitio hæc de fide certa eſt, & habetur in Concilio Lateranenſe nuper citato; *Licèt*, ibi dicitur, *alius ſit Pater, alius Filius, alius Spiritus ſanctus, non tamen aliud*. Et ratio eſt, quia, *alius*, in diuinis de perſona dicitur, & aliud de natura. Ratio hæc eſt D. Thomæ, & expreſsè à Theophylacto nuper citato aſſeritur. *Alius enim*, inquit, *& Alius, de perſona dicitur; aliud, & aliud, de natura*, & à D. Auguſtino ſerm. 38. de temp. ſic dicitur, *Vna eſt Patris, & Filij, & Spiritus ſancti eſſentia, in qua non eſt aliud Pater, aliud Filius, aliud Spiritus ſanctus, quamuis perſonaliter alius ſit Pater, alius Filius, alius Spiritus ſanctus*. Quibus addenda eſt doctrina Porphyrij in libello prædicabilium cap. de differentia, vbi loquens de differentia ſecun-

Lateran.

Teophyl. D. Aug.

Porphyr.

Digitized by Google

ſecundùm quòd eſt tertium prędicabile, dicit, ſic. *Illa autem quæ eſt magis propriè, aliud. Illæ quidem quæ faciunt aliud, ſpecificæ vocantur*; ſuper quæ verba Scotus ſic ait. *Facit aliud, ideſt, aliam eſſentiam.* Vide num. 23.

22 Sed ſtante hac vera Porphyrij doctrina, dubium occurrit. Quia, ex ea ſequitur, quòd facere aliud ſit differentiæ ſecundùm quòd eſt tertium prædicabile proprius effectus. Tunc ſic. Nulla ratione à D. Thoma, & à ſacris Concilijs cōceditur, quòd Pater ſit aliud à Filio. Ergo neque etiam aliquo modo conceditur, quòd Pater differt à Filio. Sed à D. Thoma conceditur. Ergo non cohærenter loquitur.

23 Reſpondetur, concedendo aſſumptū, & ſubſumptum, diſtinguendo verò primum conſequens. Ergo neque etiam aliquo modo conceditur, quòd Pater differt differentia ſpectante ad librum Porphyrij, concedo conſequentiam. Differentia ſpectante ad Summuliſtas in materia de verbis exponibilibus, nego conſequentiam: à D. Thoma autem conceditur, quòd Pater differt à Filio, hoc ſecundo modo, non autem primo.

24 Explicatur iſta reſponſio. Hoc verbum, differt, dupliciter conſiderari poteſt; primò, prout ſpectat ad Summuliſtas in materia de verbis exponibilibus. Secundò, prout conſideratur à Porphyrio in libro prædicabilium. Si primo modo, ſonat, ac ſignificat ſolam diſtinctionem. Nam cum dico; Petrus differt à Paulo; ſic exponitur. Petrus eſt, & Paulus eſt, & Petrus non eſt Paulus. Si ſecūdo modo; ſignificat alietatem in eſſentia, vt ex verbis Porphyrij conſtat.

25 *Dicimus quòd Pater eſt alius à Filio*; ſubaudi, abſolutè, & ſine addito. Patet ex num. 9. Quia ſic Concilium Lateranenſe loquitur, ſic Sancti Patres communiterquè Theologi. Et hoc obſerua contra Durandum in 1. diſt. 9. q. 1. nu. 6. *Si autem abſolutè, & ſine addito, Pater alius eſt à Filio, impropria eſt* (ſubaudi locutio) *& indiget determinatione*. & inſuper ibidē nu. 4. circa medium, ſic ait. *Quòd ſi quandoquè dicitur, alius à Filio Pater, ſine additione, exponenda eſt locutio, & magis toleranda &c.* Sacrum Concilium abſolutè, & ſine additione loquitur, vocans Filium alium à Patre &c. & Durandus negat; qua cenſura dignus ſit iudicent peritiores. Lateran. Durand.

26 *Dicimus quòd Pater eſt alius a Filio, ſed non aliud.* Nota varietates locutionis iſtius fundamentum. Quia ſcilicet, neutrum genus eſt informe, maſculinum autem eſt formatum &c. lege litteram, quoniam clara eſt, & ab omnibus amplectitur, & ampliatur.

ARTICVLVS TERTIVS.

Vtrum dictio excluſiua (ſolus) ſit addēda termino eſſentiali in diuinis.

AD tertium ſic proceditur, videtur, quod dictio excluſiua (ſolus) non ſit addēda termino eſſentiali in diuinis, quia ſecundum Philoſoph. in elench. ſolus, eſt, qui cum alio non eſt; ſed Deus eſt cum Angelis, & ſanctis animabus: ergo non poſſumus dicere Deum ſolum.

2 *Præterea. Quicquid adiungitur termino eſſentiali in diuinis, poteſt prædicari de qualibet perſona per ſe, & omnibus ſimul: quia enim conuenienter dicitur ſapiens Deus, poſſumus dicere, Pater eſt ſapiēs Deus, & Trinitas eſt ſapiens Deus; ſed Auguſt. li. 6. de Trinit. dicit: conſideranda eſt illa ſententia, qua dicitur non eſſe patrem verū Deum ſolum: ergo non poteſt dici ſolus Deus.*

3 *Præterea. Si hæc dictio (ſolus) adiungitur termino eſſentiali, aut hoc erit reſpectu prædicati perſonalis, aut reſpectu prædicati eſſentialis, quia hæc eſt falſa: ſolus Deus eſt Pater, cum etiam homo ſit pater; neque etiam reſpectu prædicati eſſentialis,*

FORMATIO ARTICVLI.

BIpartita eſt corporis diſtributio. Primò, ſtatuit vnam diſtinctionem circa illam particulā, *ſolus*. Secundò, diſtinctionis membra declarat. Et duplicē ſtatuit concluſionē cum duplici probatione. Primam, ſcilicet, concluſionem, cum ſua probatione immediatè poſt explicationem primi mēbri ponit; & poſt declarationem ſecūdi, ſecundam cum eiuſdem probatione.

Quò ad primum diſtinctio eſt iſta. *Hæc dictio, ſolus, poteſt accipi vt cathegorematica, vel ſyncathegorematica.*

Quò ad ſecundū, declarat primum diſtinctionis membrū ſic; *Dicitur autem dictio cathegorematica, quæ abſolutè ponit rem ſignificatam circa aliquod ſuppoſitum, vt albus circa hominem, cum dicitur homo eſt albus.*

Prima concluſio ſub hoc primo membro immediatè poſita, eſt iſta. *Si ergo ſic acci-*

Digitized by Google

accipitur hæc dictio, ſolus, nullo modo poteſt adiungi alicui termino in diuinis.

Probatio eſt iſta. *Quia ſic ſequeretur Deũ eſſe ſolitarium. Quod eſt contra prædicta.* Probat ſequelam, quia ſi adiungeretur, *poneret ſolitudinem circa terminum cui adiungitur.*

Declaratio ſecundi membri eſt iſta. *Dictio verò ſyncathegorematica dicitur, quæ importat ordinem prædicati ad ſubiectum, ſicut hæc dictio omnis, vel nullus. Et ſimiliter hæc dictio, ſolus, quæ excludit omne aliud ſuppoſitum à conſortio prędicati. Sicut cum dicitur &c.* Lege litterã vſquè ad illam particulam, *exiſtentibus*, incluſiuè.

Concluſio ſub poſterioris membri explicationem immediatè poſita, eſt iſta. *Et per hunc modum nihil prohibet, hãc dictionem, ſolus, adiungere alicui eſſentiali termino in diuinis.*

Probatio eſt iſta; quia iſta coniunctio in tantùm ponitur, *in quantùm excluduntur omnia alia à Deo à conſortio prædicati*. Ergo. Probatur antecedẽs exemplo; *vt ſi dicamus, ſolus Deus eſt æternus, quia nihil præter Deum eſt æternum.*

Ad primum argumentum reſpondet, explicando maiorẽ. *Solus eſt, qui cum alio* eiuſdem naturæ *non eſt*, concedit maiorẽ. *Solus eſt, qui cum alio* extraneæ naturæ *non eſt*, negat maiorem. Ad minorem. *Sed Deus &c.* diſtinguit, ſeù explicat minorẽ. *Sed Deus eſt cum Angelis, & Sanctis anima*bus, tanquàm cum quibuſdam extraneę naturæ, concedit minorem; tanquàm cum quibuſdã eiuſdẽ naturæ, negat minorem. Ergo &c. negat conſequentiam.

ſentialis, quia ſi hæc eſſet vera, ſolus Deus creat, videtur ſequi, quod hæc eſſet vera, ſolus Pater creat, quia quicquid dicitur de Deo poteſt dici de Patre. Hæc autem eſt falſa, quia etiam Filius eſt creator; non ergo hæc dictio (ſolus) poteſt in diuinis adiungi termino eſſentiali.

Sed contra eſt, quod dicitur 1. *ad Timoth.* 1. *Regi ſęculorum immortali, inuiſibili, ſoli Deo.*

Reſpondeo dicendum, quod hæc dictio (ſolus) poteſt accipi, vt categorematica, vel ſyncategorematica: dicitur autem dictio, categorematica, quæ abſolutè ponit rem ſignificatam circa aliquod ſuppoſitum, vt albus circa hominem, cum dicitur homo albus. Si ergo ſic accipiatur hæc dictio (ſolus) nullo modo poteſt adiungi alicui termino in diuinis, quia poneret ſolitudinem circa terminum, cui adiungeretur, & ſic ſequeretur Deum eſſe ſolitarium, quod eſt contra prædicta. Dictio verò ſyncategorematica dicitur, quæ importat ordinem prædicati ad ſubiectum, ſicut hæc dictio omnis, vel nullus. Et ſimiliter hæc dictio, ſolus, quæ excludit omne aliud ſuppoſitum à conſortio prædicati; ſicut cum dicitur, ſolus ſortes ſcribit, non datur intelligi, quod ſortes ſit ſolitarius; ſed quod nullus ſit ei conſors in ſcribendo, quamuis cum eo multis exiſtentibus; & per hunc modum nihil prohibet, hanc dictionem, ſolus, adiungere alicui eſſentiali termino in diuinis, inquantum excluduntur omnia alia à Deo à conſortio prædicati, vt ſi dicamus, ſolus Deus eſt æternus, quia nihil præter Deum eſt æternum.

Ad primum ergo dicendum, quod licèt Angeli, & animæ ſanctæ ſemper ſint cum Deo, tamen ſi non eſſet pluralitas perſonarum in diuinis, ſequeretur, quod Deus eſſet ſolus, vel ſolitarius: non enim tollitur ſolitudo per aſſociationem alicuius, quod eſt extraneæ naturæ: dicitur enim aliquis ſolus eſſe in horto, quamuis ſint ibi multæ plantæ, & animalia; & ſimiliter diceretur Deus eſſe ſolus, vel ſolitarius, Angelis, & hominibus cum eo exiſtentibus; ſi non eſſent in diuinis perſonæ plures. Conſociatio igitur Angelorum, & animarum, non excludit ſolitudinem abſolutam à diuinis, multo minus ſolitudinem reſpectiuam, & per comparationem ad aliquod prædicatum.

Ad ſecundum dicendum, quod hæc dictio, ſolus, propriè loquendo non ponitur ex parte prædicati, quod ſumitur formaliter: reſpicit enim ſuppoſitũ, inquantum excludit aliud ſuppoſitum ab eo, cui adiungitur; ſed hoc aduerbium, tantùm, cum ſit excluſiuum, poteſt poni ex parte ſubiecti, & ex parte prædicati. Poſſumus enim dicere, tantum ſortes currit, id eſt nullus alius; & ſortes currit tantùm, id eſt nihil aliud facit: vnde non propriè dici poteſt, Pater eſt ſolus Deus, vt Trinitas eſt ſolus Deus, niſi forte ex parte prædicati intelligatur aliqua implicatio, vt dicatur, Trinitas eſt Deus, qui eſt ſolus Deus; & ſecundum hoc etiam poſſet eſſe vera iſta, Pater eſt Deus, qui eſt ſolus Deus, ſi relatiuum referret prædicatum, & non ſuppoſitũ. Auguſt. autem dicit Patrem, non eſſe ſolum Deũ ſed Trinitatem eſſe ſolum, Deum, loquitur expoſitiuè,

Ad ſecundum argumentum reſpondet, & reſponſio, ſic in forma proponitur, diſtinguẽdo, ſeù potiùs explicãdo maiorẽ. Quidquid adiũgitur termino eſſentiali in diuinis, poteſt prędicari de qualibet perſona per ſe & omnibus. Si re vera illud verificatur & ponitur ex parte prædicati, cõcedit maiorem. Si ſolùm verbaliter ponitur ex parte prędicati, & re vera ſe tenet ex parte ſubiecti, negat maiorem, tunc conceſſa minori in ſenſu ab eodem D. Thoma explicato, negat conſequẽtiam.

Secũdò ſic poteſt reſponſio formari, cõcedendo maiorẽ, & explicando minorem. Aug. autẽ &c. ſed Trinitatem eſſe ſolum Deum, explicatiuè, concedit minorem, non explicatiuè, negat minorẽ. Ergo &c. negat conſequentiam. Vide litteram, & commẽtarium nu. 8.

Ad tertium argumentum reſpondet, concedendo maiorem, & negando minorem quo ad vtrãquè eius partem; ad cuius primam impugnationem reſpõdet explicando antecedens. *Hæc eſt falſa, ſolus Deus eſt Pater*; ſi ly, *Pater*, *prædicat relationẽ paternitatis tantùm*, concedit antecedens. Si ly, *Pater*, præ-

præ-

Digitized by Google

prædicat perſonam Patris æterni, negat antecedens, & per idem patet ad eius probationem; *Quia licèt etiam homo ſit Pater*, ideſt, habens relationem paternitatis, non tamen homo eſt Pater æternus.

Ad ſecundam impugnationem, negat ſequelam. Ad cuius probationem diſtinguit, ſeù explicat ma

poſitiuè, ac ſi diceret, cum dicitur, Regi ſeculorũ inuiſibili, ſoli Deo, non eſſe exponendum de perſona Patris, ſed de ſola Trinitate.

Ad tertium dicendum, quod vtroque modo poteſt hæc dictio, Solus, adiungi termino eſſentiali: hæc enim propoſitio, ſolus Deus eſt Pater, eſt duplex, quia ly Pater, poteſt prædicare perſonam Patris, & ſic eſt vera. Non enim homo eſt illa perſona. Vel poteſt prædicare relationem tantum, & ſic eſt falſa: quia relatio paternitatis etiam in alijs inuenitur, licèt non vniuoce. Similiter hæc eſt vera, ſolus Deus creat, nec tamen ſequitur, ergo ſolus Pater, quia vt ſophiſtæ dicunt, dictio excluſiua immobilitat terminum, cui adiungitur, vt non poſſit fieri ſub eo deſcenſus pro aliquo ſuppoſitorum, non enim ſequitur ſolus homo eſt animal rationale mortale, ergo ſolus ſortes.

iorem; *Quidquid dicitur de Deo* ſine dictione excluſiua immobilitante terminum, *cui adiungitur, vt non poſſit fieri ſub eo deſcenſus pro aliquo ſuppoſitorum, poteſt dici de Patre*, concedit maiorem. *Quidquid dicitur de Deo* cum illa dictione excluſiua &c. negat maiorem. Tunc conceſſa minori, negat conſequentiam.

SVPER ARTICVLVM COMMENTARIVM.

1 HÆC *dictio, ſolus, poteſt accipi, vt cathegorematica*. Nota pro ſummulis contra quoſdam Summuliſtas aſſerentes, nomina adiectiua, adiectiuè ſumpta, ſiuè ponãtur ex parte ſubiecti, ſiuè ex parte prędicati, potiùs dicenda eſſe dictiones ſyncathegorematicas, quàm cathegorematicas. Loquuntur enim expreſsè contra D. Thomam.

2 *Hæc dictio, ſolus, poteſt accipi vt cathegorematica*; Sed quando accipitur vt dictio cathegorematica, tunc eſt verè, & propriè nomen; quia nomen propriè acceptum, dicitur tantùm de nomine ſubſtãtiuo, & non de adiectiuo, vt ſupra tomo 2. q. 13. art. 1. in Commentario diximus.

3 *Dicitur autem dictio cathegorematica, quæ abſolutè ponit rem ſignificatam circa aliquod ſuppoſitum. Abſolutè*, ideſt, non cum addito, ſeù modaliter; vt cum dico, Homo eſt albus, ly, *albus*, totum ſuum ſignificatum ponit circa hominem; & in caſu noſtro, vt cum dico, homo eſt ſolus, ly, *ſolus*, totum ſuum ſignificatum, quod eſt eſſe ſolitarium, ponit circa hominem abſolutè; & ſenſus eſt, quòd homo eſt omninò omni humano conſortio deſtitutus.

4 *Si ergo ſic accipiatur hæc dictio, ſolus, nullo modo poteſt adiungi alicui termino in diuinis. Nullo modo*, abſolutè loquendo; quoniã aliqua ſuppoſita explicatione poſſet admitti; Nam licèt dicere non valeat abſolutè, Deus eſt ſolus; quia eſſet dicere, quòd Deus eſt ſolitarius, ideſt, abſquè plurium ſuppoſitorum in Deitatis identitate, conſortio, ſi tamen ſit excluſio à conſortio alterius naturæ diuinæ, ſic dicendo, Deus in ratione Deitatis, ſeù naturæ diuinæ eſt ſolus, ſic eſſet vera propoſitio, ſenſus enim eſſet, quòd Deus non habet in vera Deitate alterius Deitatis ſocietatem. Verùm iuxta hunc loquendi modum, ly, *ſolus*, non acciperetur vt dictiò propriè cathegorematica, ſed potiùs vt ſyncathegorematica; eò quia ly, *ſolus*, nõ applicaret totum ſuum ſignificatum ſupra ſubiectum abſolutè, ſed cum reſtrictione, quod eſt contra rationem huius dictionis, *ſolus*, quatenùs cathegorematica eſt.

5 *Dictio verò ſyncathegorematica dicitur, quę importat ordinem prædicati ad ſubiectum. Quæ importat ordinem prædicati ab ſubiectũ*, ideſt, quæ neque præcisè ponitur vt prædicatum, neque vt ſubiectum, ſed quatenùs diſtribuit, ſeù modificat, quomodo prædicatum ineſt ſubiecto. Idquè manifeſtatur exemplis; vt cum dico, omnis homo eſt rationalis, ly, *omnis*, demonſtrat, quomodo ly, *rationalis*, de homine prædicatur, ideſt, non particulariter, nõ indefinitè, ſed vniuerſaliter. Et ſimiliter cum dico, ſolus ſortes currit; ly, *ſolus*, non excludit omnem à ſorte hominum ſocietatem, ſed excludit ſocietatem in currendo, & in hoc caſu ly, *ſolus*, accipitur vt dictio ſyncathegorematica. Poteſt enim eſſe caſus, quòd in circuitu ſortis currentis ſint plures homines ipſum conſpicientes, & obſeruantes &c.

6 In reſp. ad 1. *Licèt Angeli, & animæ ſanctæ ſemper ſint cum Deo, tamen ſi non eſſet pluralitas perſonarum in diuinis, ſequeretur, quòd Deus eſſet ſolus, vel ſolitarius*. Occurrit

dubium;

Digitized by Google

dubium; quia Angeli Beati, & ſimiliter animæ ſanctæ, quæ Deum clarè vident, eoquè fruuntur, ſunt conſortes diuinæ naturæ; ſunt enim Deo ſimiles iuxta illud 1. Ioannis 3. *Cum apparuerit ſimiles ei erimus*, habentquè amicitiam cum Deo; Amore enim amicitiæ diligunt Deum, & deliguntur ab eo. Iuxta illud, *Dico autem vobis amicis meis*. Et illud Prou. 8. *Diligentes me diligo*. Et illud Ioannis 6. *In me manet, & ego in eo*, quæ omnia honorificentiſſimam cum Deo inſinuat ſocietatem. Et Pſalm. 90. *Cum ipſo ſum in tribulatione*. Ergo falſo dicit, quod *licèt Angeli, & Animæ ſanctæ ſemper ſint cum Deo, tamen ſi non eſſet pluritas perſonarum in diuinis, ſequeretur, quòd Deus eſſet ſolus, vel ſolitarius*.

1. Ioan. 3.
Prou. 8.
Ioann. 6.
Pſalm. 90.

7 Reſpondetur explicando antecedens. Angeli Beati, & ſimiliter animæ ſanctæ &c. ſunt conſortes diuinæ naturæ, ſimiles Deo, diligunt amore amicitię Deum, & diliguntur à Deo, manent in Deo, & Deus in eis, & cum eis, per modũ adoptionis, cognitionis, & dilectionis, concedo antecedens. Per modum naturalis, ac vniuocæ proportionis, nego antecedens. Ergo &c. nego conſequentiam. Namquè primo modo intelligenda ſunt Sacrę Scripturę loca; & D. Thomas hic ſecundo modo loquitur, & non primo. Et quis negabit mutuum amicitiæ amorem de ſolitario amante non verificari, ſed requiri ad minùs duorum charam amantium ſocietatem?

8 In reſp. ad 2. *Hæc dictio, ſolus, propriè loquendo, non ponitur ex parte prædicati*. Nota hæc aurea D. Thomæ verba; quia per ea facile ſcimus ſi quandoquè ly, *ſolus*, in aliqua ſcriptura authentica poni, aut pronunciari ſolet, non propriè, ſed impropriè, & explicatiuè debere exponi.

9 *Sed hoc aduerbium, tantùm, cum ſit excluſiuum, poteſt poni ex parte ſubiecti, & ex parte prædicati*. Dubium occurrit quia hęc particula, *ſolus*, non eſt copulatiua, ſeu coniunctiua, ſed ſolummodo excluſiua. Ergo poteſt poni ex parte ſubiecti, & ex parte prædicati, ſicuti ex parte vtriuſquè illa dictio, tantùm, poni poteſt. Antecedens patet. Probatur conſequentia; quia ideo hæc dictio, *tantùm*, poteſt poni ex parte ſubiecti, & ex parte prædicati per D. Thomam, quia eſt *dictio excluſiua*: ſed hæc dictio, *ſolus*, eſt dictio excluſiua, vt patet ex D. Thoma in corp. & in tit. quæſiti. Ergo poteſt poni ex parte ſubiecti, & ex parte prædicati.

10 Reſpondetur, explicando antecedens. Hæc particula, *ſolus*, non eſt copulatiua &c. ſed excluſiua alterius ſuppoſiti à cõſortio prædicati, ac proinde ſe tenens ex parte ſubiecti, concedo antecedens. Sed excluſiua præcisè, nego antecedens. Ergo &c. nego conſequentiam. Ad cuius probationem explico maiorem. Ideo hæc dictio, *tantùm*, poteſt poni ex parte ſubiecti, & ex parte prædicati, quia eſt dictio excluſiua præcisè, concedo maiorem. Quia eſt dictio excluſiua alterius ſuppoſiti à conſortio prædicati, nego maiorem. Similiter explicanda eſt minor, & neganda eſt conſequentia. Quare &c.

11 *Vnde non propriè dici poteſt, Pater eſt ſolus Deus, vel Trinitas eſt ſolus Deus*. Per hæc verba confirmat, quod in principio reſponſionis dixerat, ſeù hanc regulam ex ſupradicta doctrina deducit, videlicet, quod *hæc dictio, ſolus, propriè loquendo, non ponitur ex parte prædicati*.

12 *Niſi fortè ex parte prædicati intelligatur aliqua implicatio*, ideſt, aliqua alterius propoſitionis ſubintellectio, pro vt in littera explicatur.

13 *Auguſtinus autem dicit, Patrem non eſſe ſolum Deum, ſed Trinitatem eſſe ſolum Deum, loquitur expoſitiuè; ac ſi diceret, cum dicitur &c. non eſt exponendum de perſona Patris, ſed de ſola Trinitate*. Non ait, quod cum dicitur, *Regi ſæculorum, immortali, inuiſibili, ſoli Deo &c.* quod eſt vera propoſitio de ſola Trinitate, & falſa de Patre, quoniã, vt idem D. Thomas teſtatur, *non propriè dici poteſt, Pater eſt ſolus Deus, vel Trinitas eſt ſolus Deus, niſi fortè ex parte prædicati intelligatur aliqua implicatio, vt dicatur, Trinitas eſt Deus, qui eſt ſolus Deus. Et ſecundùm hoc etiam poſſet eſſe vera iſta, Pater eſt Deus, qui eſt ſolus Deus, ſi relatiuum referret prædicatũ, & non ſuppoſitum*. Ait igitur, quòd locus ille Sacræ Scripturæ iam præfatus, non exponendus eſt de ſolo Patre, ſed de ſola Trinitate. Vel dicas vt in numero immediatè ſequenti.

D. Thom.

14 *Non eſt exponendum de perſona Patris, ſed de ſola Trinitate*. Fortè, quia de ſola Trinitate verificatur cum intelligentia alicuius implicationis ſupradictæ, ac in littera poſitæ, non ſolùm ſi relatiuum referret prędicatum, & non ſuppoſitum, ſed etiam ſi relatiuum referret etiam ſuppoſitum. Nam licèt, cum dicitur, *Pater eſt ſolus Deus*, ſit vera propoſitio, ſubintellecta hac implicatione; *Pater eſt Deus, qui*, ſcilicet, *Deus eſt ſolus Deus*; Non tamen vera eſſet propoſitio, ſi ſic diceretur. *Pater eſt ſolus Deus, qui*, ſcilicet, *Pater eſt ſolus Deus*: At verò cum dicitur, *Trinitas eſt ſolus Deus*, vera eſt propoſitio vtroquè modo ſubintellecta implicatione, ſcilicet, *Trinitas eſt ſolus Deus*, qui puta, Deus, *eſt ſolus Deus*; & *Trinitas eſt ſolus Deus*, ideſt, quæ eſt ſolus Deus.

In

Digitized by Google

15 In reſp ad 3. *Quia, vt Sophiſtæ dicunt, dictio excluſiua immobilitat terminum cui adiungitur*. Nota hoc pro Summulis, vt valeas Nouitios, ne fallacijs decipiantur, inſtruere. Ex argumento, & reſponſione percipies argumẽti fallacis exemplum.

ARTICVLVS QVARTVS.

Vtrum dictio excluſiua poſſit adiungi termino perſonali.

AD quartum ſic proceditur, videtur, quod dictio excluſiua poſſit adiungi termino perſonali, etiam ſi prædicatum ſit cõmune. Dicit enim Dominus ad Patrẽ loquens, Ioan. 17. vt cognoſcant te ſolum Deum verum: ergo ſolus Pater eſt Deus verus.

2 *Præterea. Matth. 2. dicitur. Nemo nouit Filium, niſi Pater; quod idem ſignificat, ac ſi diceretur, ſolus Pater nouit Filium; ſed noſſe Filiũ eſt commune: ergo idem, quod prius.*

3 *Præterea. Dictio excluſiua non excludit illud, quod eſt de intellectu termini, cui adiungitur, vnde non excludit partem, neque vniuerſale: non enim ſequitur, ſolus ſortes eſt albus: ergo manus eius non eſt alba, vel ergo homo non eſt albus; ſed vna perſona eſt in intellectu alterius, ſicut Pater in intellectu Filij, & è conuerſo. Non ergo per hoc, quod dicitur, ſolus Pater eſt Deus, excluditur Filius, vel Spiritus ſanctus: & ſic videtur hæc locutio eſſe vera.*

4 *Præterea. Ab Eccleſia cantatur, Tu ſolus altiſſimus Ieſu Chriſte.*

Sed contra. Hęc locutio, ſolus Pater eſt Deus, habet duas expoſitiuas, ſcilicet Pater eſt Deus, & nullus alius à Patre eſt Deus, ſed hæc ſecunda eſt falſa, quia Filius alius eſt à Patre, qui eſt Deus, ergo hæc eſt falſa, ſolus Pater eſt Deus, & ſic de ſimilibus.

Reſpondeo dicendum, quod cum dicimus, ſolus Pater eſt Deus, hęc propoſitio poteſt habere multiplicem intellectum. Si enim ſolus, ponat ſolitudinẽ circa Patrem, ſic eſt falſa, ſecundum quod ſumitur categorematicè; ſecũdum verò quod ſumitur ſyncategorematicè, ſic iterum poteſt intelligi multipliciter, quia ſi excludat à forma ſubiecti, ſic eſt vera, vt ſit ſenſus, ſolus Pater eſt Deus, ideſt ille, cum quo nullus alius eſt Pater, eſt Deus; & hoc modo exponit Auguſt. in 6. de Trinitate, cum dicit: Solum Patrem dicimus, non quia ſeparatur à Filio, vel Spiritu ſancto; ſed hoc dicentes ſignificamus, quod illi ſimul cum eo non ſunt Pater; ſed hic ſenſus non habetur ex conſueto modo loquẽdi, niſi intellecta alia implicatione, vt ſi dicatur: ille, qui ſolus dicitur Pater, eſt Deus. Secundum verò proprium ſenſum excludit à conſortio prædicati, & ſic, hæc propoſitio eſt falſa, ſi excludit aliũ, maſculine: eſt autem vera, ſi excludit aliud neutraliter tantum, quia Filius eſt alius à Patre, non

tamen

FORMATIO ARTICVLI.

BIpartita eſt corporis diſtributio. Primò, ſtatuit vnam propoſitionẽ. Secundò, ſupponit diſtinctionẽ ar. præced. poſitam, ac ſimul, & ſemel iuxta membra diſtinctionis multiplicem ponit concluſionem.

Quò ad primũ ſic ait. *Cum dicimus, ſolus Pater eſt Deus, hæc propoſitio poteſt habere multiplicem intellectũ.*

Quò ad ſecũdũ duo facit. Primò ponit primũ diſtinctionis membrũ, ſub quo ſtatuit vnam cõcluſionem negatiuè quęſito reſpondentem. Et ſecũdò, ſtatuit ſecũdũ diſtinctionis mẽbrum, ipſumque, ait, poſſe intelligi multipliciter, & iuxta multiplicitatem eius intelligentiæ totidem ponit concluſiones.

Quò ad horũ primum, ſic ait. *Si enim ſolus, ponat ſolitudinem circa Patrem, ſic eſt falſa, ſecundùm quod ſumitur cathegorematicè.* Hanc concluſionem non probat hìc, ſed ex præced. art. eam ſupponit benè probatam.

Quò ad horum ſecundum, ſic ait. *Secundum verò quòd ſumitur ſyncathegorematicè, ſic iterum poteſt intelligi multipliciter; quia ſi excludat &c.* lege litteram vſque ad finem corp. quoniã formalis eſt, & clarè diſpoſita, ac diſtributa.

Ad primum argumentum reſpondet, explicando antecedens. *Vt cognoſcãt te ſolum Deum verum*, ideſt, *te* ſolam Trinitatem, *Deum verum &c.* concedit antecedens, & in hoc ſenſu intelligẽdus eſt Ioannes. *Vt*, ideſt, *te ſolum* Patrem, *Deum verum &c.* adhùc iterũ explicatur; ita vt ly, *te ſolum Patrem*, excludat id, quod eſt aliud à Patre; non verò alias in Trinitate perſonas, concedit antecedens; Ita vt etiam excludat alias in Trinitate perſonas, negat antecedens. Ergo &c. negat conſequentiam. Quoniã Sacra Scriptura non intelligenda eſt in primo, ſed in ſecũdo ſenſu.

Ad ſecundum argumentum reſpondet, explicando maiorem. Nemo nouit Filium &c. nemo, ita vt hæc dictio, *nemo*, accipiatur diſtributiuè pro quacumquè rationali natura, cõcedit maiorem. Ita vt hæc dictio, *nemo*, idem ſit, quòd nullus

Kk ho-

Digitized by Google

homo, quod videtur ſignificare vocabulum, negat maiorē. Tunc cōceſſa minori, negat conſequentiam.

Ad tertium argumentum reſpondet, explicando, ſeù diſtinguendo maiorem. Dictio excluſiua nō excludit illud, quod eſt de intellectu termini cui adiungitur, ſi illa, quæ ſunt de intellectu termini, cui adiungitur, non differunt ſecūdùm ſuppoſitum, vt pars, & vniuerſale, concedit maiorem, ſi differūt ſecūdum ſuppoſitū, ſicut Filius differt ſuppoſito à Patre, negat maiorem. Similiter diſtinguenda eſt minor, & neganda eſt conſequentia.

Ad quartum argumentum reſpondet, explicando authoritatem Eccleſiæ. *Ab* *tamen aliud, ſimiliter & Spiritu ſancto: ſed quia hæc dictio, Solus, reſpicit propriè ſubiectum; vt dictum eſt, magis ſe habet ad excludendum alium, quàm aliud: vnde non eſt extendenda talis locutio, ſed piè exponenda, ſicubi inueniatur in authentica ſcriptura.*

Ad primum ergo dicēdum quod cum dicimus, te ſolum Deum verum, non intelligitur de perſona Patris, ſed de ſola Trinitate, vt Auguſt. exponit, vel ſi intelligatur de perſona Patris, non excluduntur aliæ perſonæ propter eſſentiæ vnitatem, prout ly ſolus, excludit tantum aliud, vt dictum eſt.

Et ſimiliter dicendum eſt ad ſecundum, cum enim aliquid eſſentiale dicitur de Patre, non excluditur Filius, vel Spiritus ſanctus, propter eſſentiæ vnitatem. Tamen ſciendum eſt, quod in authoritate prædicta, hæc dictio, nemo, non idem eſt, quod nullus homo, quod videtur ſignificare vocabulum. Non enim poſſet excipi perſona Patris, ſed ſumitur ſecundum vſum loquendi diſtributiuè, pro quacumque rationali natura.

Ad tertium dicendum, quod dictio excluſiua nō excludit illa, quæ ſunt de intellectu termini cui, adiungitur, ſi non differunt ſecundum ſuppoſitum, vt pars, & vniuerſale; ſed filius differt ſuppoſito à Patre, & ideo non eſt ſimilis ratio.

Ad quartum dicendum, quod non dicimus abſolutè, quod ſolus Filius ſit altiſſimus, ſed quod ſolus ſit altiſſimus cum Spiritu ſancto, in gloria Dei Patris.

Eccleſia cantatur; Tu ſolus Altiſſimus Ieſu Chriſte, tranſitiuè, cōcedit antecedens. Intranſitiuè, negat antecedens. Ergo &c. negat conſequentiā.

Secundò, & ſub alijs verbis, ſic, & in idem redit, eſt formanda reſponſio. *Tu ſolus altiſſimus Ieſu Chriſte*, cum incluſione aliarum perſonarum, concedit antecedens. Cum excluſione aliarum, negat antecedēs. Ergo &c. negat conſequentiā; quoniā ab Eccleſia nō cantatur, *Tu ſolus Altiſſimus Ieſu Chriſte*, cum excluſione aliarum perſonarū, ſed cum illarum incluſione; in cuius ſignū ſic Eccleſia canit, *Tu ſolus altiſſimus Ieſu Chriſte, cum Sancto Spiritu, in gloria Dei Patris.*

SVPER ARTICVLVM COMMENTARIVM.

1 **V**TRVM *dictio excluſiua poſſit adiungi termino perſonali* ſubaudi, vt rectè Caietanus, *non abſolutè, ſed reſpectu prædicati communis, puta viuere, intelligere, eſſe &c.* Et ratio eſt, quia reſpectu termini, ſeù actus notionalis, dictio excluſiua, *ſolus*, ſyncathegorematicè accepta, de fide certum eſt, poſſe addi termino perſonali; ſicuti de fide certum eſt, quòd ſolus Pater generat, ſolus Filius gignitur, ſolus Spiritus ſanctus procedit.

2 *Cum dicimus, ſolus Pater eſt Deus*, nō quòd articulus de ſola perſona Patris ſermocinetur, ſed exemplariter perſonam Patris aſſumpſit.

3 *Poteſt habere multiplicem intellectum. Si enim ſolus, ponat ſolitudinem circa Patrem, ſic falſa, ſecūdùm quòd ſumitur cathegorematicè.* Hinc addiſcant Summuliſtæ, vnam eādemquè dictionem, poſſe eſſe cathegorematicam; & ſyncathegorematicā, diuerſimodè tamen ordinatā. Nam dictio adiectiua V.G. *ſolus*, ſi applicet totū ſuū ſignificatū ſupra ſubſtantiuū abſolutè, erit dictio cathegorematica; vt cum dico, Petrus eſt ſolus: ſi autem non applicet totū ſuū ſignificatū ſupra ſubſtātiuū abſolutè, ſed aliqualiter, modificando ſcilicet, inhærentiā prædicati ad ſubiectum, eſt dictio ſyncathegorematica; vt cū dico, Petrus ſolus ſcribit. Si ly, *ſolus*, applicet totū ſuū ſignificatū ſupra Petrū, facit hūc ſenſū; Petrus, qui eſt ſolitarius, ſcribit: Et ſic eſt dictio cathegorematica, ſicuti præcedēs: Si verò nō applicet totū ſuū ſignificatū ſupra Petrū, ſed tātū dicit ſolitudinē in Petro in ratione ſcribētis, facit hunc ſenſū Petrus ſcribit & nullus alius eſt cū Petro ſocius in ſcribendo; & ſic eſt dictio ſyncathegorematica; eò quia, ly, *ſolus*, nō excludit omne à Petro aliorū hominū omninò cōſortiū. Poſſūt enim cum Petro ſcribente alij homines ſimul adeſſe; ſed excludit tantummodo à Petro alios ſcribentes.

Sed

Sed aduertant circa hoc Summuliſtæ primò, quod hęc dictio V. G. *ſolus*, quãuis diuerſimodè ordinata, poſſit cathegorematica, & ſyncathegorematica ſimul dici; nihilominùs ſimpliciter, & abſolutè loquendo, cathegorematica, & ſecundùm quid debet ſyncathegorematica nuncupari. Et ratio huius eſt; quia dictio vocatur cathegorematica, aut ſyncathegorematica abſolutè, ratione ſui formalis, & abſolutæ ſignificationis. Ergo hæc dictio, *ſolus*, ſimpliciter, & abſolutè eſt cathegorematica. Syncathegorematica verò ratione ſituationis, ac reſtrictionis ſui proprij, & abſolutè ſignificati.

5 Aduerte ſecundò, quòd non omnis dictio adiectiua, habet hoc, vt ſit cathegorematica ſimul, & ſyncathegorematica, ſed hoc eſt proprium dictionis excluſiuæ puta *ſolus*, quæ, quia ratione diuerſæ ordinationis diuerſam, ſeù diuerſimodè ſolitudinem applicat ſupra ſuũ ſubſtãtiuum, ideo poteſt vtramquè præfatam habere denominationem: at verò, aliæ adiectiuæ dictiones, quia ſemper totum ſuum ſignificatum applicant ſupra ſubſtantiuum, ideo ſunt tantummodo cathegorematicæ. V. G. cum dico, homo eſt albus, clarum eſt, quòd ly, *albus*, eſt dictio cathegorematica; ponitur enim ex parte prædicati, ac proinde, vt forma ſubiecti; & aliàs, non habet vnde ſignificatum eius reſtringatur. Ergo applicat totum ſuum ſignificatum homini. Similiter cum dico, homo albus diſputat, ſenſus eſt, quòd homo, qui eſt albus, ecce tota albedinis ratio ſupra hominem applicata, diſputat, ideſt, homo ille diſputat, cui tota albedinis ratio ineſt.

6 *Vnde non eſt extendenda talis locutio, ſed piè exponenda*. Vide art. 5. comment. q. 39. nu. 5.

7 In reſp. ad 2. *Cum enim aliquid eſſentiale dicitur de Patre, non excluditur Filius, vel Spiritus ſanctus, propter eſſentiæ vnitatem*. Nota hanc obſeruantiam, quoniam nõ parùm confert ad obſtruenda ora hęreticorum; quoniam, illud duntaxat, negandum eſt vnj perſonæ, ſi alteri conuenire, Sacra Scriptura teſtificante concilijs &c. dicatur, quod relatiuam oppoſitionem cum illa perſona dicit. *In omnis* enim *omnia ſunt vnum, vbi non obuiat relationis oppoſitio*, & hoc magis obſeruabitur infra. Vnde D. Auguſtinus 7. de Trinit. cap. 6. ſic ait. *Neque cum audierit Patrem, ſolum Deum, ſeparet inde Filium, aut Spiritum ſanctum. Cum eo quippe ſolus Deus, cum quo, & vnus Deus eſt: Quia & Filium cum audimus ſolum Deum, ſine vlla ſeparatione Patris, aut Spiritus ſancti oportet accipere*. D. Aug.

8 *Hæc dictio, nemo, non idem eſt, quòd nullus homo &c. non enim poſſet excipi perſona Patris*. Senſus eſt, quando Matthæi 2. à Chriſto Domino dicitur, *Nemo nouit Filium, niſi Pater*. Si ly, *nemo, idem eſſet ac nullus homo*, ſequeretur, aut quòd Pater æternus eſſet homo, quod non eſt verũ, aut quòd per ly, *nemo*, vt propoſitio ſit vera, non intelligatur nullus homo, ſed nulla intellectualis natura. Matt. 2.

9 Hinc habes, quòd illa particula, *niſi Pater*, non excludit Spiritum ſanctum, propter rationem iam dictam.

10 In reſp. ad 3. *Dictio excluſiua non excludit illa, quæ ſunt de intellectu termini cui adiũgitur, ſi non differunt ſecundùm ſuppoſitum*. Nota pro ſummulis, vt ſciant à fallacijs cauere Nouitij. Nam vt in argumento ponitur, cum dico, ſolus Socrates eſt albus, non excluditur pars Socratis, puta manus, neque homo, ſed tantummodo alia ſuppoſita excluduntur.

11 In reſp. ad 4. *Non dicimus abſolutè, quòd ſolus Filius eſt altiſſimus*. Nota elegantem cantus Eccleſiaſtici explicationem, ac ſupradictæ regulæ firmitatem, nempè quòd hæc dictio, *ſolus*, ſe tenet ex parte ſubiecti propriè loquendo, & excludit alia ſuppoſita à conſortio prædicati.

Digitized by Google

QVÆSTIO XXXII.

DE DIVINARVM PERSONARVM COGNITIONE.

IN QVATVOR ARTICVLOS DIVISA.

COnſequenter inquirendum eſt de cognitione diuinarum perſonarum.

Et circa hoc quęrũtur quatuor.

¶ Primò, vtrum per rationem naturalem poſſint cognoſci diuinæ perſonæ.

¶ Secundò, vtrum ſint aliquæ notiones diuinis perſonis attribuendæ.

¶ Tertiò, de numero notionum.

¶ Quartò, vtrum liceat diuerſimodè circa notiones opinari.

FORMATIO ARTICVLI.

QVadripartita eſt corporis diſtributio. Primò, reſpõdet quæſito vnica concluſione negatiua. Secundò, cã vnica ratione probat. Tertiò, ne quis nitatur Trinitatem naturali ratione probare, aſſignat quot modis, & qualiter fidei derogat. Et quartò, præſtat ea, quæ fidei ſunt, quomodo probanda ſunt, ac defendenda.

Quò ad primum, concluſio eſt iſta. *Impoſſibile eſt per rationem naturalem ad cognitionem Trinitatis diuinarum perſonarũ peruenire.*

Quò ad ſecũdum, probatio eſt iſta.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum Trinitas diuinarum perſonarum poſſit per naturalem cognitionem cognoſci.

AD primum ſic proceditur, videtur, quod Trinitas diuinarum perſonarum poſſit per naturalem rationem cognoſci: Philoſophi enim non deuenerunt in Dei cognitionem, niſi per rationem naturalem. Inueniũtur autem à Philoſophis multa dicta de Trinitate perſonarum: dicit enim Ariſtot. in 1. de cæl. & mund. Per hunc numerum, ſcilicet ternarium, adhibuimus nos ipſos magnificare Deum vnum, eminentem proprietatibus eorum, quæ ſunt creata. Auguſt. etiam dicit 7. confeſſ. ibi legi, ſcilicet in libris Platonicorum, non quidem his verbis; ſed hoc idem omninò multis, & multiplicibus ſuaderi rationibus, quod in principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum, & huiuſmodi, quæ ibi ſequuntur. In quibus verbis diſtinctio diuinarum perſonarum traditur; dicitur etiam in gloſ. Roman. 1. & Exod. 7. quod magi Pharaonis defecerunt in tertio ſigno, ideſt in notitia tertiæ perſonæ, ſcilicet Spiritus ſancti, & ſic ad minus duas cognouerunt. Trimegiſtus etiam dixit: Monas genuit monadem, & in ſe ſuum reflexit ardorem; per quod videtur generatio Filij, & Spiritus ſancti proceſſio intimari. Cognitio ergo diuinarum perſonarum, poteſt per rationem naturalẽ haberi.

2 Præterea. Riccard. de ſanct. Victor. dicit in lib. de Trinitate: Credo ſine dubio, quod ad quã-

cunque

Hoc ſolum ratione naturali de Deo cognoſci poteſt, quòd competere ei neceſſe eſt, ſecundũ quòd eſt omnium entium principium; & hoc fundamento vſi ſumus ſupra in conſideratione Dei: ſed *virtus creatiua Dei eſt communis toti Trinitati.* Ergo *per rationẽ naturalem cognoſci poſſunt de Deo, ea, quæ pertinent ad vnitatem eſſẽtiæ, non autem ea, quæ pertinent ad diſtinctionẽ perſonarum.* Ergo *impoſſibile eſt per rationem naturalem &c.* Hæc vltima conſequentia patet ex prima. Primam verò probat ex minori. Nam ſi *eſt communis toti Trinitati;* Ergo *pertinet ad vnitatem eſſentiæ, non ad diſtinctionem perſonarũ.* Ergo *per rationem natura-*

tura-

turalem &c. Minorē relinquit vt notam: Maiorē verò ſic probat. *Creaturæ ducunt in Dei cognitionem ſicut effectus in cauſam: ſed oſtenſum eſt ſupra, quòd homo per rationem naturalem in cognitionem Dei peruenire non poteſt, niſi ex creaturis.* Ergo *hoc ſolùm ratione naturali de Deo cognoſci poteſt &c.*

Quò ad tertium, ſic ait. *Qui autem probare nititur Trinitatem perſonarum naturali ratione, fidei dupliciter derogat &c.* Lege litteram vſquè ad illa verba, *& propter eas credamus.*

Quò ad quartum, duo facit, primò inſtruit Catholicos, quomodo ea, quæ fidei ſunt tractari debent, ac defendi, cū ijs, qui Sacrę Scripturę authoritates ſuſcipiunt. Secūdò, quomodo cum ijs, qui infideles omninò ſunt.

Quò ad horū primum, ſic ait. *Quæ igitur fidei ſunt, non ſunt tentanda probare, niſi per authoritates, his, qui authoritates ſuſcipiunt.* Quò ad horum ſecūdum, inſtructionem, ſeù catholicum documentum affert; illudquè authoritate Dionyſij fulcet, & ſic ait. *Apud alios verò*; ſubaudi, *non ſuſcipiētes authoritates, ſufficit defendere non eſſe impoſſibile, quòd prædicat fides. Vnde Dionyſius &c.* Lege litterā vſquè ad finem corporis.

Ad primum argumentum reſpondet, concedēdo maiorē, & negando minorē. Ad cuius probationē tria facit; Primò, iterum aſſerit myſteriū

cunque explanationem veritatis, non modo probabilia, imò etiam neceſſaria argumenta non deſint: vnde etiam ad probandum Trinitatem perſonarū, aliqui induxerunt rationem ex infinitate bonitatis diuinæ, quæ ſeipſam infinitè communicat in proceſſione diuinarum perſonarum. Quidam verò per hoc, quod nullius boni ſine conſortio poteſt eſſe iucunda poſſeſſio. Auguſt. verò procedit ad manifeſtandum Trinitatem perſonarum ex proceſſione verbi, & amoris in mente noſtra. Quam viam ſupra ſecuti ſumus, ergo per rationem naturalem poteſt cognoſci Trinitas perſonarum.

3 Præterea. Superfluum videtur homini tradere, quod humana ratione cognoſci non poteſt; ſed nō eſt dicendum, quod traditio diuina de cognitione Trinitatis ſit ſuperflua: ergo Trinitas perſonarum ratione humana cognoſci poteſt.

Sed contra eſt, quod Hilar. dicit in lib. 1. de Trinit. Non putet homo, ſua intelligentia, generationis Sacramentum poſſe conſequi. Ambroſ. etiā dicit: Impoſſibile eſt, generationis ſcire ſecretum: mens deficit, vox ſilet; ſed per originem generationis, & proceſſionis, diſtinguitur Trinitas in perſonis diuinis, vt ex ſupradictis patet; cum ergo illud homo non poſſit ſcire, & intelligentia conſequi, ad quod ratio neceſſaria haberi non poteſt, ſequitur quod Trinitas perſonarum per rationem cognoſci non poſſit.

Reſpondeo dicendum, quod impoſſibile eſt per rationem naturalem ad cognitionē Trinitatis diuinarum perſonarum peruenire: oſtenſum eſt enim ſupra, quod homo per rationem naturalem in cognitionem Dei peruenire non poteſt, niſi ex creaturis. Creaturæ autem ducunt in Dei cognitionem, ſicut effectus in cauſam. Hoc igitur ſolum ratione naturali de Deo cognoſci poteſt, quod competere ei neceſſe eſt, ſecundum quod eſt omnium entium principium, & hoc fundamento vſi ſumus ſupra in conſideratione Dei: virtus autem creatiua Dei, eſt communis toti Trinitati: vnde pertinet ad vnitatem eſſentiæ, non ad diſtinctionem perſonarum. Per rationem igitur naturalem cognoſci poſſunt de Deo ea, quæ pertinent ad vnitatem eſſentiæ: non autem ea, quæ pertinent ad diſtinctionem perſonarum. Qui autem probare nititur Trinitatem perſonarum naturali ratione, fidei dupliciter derogat. Primò quidem quantum ad dignitatem ipſius fidei, quæ eſt, vt ſit de rebus inuiſibilibus, quæ rationem humanam excedunt: vnde Apoſtolus dicit ad Hebr. 11. quod fides eſt de non apparentibus, & Apoſtolus dicit 1. Corint. 2. cap. Sapientiam loquimur inter perfectos: ſapientiam verò non huius ſeculi, neque Principum huius ſæculi, ſed loquimur Dei ſapientiam in myſterio, quæ abſcondita eſt. Secundo, quantum ad vtilitatem trahendi alios ad fidem. Cum enim aliquis ad probandam fidem inducit rationes, quæ non ſunt cogentes, cedit in irriſionem infidelium; Credunt enim, quod huiuſmodi rationibus innitamur, & propter eas credamus. Quæ igitur fidei ſunt, non ſunt tentanda probare, niſi per auctoritates, his qui auctoritates ſuſcipiunt. Apud alios verò ſufficit defendere non eſſe

Trinitatis non eſſe cognitum à Philoſophis ratione naturali, & authoritate probat. Secundò, aſſignat, quid cognouerint Philoſophi per rationē naturalem; Et tertiò, authoritates in argumēto poſitas acutè declarat.

Quò ad primum, ſic ait. *Philoſophi non cognouerunt myſterium Trinitatis diuinarū perſonarum, per propria, quæ ſunt Paternitas, Filiatio, & proceſſio. Secundùm illud Apoſt. 1. ad corint. 2. loquimur Dei ſapientiam, quā nemo Principum huius ſeculi cognouit, ideſt, Philoſophorum ſecundum gloſam.*

Quò ad ſecūdum principale, ſic ait; *Cognouerunt tamē quædam eſſentialia attributa, quæ appropriantur perſonis, ſicut potentia Patri, ſapientia Filio, bonitas Spirituiſancto.*

Quò ad tertium, ſic ait; *Quod ergo Ariſtoteles dicit &c.* Lege litteram vſquè ad reſponſionis finem.

Ad ſecundum argumentum reſpondet, explicando authoritates, præſertim authoritatē Riccardi ſic. *Credo ſine dubio, quòd ad quamcumquè explicationē veritatis, non modo probabilia, imò etiam neceſſaria argumenta non deſint,* nō tamen *quæ ſufficienter probent radicem; ſed quæ radici iam poſitæ oſtendant congruere cōſequentes effectus,* concedit antecedēs. *Argumenta non deſint,* ad probandum *ſufficienter aliquam radicem,* ideſt, fidem, ſeù ea, quæ per ſe fidei ſunt, negat antecedens. Ergo &c. negat conſequen-

ſequentiam: & ratio negationis eſt; quia Riccardus locu us eſt in primo, non autem in ſecundo ſenſu. Et hoc idem dicendum ſupponit ad alias authoritates in argumento poſitas.

Ad tertium argumentum reſpondet, & reſponſio conſiſtit in negatione maioris vniuerſaliter, & aſſignat cognitionē diuinarum perſonarum, nedùm non ſuperfluam, ſed dupliciter nobis fuiſſe neceſſariam. Lege litteram.

eſſe impoſſibile, quod prædicat fides: vnde Dionyſ. dicit 2. cap. de diuin. nomin. Si aliquis eſt, qui totaliter eloquijs reſiſtit, longè erit à noſtra philoſophia. Si autem ad veritatem eloquiorum, ſcilicet ſacrorum, reſpicit, hoc & nos canone vtimur.

Ad primum ergo dicendum, quod Philoſophi non cognouerunt myſterium Trinitatis diuinarum perſonarum, per propria, quæ ſunt, paternitas, filiatio, & proceſſio, ſecundum illud Apoſtol. 1. ad Corinth. 2. Loquimur Dei ſapientiam, quàm nemo Principum huius ſeculi cognouit, ideſt Philoſophorum, ſecundum gloſſ. Cognouerunt tamen quædā eſſentialia attributa, quæ appropriantur perſonis, ſicut potentia Patri, ſapientia Filio, bonitas Spiritiuiſancto, vt infra patebit. Quod ergo Ariſtot. dicit per hunc numerū adhibuimus noſipſos, &c. non eſt ſic intelligendum, quod ipſe poneret ternarium numerum in diuinis; ſed vult dicere, quod antiqui vtebantur ternario numero in ſacrificijs, & orationibus, propter quādam ternarij numeri perfectionem. In libro etiam Platonicorum inuenitur: In principio erat verbum, non ſecundum quod verbum ſignificat perſonam genitam in diuinis, ſed ſecundum quod per verbum intelligitur ratio idealis, per quā Deus omnia condidit, quæ Filio appropriatur; & licèt appropriata tribus perſonis cognoſcerent: dicuntur tamen in tertio ſigno defeciſſe, id eſt, in cognitione tertiæ perſonæ, quia, à bonitate, quæ Spiritui ſancto appropriatur, deuiauerunt, dum cognoſcentes Deum, non ſicut Deum glorificauerunt, vt dicitur Roman. 1. vel quia ponebant Platonici vnum primum ens quod etiam dicebant eſſe Patrem totius vniuerſitatis rerum, conſequenter ponebant aliam ſubſtantiam ſub eo, quàm vocabant mentem, vel paternum intellectum. In qua erant rationes omnium rerum, ſicut Macrobius recitat ſuper ſomnium Scipionis. Non autem ponebant aliquam ſubſtantiā tertiam ſeparatam, quę videretur Spiritui ſancto reſpondere. Sic autem nos non ponimus Patrem, & Filium ſecundum ſubſtantiam differentes; ſed fuit error Origenis, & Arrij ſequentium Platonicos. Quod verò Trimegiſtus dixit: Monas monadem genuit, & in ſe ſuum reflexit ardorem, nō eſt referēdum ad generationem Filij, vel proceſſionem Spiritus ſancti; ſed ad productionem mundi; nam vnus Deus produxit vnum mundum, propter ſui ipſius amorem.

Ad ſecundum dicendum, quod ad aliquam rē dupliciter inducitur ratio, vno modo ad probandū ſufficienter aliquam radicem, ſicut in ſcientia naturali inducitur ratio ſufficiens ad probandum, quod motus cæli ſemper ſit vniformis velocitatis. alio modo inducitur ratio, non quæ ſufficienter probet radicem; ſed quæ radici iam poſitæ oſtendat congruere conſequenter effectus. Sicut in aſtrologia ponitur ratio eccentricorum, & epicyclorū, ex hoc, quod hac poſitione facta, poſſunt ſaluari apparentia ſenſibilia circa motus cæleſtes, non tamen ratio hæc eſt ſufficienter probans, quia etiam fortè alia poſitione facta ſaluari poſſent. Primo ergo modo, poteſt induci ratio ad probandum Deū eſſe vnum, & ſimila; ſed ſecundo modo, ſe habet ratio, quæ inducitur ad manifeſtationem Trinitatis, quia ſcilicet Trinitate poſita congruunt huiuſmodi rationes, non tamen ita, quod per has rationes ſufficienter probetur Trinitas perſonarum; & hoc patet per ſingula: bonitas enim infinita Dei manifeſtatur, etiam in productione creaturæ, quia infinitæ virtutis eſt ex nihilo producere. Non enim oportet, ſi infinita bonitate ſe communicat, quod aliquid infinitum à Deo procedat; ſed ſecundum modum ſuum recipiat diuinam bonitatem. Similiter etiam, quod dicitur, quod ſine conſortio non poteſt eſſe iucunda poſſeſſio alicuius boni, locum habet, quando in vna perſona non inuenitur perfecta bonitas: vnde indiget ad plenam iucunditatis bonitatem, bono alicuius alterius conſociati ſibi. Similitudo autem intellectus noſtri non ſufficienter probat aliquid de Deo, propter hoc, quod intellectus non vniuocè inuenitur in Deo, & in nobis; & inde eſt, quod Auguſt. ſuper Ioan. dicit, quod per fidem venitur ad cognitionem, & non è conuerſo.

Ad tertium dicendum, quod cognitio diuinarū perſonarum fuit neceſſaria nobis dupliciter, vno modo ad rectè ſentiendum de creatione rerum: per hoc enim, quod dicimus Deum omnia feciſſe verbo ſuo, excluditur error ponentium Deum produxiſſe res ex neceſſitate naturæ: per hoc autem quod ponimus in eo proceſſionem amoris, oſtenditur, quod Deus non propter aliquam indigentiam creaturas produxit, neque propter aliquam aliam cauſam extrinſecam; ſed propter amorem ſuæ bonitatis: vnde & Moyſes poſtquam dixerat: In principio creauit Deus cælum, & terram, ſubdit: Dixit Deus, fiat lux, ad manifeſtationem diuini Verbi; & poſtea dixit: Vidit Deus lucem, quod eſſet bona, ad oſtendendum probationem diuini amoris; & ſimiliter in alijs operibus. Alio modo, & principalius ad rectè ſentiendum de ſalute generis humani, quæ perficitur per Filium incarnatum, & per donum Spiritus ſancti.

Digitized by Google

SVPER ARTICVLVM COMMENTARIVM.

1 VTRVM. *Trinitas diuinarum perſonarum poſſit per naturalem rationem cognoſci*, ſubaudi, demonſtratiuè, aut probabiliter.

2 *Impoſſibile eſt per rationem naturalem ad cognitionem Trinitatis diuinarum perſonarum peruenire. Impoſſibile*, non tamen contra lumen naturale eſt ad cognitionem diuinarum perſonarum peruenire. Aliquod enim dupliciter impoſſibile dicitur; vel quia prædicatum repugnat ſubiecto, ſeù quia eſt terminorum pugna, vt ſi dicatur. Totum nõ eſſe maius ſua parte: aut quia eſt ſupra captum luminis naturalis. Impoſſibile primo modo eſt contra lumen naturale; Impoſſibile verò ſecundo modo, nequaquàm, ſed ex nominis ethimologia apparet, quòd debet dici nequè naturale, nequè contra naturam, ſed ſupernaturale. Quemadmodum enim Deus non eſt ens naturale, cum ſit ſupra quamcumquè naturalitatem; nequè contra naturam; cum ſit naturæ author; ſed ens ſupernaturale; ita in caſu noſtro, cognoſcibilitas diuinarũ perſonarum non eſt proportionata lumini naturali; non contra lumen naturale, ſed ſupernaturalis. Quidquid dicat Suarez. Suarez.

3 *Impoſſibile eſt per rationem naturalem ad cognitionem Trinitatis diuinarum perſonarum peruenire*, ſubaudi, per inuentionem, demonſtratiuè, aut probabiliter, vt nu. 1. adnotauimus; non autem fide humana adhæſiuè; quoniam multi carentes fide, vt ſunt hæretici, alia fidei myſteria negantes, Trinitatis verò arcanum confitentes, qui non ratione naturali demõſtratiua, aut probabili, vt patet; nequè fide ſupernaturali, quia ea carent, ſed fide humana dumtaxat, ſeù propriè voluntatis arbitrio Trinitatem diuinarum perſonarum admittunt.

4 *Impoſſibile eſt &c.* non dicit difficile, ſed impoſſibile, vt excellentiam fidei, & eorum, quæ per ſe ad fidem pertinent oſtendat. Etenim ſi cognitio Trinitatis, & eorum quæ per ſe ad fidem ſpectant, poſſent naturali ratione demonſtrari, fides non eſſet omninò neceſſaria, ſed ad benè eſſe, ad hoc, ſcilicet, vt faciliùs, & non cum tanta difficultate, ea, quæ per ſe fidei ſunt, cognoſcantur.

5 *Impoſſibile eſt per rationem naturalem ad cognitionem Trinitatis &c.* ſubaudi, non ſolùm reſpectu hominum, & cuiuſcũquè angelicæ creaturæ de facto productæ, ſed reſpectu cuiuſcumquè intellectualis de facto productę, vel producibilis creaturæ. Etenim Angeli fuerunt creati in gratia, & non in gloria, ac proinde indiguerunt fide, ſicut & nos; quoniã quantùm ad hoc eſt, vtrobiquè æqua ratio; cum quælibet intellectualis creata, vel creabilis natura ſit intra limites naturalitatis, ac per conſequens, improportionata, & inſufficiens ad cognoſcibilitatẽ ſupernaturalem. Quapropter, D. Thomas vtens homine in probatione præſentis concluſionis, non ad naturam humanam reſtrinxit abſolutè poſitam cõcluſionem, ſed claritatis gratia, quoniã eadem efficacitate currit ratio de Angelis creatis, & creabilibus.

6 *Hoc igitur ſolum ratione naturali de Deo cognoſci poteſt, quod competere ei neceſſe eſt, ſecundùm quòd eſt omnium entium principium*, ſubaudi, effectiuum, non autem exemplare; quoniam etiam Deus, vt Trinus, eſt creaturæ intellectualis exemplar; homo enim eſt ad imaginem Dei, etiam quantùm ad Trinitatem perſonarum, vt rectè docet D. Thomas infra quæſt. 39. art. 5. D.Thom.

7 *Virtus autem creatiua Dei, eſt communis toti Trinitati. Vnde pertinet ad vnitatem eſſentiæ, non ad diſtinctionem perſonarum*. Dubium occurit circa iſtam illationem, ſcilicet, *vndè*, ſeù ergo *pertinet ad vnitatem eſſentiæ non ad diſtinctionem perſonarum*, ex hoc antecedenti, nimirùm; *virtus creatiua Dei eſt communis toti Trinitati*. Nam virtus ſpiratiua eſt communis Patri, & Filio, & tamen pertinet ad vnitatem ſpiratoris. Pater enim, & Filius, vt dicemus, ſunt vnus Spirator; & etiàm ad diſtinctionem perſonarum: ſcilicet ad diſtinctionem Patris, & Filij. Nam Spiritus ſanctus procedit à Patre, & Filio tamquàm à duobus ſuppoſitis, taliter, quòd non eſſet idem omninò Spiritus ſanctus, ſi procederet tantùm à Patre. Ergo non rectè infertur ex hoc, quòd virtus creatiua Dei eſt communis toti Trinitati pertineat ad vnitatem eſſentię, & non ad diſtinctionem perſonarum.

8 Reſpondetur primo, concedendo totum aſſumptum, & negando conſequẽtiam; & ratio negationis eſt; quia in præſenti D. Thomas, cum ait, *virtus autem* D.Thom.

Digitized by Google

autem creatiua Dei &c. intendit dicere, quòd virtus creatiua ex hoc, quòd eſt communis toti Trinitati, arguit principij creatiui, ſeù creatoris vnitatem, non autem diſtinctionem.

9 Reſpondetur ſecundò, concedendo antecedens, ſeù aſſumptum, & negando conſequentiam, & ratio diſparitatis eſt; quia virtus ſpiratiua neceſſario, & per ſe requirit diſtinctionem inter Patrem, & Filium in ratione perſonali; cum Pater, & Filius relatiuè ad inuicem opponantur; & aliàs, cum in ratione ſpirandi, nō opponantur, debent vniri in ratione ſpiratoris. Ac proinde, Spiritus ſanctus procedit à Patre, & Filio, tanquàm ab vno ſpiratore, & duobus ſuppoſitis per ſe ad Spiritus ſancti proceſſionem concurrentibus: at vero virtus creatiua Dei, ſic eſt toti Trinitati communis, vt exigat perſonarum Trinitatem, non propter rationem creationis, ſed propter naturæ diuinæ fœcunditatem; ac per conſequens, ſi per impoſſibile non eſſent tres in Deitate perſonæ, eſſet Deus vere creator, & produceret creaturas eaſdem, quæ modo ſunt: hoc vno tantùm excepto, quòd non darentur creaturæ, quæ eſſent ad imaginem Dei ſecundùm Trinitatem perſonarum.

10 *Qui autem probare nititur Trinitatem perſonarum naturali ratione, fidei dupliciter derogat. Primò quidem, quantùm ad dignitatem ipſius fidei, quæ eſt vt ſit de rebus inuiſibilibus, quæ rationem humanam excedunt.* Loquitur non ſolùm de Trinitatis myſterio, ſed etiam de omnibus ijs, quæ per ſe ad fidem ſpectant; vt patet per præcitara, dum ait; primo quidem quantùm ad dignitatem ipſius fidei, quæ eſt vt ſit de rebus inuiſibilibus. Eadem enim eſt ratio de Trinitatis myſterio, ac de omnibus alijs quæ per ſe ad fidem pertinent. Quandoquidem, quæ per ſe pertinent ad fidem, rationem humanam excedunt.

11 *Quantùm ad dignitatem ipſius fidei, quæ eſt vt ſit de rebus inuiſibilibus*, ſubaudi, non in ſe ipſis, & propter ipſarum rerum intrinſecam inuiſibilitatem, ſed de rebus inuiſibilibus ab intellectu creato, vel creabili, per naturalem rationem. Ex quo collige, quod fides ob luminis naturalis deficientiam ponitur; ac proinde vbi lumen ſufficit naturale, ibi fides neceſſaria non eſt.

12 *Secundò, quantùm ad vtilitatem trahendi alios ad fidem. Cum enim aliquis ad probandum fidem inducit rationes, quæ non ſunt cogentes, cedit in irriſionem infidelium. Credunt enim, quòd huiuſmodi rationibus innitamur, & propter eas credamus.* Angelicum documentum hoc, valdè eſt fidelibus meliſluum, ac proficuum. Senſus enim eius eſt, quòd infideles faciliùs ad fidem catholicam conuertuntur, ſi ea, quæ fidei ſunt, non rationibus inefficacibus defenduntur, ſed ipſis infidelibus dicamus, nos ita ſentire, quia ſic fides catholica ſentiēdum, tenendumquè proponit, ſic Mater Eccleſia inſtruit, credendumquè præcepit.

13 In reſp. ad 1. *Philoſophi non cognouerunt myſterium Trinitatis diuinarum perſonarum, per propria*, ideſt propria, *quæ ſunt, Paternitas, Filiatio, & Proceſſio*; Ideſt, non cognouerunt perſonas Patris, Filij, & Spiritus ſancti.

14 *Cognouerunt tamen quædam eſſentialia attributa, quæ appropriantur perſonis. Cognouerunt*, demonſtratiuè, aut ad minùs probabiliter, quod de Trinitatis myſterio nō cognouerunt.

15 *Cognouerunt tamen quædam eſſentialia attributa, ſub ratione tamen eſſentiali; quæ appropriantur perſonis*; non ab ipſis phyloſophis, ſolo lumine naturæ, ac abſque vlla prorſus Trinitatis reuelatione cognita, procedentibus; ſed ſuppoſita tanti arcani aliquali reuelatione ſiuè per adhæſionem, ſiuè dubitanter diſcurrentibus, appropriantur quædam eſſentialia attributa perſonis. Suppoſita enim trium diuinarum perſonarum exiſtentia, non implicat, vt potentia attribuatur Patri, ſapientia Filio, & bonitas Spiritui ſancto.

16 In reſp. ad 2. *Ad aliquam rem dupliciter inducitur ratio, vno modo ad probandum ſufficienter aliquam radicem dari, vel impoſſibilem non eſſe.*

17 *Alio modo inducitur ratio, non quæ ſufficienter probet radicem*, ideſt, aliquam alicuius rei radicalem veritatem.

18 *Probet radicem*, probatione à poſteriori ſi eſt prima omnium veritatum radix. Vel etiã à priori, ſi eſt reſpectiuè prima.

19 *Primo ergo modo, poteſt induci ratio ad probandum Deum eſſe vnum &c. Deum eſſe vnũ*, poteſt à priori, & à poſteriori demonſtratiuè probari. Et aliàs Deum eſſe vnum, eſt radicalis veritas, ex qua aliæ veritates de Deo deducuntur.

20 *Sed ſecundo modo, ſe habet ratio, quæ inducitur ad manifeſtationem Trinitatis.* Hinc intueris, propter quid Sancti Patres multas, eleganteſquè pro myſterio Trinitatis explicando adinuenere rationes, non ad conuincendos hæreticos, quoniam nō poſuerunt eas, vt myſterij Trinitatis ſufficienter radicalem probarent veritatē, ſed vt oſtenderēt præfatam fidei veritatem, non eſſe contra rationem, ſed rationes illi congruere.

21 In reſp. ad 3. *Cognitio diuinarum perſonarum fuit neceſſaria nobis. Nobis*, reſtrectiuè loquendo,

loquendo, ideſt, reſpectu hominum, non autem ampliatiuè, ideſt, reſpectu omnium creaturarum. Quod patet ex verbis, quæ immediatè ſequuntur; dum ait; *Vno modo ad rectè ſentiendum de creatione rerum, per hoc enim quod dicimus Deum omnia feciſſe Verbo ſuo, excluditur error ponentium Deum produxiſſe res ex neceſſitate naturæ*: clarum autem eſt, angelicas creaturas huius erroris omninò dicendas eſſe expertes. Omnes enim Angeli à Deo liberè fuiſſe creatos, rectè nouerunt.

22 *Per hoc enim, quod dicimus Deum omnia feciſſe Verbo ſuo, excluditur error ponentium Deum produxiſſe res ex neceſſitate naturæ*. Quorum verborum ſenſus eſt, quòd cũ legitur in ſcriptura Deum omnia feciſſe Verbo ſuo, ſicuti eſt illud Ioannis 1. *Omnia per ipſum*, ideſt, per Verbũ ſuum *facta ſunt*. Dictum eſt, ad inſinuandum, quòd Deus non produxit ea, quæ facta ſunt ex neceſſitate naturæ, ſed vt oſtenderet nõ eſſe vnam dumtaxat in Deitate perſonam, ſed etiam Verbum, ſeù perſonam Filij, per quam etiam omnia ſicut à Patre, pariter facta ſunt. Ioan. 1.

23 *Per hoc autem, quòd ponimus in eo proceſſionem amoris, oſtendimus, quòd Deus nõ propter aliquam indigentiam creaturas produxit &c. ſed propter amorem ſuæ bonitatis*. Subaudi, liberè dilectæ, ſeù amatæ reſpectu communicationis ad extra.

24 *Vnde & Moyſes, poſtquam dixerat, in principio creauit Deus cælum, & terram, ſubdit, dixit Deus: Fiat lux, ad manifeſtationem diuini Verbi*, ideſt, ad oſtendendum, vt ſcilicet, auditodictionis nomine, Verbi diuini productio, quæ per Patris dictionem eſt, in hominum memoriam reducatur.

25 *Et poſtea dixit; Vidit Deus lucem, quod eſſet bona, ad oſtendendum probationem diuini amoris*, ideſt, quod audito bonitatis nomine, etiam perſona Spiritus ſancti, cui attribuitur amor, & qui per diuinum amorem à Patre, Filioquè procedit, in memoriam eorumdem hominum fidelium reuocetur.

26 *Vnde & Moyſes, poſtquam dixerat &c.* Vtrumquè quod in primo propoſuerat membro, ex locis Sacræ Scripturæ confirmat.

27 *Alio modo, & principaliùs ad rectè ſentiendum de ſalute generis humani*; Rectè enim de ſalute generis humani ſentire nõ poſſumus, niſi Verbum per fidem cognoſcamus, ex puriſſimis Virginis Mariæ ſanguinibus incarnatum, & ab eadem Intemerata Virginitate, clauſo pudoris clauſtro mirabiliter eſſe natum.

DISPVTATIO CLXXIII.

VTRVM MYSTERIVM TRINITATIS ſit contra naturam.

In duo capita diſtributa.

CAPVT PRIMVM.

Explicatur titulus, Doctorum opiniones referuntur, & veritas ſtabilitur.

1 SENSVS quæſiti eſt, Vtrum myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis, ideſt, quod tres perſonæ ſint vna eſſentia diuina, & è regione ſit contra lumen naturale, ſeù contra principia lumine naturali nota.

2 In qua re, Robertus Olcot in 1. ſent. diſt. 3. apud Ferr. in 4. cont. gent. cap. 7. affirmat Sanctiſſimæ Trinitatis arcanum eſſe contra naturam, per hoc, quòd tenet omnia, quæ per ſe ad fidem pertinent ſunt contra naturam. Communiſſimè verò Theologi negant, licèt Suarez lib. 1. de Trinit. cap. 11. in fine, & Molina hic §. *Poteſt autem probari*, aliqualiter videantur oppoſitæ fauere ſententiæ, quatenùs, ſcilicet, dicunt myſterium hoc intellectui ex vi ſolius luminis naturalis ſpeculanti ſic videtur impoſſibile, vt potiùs lumine naturali ducat in cognitionem contrarij. Olcot. Suarez. Molina.

Sed

Digitized by Google

3 Sed pro determinatione veritatis, Dico breuiter. Myſterium Trinitatis non eſt contra naturam, ſeù contra lumen naturale intellectus creati, ſed ſupra naturam.

4 Probatur primò authoritate Sacræ Scripturæ ex illo Eccleſiaſt. 3. *Altiora te ne quæſieris*. Et ibidem ſubditur, *Plurima ſupra ſenſum hominum oſtenſa ſunt tibi*. Quæ verba D. Thomas ſupra q. 1. art. 1. ad 1. explicans ſic ait; *Licèt ea, quæ ſunt altiora hominis cognitione, non ſint ab homine per rationem inquirenda, ſunt tamen à Deo reuelata ſuſcipienda per fidem*. Ergo myſterium Trinitatis eſt ſupra captum naturalis luminis intellectus creati, ſeù non eſt contra naturam, ſed ſupra.

Eccl. 3.

D.Thom.

5 Probatur ſecundò ex D. Thoma lib. 1. contra gent. cap. 7. vbi ex profeſſo, breuiter, & eruditè probat, *quod veritati fidei chriſtianæ non contrariatur veritas rationis*; & ſic ait. *Quamuis autem prædicta veritas fidei chriſtianæ, humanæ rationis capacitatem excedat, hæc tamen quæ, ratio naturaliter indita habet, huic veritati contraria eſſe non poſſunt*.

D.Thom.

6 Et cap. 8. immediatè ſequenti loquẽs de ijs veritatibus, quæ ratione humana inueſtigari non poſſunt, ſic ait. *Humana igitur ratio ad cognoſcendum fidei veritatem, quæ ſolùm videntibus diuinam ſubſtantiam poteſt eſſe notiſſima, ita ſe habet, quòd ad eam poteſt aliquas veras ſimilitudines, quæ tamen non ſufficiunt ad hoc, quòd prædicta veritas, quaſi demonſtratiuè, vel per ſe intellecta comprehendatur. Vtile tamen eſt, vt in huiuſmodi, rationibus quantumcumquè debilibus ſe mens humana exerceat, dummodo deſit cõprehendẽdi, vel demonſtrãdi præſumptio; quia de rebus altiſſimis etiam parua, & debili conſideratione aliquid poſſe inſpicere, iucundiſſimum eſt*.

7 Et cap. 9. ſic ait. *Sed quia tales rationes ad ſecundam veritatem haberi non poſſunt, non debet eſſe ad hoc intentio, vt aduerſarius rationibus conuincatur, ſed vt eius rationes, quas contra veritatem habet, ſoluantur; Cum veritati fidei ratio naturalis contraria eſſe non poſſit*. Hæc ille. Ergo myſterium Trinitatis; cum ſit fidei veritas altiſſima, non eſt contra lumen naturale.

8 Probatur tertiò rationibus D. Thomæ, quas ponit 1. contra gent. cap. 7. Verum non contrariatur vero: ſed myſteriũ Trinitatis eſt quoddam maximũ fidei chriſtianæ dogma verum, & quæ lumine naturali cognoſcuntur, vt vera, habent in ſe ipſis quoquè veritatem. Ergo myſterium Trinitatis non eſt contra lumen naturale.

D.Thom.

9 Probatur quartò; Quia cognitio principiorum naturaliter notorum eſt participatio diuinæ ſapientiæ, ſeù Dei ſcientis quatenùs author naturæ eſt. Ergo cognitio myſterij Sanctiſſimæ Trinitatis non contrariatur lumini naturali. Patet conſequentia, quia cognitio Trinitatis eſt participatio diuinæ ſapientiæ, ſeù Dei, quatenùs eſt author gratiæ. Ergo vna cognitio non contrariatur alteri.

10 Confirmatur; quia Deus tanquàm magiſter, non fictè, ſed veraciter vtrumque lumen, naturale ſcilicet, reſpectu principiorum lumine naturali notorum; & ſupernaturale, reſpectu ſcilicet, Trinitatis ſupernaturaliter cognitæ, cauſat per modum imaginis, & participationis diuini luminis intellectualis, iuxta illud Pſal. 4. *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine, dediſti lætitiam in corde meo*. Ergo vnum non contrariatur alteri. Non enim in Deo ſunt prædicata oppoſita, quorum vnum participetur ab vno contrario, & alterum ab altero contrario.

Pſal. 4.

11 Probatur quintò; quia quæ ſunt contraria, ita ex eorũ natura ſe habent, quòd ab eodem ſubiecto ſe expellant omninò, ita quòd vno adueniente, alterum recedat: ſed adueniente cognitione eorum quæ fidei ſunt & ſignanter myſterij Trinitatis, non recedit cognitio principiorum naturali lumine cognitorum. Ergo myſterium Trinitatis non eſt contra naturam, ſeù contra lumen naturale. Maior patet ex natura contrariorũ. Et minor etiã patet ex illo Apoſt. ad Rom. 10. *Propè eſt Verbum in corde tuo, & in ore tuo, hoc eſt verbum fidei, quod prædicamus*.

Rom. 10.

12 Confirmatur primò; Quæ contraria ſunt ita ſe habent, quòd vnum non illuminatur ab altero, ſed alterum ab altero maximè diſtat: ſed quæ ſunt fidei & lumen naturale, ſeù quæ lumine naturali cognoſcuntur, ita ſe habent, quòd vnum ab altero illuminatur. Ergo lumen naturale, & myſterium Trinitatis, & omnia quę per ſe fidei ſunt, nõ contrariantur ad inuicem. Maior eſt manifeſta. Probatur minor; Quia per lumẽ fidei illuminatur intellectus etiã quò ad ea, quę lumine naturali cognoſci poſſunt, vt patet ex D. Thoma ſupra q. 1. art. 1. in corp.

D.Thom.

13 Confirmatur ſecundò; Quia ea, quæ fidei ſunt & lumen naturale, ſeù ea, quæ lumine naturali cognoſcuntur, ſi aduerſantur ad inuicem: vel opponũtur obiectiuè, aut ſubiectiuè. Neutro modo. ergo. Maior patet. Probatur minor. Nam in patria, quãdo Deo duce videbimus Deũ ſicuti eſt, cognoſcemus quoquè omne naturaliter cognoſcibile. Ergo nequè obiectiuè, nequè ſubiectiuè opponũtur.

Probatur

14 Probatur tandem. Supernaturale, & naturale non opponuntur. Ergo ea, quę fidei ſunt non ſunt contra naturam, ſeù contra lumen naturale. Conſequẽtia patet; Quia lumen naturale, & ea, quæ fidei ſunt, non aliter opponuntur, niſi quia vnum eſt naturale, & alterum ſupernaturale. Antecedens patet; quia vnum contrarium non perficit, ſed imperfecit, (vt ita loquar,) aut deſtruit ſuum contrarium: ſed ſupernaturale perficit, non deſtruit lumen naturale, ſeù naturam, vt patet in ſexcentis caſibus. Gratia enim non deſtruit naturam, ſed ſic eam perficit, vt animæ vita dicatur, & fides ſimiliter. Vnde ad Hæbreos 10. dicitur *Iuſtus autem meus ex fide viuit*. Et ſic de ſingulis alijs habitibus ſupernaturalibus. Imò vita æterna miſericorditer intellectuali creaturæ promiſſa, in lumine, & operatione ſupernaturali conſiſtit.

Hębr. 10.

D.Thom.

15 Ex quo D. Thomas lib. 1. cont. gent. cap. 7. circa finem non minùs eruditè, quàm doctè aduerſariorum errorem detegit, & contundit dicens, quòd ideo putauerunt nonnulli ea, quæ fidei ſunt lumini naturali contrariari, quia ſunt ſupernaturalia, ſed decepti ſunt; & ſic ait: *Sed quia ſuperat rationem, à nonnullis reputatur quaſi contrarium, quod eſſe non poteſt*.

CAPVT SECVNDVM.

Proponuntur argumenta in contrarium, & ſoluuntur.

16 SED contra iſtam determinationẽ obijciet aliquis primò; Quia myſteriũ Trinitatis aduerſatur huic propoſitioni, ſcilicet, *Quæ ſunt eadem vni tertio, inter ſe ſunt eadem*. Ergo myſterium Trinitatis eſt contra naturam, ſeù contra lumen naturale. Conſequẽtia probatur; quia hæc propoſitio eſt ex ipſa natura, ſeù ex ipſo lumine naturali nota. Ergo quod illi aduerſatur, eſt cõtra naturam, ſeù contra lumen naturale. Probatur igitur antecedens; quia poſito Trinitatis myſterio falſificatur, ſeù deſtruitur omninò propoſitio præfata. Quia poſito hoc Sacro ſancto myſterio, datur caſus, quòd aliqua ſint eadem vni tertio, & inter ſe non ſint eadem; Etenim perſonæ diuinæ identificantur vni tertio, puta diuinæ eſſentiæ, inter ſe verò realiter diſtinguuntur. *Alia eſt enim perſona Patris, alia Filij; alia Spiritus ſancti*.

Athanaſ.

17 Propter hoc argumentum à Doctoribus hæc propoſitio, *ea, quæ ſunt eadem vni tertio, ſunt eadem inter ſe*, ſolet multipliciter explicari. Pater Vaſquez diſp. 123. cap. 2. poſtquàm nonnullas Doctiſſimorum virorum explicationes retulit, & reiecit ſic ait; *Nihilominùs hoc principium eſt veriſſimum; atquè eſſe poteſt fundamentum ſyllogiſmorum in hoc ſenſu: quæ ſunt eadem vni tertio prædicatione, ſunt eadem inter ſe, etiam prædicatione, hoc eſt, quæ dicuntur de aliquo tertio, inuicẽ de ſe ipſis prædicãtur &c.* Et paucis interiectis ſubdit ſic; *Et in hoc ſenſu propoſitio non intelligitur de identitate aliquo tertio ſecundum rem, aut ſecundùm rationem, aut vtroquè modo; quia accidit, vnum de alio prędicari, quod ab eo diſtinguitur re, aut ſaltem ratione, vt riſibile de homine, quod ab eo realiter differt; & animal etiam de homine, quod ſaltem ab eo ratione diſtinguitur*.

Vaſquez.

18 Sed vt video, Vaſquez vel non recedit à modis ab eo relatis, & reiectis; vel non rectè loquitur. Quod ita probo; quia dicere, quòd aliqua ſunt eadem vni tertio prædicatione, ſi eſt apud ipſum dicere, eſſe eadem ſecundum identitatem (quod tamen non videtur admittere) iam vult dicere ſic; Quæ ſunt eadem vni tertio ſecundùm rem; & quæ ſunt eadẽ vni tertio ſecundùm rationem, ſunt eadem inter ſe, etiam ſecundùm rationem. Si autem eſt dicere, quod ſunt eadẽ prædicatione, & non ſunt eadem ſecundùm rem, nequè ſecundùm rationem, falſum omnino dicit. Quod ita probo: Quæ ſunt eadem prædicatione, ita ſe habent, quòd prædicatum affirmatur de ſubiecto. Ergo quæ ſunt eadem prædicatione, ſunt eadem ſecundùm rem &c.

19 Explicatur amplius id, quod dicimus contra Vaſquez. Aliud eſt dicere, aliqua verificari ſecundùm prædicationem de ſubiectis; & aliud eſt dicere aliqua eſſe eadem ſecundùm prædicationem. Nam ſtat, vt aliqua verificẽtur de ſubiectis ſecundùm prædicationem, & non ſint eadem ſecundùm rationem, nequè ſecundùm rem. Non tamen ſtat, vt aliqua ſint eadem prædicatione, & non ſint eadem ſecundùm rationem, nequè ſecundum rem. Etenim ea, quæ verificantur de ſubiectis prædicatione ſecundùm informationem tantùm, non ſunt eadem cum ſubiectis, vt patet de albedine, quæ prædicatur de pariete per prædicationẽ ſecundùm informationem tantùm. Vt cum dico, paries habet albedinem &c.

20 Recolenda ſunt, vt quæ nunc dicimus planè intelligantur ea, quæ ſupra tom. 2. ſuper comment. art. 9. quòd multiplex eſt prædicatio; ſecundùm identitatem ſcilicet; & ſecundùm informationem. Prædicatio enim ſecũdùm identitatem, tunc eſt, quando prædicatum identificatur cum ſubiecto, vt cum dico, homo

eſt homo. Prædicatio verò ſecundùm informationem, tunc eſt, quando prædicatum informat ſubiectum, ſeù ſe habet vt forma reſpectu ſubiecti; vt cum dico, paries habet albedinem.

21 Sed pro maiori huius intelligentia eſt deniquè obſeruandum, quòd prædicatio ſecundùm identitatem, & prædicatio ſecundùm informationem, dupliciter contingere poteſt; Ita ſcilicet, vt ſit prædicatio ſecundùm identitatem tantum, aut tantùm ſecundùm informationem; & vt ſit ſecundùm identitatem, & ſimul ſecundùm informationem. Tunc eſt ſecundùm identitatem tantùm, aut tantù ſecundùm informationem, quando tantummodo affirmatur idem de eodem, aut forma dicitur de ſubiecto tantummodo informatiuè, vt patet in exemplis iam adductis: tunc verò dicitur prædicatio ſecundum identitatem, & ſecundùm informationem ſimul, quando vtroquè modo prædicatum verificatur de ſubiecto. Diſcrimen tamen eſt inter prædicationem ſecundùm identitatem, & prædicationem ſecundùm informationem, quantùm ad modum prædicandi; quia prædicatio ſecundùm identitatem, ſemper fit in recto; prædicatio verò ſecundùm informationem, ſemper fit in obliquo; & ſi non explicitè, ad minùs implicitè. V. G. cum dico, paries eſt albus, duplicem prædicationem inuoluo, ſecundùm identitatem ſcilicet, & ſecundùm informationem. Secundùm informationem, inquam, quia albedo, quæ eſt formale ſignificatum albi, verificatur de pariete, quatenùs verè illum, inhærendo informat; ſecundùm identitatem verò, pro vt in ly, *albus*, inuoluitur ſubiectum, ſeù res habens albedinem, & ſic ſubiectum repetitur ex parte prædicati.

22 Ex his igitur manifeſtè colligitur, quòd ea, quæ ſunt eadem vni tertio prædicatione, ſunt eadem ſecundùm rationem, aut ſecundùm rem, ac proinde nõ benè loquitur Vaſquez.

23 Neque verum eſt dicere, quòd riſibile quatenùs eſt idem cum homine prædicatione, non ſit idem cum homine ſecũdùm rem. Implicat enim in terminis, vt explicatum eſt. Cum enim dico, homo eſt riſibilis, non dico, quòd homo eſt riſibilitas, ſed dico, duplicem prædicationem riſibilitatis de homine, ſecundùm identitatem ſcilicet, & ſecundùm informationem. Secundùm identitatem, quia dico riſibilitatem in concreto; ac proinde ipſum idem, quod ponitur ex parte ſubiecti, replicatur ex parte prædicati, & ſecũdũ informationẽ, quia riſibilitas, quę eſt accidẽs proprium hominis, ineſt illi.

24 Hæc propoſitio, *ea, quæ ſunt eadem vni tertio, ſunt eadem inter ſe*, à quibuſdam exiſtimatur principium adeo verũ, vt quidã dixerint, ſyllogiſmos omnes regulari per ipſam, & non per *dici de omni*, *& dici de nullo*. Contendunt enim, quòd in tantùm maior extremitas, & minor extremitas identificantur ad inuicem, in quãtùm ambę vni tertio, medio termino ſcilicet, ſunt identicè vnum. Imò dicunt, quòd regula, quæ eſt ſecundùm *dici de omni*, *& dici de nullo*, reducitur ad hanc propoſitionem, *quæ ſunt eadem vni tertio, inter ſe ſunt eadem*.

25 Fallar ego, ni falluntur illi. Nam propoſitio præfata, non eſt lumine naturali, abſolutè, & vniuerſaliter vera, quod ita probo primò, quia ſi propoſitio præfata eſſet ex ſe abſolutè, & vniuerſaliter vera, ſequeretur, quòd in omni materia teneret, eſſetquè vera. hoc non eſt dicẽdum. Ergo. Patet maior. Probo minorem; Quia hic diſcurſus in præfata propoſitione fundatus, non eſt verus, puta, cum dico, Petrus eſt homo; Franciſcus eſt homo. Ergo Petrus eſt Franciſcus. Apertè enim falſum eſt, quod Petrus eſt Franciſcus: Verum autem eſt, quod Petrus, & Franciſcus ſunt vnum, & idem vni tertio, puta homini. Ergo propoſitio præfata non eſt abſolutè, & vniuerſaliter vera.

26 Secundo; quia quando eſt vera, ex duplici capite prodire poteſt, ratione formæ ſcilicet, vel ratione materiæ. Si ratione formæ, hoc habet à regula per *dici de omni, & dici de nullo*. Si ſecundum. Ergo non eſt vera ex ſe abſolutè, & formaliter. Ergo non poteſt eſſe ſyllogiſmorum regula, & radix. Maior patet. Probo minorem, & quidem, quo ad primam partem, ſic probo, & pono diſcurſum, in quo ex identitate duorum in vno tertio inferatur identitas ipſorum inter ſe, vt cum dico, omnis homo eſt rationalis. Petrus eſt homo. Ergo Petrus eſt rationalis. Ex eo enim, quod Petrus, & rationalis identificantur vni tertio, puta homini, ſecundum regulam per *dici de omni, & dici de nullo*, bene infertur identitas inter Petrum, & rationalem. Quandoquidem, ideo rationale identicè de Petro prædicatur, quia dicitur de homine per ſe, & eſſentialiter; & homo ſimiliter de Petro eſſentialiter prædicatur. Itaquè quando in ſyllogiſmis deducitur, ſeù cõcluditur identitas, vel diuerſitas vnius extremitatis de alia, quarum vna ſub altera continetur, non eſt ex vi huius propoſitionis formaliter acceptæ, ſcilicet *quæ ſunt eadem vni tertio, ſunt eadem inter ſe*; ſed ratione figuratæ argumentationis,

quæ

quæ conſiſtit, in figurata diſputatione medij termini; quæ etiam medij termini diſpoſitio figurata, fundatur ſuper regulam, quæ eſt per *dici de omni, & dici de nullo*. Vnde ego in ſummulis teneo, non dari quartam figuram, non ex eo, quia non eſſet in quarta figura bona conſequentia, neque ex eo, quia argumentum in quarta figura concluderet indirectè, ſed ex eo quia, diſpoſitio medij termini non eſt figurata, ſed eſt tantummodo argumētatio immediata per regulam, quæ eſt, *dici de omni, & dici de nullo*; ideoquè licèt ſit bona conſequentia, non tamen nuncupanda eſt quarta figura.

27 Quo ad ſecūdam verò partem patet; quia, quod eſt ratione materiæ verum, non eſt formaliter verum, niſi etiam ſit ratione formæ veritatem habens. Ergo.

28 Tertiò, & magis præcedens ratio cōfirmatur; Quia, quando propoſitio præfata veritatē habet, variè à Doctoribus explicatur. Quidam enim dicunt, quòd vera eſt, quando extrema ſunt eadem vni tertio re, & ratione. Quidam verò, quando ſunt eadem vni tertio finito; nō verò quando ſunt eadem vni tertio re, & non ratione; non inadæquatè, ſed inadæquatè tantùm; non vni tertio infinito &c. Multis enim alijs modis explicari ſolet, ideoquè penes diuerſas explicationes eſt aliquando etiam lumine naturali vera, & aliquando falſa. Ergo non eſt formaliter ex terminorum cognitione lumine naturali vera, ſed materialiter dumtaxat, in tali ſcilicet, vel tali materia.

29 Vt autem faciliùs argumētum diſſoluatur, ſic reſpondetur primò, explicādo propoſitionem. *Ea, quæ ſunt eadem vni tertio, ſunt eadem inter ſe*, ſi ſunt abſoluta reſpectu tertij abſoluti, concedo. Si ſunt reſpectiua, & ad inuicem relatiuè oppoſita, nego. Nec oppoſitum huius docet, aut docere potuit lumen naturale. Sic autem eſt in caſu noſtro; Tres perſonæ diuinæ identificantur vni tertio, ſcilicet, eſſentiæ diuinę tanquàm tria ad inuicem correlatiuè oppoſita, reſpectu vnius tertij abſoluti, non verò tanquàm tria abſoluta reſpectu tertij abſoluti, quemadmodum ſunt attributa diuina, quæ cum ſint identificata ipſi eſſentiæ, ſunt quoquè inter ſe eadem.

30 Reſpondetur ſecundò, eamdem propoſitionem explicando ſic. *Ea, quæ ſunt eadem vni tertio*, æquè ſtrictè, & ſingulariter accepto, *ſunt eadem inter ſe*, concedo. *Ea, quæ ſunt eadem vni tertio* communiori, quàm ſint extrema inter ſe, *ſunt eadem inter ſe*, nego. Sic autem eſt in caſu noſtro. Etenim tres perſonæ diuinæ ſunt identificatæ vni tertio, ſcilicet, eſſentię diuinę, tanquàm termino communiori, ſeu termino communicabili pluribus, non autem tanquàm termino, ita ſingulariter conſiderato, vt ſit omnino pluribus incommunicabilis, ſicuti ſunt tres perſonę diuinæ. Quandoquidem, eſſentia diuina eſt communis communitate rei tribus diuinis perſonis; nulla autem perſona diuina eſt alteri communicabilis, & propterea, non valet argumentum; imò hic argumentandi modus eſt contra lumen naturale, ſicuti contra lumen naturale eſt, aſſerere, quòd duo ſingularia eiuſdem ſpeciei identificata vni tertio, ſcilicet, rationi ſpecificæ ex identitate in vno tertio, arguere identitatem ſingularium inter ſe. Et quamuis perſonæ diuinæ reſpectu diuinæ eſſentiæ non ſe habeant, vt tria ſingularia reſpectu vnius ſpecificæ naturę, ſe habent tamen vt tria ſuppoſita ſingularia in ratione perſonali reſpectu vnius eſſentiæ, quæ eſt communis communitate rei reſpectu perſonarum. Et hæ expoſitiones non excludunt, ſed defendunt, & includunt eas, quas D. Thomas affert, eiuſque diſcipuli aperto marte defendunt.

31 Vnde ad argumentum ſuppoſita hac duplici expoſitione præfatæ propoſitionis, ſic in forma reſpondetur. Myſterium Trinitatis aduerſatur huic propoſitioni, ſcilicet, ea, quæ ſunt eadem vni tertio, inter ſe ſunt eadem, ſecundùm quòd præfata propoſitio inepta eſt, & falſa, concedo antecedens. Aduerſatur huic propoſitioni ſecundùm quòd apta eſt, & vera, nego antecedens. Ergo &c. nego conſequentiam.

32 Obijciet ſecundò; quia myſterium Trinitatis aduerſatur ſyllogiſmo expoſitorio. Ergo eſt contra lumen naturale. Probatur antecedens; quia in diuinis ſtante Trinitatis myſterio non tenet hęc forma ſyllogiſtica ſyllogiſmi expoſitorij. Non enim valet iſte diſcurſus. Hæc eſſentia diuina eſt Pater: Hæc eſſentia diuina eſt Filius. Ergo Filius eſt Pater.

33 Vaſquez, diſp. 123. cap. 3. refert D. Thomam quaſi huic argumento reſpōdentem, & ſic ait. *Huic tamen ſyllogiſmo, variè Theologi reſpondent. Primò quidem Sanctus Thomas q. 2. de potent. negat maiorē, & minorem propoſitionem, ſi eſſentia diuina ſumatur abſolutè ſecundùm ſe; & inquit, ſolū eſſe veras, ſi eſſentia diuina capiatur contracta, & modificata relatione: ſic autem, aut altera præmiſſarum eſt falſa, ſi in vtraquè ſumatur eſſentia modificata eadem relatione, paternitate ſcilicet, aut filiatione: aut ſi ſit modificata diuerſa relatione, nō erit legitima forma arguēdi: quia non erit idē mediū in vtraq; vt patet.* Vaſquez. D.Thom.

Impu-

Digitized by Google

34 Impugnat autem modum dicẽdi præfatum ſic loquens. *Ego tamen non video, cur de eſſentia diuina abſolutè loquendo, vt communis eſt tribus, nõ poſſit prædicari quæuis perſona*; cum quælibet ſit vna natura ſimpliciſſima, & communis eſſentia. Hæc Vaſquez.

Vaſquez.

35 D. Thomas de pot. q. 2. art. 5. quem non citat Vaſquez, non loquitur, ſicut Vaſquez per verba citata refert. Duo enim Vaſquez D. Thomam dixiſſe teſtatur. Vnum eſt, quòd eo loci reſpondet prædicto ſyllogiſmo; Et alterũ quòd ſi eſſentia diuina ſumatur abſolutè ſecũdùm ſe, non valet dicere, hęc eſſentia diuina eſt Pater, ſeù, quod de eſſentia diuina, vt communis eſt tribus, non poſſit prædicari quæuis perſona. Quandoquidem in vtroquè decipitur. Etenim D. Thomas ibi in corp. ſic ait. *Ipſa enim paternitas eſt diuina eſſentia, nec tamen paternitas Filio ineſt propter oppoſitionem paternitatis, & filiationis: Vnde poteſt dici, quòd paternitas eſt diuina eſſentia, pro vt eſt in Patre, non pro vt eſt in Filio*. Vbi manifeſtum eſt, quòd non dicit ſic, *hæc eſſentia eſt Pater; hæc eſſentia eſt Filius*, ac proinde ſyllogiſmo præfato nõ reſpondet, neque ipſum aliquo modò proponit; licèt ex iis, quæ ibi docet, & dicit, poſſit vera argumento iam à nobis propoſito reſponſio deduci, & formari, in ſenſu tamen à Diuo Thoma intento; & à Vaſquez non percepto, neque per ea, quæ dicit, rectè impugnato.

D.Thom.

Vaſquez.

36 Diſcurſus iſte clarus eſt; quia aliud eſt ſic diſcurrere; Paternitas eſt diuina eſſentia &c. Et aliud ſic; ſcilicet, *Hæc eſſentia eſt Pater, hæc eſſentia eſt Filius &c.* quia in vno diſcurſu eſſentia ſe habet, vt prædicatum; in altero verò, ſe habet vt ſubiectum.

37 Item; quia ex diſcurſu D. Thomæ in aliquo bono ſenſu vtraquè præmiſſarũ poſſet rectè negari, hoc modo videlicet, intelligendo primam. *Hæc eſſentia*, ideſt, pro vt eſt in Filio *eſt Pater*. Et ſimiliter poſſet ſecunda negari. *Hæc eſſentia*, ideſt, pro vt eſt in Patre, *eſt Filius*; eò quia per eſſentiam pro vt eſt in Patre, D. Thomas intelligit eſſentiam pro vt non eſt ab altero accepta, & per eſſentiã pro vt eſt in Filio, intelligit eſſentiam vt eſt ab altero accepta, ac per conſequens, in vtraquè propoſitione accipiuntur duæ oppoſitæ correlationes; Et ſic nomine eſſentiæ intelligitur eſſentia coarctata ad relationes; ideoquè poteſt in aliquo bono ſenſu vtraquè præmiſſa negari, quatenùs ſcilicèt, vtraquè accipitur, vt inferens falſam, & hæreticam concluſionem, puta, Ergo pater eſt Filius. Ergo D. Thomas non loquitur, ſicut Vaſquez ipſe loqui teſtatur.

38 Item D. Thomas ibidem in eiuſdem art. corp. ſic ait. *Vnde & ipſæ relationes, quibus perſonæ ad inuicem diſtinguuntur, ſunt ipſa diuina eſſentia ſecundùm rem; Et quamuis vna, & eadem eſſentia ſit communis tribus perſonis, non tamen relatio vnius perſonæ communis eſt tribus, propter oppoſitionem relationum ad inuicem*. Ex quibus verbis non ſolùm colligitur, quòd eſſentia diuina prædicatur de tribus diuinis perſonis, ſed etiã propter realem identitatẽ, quælibet perſona poteſt de ipſa eſſentia abſolutè accepta prædicari; quod ex profeſſo conceſſit infra, in hac 1. p. q. 39. art. 6. vbi quærens, *vtrum perſonæ poſſint prædicari de nominibus eſſentialibus*, affirmatiuè reſpõdet, & ſic in corp. ait. *Eſſentia autem diuina non ſolùm idem eſt realiter cum vna perſona, ſed cum tribus. Vnde & vna perſona, & duæ, & tres, poſſunt de eſſentia prædicari, vt ſi dicamus, eſſentia eſt Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus*. Et in reſp. ad 2. ſic ait. *Dum dicitur, Deus, vel diuina eſſentia eſt Pater, eſt prædicatio per identitatem, non autem ſicut inferioris de ſuperiori, quia in diuinis non eſt vniuerſale, & ſingulare. Vnde ſicut eſt per ſe iſta, Pater eſt Deus, ita & iſta, Deus eſt Pater, & nullo modo per accidens*. Itaquè, nec loco citato, nec alibi D. Thomas negauit, de eſſentia diuina diuinam perſonam prædicari; ſed ſolummodo in loco cit. de pot. dixit, quòd *paternitas eſt diuina eſſentia pro vt eſt in Patre, non pro vt eſt in Filio*. Quid autem per hæc verba intellexerit, iam per verba immediatè ſequentia declarauit, ſic dicens. *Non enim eodem modo eſt in Patre, & Filio, ſed in Filio, vt ab altero accepta, in Patre autem non*. Et per ly, *non eodem modo*, non intellexit aliquid ad rationem diuinæ eſſentiæ abſolutè pertinens; ſed potiùs intellexit ad aliquid ſeù relationẽ cum diuina eſſentia identificatam.

39 Pro huius confirmatione legantur eiuſdem Angelici Doctoris ibidem verba ſequentia. *Nam*, inquit, *ipſa relatio ſecundùm rationem ſui generis, in quantùm eſt relatio, non habet quòd ſit aliquid, ſed ſolùm, quòd ſit ad aliquid. Quòd ſit verò aliquid ſecundũ rem, habet ex illa parte, qua ineſt, vel vt idem ſecundùm rem, vt in diuinis; vel vt habens cauſam in ſubiecto, ſicut in creaturis. Vnde, cum id, quòd eſt abſolutum, communiter ſit in Patre, & Filio, non diſtinguuntur ſecundùm aliquid, ſed ſecundùm ad aliquid tantùm; Vnde non poteſt dici, quòd aliquid habet Pater, quod non habet Filius, ſed quòd aliquid ſecundùm vnum reſpectum conuenit Patri, & ſecundùm alium aliquid Filio*. Quod idem eſt, ac ſi dicatur, Pater, & Filius habent vnã,

eandem-

eamdemquè eſſentiam in ſuo eſſe abſolutè acceptam, ſed Pater nō habet eam, vt ab alio communicatam, Filius verò habet per communicationem æternæ proceſſionis à Patre.

40 Reſpondetur igitur ad argumentum, negando antecedens. Ad cuius probationem, nego ſyllogiſmum propoſitum eſſe ſecundùm regulas ſyllogiſmi expoſitorij, & aſſigno defectum, qui in arguendo committitur. Primò quidem, quia ly, *hæc eſſentia*, ſi accipitur, vt eſt quid commune Patri, Filio, & Spirituiſācto, procedit argumentum per medium non ita ſingulare, ſicuti ſingularia ſunt, quæ in concluſione inferuntur. Namquè, vt diximus, eſſentia diuina habet aliquid de termino communi; cum ſit communis communitate rei omnibus tribus diuinis perſonis: non autem licèt inferre identitatem vnius omninò ſingularis cum alio ſingulari propter identitatem in vno tertio communiori de quo ſingularia ipſa identicè prædicātur.

41 Secundò verò, & ex præcedenti deducitur; quia ly, *hæc eſſentia diuina*, ſi accipitur tanquàm terminus ſingularis, non accipitur vt completè ſingularizata, quòd ſi in vtraquè præmiſſarum perfectè ſingularizata intelligitur, ita vt ſenſus ſit in maiori, *hæc eſſentia eſt Pater*, *hæc eſſentia*, pro vt ſcilicet, *hæc eſſentia*, idem ſonat, ac eſſentiam, vt in Patre, non verò eſſentiam vt in Filio, ideſt, pro vt ſonat eſſentiam nō vt ab alio acceptā, &c. vera eſt maior, ſed falſa minor, eodem modo intelligendo ly, *hæc eſſentia &c.*

42 Tertiò; quia vt ſyllogiſmus expoſitorius benè concludat, neceſſe eſt, vt prima propoſitio ad formam ſyllogiſticam reducenda vniuerſaliter proferatur, vnde cum in maiori dicitur, hæc eſſentia eſt Pater, ſic formari debet. Omne illud, quod eſt hæc eſſentia eſt Pater. Et in hoc ſenſu prolata, eſt falſa. Etenim Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus ſunt eſſentia diuina; & eſſentia diuina eſt Filius, & Spiritus ſanctus, & tamen Filius, & Spiritus ſanctus non ſunt Pater. Vel poteſt, & debet hoc modo formari. Omnis eſſentia diuina eſt Pater. Et in hoc ſenſu, propoſitio eſt omninò falſa; eò quia Filius, & Spiritus ſanctus per identitatem continentur ſub hac præfata propoſitione; & tamen Filius, & Spiritus ſanctus non ſunt Pater. Ecce igitur, quomodo myſterium Trinitatis non eſt cōtra lumē naturale, quia nequè etiam ſyllogiſmo expoſitorio aduerſatur.

43 Obijcies tertiò. Lumine naturali cognoſcitur, quòd myſterium Trinitatis non poteſt cognoſci. Ergo cognoſcitur, vt impoſſibile. Ergo vt repugnans lumini naturali.

44 Reſpondetur, concedendo antecedens, & diſtinguendo primum conſequens. Ergo cognoſcitur vt impoſſibile, propter exceſſum, concedo conſequētiam. Ergo cognoſcitur vt impoſſibile abſolutè, nego conſequentiam. Et ſic etiam nego ſecundam conſequentiā. Cognoſcitur enim lumine naturali, ꝙ myſterium Trinitatis etiam ſi ſit à fide propoſitum, non poteſt ratione naturali demonſtrari, vt diſp. ſequēti videbimus; non propter repugnantiā, quā habet cū lumine naturali, ſed propter excellētiam ſupra illud. Aliud eſt enim eſſe cōtra lumen naturale; & aliud ſupra ipſum. Argumentū probat eſſe ſupra lumē naturale, non verò contra.

DISPVTATIO CLXXIV.

VTRVM MYSTERIVM TRINITATIS POSSIT RATIONE naturali demonſtrari.

In tria capita diſtributa.

CAPVT PRIMVM.

Explicatur titulus, & Doctorum opiniones referuntur.

1 MIſterium Trinitatis poſſe lumine naturali demonſtrari, dupliciter contingere poteſt. Primò quidem, loquendo de lumine naturali omni ſupernaturali lumine ſpoliato: ſecundò verò, loquendo de lumine naturali pro vt eſt cum lumine ſupernaturali coniunctum; ſiuè lumen ſupernaturale ſit

Digitized by Google

ſit lumen fidei, ſiuè ſit lumen gloriæ. Vtroquè modo quærimus in præſenti, Vtrum ſcilicet, myſterium Trinitatis poſſit demonſtratiuè probari ratione naturali ſine lumine ſupernaturali, aut etiam lumine ſupernaturali illuſtrata.

Raymũd. Lullus.

2 In qua re Raymundus Lullus tenet, lumine naturali poſſe demonſtratiuè probari Trinitatis myſterium, verùm vtrum id aſſeruerit ſuppoſito lumine fidei, aut aliqua ſupernaturali illuſtratione diuinitùs nobis infuſa, aut lumine naturali etiam omni ſupernaturali lumine deſtituto, Vaſquez diſp. 133. cap. 1. ait, quòd *nullus catholicorum affirmat naturali demonſtratione, hoc eſt ex principiis ſolùm naturæ, ſolaquè vi naturali intellectus deducta, & inuenta, Trinitatem perſonarum in vna eſſentia probari poſſe*; & ſubdit ſic; *Nequè id vnquàm aſſeruit Raymundus Lullus, vt aliqui ei falsò adſcripſerunt; ſed vbicumquè dicit, euidentem demonſtrationem Trinitatis poſſe inueniri, loquitur ſuppoſito lumine fidei, vel aliqua ſupernaturali illuſtratione, quas ſe inueniſſe putat &c.*

Vaſquez.

3 Verùm alij Doctores communiter putant, doctrinam huius authoris, *magna ex parte hæreticam eſſe, ipſumquè temerariè à Demone illuſum, rationes pro probanda demonſtratiuè myſterij Trinitis veritate excogitaſſe, & veluti à Deo reuelatas populo tradidiſſe, atquè alios per multos errores docuiſſe*; vt refert Vaſquez, diſp. cit. cap. 4. & tenent Bernardus Luthemburgenſis lib. aduerſus hæreſes ſub litt. R. & Gabriel Prateolus in Elenco hæreſũ verbo, Raymundus Lullus, & Petrus Galiſardus, in tabula, qui dicunt vidiſſe quingentos errores ex Raymũdi Lulli libris decerptos à Gregorio XI. damnatos apud Aymericum Inquiſitorem. Et de doctrina Raymundi Lulli Gerſon alphabeto 16. littera, D. ſic ſcribit. *Sic nuper actum eſt Pariſijs per ſacram Theologiæ facultatem aduerſus illos, qui doctrinam quamdam Raymundi Lulli conabantur inducere, quæ licèt ſit in multis altiſſima, & veriſſima, quia tamen in alijs diſcrepat à modo loquendi Doctorum Sacrorum, & à regulis doctrinalis ſeu traditionis, & vſitata in ſcholis: ipſa edicto publico repudiata, prohibitaquè eſt.* Hæc etiam Vaſquez ipſe refert. Sed poſtea contra Eymericum inuehitur, concludens fuiſſe tanquàm ſupradictæ Bullæ confictorem declaratum. Et hoc habetur apud Vaſquez diſp. cit. in impreſsione 1619. quoniam in impreſsione 1608. hoc non poſuit. Motiuum autem totale fuit in hoc diſcurſu fundatum. Poſt ducentos annos circiter, Bulla fuit requiſita, & non potuit inueniri. Ergo Eymericus fuit prædictæ Bullæ confictor.

Vaſquez. Bernard. Luthẽb. Prateol. Petr. Galiſardus. Greg. xi. Aymeric. Gerſon. Vaſquez.

4 Verum enimverò, facere non poſſum quin mirer, quomodo ex eo ſolum Aymericus potuit eſſe damnatus, tanquàm bullarum ſummorum Potificum confictor, quia ſcilicet, Bulla Gregorij XI. contra Raymundum Lullum poſt duas centurias inueniri non potuit. Etenim Aymericus authoritate eiuſdem Gregorij XI. fuit Inquiſitor generalis ſancti Officij inſtitutus, & eodem tempore ab eodem Aymerico Raymundus Lullus fuit tanquàm aſſertor multarum hæreſum accuſatus. Et Summus Pontifex cauſam commiſit Eminentiſsimo Cardinali D. Petro Epiſcopo Oſtienſi vnà cum viginti Theologis exquiſitis, qui in viginti tomis à Raymundo compoſitis pluſquam ducentos articulos erroneos, & hæreticos inuenerunt. Vnde Bullã à Gregorio XI. contra Raymundi opera emanatam adhùc ſummo Pontifice viuente ab Aymerico confictam fuiſſe nefas eſt affirmare?

Card. Oſ.

5 Teneor aliquid de Aymerico ſub breuitate diſcurrere. Poſtquàm enim, in Religione ordinis prædicatorum vitam duxit exemplarem, & audita eius fama, fuit Inquiſitor Generalis ſancti officij à Gregorio XI. inſtitutus, & propter eius erga fidem ardentiſsimũ zelum, ſic munus ſibi datum exercuit, vt quos inuenerat à fidei dogmatibus receſsiſſe, & induratos, ac obſtinatos cognouiſſet, comburi iuſſerit, & fecerit, vt patet in Hiſtoria Generali Ordinis Sancti Dominici à Reuerendiſsimo Patre Ioanne Lopez compoſita, præſertim lib. 1. cap. 30. Et vt fidem, qua pollebat, incolumem conſeruaret, legens Raymundi opera, in quibus multa contra fidem inueniens, nauauit operam, vt multi articuli tamquàm hæreticales, à Gregorio XI. Summo Pontifice damnarentur, quo peracto, Lulliſtæ ſic eum grauiter tunc temporis perſequebantur, vt ſi potuiſſent, morti eum omninò tradidiſſent, vt refert idem Lopez ibidem, cap. 31.

Aymeric. Greg. xi. Io Lopez

6 Quòd ſi Eymerico viuente, Lulliſtæ eum tã acriter, ſed immeritò affligebãt, ijquè potentes erant, vt Lopez ipſe refert, quid mirum, ſi Bulla poſt ducentos annos, nec inuenta eſt, nec inueniri potuit? Etenim, & iniuria temporis, & Lulliſtarum induſtria potuit abiicindi, & auferri. Non ergo arguendum eſt, ex hoc dumtaxat capite, quia ſcilicet, Bulla non eſt inuenta, nec inueniri potuit, ideo cum fundamento, Inquiſitor Generalis Sancti Officij tamquàm Bullarum confictor potuit aliqua ratione damnari.

7 Vaſquez multo labore inſudauit, vt defendat Lullum, qui fuit Cathalanus mercator

mercator de ciuitate Mayricarum oriũdus, laicus, Phantaſticus, imperitus, qui libros edidit in vulgari cathalonico, quia totaliter grammaticam ignorabat; & quamuis Raymundus doctrinam ſuam à Chriſto Crucifixo dixerit, accepiſſe; cum Chriſtus non ſit doctor hæreſum, nec errorum, potiùs credendum eſt à Diabolo habuiſſe; & licèt ipſe aſſerat in libris ſuis, quòd eam habuit in quodam monte à Chriſto, (qui ſibi) vt dixit, apparuit Crucifixus, tamen putatur fuiſſe Diabolus, & non Chriſtus. Conatur autem Eymericum toto conatu de falſitate accuſare, & tamen Eymericus tantæ authoritatis in Eccleſia Dei fuit, vt Sũmus Pontifex ei claues fidei propter Inquiſitionem Sancti Officij conſignare non dubitauerit.

Vaſquez.

8 Quòd autem cenſura à Vaſquez relata non ſubſiſtat, nec fuerit tanquàm vera recepta, patere poteſt etiam ex hoc; quia ſcriptores poſt ipſum opinionem Raymundi Lulli veluti hæreſim damnarunt, & relationem Eymerici libentiſſimè ſunt ſecuti. Vnde doctiſſimus, ac in ſummorum Pontificum decretis, Conciliorumquè verſatiſſimus Seraphinus Capponia à Porretta in appendice huius articuli ſic ait; *Ex articulo habes, quomodo per rationem confundas hereſim præſuptioſiſſimam Raymundi Lulli (Directorium Inquiſit. 2. p. quæſt. 9.) dicentis, quòd omnes articuli fidei poſſunt probari, & probatur per rationes neceſſarias, demonſtratiuas, & euidentes.*

Porretta.

Theodor. Foreſtus.

9 Et Theodorus Foreſtus Bergomenſis Ordinis Capuccinorum in ſuo erudito libro de Trinitatis myſterio diſp. 1. cap. 1. §. *Referunt multi*, ſic ait. *Referunt multi huic extremæ opinioni errorem quemdam ſtolidum, & impudentem Raymundi Lulli, dicentis. Omnes articuli fidei probantur per rationes neceſſarias, demonſtratiuas, & euidentes: & gloriatur ſe probare Trinitatis myſterium per demonſtrationes ita euidentes, vt valeant Mahumetanum, & Gentilem conuincere; ita ipſe in lib. de articulis fidei, & in lib. Eccleſiaſt. prouerb. & in lib. de Planctu Raymundi, & art. 97. & 98. aſſerit, fidem ad hæc myſteria hominibus inſcijs, & ruſticis eſſe neceſſariam, ſed non homini ſubtili, qui faciliùs trahitur per rationem, quàm per fidem.* Et hoc aſſerit ex teſtimonio Eymerici; Sic enim immediatè ſubdit. *Hæc refert Eymericus in direct. Inquiſit. p. 2. q. 9. art. 96. & teſtatur bullam Gregorij XI. aduerſus errores Raymundi.* Et reſpondens, ſuppreſſo tamen nomine, verbis Vaſquez, ſic ait; *Quæ ſi non inuenitur, iniuria temporum perijt, vel nimia Lulliſtarum diligentia, & laceratione, &c.*

10 Vide Faſolum, ſupra q. 27. art. 4. nu. 1. vbi loquens de proceſſione Spiritus sãcti ait, quòd nec hactenùs repertus eſt aliquis hæreticus, qui fateretur Spiritum ſanctum eſſe Deũ, & procedere per generationem. *Solùm*, inquit, *inuenio Raymũdum Lullũ, qui lib. de Eccleſiaſticis prouerbijs ita temerè ſcribit. Spiritus ſanctus eſt conceptus de Patre, & Filio. Quæ propoſitio eſt articulus 19. inter centum eius errores damnatos à Gregorio XI. quos refert Eymericus in direct. Inquiſit. p. 2. q. 9.* Vbi vides, quomodo Faſolus eiuſdem Societatis cum Vaſquez, nõ ſolum non ſequitur cenſuram Vaſquez contra Eymericum, ſed Eymerico adhęrẽs, ratificat, multos errores Lulli à Gregorio XI. fuiſſe damnatos. Vide quoque Ayoſſà diſp. 2. nu. 3. qui ſequitur cenſuram Eymerici contra Raymundum. Faſolus.

11 Vis ſcire quanti momenti ſit iſta deductio, videlicèt, Bulla Gregorij XI. contra Raymundum Lullum ab Eymerico relata, & tempore eiuſdem Gregorij XI. ſcripta, ac per vniuerſum ſparſa, poſt ſpatium 200. annorum non eſt inuenta, nec inueniri potuit. Ergo falſus Eymericus, & ſupra dictæ Bullæ confictor, & tanquàm Falſarius debet omnino damnari. Audi; Acta Concilij Generalis ab Vrbano II. Barij celebrati circa annum 1097. perierunt vt teſtatur Baronius tom. 11. eodem anno Domini. Et facta exquiſitiſſima diligentia à ſummis Pontificibus non ſunt inuenta, nec inueniri potuerũt. Numquid bona eſt iſta conſequentia? Ergo falſum eſt, dictum Concilium fuiſſe Barij celebratum, & tanquàm falſus declarandus eſt, qui hoc Concilium celebratum fuiſſe teſtatur. Item in ſymbolo poſita eſt iſta particula, *Filioque*, ad exprimendum proceſſionem Spiritus ſancti à Patre, & à Filio, & nihilominus teſte D. Thoma infra q. 36. ar. 2. illa particula poſita fuit, *in quodam Concilio in occidentalibus partibus congregatò, expreſſum fuit authoritate Romani Pontificis*, & tamen acta illius Concilij non ſolùm perierunt, ſed etiã ignoratur quodnam fuerit tale Cõcilium, & in qua determinata occidentalium partium ciuitate celebratum; quinimo etiam nomẽ illius ſummi Pontificis, cuius authoritate dictum Concilium fuit celebratũ, ignoratur. Numquid bona eſt iſta conſequentia? Ergo falſum eſt, fuiſſe illam particulã in Concilio poſitam, & Cõcilũ authoritate ſummi Põtificis congregatum. Abſit. Sufficit enim probatiſſimorum virorũm fidelis, ac firma relatio. Inanc igitur, & nullius conſiderationis eſt fundamentum, quo à Vaſquez reprehenditur Eymericus. Si Lulliſtæ inſtetiſſent contra Eymericum, Ey-

Vrban. 2. Baronius. D. Thom.

 merico,

merico, & Gregorio XI. ſimul viuentibus, & tunc temporis non fuiſſet oſtenſa bulla, & ſummus Pontifex, id indignè ferens, declaraſſet numquàm ab eo huiuſmodi bullam emanaſſe, bona eſſet conſequentia. Ergo Eymericus fuit confictor. Non autem nunc. His adde, quòd ad eum bullas ad tribunal ſancti officij ſcire ſpectabat, cum eſſet ſancti officij generalis inquiſitor, ac proinde, credendum eſt magis Eymerico relatori veraci, quàm Lulliſtarum parti fallaci.

12 Sed quidquid ſit de huius Raymundi Lulli vana ſententia, communiter catholici tenēt, myſterium Trinitatis nulla ratione naturali poſſe demonſtratiuè probari.

CAPVT SECVNDVM.

Determinatio veritatis.

13 PRO determinatione veritatis, Dico breuiter. Myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis nulla ratione naturali poteſt demonſtratiuè probari.

Probatur primò authoritatibus Sacræ Scripturæ, quæ communiter à Doctoribus pro hoc dicto roborando ſolent adduci. Dicitur enim Matthæi 11. *Nemo nouit Filium, niſi Pater, neque Patrem quis nouit niſi Filius, & cui voluerit Filius reuelare*. Et 16. *Beatus es Simon Bariona, quia caro, & ſanguis non reuelauit tibi, ſed Pater meus &c.* Vbi quò ad primam authoritatem obſeruanda eſt illa particula, *nemo*, quia non denotat hominem, aliàs enim non exciperetur perſona Patris, ſed ly, *nemo*, accipitur, pro vt excludit quamcūque rationalem creaturam, quod attentè cōſiderauit D. Thomas q. præced. ar. 4. ſic dicens; *Tamen ſciendum eſt, quòd in authoritate prædicta hęc dictio, nemo, non idem eſt, quòd nullus homo, quod videtur ſignificare vocabulum. Non enim poſſet excipi perſona Patris; ſed ſumitur ſecundùm vſum loquendi diſtributiuè, pro quacumquè rationali natura.* Quò ad ſecundam verò authoritatem ponderanda ſunt Chriſti Domini verba. Vocat enim Chriſtus Dominus Apoſtolū Petrum *Beatum*, quia cognouit Chriſtum eſſe Filium Dei viui; eò quia, hanc confeſſionem non ex carne, & ſanguine, ſed ex diuina accepit reuelatione. Hoc enim ſonant illa verba; ſcilicet, *caro, & ſanguis non reuelauit tibi*, per carnem, & ſanguinem intelligens captum, ſeù rationem naturalem.

Matt. 11. & 16.

D. Thom.

14 Item dicitur 1. ad corint. 2. *Sapientiam loquimur inter perfectos: Sapientiam verò non huius ſæculi, neque Principum huius ſæculi, ſed loquimur Dei ſapientiam in myſterio, quæ abſcondita eſt*. Vbi Gloſſa per ly, *Principum huius ſęculi*, intelligit Philoſophos ſeù per lumen naturale ratiocinātes. Ergo ſi ea, quę fidei ſunt, abſcondita a lumine naturalis rationis ſunt, abſconditū præcipuè erit Sanctiſſimę Trinitatis arcanū, quod eſt principalius fidei myſterium. 1. Cor. 2.

Gloſſ.

15 Videatur Conciliū Nicænum lib. 2. §. *Ne quæras*, pro corroboratione ſecūdi teſtimonij, ſcilicet, *Beatus es Simon Bariona &c.* quod ex prędicto teſtimonio noſtrū probat intentum; aſſerit enim, quòd *ineffabilis eſt Pater, ineffabilis eſt ex eo ineffabiliter genitus Filius*; & audacem vocat eum, qui conatur ſcrutari tātum myſterium ſola naturali ratione. *Si enim*, inquit, *contendis inſcrutabilia perſcrutari, videmus tuam audaciam*; & ad Hæbr. 11. dicitur, *Fides eſt argumentum non apparentium*. Ergo cum myſteriū Trinitatis pertineat omnino ad fidem, debet dici eſſe omninò non apparens. Nicænū.

Hebr. 11.

16 Et Iſaiæ 53. dicitur, *Generationem eius quis enarrabit?* Multa ſunt vtriuſque teſtamenti loca, pro hac concluſione firmanda, quę breuitatis gratia omittimus. Similiter gratia ſunt Sanctorum Patrum teſtimonia; & tamen vide ſupra diſput. 151. cap. 1.

17 Probatur ſecundò ratione efficaciori, quæ eſt ratio D. Thomæ, & quia eam in formatione art. propoſuimus, idcircò eam hìc repetere non oportet.

CAPVT TERTIVM.

Proponuntur argumenta in contrarium, & ſoluuntur.

18 SED contra iſtam determinationē obijciet aliquis primò; quia de facto Myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis a multis Philoſophis lumine fidei deſtitutis fuit cognitum. Etenim Auguſtinus Leuchus lib. 1. & 2. perennis philoſophiæ, qui ex Magorum Chaldeorumquè à Zoroaſtre deſcendentium ſic ait. *Omnia perfecit Pater, & menti tradidit ſecundæ, quam vocat primam omne hominum genus*. Ex quibus verbis videtur conceſſio perſonæ Patris, & perſonæ Filij. Perſonam enim Filij in ordine ad perſonam Patris, vocat ſecundam mentem; in ordine verò ad res creatas, dicitur prima.

Auguſtin. Leuchus.

Et

Triſmeg. 19 Et Mercurius Triſmegiſtus, ideſt, ter maximus, ſecundùm Latinos, dictus autem eſt ter maximus, quia ſcilicet, fuit maximus Philoſophus, maximus Sacerdos & maximus Rex. Conſuetum enim Ægyptijs erat, vt nullus fieret Rex, niſi fuerit electus tanquàm maximus inter Philoſophos; & niſi fuerit Sacerdos, & inter ſacerdotes maximus: Et quia Mercurius Triſmegiſtus nō ſolùm fuit maximus philoſophus, ſed etiam maximus ſacerdos, & inter Reges quoquè maximus, quia primus à phyſicis ad diuinorū ſpeculationem ſe erexit, primus de maieſtate Dei, de Dæmonum ordine animarumquè mutationibus ſapientiſſimè diſputauit; & ſicut philoſophos ſapientia, ita religione ſacerdotes excelluit; ac mox in imperio adminiſtrando ſuperiores omnes Reges ſuperauit, vt Diodorus Siculus refert. Hic igitur Triſmegiſtus in Pimandro cap. 1. multa de myſterio Trinitatis dixiſſe refertur. Nam in Pimandro cap. 1. ſic ait. *Mens Deus tuus, mentis verò germen lucens, Dei Filius*. Ecce quomodo duas admittit de Trinitate perſonas, primam, per ly, *mens Deus tuus*; ſecunda verò, per ly, *mentis verò germen lucens*. Et paucis interiectis ſic ait. *Mens autem Deus vtriuſquè ſexus fœcunditate pleniſſimus, vita, & lux cum verbo ſuo mentem alteram opificem peperit, qui quidem Deus ignis, atquè Spiritus, Numen*. Vbi omnes tres diuinæ perſonæ exprimuntur. Primam, per ly, *mens autem Deus vtriuſquè ſexus &c.* Secundam, per ly, *vita, & lux cum verbo ſuo*; & tertiam, per ly, *ignis, atquè Spiritus, numen &c.*

Diodor. Sicul.

Cyrillus. Triſmegiſtus. 20 Et D. Cyrillus lib. 1. contra Iul. ſic eundē Triſmegiſtum dixiſſe teſtatur. *Pyramis ſubiacet naturæ, & mortali mundo. Habet enim principale accumbens opifex verbum Domini omnium, quod poſt illum prima virtus, ingenitum, abſquè termino, ex illo proſpectans, & incumbens, ac imperat omnibus, quæ per ipſum formata ſunt. Eſt autem & è perfectiſſimo progenitus, perfectuſquè, & fœcundus germanus Filius.*

Triſmeg. 21 Item interrogatus Triſmegiſtus à quodā Aegyptiaco Sacerdote hoc modo; *Quare autem ò maximè, bonus Dæmon hoc nomine vocatus eſt ab omnium Domino?* Sic reſpondit. *Et in prioribus dixi, tu verò non intellexiſti. Natura Verbi eius mentalis, natura eſt generatiua, & condere potens. Hoc ſicut ipſius natiuitas, vel natura, vel conſuetudo, vel quod volueris ipſum nominare, nomina, hoc ſolum intelligens, quòd perfectus eſt in perfecto, & à perfecto perfecta bona operatur, & condit, & viuificat. Igitur quia talem habet naturam, benè hoc appellatur*. Et in lib. 1. Diexodicon, ad Tot. ſic ait. *Conditoris Verbi mò Fili, perpetuum, per ſe mobile, increſcibile, diminuibile, incommutabile, incorruptibile, ſolum, ſemper ſibi ipſi æquale eſt, ſimile, & plenum, benè conſiſtens, benè ordinatum, exiſtens poſt præcognitum Deum.*

22 Item, ex eodem, interrogatus de diuino ſpiritu ſic reſpondit. *Niſi prouidentia quædam eſſet omnium Domini, ita vt, & Verbum ipſum reuelaret, nequè vos nunc amor talis tenuiſſet, vt de hoc quæreretis. Nunc autem quod reſtat in ſermone, audite: Hoc ſpiritu, de quo ſæpè dixi priùs, omnia opus habent. Omnia enim portat ſecundùm dignitatem, omnia viuificat, & alit, & à ſancto fonte producitur adiunans ſpiritus, & vita omnibus ſemper exiſtens fœcundus.*

D.Thom. Plato. 23 Et vt D. Thomas refert, idem Triſmegiſtus ex Platone in Pimandro Dialogo 4. ſic ait; *Monas genuit Monadem, & in ſe ſuum reflexit ardorem.*

Cyrillus. 24 Et Cyrillus lib. cont. Iulianum de Platone, ſic ait. *Ideò occultè de illo inſinuat, dicens: circa Regem omnia ſunt, & illius gratia omnia, & illud cauſa omnium pulchrorum: ſecundùm autem circa ſecunda, & tertium circa tertia. Nam cum omnia quaſi exiſtant circa tres Deos, attamen primò quidem circa omnium Regem, ſecundò autem circa Deum ab illo, & tertiò circa eum ab illo. Manifeſtauit autem, & ſubſiſtentiam, quam ex ſe ipſis inter ſe habent, incipereque à Rege, & ſubinceſſione, & ſubmiſſionem eorum poſt primum, per hoc; quòd primò, & ſecundò, & tertiò dicit, & quòd ex vno omnia, & per ipſum omnia ſeruantur.*

D.Auguſ. 25 Et D. Auguſtinus lib. 7. confeſſ. refert apud quoſdam platonicos legiſſe, quædam ad Trinitatem ſpectantia, & ſic ait. *Procuraſti mihi quoſdam Platonicorum libros ex græca lingua in latinam verſos, & ibi legi, non quidem his verbis, ſed hoc idem omninò multis, & multiplicibus ſuaderi rationibus, quod in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum: hoc erat in principio apud Deum: omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil. Quod factum eſt, in eo vita erat, & vita erat lux hominum, & lux in tenebris lucet, & tenebræ eā non comprehenderunt. Et quia hominis anima, quamuis teſtimonium perhibeat de lumine, non eſt tamen ipſa lumen, ſed Verbū Dei Deus, eſt lumen verum, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Et quia in hoc mundo erat, & mundus per ipſum factus eſt, & mundus eum non cognouit. Quia verò in ſua propria venit, & ſui eum non receperunt, quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, credentibus in nomine eius, non ibi legi. Quia Deus Verbum, non ex carne, nec ex ſanguine, nec ex voluntate viri, nequè ex voluntate carnis, ſed ex Deo natus eſt. Sed quia Verbū caro factū eſt, & habitauit in*

Digitized by Google

nobis, non ibi legi. Hæc D. Auguſtinus.

Eugubin. Plato. Cyrillus.

26 Videãtur Auguſtinus Eugubinus lib. 1. de perenni philoſophia à capite primo vſque in finem. Et etiam in 2. lib. Plato in Epiſt. ad Dionyſium Regem, qui ipſum de natura Dei fuerat percunctatus. D. Cyrillus qui ſupra, qui multa philoſophorum afferunt teſtimonia ad myſterium Trinitatis pertinentia.

Sibyllæ. Sibylla Erithræa. D. Auguſt. Lactãtius

27 Sibyllæ, & præſertim Sibylla Erythræa non obſcurè loquũtur de myſterio Trinitatis. Etenim Sibylla Erythræa in capitibus verſuum hæc habuit verba. *Ieſus Chriſtus Dei Filius Saluator.* Videantur D. Auguſtinus lib. 18. de Ciuit. Dei cap. 23. & ante ipſum Lactantius, lib. 1. diuinarum inſtitut. cap. 6. & lib. 4. cap. 6. & 7.

Ariſtot.

28 Et Ariſtoteles in 1. de cœlo text. 2. loquens de numero ternario ſic ait. *Per hunc numerum, ſcilicet, ternarium, adhibuimus nos ipſos magnificare Deum vnum eminẽtem proprietatibus eorum, quæ ſunt creata.* Ergo Philoſophi omni ſupernaturali lumine deſtituti, aliqualem myſterij Trinitatis habuerunt cognitionem.

Vaſquez.

29 Pater Vaſquez diſp. 132. cap. 1. nu. 1. ait, quòd Sanctus Thomas in art. 1. q. 32. in ſolut. 1. vt defendat, ratione naturali non poſſe Trinitatem oſtendi, affirmat nulli philoſopho gentili myſterium hoc innotuiſſe.

D. Thom.

30 Verùm D. Thomas in 1. diſt. 3. q. 1. art. 4. ad 1. ait, Platonem multa de diuinis cognouiſſe in libris veteris legis inuẽtis in Aegypto. Et in hac 1. p. q. 32. ar. 1. ad 1. reſpondet, quòd *Philoſophi non cognouerũt myſterium Trinitatis diuinarum perſonarum per propria, ſunt Paternitas, Filiatio, cognouerunt tamen quædam eſſentialia attributa, quæ appropriantur perſonis, ſicut potentia Patri, ſapientia Filio, bonitas Spirituiſancto.* Non quaſi retractans quæ in 1. diſt. 3. citata dixerat, ſed ad magis euacuandam vim argumenti, duplici graditur via, prima quidẽ, dato, quòd cognouerint philoſophi myſterium Trinitatis, & ſecunda ſuppoſito, quod nullam reuelationẽ habuerint de Trinitatis myſterio; & ſic explicat philoſophorum authoritates, eo modo quo patet in textu.

Triſmegiſtus. Suidas. Moyſes. Euſebius. Theodor.

31 Reſpondetur igitur admiſſo, quòd Triſmegiſtus, qui ſic dicitur, quia ter maximus, vt in principio notauimus; vel eo quia, de Trinitate locutus eſt, (vt ait Suidas ſerm. 3.) didicit hoc myſterium à Moyſe in Aegypto. A Moyſe, inquã, non tanquam tunc temporis, præſens auditor, quoniam Moyſes, vt Euſebius lib. 10. de præparatione euangelica cap. 1. 2. & 3. Et Theodoretus, de græcanicis affectionibus teſtantur, fuit Philoſophis Græcis antiquior, à Moyſe igitur didicit; quia didicit à ſcriptura, à Moyſe ſcripta, vel à doctrina à Moyſe in Aegypto Hebræis communicata, dum eos de iis quæ ad fidem pertinent inſtruebat; & ſic etiã per Aegyptũ diuulgata erat hæc de Trinitate doctrina, quę etſi non ſub velamine, non tamen ita clarè, ſicut à Chriſto Domino nobis eſt tradita. Circa quod duo aduertenda ſunt.

Exod. 5.

32 Primum eſt quod Moyſes de hoc myſterio, ne dũ Iſraelitas erudiebat, ſed etiã ipſum Pharaonẽ, vt hoc arcanũ crederet, mirabiliter, ſed ſub velamine, procurabat, vt patet Exod. cap. 5. vbi ſacra ſcriptura refert, quod *Moyſes, & Aaron dixerunt Pharaoni: Hæc dixit Dominus Deus Iſrael. Dimitte populum meum, vt ſacrificet mihi in deſerto*; quibus verbis auditis, *ille reſpondit; Quis eſt Dominus, vt audiam vocẽ eius, & dimittam Iſraël? Neſcio Dominum, & Iſrael non dimittam.* Moyſes autem & Aaron nõ ſolùm Iſraeliticum populum de recta fide inſtruebant, verumetiam fidei dogmata ſub enigmate Pharaoni proponebant, & vt ipſum ad verã fidem inducerent, cupiebant. Quapropter ſacrificium, quod in deſerto præceperat Deus, vt ab Iſraelitico populo offerretur, explicarunt *Dixeruntque: Deus Hebræorum vocauit nos, vt eamus viam trium dierum in ſolitudinem, & ſacrificemus Domino Deo noſtro, ne fortè accidat nobis peſtis, aut gladius. Quid autem ſignificet ſacrificium hoc trium dierum, quod præcepit Dominus Moyſi, vt pergeret in deſertum, & cum omni populo ſacrificaret Domino*, videndus eſt D. Auguſtinus, to. 10. ſerm. 90. de temp. ſer. 5. poſt 3. Dominicam in quadrageſima, ſerm. 1. vbi ſic ait. *Videamus fratres dilectiſſimi quid ſit illud, quod dixit Moyſes; Viam trium dierum ibimus in deſertum, vt ſacrificemus Domino Deo noſtro. Hæc quidem volebat Moyſes, ſed contradicebat Pharao, & non volebat filios Iſrael à ſe longè diſcedere. Non volebat Princeps huius mundi exercitum Domini trium dierum ſacramenta cognoſcere: illa utique ſacramenta, de quibus Propheta dixit. Viuificabis nos poſt duos dies, in die tertio ſuſcitabis nos. Prima dies, paſſio Domini Saluatoris eſt. Secunda, qua deſcendit ad infernum. Tertia autem reſurrectionis eſt dies. Et ideo in die tertia Deus antecedebat eos per diẽ in columna nubis, per noctem autem in columna ignis, ducitur què populus per mare rubrum. Tres enim dies non incongruè poſſumus dicere, Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctũ; quia & Pater dies eſt, & Filius dies eſt, & Spiritus ſanctus dies eſt, & hi tres vnus dies.*

D. Auguſt.

Triſmeg. Albertus Magnus.

33 Alterum autem eſt, quòd licèt Mercurius Triſmegiſtus tam altè de Trinitate ſenſiſſe dicatur, nihilominus Albertus Magnus, quis fuerit iſte, ſe ignorare dicit, &

Digitized by Google

& credit librum illum, qui Mercurij nomine circumfertur, eſſe confictum, eò quia omnia, quæ in illo leguntur, dicit (Alanus.) in libro cuiuſdam Magiſtri Alani ex profeſſo legiſſe. Verùm, quia D. Auguſtinus (D. Aug.) tom. 5. lib. 8. de ciuit. Dei cap. 23. & 24. & tom. 6. de quinque hæreſibus cap. 3. & D. Thomas (D. Thom.) art. 1. q. 32. huius primæ partis ad 1. Et grauiſſimi Theologi referunt, Triſmegiſtum eſſe verborum relatorum authorem; Idcircò tenendum eſt omnia verba citata aſſeruiſſe.

(D. Aug.) 34 Sed hoc vnum eſt aduertẽdum, quòd D. Auguſtinus lib. 8. de ciuit. Dei cap. 23. & 24. videtur eumdem Triſmegiſtũ tanquàm Idolatram accuſare. Vnde in principio cap. 24. ſic de hoc Hermete fatur; *Poſt multa enim ad hoc ipſum redit, vt iterum dicat de Dijs, quos homines fecerunt, ita loquens, Sed iam de talibus ſint ſatis dicta talia. Iterum, inquit, ad hominem, rationemquè redeamus, ex quo diuino dono homo animal dictum eſt rationale; minùs enim miranda, & ſi miranda ſunt, quæ de homine dicta ſunt; omnium enim mirabilium vicit admirationem, quòd homo diuinam potuit inuenire naturam, eamquè efficere &c.* Et titulus eiuſdem capitis ſic inſcribitur. *Quomodo Hermes patenter parentum ſuorum ſit confeſſus errorem, quem tamen doluerit deſtruendum.*

(Plato. D. Auguſ.) 35 Idem dicendum eſt de Platone; nam vt docet D. Auguſtinus lib. 2. de doctrina Chriſt. cap. 28. vbi impugnans eos, qui perperàm contra Chriſtum Dominum loquentes, dicebant, Chriſtum Dominum ex libris Platonis multa didiciſſe, (Ieremias.) ac docuiſſe, dicit, quòd Plato fuit coætaneus cũ Ieremia Propheta, & potiùs Plato ex Ieremia multa didicit, quæ ad cultum diuinum pertinent. Verùm idem Auguſtinus lib. 2. retractationum cap. (D. Aug.) 4. retractat hoc ſic dicens; *Et in eo, quod dixi de temporum hiſtoria ſecundùm Ambroſium ſoluiſſe quæſtionem, tanquàm coætanei fuerint Plato, & Ieremias, me fefellit memoria &c.* Et hoc idem affirmat lib. 18. de ciuit. Dei cap. 37. vbi ex profeſſo probat, *quòd prophetica authoritas omni origine gentilis philoſophiæ inueniatur antiquior. Multò ergo*, inquit, *magis cæteri Philoſophi poſt Prophetas reperiuntur fuiſſe. Nam ipſe Socrates Athenienſis Magiſter omnium, qui tunc maximè claruerunt, tenens in ea parte, quæ moralis, vel actiua dicitur, principatum poſt Eſdram in Chronicis inuenitur; non multo poſt, etiam Plato natus eſt, qui longè cæteros Socratis diſcipulos anteiret.* Cum igitur omnes Prophetæ fuerint omnibus huiuſmodi Græcis philoſophis antiquiores, tenendum eſt, Platonem, & Ieremiam coætaneos non fuiſſe; imò vt rectiori calculo, Plato ſexaginta annis natus eſt poſt Ieremiam.

Vt diligenter D. Auguſtinus lib. 8. de ciuit. Dei cap. 11. obſeruat. (D. Aug.) Dicamus igitur, quòd quidquid Plato de Trinitate dixit, ſi tamen de Trinitate re vera locutus eſt, vel accepit ex libris Sacræ Scripturæ, vel à fidelibus eruditis audiuit. Et hoc idem dicendum eſt de omnibus Philoſophis infidelibus, ac Gentilibus. Vnde Platonici illi, apud quos legiſſe refert Auguſtinus verba Ioannis 1. ex Ioanne tranſcripſerunt, & in ſuis libris poſuerũt. Vtrum autem ſenſum rectum Ioannis perceperint, parum refert.

36 De Sybillis autem iam dicimus locutas fuiſſe ex inſtinctu Spiritus ſancti; & (Sibyllæ.) fortaſsè ratione virginitatis earum hoc dono inſignitæ fuerunt. Quod inſinuauit D. Hieronymus lib. 1. aduerſus Iouinianum, vbi, (D. Hier.) *Quid, inquit, referam Sybillas Erithræam, atque Cumanam, & octo reliquas? (Nam Varro decem fuiſſe autumat) quarum inſigne virginitas eſt, & virginitatis proemiũ diuinatio.* Videantur D. Auguſtinus lib. 18. de ciuit. Dei cap. 23. tom. 5. & tom. 6. orat. de quinque hæreſibus cap. 3. vbi (D. Auguſ.) ſic ait. *Audiamus quid etiam Sybilla vates eorum, de eodem dicat; Alium,* inquit, *dedit Deus Filijs hominum colendum. Quantùm apparet, in his ſententijs Mercurij. & Sybillæ, Sabellius etiam iudicatur. Mercurius, & Patrem Deum dicit, & Filium; Et Sybilla dicit Deum alium. Sabellius dicit non alium, quia eumdem Patrem aſſerit eſſe quem Filium.* Et paucis interiectis ſic Sybillam aſſeruiſſe fatur, *Item Sybilla dicit, ipſum tuum cognoſce Deum, Dei Filium eſſe. Verſus iſte, & Paganum increpat, & Iudæum &c.* Sixtus Senenſis, lib. 2. verbo Sybillarum oracula; (Sixtus Senenſis.) Eugubinus, lib. 1. cap. 22. & 25. qui plura (Eugubin.) de Sibyllis, ac ſybillinis verſibus referũt.

37 Itaque, ſi concedimus, Philoſophos myſterium Trinitatis aliqualiter cognouiſſe, non debemus dicere, ad huiuſmodi cognitionem ſolius luminis naturalis ductu perueniſſe; ſed vel ex traditione fidelium, aut ex lectione ſacrorum librorum; aut ex diuina, ac ſpeciali reuelatione.

38 Reſpondetur ſecundò, negando ſupradictos, alioſquè Philoſophos ſupernaturali lumine deſtitutos ad cognitionem tanti myſterij deueniſſe; & loca ſupradicta, & alia, quæ à Doctoribus referri, & adduci ſolent, explicantur. Vnde cum ex Mercurio Triſmegiſto dicitur, quòd datur primum in Deo, ſecundum, & tertium. Per primum, intelligitur eſſe Dei. Per ſecundum, intelligere; & per tertium, velle, non taliter, quòd eſſe, intelligere, & velle ſint realiter diſtincta, ſed ratione tantùm.

39 Vel dicendum, quòd per primam mentem

Digitized by Google

tem intelligitur Deus producens improductus, per ſecundam, intelligitur ſecundus Deus productus, & producens tertium; & per tertiam, intelligitur tertius Deus nullo modo producens, ſed tantũmodo productus; & ſic concedebat tres Deos, quod non eſt myſterium Trinitatis attingere.

40 Illud autem Triſmegiſti dictum, ſcilicet, *Monas, genuit Monadem, & in ſe ſuum reflexit ardorem*, rectè à D. Thoma hic explicatur; ita vt ſenſus ſit, *Monas*, ideſt, *vnus Deus, genuit Monadem*, ideſt, *vnum mũdum; & in ſe ſuum reflexit ardorem*, ideſt, propter amorem ſui ipſius. *Omnia enim propter ſemetipſum operatus eſt Dominus.*

D.Thom.

41 Ad illud autem quod de libris Platonicorum dicitur, poteſt dici, quòd cum in illis legitur, *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum*; Ly, *Verbum, non accipitur, ſecundùm quod ſignificat perſonam genitam in diuinis, ſed ſecundùm quòd per Verbum intelligitur ratio idealis, per quam Deus omnia condidit, quæ ratio idealis Filio attribuitur.*

42 Et ad illud de numero ternario dicitur, quòd Philoſophi per numerum ternarium, magnificabant Deum, non quaſi ipſi ponerent ternarium numerũ in diuinis, ſed vtebantur numero ternario in ſacrificijs, & orationibus, propter quãdam ternarij numeri perfectionem.

43 Numerus ternarius dicit quandam perfectionem, ſed etiam numerus ſenarius, & numerus denarius ſuam perfectionem dicunt, ſecundum diuerſam tamen conſiderationem. Nam vt rectè obſeruat D. Thomas infra, q. 74. ar. 1. in corp. *ſecundùm Pythagoricos, perfectio in tribus ponitur, principio, medio, & fine, vt dicitur in 1. de cælo text. 2.* Et quia in ſolo numero ternario tria iſta reperiuntur, ideo numerus ternarius ſecundùm hanc rationem dicit perfectionem. Etenim numerus ternarius tres vnitates habet, quarum prima, eſt principium; ſecunda, medium; & tertia, finis. Quod quidem in alijs numeris non inuenitur, vt per ſingulos numeros diſcurrẽti patet. Etenim numerus quaternarius quamuis habeat per deſignationem duas vnitates, quarũ vna ſit principium, & altera finis; nihilominùs nulla poteſt eſſe ſecunda, neque tertia, vt manifeſtum eſt; neque duæ incluſæ inter primam, & vltimam; quia duæ ſunt aliquid complexum, ac diuiſibile; medium verò inter principium, & finem, cum ſit copulans principium cum fine, debet eſſe indiuiſibile, & ſic de ſingulis. In ſolo igitur numero ternario hæc perfectio inuenitur. Numerus autem ſenarius etiam ſuam perfectionem habet, qua cæteri alij numeri carent. Nã numerus ſenarius, *conſurgit ex ſuis partibus aliquotiès coniunctis, quæ quidem partes ſunt, vnum, duo, tria*, vt docet D. Thomas eadẽ q. 74. art. 1. in corp. Et ſenſus eſt, quod partes numeri ſenarij taliter ſe habent, quod omnes faciunt ſex; vnum ſcilicèt, multiplicatum ſexies, facit numerum ſenarium; Duo, ter multiplicatum, facit numerum ſenarium. Et tria duplicata, ſimulatquè vnita faciunt numerum ſenarium, quod quidem in alijs numeris non contingit. Nam numerus quinarius non conſtat ex partibus ſuis aliquoties coniunctis. Quamuis enim vnum, quinquiès multiplicatum, faciat numerũ quinarium, duo verò ter multiplicata, non faciunt quinarium numerum, ſed ſenarium; bis multiplicata, faciunt quaternarium numerum, non quinarium & ſic de ſingulis alijs numeris diſcurrendo. Et ſecundum hanc cõſiderationem numerus ſenarius eſt præſtantior cæteris. Vnde ad hanc ſenarij numeri perfectionem attendentes, moderatores morum gubernationis &c. ſolent dicere, quod poſuerunt mores, ſeu gubernacula ciuitatum, in ſexto. *Septenarius numerus, vniuerſitatem ſignificat*; vt docet D. Thomas 1. 2. quæſt. 102. ar. 5. ad 5. Numerus tãdem denarius etiam ſuam perfectionem habet, ſecundùm aliam tamen conſiderationem. Etenim vt rectè D. Thomas 2. 2. q. 87. art. 1. in corp. circa medium ait, quod *denarius eſt quodammodo numerus perfectus, quaſi primus limes numerorum, vltra quem numerum non procedunt, ſed reiterantur ab vno, nouem ſibi partibus reſeruatis.* Idem docet 3. p. q. 31. art. 8. in corp. vbi ſic ait. *Ille, qui decimas dat, nouem ſibi retinet, & decimam alij tribuit, quod eſt perfectionis ſignum (in quantùm eſt quodammodo terminus omnium numerorum, qui procedunt vſquè ad decem) inde eſt, quod ille qui decimas dat, proteſtatur, ſe imperfectum, & perfectionem alij tribuere.* Ad rem igitur, dicimus, quòd antiqui in ſuis ſacrificijs numero ternario vtebantur propter perfectionem, quæ in numero ternario inuenitur, non propter Trinitatem perſonarum, quam ipſi cognouerint.

D.Thom.

D.Thom.

D.Thom.

44 Obijcies ſecundo ex Raymundo Lullo; Quia poteſt ratione naturali demonſtrari in Deo plures eſſe perſonas. Ergo. Probat antecedens; quia vbicumquè eſt concordia, eſt etiam pluralitas: ſed in diuina bonitate eſt concordia. Ergo in diuina bonitate eſt pluralitas. Maiorem ſupponit vt notam; probat vero minorem; quia vbicumque eſt actus, eſt concordia agentis, & acti in ipſo actu: ſed in diuina bonitate eſt actus, puta, bonificare.

L Ilus.

Digitized by Google

care. Ergo ibi eſt concordia bonificatiui, & bonificabilis in actu bonificandi.

45 Confirmatur. Vbicumquè eſt æqualitas, eſt diſtinctio inter ipſa æqualia: ſed in diuina bonitate eſt æqualitas inter bonificatiuum, & bonificabile. Ergo ibi eſt pluralitas. Maiorem etiam relinquit, & ſupponit vt notam; probat verò minorem, ſicuti probauit minorem argumenti iam propoſiti.

46 Dicat Raymundus, quid intelligit per concordiam. *Concordia propriè ſumpta*, vt D. Thomas 2. 2. q. 29. art. 1. in corp. docet, *eſt ad alterum, in quantùm ſcilicet, diuerſorum cordium voluntates ſimul in vnum conſenſum conueniunt*. Si ergo Raymundus accipit concordiam hoc modo, D.Thom.

47 Reſpondetur, concedendo maiorem, & negando minorem tanquàm apertè hæreticam. Hæreticum enim eſt dicere in diuina bonitate eſſe diuerſorum cordium voluntates; cum ſecundùm fidem non ſit in diuinis niſi vna ſimplex, & abſoluta voluntas. Vnde iuxta hunc argumentandi modum, probatio Raymundi, demonſtratio non eſt; Et quomodo demõſtratio dici poteſt argumentum, cuius media, ſeu minor propoſitio hæretica eſt?

48 Si verò nomine concordiæ intelligat plurium amantium vnicam voluntatẽ; ſic

49 Reſpondetur, concedendo maiorem; minorem vero nõ probat Raymundus, ſed ex fide ipſa ſupponit, vt ex eius poſita probatione conſtat. Vnde ad minoris probationem diſtinguo maiorem. Vbicumquè eſt actus, qui eſt productio, eſt concordia agentis, & actu in ipſo actu, concedo maiorem. Vbicumquè eſt actus, qui non eſt productio, ſed ſubſiſtens forma, eſt concordia agentis & acti in ipſo actu, nego maiorem. Minorẽ verò huius ſyllogiſmi, ſcilicet, in diuina bonitate eſt actus, puta, bonificare; Dicat Raymundus, à ſemetipſo hoc dicit; ex lumine naturali cognouit; an potiùs ex ipſa fide quæ eſt magiſtra veritatis accepit? Si primum, medium demonſtrationis eſſe non poteſt. Si ſecundum, nõ apparet; quia non demonſtrat. Si tertium, Ergo intentum.

Per idem patet ad confirmationem.

50 Obijciet tertiò ex eodem demonſtrãdo tres in diuinis eſſe perſonas. *Illa eſſẽtia cenſetur eſſe in maioritate actionis, in qua ſufficit vnica actio, vnica paſſio, & vnicus actus, vt bonificatiuum, bonificabile, & bonificare: ſed diuina eſſentia eſt in maioritate actionis. Ergo in ea tria illa tantùm debent eſſe*. Probat maiorem; *quia ſi in eadem eſſentia eſſent plures actiones, vna limitaret aliam*. Confirmat idem ſic. *Illa eſſentia eſt in maioritate diſtinctionis, in qua eſt vnicus diſtinctiuus, generatiuus, ſeù productiuus, vnius etiam diſtinguibilis, generabilis, & producibilis, & vnicũ diſtinguere per ſpirare, & amare: ſed diuina bonitas eſt in maioritate diſtinctionis. Ergo in diuina bonitate illa tria ſufficiunt*.

51 Vaſquez, qui conatur excuſare Raymundum, & Eymericum vt fictorem bullarum ſummorum Pontificum accuſare, hanc Raymundi rationem ponens, ſic ait. *Ego quidem vehementer miror, quã facilè hic Author ſibi perſuadere potuit, has eſſe perſpicuas, & euidentes demonſtrationes huius myſterij: cum non ſolùm friuolæ ſint, verũ etiam aliqua contra noſtram fidem ex illis ſequi videntur abſurda*. Vaſquez.

52 Et ibidem nu. 5. ſic ait. *Tertiò ex his rationibus ſequi videntur abſurda contra myſterium; primum quidem, Patrem eſſe diſtinctiuum Filij*. Et nu. 6. *ſecundò*, inquit, *ſequitur ex ſententia Raymundi, Spiritum ſanctum non procedere à Patre, & Filio, vt à principio producente*. Et nu. 7. ibidem, *tertiò*, inquit, *denique ex doctrina Lulliana ſequitur, plures eſſe perſonas, quàm tres*. Ex doctrina Lulliana ſequuntur multa contra fidem abſurda, quæ ſunt hæreſes in primo capite, Vaſquez ipſe concedit. Cur ergo Vaſquez Lulli opera prohibita non fuiſſe contendit?

53 Ratio à Raymundo poſita obſcura eſt, quia obſcuris, & inuſitatis terminis vtitur, vt igitur ab omnibus ſcholaſticis faciliùs intelligatur, in hac forma iuxta communem ſcholaſticorũ modum loquendi proponitur. Illa eſſentia eſt perfectiſſima in agendo, in qua reperitur vnicum producẽs, vnicum productum, & vnicus actus: ſed diuina eſſentia eſt huiuſmodi, ideſt, eſt perfectiſſima in producendo. Ergo in ea illa tria reperiri debent.

54 Nomine producentis, intelligit Patrẽ, nomine producti, intelligit Filium & nomine actus, intelligit Spiritum ſanctum, ſeù vt eius verbis vtar, dum maiorem propoſitionem exemplo declarat, tria ſunt, quæ in eſſentia perfectiſſima in agendo inueniuntur, bonificatiuum, bonificabile, & bonifacere. Per bonificatiuum, intelligit Patrem, per bonificabile, intelligit Filium, & per bonificare, intelligit Spiritum ſanctum.

55 Ex hac doctrina ſequitur, quòd Spiritus ſanctus non procedat à Filio, quod eſt hæreticum. Patet ſequela; quia bonifacere eſt actus, quo producitur bonificabile: ſed per Raymundum per bonifacere, intelligitur Spiritus ſanctus & per bonificabile, intelligitur Filius. Ergo Spiritus ſanctus non procederet à Filio,

ſed

Digitized by Google

ſed à Spiritu ſancto Filius. Maior patet, quia bonificabile eſt à bonificatiuo, non niſi per bonificare, ideſt, per actum bonificatiui, quo bonificatiuum producit bonificabile.

56 Item. Pater dicitur bonificatiuus, quia eſt productiuus: ſed Filius etiam eſt productiuus Spiritus ſancti. Ergo Filius etiam eſt bonificatiuus. Ac proinde, ſolus Spiritus ſanctus, qui ſolum producitur, & non producit, debet dici bonificabilis; Filius verò debet dici bonificabilis, & bonificatiuus, quemadmodum dicitur productus, & producens.

57 Item. Ex ſententia prædicta infertur, quòd eſſent quinquè perſonæ diuinæ; ſcilicet, bonificatiuum, bonificabile, & bonifacere. Et ſimiliter ſpiratiuum, ſpirabile, & ſpirare. Nam ſpiratiuum, & bonificatiuum ſeù generatiuum conuenirent vni, eidemquè perſonæ, puta, Patri, bonificabile conueniret Filio, & bonificare Spirituiſancto. Spirabile verò, & ſpirare conuenirent duabus aliis perſonis. Nam ſpirabile, non conueniret Spirituiſancto; quia per Raymundum, Spirituiſancto cōuenit bonificare, quod dicit actum, quo generatur Filius. Et ſpirare, nequè etiam diceret perſonam Spiritus ſancti; Ergo diceret aliquam aliam perſonam.

58 Reſpondetur igitur ad argumentum, ſuppoſita intelligētia terminorum more ſcholaſticorum; clariùs enim maior propoſitio ſic proponitur iuxta arguentis intelligentiam. Illa eſſentia eſt perfectiſſima quæ habet tres perſonas, quarum vna eſt producens, altera eſt producta, ſeù genita, & altera vocatur actus, ſeù bonificare. Hoc enim intendit Lullus. Sed hoc non probat demonſtratiuè, imò nec opinatiuè. Vnde reſpondetur quòd ſi negaretur propoſitio, nulla prorſus ratione poſſet ab arguente probari, niſi ex fidei lumine, quo docemur, tres eſſe in eſſentia diuina perſonas.

59 Obijcies quartò ex eodem euidenter probādo in Deo eſſe tres perſonas, quarum vna dicatur Pater, altera Filius, & alia Spiritus ſanctus, hoc modo. *Omne illud concedi debet in diuina bonitate, per quod bonificatiuum eſt in maioritate actionis; & bonificabile: ſed hoc fit per paternitatem, & filiationem. Ergo in Deo eſt Pater, & Filius.* Tunc vltra. *Omne illud concedendum eſt in diuina bonitate, per quod bonificare eſt in maioritate actus: hoc autem fit per amorem. Ergo in diuina bonitate concedendum eſt amare, quod appellamus Spiritum ſanctum.* Probat minorem, quia *perfectiſſimus modus producendi eſt Patris reſpectu Filij. Hic enim de tota ſua ſubſtantia Filium generat.*

60 Reſpondetur, quod argumentum in maiori propoſitione, ſupponit iam in diuina bonitate dari bonificatiuum, & bonificabile, quod quidem non debet ſupponi, ſed demonſtrari.

61 Item. Admiſſa maiori propoſitione, eiuſquè ſuppoſito, nequè demonſtratiuè probat minorem; quoniam in probatione defecit in tribus; primo quidem; quia non ſolùm perfectiſſimus modus producendi eſt Patris reſpectu Filij, ſed etiam Patris, & Filij reſpectu Spiritus ſancti. Non enim eſt magis perfectus modus producendi Filium in diuinis, quàm modus producendi Spiritum ſanctum; ſecūdo verò, quia etiam Spiritus ſanctus eſt de tota ſubſtantia Patris, & Filij; Et tertiò, quia in creatis datur vera ratio Filij, & tamen Filius non eſt de tota ſubſtantia patris, ſed de parte ſubſtantiæ Patris, ſecundùm quòd ſemen eſt pars ſubſtantiæ, non vero tota ſubſtantia generantis.

62 Iam vides non ſolùm non demōſtraſſe in Deo dari Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum, ſed nequè dari tres perſonas, quæcumquè illæ ſint. Futiles igitur ſunt Raymundi rationes ſpernendæ, & à Doctoribus omnino fugiendæ, ne fides tanti myſterij in deriſum veniat aduerſariorum.

63 Obijcies quintò. Homo eſt imago, ſeù ad imaginem Dei, non ſolùm quantùm ad rationem naturæ diuinæ, & vnitatis eius, verùm etiam quantùm ad Trinitatem perſonarum, vt docet D. Thomas infra q. 93. art. 5. Ergo poteſt ratione naturali Trinitas diuinarum perſonarum cognoſci, ac demonſtrari. Probatur conſequentia; quia imago ducit in cognitionem eius, cuius eſt imago: ſed homo eſt imago & ad imaginem Dei etiam ſecundùm pluralitatem perſonarū, vt in antecedenti poſitum eſt. Ergo cognoſcens perfectè hominem, debet cognoſcere myſterium Trinitatis. Sed anima ſeparata cognoſcit ſe ipſam per ſe ipſam perfectè, & ſimiliter Angelus cognoſcit comprehenſiuè hominem, & ſeipſum. Ergo lumine naturali poteſt cognoſci myſterium Trinitatis. D.Thom.

64 Reſpondetur diſtinguēdo, ſeù potius explicando antecedens. Homo eſt imago Dei &c. imperfecta, & deficiens concedo antecedens. Perfecta, & indeficiēs, nego antecedens. Ergo &c. nego conſequentiam. Et per idem patet ad probationem. Reſponſio hæc eſt inter Doctores communiſſima, eamquè tradit D. Thomas infra q. 93. art. 5. ad 3. Nihilominùs, quia difficultatem patitur, vt magis eius veritas elucescat. D.Thom.

Contra

65 Contra eam ſic arguitur. Homo eſt imago imperfecta ſubſtantialitatis, & intellectualitatis naturę diuinę; & nihilominùs ex cognitione ſubſtantialitatis, & intellectualitatis increatæ venimus in cognitionem ſubſtãtialitatis & intellectualitatis increatę. Ergo non obſtante, quod homo ſit imago imperfecta Trinitatis, ex cognitione hominis poſſumus venire in cognitionẽ Trinitatis. Aliàs, tenemur aſſignare diſparitatem, quare, ſcilicet, ex cognitione ſubſtantialitatis creatæ, quę eſt imago ſubſtantialitatis increatę imperfecta, non verò ex cognitione hominis, qui eſt imago Trinitatis etiã imperfecta, poſſumus in cognitionem Trinitatis venire.

66 Reſpondetur, diſtinguendo antecedens. Homo eſt imago imperfecta ſubſtantialitatis, & intellectualitatis naturæ diuinę, ſed habens in ſe verã formalitatẽ ſubſtantialitatis, & intellectualitatis, cõcedo antecedens. Sed non habens veram formalitatem ſubſtantialitatis, & intellectualitatis, nego antecedens. Ergo &c. nego conſequentiam. Et ratio negationis eſt, quia aliter homo dicitur imago Dei quantùm ad ſubſtãtialitatem, & intellectualitatem; & aliter quantùm ad pluralitatem perſonarum. Nam, vt iam dicebamus, ſic eſt imago ſubſtantialitatis, & intellectualitatis Dei, vt in ſe ſit realiter, & formaliter ſubſtantialis, & intellectualis: At verò, non ſic eſt imago Dei quantùm ad pluralitatem perſonarum, quaſi detur vnitas humanæ naturę omninò indiuiſibilis, cum Trinitate trium perſonarum humanarum eiuſdem naturę.

67 Dices. D. Thomas q. 39. art. 5. quęrit. Vtrum in homine ſit imago Dei quãtùm ad Trinitatem perſonarum; & reſpondet, quòd in homine eſt imago Dei, & quantùm ad naturam diuinã, & quantùm ad Trinitatem perſonarum. Ergo ſicuti homo eſt imago ſubſtantialitatis, & intellectualitatis Dei, ita eſt imago Trinitatis. D. Thom.

68 Reſpondetur, concedendo antecedẽs, & negando conſequentiam quãtùm ad omnia. Et ratio negationis eſt, quia D. Thomas non dixit, quòd homo eſt imago Trinitatis abſolutè, & ſimpliciter, ſed dixit, quòd homo eſt imago Dei quantũ ad pluralitatem perſonarum. Dicere enim (rigoroſè, & propriè loquor) quòd homo eſt imago Trinitatis, eſt dicere, quòd homo habet in ſe per participationem vnitatem eſſentię humanę in tribus perſonis humanis, ſeu quòd dantur tres perſonę, quę ſunt vnius humanę naturę, quod eſt omninò falſum, & hęreticum. Hoc enim nomen, Trinitas, non ſignificat aliud, niſi vnam eſſentiam trium perſonarum, aut tres perſonas vnius eſſentiæ. Dicens igitur, quòd homo eſt imago Dei quantùm ad pluralitatem perſonarum, voluit dicere, quòd in homine datur quædam proceſſio per emanationem intelligibilem, quæ eſt repræſentatio imperfecta tamen proceſſionum diuinarum, quæ fiunt per intellectum, & voluntatem.

69 Dices. Ergo cognoſcens hominem lumine naturali, quantùm ad huiuſmodi intelligibiles emanationes, cognoſcet quoquè lumine naturali emanationes intelligibiles in diuinis. Et quia lumine naturali cognoſcitur, quòd in Deo non poteſt dari aliquod accidens, nec plures eſſentiæ. Ergo lumine naturali cognoſceretur, quòd per huiuſmodi proceſſiones producuntur perſonæ diuinæ. Ergo recurrit argumentum.

70 Reſpondetur, & quia prima propoſitio, quamuis ſit verbaliter vna, eſt tamen virtualiter plures, propter plura ſignificata, quæ habere poteſt, & habet, ideo priùs explicandum eſt, ſimulatquè obſeruandùm, quòd in intellectuali natura creata datur emanatio intelligibilis, quæ eſt reſpectu obiecti naturaliter cognoſcibilis, & naturaliter amabilis; atque etiam datur emanatio intellectionis, ſcilicet, aut amoris reſpectu obiecti ſupernaturaliter cognoſcibilis, & amabilis ſicuti eſt Deus, vt in ſe eſt. Diſcrimen autem eſt inter huiuſmodi intelligibiles emanationes; quia primæ lumine naturali cognoſcuntur, & ſic reſpondetur, negando principalem illationem. Secundæ verò cognoſcuntur lumine ſupernaturali dumtaxat; & reſpectu harum, negatur ſuppoſitum. Item, homo iuxta primas emanationes eſt imago Dei quantũ ad pluralitatem perſonarũ ſecundùm quamdam proportionalitatẽ remotam; iuxta verò ſecundas, dicitur imago Trinitatis magis propinquè. Eò quia, ſecũdùm primas, datur quidem intelligibilis emanatio, ſed non reſpectu Dei immediatè; ſecundũ verò ſecundas, datur intelligibilis emanatio reſpectu Dei. Imago enim Dei ſecundũ intelligibilẽ emanationẽ, debet eſſe hoc modo, quòd ſicut Deus intelligit ſe, & amat ſe; & intelligendo ſe, producit Verbum; & amando ſe, producit Spiritum ſanctum. Ita quoquè homo intelligendo Deum, producit Verbum, non quidẽ obiectiuũ, ſed effectiuũ, vt ſupra tom. 1. diſp. diximus, & per extensũ explicauimus; & amãdo Deum producit amorẽ, & impulſum, quo tendit ad Deum, vt eſt in ſe.

 Dices.

Digitized by Google

71 Dices. Adhùc argumentum in ſuo robore permanere. Ergo. Probatur antecedens; quia ſimilitudo, ſeù imago, quæ eſt in lumine ſecundùm emanationes intelligibiles primas eſt naturalis. Ergo cognoſcitur homo vt imago Dei quantùm ad pluralitatem perſonarum, cognoſcendo hominem perfectè lumine naturali. Patet conſequentia; quia lumine naturali poteſt cognoſci quidquid naturaliter eſt in homine. Probatur autem antecedens, quia imago iuxta primas intelligibiles emanationes conuenit homini ex vi creationis, & entitatis ſuæ. Ergo. Patet conſequentia, quia quod conuenit homini ex vi creationis, & entitatis ſuæ eſt ei naturale.

72 Reſpondetur, negando antecedens, & dico, quòd neque etiam cognito homine ab aliquo perfecto cognoſcente, cognoſcitur per eiuſdem cognoſcentis lumen naturale hæc imaginis ratio, quæ in homine reperitur reſpectu Trinitatis. Et ad probationem, explico, ſeù diſtinguo antecedens. Similitudo, ſeù imago, quæ eſt in homine ſecundùm emanationes intelligibiles primas, eſt naturalis entitatiuè, ſeù materialiter concedo antecedens. Eſt naturalis obiectiuè, nego antecedens. Ergo &c. nego conſequentiam.

73 Dices. Eſt naturalis entitatiuè. Ergo eſt naturalis obiectiuè. Patet conſequentia, quia quod eſt naturale entitatiuè eſt lumine naturali cognoſcibile.

74 Sed contra arguentem poteſt retorqueri argumentum. Futurum contingens, & liberum ordinis naturalis, eſt naturale entitatiuè. Ergo eſt naturale obiectiuè. Conſequens eſt falſum, quia futura contingentia à nulla creatura ſolo lumine naturali poſſunt certò cognoſci.

75 Reſpondebit arguens; Futurum contingens non poſſe ſolo lumine naturali certò cognoſci, quia non poteſt certò cognoſci id, quod de ſe incertum eſt, indeterminatum, ſeù indifferens, & in ſtatu indeterminationis, atquè differentiæ poſitum eſt.

76 Contra. Actus liber, & omnes liberæ cogitationes cordium, ſi nullo ſigno, aut reuelatione fuerint alijs manifeſtatæ, à nullo intellectu creato, etiam quando de facto exiſtunt, ſolo lumine naturali cognoſcuntur. Ergo non ſola indeterminatio, & indifferentia futuri contingentis eſt ratio quare aliquod entitatiuè naturale eſt obiectiuè ſupernaturale.

77 Reſpondebit, concedendo totum; eo quia multa ſunt entitatiuè naturalia, quæ ob particulares modos, quos includunt, non niſi ſupernaturali lumine poſſunt intueri.

78 Contra. Ergo licèt ratio imaginis ſecundum pluralitatem perſonarum, quæ in homine inuenitur ſit entitatiuè naturalis ob ſpecialem, ac inſuperabilem difficultatem, quam includit lumen naturale, poteſt eſſe entitatiuè naturalis, & obiectiuè ſupernaturalis.

79 Cognoſcitur igitur per lumen naturale id, per quod homo dicitur imago Dei quantùm ad pluralitatem perſonarum, puta, ſecundùm emanationes intelligibiles; quod verò proceſſio ſecundùm emanationem intelligibilẽ ſit imago Dei quantùm ad pluralitatem perſonarum, per lumen naturale non cognoſcitur. Ratio autem huius eſt, quia imago, vt imago, cognoſci nequaquàm poteſt, niſi cognoſcatur quoquè imaginatum; ac proinde imago Trinitatis non cognoſcitur vt imago, niſi cognita etiam ratione imaginati. Quia igitur emanationes intelligibiles eſſe in Deo, lumine naturali inueſtigari non poteſt; quia quamuis fœcunditati congruere ex vna parte videatur, infinitati tamen, ſummæquè vnitati videtur ex altera repugnare, ideò lumen naturale remanet omnino in ſe ipſo ſuſpenſum; atque adeò ex ſola fide ſcimus huiuſmodi imaginis rationem creaturæ intellectuali conuenire.

80 Obijcies ſextò. Lumine naturali rectè demonſtratur Deum eſſe ſummè bonum. Ergo lumine naturali eſt demonſtrabile Deum eſſe ſummè communicabilem. Ergo communicabilem ad intra. Ergo eſt demonſtrabile ratione naturali in Deo plures eſſe perſonas.

81 Reſpondetur, concedendo antecedens, & negando primam conſequentiam. Et ratio negationis eſt, quia lumen naturale dictat Deum eſſe ſummè bonum, atquè etiam bonum de ſui ratione eſſe communicatiuum: Vnde impoſſibile eſt etiam lumine naturali concedere, Deum eſſe ſummè bonum, & negare creaturarum poſſibilitatem, quibus ſe communicare poſſet: attamen lumen naturale non inclinat ad hoc, vt ſummo bono conueniat ſumma communicabilitas, & ad intra. Hoc enim tantummodo ex diuina reuelatione accipimus.

Ex

82 Ex ſupradictis ſequitur, quòd myſterium Trinitatis non ſolùm demonſtratiuè lumine naturali cognoſci nequit, ſed nec probabiliter. Imò intellectus creatus etiam ſi eſſet lumine gloriæ illuſtratus, non cognoſceret per ſcientiam lumine naturali acquiſitam myſterium Trinitatis. Quamuis enim Beati per viſionem claram Dei myſterium Trinitatis videant, non tamen per ſpecies extra viſionem de Trinitatis myſterio habent cognitionem.

DISPVTATIO CLXXV.

VTRVM EXTRA CLARAM VISIONEM DEI poſſit intellectui creato communicari clara notitia Trinitatis quò ad quid eſt, vel ad minùs quò ad an eſt.

Per vnicum caput expedita.

CAPVT VNICVM.

Doctorum opiniones referuntur, & veritas ſtabilitur.

1 MYSTERIVM Trinitatis poſſe per aliquam ſpeciem creatam abſtractiuè cognoſci quò ad quid eſt, videtur eſſe opinio Scoti in 2. diſt. 3. q. 9. Scotus.

2 Poſſe verò cognoſci clarè, & distinctè quò ad an eſt, extra viſionem beatificam euidentia in atteſtante, eſt opinio Caietani, 3. p. q. 11. ar. 1. vbi docet Christum Dominum per ſcientiam infuſam habuiſſe claram de Trinitate notitiam, claritate atteſtantis, & hoc idem communiter Thomiſtæ docent, & præſertim Aluarez, ibidem diſp. 62. concl. 2. & alij. Caiet. Aluarez.

3 Quidam verò etiam ex Thomiſtis dicunt, per ſpecies inditas poſſe cognoſci myſterium Trinitatis clarè quò ad an eſt, non ſolùm euidentia in atteſtante, verumetiam euidentia intrinſeca, ex cognitione, ſcilicet, effectuum ſupernaturalium, nimirum, viſionis beatificæ, & ſanctificantis gratiæ. Tenent enim, Chriſtum Dominum per ſcientiam infuſam de facto quidditatiuè, imò, & comprehenſiuè cognouiſſe omnia myſteria ſupernaturalia creata, vt ſunt lumē gloriæ, viſio clara Dei, habitus ſanctificantis gratiæ &c. Ex quorum effectuum ſupernaturalium cognitione dicunt intellectum in cognitionem claram Trinitatis venire, quò ad cognitionem, an eſt, ſicuti ex cognitione effectuum naturalium venit intellectus creatus in cognitionem Dei ſecundùm quòd eſt author naturæ, & vnus. Ita Cyppullus, 3. p. q. 11. art. 1. dub. 4. & 5. & art. 5. dub. 2. Cyppul.

4 Sed pro determinatione veritatis, Dico primò. Nullus intellectus creatus poteſt cognoſcere Deum vt Trinum clarè, & diſtinctè quò ad quid eſt, extra viſionem claram, & intuitiuam Dei.

Hoc dictum probauimus ſupra tom. 1. diſp. 32. Vide ea, quæ ibi per extenſum diximus.

5 Probatur inſuper, ſeù ratio ibi poſita, iterum ſic breuiter inſtauratur. Cognitio clara, & quidditatiua rei repræſentatæ, vt exiſtentis, & vt præſentis, eſt cognitio ſimpliciter intuitiua: ſed quotieſcumquè cognoſceretur myſterium Trinitatis; ſeù Deus vt Vnus in eſſentia, & Trinus in perſonis clarè, & diſtinctè, & quidditatiuè, cognoſcitur vt neceſſariò exiſtens, & in rerum natura præſens, taliter, quòd huiuſmodi præſentia eſt etiã intellectui cognoſcentis obiectiuè præſens. Ergo huiuſmodi cognitio eſſet ſimpliciter intuitiua. Ergo implicat dicere, quòd datur cognitio quidditatiua, & abſtractiua Trinitatis.

6 Dico ſecundò. Poteſt myſterium Trinitatis cognoſci clarè, & diſtinctè, ſeù euidenter, euidentia ſcilicet, in atteſtante, quò ad an eſt.

Probatur. Poteſt Deus alicui hoc Trinitatis myſterium reuelare, & clarè cum ſic illuſtrare, vt euidēter cognoſcat huius reue-

Digitized by Google

reuelationis authorem fuiſſe Deum: ſed hoc eſt habere euidentiam myſterij Trinitatis quò ad an eſt, euidentia, quæ dicitur in atteſtante. Ergo.

7 Pro huius intelligentia eſt obſeruandum, quòd euidẽtia in atteſtante eſt euidentia per extrinſeca, non per intrinſeca. Nam euidentia in atteſtante, non cõſiſtit in alio, niſi in hoc, quod cognoſcitur euidenter aliquid fuiſſe dictum ab aliquo aut reuelatum. Et ſic dicimus in præſenti, quòd poteſt dari nobis alicui myſterium Trinitatis à Deo ſic reuelari, vt ipſomet Deo operante, ab eodem cui huiuſmodi facta eſt reuelatio, clarè cognoſcatur, quo hæc reuelatio non eſt facta, niſi à Deo, ſeu quòd huiuſmodi reuelans non ſuit, niſi Deus. Hoc dico, propter aliam euidentiam quò ad an eſt, quæ eſt euidentia intrinſeca; & hoc eſt quãdo ex effectibus, quos cognoſcimus, concludimus dari Deum.

8 Dico tertiò. Myſterium Trinitatis quò ad quæſtionem an eſt, non cognoſcitur clarè, & euidenter niſi per lumen gloriæ.

Hoc dictum patet ex iis, quæ latius diximus tom. 1. diſput. 32. nuper citata cap. 2. concl. 4. Vide, quæ ibi pro huius dicti probatione diximus.

9 Et inſuper probatur primò; Quia lumen ſupernaturale, per quod intuitiuè, quidditatiuè, & comprehenſiuè cognoſcãtur myſteria ſupernaturalia creata, & quo an eſt cognoſcantur clarè, & euidẽter myſteria increata claritate, ſcilicet, intrinſeca, eſt omninò impoſſibile; Ergo non datur.

10 Antecedens probatur primò; Quia poſito huiuſmodi ſupernaturali lumine tolleretur è medio neceſſitas fidei reſpectu myſteriorũ fidei in viatoribus. Hoc non eſt dicendum. Ergo. Probatur ſequela, quia poſito huiuſmodi ſupernaturali lumine, clarè, quidditatiuè, & comprehenſiuè cognoſcerentur myſteria ſupernaturalia creata, & ſecundùm poſitionem Cyppulli, clarè quoque cognoſceretur myſterium Trinitatis, & alia myſteria increata quo ad an eſt. Ergo in viatoribus non eſſet neceſſaria fides reſpectu horum, cum fides ſit neceſſaria propter impotentiam virtutis cognoſcitiuæ.

11 Dixi, ſecundùm poſitionem Cyppulli; quoniam licèt nonnulli alij Theologi teneant dari lumen ſupernaturale, per quod quidditatiuè myſteria ſupernaturalia creata cognoſcantur, tamen dicunt ex horum cognitione non cognoſci euidenter myſterium Trinitatis quo ad an eſt, euidentia, ſcilicèt, intrinſeca, ſed ſolùm euidentia in atteſtante, quæ eſt euidentia extrinſeca: Imò Suarez tenens lumen ſcientiæ inditæ animæ Chriſti eſſe ipſum lumen gloriæ; negat tamen inde ſequi, ex horum effectuum cognitione, poſſe clarè myſterium Trinitatis quò ad an eſt cognoſci. Vt pa et 3. p. q. 11. art. 5. diſp. 29. ſect. 4. Cyppullus vero reſolutè tenet, lumen ſcientiæ inditę animę Chriſti non eſſe lumen gloriæ, ſed quid inferius ipſo, & per tale lumen, Chriſtum Dominum cognouiſſe omnia myſteria ſupernaturalia creata quidditatiuè, imò & comprehenſiuè, & ex horum effectuũ cognitione clarè intellexiſſe myſterium Trinitatis quo ad an eſt. Et ſic non ſolùm euidentia in atteſtante, verumetiam euidentia intrinſeca tanti myſterij clarã habuiſſe cognitionem, quemadmodum ex effectuum naturalium cognitione venitur in cognitionem claram Dei quò ad ea, quæ ad eius vnitatem pertinent. ſic tenet 3. p. q. 11. Suarez.

12 Secundò, quia tali ſupernaturali lumine præſuppoſito, lumen gloriæ non ſuccederet immediatè lumini fidei. Hoc eſt falſum. Ergo. Probatur ſequela; quia hoc lumen mediaret inter lumen fidei, & lumen gloriæ. Ergo lumini fidei non ſuccederet immediatè lumẽn gloriæ.

13 Tertiò; quia ſi hoc lumen ſupernaturale eſſet poſſibile, & de facto communicatum Chriſto, ſequeretur, quod etiã debuiſſet ex maxima congruentia Beatiſſimæ Virgini Matri communicari, ſeu infundi dum erat viatrix. Hoc non eſt dicendum. Ergo. Minor patet, quia vbi eſt tale lumen, ibi non adeſt habitus fidei ſupernaturalis: ſed in Beata Virgine ſemper fuit habitus ſupernaturalis fidei, & ſolùm huiuſmodi habitus receſſit yiſione beatifica adueniente. Ergo nõn eſt dicendum, huiuſmodi lumen fuiſſe animæ Beatiſſimæ Virginis infuſum. Probatur vero ſequela, quia, vt docet D. Thomas 3. p. q. 27. art. 5. Beata Virgo per ſanctificationem adepta fuit plenitudinem omnium gratiarum. In corpore enim ſic ait. *Beata autem Virgo Maria propinquiſſima Chriſto fuit, ſecundùm humanitatem, quia ex ea accepit humanam naturam, & ideo præ cæteris maiorem debuit à Chriſto gratiæ plenitudinem obtinere.* Et in reſp. ad 1. ſic ait. *Beata Virgo Maria tantam gratiæ obtinuit plenitudinem, vt eſſet propinquiſſima authori gratiæ, ita quòd eum, qui eſt plenus omni gratia, in ſe reciperet, & eum pariendo, quodammodo gratiã ad omnes deriuaret.* Et ad 3. ſic ait. *Non eſt dubitandum, quin Beata Virgo acceperit excellenter donum ſapientiæ, & gratiam virtutum, & etiam gratiam prophetiæ.* Et paucis interiectis. *Sapientiæ enim,*

inquit,

Digitized by Google

Luc. 2. inquit, *vſum habuit in contemplando, ſecundùm illud Lucæ 2. Maria autem conſeruabat omnia verba hæc conferens in corde ſuo.*

14 Item. Poſtquam Beatæ Virgini fuit myſteriũ Incarnationis, & maternitatis Virginalis ab Angelo annunciatum, per illa verba Lucæ 1. *Ecce concipies in vtero, & paries Filium*, & reſpondens Maria ad Angelum dixit, *Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco?* Cupiebat igitur Virgo de tam excelſo, ac eleuato Sacramento altiùs edoceri. Et Angelus per hæc verba confortauit eam; *Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus altiſſimi obumbrabit tibi.* Et re vera Spiritus ſanctus de tãto myſterio ſic edocuit eam, vt ipſamet Virgo Beata nõ quidem *publica doctrina, ſed familiari inſtructione, quam conſtat mulieribus nõ eſſe prohibitã aliqua particularia facta explicauit Apoſtolis*, vt rectè Caietanus 3. p. q. 27. art. 5. §. *Poſſe tamen dici*, obſeruat. Huiuſmodi autem facta, §. præcedenti, idem Caietanus docet fuiſſe annunciationem Incarnationis, & natiuitatem Filij, & Magorum aduentum. Et ſic tenet Caietanus, quòd Beata Virgo inſtruxit Apoſtolos de myſterijs fidei, non publica doctrina, ſed familiari inſtructione. Ergo ſi ſupradictum ſupernaturale lumen datur, dicendum eſt, Beatiſſimæ Virgini Matri de facto fuiſſe communicatum.

B. Virgo.

Caietan. Cyppull.

15 Nec alicuius roboris eſt obiectio Cyppulli, contendentis per lumen gloriæ nõ poſſe myſteria fidei ſupernaturalia creata immediatè cognoſci, per hoc, quòd lumen gloriæ immediatè illuſtrat intellectum, vt poſſit cognoſcere Deum, & alia à Deo in ipſo Deo, & non in ſe ipſis. Ergo myſteria ſupernaturalia creata ſi poſſunt quidditatiuè, & comprehenſiuè in ſe ipſis cognoſci, non cognoſcuntur per lumen gloriæ, ſed per aliud omninò lumen, quod eſt lumen ſupernaturale iam dictum.

16 Reſpondetur enim, lumen gloriæ in ſe habere vtrumquè, & quòd illuſtret intellectum, vt poſſit mediante vnione diuinæ eſſentiæ videre Deum in ſe ipſo, & immediatè; & etiam, quòd ſufficienter illuſtret intellectum, vt poſſit immediatè cognoſcere myſteria ſupernaturalia creata ſuppoſita infuſione ſpecierum repræſentatiuarum ſupradictorum myſteriorum. Et ſic huiuſmodi cognitio non fit niſi in ſtatu patriæ. Nam lumen gloriæ non eſt habitus viæ. Vnde diuino miraculo fieret, vt aliquis habeat lumen gloriæ, & per ſpecies ſupernaturalis ordinis cognoſcat myſteria ſupernaturalia creata, non verò Deum videat, per hoc, quòd Deus non eſſet illi intellectui per modum ſpeciei vnitus. Et hinc eſt; quòd horum myſteriorum intellectui Beatæ Virgis non fuit tàm clara communicata cognitio; quia ſcilicet, licèt habuerit ſcientiam infuſam, non tamen habuit ſcientiam, quæ & ſi non ſit formaliter beatifica, eſt tamen ex natura ſua cum viſione beatifica omninò connexa.

DISPVTATIO CLXXVI.

VTRVM MYSTERIVM TRINITATIS POSSIT EFFICACITER probari ex veteri teſtamento aduerſus Iudæos.

In duo capita diſtributa.

CAPVT PRIMVM.

Explicatur titulus, & Doctorum opiniones referuntur.

1 EX nouo teſtamento myſterium Trinitatis efficaciter poſſe, imò de facto probari contra hæreticos, certa res eſt, vt patet ex multis eiuſdem teſtamenti locis, & concluſione 1. dicemus; verùm, per ea hebraica non cõuincitur obſtinatio, quandoquidem Hebræi acquieſcunt authoritati Sacræ Scripturæ veteris legis, teſtimonijs verò noui teſtamenti non credunt, ſicuti neque in Chriſtum credere volunt. Diſputantes igitur pro Trinitatis myſterio

rio cum Hebræis, oportet vti teſtimonijs veteris legis. Et hoc ſuppoſito, quòd poſſit aliquo loco Sacræ Scripturæ efficaciter conuinci tanti myſterij exiſtentia; quoniam ſi tantummodo perſuaſibiliter per loca Sacræ Scripturæ probaretur, non debemus contra eos per loca Sacræ Scripturæ arguere. Et quoniam Iudæi putant vnam duntaxat, eſſe in Deitate perſonam, idcircò non immeritò præſentem formamus diſputationē, vt Chriſtiani ſciant, quomodo cum hæreticis de hoc myſterio pertractantes ſe gerere debeant.

2 Abulenſis opuſc. de Sanctiſ. Trinit. concl. 1. ſic ait. *Ex authoritatibus veteris teſtamenti, perſonarum pluralitas, licèt ſit perſuaſibilis, neceſſariò tamen non eſt conuincibilis.* (Abulenſ.)

3 Et ibidem §. *Secunda particula*, magis explicans hoc ſic ait; *ſecunda particula eſt, quòd non poteſt neceſſariò conuinci ex authoritatibus veteris teſtamenti per ſe ſumptis, pluralitas perſonarum, ita vt appareat.*

4 Et eodem opuſc. concl. 2. ſic ait. *Secunda concluſio eſt. Licèt ex ſcripturis veteris teſtamenti poſſit probari perſonarum diuinarum pluralitas, nullo tamen modo probari poteſt diſtinctè Trinitas*, vbi impugnat eos, qui dicunt, & putant *ſe ſufficienter probare Trinitatem perſonarum diuinarum.*

5 Et concl. 3. docet modum quo contra Iudæos procedere debemus, & ſic §. *Modus autem*, ait. *Modus autem contra Iudæos non eſt, vt nos conemur eis probare ſingulos articulos, vel concluſiones fidei noſtræ, antequàm conuertantur, ſed quòd probemus vnum, quo deducantur ad aſſentiendum legi euangelicæ. Et ſic ipſi ſponte aſſentient cæteris.* Et §. ſequenti ſic ait. *Sed qui vult contra Hebreos diſputare, debet conari ſolùm, vt probet Meſſiā in lege promiſſum, veniſſe; & quòd ille habebat poteſtatem dandi legem nouam; & quòd illi tenebantur omnes homines aſſentire, quæ ſatis poſſunt induci authoritatibus veteris teſtamenti.*

6 Et §. ſequen. ſic ait. *Ex prædictis etiam ſequitur aliud corollarium, ſcilicèt, quòd in veteri teſtamento potiſſimè in libris Moyſi de Trinitate diuinarum perſonarum nihil clarè debuit dici.* Hæc ille. Itaque Alphonſus Toſtatus Hiſpanus Epiſcopus Abulenſis, tenet, myſterium Trinitatis ex vi ſolius Sacræ Scripturæ veteris legis ſcilicèt, teſtimonijs, nullatenus efficaciter poſſe probari. (Alph. To.)

7 Magiſter Dominicus Bañes in hac quæſt. dubit. vlt. refert hanc Abulenſis opinionem quammultum ſaluare conatur, taliter, quod concl. 1. ſic in fine dixerit. *In qua ſententia ego nihil erroris, aut temeritatis inuenio.* (Bañes.)

8 Alij autem dicunt ex vi teſtimoniorū veteris legis poſſe probari cōtra Iudæum hoc myſterium Trinitatis. Ita Magiſter ſentent. in 1. diſt. 2. Nicolaus de Lyra in libro vnico contra Iudæos, & ponitur in fine Gloſſæ ordinariæ; Et ferè omnes recentiores. (Magiſter. Lyranus.)

CAPVT SECVNDVM.

Determinatio veritatis.

9 PRO determinatione veritatis, Dico primò. Ex teſtimonijs nouæ legis efficaciter poteſt probari myſterium Trinitatis.

10 Hoc dictum non ſolùm intelligitur in ordine ad Catholicos vera credentes, verumetiam in ordine ad hæreticos, taliter, quòd teſtimonia nouæ legis de hac materia ſunt adeò efficacia, vt etiam ſufficiant ad conuincendum hæreticos.

11 Probatur; quia ex teſtimonijs nouæ legis habetur, quòd Ieſus Chriſtus eſt verus Deus, & Filius Dei, vt patet ex ijs, quæ ſupra q. 27. art. 1. diximus. Dicitur enim 1. Ioan. 5. *Scimus enim, quoniam Filius Dei venit, & dedit nobis ſenſum, vt cognoſcamus verum Deum, & ſimus in vero Filio eius, hic eſt verus Deus, & vita æterna.* Et ad Rom. 9. *Ex quibus eſt Chriſtus ſecundùm carnem, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula.* Item Ioan. 1. *In principio erat Verbū, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum &c.* Item Spiritus ſanctus etiam eſt Deus, vt patet ex Sacra Scriptura, vt vidimus eodem art. 1. q. 27. & procedit à Patre; iuxta illud Ioan. 15. *Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre, ſpiritum veritatis, qui à Patre procedit.* Item Chriſtus Dominus iuſſit homines baptizari *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti*; vt dicitur Matth. vltimo, & 1. Ioan. vlt. *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus, & hi tres, vnum ſunt.* Ecce teſtimonia Sacræ Scripturæ, quæ ſufficientia ſunt ad inſtruendū Catholicos, & ad inducendum hæreticos, vt myſterium Trinitatis credant. Vnde non credentes ex proteruia, non ex teſtimoniorum Sacræ ſcripturæ inefficacia procedit. (1. Io. 5. Rom. 9. Ioan. 1. Ioan. 15. Matt. vlt. 1. Io. vlt.)

12 Dico ſecundò. Ex teſtimonijs veteris teſtamenti poteſt efficaciter perſonarum pluralitas demonſtrari.

13 Hoc dictum puto eſſe D. Thomæ. Etenim D. Thomas 2. 2. q. 2. art. 8. vbi quærit, *vtrum explicitè credere Trinitatem, ſit de neceſſitate ſalutis*, ſic in corp. ait. *Myſterium Incarnationis Chriſti explicitè credi nō poteſt,* (D. Thomas)

Digitized by Google

poteſt, ſine fide Trinitatis; quia in Myſterio Incarnationis Chriſti, hoc confitetur, quòd Filius Dei carnem aſſumpſerit, quod per gratiam Spiritus ſancti mundum renouauerit. Et paucis interiectis. *Et ideo*, Inquit, *eodem modo, quo myſterium Incarnationis Chriſti ante Chriſtum fuit explicitè creditum à maioribus; implicitè autem, & quaſi obumbratè à minoribus, ita etiam & myſterium Trinitatis*. Et ad 2. ſic ait. *Ante Chriſti aduentum fides Trinitatis erat occulta in fide maiorum, & per Chriſtum manifeſtata eſt mundo, & per Apoſtolos*.

14 Et in eodem art. in argumento, *ſed contra*; ſic ait. *Sed contra eſt, quòd in veteri teſtamento multipliciter expreſſa eſt Trinitas perſonarum, ſicut ſtatim in principio Geneſ. dicitur ad expreſſionem Trinitatis, faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtrã. Ergo à principio de neceſſitate ſalutis fuit credere Trinitatem explicitè*. D.Thom. Geneſ. 1.

15 Ex quo D. Thomæ diſcurſu colligitur, quòd mens D. Thomæ eſt, ex authoritatibus veteris teſtamenti myſterium Trinitatis efficaciter poſſe oſtendi. Quod ita probo. Nam ex D. Thoma fides explicita myſterij Trinitatis fuit de neceſſitate ſalutis in maioribus antiquæ legis, per hoc, quod ſtatim in principio Gen. dicitur, *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram*; per quæ verba fuit expreſſa Trinitas perſonarũ. Ergo eius intentio eſt, quòd efficaciter oſtẽditur pluralitas perſonarum ex præcitato loco veteris teſtamenti. Patet iſta conſequentia; quia aliàs non fuiſſet de neceſſitate ſalutis in maioribus veteris legis explicitè myſterium Trinitatis credere. Patet hoc; quia in tantùm eſt de neceſſitate ſalutis aliquid credere, in quantùm efficaciter ex Sacra Scriptura colligitur. Ergo.

16 Probatur ſecundò nonnullis locis veteris teſtamenti. Nam vt dicebamus, in principio Gen. dicitur; *Faciamus hominẽ ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram*: ſed per hoc teſtimonium, myſterium Trinitatis efficaciter inſinuatur, quòd & ſi nõ ab omnibus in veteri lege, tamen à maioribus de myſterio Trinitatis intelligebatur. Ergo.

17 Reſpondet Abulenſis loco cit. ſic dicens. *Licèt dicatur in plurali, faciamus, non arguitur pluralitas ſuppoſitorum, ſed poteſt intelligi aliter iſta pluralitas; vno modo, quòd in creatione hominis, cum Angeli eſſent iam creati, Deus loqueretur ad Angelos, dicens, Faciamus hominem*. Abulenſ.

18 Contra; Quia Angeli non concurrerunt ad factionem hominis. Ergo falſa eſt expoſitio Abulenſis.

19 Reſpondet, ſic dicens; *Angeli cooperati ſunt in figuratione hominis, ſcilicet formando, & lineando corpus eius de limo terræ*.

20 Quamuis dici poſſit, & ad mentem D. Thomæ 1.p.q.91.ar.2. ad. 1. quòd *in formatione corporis primi hominis potuit fieri, vt aliquod miniſterium Angeli exhiberent, ſicut exhibebunt in vltima reſurrectione, pulueres colligendo*, ac proinde Angeli formauerint lutum, quaſi vnam ſtatuam hominis luteam, non tamen dici poteſt, quòd Angeli communicauerint cum Deo, neque in creatione animæ humanæ, neque in productione humani corporis. Quandoquidem, Angeli nõ poterant formare carnem, oſſa, & neruos ex limo terræ, vt Abulenſis ipſe ibidem fatetur. Quo poſito, D.Thom. Abulenſ.

21 Sic argumentor contra. Dixit Deus, *Faciamus hominem*. Ergo intelligi debet de actione, qua factus eſt homo, ſecundũ animam, & ſecundùm corpus, quatenùs eſt corpus humanum. Ergo falſa eſt Abulenſis explicatio. Antecedens patet, & prima conſequentia ex antecedenti benè deducitur. Nam formare ex luto quamdam remotam hominis ſtatuam, non eſt facere hominem quantùm ad corpus humanum, neque quantùm ad animam eius. Ergo dicens Deus, *Faciamus hominem*, non debet intelligi de illa factione, quæ fuit tantummodo luti figuratio. Secunda verò conſequentia deducitur ex prima. Nam ſi Angeli re vera non communicauerunt cum Deo in creatione animæ, neque in formatione corporis humani, neque in infuſione animę, falſum omninò erit dicere, quòd dicens Deus, *Faciamus hominem*, locutus fuerit ad Angelos.

22 Reſpondet ſecundò, explicando authoritatem, quantùm ad ly, *Faciamus*, dicens, quòd *iſta authoritas poſſet intelligi de Deo ſolo, etiã ſi eſſet vnica perſona*; & tunc *propter magnam dignitatem, Deus de ſe ipſo loqueretur in plurali, ſicut dicunt magni viri: nos Dominus Petrus faciemus vobis immenſa beneficia, & ſic etiam diceret ad imaginem noſtram, ſicut dicunt magni viri, domus noſtra eſt bona*. Abulenſ.

23 Contra; Quia licèt poſſet ſic Sacra Scriptura intelligi propter Dei loquentis ſuperexcellentiam, & magnitudinem, taliter, quòd etiam ſi plures non eſſent in Deitate perſonæ, adhùc fuiſſet apta ſupradicta locutio. Verùm; quia ſunt etiam alia Sacræ Scripturæ loca, quibus pluralitas perſonarum inſinuatur in Deo, idcircò, dicendum eſt, quòd locus Sacræ Scripturę adductus, optimus eſt ad exprimendam pluralitatem diuinarum perſonarum.

Item

Digitized by Google

Geneſ. 1.

24 Item Geneſ. 1. ſic incipit. *In principio creauit Deus Cœlum, & terram*; Quia in Hebræo ponitur ibi *Elohim*, quod eſt pluralis numeri, ideſt, *Dij*. Et cum ponitur verbum ſingulare, ſignificatur ſuppoſitorum pluralitas, & vnitas naturæ.

Pſal. 32.

25 Item in Pſal. 32. dicitur; *Verbo Domini cœli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum*. In quibus verbis, tres diuinæ perſonæ deſignantur, ſcilicèt, Dominus, & Verbum eius, & Spiritus eius. Dominus ideſt, Pater; Verbum eius, ideſt, Filius; & Spiritu oris eius, ideſt, Spiritus ſanctus. Ergo.

Abulenſ.

26 Reſpōdet ad hoc teſtimonium Abulenſis concl. 2. §. *Ad primam*, ſic dicens, *quòd non ſolùm non probatur hìc Trinitas, imò etiam non intelligitur authoritas de Trinitate perſonarum, ſed ſolùm ſignificatur vnus Deus. Et cum dicitur, Verbo Domini cœli firmati ſunt, ſenſus eſt, quòd non per adminiculum aliorum, ſed per ſolam Dei poteſtatem. Et per ſpiritum oris, non poteſt intelligi Spiritus ſanctus, ſed Filius, cum Filius ſit Verbum, & dictus.*

Ioan. 15.

27 Contra. Quia communiter ſacra Concilia, & Sancti Patres exponunt illud Ioan. 15. *Spiritum veritatis*, de Spiritu ſancto procedente à Filio, qui dicitur veritas. Quo teſtimonio benè ex Sacra Scriptura probant, Spiritum ſanctum à Filio quoquè procedere. Ergo cum dicitur, *& ſpiritu oris eius*, per os Patris rectè intelligitur Filius, & per Spiritum oris, Spiritus ſanctus.

S. Athan.

28 Secundò; quia contra hanc Abulenſis expoſitionē exclamat Sanctus Athanaſius lib. 1. de vnica Deitate poſt medium, qui ſupradicta verba explicans, ſic ait. *Vtiquè Verbum, Filium indicauit: Dominum autem, Patrem deſignauit; Et ſpiritū oris eius, Spiritum ſanctum dixit.*

Pſal. 2.

29 Et Pſal. 2. dicitur ſic. *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, Ego hodie genui te.* Vbi Sacra Scriptura introducit Meſſiam loquentem, quòd Deus Pater dixerit ei, *Filius meus es tu. Ego hodie genui te. Hodie*, ideſt, in die æternitatis, ideſt, ab æterno ſecundùm quòd perſona diuina, *genui te*.

Pſal. 109.

30 Et Pſal. 109. *Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis*. Vbi deſignantur à Dauide duæ diuinæ perſonæ; Nam dicit, quòd *dixit Dominus Domino*. Item. *Dixit Dominus Domino* cui loquebatur, *ſede à dextris meis*. Ergo ſunt duæ perſonæ. Ambæ autem perſonæ ſunt æquales, quia de ambabus loquens, vnamquamquè Dominum vocat. Et ſedere à dextris, æqualitatem dicit. Deus enim corpus, ſeù corporeus non eſt, ac per conſequens, in eo nequè dexterum eſt, nequè ſiniſtrum.

31 Qui locus adeò efficax eſt; quòd eo vſus eſt Chriſtus Dominus; etenim Matth. 22. loquens contra Phariſeos, putantes Chriſtum Dominum eſſe purum hominem, ſic dixit eis. *Quid vobis videtur de Chriſto?* Cuius Filius eſt? ſequitur Euangeliſta ſic; *Dicunt ei Dauid*. Sed Chriſtus Dominus eorū increpans blaſphemiam contra eos, ſic arguit. *Quomodo ergo Dauid in ſpiritu vocat eum Dominum, dicens. Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos, ſcabellum pedum tuorum?* Matt. 22.

32 Ex quo veteris legis teſtimonio, audi quid Chriſtus Dominus inferat, *Si ergo*, inquit, *Dauid vocat eum Dominum, quomodo Filius eius eſt?* Argumentum hoc eſt à Chriſto Domino formatum, ad probandam ſuam diuinitatem, & ex veteris teſtamenti authoritate, non ad inſtruendum diſcipulos, fideleſquè ſuos, ſed ad conuincendum ſibi inimicos Phariſeos. Ergo dicendum eſt, quòd ex authoritate veteris teſtamenti poteſt efficaciter pluralitas perſonarum probari.

33 Reſpondet Abulenſis loco cit. concl. 2. ſic dicens. *Ad 2. de illo Pſal. 109. Dixit Dominus, dicendum, quòd ſecundum veritatem intelligitur de Meſſia, vt Chriſtus allegauit Matth. 22. qui probatur ibi Deus, & homo. Et tamen Iudæi fortè non concedent, quòd intelligatur de illo, ſed de alio. Et dato, quòd intelligatur de Meſſia, dicerent, quòd erat purus homo.* Abulenſ.

34 Non poteſt mihi non diſplicere hic dicendi modus Abulenſis. Certè equidem doctrina hæc Iudaiſmū ſapit. Quādoquidem, debilitat argumentum Chriſtum, & fortificat reſponſionem Phariſeorum. Namquè Chriſtus Dominus ex ſupradicto teſtimonio vult probare ſe eſſe Deum, cōtra Iudæos exiſtimantes eſſe Filiū Dauid tantū; & Abulēſis aperto marte defendit hoc argumentū cōtra Iudęos, intentum Chriſti non probare.

35 Item. Teſtimonium hoc tantæ efficacitatis eſt, vt eo ex ipſo ore veritatis prolato, & à Phariſeis peritiſſimis in lege audito, obmutuerūt omnes. Sic enim Sacra Scriptura teſtatur eodem loco in fine. *Et nemo*, inquit Euangeliſta *poterat ei reſpondere Verbum; neque auſus fuit quidquam, ex illa die eum ampliùs interrogare*. Abulenſis dicit, quod *dicerent, quòd erat purus homo*; & Sacra Scriptura teſtatur, quòd *nemo poterat ei reſpondere*. Matt. 22. Abulenſ.

36 Item ſic cōtra Abulenſem, pro Chriſti Domini in Phariſeos argumento, argumentor. Vel argumentum à Chriſto formatum ex prędicta authoritate Sacrę Scripturę veteris erat efficax; vel inefficax. Si primum. Ergo habemus concluſionis intentum contra Abulenſem.

Si

Si ſecundum; Ergo Chriſtus Dominus incidit in vitium argumentandi, à quo vt caueamus, D. Thomas in hoc articulo diligenter admonuit. Videlicet, quod non debemus rationibus myſterium Trinitatis contra ipſum negantes, arguendo probare, quia cum rationes non ſint conuincentes, deueniremus in deriſum aduerſariorum. Crederent enim, quòd huiuſmodi rationibus innitamur, & propter eas credamus. Similiter ſi authoritates Sacræ Scripturę myſterium Trinitatis efficaciter non probant, ſunt explicabiles, ac proinde arguens ex huiuſmodi authoritatibus contra Iudęos veniret in deriſum Iudęorum: ſed ſecundùm Abulenſem, argumentum à Chriſto Domino formatum contra Iudæos ad probandam ſuam deitatem, fuit ex authoritate non conuincente. Ergo ſic Chriſtus Dominus arguens, incidit in vitium ſupradictum, & venit in deriſum Iudæorum, quod adeò falſum eſt, vt nemo potuerit reſpondere ei ad vllum verbum. Et taliter ex illo teſtimonio ſe victos cognouerunt, vt ampliùs nullus auſus fuerit eum interrogare. Vnde Diuus Thomas in hoc eodem articulo hoc documentum præbet ijs, qui, quæ fidei ſunt, probare volunt, vt non niſi per authoritates arguant, *his qui authoritates ſuſcipiunt*. Quomodo igitur Chriſtus Dominus ſuam diuinitatem contra Iudæos ſuſcipientes veteris teſtamenti authoritatem, inefficaci teſtimonio probauit, vt meritò in deriſum veniat Iudæorum?

D.Thom.

37 Dices: Teſtimonium à Chriſto Domino adductum non conuicit Iudæos. Ergo non fuit efficax.

38 Contra. Abulenſis concedit, quòd myſterium Trinitatis poteſt efficaciter probari contra Hæreticos, ex nouæ legis teſtimonijs. Tunc ſic retorqueo argumentum. Sunt nonnulli hæretici negantes myſterium Trinitatis, ſicuti Sabellius, & alij; & tamen teſtimonijs ex nouò teſtamento, contra eos inſtauratis, quibus catholici myſterium Trinitatis efficaciter oſtendere putant, hæretici illi non conuincuntur. Ergo non eſt bona iſta conſequentia. Iudæi illi non fuerunt conuicti. Ergo teſtimonium contra eos allatum non fuit efficax.

39 Reſpondetur igitur ad inſtantiam, explicando antecedens. Teſtimonium à Chriſto Domino adductum non conuicit Iudæos, propter perfidiam Iudæorum, qui dilexerunt magis tenebras, quàm lucem, concedo. Propter inefficaciam teſtimonij, nego. Ergo &c. nego conſequentiam. Noluerunt enim credere, vt benè agerent. Neglexerunt intelligere Sacræ Scripturæ teſtimonia & ideo illuſtrationem intellectus, qua cognoſcerent, perdiderunt. Multa alia ſunt Sacræ Scripturæ teſtimonia ad probandum pluralitatem perſonarum diuinarum ex veteri lege, quæ videri poſſunt apud eundem Abulenſem, qui ea ex profeſſo refert, ijſquè reſpondet, ſed facilis eſt ſuarum reſponſionum impugnatio. Videri quoquè poſſunt apud Molinam ſupra quæſt. 27. artic. 1. diſp. 2.

Abulenſ. Molina.

40 Dices, Gregorius, Theologus cognomento, orat. 5. de Theol. multò poſt medium, ſic ait. *Vetus teſtamentum, Patrem manifeſtè prædicauit; Filium autem obſcuriùs. At nouum, cum Filium clariſſimè oſtenderit, Spiritus deitatem tantùm ſubindicauit. Nunc verò Spiritus nobiſcum inter nos habitat, argumenta ſui ipſius illuſtriora nobis exhibens; vt paulatim alia poſt aliud additamentum facta, & à gloria in gloriam proceſſions, profectibuſquè, Trinitatis lux illuſtrioribus affulgeat*. Ergo non poteſt euidenter myſterium Trinitatis probari ex teſtimonijs veteris legis.

D.Greg.

41 Reſpondetur, quòd non poteſt myſterium Trinitatis tàm clarè probari ex teſtimonijs veteris legis, ſicut ex teſtimonijs noui teſtamenti. Et hoc probat authoritas Gregorij, non autem quòd non poſſit apud rectè intelligentes demonſtrari ex authoritate Sacræ Scripturæ veteris pluralitas perſonarum in diuinis.

42 Optimum in hac materia documentum mihi videtur illud, quod à Dauide indicatur in Pſalmis, præſertim Pſalm. 67. vbi ſic ait. *Si dormiatis inter medios cleros pennæ columbæ deargētatæ*; qui locus ſic interpretari poteſt. Si requieſceritis in fine vtriuſquè teſtamenti, credentes ſcilicèt, quòd myſterium Trinitatis in vtroquè teſtamento proponitur, in veteri obſcuriùs, in nouo clariùs, eritis pennæ columbæ deargentatæ, ideſt, Eccleſiæ. Et hoc inſinuare videtur. D. Auguſtinus ſupra eumdem Pſalm. 67. vbi ſic ait. *Magnum itaquè aliquod bonum eſt, dormire inter medios cleros, quæ nonnulli duo teſtamenta eſſe voluerunt, vt dormire inter medios cleros, ſit in eorum teſtamentorum authoritate requieſcere, ideſt, vtriuſquè teſtamenti teſtimonijs acquieſcere, vt quando aliquid ex his profertur, & probatur, omnis contentio pacifica quiete finiatur*. Et poſt pauca. *Tunc enim eis verbum veri-*

Pſal. 67.

tatis datur , ſi authoritas ab eis duorum teſtamentorum non relinquatur , vt ipſi ſint & pennæ columbæ deargentatæ , quorum prædicatione in cælum gloria fertur Eccleſiæ .

Quod ſi dicas . Patres antiqui habuerunt fidem myſterij incarnationis ante ſcripturam veterem , ac per conſequens , habebant fidem Trinitatis . Ergo non per ſcripturam , ſed per ſolam internam Dei reuelationem .

D.Thom. Reſpondetur , concedendo antecedens . Nam teſte Diuo Thoma, 2. 2. quæſt. 2. art. 7. Deus reuelauit Adæ myſterium incarnationis in principio ſuæ creationis , antequàm peccaret , & poſt peccatum ipſius ; ſed differenter , nam ante peccatum , fuit reuelata Verbi diuini incarnatio , quantùm ad ſubſtantiam , & poſt peccatum ipſius , fuit ei reuelatum , quòd fiet in remedium peccati . Nec tamen ſequitur , quòd in ſcriptura non fuerit poſitum , imò fuit expreſsè figuratum , & in locis allegatis vt maiores illius temporis diuinitùs illuſtrati , ex vi illorum teſtimoniorum incarnationem , & Trinitatem credant .

ARTICVLVS SECVNDVS.

Vtrum ſint ponendæ Notiones in diuinis .

AD ſecundum ſic proceditur , videtur , quod non ſint ponendæ notiones in diuinis : dicit enim Dionyſ. 1. cap. de diuin. nomin. quod non eſt audendum dicere aliquid de Deo, præter ea , quæ nobis ex ſacris eloquijs ſunt expreſſa ; ſed de notionibus nulla fit mentio in eloquijs ſacræ ſcripturæ : ergo non ſunt ponendæ notiones in diuinis .

2 *Præterea . Quicquid ponitur in diuinis, aut pertinet ad vnitatem eſſentiæ, aut ad Trinitatem perſonarum ; ſed notiones non pertinent ad vnitatem eſſentiæ, nec ad Trinitatem perſonarum : de notionibus enim neque prædicãtur ea, quæ ſunt eſſentiæ ; non enim dicimus , quod paternitas ſit ſapiens, vel creet, neque etiam ea, quæ ſunt perſonæ : non enim dicimus , quod paternitas generet , & filiatio generetur : ergo non ſunt ponendæ notiones in diuinis .*

3 *Præterea . In ſimplicibus non ſunt ponenda aliqua abſtracta, quæ ſint principia cognoſcendi , quia cognoſcuntur ſeipſis , ſed diuinæ perſonæ ſunt ſimpliciſſimæ : ergo non ſunt ponendæ in diuinis notiones .*

Sed contra eſt , quod dicit Ioan. Damaſc. differentiam hypoſtaſeon, ideſt perſonarum , in tribus proprietatibus , ideſt paternali , & filiali , & proceſſionali, recognoſcimus . Sunt ergo ponendæ proprietates, & notiones in diuinis .

Reſpondeo dicendum, quod Præpoſitiuus attendens ſimplicitatem perſonarum, dixit: non eſſe ponendas proprietates , & notiones in diuinis ; & ſicubi inueniãtur, exponit abſtractũ pro cõcreto . Sicut enim cõſueuimus dicere, rogo benignitatẽ tuã , ideſt, te benignũ : ita cum dicitur in diuinis paternitas, intelligitur Deus Pater; ſed ſicut oſteſum eſt ſupra, diuinæ ſimplicitati non præiudicat , quod in diuinis vtamur nominibus concretis, & abſtractis.

Quia

FORMATIO ARTICVLI.

TRipartita eſt corporis diſtributio. Primò, refert opinionẽ Prępoſitiui . Secundo , eam impugnat ; Et tertiò, ponit concluſionem reſpõſiuam affirmatiuè quæſito, eamquè duplici ratione probat .

Quò ad primum, ſimul in vnum quatuor facit . Recitat Præpoſitiui opinionem, fundamentum, ac radicem eiuſdem, & ad ea, quæ ex Sanctorum , aut Conciliorum authoritatibus contra Præpoſitiui ſententiã adduci ſolẽt, explicationem ponit , & exemplo declarat , ſic dicens . *Præpoſitiuus attendens ſimplicitatem perſonarum* . Ecce fundamẽtum, & radix ; *dixit , non eſſe ponendas proprietates , & notiones in diuinis* . Ecce opinio . *Et ſicubi inueniãtur, exponit abſtractũm pro cõcreto* . Ecce amplificatio . *Sicut enim conſueuimus dicere , rogo benignitatem tuã, ideſt , te benignum ; ita cum dicitur in diuinis Paternitas , intelligitur Deus Pater* . Ecce exemplificatio .

Quò ad ſecũdum , improbat opinionẽ deſtruendo radicem, & fundamentum illius , & ponit rationem , quam ſupra q. 3. ar. 3. præſertim ad 1. & q. 13. ar. 1. probauerat , videlicet , quòd *diuinæ ſimplicitati nõ præiudicat, quòd in diuinis vtamur nominibus concretis , & abſtractis* . Ratio autẽ quam hic repetit, eſt iſta . *Intellectus noſter ſecundum modum ſuum diuina apprehendit , & nominat , ideſt , ſecundũ quòd inuenitur in rebus ſenſibilibus, à quibus cognitionem accipit . In quibus ad ſignificandum ſimplices formas, nominibus abſtractis vtimur, ad ſignificandum verò res ſubſiſtentes , vtimur nominibus concretis.* Ergo *& diuina , ratione ſimplicitatis per nomina* ab-

abſtracta ſignificamus; ratione verò ſubſiſtētię, & complementi, per nomina concreta. Ergo *diuinæ ſimplicitati non præiudicat, quòd in diuinis vtamur nominibus concretis, & abſtractis*. Hæc conſequentia patet ex prima. Prima, ex ſuo antecedēti. Probat autem antecedens; quia, *intellectus noſter non poteſt pertingere ad ipſam ſimplicitatem diuinam, ſecundùm quòd in ſe eſt conſideranda*. Ergo *ſecundùm modum ſuum diuina apprehendit, & nominat*. Probat conſequentiam; quia *ſecundùm quòd intelligimus, ſic nominamus*.

Quò ad 3. tria facit; primò, ponit cōcluſionem cum duplici eiuſdem probatione; ſecundò, ponit Præpoſitiui fugas; & tertiò, eas reprobat, & impugnat.

Quò ad horũ primum, concluſio eſt iſta. *Oportet non ſolùm nomina eſſentialia in abſtracto, & in concreto ſignificare (vt cum dicimus Deitatem, & Deũ, vel Sapientiam, & ſapientem) ſed etiam perſonalia, vt dicamus paternitatem, & Patrem*.

Probat dupliciter, ſeù duplici præcipua ratione, ſic dicens. *Ad quod duo præcipuè nos cogunt*. In prima ratione ponit rationem, & deinde infert corollarium.

Prima ratio deſumitur ex *hæreticorum inſtantia*, hoc modo. *Confitemur Patrem, & Filium, & Spiritũ ſanctum eſſe vnum Deum, & tres perſonas*. Ergo *quærentibus quo ſunt vnus Deus, & quo ſunt tres, ſicut reſpondetur, quòd ſunt eſſentia, vel Deitate vnum, ita oportuit eſſe aliqua nomina abſtracta, quibus reſpōderi poſſit perſonas diſtingui, ſed huiuſmodi ſunt proprietates, vel notiones in abſtracto ſignificantes, vt Paternitas, & Filiatio*.

Corollarium eſt iſtud. *Et ideo eſſentia ſignificatur in diuinis vt quid, perſona verò vt quis; proprietas autem vt quo*.

Secunda ratio eſt iſta. *Vna perſona inuenitur in diuinis referri ad duas perſonas, ſcilicet, perſona Patris, ad perſonam Filij, & perſonam Spiritus ſancti: ſed non vna relatione*, & ſubaudi. Ergo duplici relatione. Ergo alia notione cognoſcitur Pater vt relatus ad Filium, & alia vt relatus ad Spiritũ ſanctum. Ergo *oportet nō ſolũ nomina eſſentialia in abſtracto, & in concreto ſignificare, ſed etiā perſonalia*. Maiorem relinquit, vt notam. Probat minorem; quia *ſic ſequeretur, quòd etiam Filius, & Spiritus ſanctus, vna, & eadem relatione referrentur ad Patrem. Et ſic cum ſola relatio in diuinis multiplicet Trinitatē, ſequeretur, quòd Filius, & Spiritus ſanctus non eſſent duæ perſonæ*.

Quò ad horũ ſecundum, ſic ait; *Neque tamen poteſt dici (vt Præpoſitiuus dicebat &c.)* lege litterā vſquè ad illam particulam, *ad Patrem*, incluſiuè.

Quò ad horũ tertium, dupliciter Præpoſitiui reſponſionē impugnat, ſic dicens. *Quia cum ratio ſpecifica relatiui &c.* lege litteram vſque ad finē

Quia ſecundum quod intelligimus, ſic nominamus: intellectus autem noſter non poteſt pertingere ad ipſam ſimplicitatem diuinam, ſecundũ quod in ſe eſt conſideranda; & ideò ſecundum modum ſuum diuina apprehendit, & nominat, idest, ſecundum quod inuenitur in rebus ſenſibilibus, a quibus cognitionem accipit. In quibus ad ſignificandum ſimplices formas nominibus abſtractis vtimur: ad ſignificandum verò res ſubſiſtentes, vtimur nominibus concretis: vnde & diuina, ſicut ſupra dictum eſt, ratione ſimplicitatis per nomina abſtracta ſignificamus: ratione verò ſubſiſtentiæ, & complementi, per nomina concreta. Oportet autem nō ſolum nomina eſſentialia in abſtracto, & in concreto ſignificare, (vt cum dicimus Deitatem, & Deum, vel ſapientiam, & ſapientem,) ſed etiam perſonalia, vt dicamus paternitatem, & Patrem. Ad quod duo præcipuè nos cogunt; primò, quidem hæreticorum inſtantia: cum enim confiteamur Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum eſſe vnum Deum, & tres perſonas, quærentibus, quo ſunt vnus Deus, & quo ſunt tres, ſicut reſpondetur, quod ſunt eſſentia, vel deitate vnum, ita oportuit eſſe aliqua nomina abſtracta, quibus reſponderi poſſit perſonas diſtingui, & huiuſmodi ſunt proprietates, vel notiones in abſtracto ſignificantes, vt paternitas, & filiatio; & ideò eſſentia ſignificatur in diuinis, vt quid; perſona verò vt quis: proprietas autem vt quo. Secundò, quia vna perſona inuenitur in diuinis referri ad duas perſonas, ſcilicet, perſona Patris ad perſonam Filij, & perſonam Spiritus ſancti: non autem vna relatione, quia ſic ſequeretur, quod etiam Filius, & Spiritus ſanctus, vna & eadem relatione referrentur ad Patrem; & ſic cum ſola relatio in diuinis multiplicet Trinitatem, ſequeretur, quod Filius, & Spiritus ſanctus non eſſent duæ perſonæ; neque tamen poteſt dici (vt Præpoſitiuus dicebat) quod ſicut Deus vno modo ſe habet ad creaturas, cum tamen creaturæ diuerſimodè ſe habeant ad ipſum, ſic Pater vna relatione refertur ad Filium, & ad Spiritum ſanctum: cum tamen illi duo, duabus relationibus referantur ad Patrem. Quia cum ratio ſpecifica relatiui conſiſtat in hoc, quod ad aliud ſe habet, neceſſe eſt dicere, quod duæ relationes non ſunt diuerſæ ſecundum ſpeciem, ſi ex oppoſito vna relatio eis correſpondeat. Oportet enim aliam ſpeciem relationis eſſe Domini, & Patris, ſecundum diuerſitatem filiationis, & ſeruitutis: omnes autem creaturæ ſub vna ſpecie relationis referuntur ad Deum, vt ſunt creaturæ ipſius. Filius autem, & Spiritus ſanctus non ſecundum relationes vnius rationis referuntur ad Patrē: vnde non eſt ſimile, & iterum in Deo non requiritur relatio realis ad creaturam, vt ſupra dictum eſt. Relationes autē rationis in Deo multiplicare, non eſt inconueniens: ſed in Patre oportet eſſe relationem realem, qua refertur ad Filium, & Spiritum ſanctum: vnde ſecundum duas relationes Filij, & Spiritus ſancti, quibus referuntur ad Patrem, oportet intelligi duas relationes in Patre, quibus referatur ad Filium, & Spiritum ſanctum: vnde cum non ſit,

niſi

niſi vna Patris perſona, neceſſe fuit ſeorſum ſignificari relationes in abſtracto, quę dicuntur proprietates, & notiones.

Ad primum ergo dicendum, quod licèt de notionibus non fiat mentio in Sacra Scriptura; ſit tamen mentio de perſonis, in quibus intelligũtur notiones, ſicut abſtractum in concreto.

Ad ſecundum dicendum, quod notiones ſignificantur in diuinis, non vt res; ſed vt rationes quædam, quibus cognoſcuntur perſonæ, licèt ipſæ notiones, vel relationes realiter ſint in Deo, vt ſupra dictum eſt; & ideò ea, quæ habent ordinem aliquẽ ad actum aliquem eſſentialem, vel perſonalem, nõ poſſunt dici de notionibus, quia hoc repugnat modo ſignificandi ipſarum: vnde non poſſumus dicere, quod paternitas generet, vel creet, ſicut ſapientia, vel intellectus. Eſſentialia verò, quæ non habent ordinem ad aliquem actum; ſed remouent conditiones creaturæ à Deo, poſſunt prædicari de notionibus: poſſumus enim dicere, quod paternitas eſt æterna, vel immenſa, vel quodcumque huiuſmodi; & ſimiliter, propter identitatem rei poſſunt ſubſtantiua perſonalia, & eſſentialia prædicari de notionibus: poſſumus enim dicere, quod paternitas eſt Deus, & deitas eſt Pater.

Ad tertium dicendum, quod licèt perſonæ ſint ſimplices: tamen abſque præiudicio ſimplicitatis poſſunt propriæ rationes perſonarum in abſtracto ſignificari, vt dictum eſt.

nem corporis.

Ad primum argumentum reſpondet, concedendo maiorẽ, & diſtinguendo, ſeù explicando minorẽ. Sed *de notionibus nulla fit mentio in eloquijs Sacræ Scripturæ, ſit tamen mentio de perſonis, in quibus intelliguntur notiones*, concedit minorem. Non *tamen fit mentio de perſonis, in quibus intelliguntur notiones*, negat minorẽ. Ergo &c. negat conſequentiam.

Ad ſecundum argumẽtum reſpõdet, & reſponſio ſic in forma proponitur, concedẽdo maiorẽ, & negando minorẽ quò ad ſecundã partem. Notiones enim pertinẽt ad Trinitatem perſonarum, nõ *vt res, ſed vt rationes quædam, quibus cognoſcuntur perſonæ*. Ad cuius probationem diſtinguit, ſeù explicat antecedens. *De Notionibus neque prædicantur ea, quæ ſunt eſſentiæ, neque etiam ea, quæ ſunt eſſentiæ, neque etiam ea, quæ ſunt perſonæ* limitatiuè, ſeù reſtrictiuè, concedit antecedens. Illimitatè, ſeù ampliatè, negat antecedens. Ea enim, *quæ habent ordinem aliquem ad actum aliquẽ eſſentialem, vel perſonalem, non poſſunt dici de Notionibus, quia hoc repugnat modo ſignificandi ipſarum &c.* Lege litteram vſquè ad reſponſionis finem.

Ad tertium argumentum reſpondet, & reſponſio ſic in forma proponitur, diſtinguendo maiorem. *In ſimplicibus nõ ſunt ponenda aliqua abſtracta*, diſtincta ab eis, quæ ſint principia cognoſcendi, cõcedit maiorẽ. *In ſimplicibus non ſunt ponenda aliqua abſtracta* realiter indiſtincta ab eis, *quæ ſint principia cognoſcendi*, negat maiorem. Tunc conceſſa minori, negat conſequentiam. Nam *licèt perſonæ ſint ſimplices, tamen abſque præiudicio ſimplicitatis &c.*

SVPER ARTICVLVM COMMENTARIVM.

1 VTRVM *ſint ponendæ*, ad denotandum, quòd quæſitũ eſt de an eſt. *Notiones*, ideſt, *rationes cognoſcendi diuinas perſonas*. *In diuinis*, ideſt, *in diuinis perſonis*; quoniam vt ex articuli diſcurſu conſtat, de rationibus diuinas perſonas cognoſcendi, eſt controuerſia. Quid autem ſit notio, ſeù quid ratio hęc pro vt ad diuinarũ perſonarum transfertur prędicationem, in ſequentis articuli commentario dicemus.

2 *Et ideo ſecundùm modum ſuum diuina apprehendit, & nominat*. Quando ſcilicet lumine naturali procedit.

3 *Secundùm modum ſuum* eſſentialem, aut connaturalem. Modus eſſentialis intellectus noſtri eſt, finito modo cognoſcere, & conſequenter, in omni ſtatu, ac per omnem ſcientiam, acquiſitam ſcilicet, infuſam, aut beatam, ſeù quocumquè lumine procedat, naturali ſcilicet, aut ſupernaturali, numquàm ſuum præfatum modum amittit, ſed ſemper ſecundùm modum ſuum, & diuina, & infra diuina apprehẽdit, & nominat. Modus connaturalis intellectus noſtri eſt intelligere per ſpecies acceptas à ſenſibus, ac proinde componendo, & diuidendo, vel ab vno ad aliud diſcurrendo, atque etiam vnum, & idem diuerſimodè, abſtractè ſcilicet, aliquando; & aliquando concrete concipiendo.

4 *Ideſt, ſecundùm quòd inuenitur in rebus ſenſibilibus, à quibus cognitionem accipit*. Per hæc verba inſinuat loqui de modo connaturali, non autem de modo eſſentiali intellectus noſtri. Etenim intellectus noſter etiam dum eſt anima corpori vnita, poteſt ex diuini luminis influentia intelligere per ſpecies ſuperioris ordinis, imò & beatam recipere cognitionem, vt

de

Digitized by Google

de facto in intellectu animæ Chriſti Domini certum eſt contigiſſe.

5 *Vnde & diuina ratione ſimplicitatis per nomina abſtracta ſignificamus; ratione verò ſubſiſtentia, & complementi, per nomina concreta.* Hinc confirmatur explicatio ſupra facta

D.Thom. q. 19. art. 4. quòd ſcilicet, D. Thomas, dũ dixit ſic; *Perſona igitur diuina ſignificat relationem vt ſubſiſtentem* voluit dicere, vt in concreto. Nam ſecundùm S. Thomam nomina ſignificantia aliquod Dei prædicatum, vt ſubſiſtens, non abſtractis nominibus, ſed concretis dumtaxat, nominantur. Dicens ergo quòd *perſona diuina ſignificat relationem, vt ſubſiſtentem*, ſenſus eſt, quòd ſignificat relationem in concreto nominatam, puta, relatiuum.

6 *Primò quidem hæreticorum inſtantia.* Inſtantia hæreticorum eſt, vt reſpondeamus, quo ſcilicet, Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus ſunt tres perſonæ, & nos reſpondemus, paternitate ſcilicet, filiatione, & proceſſione, quæ ſunt notiones, & ſic hæreticorum ora obſtruuntur.

Arimin. 7 Nec valet contra hanc D. Thomæ rationem Gregorij Ariminenſis in 1. diſt. 26. inſtantia, ſeù ſolutio, dum ait, quod propter hæreticorum inſtantiam, non oportet proprietates has diſtinguere;

D. Aug. quia Auguſtinus docuit reſpondere in ſermone de fide, & ſymbolo. *Credimus Trinitatem perſonis diſtinctam, ſubſtantia vnitã.*

D. Hiero. Et Hieronymus in expoſit. fid. cath. *Subſtantia vnum ſunt, ſed perſonis, ac nominibus diſtinguuntur.* Ergo abſquè proprietatibus habemus reſponſiua, quo ſunt vnum, & quo plures.

8 Non, inquam, reſponſio Ariminenſis valet; eo quia, oſtendit ſe D. Thomã non intelligere, & D. Auguſtini, & Hieronymi authoritates ad propoſitum nõ adducuntur. Non, inquam, D. Thomã intelligit, quia D. Thomas docet, quòd hæreticorum inſtantia, quando ſcilicet, quærunt, quo perſonæ diuinæ ſunt tres, puta, perſona Patris, perſona Filij, & perſona Spiritus ſancti, quo ſunt tres & vnum. Vnum in ſubſtantia, & tres in perſonis, explicaretur quidem in quo conſiſtat myſterium Trinitatis, ſed hæreticorum inſtantia non quieſceret, quia aſſignaretur idem per idem. Ergo ſi cũ D. Thoma dicamus, quòd ſunt tres perſonę, tribus ſcilicet, proprietatibus, ſeù notionibus conſtitutę, videlicet, Paternitate, Filiatione, & Proceſſione, obmuteſceret prefata inſtantia hęreticorum. Quod autem D. Auguſtini, & Hieronymi authoritates ſint extra propoſitum reſpondentis, patet; quia manifeſtè loquuntur de Trinitatis myſterio in quo conſiſtat, ideſt, quòd in diuinis datur Trinitas in perſonis, & in eſſentia vnitas, non autem aſſignant quo tres perſonę diuinæ dicuntur tres.

9 *Et ideo eſſentia ſignificatur in diuinis, vt quid.* Dubium pro Nouitijs eſt, quia paulo antea dixerat, quòd quærentibus tres perſonas, quo ſunt vnus Deus, dixit, reſpondetur, quòd ſunt eſſentia, vel Deitate vnum. Ergo eſſentia conſideratur, vt quo, & non ſignificatur, vt quid.

10 Reſpondetur, vtrumquè eſſentiæ cõuenire, & vt ſignificetur *vt quid*, & vt ſignificetur *vt quo*. Significari enim vt quid, eſt ſignificari vt alicuius eſſentiam, aut quidditatem; eſſentia autem, ſeù quidditas alicuius, eſt id, quo aliquid in eſſe eſſentiali conſtituitur. Etenim animal rationale quod eſt eſſentia hominis, eſt id, quo homo eſt homo.

11 *Et ideo eſſentia ſignificatur in diuinis, vt quid*, ait, *vt quid*, & non dicit quòd ſignificatur, vt quo. Quandoquidem, eſſentia eſt nomen abſtractum, & ad ſignificandum aliquid in diuinis vt quo, debemus vti nomine concreto.

12 *Et ideo eſſentia ſignificatur in diuinis vt quid, perſona verò vt quis*, ideſt, quando quis interrogat dicens; Quid eſt perſona diuina? Reſpondendum eſt, quod eſt Deus; Si quis verò interrogaret dicens, Quæ perſona diuina ex tribus eſt incarnata? ſeù quis incarnatus eſt, Pater, Filius, & Spiritus ſanctus? Reſpondendũ eſt, quod perſona Filij, ſeù Filius eſt Incarnatus.

13 *Et ideo eſſentia ſignificatur in diuinis, vt quid, perſona verò vt quis, proprietas autem vt quo.* Ideſt, quærenti quo Pater eſt Pater, Filius quo eſt Filius &c. Reſpondendum eſt, quòd Pater eſt paternitate Pater; Filius filiatione, & Spiritus ſanctus proceſſione.

14 *Et ideo eſſentia ſignificatur in diuinis, vt quid, perſona verò vt quis, pri[o]prietas autem vt quo.* Dubium eſt pro Nouitijs non multùm differens à præcedenti. Sicut Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus ſunt vnum, eſſentia & Deitate, ita Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus ſunt tres, propter tres proprietates. Ergo ſicuti eſſentia diuina eſt id, quo Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus ſunt vnum, ita Paternitas, Filiatio, & proceſſio ſunt id, quo tres perſonæ diuinæ conſtituuntur. Ergo eſſe id quo non magis conuenit notionibus reſpectu perſonarum, quòd ad ipſarum multiplicitatem, quàm eſſentiæ reſpectu earumdem quò ad vnitatem: Quare ergo dixit, quòd *proprietas ſignificatur vt quo*, & eſſentia *vt quid?* Reſpondetur, concedendo totum aſſumptum. Nam vt rectè diſcurritur in argumento;

eſſentia

eſſentia eſt id quo, & proprietas id quo: Verùm, quia eſſentia eſt id, quo Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus ſunt vnum in quidditate, ideo dicens quòd eſſentia *ſignificatur vt quid*, iam dicit, quòd eſſentia ſignificatur vt quo, & ſimul explicat quale ſit ly, *quo*, & proprietati tribuit ſignificari vt quo præciſe, vt ſecernatur à modo, quo ſignificatur eſſentia.

15 *Vna perſona inuenitur in diuinis, referri ad duas perſonas*; non ſub vna eademquè denominatiuè ſed diuerſa ſpecificè, ſeù melius, quaſi ſpecificè. Etenim perſona Patris refertur ad perſonam Filij, vt generans, ſeù vt genitor eſt; & ad perſonā Spiritus ſancti, vt ſpirator eſt.

16 *Non autem vna relatione*. Negat vnitatem relationis ſpecificæ, ſeu quaſi ſpecificæ, non autem negat vnitatem entitatis. Quandoquidem, relatio genitoris ad genitum, & relatio Spiratoris ad procedentem, licèt ſint duæ relationes modo iam relato, tamen in perſona Patris ſunt vna, eademquè ſimpliciſſima, & indiuiſa entitas. Meritò ergo non dixit, non autem vna entitate, bene tamen, *non autē vna relatione*.

17 *Quia ſic ſequeretur, quòd etiam Filius, & Spiritus ſanctus, vna, & eadem relatione referrentur ad Patrem*. Sequela hæc à quibuſdam veluti inepta reijcitur, & confutatur, & contra eam, inſtantiam aſſignant. Primò quidem, quia Filius vna, & eadem relatione ſecundùm ſpeciem refertur ad Patrem, & ad Matrem; nec tamen ſequitur, quòd Pater, & Mater vna, & eadem relatione ſecundùm ſpeciem referuntur ad Filium. Ergo.

18 Secundò ex Gregorio Ariminenſi loco ſupra citato; quia *diceretur, quòd Pater refertur ad Filium, & Spiritum ſanctum vna relatione tantùm ſecundùm rem, quæ tamen eſt pluribus ſpeciebus relationis, ſeù cui conueniūt rationes plurium ſpecierū relationis, quapropter, optimè poteſt reſpondere diſtinctis ſpecie oppoſitis*. Arimin.

19 Verùm enimuerò, nec vna, nec altera impugnatio efficacem D. Thomæ illationem à ſua remouet firmitate.

20 Non quidem prima, quoniam ad eā reſpondetur, omiſſis nonnullorum ſolutionibus, primò; explicando maiorē, ſeù primam antecedentis partem. Filius vna, & eadem relatione ſecundùm ſpeciem adæquatam, duplici tamen relatione ſecundùm ſpeciem inadæquatam, refertur ad Patrem, & ad Matrem, concedo maiorem, ſeù primam antecedentis partem. Vna relatione ſecundùm vnā ſpeciem etiam inadæquatam, nego; *nec tamen ſequitur &c.* ſimiliter dicimus, quòd Pater, & Mater duplici, & vna ſimul relatione ad filium referuntur. Duplici quidem relatione ſecundùm ſpeciem inadæquatè conſideratam; vna vero ſecundùm ſpeciem adæquatè acceptam: At in caſu noſtro Filius, & Spiritus ſanctus duabus relationibus ſpecificè, ſeù quaſi ſpecificè adæquatè referuntur ad Patrem; ac per conſequens, Pater duabus relationibus adæquatè diſtinctis refertur ad Filium, & Spiritum ſanctum; ſed in logica hanc reſponſionem magis examinabimus, & defendemus, cap. de prædicamento Relationis.

21 Reſpondetur ſecundò, admittendo aſſumptum, & negando conſequentiam; & ratio diſparitatis eſt; quia Pater, & Mater reſpiciunt filium ſub denominatione filij, & filius ſub eadem filij denominatione reſpicit Patrem, & matrem quod non eſt in caſu noſtro; eò quia, Pater æternus ſub alia denominatione refertur ad Filium, & alia ad Spiritum ſanctum. Ad Filium quidem vt genitor, ad Spiritum ſanctum verò vt ſpirator. Et quod hęc ſit intentio D. Thomæ germana, nō obſcurè colligitur ex eiuſdem D. Thomæ verbis; ſic enim in hoc eodem articulo fatur. *Oportet enim aliam ſpeciem relationis eſſe Domini, & Patris, ſecundùm diuerſitatem filiationis, & ſeruitutis*. Ecce quomodo loquitur de Patre in ordine ad Filium, & Spiritum ſanctum ſecundùm diuerſas denominationes, Genitoris, ſcilicet, & Spiratoris, quēadmodum Pater in humanis ſub alia denominatione refertur ad filium, & ad ſeruum. Quādoquidem reſpectu Filij, dicitur Pater, & reſpectu ſerui, Dominus. D.Thom.

22 Ad ſecundam vero inſtantiam, eſt reſponſio facilior, ſed priùs quid per ſua verba ſentiat percunctemur. Cum enim ſic ait; *diceretur, quòd Pater refertur ad Filium, & Spiritum ſanctum vna relatione tantùm ſecundum rem, quæ tamen eſt pluribus &c.* Vel enim per ly, *vna relatione tantùm ſecūdùm rem*, intendit dicere, quòd relatio genitoris, & ſpiratoris in perſona Patris ſunt vna, eademquè res; vel quòd ſunt vna relatio. Si primum, benedicit, doctrinamquè D. Thomæ ſequitur, & confirmat; Vnum tamen obeſt, quod illationem D. Thomæ non infirmat, ſed confirmat. Quandoquidem hoc eſt, quod D. Thomas infert, videlicet, ſi Filius, & Spiritus ſanctus duabus relationibus ſpecificè, & adæquatè diſtinctis referuntur ad Patrem. Ergo Pater duabus relationibus ſpecificè, & adæquatè diſtinctis in ratione relationis ad vtramquè refertur, licèt in Patre vtraquè relatio ſit vna, eademquè realitas. Si ſecundum, neſcit quid dicit, & contradictoria inuoluit.

Nam

Digitized by Google

Nam ſi eſt vna relatio ; debet aſſignare per quid in formalitate relationis habetur vnius relationis ratio, cum etiam in diuerſis ſpecificè relationibus inueniatur.

23 Item. Si quis diceret intellectum, & voluntatem in diuinis eſſe vnam, eamdemquè entitatem, diuerſa tamen attributa, benè diceret, quia conſideraret intellectum, & voluntatem ſub duplici conſideratione, realitatis ſcilicet, ſeù entitatis, & præciſionis. Ratione prioris, vera eſt iſta propoſitio, intellectus, & voluntas in diuinis ſunt vna, & eadem res. Ratione verò poſterioris, vera eſt iſta. Intellectus, & voluntas ſunt duo attributa diuina. Si quis verò diceret, quòd intellectus, & voluntas in diuinis, ſunt vnum attributum ſecundùm rem, tamen eſt in diuerſis attributorum ſpeciebus, malè loqueretur, & quid diceret, omninò neſciret; eò quia, teneretur, ſed non poſſet aſſignare per quid cõſtituitur ſub ratione vnius attributi; & per quid poſteà diuerſis attributis ſpecificè diſtinctis correſponderet. Ergo ſimiliter, ſuppoſito, quod non in primò, ſed in ſecundo ſenſu loquamur, dicere, quòd Pater diuinus vna relatione refertur ad Filium, & ad Spiritum ſanctum non poteſt dici, quòd hęc relatio eſt in pluribus ſpeciebus relationum. Oportet ergo dicere, quòd relatio, qua Pater refertur ad Filium, & qua ad Spiritum ſanctum, ſunt duæ relationes, ſpecificè, aut quaſi ſpecificè diſtinctę. Omnes autem creaturæ ſub vna ſpecie relationis referũtur ad Deum, vt ſunt creaturæ ipſius. Non dicit, quòd omnes creaturæ ſub vna ſpecie relationis referuntur ad Deum, intranſitiuè, & abſolutè, ſed trãſitiuè, & reſtrictiuè, ſub hac ſcilicet clauſula, nimirum, vt ſunt creaturæ ipſius. Et vult dicere, quòd omnes creaturę ſub hoc præciſo conceptu creaturę, quatenùs ſcilicet, dependent à Deo, vt Creatore, referuntur ad ipſum vna, & eadem relatione ſecundùm ſpeciem; quia quamuis non omnes creaturę ſint eiuſdem ſpeciei ſecundùm proprias ipſarum formas, & eſſentias, tamen quantum ad modum, quo dependent à Deo, vt efficiente, conueniunt ſub vna ratione creaturę ſecundùm ſpeciem, ac proinde, referuntur ad Deum vna relatione ſpecificè.

24 *In Deo non requiritur relatio realis ad creaturam*. Et meritò; quia Deus non eſt ex natura rei ordinabilis ad creaturas.

25 *Relationes autem rationis in Deo multiplicare, non eſt inconueniens*. Ex hoc vel magis explicat, quod prędixerat, vel ex fœcunditate doctrinę admittit, Prępoſitiuo reſpondenti, quòd creaturę pluribus relationibus ſpecificè diſtinctis referuntur ad Deum, & adhùc ſuum concludit intentum. Vtrumquè poteſt dici, & ſuſtineri.

26 Explico primum. Dixerat D. Thomas, quòd omnes creaturę ſub vna ſpecie relationis referuntur ad Deum, vt ſunt creaturę ipſius. Non tamen dixerat, quòd creaturę ſecundùm omnem ipſarum rationem ſub vna ratione referuntur ad Deum. Nam alia ratione referuntur vt creatæ, alia vt iuſtificatæ, & glorificatæ; alia vt punitæ, & mortificatæ, aut reprobatæ; Et ſic non vna relatione referũtur ad Deum, ſed pluribus, quo poſito Deus non vna, ſed pluribus relationibus, rationis tamen, nõ realibus refertur ad creaturas, ſecundum pluritatem relationum creaturarum ad ipſum.

27 Explico ſecundum. Per verba præfata ad amplius conuincendum Prępoſitiuum, admittit reſpondenti creaturas diuerſis relationibus realibus ad Deum de facto referri, ſed eò ipſo, modum dicendi Prępoſitiui retundit. Nam cum Deus non dicat relationem realem ad creaturas, ſed relationem rationis, dumtaxat, nulla implicantia eſt, vt totidem relationibus rationis ſpecificè diſtinctis, correſpõdeat relationibus realibus creaturarum ad ipſum.

28 In reſponſ. ad 2. *Notiones ſignificantur in diuinis, non vt res*. Dubium occurrit. Quia D. Thomas in 1. diſt. 25. q. 1. ar. 4. ad 3. ait, quòd *relatio in Deo poteſt dici res, & ex pluribus relationibus oppoſitis plures res*. Ergo non rectè dicit hic, quòd notio in diuinis non ſignificatur vt res. D. Thom.

29 Reſpondetur primò, concedendo antecedens, & negando conſequentiam; & ratio negationis eſt, quia D. Thomas in antecedenti relatus, loquitur de relatione ſecundùm quòd eſt identificata cum perſona, hìc verò loquitur de Notionibus, quæ ſunt rationes cognoſcendi perſonas, & quatenùs vt quo dumtaxat, conſiderantur.

30 Reſpondetur ſecundò, explicãdo antecedens. Relatio in Deo poteſt dici res, idest, aliquid reale, pro vt reale diſtinguitur contra fictum, concedo antecedens. Poteſt dici res, tanquàm id quod eſt, adhùc diſtinguo, ſeù explico antecedẽs, vt relatio eſt in abſtracto, nego antecedens. vt in concreto, concedo antecedẽs, & in hoc ſenſu, non autem in priori, intelligendus eſt D. Thomas. Ergo &c. nego conſequentiam; quia hìc D. Thomas nomine rei, intelligit id quod eſt exiſtens, vel ſubſiſtens: Notiones autem non conſiderantur tanquàm exiſtentes, aut

aut ſubſiſtentes vt quod, ſed tantummodo in abſtracto, vt rationes ſcilicet, cognoſcendi perſonas.

31 Reſpondetur tertiò, concedendo antecedens, & negando conſequentiam, & ratio negationis eſt; quia quamuis relationes, ꝓprietates, & notiones in Deo ſint vnum, & idem realiter, diſtinguuntur tamen aliqua ratione, non penes diſtinctam formalitatem obiectiuam, ſed quò ad modum ſignificandi, iſta tria, videlicet, Notio, Relatio, & Proprietas. Dicitur enim proprietas, quia eſt proprium perſonę prædicatum; Dicitur relatio, quia per ipſam conſtituitur perſona, & ordinatur ad aliam; Dicitur tandem notio, qnia per ipſam perſona cognoſcitur. V. G. paternitas eſt notio Patris, relatio Patris, & proprietas Patris. Proprietas, quia conuenit Patri tantum. Relatio, quia per ipſam Pater conſtituitur in ratione pſonæ, & ordinatur ad Filium, & tandem dicitur notio Patris, quia per ipſam cognoſcitur perſona Patris, vt Pater eſt. Ratione relationis, & proprietatis dicit aliqualem exiſtentiam. Ratione verò notionis, nil aliud dicit, niſi principium quo Patris perſona cognoſcitur.

32 Et hoc ſub breuibus verbis mirabiliter à S. Doctore explicatur hic. Sic enim ait. *Notiones ſignificantur in diuinis, non vt res, ſed vt rationes quædam, quibus cognoſcuntur perſonæ, licèt ipſæ Notiones, relationes realiter ſint in Deo*; quaſi diceret, & ſi notiones, quæ ſunt relationes, vt relationes diuinæ ſignificentur vt res, ſeu vt inexiſtentes in Deo; tamen vt notiones, non ſignificãtur vt inexiſtentes, ſed vt rationes cognoſcendi perſonas exiſtentes, & huic reſponſioni adhæreo. Vnde præfata litteræ verba iterum proponuntur, & explicantur.

33 *Notiones ſignificantur in diuinis, non vt res, ſed vt rationes quadam quibus cognoſcuntur perſonæ*. Scio præclariſſimos in via D. Thomæ viros, ly, *non vt res*, exponere ſic. *Non vt res*, id eſt, vt non in concreto. Et ly, *ſed vt rationes quædam, quibus &c.* ſic intelligere. Sed vt rationes in abſtracto. Contremiſco Commẽtatoribus tàm inſignibus contradicere, ſed magis timeo à mente D. Thomæ recedere.

34 Etenim contra hanc expoſitionem eiuſdem Angelici Doctoris verba art. ſequent. ad 2. militare videntur. Vbi ſic ait; *Ad ſecundum dicendum, quòd eſſentia in diuinis ſignificatur vt res quædam*: ſed eſſentia non ſignificatur in concreto, ſed in abſtracto, vt pluries idem, & præſertim q. 8. de potentia ar. 2. ad 7. & in hac 1 p. infra, q. 39. art. 4. & alibi pluriès docet.

D.Thom.

Ergo non eſt ad mentem D. Thomæ dicere, quòd *Notiones ſignificãtur non vt res*, ſit dicere, quòd non ſignificantur vt in concreto. Etenim eodem prorſus tenore verborum, ac de eadem materia loquens, dicit, quòd *notiones ſignificantur in diuinis non vt res; eſſentia vero in diuinis ſignificatur vt res*. Ergo ne æquiuocationis, modus loquendi D. Thomæ arguatur, dicendum eſt, quòd res eodem modo accipitur in hoc primo ar. quo in ſecundo. Sed in 2. ar. dicit quòd eſſentia diuina ſignificatur vt res, & aliàs hoc nomen, eſſentia eſt abſtractum. Ergo non iuxta mentem D. Thomę eſt expoſitio dicentium, quòd per ly, *non vt res*, intelligitur non vt in concreto.

35 Secundò, quia D. Thomas ex iam pręcitatis verbis deducit, quod non poſſumus dicere, quòd paternitas generet, vel creet, poſſumus tamen dicere, quòd ſapientia creat &c. quod nõ apparet quomodo poſſit deduci, poſſe aliquo modo dici; cum ſapientia ſignificetur in abſtracto. Vt igitur coherenter ad mentẽ Magiſtri noſtri loquamur, ſic interpretandam præſentem litteram iudico.

36 *Notiones ſignificantur in diuinis, non vt res*, id eſt, non vt in concreto, nec in abſtracto vt dicentes exiſtentiam, aut relatiuam ſubſiſtentiam vt quo, *ſed vt rationes quædam, quibus cognoſcuntur perſonæ*, id eſt, ſunt rationes cognoſcendi tantùm, & vt ſic, ſunt notiones.

37 *Licèt ipſæ Notiones, vel relationes realiter ſint in Deo*, id eſt, *licèt notiones, vel relationes*, quæ ſunt formaliter idem, quantùm ad formalitatem obiectam, diſtinguuntur tamen quantùm ad modum ſignificandi, non tamen ſignificantur, vt exiſtentes vt quod, aut vt quo, ſed ſolùm vt pręciſæ rationes, quibus perſonæ cognoſcuntur.

38 *Et ideò ea, quæ habent ordinem aliquem ad actum aliquem eſſentialem, vel perſonalem, nõ poſſunt dici de notionibus; quia hoc repugnat modo ſignificandi ipſarum*. Nota cauſalem, id eſt, *quia hoc repugnat modo ſignificandi ipſarum*, quam iam præpoſuerat in verbis aſſumptis. Et non eſt ſenſus, *quia* ſcilicet, *hoc repugnat modo ſignificandi ipſarum*, id eſt, *modo ſignificandi* in abſtracto; quoniam hæc expoſitio iam impugnata eſt; ſed ſenſus eſt ille, nempè, *quia hoc repugnat modo ſignificandi ipſarum*, id eſt, modo ſignificandi, vt rationes præciſè cognoſcendi perſonas, ſunt.

39 *Vnde non poſſumus dicere, quòd paternitas generet, vel creet. Non poſſumus dicere*, ſubaudi, neque propriè, neque minùs propriè cum veritate ſermonis. *Non poſſumus dicere, quod Paternitas*, vt formaliter

notio

Digitized by Google

notio eſt, *generet, vel creet*; Quoniam paternitas, vt proprietas, vel vt relatio in ratione formæ hypoſtaticæ, non vt forma referens poteſt aliquo modo dici, ſed impropriè, quod generat, vel quod creat. Vnde quando D. Thomas negat hìc, vel alibi, iſtam propoſitionem eſſe veram; videlicet, *Paternitas creat*, aut iſtam, *paternitas generat*, loquitur de paternitate, vt purè notio eſt; non autem de paternitate, vt relatio, quatenùs ratio hypoſtatica, vel proprietas eſt. Quare autem, poſſit aliquo modo dici, quòd paternitas generat, vel creat, non tamen dici poteſt, quòd eſſentia generat, dicemus infra q. 39. art. 4.

40 *Sicut ſapientia, vel intellectus*. Sunt nonnulli, quibus viſum eſt, vt refert Bañes hìc dub. 2. §. *Quidam etiam*; *mendaciũ eſſe in littera D. Thomæ, & legendum eſſe* ſic; *Sicut ſapiens, vel intelligens*, & dicunt, *quòd ita habetur in originali Tarraconenſi manuſcripto*, verùm non obſtante, quòd in prædicto originali alio modo legatur, etiam ſaluãtur alia originalia ſicut in præſenti legẽtia. Vnde ſenſus horum verborum eſt, quòd poteſt dici aliquo modo, ſapientiã diuinam generare, & creare; quia ex modo ſignificandi habet, vt concurrat ad creationem, & generationem, & nõn dicit cognoſcendi rationem.

Bañes.

41 *Eſſentialia verò, quæ non habent ordinem ad aliquem actum, ſed remouent conditiones creaturæ à Deo, poſſunt prædicari de Notionibus*; & ratio huius eſt; quia totum illud de notionibus diuinis prȩdicari poteſt, quod modo ſignificandi notionum non repugnat: ſed huiuſmodi prædicari de notionibus prædictis non repugnat. Ergo. Maior patet, probatur minor. Quia per hunc prædicandi modum non ſignificatur aliud, niſi inter ſubiectum, & prædicatum realis identitas. Aliorum expoſitionem non reprehendo, præſentem verò commendo; quia à multis anguſtijs, ac difficultatibus circa litteram liberamur.

ARTICVLVS TERTIVS.

Vtrum ſint quinque Notiones.

AD tertium ſic proceditur, videtur, quod non ſint quinque notiones. Propriæ enim notiones perſonarum ſunt relationes, quibus diſtinguuntur; ſed relationes in diuinis non ſunt, niſi quatuor, vt ſupra dictum eſt: ergo & notiones ſunt tantum quatuor.

2 Præterea. Propter hoc, quod in diuinis eſt vna eſſentia, dicitur Deus vnus: propter hoc autẽ, quod ſunt tres perſonæ, dicitur Deus trinus. Si ergo in diuinis ſunt quinque notiones, dicetur quinus, quod eſt inconueniens.

3 Præterea. Si tribus perſonis exiſtentibus in diuinis ſunt quinque notiones, oportet quod in aliqua perſonarum ſint aliquæ notiones duæ, vel plures, ſicut in perſona Patris ponitur innaſcibilitas, & paternitas, & communis ſpiratio. Aut igitur iſtæ tres notiones differunt re, aut non: ſi differunt re, ſequitur, quod perſona Patris ſit compoſita ex pluribus rebus. Si autem differunt ratione tantũ, ſequitur quod vna earum poſſit de alia prædicari, vt dicamus, quod ſicut bonitas diuina eſt eius ſapientia propter indifferentiam rei; ita communis ſpiratio ſit paternitas, quod non conceditur: igitur non ſunt quinque notiones.

Sed contra, videtur quod ſint plures, quia ſicut Pater à nullo eſt, & ſecundùm hoc accipitur notio, quæ dicitur innaſcibilitas; ita à Spiritu ſancto non eſt alia perſona; & ſecundum hoc oportebit accipere ſex notiones.

FORMATIO ARTICVLI.

BIPARTITA eſt principalis corporis diſtributio. Primò enim, reſpondet quæſito vnica cõcluſione affirmatiua, eamquè vnica ratione probat. Secundò, eas ad inuicẽ cõfert, ac diſcrimẽ inter eas ponit.

Quò ad primũ, cõcluſio eſt iſta. *Sunt quinque notiones in diuinis, ſcilicet, innaſcibilitas, Paternitas, Filiatio, communis Spiratio, & Proceſſio.*

Probatio autem eſt iſta, & ſic proponitur. *Secũdùm hoc duos modos, ſcilicet à quo alius, & qui ab alio, poteſt innoteſcere perſona*: & ſubaudi, ſed quinquè rationes cognoſcendi perſonas colliguntur, ſecundùm hos duos modos. Ergo *ſunt quinquè notiones in diuinis &c*. Probat conſequentiam; quia *notio dicitur id, quod eſt propria ratio cognoſcendi diuinã perſonam*. Ergo ſi quinquè rationes &c. *ſunt quinquè notiones in diuinis &c*. Minorẽ ſubintellectã probat ex ſufficienti enumeratione. Nam *perſona Patris non poteſt innoteſcere per hoc, quòd ſit ab alio, ſed per hoc, quòd à nullo eſt. Et ſic ex hac parte eius notio eſt innaſcibilitas. Sed in quantùm &c*. Lege litterã vſquè ad illa verba, *procedit ab eo* incluſiuè. Probat autem maiorẽ; quia *ad originẽ pertinet à quo alius, & qui ab alio: ſed diuinȩ perſonȩ multiplicantur ſecundùm originem*.

Ergo *ſecundũ hos duos modos poteſt innoteſcere perſona.*

Quò ad horum ſecundum tria dicit, & probat. Primum eſt, quòd *harum*, ideſt, notionum relatarũ, *tantùm quatuor ſunt relationes.*

Probat autem ſic. *Nam innaſcibilitas non eſt relatio, niſi per reductionem.*

Secundũ eſt iſtud. *Quatuor tãtùm proprietates ſunt.* Probat autem ſic. *Nam communis ſpiratio, non eſt proprietas: quia conuenit duabus perſonis.*

Tertium eſt iſtud. *Tres ſunt notiones perſonales, ideſt, conſtituentes pſonas, ſcilicet, paternitas, filiatio, & proceſſio.*

Probat autem ſic. *Nam cõmunis ſpiratio, & innaſcibilitas, dicuntur notiones perſonarũ, nõ autẽ perſonales.*

Ad primum argumentũ reſpondet, diſtinguẽdo, ſeù explicando maiorẽ. *Propriè notiones perſonarũ ſunt relationes, & præter relationes oportet ponere aliam notionẽ*, cõcedit maiorẽ. *Et præter relationes, nõ oportet ponere aliam notionẽ*, negat maiorem. Tunc concẽſſa minori, negat conſequentiam.

Vel ſub alijs verbis reſponſio ſic in forma proponitur, diſtinguẽdo, ſeu explicãdo maiorẽ. Aliquę, ideſt, quatuor *propriè notiones perſonarũ ſunt relationes*, cõcedit maiorẽ. Omnes, negat maiorem. Tunc cõceſſa minori, negat conſequentiam.

Ad ſecundũ argumentũ reſpõdet, cõcedẽdo aſſumptũ, & ſuppoſitũ cõſequentis, negãdo cõſequẽ-

5 Præterea. Sicut Patri, & Filio commune eſt, quod ab eis procedit Spiritus ſanctus: ita commune eſt Filio, & Spirituiſancto, quod procedant à Patre: ergo ſicut vna notio ponitur communis Patri, & Filio, ita debet poni vna notio communis Filio, & Spirituiſancto.

Reſpondeo dicendum; quod notio dicitur id, quod eſt propria ratio cognoſcendi diuinam perſonam. Diuinæ autem perſonæ multiplicantur ſecũdum originem: ad originem autem pertinet, à quo alius, & qui ab alio; & ſecundum hos duos modos poteſt innoteſcere perſona. Igitur perſona Patris non poteſt innoteſcere per hoc, quod ſit ab alio, ſed per hoc quod à nullo eſt; & ſic ex hac parte eius notio eſt innaſcibilitas: ſed inquantum aliquis eſt ab eo, innoteſcit dupliciter. Quia in quantum Filius eſt ab eo, innoteſcit notione paternitatis: inquantum autem Spiritus ſanctus eſt ab eo, innoteſcit notione communis ſpirationis. Filius autem poteſt innoteſcere per hoc, quod eſt ab alio naſcendo, & ſic innoteſcit per filiationem; & per hoc, quod eſt alius ab eo, ſcilicet Spiritus ſanctus, & per hoc innoteſcit eodem modo, ſicut & Pater, ſcilicet communi ſpiratione. Spiritus ſanctus autem innoteſcere poteſt per hoc, quod eſt ab alio, vel ab alijs, & ſic innoteſcit proceſſione: non autem per hoc, quod alius ſit ab eo, quia nulla diuina perſona procedit ab eo. Sunt igitur quinque notiones in diuinis, ſcilicet innaſcibilitas, paternitas, filiatio, communis ſpiratio, & proceſſio. Harum autem tantum quatuor ſunt relationes: nam innaſcibilitas non eſt relatio, niſi per reductionem, vt infra dicetur. Quatuor autem tantum proprietates ſunt, nam communis ſpiratio non eſt proprietas, quia cõuenit duabus perſonis. Tres autem ſunt notiones perſonales, ideſt conſtituentes perſonas, ſcilicet paternitas, filiatio, & proceſſio: nam communis ſpiratio, & innaſcibilitas, dicuntur notiones perſonarum, non autem perſonales, vt infra magis patebit.

Ad primum ergo dicendum, quod præter quatuor relationes oportet ponere aliam notionem, vt dictum eſt.

Ad ſecundum dicendum, quod eſſentia in diuinis ſignificatur, vt res quædam, & ſimiliter perſonæ ſignificantur, vt res quædam; ſed notiones ſignificantur vt rationes notificantes perſonas; & ideò licèt dicatur Deus vnus propter vnitatem eſſentię, & trinus propter Trinitatem perſonarum: non tamen dicitur quinus propter quinque notiones.

Ad tertium dicendum, quod cum ſola oppoſitio relatiua faciat pluralitatem realem in diuinis, plures proprietates vnius perſonæ cum non opponantur adinuicem relatiuè, non differunt realiter. Nec tamen de inuicem prædicantur, quia ſignificantur vt diuerſæ rationes perſonarum. Sicut etiam non dicimus, quod attributum potentiæ ſit attributum ſcientiæ: licèt dicamus, quod ſcientia ſit potentia.

Ad quartum dicendum, quod cum perſona importet dignitatem, vt ſupra dictum eſt; non poteſt accipi notio aliqua Spiritus ſancti ex hoc,

quod

tiã; & rationẽ diſparitatis aſſignat, quia *eſſentia in diuinis ſignificatur vt res quædã; & ſimiliter perſonæ ſignificantur vt res quædã, ſed &c.* Lege litteram.

Ad tertiũ argumẽtum reſpondet. & reſponſio ſic in forma argumenti proponitur concedẽdo, ſcilicet, antecedens cum ſuo cõſequenti & ad reaſſumptionẽ dicit, quòd *non differunt re; Nam cum non opponantur ad inuicẽ relatiuè, nõ differunt realiter. Differunt autẽ ratione tantũ.* Ad cuius impugnationem reſpõdet diſtinguendo maiorẽ. *Sequitur, quòd vna earũ poſſit de alia prædicari*, in ratione rei, concedit maiorẽ. In ratione notionis, negat maiorem. Ergo &c. negat conſequentiã, & rationẽ negationis aſſignat; quia in ratione notionis *ſignificantur, vt diuerſæ rationes perſonarum. Sicut etiam &c.* Lege litteram.

Ad quartũ argumẽtũ quod eſt primũ in argumento *ſed cõtra*, reſpondet explicãdo antecedẽs. *Sicut Pater à nullo eſt*, & hoc quod eſt eſſe à nullo, importat dignitatem in Patre, *& ſecũdum hoc accipitur notio, quæ dicitur innaſcibilitas, ita à Spiritu ſancto nõ eſt alia pſona*; ita vt hoc non pertineat ad dignitatẽ ipſius, cõcedit antecedens. Ita vt hoc pertineat ad dignitatem ipſius, negat antecedens. Et ſic negat illationem, nempè quòd, *ſecundum hoc oporteBit accipere ſex notiones*. Lege reſponſionem in littera.

Ad

Ad quintum argumentum reſpondet diſtinguendo, ſeù explicādo antecedens. *Sicut Patri, & Filio commune eſt, quod ab eis procedat Spiritus ſāctus, ita commune eſt Filio, & Spirituiſancto quòd procedāt à Patre,* cum aliqua in modo ſpeciali exiſtendi diſtinctione, concedit antecedens. Abſquè vlla prorſus diſtinctione, & cum omnimoda paritate, ſeù proportione, negat antecedens. Ergo &c. negat conſequētiam. Et diſparitatem aſſignat; quia *Filius, & Spiritus ſanctus non conueniunt in vno ſpeciali modo exiſtendi à Patre, ſicut Pater, & Filius conueniunt in vno ſpeciali modo producendi Spiritum ſanctum &c.* Lege litteram.

quod nulla perſona eſt ab ipſo. Hoc enim non pertinet ad dignitatem ipſius, ſicut pertinet ad auctoritatem Patris, quod ſit à nullo.

Ad quintum dicendum, quod Filius, & Spiritus ſanctus non conueniunt in vno ſpeciali modo exiſtendi à Patre, ſicut Pater, & Filius conueniunt in vno ſpeciali modo producendi Spiritum ſanctum. Id autem quod eſt principium innoteſcendi, oportet eſſe aliquid ſpeciale, & ideò non eſt ſimile.

SVPER ARTICVLVM COMMENTARIVM.

1 EXplicatio tituli ex ijs, quæ dicemus in corporis commentatione patebit.

2 *Notio.* Hæc vox, *notio*, dupliciter accipi poteſt, pro actuali, ſcilicet, notitia intellectus. Eſt anima nomen verbale deriuatum à verbo noſco, is, noui, notum. Secundò, pro formalitate obiecta, quæ eſt in re, eſtquè cognita, vt ratio cognoſcendi aliquid. In præſenti non accipitur in primo, ſed in ſecundo ſenſu.

3 *Notio.* Hæc vox, non eſt nomen ſecundæ intentionis, vt Suarez lib. 5. de Trinit. cap. 9. putat, ſed primæ intentionis. Non enim ſignificat aliquod obiectiuè, dumtaxat, in intellectu concipitur vt in perſona, tanquàm ratio eam cognoſcendi; Et ſecunda intentio non aliter habet in notione locum, niſi ad diſtinguendum abſtractum à concreto. Suarez.

4 *Notio.* In abſtracto profertur, tanquàm ratio cognoſcendi, ſed non tanquàm ignota. Dicitur ergo *notio*, quia ipſa cognita, eſt ratio cognoſcendi concretum eiuſdem. V. G. paternitas eſt notio, quia ſcilicet, cognita paternitate cognoſcitur Pater, vt Pater per paternitatem.

5 *Notio eſt id, quod eſt propria ratio cognoſcendi diuinam perſonam.* Per hæc verba non incongruè Notio diffinitur. Vnde ſic dicere, non ſolùm eſt bona propoſitio, ſed etiam bona diffinitio. Vnde omnes particulæ poſitæ explicandæ ſunt.

6 *Eſt id quod.* Ponitur loco generis magis communis. Eſſe enim *id quod*, eſt commune notioni, & non notioni.

7 *Propria*, ideſt, non in communi, ſed in ſpeciali. Nam relatio in communi, pro vt eſt quid commune, ad paternitatem, communem ſpirationem actiuam, filiationem, & proceſſionem, non eſt dicenda notio; quia per relationem in communi non cognoſcitur determinatè aliqua perſona diuina, nec aliquę; cum omnes conueniant ſub relationis diuinæ ratione.

8 *Propria.* Non quæ ſit neceſſariò proprietas; quoniam communis ſpiratio, eſt notio, & tamen non ſic eſt *propria*, quaſi ſit proprietas perſonalis. Dicitur ergo, *propria*, quia eſt ſpecialis, ac determinata ratio cognoſcendi aliquam, vel aliquas perſonas. Vnde ſpiratio actiua eſt notio, quia quamuis ſit Patri, Filioquè communis, tamen eſt vna indiuiſibilis ratio, qua cognoſcitur ſpirator, ac proinde qua cognoſcuntur Pater, & Filius pro vt conueniunt in ratione ſpiratoris, quamuis diſtinguantur in ratione perſonali.

9 *Ratio*; ideſt, formalitas in abſtracto ſignificata, & cognita vt iam explicauimus.

10 *Cognoſcendi*, ideſt, ſub pura ratione cognoſcendi, non autem conſtituendi, vel referendi diuinam perſonam. Quamuis enim Paternitas V. G. ſit proprietas, ſimulatquè relatio, & notio; non tamen dicitur notio, ſecundùm quòd ſignificatur vt conſtitutiua Patris in ratione perſonæ, aut ſecūdùm quòd per eam Pater, ad Filium refertur; nequè ſecundùm quòd eſt tantùm Patri propria, ſed ſecūdùm quòd eſt principium formale cognoſcendi Patrem. Verùm inter iſta tria datur ordo, quò ad modum ſignificandi; quia priùs paternitas concipitur vt conſtitutiua perſonæ Patris, ſeù, vt proprietas perſonalis, poſtmodum vt forma referens, ac tandem vt ratio cognoſcendi Patrem. Nihil enim poteſt eſſe principium innoteſcēdi aliquid, niſi ſit ſibi

Digitized by Google

ſit proprium ; & proprietas non conuenit, niſi rei diſtinctæ ab alijs ; & diſtinctio in diuinis non eſt, niſi per oppoſitionem relationis ; idcirco paternitas prius conſideratur vt proprietas perſonalis, deinde vt forma referens, & poſtremo vt ratio innoteſcendi. Videatur D. Thomas in 1. diſt. 26. q. 2. art. 3.

11 *Diuinam perſonam*, non quatenùs eſt eſſentia diuina, ſed quatenus perſona eſt ; Ac proinde, ſecundùm quòd originem dicit, vel connotat. Nam perſona diuina nihil proprium habet, niſi relationẽ originis. Dixi, vel connotat ; quia quãuis innaſcibilitas non dicat originis relationem, vt rectè docet D. Auguſtinus lib. 5. de Trinit. cap. 6. ſic dicens. *Cum verò ingenitus dicitur Pater, non quid ſit, ſed quid non ſit, dicitur. Cum autem relatiuum negatur, non ſecundùm ſubſtantiam dicitur &c.* Et poſt multa ; *quia*, inquit, *relatiuè aio, cum dico Filius eſt, ad Patrem enim refero ; relatiuè, nego ſi dicam, non Filius eſt*. Et paucis interiectis. *Relatiuè autem*, inquit, *negamus, dicendo non Filius ; relatiuè igitur negamus, dicendo, non genitus. Ingenitus porro quid eſt, niſi non genitus?* Tamen innaſcibilitas, ſeù eſſe ingenitum ad relationem originis pertinet. Quandoquidem ad genitorem ſpectat ; & propterea innaſcibilitas, & ſi nõ ſit relatio originis, eam tamen connotat, quia ad ipſam pertinet. Vnde D. Auguſtinus ibidem ſic immediatè poſt verba vltimo loco relata ſubdit. *Non ergo receditur à relatiuo prædicamento, cum ingenitus dicitur. Sicut enim genitus non ad ſe ipſum dicitur, ſed quod ex genitore ſit ; ita cum dicitur ingenitus, non ad ſe ipſum dicitur, ſed quod ex genitore non ſit, oſtenditur*. Et ſic patet notionis definitio.

D. Aug.

D. Aug.

12 Ex quo colligitur quòd quidã Theologi alijs vocabulis notionem in diuinis definientes, vel ad diffinitionem à Diuo Thoma traditam, vt rectè loquantur reducendi ſunt, vel diminuti, aut ſuperflui arguendi. Quandoquidem Bellarminus lib. 2. de Chriſto cap. 5. ſic notionem deſcripſit in diuinis. *Notio eſt nomen, quo vna perſona cognoſcitur diſtincta ab alijs*.

Bellarm.

13 Hæc tamen deſcriptio à ratione definitionis deficit ; Primò quidem ; quia nomen in tantùm eſt *quo vna perſona cognoſcitur diſtincta ab alijs*, in quantùm ſignificat rationem, ſeù formalitatẽ, qua cognoſcitur vna perſona diſtincta ab alijs. Ergo ſi ponitur ly, *nomen*, vt auferatur ly, *id quod eſt ratio*, malè ponitur vt pars definitionis, licèt ſuſtineri poſſit pro veritate propoſitionis. Vel ſi non ponitur hoc intuitu, vt à malẹ definitionis vitio liberetur, neceſsè eſt vt per Angelici Doctoris verba purificetur, ſic dicendo. *Notio eſt nomen*, ideſt, *eſt id quod eſt ratio cognoſcendi &c.*

14 Secundò ; quia quamuis notio ſit ratio cognoſcendi vnam perſonam diſtinctam ab alijs, tamen ideo hoc eſt, quia notio eſt propria ratio cognoſcendi perſonam, ſecundùm id quod eſt in ſe, vt perſona eſt : Ergo prius eſt ratio cognoſcendi perſonam ſecundùm quòd eſt in ſe, & deinde ſecundum quod ab alijs eſt diſtincta. Quælibet enim perſona cognoſcitur vt vna in ratione perſonæ, vel vt vnus ſpirator : ſed vnum dicitur id quod eſt indiuiſum in ſe, & diuiſum à quolibet alio. Ergo ratio notionis non completè explicatur per hoc, quod eſt propria ratio cognoſcendi vnam perſonam vt indiſtinctam in ſe, & diſtinctam ab alijs.

15 Ludouicus Molina ſic notionem in diuinis deſcripſit. *Notio eſt forma, qua vna perſona, cognoſcitur diſtingui ab alia*, ſed hæc definitio non differt ab ea, quam Bellarminus aſſignauit, niſi in hoc, quia illa per nomẽ, iſta verò per formam aſſignatur. Vnde ſicut illa, ſic & iſta remanet à ratione bonæ definitionis excluſa. Molina.

16 Et inſuper, quia quando Molina notionem vocat formam, vel intẽdit dicere, quòd ſit forma propriè ; vel impropriè. Si primum, hoc eſt falſum, nec ab omnibus poteſt eſſe conceſſum, ac ſecũ ipſe pugnat. Quod ſit falſum probatur ; Quia in diuinis vna dumtaxat forma datur ; ſicuti datur vna eſſentia. Ergo.

17 Confirmatur primò, ſimulatque probatur antecedens. Quia ſi eſt forma propriè, aut conſideratur vt forma informans, ſeù vt quo ; aut conſideratur vt forma ſubſiſtens, & vt quod eſt. Non hoc ſecundum, vt patet ; neque primũ ; tum quia forma informans eſt reſpectu rei, vel formalitatis informatæ : ſed in Deo non datur formalitas informata propriè. Ergo neque etiam datur forma informans.

18 Confirmatur ſecundò ; Quia non dicit propriè eſſentiam. Ergo. Probo conſequentiã. Quia ſi eſt ſubſiſtẽtia relatiua, aut exiſtentia relatiua, neque etiam poteſt dici forma. Nam ſubſiſtentia ſiuè ſit abſoluta, ſiuè relatiua non eſt forma, ſed terminus naturæ ; & ſimiliter exiſtẽtia relatiua ſi daretur, non eſt forma, ſed conſequitur formam. Ergo

19 Si dicatur, quod neque eſt forma informans, neque ſubſiſtens, ſed dicitur forma, ideſt, formalitas, ſeù ratio qua aliqua perſona innoteſcit.

20 Contra. Ergo notio, vt notio, non eſt propriè forma, quæ aliqua perſona cogno-

cognoſcitur vt ab alijs diſtincta ; & ſic à primo fit tranſitus ad ſecundum,conceſſumquè negatur.

21 Confirmatur; quia Deitas, vt in abſtracto ſignificata, non eſt propriè forma Dei, ſeù qua Deus conſtituitur, ſed conſideratur ſolummodo,vt formalitas, ſeù per modum formæ, non quod ſit propriè forma, qua Deus conſtituitur. Vnde Deitas dicitur forma ſubſiſtens propriè loquendo, non tamen dicitur forma Dei. Ergo ſimiliter notio non eſt propriè forma, qua perſona diuina cognoſcitur.

22 Si dicatur ſecundum, videlicet, quòd notio non eſt propriè forma:

Contra. Notio nō eſt propriè forma, eſt tamen propriè ratio cognoſcendi diuinam perſonam. Ergo magis aptè dicitur cum D Thoma, quòd notio eſt ratio, quàm quod notio eſt forma cum Molina. Patet conſequentia; quia in definitionibus magis aptè ponūtur particulæ, quæ ſecum proprium ſignificatū ferunt, quam quæ improprium.

23 Gregorius de Valentia hìc diſp. 2. q. 6. puncto 2. & lib. 2. de Trinit. ſic definit eam. *Notio eſt conditio, ſiuè proprietas diuina, non omnibus perſonis communis, in abſtracto ſignificata, qua propria ratio cuiuſquè perſonæ ſignificatur, atquè innoteſcit.* Valentia.

24 Hæc diffinitio Valentiæ eſt definitionis nomine prorſus indigna. Primò quidem; quia definitionis explicatio nō debet definitio nuncupari: ſed per ſupradicta verba Valentiæ habetur definitionis notionis explicatio. Ergo.

25 Secundò; quia conditio etiam ſi ſit ſine qua non, non eſt de intrinſeca ratione eius, cuius eſt conditio: ſed notio eſt de intrinſeca ratione perſonæ, vel perſonarum, quæ per ipſam cognoſcuntur. Ergo notio non *eſt conditio,* vt ait Valentia, ſed *ratio* vt ait D. Thomas; Maior patet; quia licèt approximatio ignis ad ſtupam ſit conditio ſine qua ignis non combureret eam, tamen non eſt de intrinſeca ratione ignis, ignitionis, ſeù cōbuſtionis. Ergo conditio non eſt de intrinſeca ratione eius, cuius eſt conditio. Minor verò patet; quia paternitas V.G. quæ eſt notio Patris, eſt de intrinſeca ratione Patris. Pater enim paternitate, in eſſe Patris conſtituitur. Ergo.

26 Tertiò; quia proprietas diuina non eſt de eſſentiali ratione notionis, ſed ab ea quantùm ad modum ſignificandi omninò diſtinguitur. Ergo non rectè notio per proprietatem diuinam definitur. Antecedens patet ex ſupra dictis; quia proprietas ex ſuo formali modo ſignificandi, dicit conſtitutionem perſonæ, aut relationem vt actu referentem, quæ ſic vni perſonæ conuenit, quod non alteri; notio verò dicit puram rationē cognoſcendi perſonam. Ergo proprietas non rectè ponitur in definitione notionis, niſi pro formali eius ſignificato dumtaxat, quod eſt contra bonæ definitionis leges.

27 Confirmatur; quia nominibus vtendum eſt, vt plures vtuntur; ſed omnes Theologi cum D. Thoma nomine proprietatis intelligunt quatuor notiones, non autem omnes, videlicet, paternitatem, innaſcibilitatem, filiationem, & proceſſionem; quoniam communem ſpirationem non vocant proprietatem diuinæ perſonæ, ſed proprietatem perſonarum potiùs, quàm proprietatem abſolutè.

28 Quartò, quia dicere, quod *notio eſt, qua propria ratio cuiuſquè perſonæ ſignificatur, atquè innoteſcit,* eſt ſimul in vnum reducere rationem proprietatis, relationis, & notionis; cum tamen ab omnibus Theologis iſta, quo ad modum ſignificandi penitùs diſtinguantur. Inconcuſſa ergo, firmior, & grauior manet definitio notionis à D. Thoma aſſignata, aliorum autem definitiones debiles, & infirmæ, & in tantùm valent, in quantùm ad formam definitionis à D. Thoma poſitam reducuntur.

29 *Ad originem autem pertinet, à quo alius, & qui ab alio,* ſubaudi, explicitè, quoniā ad diuinarum perſonarum originem pertinet etiam à nullo procedere, vt in ſymbolo Athanaſij explicatur, cum dicitur, *Pater à nullo eſt factus, nec creatus, nec genitus.* Quapropter innaſcibilitas, & ſi non dicat explicitè originem, ad Patrem originantem pertinet, ad minùs connotatiuè. Athanaſ.

30 *Sunt igitur quinquè notiones in diuinis, ſcilicèt innaſcibilitas, Paternitas, Filiatio, communis ſpiratio, & proceſſio.* Hæc ſunt notiones perſonarum diuinarum, vt docet D. Thomas, & communis Theologorum ſequela. Vtrum autem ſint ponendæ plures Notiones, quàm iſtæ quinque, in diſputationibus vberiùs diſcutietur.

31 *Harum autem tantùm quatuor ſunt relationes;* Et ſunt præcitatæ, excepta prima, quæ eſt innaſcibilitas. *Nam innaſcibilitas non eſt relatio, niſi per reductionem,* ideſt, niſi quatenus ad paternitatem, quæ relatio eſt, pertinet.

32 *Quatuor autem tantùm proprietates ſunt*; Et ſunt iam præcitatæ, excepta communi ſpiratione. Nam proprietas, ea propriè dicitur, quæ vni, dumtaxat, perſonæ, & non pluribus conuenit: communis autem ſpiratio duabus perſonis

competit,

competit, Patri ſcilicet, & Filio. Hinc diſcat Valentia, quanta cum proprietate dixerit, notionem eſſe proprietatem.

33 *Tres autem ſunt notiones perſonales*, ideſt, conſtituentes perſonas; oportet præſertim in hac de Trinitate materia ſermonis obſeruare proprietatem. Omnes enim quinque præfatæ notiones, notiones quidem ſunt, non tamen omnes relationes, non omnes proprietates, neque omnes conſtitutiuæ perſonarum; ſed quatuor relationes, quatuor proprietates, & tres notiones perſonales.

34 *Communis ſpiratio, & innaſcibilitas, dicuntur notiones perſonarum, non autem perſonales.* Excludit à numero notionum perſonalium communem ſpirationem, quia communis pluribus perſonis eſt, ideſt, duabus, nempè Patri, & Filio; excludit verò ab earumdem notionum perſonalium numero innaſcibilitatem, non quia pluribus ſit communis, ſed quia ſic vni perſonæ conuenit, vt non ſit illius perſonę conſtitutiua.

35 *Communis ſpiratio, & innaſcibilitas, dicuntur notiones perſonarum*. Communis ſpiratio diuiſim ab innaſcibilitate accepta, dicitur notio perſonarum; at vero innaſcibilitas diuiſim à communi ſpiratione prolata, non dicitur notio perſonarum. Nam eſt vni perſonæ propria, puta, Patri, nec ſic ſumpta debet nuncupari notio perſonalis, ſed notio perſonę. Vnde D. Thomas dicens, quod communis ſpiratio & innaſcibilitas dicuntur notiones perſonarum, locutus eſt de communi ſpiratione, & innaſcibilitate ſimul ſumptis. Dicatur igitur, quòd innaſcibilitas eſt notio perſonæ, & proprietas, non autem notio perſonalis, nec relatio; Communis ſpiratio eſt notio perſonarum, & relatio, non autem notio perſonalis, aut notio perſonæ; vel proprietas; paternitas eſt notio perſonalis, relatio, & proprietas, filiatio eſt notio perſonalis, relatio, & proprietas; & ſimiliter proceſſio eſt notio perſonalis, relatio, & proprietas.

36 In reſp. ad 3. *Nec tamen de inuicem prædicatur; quia ſignificantur, vt diuerſæ rationes perſonarum*. Per hæc verba innoteſcit nullitas Scoticæ obiectionis. Scotus enim in quodlib. 5. in calce art. 2. putat, quòd D. Thomas dixerit, quòd diſtinctio rationis inter paternitatem, & ſpirationem, ſufficeret ad impediendam prædicationem in abſtracto, ac proinde impediretur etiam iſta, ſapientia eſt. Bonitas, quoniam diſtinguuntur formaliter, ſed hoc eſt contra S. Thomam. Ergo. Per verba autem D. Thomæ, vt patet totam reſponſionem ad 2. intuenti, Scoti obiectionem procedere *ex malo intellectu literæ*, vt loquitur Caietanus hic §. *Ad hoc dicitur*. Non enim D. Thomas dixit, quòd notio ſpirationis actiuæ, & notio paternitatis non poſſunt de inuicem prædicari, quia diſtinguuntur ratione ab inuicem, ſed quia ſignificantur vt diuerſæ rationes perſonarum. Aliud enim eſt dicere, quòd eſt falſa iſta propoſitio, ſpiratio actiua eſt paternitas; & aliud eſt dicere quòd ſit falſa iſta; Notio ſpirationis actiuæ, eſt notio paternitatis; quoniam prima, non eſt falſa, ſeu vera; ſecunda autem eſt falſa; D. Thomas autem in præſenti locutus eſt de ſecunda, non de prima; & ratio eſt, quia cum dico, quod ſpiratio actiua eſt paternitas, facio hunc ſenſum. Spiratio actiua, quę eſt ratione diſtincta à paternitate, eſt illi realiter identificata; Cum autem dico, Notio ſpirationis actiuę, eſt notio paternitatis, facio hunc ſenſum. Spiratio actiua, quæ eſt ratione diſtincta à paternitate, quatenùs ratione diſtinguitur, ratione identificatur, quod ex ipſis terminis pugnat; & in hoc ſenſu loquitur litera in præſenti, vt clariùs conſtabit legenti. Vnde obſeruanda eſt formalizatio reſponſionis in formatione art. poſita.

Scotus. Caiet.

37 In reſp. ad 5. *Filius, & Spiritus ſanctus non conueniunt in vno ſpeciali modo exiſtendi à Patre, ſicut Pater, & Filius conueniunt in vno ſpeciali modo producendi Spiritum ſanctum*. Doctrina hęc eſt conformis definitioni notionis à D. Thoma aſſignatę. Quandoquidem, *notio eſt id quod eſt propria ratio cognoſcendi perſonam*, & ly, *propria*, non ſonat aliquam rationem in communi, ſed aliquam rationem in ſpeciali, taliter, quòd ſi ſit communis duabus perſonis, conuenit eis per identitatem, vt vna ratio communis ambabus; Patri autem, & Filio, conuenit producere Spiritum ſanctum per vnicam ſimpliciſſimam virtutem ſpiratiuam, vnicamquè rationem Spiratoris, & per vnicam relationem; at verò Filio, & Spirituſancto, eſt commune à Patre procedere, ſed per diſtinctas proceſſiones, relationes, ac denominationes: Etenim Filius procedit quidē à Patre, ſed in modo quo à Patre procedit, eſt à Spiritu ſancto diſtinctus, & è contra. Filius enim procedit, vt genitus, & Spiritus, vt procedens, & propterea Pater, & Filius quatenùs producunt Spiritum ſanctum, vna dumtaxat, innoteſcunt notione, nempè ſpiratione actiua; Filius autem, & Spiritus ſanctus nō procedunt à Patre per vnum modum ipſis communem, ac in ſpeciali identificatum.

DISPVTA-

Digitized by Google

DISPVTATIO CLXXVII.

VTRVM NOTIONES SINT TANTVM QVINQVE.

In duo capita diſtributa.

CAPVT PRIMVM.

Doctorum opiniones referuntur, & veritas ſtabilitur.

1 NON opere prætium eſt ſpecialiter diſquirere, Vtrum dentur notiones,& quid ſit notio,quoniam ex ijs, quæ dicta ſunt in textu, & in articulorum comment. ſufficienter hæc aſſignata ſunt, & explicata. Solùm igitur in præſenti quærimus de notionum numero, non quia hæc diſputatio non ſit à D. Thoma ſufficienter explicata, & reſoluta,ſed propter nõnullorum nouam inſtantiam pręſens diſputatio formatur.

Scotus. 2 Scotus igitur in 1. diſt. 28. q. 1. §. *Ad tertium*, quamuis videatur non reſolutè loqui,tamen re ipſa introducere conatur præter communem Theologorũ opinionem dari ſextam notionem,ideſt, inſpirabilitatem Patri,Filioquè communem. Inſpirabilitas enim conuenit Patri, & Filio; Quod ſi in Patre non eſſet ab innaſcibilitate notio diſtincta, quia ſub ea includitur, eſſet tamen diſtincta notio reſpectu Filij.

3 Alij verò putant plures eſſe notiones in diuinis etiam negatiuas, vt ingeneratiuitas in Filio, improductiuitas in Spiritu ſancto, & ingenerabilitas etiã in Spiritu ſancto. Ita Arriaga diſp. 49. ſect. 5. concl. 1. Verùm, quia ibidem concl. 2. ſemetipſum magis apertè declarat, ſic dicens. *Dico ſecundò; de facto à Theologis vſurpatam ſolùm innaſcibilitatem; quia ex ſola ſignificat perfectionem, & dignitatem quãdam, quæ non eſt in alijs.* Vbi apertè concedit, ſolam innaſcibilitatem eſſe notionẽ negatiuam; eò quia ſola innaſcibilitas ad dignitatem pertinet; ac proinde in primo ſuo dicto non loquitur de notionibus, ſecundùm quòd de facto à Theologis vſurpantur. (Arriaga.)

4 Alij plures videntur admittere notiones etiam affirmatiuas, & ſunt,Genitor, Verbum,Splendor,Donum &c. pro qua opinione citatur Vgo Victorinus tract. in ſumma ſent. cap. 7. (Vgo Vict.)

5 Communiter tamen Theologi quinquè dumtaxat dicunt eſſe notiones, & ſunt ſupra in text. & in comment. art. 3. numeratæ, ſcilicèt, Innaſcibilitas, Paternitas, Communis ſpiratio actiua, Filiatio, & Proceſſio,ſeù Spiratio paſſiua; Vnde,

6 Pro determinatione veritatis, Dico breuiter. Notiones diuinæ ſunt tantùm quinquè.

Huius dicti probatio, quòd ſcilicèt, notiones ſint quinque nuper iam numeratæ, patet ex littera D. Thomæ; quod verò non ſint plures, ex argumentorum ſolutione manifeſtum erit.

CAPVT SECVNDVM.

Proponuntur argumenta in contrarium, & ſoluuntur.

7 SED contra iſtam determinationẽ obijciet aliquis primò; Quia innaſcibilitas,ſeù eſſe ingenitum negatur à Patre. Ita Dionyſius Alexandrinus in Epiſt. ad Paulum Samoſetanum vbi ſic ait; *Ingenitum Patrem nulla ſcriptura tradidit*. Ergo. (Dio. Alex.)

8 Reſpondetur, nullum ex Patribus ingenitum,ſeù innaſcibilitatem, ſecũdùm quòd à Theologis Patris notio ponitur aliquo modo negaſſe, ſed propter malitiam hæreticorum aliter de ſupra dicta voce ſenſientium, aliquando eam ſuſpectam habuerunt. Vnde Athanaſius in tantùm negauit Patrem dici ingenitum, in quantùm contra Paulum Samoſatanum loquebatur, qui hoc nomen, ingenitum, accipiebat pro increato, & hoc nomen, genitum,accipiebat pro creato. Vnde dicebat Patrem eſſe ingenitum, ideſt, increatum, & Verbum eſſe genitum,ideſt, creatum. Negat ergo Patrem dici

dici ingenitum, non quia Pater non ſit increatus, ſed quia Verbum non poteſt dici genitum, ideſt, creatum. Vnde propter hunc Arrianorum fugiendum errorem, quidam ex patribus Verbum ingenitum nuncuparunt, ideſt, increatum.

9 Obijcies ſecundò probando ſex eſſe notiones ex Scoto. Innaſcibilitas eſt notio negatiua, & propria Patris. Ergo etiam inſpirabilitas eſt notio negatiua Patri, Filioque communis. Antecedẽs eſt certum, & conſequentia patet à paritate.

Scotus.

10 Pro huius argumenti ſolutione ſolent elaborare Doctores. Vaſquez enim nobiſcum concedens antecedens conſequentiam negat, & rationem diſparitatis aſſignat; quia ſcilicet, innaſcibilitas ad perſonalem dignitatem Patris pertinet; eò quia innaſcibilitas licèt ex formali modo loquendi, & expreſsè negationem dicat, tamen ex ſuo materiali, & directo ſignificato, dicit aliquod poſitiuum, à paternitate, & ſpiratione actiua, ratione diſtinctum: at vero inſpirabilitas, prçſertim vt in Filio puram negationem dicit, & de formali, ac de materiali, directoquè ſignificato. Sic tenet diſp. 137. & diſp. 140.

Vaſquez.

11 Benè quidem Vaſquez admittit innaſcibilitatem eſſe notionem, non vero inſpirabilitatem; atque etiam innaſcibilitatem ad dignitatem perſonalem Patris pertinere; inſpirabilitatem vero nequè ad perſonalem dignitatem Patris, nequè Filij ſpectare, non tamen rectè opinatur innaſcibilitatem de ſuo directo materiali ſignificato dicere aliquod poſitiuum à paternitate, & ſpiratione actiua, ratione diſtinctum. Nam falſum eſt, & à mente D. Thomæ alienum, imò doctrinæ D. Thomæ eſt expreſsè contrarium, vt videbimus q. ſequenti.

12 Relictis igitur aliorum dicendi modis, Retorqueo in primis cõtra Scoti diſcurſum argumentum. Inſpirabilitas eſt ſexta notio per Scotum, quia ſicut ſe habet innaſcibilitas reſpectu Patris, ita ſe habet inſpirabilitas reſpectu Patris, & Filij: ſed ingenerabilitas reſpectu Spiritus ſancti ſe habet ſicut inſpirabilitas reſpectu Filij. Ergo ſicut inſpirabilitas eſt ſexta notio, ita ingenerabilitas reſpectu Spiritus ſancti eſt ſeptima notio.

13 Reſpondetur igitur, concedendo antecedens, & negando conſequentiam, & ratio negationis eſt, quia innaſcibilitas, cum ſit reſpectu perſonæ; quæ eſt principium aliarum, & ipſa dicat negationem proceſſionis, ſeù productionis à quocunquè alio principio, pertinet ad dignitatem perſonalem Patris, quatenùs ſcilicèt, explicat fœcunditatem naturæ diuinæ exerceri per perſonam à nulla alia procedentem: at vero inſpirabilitas ſi accipiatur reſpectu Patris, continetur ſub innaſcibilitate, ſi vero accipiatur reſpectu Filij, licèt conueniat Filio, non tamen explicat dignitatem perſonalem Filij; ideſt, non explicat aliquid ad fœcunditatem naturæ diuinæ pertinens, nequè actiuè neque paſſiue; cum dicat puram negationem proceſſionis per voluntatem, quod etiam inanimatis conuenit.

14 Sed inſtat Scotus ibidem ſic dicens. *Sed hoc videtur eſſe falſum in ſe; quia æqualis dignitatis eſt in Patre, & Filio non ſpirari, ſicut in Patre non generari. Et etiam ad propoſitum non videtur valere, quia non videtur neceſſarium ad proprietatem, ſiuè ad notionem dicere propriè dignitatem.*

Scotus.

15 Quantùm ad primum quod ait, negatur antecedens, quod non probat, & nos iam rationem diſparitatis aſſignauimus.

16 Quantum vero ad ſecundum, ſicut voluntariè aſſeritur, ſic abſolutè negatur; eo, vel maximè quia ſic communiter Theologi de notione ſentiunt. Omnes enim conueniunt in hoc, quod notio ſic de aliqua perſona diuina prædicatur, vt ad eius perſonalem pertineat dignitatem.

17 Obijciet tertiò. Splendor eſt notio Filij, & donum eſt notio Spiritus ſancti; ſimiliter de alijs nominibus, qui dicuntur de Patre, Filio, & Spiritu ſancto. Ergo ſunt plures notiones etiam poſitiuæ.

18 Reſpondetur, quòd hæc nomina Splendor, Imago &c. ad Filium pertinẽtia, ſunt eadem notio cum notione Filiationis, ſecundùm quòd Filiatio notio dicitur, & ſignificant omnia huiuſmodi nomina eamdem filiationis rationem per diuerſos eiuſdem inadæquatos conceptus.

19 Nec obſtat, quòd D. Thomas infra diuidat hoc nomen, Filius, à nomine imaginis, Verbi, Splendoris &c. quia ibi hoc nomen, Filius, inadæquatè ſumitur, & non pro vt totam notionem filiationis includit. Vide infra quæſt. 34. art. 2. in commentario articuli num. 7.

D.Thom.

20 Spiritus ſanctus vocatur donum, ſed hoc eſt in ordine ad creaturas, non autẽ pertinet ad explicandam fœcunditatem naturæ diuinæ, nequè actiuè, nequè paſſiuè.

ARTICV-

ARTICVLVS QVARTVS.

Vtrum liceat contrariè opinari de Notionibus.

AD quartum ſic proceditur, videtur, quod non liceat contrariè opinari de notionibus: dicit enim Auguſt. in 1. de Trinit. quod non erratur alicubi periculoſius, quam in materia Trinitatis, ad quam certum eſt, notiones pertinere; ſed contrariæ opiniones non poſſunt eſſe abſque errore; ergo contrariè opinari circa notiones non licèt.

2 Præterea. Per notiones cognoſcuntur perſonę, vt dictum eſt; ſed circa perſonas non licèt contrariè opinari: ergo nec circa notiones.

Sed contra, Articuli fidei non ſunt de notionibus, ergo circa notiones licèt ſic, vel aliter opinari.

Reſpondeo dicendum, quod ad fidem pertinet aliquid dupliciter, vno modo directè, ſicut ea, quæ nobis ſunt principaliter diuinitus tradita, vt Deũ eſſe trinum: & vnum, Filium Dei eſſe incarnatum, & huiuſmodi; & circa hæc opinari falſum, hoc ipſo inducit hæreſim, maximè ſi pertinacia adiungatur. Indirectè verò ad fidem pertinent ea, ex quibus conſequitur aliquid contrarium fidei. Sicut ſi quis diceret, Samuelem non fuiſſe filium Helcanæ, ex hoc enim ſequitur ſcripturam diuinã eſſe falſam.

Circa huiuſmodi ergo abſque periculo hæreſis, aliquis falſum poteſt opinari, antequam conſideretur, vel determinatum ſit, quod ex hoc ſequitur aliquid contrarium fidei, & maximè ſi non pertinaciter adhæreat; ſed poſtquam manifeſtum eſt, & præcipuè ſi ſit per Eccleſiam determinatum, quod ex hoc ſequitur aliquid contrarium fidei, in hoc errare, non eſſet abſque hæreſi. Et propter hoc multa nunc reputantur hæretica, quæ prius non reputabantur, propter hoc, quod nunc eſt magis manifeſtum, quid ex iis ſequatur. Sic igitur dicendum eſt, quod circa notiones aliqui abſque periculo hæreſis, contrariè ſunt opinati, non intendentes ſuſtinere aliquid contrarium fidei; ſed ſiquis falſum opinaretur circa notiones, conſiderans quod ex hoc ſequatur aliquid contrarium fidei, in hæreſim laberetur, & per hoc patet reſponſio ad obiecta.

FORMATIO ARTICVLI.

BIpartita eſt corporis diſtributio. Primò, aſſignat quando opinari falſum de diuinis inducit hæreſim, & quando non. Secundò, reſpondet quæſito duabus concluſionibus, ſeù vnica concluſione bimembri.

Quò ad primum tria facit; Primò ponit diſtinctionem: Secundò, ſeparatim explicat vtrumquè diſtinctionis mẽbrũ; Tertiò, ſub quolibet docet, quando falsò opinari vtroquè modo incurritur hæreſis.

Quò ad horum primum, diſtinctio eſt iſta; *Ad fidem pertinet aliquid dupliciter. Vno modo directè*, & ſubaudi; Alio modo indirectè.

Quò ad horum ſecundum, explicatio eſt iſta. *Sicut ea, quæ nobis ſunt principaliter diuinitùs tradita, vt Deum eſſe Trinum, & Vnum, Filium Dei eſſe incarnatum, & huiuſmodi.*

Quò ad horum tertium, ſic ait; *Et circa hæc opinari falſum, hoc ipſum inducit hæreſim, maximè ſi pertinacia adiungatur.*

Quò ad primum pro ſecundo membro, ſic ait; *Indirectè verò ad fidem pertinent ea, ex quibus conſequitur aliquid contrarium fidei.*

Quò ad ſecundùm, explicatio eſt iſta; *Sicut, inquit, ſi quis diceret Samuelem non fuiſſe filium Helcanæ. Ex hoc enim ſequitur ſcripturam diuinam eſſe falſam.*

Quò ad tertium, duo facit; primò, docet quando iuxta ſecundum diſtinctionis membrũ aliquis abſquè periculo hæreſis poteſt opinari; & quando non. Secundò, infert Corollarium.

Quò ad horum primum, ſic ait. *Circa huiuſmodi ergo, abſquè periculo hæreſis, aliquis falſum poteſt opinari &c.* lege litteram vſquè ad illa verba, *abſquè hæreſi*, incluſiuè.

Quò ad horum ſecundum, Corollariũ eſt iſtud. *Et propter hoc multa nunc reputãtur hæretica, quæ prius non reputabantur; propter hoc, quòd nunc eſt magis manifeſtum; quid ex ea ſequatur.*

Quò ad ſecundum principale, prima cõcluſio, ſeù primum concluſionis membrum eſt iſtud. *Dicendum eſt, quòd circa notiones aliqui abſquè periculo hæreſis, contrariè ſunt opinati, non intendentes ſuſtinere aliquid contrarium fidei.*

Secunda concluſio, ſeù ſecundum concluſionis membrum eſt iſtud. *Si quis falſum opinaretur circa notiones, conſiderãs, quòd ex hoc ſequatur contrariũ fidei, in hęreſim laberetur.*

Vtriuſquè probationes ex prçlibatis colliguntur.

Ad argumenta reſponſiones non ponit; ſed ait, quòd *per hoc patet reſponſio ad obiecta*. Verum pro Nouitijs ex dictis in corpore ad obiecta reſpondetur in forma ſic.

Ad primum argumentum reſpondet, concedendo maiorem, & diſtinguendo, ſeù potiùs explicando minorem. *Sed contrariæ opiniones non poſſunt eſſe abſquè errore*, poſſunt tamen eſſe abſquè lapſu, vel periculo hæreſis, concedit minorem. *Non poſſunt eſſe abſquè errore*, nequè abſquè lapſu, vel periculo hæreſis, negat minorem. Ergo &c. negat conſequentiam.

Poteſt ex eiuſdem corporis doctrina ſub alijs verbis ſic ad minorem diſtinctio formari. *Sed contrariæ opiniones non poſſunt eſſe abſquè errore*, incognito opinanti, concedit minorem. Cognito opinanti, negat minorem. Ergo &c. negat conſequentiam.

Ad ſecundum argumentum reſpondet, diſtinguendo, ſeù explicando maiorem. *Per notiones* conceſſas, *cognoſcuntur perſonæ*, concedit maiorem. *Per notiones* non conceſſas, negat maiorem. Seù ſub alijs verbis. Dato ſuppoſito maioris, nempè quòd dantur notiones, concedit maiorem. Negato ſuppoſito maioris, negat maiorem. Tunc conceſſa minori; ſimiliter diſtinguendum eſt conſequens. Diceret enim Præpoſitiuus, quòd non dantur iſtæ notiones. Suppoſito ergo quòd dentur notiones, & cognita, ſeù conſiderata ratione notionis, non licèt abſquè hæreſi, vel hæreſis periculo contra notiones opinari.

Ad tertium argumentum, quod eſt, *ſed contra*, reſpondet, diſtinguendo, ſeù explicando antecedens. *Articuli fidei non ſunt de notionibus*, ſunt tamen de perſonis, in quibus intelliguntur notiones, concedit antecedens. *Non ſunt de notionibus*, & ſunt de perſonis in quibus intelliguntur notiones, negat antecedens. Ergo &c. negat conſequentiam.

SVPER ARTICVLVM COMMENTARIVM.

1 VTRVM *liceat*, ſubaudi, abſquè hæreſi, vel hæreſis periculo, *contrariè opinari de notionibus*. *Contrariè*, nō prout opponitur contradictoriè, ſed *contrariè* largè quatenùs negatio affirmationi aduerſatur.

2 *Circa hæc opinari falſum, hoc ipſo inducit hæreſim*; Sermo eſt (quidquid nonnulli dicant) de hæreſi, ex parte opinantis, & non ſolùm ex parte propoſitionis opinatæ, & ratio eſt. Quia loquitur de opinione falſa, contra ea, quæ nobis ſunt principaliter diuinitùs tradita. Ergo loquitur de opinari falſum reſpectu eius, qui iam ſcit ſuum opinari eſſe contra id, quod eſt ſibi credendum diuinitùs traditum.

3 *Maximè ſi pertinacia adiungatur*. Non loquitur de ea pertinacia, quæ eſt de eſſentia hæreſis, ſed de ea, qua nimis falſam opinionē perfidè in ſua obſtinatione confirmat. Quamuis igitur vt aliquis dicatur hæreticus, ſufficiat, vt ſciens, & volens dogmati fidei contrarium opinetur, quæ aduertentia eſt pertinacia, quæ eſt de eſſentia, vt aliquis dicatur hæreticus, vt docet Diuus Thomas 2. 2. quæſt. 11. art. 2. ad 3. cum Diuo Auguſtino, & in decret. 24. quæſt. 3. cap. *Dixit Apoſtolus*, tamen pertinacia de qua Diuus Thomas loquitur hìc eſt ea, de qua iam diximus. Ea, inquam, qua hæretici declarati laborare ſolent, qui ſçpè ſçpiùs à S. Matre Eccleſia pijſſimè moniti adhùc in ſuis erroribus impijſſimè perſeuerant. Eſtquè huius inter alia de Macario exemplum. Macarius enim Archiepiſcopus Antiochiæ, vnà cum Stephano presbytero, & Monaco eius diſcipulo contēdebat, in Chriſto Domino non eſſe duas voluntates diuinam ſcilicet vnam, & humanam alteram. Et pluriès admonitus à Concilio ſexto Conſtantinopolitano ſic impiè fatus eſt. *Non dico duas voluntates, aut duas operationes in Incarnationis diſpenſatione Domini Noſtri Ieſu Chriſti, ſed vnam voluntatem, & Dei virilem operationem: non tamen duas confiteor, etiam ſi,* (nota admirabilem hæretici obſtinationem) *membratim incidar, & mittar in mare*.

[Margin notes: D.Thom. D. Aug. — Macar & Stephan. hçretici. — Conſtāt. 6]

4 Sed pro lapſu hæreſis cognitione, tranſeunter obſerua, quòd in hæreſim poteſt aliquis incidere, ſi intra ſe, ideſt, intra

Digitized by Google

intra ſuum intellectum, ſuamquè contumacem voluntatem fidei contradicat, nullũ ſignũ corporeũ extra ſe formando; vel etiam vocẽ proferendo. Et tandem publicè defendendo, & Eccleſiæ paternęque monitioni nullatenùs acquieſcendo. In omnibus his actibus adeſt pertinacia, ſed Diuus Thomas hìc non loquitur de prima, quæ eſt de eſſentia hæreſis; benè tamen de ſecunda, ſi cum obſtinatione fuerit confirmata.

5 Eſt inſuper aduertendum pro caſibus conſcientiæ, quòd hæreſis ſemper eſt caſus Pontifici reſeruatus, non tamẽ eſt cum annexa excommunicatione; Nam in primo caſu qui incidit in hæreſim, eſt iam hæreticus, non tamen excommunicatus; eò quia, Eccleſia non iudicat de occultis, vnde cenſuras non infligit circa actus omninò internos. Si autem aliquis intra ſuam domum, aut ſolitarius manens, ea, quæ contra fidem opinatur, voce proferat, etiam ſi à nullo audiatur, eſt hæreticus, & excommunicatus; eò quia, iam eſt in foro vbi Eccleſia poteſtatem habet infligendi cenſuras. Sed hæc eſt materia moralis, pertinens ad 2. 2. q. 11. art. 2.

6 *Et maximè ſi non pertinaciter adhæreat*, & ſubaudi, ſed habet animum ſe in melius corrigendi, ſi conſtiterit aliquid oppoſitum ab Eccleſia fuiſſe determinatum.

7 *Circa notiones aliqui abſquè periculo hæreſis contrariè ſunt opinati, non intendentes ſuſtinere aliquid contrarium fidei*. Nota D. Thomę modeſtiam. Hæc enim verba protulit, vt ſaluet Præpoſitiuum à lapſu hæreſis; quaſi diceret, Præpoſitiuus negauit quidem notiones, non tamen dicendum eſt in hæreſim incidiſſe, etiam ſi eius ſententia fuiſſet hæretica, eò quia per ſuam poſitionem non intendebat aliquid fidei contrarium ſuſtinere; nec ab Eccleſia fuerat ſibi propoſitum, quòd notiones negare ſine hæreſis periculo non licet.

8 *Si quis falſum opinaretur circa notiones, conſiderans, quòd ex hoc ſequatur aliquid contrarium fidei, in hæreſim laberetur*. Admonet præſentes, & poſteros ne in poſterum contra notiones, audeant opinari; quoniam ſi Præpoſitiuus ab hæreſis lapſu meritò excuſatur, quia, ſcilicet, hæc omnia adminicula, quæ ex negatione notionum ſequuntur, non conſiderauit, alij ſequentes non poſſent aliqua tergiuerſationis ſpecie excuſari.



Digitized by Google

QVÆSTIO XXXIII.

DE PERSONA PATRIS.

IN QVATVOR ARTICVLOS DIVISA.

COnſequenter conſiderandum eſt de perſonis in ſpeciali; & primò circa perſonam Patris.

Circa quam quęruntur quatuor.

¶ Primò, vtrum Patri competat eſſe principium.

¶ Secundo, vtrum perſona Patris propriè ſignificetur hoc nomine, Pater.

¶ Tertiò, vtrum per priùs dicatur in diuinis Pater, ſecundùm quòd ſumitur perſonaliter, quàm ſecundum quòd ſumitur eſſentialiter.

¶ Quartò, vtrum ſit proprium Patri, eſſe ingenitum.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum competat Patri eſſe principium.

AD primum ſic proceditur, videtur, quod Pater non poſſit dici principium Filij, vel Spiritus ſancti. Principium enim, & cauſa idem ſunt ſecundum Philoſophum; ſed non dicimus Patrem eſſe cauſam Filij: ergo non debet dici, quod ſit eius principium.

2 Præterea. Principium dicitur reſpectu principiati: ſi igitur Pater eſt principium Filij, ſequitur Filium eſſe principiatum; & per conſequēs eſſe creatum: quod videtur eſſe erroneum.

3 Præterea. Nomen principij à prioritate ſumitur; ſed in diuinis non eſt prius, & poſterius, vt Athanaſius dicit: ergo in diuinis non debemus vti nomine principij.

Sed contra eſt, quod dicit Auguſt. in 4. de Trinit. Pater eſt principium totius deitatis.

Reſpondeo dicendum, quod hoc nomen principium, nihil aliud ſignificat, quàm id, à quo aliquid procedit. Omne enim, à quo aliquid procedit quocunque modo, dicimus eſſe principium, & è conuerſo: cum ergo Pater ſit, à quo procedit alius, ſequitur, quod Pater eſt principium.

Ad primum ergo dicendum, quod Gręci vtuntur in diuinis indifferenter nomine cauſæ, ſicut & nomine principij; ſed Latini doctores non vtuntur nomine cauſæ, ſed ſolum nomine principij. Cuius ratio eſt, quia principium cōmunius eſt, quàm cauſa, ſicut cauſa communior, quàm elementum. Primus enim terminus, vel etiam prima pars rei dicitur principium, ſed non cauſa. Quanto autem

aliquod

FORMATIO ARTICVLI.

BReuis corporis diſtributio in vna breui cōcluſione, breuiterquè probatione cōſiſtit.

Concluſio eſt iſta. *Pater eſt principium.*

Probatio eſt iſta. *Hoc nomen, principium, nihil aliud ſignificat, quàm id, à quo aliquid procedit: ſed Pater eſt à quo procedit alius.* Ergo *ſequitur, quòd Pater eſt principium.* Probat maiorem; quia *omne à quo aliquid procedit quocumquè modo, dicimus eſſe principium, & è conuerſo.* Ergo.

Ad primum argumentum reſpondet, diſtinguendo maiorem. *Principium & cauſa*, apud Græcos Doctores, *idem ſunt*, concedit maiorem. Apud Latinos Doctores, negat maiorē. Similiter diſtinguenda eſt minor; & negat conſequentiam.

Ad ſecundum argumentum reſpondet, diſtinguendo antecedens. *Principium dicitur reſpectu principiati*, in vſu Doctorū Græcorum, concedit antecedens. In vſu Latinorum Doctorum, negat antecedens. Similiter diſtinguit ſequelam in cōſequenti poſitam; Et negat vltimam conſequentiam.

Ad tertium argumentum reſpondet, diſtinguendo maiorem. *Nomen principij à prioritate ſumitur*, quātùm ad id, à quo imponitur ad ſignificandū, concedit maiorem. Quantùm ad id, quod ſignificat, negat maiorē. Tunc conceſſa minori, negat conſequentiam.

SV-

aliquid nomen eſt communius, tanto conuenientius aſſumitur in diuinis, vt ſupra dictum eſt. Quia nomina quanto magis ſpecialia ſunt, tanto magis determinant modum conuenientem creaturæ: vnde hoc nomen cauſa, videtur importare diuerſitatem ſubſtantiæ, & dependentiam alicuius ab altero, quam non importat nomen principij. In omnibus enim cauſæ generibus ſemper inuenitur diſtantia inter cauſam, & id, cuius eſt cauſa, ſecundum aliquam perfectionem, aut virtutem; ſed nomine principij vtimur etiam in his, quæ nullam huiuſmodi differentiam habent, ſed ſolum ſecundum quendam ordinem. Sicut cum dicimus, punctum eſſe principium lineæ, vel etiam cum dicimus frõtem lineæ, eſſe principium lineæ.

Ad ſecundum dicendum, quod apud Græcos inuenitur de Filio, vel Spiritu ſancto dici, quod principientur. Sed hoc non eſt in vſu Doctorum noſtrorum, quia licèt attribuamus Patri aliquid auctoritatis ratione principij, nihil tamẽ ad ſubiectionem, vel minorationem quocunque modo pertinet, attribuimus Filio, vel Spirituiſancto, vt vitetur omnis erroris occaſio. Secundum quem modum Hilar. dicit 9. de Trinitate: Donantis auctoritate Pater maior eſt, ſed minor non eſt Filius, cui vnum eſſe donatur.

Ad tertium dicendum, quod licèt hoc nomen principium, quantum ad id, à quo imponitur ad ſignificandum, videatur à prioritate ſumptum: non tamen ſignificat prioritatem, ſed originem. Non enim idem eſt, quod ſignificat nomen, & à quo nomen imponitur, vt ſupra dictum eſt.

SVPER ARTICVLVM COMMENTARIVM.

1 HOC *nomen, Principium, nihil aliud ſignificat, quàm id, à quo aliquid procedit*. Propoſitio vera eſt reſpectu cuiuſcumquè principij, ſiuè complexi, ſiuè incomplexi. Idquè verba ſequentia eiuſdem Angelici Doctoris manifeſtè declarant; dum ait. *Omne enim à quo aliquid procedit quocumquè modo, dicimus eſſe principium*. *Omne*, nihil excipiendo. *Quocumquè modo*, indiſcriminatim ſcilicet. Vnde hæc D. Thomæ propoſitio, aliã Ariſtotelis in 3. metaph. continet longiorem; dum Ariſtoteles ait. *Omnium igitur principiorum commune principium eſſe, vnde aliquid, aut fit, aut eſt, aut cognoſcitur.*

2 *Omne enim à quo aliquid procedit quocumquè modo, dicimus, eſſe principium, & è conuerſo*. Nota ly, *è conuerſo*, quoniam ſeruit ad inſinuandum, quòd ratio D. Thomæ in forma iam propoſita, quamuis videatur in ſecunda figura affirmatiuè concludẽs, quod non eſt bonus argumentandi modus; tamen, propter huiuſmodi conuerſionem, ſtatimatquè argumentum eſt in forma, & in prima figura, præſertim in Darij. Sic dicendo. Id à quo aliquid procedit, nihil aliud ſignificat, quã principium; ſed Pater eſt à quo procedit alius. Ergo Pater eſt principium.

3 In reſponſione ad primum. *Græci vtuntur in diuinis indifferenter, nomine cauſæ, ſicut & nomine principij: ſed Latini Doctores non vtuntur nomine cauſæ, ſed ſolùm nomine principij*. *Vtuntur*, ideſt, non ſemel atquè iterum, ſed ferè, ſeu ſemper in ipſorum ore verſatur.

DISPVTATIO CLXXVIII.

VTRVM PATRI CONVENIAT DICI, INITIVM, Authorem Filij, Principium totius Deitatis, & Trinitatis.

Per vnicum caput expedita.

CAPVT VNICVM.

Determinatio Veritatis.

1 PRO determinatione veritatis, quò ad hoc nomen, *initium*; Dico primò. Si hoc nomen, *initium*, accipiatur, pro vt idem ſonat, & vt plurimum ſonare ſolet inceptionem in aliqua temporis duratione; Pater æternus non poteſt dici initium Filij. Si autem accipiatur, pro vt dicit id, à quo aliquid procedit, Pater poteſt dici initium Filij.

2 Ambæ huius dicti partes, manifeſtæ ſunt, ſicuti manifeſtum eſt, Patrem eſſe principium Filij, & tamen non eſſe ſuo Filio priorem.

Iuxta primam acceptionem locuti ſunt, S.Fulgen. Fulgentius, lib. 1. ad Traſimundum loquens contra Fotinum, dicens; *Non credit ſine initio ſubſtantialiter Deum natum ex Deo Patre*. & Damaſcenus, S. Damaſc. lib. 1. fidei cap. 8. *Sine tempore*, inquit, *& initio, eſt eius generatio*, & Eccleſia in exordio euangeliorum, Ioannis, Matthæi, &c. ait. *Initiũ ſancti euangelij ſecundùm Ioannem. Initium ſancti euangelij ſecundùm &c.*

3 Et iuxta ſecundam acceptionem locutus eſt Hilarius lib. 4. de Trinit. dicens, S. Hilar. *Patrem æternum confitetur Eccleſia, & ab origine liberum; confitetur & Filij originem ab æterno. Non ipſum ab initio, ſed ab initiabili.* Quæ verba D. Thomas in 1. diſt. 29. in expoſitione litteræ, quantùm ad illã D.Thom. particulam, *ab initiabili*, adhærens Magiſtro ſententiarum, ſic explicat. *Ab initiabili, ideſt, principio initiatiuo, ſcilicet Patre.*

4 Sed contra hanc expoſitionem arguit Faſolus. Faſolus, hìc dubit. 1. nu. 7. Primò; quia *ſi Hilarius vocaret Patrem initiabilem, contradiceret antecedentibus, & conſequentibus, in breuiſſima oratione; Cum initiabile paſſiuam ex vocis proprietate ferat ſignificationem; ac proinde importet propriè proceſſionem ab alio initio; ſicut producibile, originabile, principiabile, & ſimilia, quam paſſiuam proceſſionem, de Patre prorſus innaſcibili, fideles omnes negamus.* Vnde aduertit, quod quamuis Magiſter, & Scholaſtici legant, *ab initiabili*, & ita habeant plures Hilarij Codices; rectiùs tamen emendatiores addũt particulam, *in*; ideſt, *ab ininitiabili*.

5 Secundò; quia *explicare*, inquit, *cum Magiſtro, ab initiabili, ideſt, à Patre, à quo ſũt omnia; vel cum S. Thoma, ab initiabili, ideſt principio initiatiuo, ſcilicet, Patre, eſt nimis violentum, contra manifeſtum nominis ſignificatum; ſicut ſi quis explicaret, V. G. generabile, pro generatiuo, ſpirabile pro ſpiratiuo, principiabile pro principiatiuo.*

6 Verùm, puto recentiores codices, quos Faſolus vidit, non eſſe falſos, nec antiquioribus veriores, ſed potius proprium loquendi modum Hilarij contentum in codicibus antiquioribus, per clariora verba tranſlataſſe, & Faſoli diſcurſum eſſe prorſus inanem. Vnde,

7 Ad primam impugnationem reſpondetur, negando ſequelam. Ad cuius probationem diſtinguo antecedens. Initiabile apud purum grammaticum, paſſiuã ex vocis proprietate fert ſignificationẽ, concedo antecedens. Apud probatiſſimos Philoſophos, atquè Theologos, nego antecedens vniuerſaliter. Poteſt enim à celeberrimis viris accipi ly. *initiabile*, pro initiatiuo.

8 Ad ſecundam impugnationem reſpõdetur, diſtinguendo ſimiliter antecedẽs. Explicare cum Magiſtro, *ab initiabili*, ideſt à Patre, à quo ſunt omnia; vel cum S. Thoma, *ab initiabili*, ideſt, *principio initiatiuo, ſcilicet Patre, eſt nimis violentum*, apud

purum

Digitized by Google

purum grammaticum, concedo antecedẽs. Apud celeberrimum Philoſophum, atquè Theologum, nego antecedens. Nonne Philoſophi dicunt, quòd animal eſt ſubſtãtia animata ſenſibilis, ideſt ſenſitiua. Et homo eſt rationalis, ideſt ratiocinatiuus? Fuit igitur etiam aliquãdo in vſu, vocem ſecundùm grammaticos ſignificationis paſſiuæ, accipi à Philoſophis, ac Theologis pro ſignificatione actiua. Et ſic Athanaſius loquutus eſt. Vnde codices recentiores non correxerunt, ſed declarauerunt antiquos.

9 Dices. Ergo eodem modo dicẽdũ eſt de nomine principij, & initij. Probo conſequentiam, quia hoc nomen, principium, etiam aliquando, accipitur pro principio durationis. Vnde Athanaſius oratione 2. contra Arrianos quæſt. 13. ait de Patre, & Filio loquens, *Patrem, & Filium eſſe principio carentes, & principij expertes*. Ergo idem eſt, eſſe principium alicuius, & eſſe initium illius. Ergo eodem modo loquendum eſt de principio, ac de initio. D.Athan.

10 Reſpondetur, negando conſequentiã, & ratio negationis eſt; quia apud omnes viros doctos pręſertim Theologos, compertum eſt nomine principij rigoroſè loquendo, intelligi à quo aliquid procedit; & per conſequens, ſiuè cum Arrianis ſit ſermo, ſiuè cum catholicis, & coram quibuſcumquè in materia theologica, ac in nominum vſurpatione expertibus poſſumus abſolutè, & cum proprietate aſſerere, Patrem in diuinis eſſe principiũ Filij. Niſi fortè eſſet ſermo cum rudibus, non rectè rationem principij intelligentibus. In quo caſu, deberemus maiori cum cautela procedere; explicando, necnon eos ſuauiter inſtruendo, quid nomine principij propriè intelligatur: At verò in vſu philoſophorum, atquè etiam Theologorum eſt, vt hoc nomẽ, initium, accipiatur actiuè pro eo quod incipit producere, ſeù effectum principiat; & paſſiuè, pro eo quod in aliqua temporis differentia; ſeù in aliquo inſtãti temporis acquirit eſſe; Idcirco non eſt eadem de hoc nomine, principium, & de hoc nomine, initium, ratio.

11 Hinc patet, ad interrogationem, quæ fieri ſolet, reſponſio. Si quis enim percunctetur, Vtrum ſimpliciter, & abſolutè vſurpanda ſit iſta locutio, nempè, Pater in diuinis eſt initium Filij.

12 Reſpondetur enim, quòd obſeruandum eſt, cum quibus, & coram quibus ſit ſupradicta locutio. Nam ſi alloqueremur Arrianis, vel coram eis, eſt abſtinendum omninò ab hoc modo loquendi; quoniam Arrius, & Arriani tenent, Filium eſſe primam omnium creaturã, & in aliquo inſtanti durationis de non eſſe tranſijſſe ad eſſe; & aliàs, ipſi, & communis loquendi vſus, nomine initij, intelligunt aliquam temporis durationẽ, vel inſtantis incæptionem; Si autem ſermo ſit coram viris doctis, nomine initij, rationem puri principij intelligentibus; poteſt vtique abſolutè & ad inuicem coram eis, hæc propoſitio proferri. Pater in diuinis eſt initium Filij. Item ſi in eodem ſermone loquens explicet ſe, nomine initij intelligi ab ipſo, puri principij rationem, poteſt præfata propoſitio abſolutè effari. Verum abſque vlla declaratione, implicitè inſinuata; vel explicitè expreſſa, non debet, nec poteſt abſolutè proferri. Abſolutè enim nominibus vtendum eſt, vt plures vtuntur.

13 Quò ad nomen Authoris, Dico ſecũdò. Pater poteſt dici Author Filij, ſi accipiatur propriè.

Probatur primò, quia ſic Sancti Patres ſolent Patrem æternum nominare. Vnde D. Dionyſius de cæleſti Hierarchia in principio, de Filio procedente à Patre æterno ait. *Lux eſt Patris, cuius benignitate, nobis ad Patrem lucis authorem, aditus patuit*; & Athanaſius de S. Trinitate Dialogo primo ait; *Spiritus ſanctus authorem, & cauſam habet Deum*. Et Hilarius in 4. de Trinit. & alibi in eodem tractatu pluriès, Patrem æternum Filij vocat authorem. Videatur Nazianzenus, orat. de dogmate, & cõſtitut. Epiſcop. Euſebius Cæſarienſis, lib. 4. demonſtrationum Euangelicarum cap. 3. D Dion. D Athan. D.Hilar. Nazianz. Euſ.Cęſ.

14 Et Sanctus Auguſtinus lib. 3. contra Maximinum cap. 5. ſic ait. *Si Authorem propterea dicis Patrem, quia de ipſo eſt Filius; non eſt autem ipſe de Filio; & quia de illo &c.* D.Aug.

15 Probatur ſecundò ratione, quia Author ſi propriè accipiatur, nil aliud ſignificat, niſi principium ſine principio: Sed Pater æternus eſt principium ſine principio. Ergo hoc nomen, Author, conuenit Patri. Maior eſt D. Thomæ in 1. diſt. 29. quæſt. 1. art. 1. Et 4. contra gent. cap. 24. vbi Ferrarienſis, §. *Attendendum ſecundò* ſic ait. *Si propriè accipiatur authoritas, importatur nomine ipſo ratio principij non de principio. Dicitur enim author, qui alicuius rei eſt principium, & hoc ab alio non habet.* D.Thom. Ferrar.

16 Dico tertiò. Eſſe authorem largè, & minùs propriè, conuenit etiam Filio reſpectu Spiritus ſancti.

Probatur primò, quia ſic docet D. Thomas in 1. diſt. 29. quæſt. 1. art. 1. *Solus, inquit, Pater author dicitur, quamuis etiam Filius principium dicatur notionaliter; quia nomen authoris addit ſuper rationem principij hoc, quod* D.Thom.

Digitized by Google

quod eſt, non eſſe ab aliquo. Et opuſc. 1. cõtra errores Græcorum cap. 32. ait, *quòd Filius eſt author Spiritus ſancti*. Vnde habes, quòd ſolus Pater æternus abſolutè, & ſimpliciter, & propriè, dicitur Author; Filius verò, non niſi largè, & extenſo vocabulo. Vide Caietanum, Bañes, Herreram, & alios expoſitores hic; & Ferrarienſem in 4. cap. 24. §. citato.

Caiet. Bañes. Herrera. Ferrar.

16 Quò ad nomẽ principij totius Deitatis, vel totius Trinitatis, Dico quartò. Non impropriè, & inuſitatè, ſed rectè dici poteſt, quod Pater æternus eſt principium totius Deitatis, & totius Trinitatis, debita tamen, & vſitata apud Doctores, & S. Patres explicatione ſeruata.

18 Probatur primò. Quia ſic Sacra Cõcilia ſolent effari, & præſertim Conciliũ Toletanum VI. ſub Honorio I. celebratum cap. 1. Toletanum XI. & Vuormacienſe a quibus vocatur origo totius diuinitatis, & ab Vuormacienſe origo totius Trinitatis. Et Concilium Florentinum collat. 23. & 24. idem pluries repetit.

Tolet. 6. Honor. 1. Tolet. 11. Vuorm. Florent.

19 Idem quoquè docent communiter Sancti Patres; D. Dionyſius, de diu. nomin. cap. 2. Nazianzenus, orat. 2. de pace. Ambroſius, in ſymbulo Apoſtolorum cap. 2. Auguſtinus, lib. 4. de Trinit. cap. 29. D. Thomas, hic in argumento ſed contra cum Auguſtino, & infra, q. 39. ar. 5. ad 6. Idem quoquè docet communiter probatiores Scholaſtici cum Magiſtro in 1. diſt. 29.

D. Dion. Nazianz. D. Ambr. D. Thom.

20 Probatur ſecundo ratione; quia dicere, quòd Pater æternus eſt principium totius Deitatis, Diuinitatis, & Trinitatis cum communiori Conciliorum, Sanctorum Patrum, Theologorumquè modo loquendi, debita explicatione ſeruata, propoſitio vera eſt & rationem principij Patri propriam enucleatiùs explanat. Ergo. Antecedens patet; quia cum dicitur, quòd Pater eſt origo, ſeu principium totius Deitatis, ſeu Trinitatis, ſuppono Doctores in materia tam graui, non blaterare; ſed perdoctè, doctis eloqui viris, ac per conſequens, cum grano ſalis, & in ſenſu quo fit, debet intelligi: ſed eo modo, quo ſolet præfata propoſitio proferri enucleatiùs rationem principij Patri propriam explanat. Ergo. Probatio minoris petatur ab Angelico S. Matris Eccleſię Doctore infra q. 39. ar. 5. ad 6. Vbi hæc verba promit. *Deitas, in quantùm eſt vna in pluribus ſuppoſitis, habet quamdam conuenientiam cum forma nominis collectiui. Vnde cum dicitur, Pater eſt principium totius Deitatis, poteſt ſumi pro vniuerſitate perſonarum, in quantùm, ſcilicet, in omnibus perſonis diuinis, ipſe eſt principium. Nec oportet, quòd ſit principium ſui ipſius; ſicut aliquis de populo dicitur rector totius populi; non tamen ſui ipſius.*

D. Thom.

21 Doctrina hæc, ſupponit communem Theologorum diſtinctionem, nempè, quod cum dicitur Pater æternus principium totius Trinitatis, dupliciter intelligi poteſt; Primò, quaſi ſenſus ſit, quòd Pater eſt principium totius Deitatis productiuum, & ſic eſt falſa propoſitio, nec ab aliquo Doctore Catholico, ac ſanæ mentis intellecta. Secundo, quaſi ſenſus ſit, quod Pater æternus eſt principiũ Deitatis in concreto acceptę, ideſt, pro perſonis diuinis productis, & ſic eſt vera propoſitio; ita quòd, cum dicitur, Pater eſt principium totius Deitatis, ſeù Trinitatis, ſenſus eſt iſte. Pater eſt principiũ de non principio, & nulla eſt in diuinis perſona producta, quæ non procedat à Patre.

22 Adhibet quoquè idem Doctor Angelicus aliam expoſitionem his verbis. *Vel poteſt dici, quod eſt principium totius Deitatis, non quia eam generet, & ſpiret; ſed quia eam, generando, & ſpirando, communicat*. Ideſt, Pater æternus producens perſonã diuinam Filij, & perſonam diuinam Spiritus ſancti, totam communicat Deitatem.

23 Solent Doctores inquirere, Vtrum dicendum ſit, quod Filius habet principiũ; & reſpondent, quod neque dicendum eſt abſolutè habet principium, ſed cum diſtinctione reſpondent, V. G. Filius habet principium originis; Filius non habet principium durationis; & pro prima diſtinctionis parte adducunt Magiſtrum in 1. diſt. 29. littera C. vbi ſic ait. *Licèt Filius ſit principium de principio, non eſt tamẽ concedendum, quòd Filius habeat principium*. Adducunt quoquè Athanaſium, Nazianzenum, Damaſcenum, & Hyppolitum Martyrem. Pro ſecunda verò parte adducunt Syrmicam Synodum can. 26. quæ damnat dicentes, Filiũ ſine principio. Et Cyrillum lib. 2. theſauri cap. 2. Ita Faſolus hic dubit. 2. concl. 3, nu. 15. Mihi tamen dicendum videtur, abſolutè, & ſimpliciter inter viros doctos, ac peritos; quod Filius habet principium; non vero, quòd Filius non habet principium, niſi ſecundùm quid, & facta debita ſuppoſitione, ac declaratione. Nec ad oppoſitum huius loquuntur Doctores, ac Patres à Faſolo citati. Ratio autem quæ me mouet eſt iſta; quia abſolutè valet dicere, Pater eſt principium; & Filius eſt à principio. Ergo valet quoquè abſolutè dicere; Filius habet principium.

Magiſter. Athanaſ. Nazianz. Damaſc. Hyppol. martyr. Syrmica Synodũ. Cyrillus. Faſolus.

24 Confirmatur; quia tota negationis ratio eſſet, quia dicere, quòd Filius habet princi-

Digitized by Google

principium, poſſet, abſolutè loquendo, falſum generare ſenſum audienti: ſed hoc non eſt. Ergo. Maior patet; Probatur minor; Quia habere principium abſolutè loquendo, nil aliud ſonat in ſubiecta materia, & ſecũdum puram principij rationem, niſi eſſe, ſeu à principio procedere: ſed hoc eſt vndequaquè verum in Filio æterno. Ergo. Si autem ſermo eſſet coràm in fide ſuſpectis, vel coràm indoctis, tunc currit deciſio Faſoli; quoniam habere principium apud ſupradictos, poteſt accipi, pro eo, quod eſt habere initium, ſeù inceptionem, & pro eo, quod eſt ab alio procedere abſolutè, tamen apud viros rectè ſentientes, non ſic.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Vtrum hoc nomen, Pater, ſit nomen propriè diuinæ perſonę.

AD ſecundum ſic proceditur, videtur, quod hoc nomen Pater, non ſit propriè nomen diuinæ perſonæ: hoc enim nomen Pater, ſignificat relationem. Perſona autem eſt ſubſtantia indiuidua: non ergo hoc nomen Pater eſt propriè nomẽ ſignificatiuum perſonæ.

2 *Præterea. Generans communius eſt, quàm Pater, nam omnis Pater eſt generans, ſed non è conuerſo; ſed nomen communius magis propriè dicitur in diuinis, vt dictum eſt: ergo magis propriũ nomen eſt perſonæ diuinæ generans, & genitor, quam Pater.*

3 *Præterea. Nihil, quod ſecundum metaphoram dicitur, poteſt eſſe nomen proprium alicuius, ſed verbum methaphoricè apud nos dicitur genitum, vel proles; & per conſequens ille, cuius eſt verbum, metaphoricè dicitur Pater: nõ ergo principium Verbi in diuinis poteſt propriè dici Pater.*

4 *Præterea. Omne, quod dicitur in diuinis, per prius dicitur de Deo, quàm de creaturis, ſed generatio per prius videtur dici de creaturis quàm de Deo: verior enim ibi videtur eſſe generatio, vbi aliquid procedit ab alio diſtinctum, non ſecundum relationem tantum, ſed etiam ſecundum eſſentiam: ergo nomen Patris, quod à generatione ſumitur, non videtur eſſe proprium alicuius diuinæ perſonę.*

Sed contra eſt, quod dicitur in Pſalm. Ipſe inuocabit me, Pater meus es tu.

Reſpondeo dicendum, quod nomen proprium cuiuslibet perſonæ ſignificat id, per quod illa perſona diſtinguitur ab omnibus alijs. Sicut enim de ratione hominis eſt anima, & corpus, ita de intellectu huius hominis eſt hęc anima, & hoc corpꝰ, vt dicitur in 7. metaphyſ. His autem hic homo ab omnibus alijs diſtinguitur. Id autem per quod diſtinguitur perſona Patris ab omnibus alijs, eſt paternitas: vnde proprium nomen perſonæ Patris eſt hoc nomen Pater, quod ſignificat paternitatem.

Ad primum ergo dicendum, quod apud nos, relatio non eſt ſubſiſtens perſona; & ideò hoc nomen Pater, apud nos, non ſignificat perſonam, ſed relationem perſonæ: non autem eſt ita in diuinis, vt

FORMATIO ARTICVLI.

COrporis diſtributio in vnica concluſione reſponſiua quæſito cũ vnica eiuſdem probatione conſiſtit.

Concluſio eſt iſta. *Proprium nomen perſonæ Patris, eſt hoc nomẽ Pater, quod ſignificat paternitatem.*

Probatio eſt iſta. *Id per quod diſtinguitur perſona Patris ab omnibus alijs, eſt paternitas.* Ergo *proprium nomen &c.* Antecedens ſupponit tanquàm certum. Probat conſequentiam; quia *nomen proprium cuiuſlibet perſonæ ſignificat id, per quod illa perſona diſtinguitur ab omnibus alijs.* Ergo &c. Antecedens ſic manifeſtat. *Sicut enim de ratione hominis eſt anima, & corpus, ita de intellectu huius hominis eſt hæc anima, & hoc corpus, vt dicitur in 7. metaph. His autem hic homo ab omnibus alijs diſtinguitur.* Ergo *nomẽ proprium &c.*

Ad primum argumentum reſpondet, diſtinguendo maiorem. *Hoc nomen Pater, ſignificat relationem, quæ eſt ſubſiſtens perſona, vel quæ non eſt ſubſiſtens perſona,* concedit maiorem. *Significat tantùm relationem,* quę nõ eſt ſubſiſtens perſona, ſicut eſt relatio apud nos, negat maiorem. Tunc conceſſa minori, negat conſequentiam, vel diſtinguit conſequens. Ergo *hoc nomẽ, Pater,* loquendo de Patre apud nos, *non eſt propriè nomen ſignificatiuũ perſonæ,* concedit cõſequentiam. Ergo *hoc nomen, Pater,* loquendo de Patre in diuinis, *non eſt propriè nomen ſignificatiuum perſonæ,* negat conſequentiam.

Ad ſecundum argumentum reſpondet, diſtinguẽdo maiorem. *Generans communius eſt, quàm Pater.* Et aliàs, generans denominatur vt in fieri, & Pater, vt complementum generationis, concedit maiorem. Vtrumquè vt in fieri, vel vt complementum generationis, negat maiorẽ. Ad minorem. *Sed nomen communius, magis propriè &c.* diſtinguit minorem. *Sed nomen communius,* ſignificãs per modum comple- mẽti,

mẽti, magis propriè dicitur in diuinis, cõcedit minorem. *Sed nomen communis*, ſignificãs generationem vt in fieri, *magis propriè dicitur in diuinis*, negat minorẽ. Ergo &c. negat conſequẽtiam.

Ad tertium argumentum reſpondet, & reſponſionis formalitas ni fallor, cõſiſtit in hoc, concedendo maiorem; & minorem, negando tamen conſequẽtiã. Et ratio negationis eſt, quia argumentũ non eſt in forma. Etenim maior vt iacet, eſt vniuerſaliter, & formaliter vera. Minor loquitur de verbo apud nos, ſeù de verbo noſtro. Et cõcluſio accipit verbum ſecũdùm quòd eſt apud Deum, ſeù Verbũ diuinum, inter quæ duo verba hæc magna diſtantia eſt, quod verbum nõ eſt quid ſubſiſtens in natura humana. Vnde non propriè poteſt dici genitum, vel filius. Sed Verbũ diuinũ eſt aliquid ſubſiſtens in natura diuina. Vnde propriè, & non metaphoricè dicitur filius, & eius principium Pater.

Ad quartum argumentum reſpondet, diſtinguẽdo maiorem. *Omne quod dicitur in diuinis, per prius dicitur de Deo, quàm de creaturis*, quantùm ad rem ſignificatam, non verò quantùm ad modum ſignificandi, concedit maiorem. Quantùm ad rem ſignificatam, & etiam quãtùm ad modum ſignificandi, negat maiorem. ſimiliter diſtinguit minorem; & negat conſequentiam.

vt quidam falſo opinati ſunt: nam relatio, quàm ſignificat hoc nomen Pater, eſt ſubſiſtens perſona: vnde ſupra dictum eſt, quod hoc nomen perſona in diuinis ſignificat relationem, vt ſubſiſtentem in diuina natura.

Ad ſecundum dicendum, quod ſecundum Philoſophum in 2. de anima. Denominatio rei maximè debet fieri à perfectione, & fine: generatio autem ſignificat, vt in fieri, ſed paternitas ſignificat complementum generationis, & ideò potius eſt nomen diuinæ perſonæ Pater, quàm generans, vel genitor.

Ad tertium dicendum, quod Verbum non eſt, quid ſubſiſtens in natura humana: vnde non propriè poteſt dici genitum, vel filius; ſed Verbum diuinum eſt aliquid ſubſiſtens in natura diuina: vnde propriè, & non metaphoricè dicitur Filius, & eius principium Pater.

Ad quartum dicendum, quod nomen generationis, & paternitatis, ſicut & alia nomina, quæ propriè dicuntur in diuinis, per prius dicuntur de Deo, quàm de creaturis, quantum ad rem ſignificatam, licèt non quantum ad modum ſignificandi: vnde & Apoſtolus dicit ad Epheſ. 3. Flecto genua mea ad Patrem domini mei Ieſu Chriſti, ex quo omnis paternitas in cœlo, & in terra nominatur. Quod ſic apparet: manifeſtum eſt enim, quod generatio accipit ſpeciem à termino, qui eſt forma generati; & quanto hic fuerit propinquior formæ generantis, tanto verior, & perfectior eſt generatio. Sicut generatio vniuoca eſt perfectior, quam non vniuoca: nam de ratione generantis eſt, quod generet ſibi ſimile ſecundum formam: vnde hoc ipſum, quòd in generatione diuina eſt eadem numero forma generantis, & geniti, in rebus autẽ creatis non eſt eadem numero, ſed ſpecie tantum; oſtendit, quod generatio, & per conſequens paternitas, per prius ſit in Deo, quàm in creaturis: vnde hoc ipſo, quod in diuinis eſt diſtinctio geniti à generante ſecundum relationem tantum, ad veritatem diuinæ generationis, & paternitatis pertinet.

SVPER ARTICVLVM COMMENTARIVM.

1 LY, *Pater*, non accipitur pro vt eſt quid commune analogum Patri increato, & creato; nequè quatenùs eſt quid commune toti Trinitati, ſecundùm quòd ſcilicet, Deus vt Creator dicitur creaturarum Pater, ſed tantummodo pro prima in Trinitate perſona.

2 Ly, *Propriè*, accipitur pro vt diſtinguitur cõtra metaphoricè, cõtra cõmune, & contra extraneũ; Extraneũ autẽ, (vt verbis Caietani vtar) *dico quomodolibet adiacens, quemadmodũ dicimus de aliquo, quòd Socrates eſt nomen propriũ eius; filius verò Platonis primogenitus, non eſt eius nomen propriũ, quia ſignificat accidens adiacens Socrati, & nõ eius ſubſtantiam*. Vnde ſenſus eſt, Vtrum *hoc nomen Pater*, ſit nomen ſignificans propriam ſubſtantiam, ſeù propriam perſonam Patris.

3 Ly, *Diuinæ perſonæ*, non accipitur pro vt ſupponit pro ipſa hypoſtaſi vt ſic, quaſi in communi, ſed pro determinata hypoſtaſi Patris, idquè non obſcurè ex textu colligitur. Nam D. Thomas his verbis quæſito reſpondet. *Proprium nomen perſonæ Patris, eſt hoc nomen, Pater.*

4 *Nomen proprium cuiuslibet perſonæ id, per quod illa perſona diſtinguitur ab omnibus alijs. Nomen proprium*, ideſt ſignificãs rem quò ad intrinſeca ipſius; ſeù nomen ſubſtantiale, vt rectè Iauellus interpretatur, in expoſitione præſentis articuli. Iauellus.

5 *Per quod illa perſona diſtinguitur ab omnibus alijs. Diſtinguitur*, non quaſi accidentariè, ſed quaſi ſubſtantialiter, non deſcriptiuè, ſed veluti diffinitiuè.

Id

6 *Id autem per quod diſtinguitur perſonæ Patris ab omnibus alijs,eſt paternitas. Paternitas*, non ſecundùm purum, Ad, per quod, Pater refertur ad Filium; ſed quatenùs eſt ſubſiſtens relatio,quatenùs ſcilicet, accipitur pro perſona Patris, quæ non ſolùm habet producere Filium, verumetiam ſpirare Spiritum ſanctum. Et hoc benè nota; quia illi diſputationi eſt præſens explicatio deſeruiens: In qua videbimus, quòd ſi Spiritus ſanctus non procederet à Filio, nō diſtingueretur ab illo.Itē per hoc rectè intelligetur,quod infra explicabimus,quomodo Spiritus ſanctus procedat à Patre. Procedit enim à Patre, non vt à generante, ſed vt à ſpirante.

7 In reſponſ. ad 2. *Generatio ſignificat vt in fieri*; Si loquamur de nomine generationis ſecundùm noſtrum intelligendi modum;non verò ſi loquamur ſecundū perfectam generationis rationem. Etenim generatio,vel generans, ſi conſideretur in diuinis, ſecundùm quòd in propria æternitatis menſura inuenitur, ſic non ſignificatur ſecundùm noſtrum intelligendi modum, & perfectè dicitur de Deo, in quo ſenſu nō faceret numerum cum nomine Patris.

8 In ſecundo argumento nota propoſitionem primam, ſeù maiorem, eiuſquè probationem,nimirum,*Generans communius eſt,quàm Pater. Nam omnis Pater eſt generans, ſed non è conuerſo. Non è conuerſo*; Tum quia, planta generat aliam plantā, non tamen dicitur Pater. Tum etiam quia, Mater generat, & non eſt Pater. In cæteris verò Pater dicitur generans, & è conuerſo generans dicitur Pater.

9 In reſponſ. ad 4. *Vnde hoc ipſum,quòd in generatione diuina eſt eadem numero forma generantis, & geniti; In rebus autem creatis non eſt eadem numero, ſed ſpecie tantùm, oſtendit, quòd generatio, & per conſequens paternitas, per priùs ſit in Deo, quàm in creaturis.* Ex quibus D. Thomæ verbis habes, quòd quantò genitum recedit ab identitate naturæ ſuppoſiti generantis, tantò minùs eius proceſſio dicitur generatio. Et quòd de ratione perfectæ generationis, non eſt aliqualis inter naturam geniti, genitoriſquè diſtinctio. Doctrina hæc catholicam veritatem illuſtrat, & hæreticorum ora flagellat.

FORMATIO ARTICVLI.

Corporis diſtributio in vnica cōcluſione in corporis calce poſita,cū eiuſdem probatione, per totum corporis diſcurſum aſſignata, ac explicata cōſiſtit.

Concluſio eſt iſta. *Per prius paternitas dicitur in diuinis, ſecundū quòd importatur reſpectus perſonæ ad perſonā, quàm ſecundum quòd importatur reſpect⁹ Dei ad creaturam.*

Probatio eſt iſta. *Manifeſtum eſt ex præmiſſis, quòd perfecta ratio paternitatis, & filiationis, inuenitur in Deo Patre, & Deo Filio, ſed in creatura,filiatio inuenitur reſpectu Dei, non ſecundùm perfectam rationem, ſed ſecundùm aliqualem ſimilitudinē.* Ergo *patet, quòd per prius paternitas dicitur in diuinis, ſecundū quòd importatur reſpect⁹ perſonæ ad perſonam,quàm ſecundùm quòd importatur reſpectus Dei ad creaturam.* Conſequentia patet; quia *per priùs dicitur nomen de illo, in quo ſaluatur tota ratio nominis perfectè, quàm de illo, in quo ſaluatur ſecundùm aliquid.* Ergo. Probat huius immediatè poſitum antecedens, ſimulatquè exēplificat,ſeù declarat ſic. *Quia de hoc dicitur quaſi*

ARTICVLVS TERTIVS.

Vtrum hoc nomen, Pater, dicatur in diuinis per priùs, ſecundùm quòd perſonaliter ſumitur.

Ad tertium ſic proceditur, videtur, quod hoc nomen Pater, non dicatur in diuinis per priùs, ſecundum quod perſonaliter ſumitur. Commune enim ſecundum intellectum eſt prius proprio; ſed hoc nomen Pater, ſecundum quod perſonaliter ſumitur, eſt proprium perſonæ Patris: ſecundum verò, quod ſumitur eſſentialiter, eſt commune toti Trinitati: nam toti Trinitati dicimus, Pater noſter: ergo per prius dicitur Pater eſſentialiter ſumptum, quàm perſonaliter.

2 *Præterea. In his, quæ ſunt eiuſdem rationis, non eſt prædicatio per priùs, & poſteriùs; ſed paternitas, & filiatio ſecundum vnam rationem videntur dici, ſecundum quod perſona diuina eſt Pater Filij, & ſecundum quod tota Trinitas eſt Pater noſter, vel creaturæ, cum ſecundum Baſilium: accipere ſit commune creaturæ, & Filio: ergo non per prius dicitur Pater in diuinis, ſecundum quod ſumitur eſſentialiter, quàm ſecundùm quòd ſumitur perſonaliter.*

3 *Præterea. Inter ea,quæ non dicuntur ſecūdum rationem vnam, non poteſt eſſe comparatio; ſed Filius comparatur creaturæ in ratione filiationis,*

quaſi per ſimilitudinem ad id, in quo perfectè ſaluatur; quia *omnia imperfecta ſumuntur à perfectis*. Hoc idem declarat, & declaratio ex doctrina poſita deducitur, ſic dicens. *Et inde eſt, quòd hoc nomẽ, Leo, per prius dicitur de animali, in quo tota ratio Leonis ſaluatur, quod propriè dicitur Leo, quàm de aliquo homine, in quo inuenitur aliquid de ratione Leonis, vtputa audacia, vel fortitudo, vel aliquid huiuſmodi. De hoc enim per ſimilitudinem dicitur.*

Antecedens autẽ quò ad primam partem probat ſic; quia *Patris, & Filij vna eſt natura, & gloria.*

Idem antecedens quò ad ſecundam eiuſ partẽ probat ſic; *Quia non eſt vna natura Creatoris, & creaturæ.*

Quò ad tertiam vero partem, ſcilicet, quod *ſecũdùm aliqualem ſimilitudinem &c.* probat per viã aſcẽſus, aſſignãs quatuor gradus, quibus creatura dicitur filia Dei, ſic dicens. *Quæ* ſubaudi, ſimilitudo, *quãtò perfectior fuerit, tantò propinquius acceditur ad veram filiationis rationem. Dicitur enim Deus alicuius creaturæ Pater, propter ſimilitudinem veſtigij tantùm, vtpotè irrationalium creaturarum, ſecundùm illud Iob. 38. Quis eſt pluuiæ Pater? Aut quis genuit ſtillas roris?*

Alicuius verò creaturæ, ſcilicet rationalis, ſecundùm ſimilitudinẽ imaginis; ſecundùm illud Deuter 32. Nonne ipſe eſt Pater tuus, qui poſſedit, & fecit, & creauit te?

nis, vel generationis, ſecundum illud Colloſſ. 1. Qui eſt imago Dei inuiſibilis, primogenitus omnis creaturæ: ergo non per prius dicitur in diuinis paternitas perſonaliter ſumpta, quàm eſſentialiter, ſed ſecundum rationem eandem.

Sed contra eſt, quod æternum prius eſt temporali: ab æterno autem Deus eſt Pater filij, ex tempore autem Pater eſt creaturæ: ergo per prius dicitur paternitas in Deo reſpectu filij, quàm reſpectu creaturæ.

Reſpondeo dicendum, quod per prius dicitur nomen de illo, in quo ſaluatur tota ratio nominis perfectè, quàm de illo, in quo ſaluatur ſecundum aliquid. De hoc enim dicitur quaſi per ſimilitudinem ad id, in quo perfectè ſaluatur: quia omnia imperfecta ſumuntur à perfectis; & inde eſt, quod hoc nomen Leo, per prius dicitur de animali, in quo tota ratio Leonis ſaluatur, quod propriè dicitur Leo, quàm de aliquo homine, in quo inuenitur aliquid de ratione Leonis, vt puta, audacia, vel fortitudo, vel aliquid huiuſmodi: de hoc enim per ſimilitudinem dicitur: manifeſtum eſt autem ex præmiſſis, quod perfecta ratio paternitatis, & filiationis inuenitur in Deo Patre, & Deo Filio, quia Patris, & Filij vna eſt natura, & gloria; ſed in creatura, filiatio inuenitur reſpectu Dei, non ſecũdum perfectam rationem, cum non ſit vna natura Creatoris, & creaturæ, ſed ſecundum aliqualem ſimilitudinem, quæ quanto perfectior fuerit, tanto propinquius acceditur ad veram filiationis rationem. Dicitur enim Deus alicuius creaturæ Pater, propter ſimilitudinem veſtigij tantum, vtpotè, irrationalium creaturarum, ſecundum illud Iob. 38. Quis eſt pluuiæ Pater? aut quis genuit ſtillas roris? alicuius verò creaturæ, ſcilicet rationalis, ſecundum ſimilitudinem imaginis, ſecundum illud Deuter. 32. Nonne ipſe eſt Pater tuus, qui poſſedit, & fecit, & creauit te? aliquorum verò eſt Pater ſecundum ſimilitudinem gratiæ: qui etiam dicuntur filij adoptiui, ſecundum quod ordinantur ad hæreditatem æternæ gloriæ per munus gratiæ acceptum, ſecundùm illud Roman. 8. Ipſe Spiritus reddit teſtimonium ſpiritui noſtro, quod ſumus filij Dei: ſi autem filij, & hæredes. Aliquorum verò ſecundum ſimilitudinem gloriæ, prout iam gloriæ hæreditatem poſſident, ſecundum illud Roman. 5. Gloriamur in ſpe gloriæ filiorum Dei. Sic igitur patet, quod per prius paternitas dicitur in diuinis, ſecundum quod importatur reſpectus perſonæ ad perſonam, quàm ſecundum quod importatur reſpectus Dei ad creaturam.

Ad primum ergo dicendum, quod communia abſolutè dicta, ſecundum ordinem intellectus noſtri, ſunt priora, quàm propria, quia includuntur in intellectu propriorum, ſed non è conuerſo. In intellectu enim perſonæ Patris, intelligitur Deus, ſed non conuertitur; ſed communia, quæ important reſpectũ ad creaturam, per poſterius dicuntur, quã propria, quæ important reſpectus perſonales, quia perſona procedens in diuinis, procedit vt principiũ productionis creaturarum. Sicut enim verbum conceptum in mente artificis per prius intelligitur

procedere

Aliquorum verò, eſt Pater ſecundùm ſimilitudinem gratiæ, qui etiã dicuntur Filij adoptiui, ſecundùm quòd ordinãtur ad hæreditatem æternæ gloriæ, per munus gratiæ acceptum, ſecundùm illud Rom. 8. Ipſe ſpiritus reddit teſtimonium ſpiritui noſtro, quòd ſumus Filij Dei, ſi autem Filij, & hæredes.

Aliquorum verò, ſecundùm ſimilitudinem gloriæ, pro vt iam gloriæ hæreditatem poſſident, ſecundùm illud Rom. 5. Gloriamur in ſpe gloriæ Filiorum Dei.

Ad primum argumentum reſpondet, diſtinguendo maiorem. *Commune,* quod non reſpicit creaturas, ſecundùm intellectum eſt prius proprio, concedit maiorem. *Commune,* quod importat reſpectum ad creaturas ſecundũ intellectũ, eſt prius proprio, negat maiorem. Similiter diſtinguẽda eſt minor, & neganda eſt conſequentia.

Ad ſecundum argumentum reſpondet, diſtinguendo maiorem. *In his, quæ ſũt eiuſdem rationis* ſecundùm vniuocationẽ, *non eſt prædicatio per prius, & poſterius,* concedit maiorem. *In his, quę ſunt eiuſdem rationis,* ſecundùm ſimilitudinem quamdam remotam, & nõ ſecundùm vniuocationem, non eſt prędicatio per prius, & poſterius, negat maiorem. Similiter diſtinguẽda eſt minor, atquè etiã D. Baſilij authoritas adducta pro eiuſdẽ probatione explicanda; & negãda eſt cõſequẽtia.

Ad

Ad tertium argumentum per idē reſpondet, diſtinguendo maiorem. *Inter ea, quæ non dicuntur ſecundùm rationem vnam*, neque ſecundùm vniuocationē, neque ſecūdùm quamdam ſimilitudinē, ſeù analogiam, *non poteſt eſſe comparatio*, concedit maiorem. *Inter ea, quæ non dicuntur ſecundùm rationem vnam*, ſecundùm vniuocationem, benè tamen ſecundùm ſimilitudinem quamdam, *non poteſt eſſe comparatio*, negat maiorem. Tunc conceſſa, ſeù eodem modo diſtincta minori, neganda eſt conſequentia.

procedere ab artifice, quàm artificiatum quod producitur ad ſimilitudinem verbi concepti in mente, ita per prius procedit Filius à Patre, quàm creatura, de qua nomen filiationis dicitur, ſecundum quod aliquid participat de ſimilitudine filij, vel Patris, vt patet per illud, quod dicitur Roman. 8. Quos præſciuit, & prædeſtinauit fieri conformes imaginis filij eius.

Ad ſecundum dicendum, quod accipere dicitur eſſe commune creaturæ, & filio, non ſecundū vniuocationem, ſed ſecundum ſimilitudinem quādam remotam: ratione cuius dicitur primogenitus creaturæ: vnde in auctoritate inducta ſubditur: vt ſit ipſe primogenitus in multis fratribus, poſtquam dixerat conformes fieri aliquos imaginis filij Dei; ſed filius Dei naturaliter habet quoddam ſingulare, præ alijs, ſcilicet habere per naturam id, quod accipit, vt idem Baſilius dicit: Et ſecundum hoc dicitur vnigenitus, vt patet Ioan. 1. Vnigenitus, qui eſt in ſinu Patris, ipſe nobis enarrauit; & per hoc patet ſolutio ad tertium.

SVPER ARTICVLVM COMMENTARIVM.

1 VTRVM *hoc nomē Pater*; ly, *Pater*, non accipitur pro vt eſt quid, creato, Increatoquè Patri cōmune, ſed ſecundùm quòd ad diuinam dumtaxat, prædicationem pertinet.

2 *Dicatur in diuinis per priùs*; Ideſt, prædicetur per priùs. Vide à num. 4.

3 *Secundùm quòd perſonaliter ſumitur*; ideſt, ſecundùm quòd hoc nomen, *Pater*, conuenit primæ tantummodo in Trinitate perſonæ; an potius per priùs dicatur de Deo, ſecundùm quòd dicitur Pater creaturarum, ſicut cum dicimus *Pater noſter*, *&c.* Vide à num. 4.

4 *Per priùs dicitur nomen de illo in quo ſaluatur tota ratio nominis perfectè, quàm de illo, in quo ſaluatur ſecundùm aliquid*. *Per priùs*, non impoſitiuè, quoniam poteſt eſſe caſus, imò ſępenumero contingere ſolet, vt quis nondùm rectè peritus, imponat aliquod nomen ad ſignificandum aliquid; & poſtmodum à doctioribus, vel ab eodem, ſe ipſo doctiore, propter litterarum, ſyllabarumquè ſtructuram, deriuationeq; aduertatur, quod ad alterius, ſeù altioris formalitatis ſignificationē, tanquàm ad magis proprium ſignificatum eius, opportunius transferendum eſt; quemadmodum re vera, hoc nomē, generatio, priùs impoſitum eſt, ad ſignificandam rerum creatarum viuentium productionem, ſed poſtquàm diuinitùs illuminati, æternam, increatamquè cognouimus Verbi diuini generationem, magis propriè dicitur, ſeù per ſupradictum nomen ſignificatur æterna generatio, quàm temporalis creaturarum viuentium. Quod D. Thomas aduertens art. præced. ad 4. ſic ait; *Apoſtolus dicit ad Epheſios 3. Flecto genua mea ad Patrem Domini mei Ieſu Chriſti, ex quo omnis paternitas in cælo, & in terra nominatur*. Et idem currit de hoc nomine, Pater. Accipitur igitur ly, *per priùs*, non impoſitiuè, neceſſariò, ſed prædicatiuè. D.Thom.

5 *Omnia imperfecta ſumuntur à perfectis*. Vel per acceſſum ad perfecta; Vel per receſſum ab eis. Exempli gratia. Actus creatus, cum non ſit actus purus, eſt actus imperfectus, ideſt, cum potentialitate admixtus; vtrumquè habet à puro actu. Primum quidem, nempè, quòd ſit actus, per acceſſum, ſeù per participationem ab actu puro. Secundum verò, per receſſum à puritate actus.

6 *Sic igitur patet, quòd per priùs paternitas dicitur in diuinis, ſecundùm quòd importatur reſpectus perſonæ ad perſonam, quàm ſecundū quòd importatur reſpectus Dei ad creaturam*. *Per priùs*, duratiuè. Et hoc exprimit in argumento ſed contra, dum ſic ait. *Sed contra eſt, quod æternum, prius eſt temporali. Ab æterno autem Deus eſt Pater Filij; Ex tēpore autem Pater eſt creaturæ. Ergo per prius dicitur paternitas in Deo reſpectu Filij, quàm reſpectu creaturæ.*

7 *Per priùs*, prædicatiuè, & ſecundùm connexionem, & ordinem naturæ. Atque etiam perfectiuè. Et ſenſus eſt, quòd hoc nomen, *Pater*, quod conuenit Deo reſpectu creaturæ; & conuenit primæ perſonę reſpectu ſecundę, prius attribuitur ſecūdùm prædicationem, connexionem, ſeù ordinem naturæ, & ſecundùm perfectionem primæ in Trinitate perſonæ, quàm Deo reſpectu creaturarum. Per prius quidem prædicatiuè, propter propo-

propoſitionem, quam D. Thomas format in corpore, ſic dicens. *Per prius* dicitur nomen de illo, in quo ſaluatur tota ratio nominis perfectè, quam de illo, in quo ſaluatur ſecundùm quid. Sic autem prædicatur hoc nomen, Pater, de perſona Filij diuini, nimirùm primo modo; de creatura verò à tota Trinitate producta, non item, ſed ſecundū aliquid. Cōnexiuè verò, ſeù ſecundùm naturæ ordinē, intimior, & ꝓpriè, eſt ratio paternitatis reſpectu primæ perſonæ, in ordine ad ſecundam genitam, quàm reſpectu Dei in ratione creatoris, ſeù creantis per reſpectum ad creaturas. Perfectiuè tandem, & ſi non ratione virtutis actiuæ; eo quia, quantùm ad hoc, ex æquo, & in creando, & in generando Filiū ad intra, virtus infinita requiritur; tamen ratione termini geniti, eſt infinitè perfectior ratio Patris, pro vt dicitur de prima perſona reſpectu ſecundæ, ratione Patris, pro vt conuenit toti Trinitati reſpectu creaturæ productæ. Etenim Filius a prima Sanctiſſimæ Trinitatis perſona genitus, non eſt quid creatum, ſed increatum, & eiuſdem omninò naturæ cum ſuo genitore; creaturæ verò non ſolùm non ſūt eiuſdem naturæ cùm Deo Creatore, ſed in infinitum à perfectione naturæ Creatoris diſtant.

8 Aduerte hìc, quòd quamuis D. Thomas in argumento *ſed contra*, probet, hoc nomen Pater, per priùs dici de prima perſona reſpectu ſecundæ, quàm de Deo reſpectu creaturarum, per hoc, quòd iuxta primam Patris ſignificationem, *ratio Patris ab æterno conuenit Deo; & in tēpore dicatur creaturarum*, ac proinde, verū ſit, quòd hoc nomen, Pater, per priùs dicitur de Deo, ſecundùm quod ſumitur perſonaliter, per priùs inquam, duratiuè, tamen non ad hoc principalis D. Thomæ tendit intentio, ſed ex hoc deducere implicitè intendit, quòd per prius prædicatiuè, ſecundùm naturæ ordinem, & perfectiuè, hoc nomen, Pater, dicitur in diuinis, ſecundùm quòd perſonaliter ſumitur. Vnde addo, quòd ſi per impoſſibile prius duratione Deus ex ſua liberrima voluntate mundum creaſſet, & deinde genuiſſet intra ſe perſonam Filij, adhuc hoc nomen, Pater, per priùs diceretur prædicatiuè, ſecundùm naturæ ordinem, & perfectiuè, ſecundùm quòd perſonaliter ſumitur, quàm ſecundùm quòd, hoc nomen, Pater, ſumitur eſſentialiter.

D.Thom.

9 Hinc ſolet difficultas ſuper hunc articulum moueri, Vtrum ſcilicet, hoc nomen, Pater, pro vt dicitur de Deo reſpectu rei ad extra creatæ, & pro vt dicitur de prima perſona Trinitatis, reſpectu ſecundę, dicatur vniuocè, analogicè, an potiùs purè æquiuocè? cui difficultati per ſubſequentes concluſiones reſpondeo, vnde,

10 Pro determinatione veritatis; Dico primò. Hoc nomen, Pater, pro vt eſt quid commune in diuinis; ſecundùm quòd ſumitur perſonaliter; & ſecundū quòd accipitur eſſentialiter, non eſt aliquid commune vniuocum.

11 Probatur primò; Quia, vt docet D. Thomas in corp. hoc nomen, Pater, cōuenit Patri ſecundùm quòd perſonaliter accipitur, propriè, & perfectè, ideſt, ſecūdùm propriam, completamquè Patris rationem; Deo verò reſpectu creaturæ, conuenit ſecundùm quid. Ergo non vniuocè. Patet conſequentia; quia quod de pluribus vniuocè dicitur, de omnibus æquè, perfectè, & completè dicitur, & propriè; non autem de vno perfectè, & propriè ſeù ſimpliciter, & de alio ſecundùm quid.

12 Probatur ſecundò, ſeù confirmatur præcedens ratio; quia Deus non dicitur propriè, & ſimpliciter Pater creaturarū, ſed ſecundùm quamdam ſimilitudinem; prima verò perſona Trinitatis, dicitur propriè Pater reſpectu ſecundę perſonę. Ergo. Conſequentia patet. Probatur antecedens; quia creatura producta, nō eſt propriè filia Dei; ſecunda verò Sanctiſſimæ Trinitatis perſona, eſt propria filia primæ perſonæ. Ergo Deus non dicitur propriè Pater creaturæ, & prima Trinitatis perſona, dicitur propriè Pater reſpectu ſecundæ perſonæ. Patet iſta conſequentia; quia ſi Deus diceretur propriè Pater creaturæ, creatura diceretur propriè filia Dei Creatoris. Ergo ſi creatura non dicitur propriè filia Dei Creatoris, neque etiā Deus Creator dicitur propriè Pater creaturæ. Antecedens autem quò ad vtramquè partem eſt omninò certum, vt patet ex diſcurſu D. Thomæ in corp.

13 Dico ſecundò. Nequè dicitur purè æquiuocè hoc nomen, Pater, pro vt eſt quid commune Patri perſonaliter, & eſſentialiter ſumpto.

14 Probatur; Quia nomen, quod purè æquiuocè de pluribus prædicatur, ita ſe habet, quòd non dicitur de vno per participationem ab alio, ſicuti patet, de cane reſpectu canis cœleſtis, terreſtris, & marini. Sed hoc nomen, Pater, in diuinis dictum ſecundùm quòd perſonaliter, & ſecundùm quòd eſſentialiter ſumitur, nō ita ſe habet. Ergo. Maior patet ex logica. Et minor patet ex diſcurſu litterę, & cōcluſione ſequēti etiā declarabitur. Ergo.

Nec

Digitized by Google

Bañes. 15 Nec puto Bañes hîc oppoſitum huius ſuſtinere, per hoc, quòd in principio articuli ſic ait. *Illud nomen, Pater, gemino conceptu dicitur de Deo, perſonaliter, & eſſentialiter. Itaquè æquiuocè iſtud nomen, Pater, accipitur, ſecundùm quòd dicitur de Deo perſonaliter, & eſſentialiter.* Et paucis interiectis; *Sicut*, inquit, *hæc vox homo, quatenùs dicitur de homine viuo, & de homine picto, æquiuocè dicitur, & habet geminum conceptũ propter eamdem rationem.* Nam poteſt intelligi de æquiuocatione non rigorosè accepta, ſed quatenùs æquiuocatio aliquando ſumitur pro vt ſe extẽdit etiam ad analogiam.

16 Nec obſtat exemplum de homine vero, & picto; Eò quia, homo verus, & pictus, poſſunt ſub hoc nomine homo, purè ęquiuocè; & etiam analogicè conuenire. Namquè ſi accipiatur homo pictus, pro vt dicit carentiam veræ humanitatis, ſic homo dicitur purè æquiuocè de homine vero, & picto. Si autẽ ſumatur homo pictus, ſecundùm quòd aliqualiter homini vero aſſimilatur, ſic, homo, dicitur analogicè, & non purè ęquiuocè de homine picto, & vero. Loquitur igitur de ęquiuocatione, ſecundùm quòd cõceptuum diuerſitatem inuoluit, non autem de ęquiuocatione rigorosè accepta.

17 Dico tertiò. Hoc nomen, Pater, ſecundùm quòd dicitur in diuinis perſonaliter, & eſſentialiter eſt quid analogum.

18 Non loquor de illo analogię genere, in quo vna, eademquè ratio formalis in quocumque analogato propriè ſaluatur, ſicuti ens dicitur analogicè de Deo, & creaturis; de ſubſtantia, & accidente, ſed de eo dumtaxat, quod de primo analogato dicitur propriè, de alijs verò analogatis per ſimilitudinem ad analogatũ primum.

19 Probatur; quia ſecunda perſona Sanctiſſimę Trinitatis ità dicitur propriè Filius Patris, vt de hoc Filio Ioan. 1. dicatur vnigenitus. *Deum*, dicit Ioannes, *nemo vidit vnquàm. Vnigenitus Filius, qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarrauit.* Ergo ſola prima perſona dicitur in diuinis propriè Pater; Deus autem reſpectu creaturæ, nequaquàm. Conſequentia patet; quia ſi Deus diceretur propriè, & æqualiter Pater creaturarum, ſicuti prima perſona vocatur propriè Pater Verbi, Verbũ diuinum non deberet dici vnigenitum, ſed primogenitum, ſi primogenitura ſumatur, prout dicit ordinẽ ad ſecundum. Ioan. 1.

Rom. 8. 20 Item. Dicitur ad Rom. 8. *Quicumquè enim ſpiritu Dei âguntur, ij ſunt filij Dei. Non enim accepiſtis ſpiritum ſeruitutis iterum in timore, ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba (Pater) ipſe enim ſpiritus teſtimoniũ reddit ſpiritui noſtro, quod ſumus filij Dei. Si autem Filij, & hæredes; Hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti.* Et eodem cap. Ille Filius Dei, qui à Ioanne cap. 1. dictus eſt *vnigenitus*, vocatur primogenitus, his verbis. *Quos præſciuit, & prædeſtinauit coformes fieri imaginis Filij ſui, vt ſit ipſe primogenitus in multis fratribus.* Et ad Coloſſ. 1. dicitur; *Qui eſt imago Dei inuiſibilis, primogenitus omnis creaturæ.* Ergo Verbum Dei, ſeù hoc nomen Filius, reſpectu ſecundæ perſonæ, & reſpectu creaturæ à Deo productæ dicitur analogicè. Patet conſequentia; quia analogicè dicuntur ea, quorum ſignificatum completè dicitur de primo analogato, incompletè verò, & ſecundum quid, de alijs. Sic eſt in caſu noſtro, cum creaturæ conueniat ratio Filij Dei, per conformitatem, participationem, & ſimilitudinem ad filiationem Verbi diuini à Patre æterno geniti. Coloſſ. 1.

21 *Communia abſolutè dicta ſecundùm ordinẽ intellectus noſtri, ſunt priora, quàm propria.* *Sunt priora*, non ſecundùm conceptum adæquatum, neque ſecundùm ordinem intellectus Deum intuẽtis, ſed ſunt priora ſecundùm ordinem intellectus noſtri inadæquatè diuina concipientis. Vnde ſunt priora, non prioritate intuitionis, ſed prioritate præciſionis.

22 *Communia abſolutè dicta.* Ideſt, quæ toti Trinitati conueniunt, vt in ſe eſt. Vnde ly, *abſolutè*, accipitur pro vt diſtinguitur à ly, *relatiuè*.

23 *Sunt priora, quàm propria.* Ideſt, intimiora ſecundùm noſtrum intelligendi modum. Vnde meritò rationem prioritatis ſic aſſignat, dicens, quia includuntur in intellectu propriorum, ſed non è conuerſo.

24 *Sed communia, quæ important reſpectum ad creaturam, per poſteriùs dicuntur, quàm propria, quæ important reſpectus perſonales.* Ideſt, reſpectus perſonales in diuinis ſunt priores reſpectibus Dei ad creaturas; eò quia primi ſunt rationes ſecundorum; quia ſcilicet, perſona procedens in diuinis, procedit vt principium productionis creaturarum.

25 *Sed communia, quę important reſpectum ad creaturam per poſteriùs dicuntur, quàm propria.* Obſerua, quòd de facto loquendo, reſpectus Dei ad creaturas ſunt in tempore; reſpectus verò perſonæ diuinæ generantis ſecundam in Trinitate perſonam, ſunt æterni. Vnde Deus in tempore dicitur Pater creaturæ, ſicuti in tẽpore producit creaturam; dicitur verò prima perſona Pater, ab æterno, ſicut ab æterno Verbum ſibi conſubſtantialiter generauit.

His

Digitized by Google

26 His addo, quòd ſi Deus ab eterno Angelum produxiſſet, adhùc reſpectu Angeli dictus fuiſſet Pater ab æterno. Hoc, videlicet, modo; Si Angelus in eodem æternitatis ſigno concepiſſet Deum, vt de facto relatum ad ipſummet Angelũ creatum, ab æterno fuiſſet reſpectus rationis Dei ad talem Angelum. Si autẽ nullus fuiſſet huius relationis conceptus formatus ab Angelo, neque etiam reſpectus rationis Dei ad Angelum ab æterno creatum, ab æterno fuiſſet. Fuiſſet tamen Pater ab æterno, non ratione ſupradicti reſpectus rationis, ſed ratione relationis realis Angeli ad Deum, & ratione creationis ab æterno ab ipſomet Angelo producto terminatę.

27 *Sed communia, quæ important reſpectum ad creaturam, per poſteriùs dicuntur &c.* Si ſermo ſit nõ de reſpectibus formalibus, ſed fundamentalibus, puta, de ipſis actibus æternis, dicendum eſt, in diuinis nullam dari prioritatem, in quo, niſi ſecundùm ordinem præciſionis, noſtræquè imcompletæ conceptionis. Et in hoc ſenſu interpætandi ſunt Thomiſtæ, quando dicere ſolent, quòd aliquod prędicatum Dei, eſt alio priùs.

ARTICVLVS QVARTVS.

Vtrum eſſe ingenitum ſit Patri proprium.

AD quartum ſic proceditur, videtur quod eſſe ingenitum, non ſit Patri proprium: omnis enim proprietas ponit aliquid in eo, cuius eſt proprietas; ſed ingenitus nihil ponit in Patre, ſed remouet tantum: ergo nõ ſignificat proprietatem Patris.

2 *Præterea. Ingenitum, aut dicitur priuatiuè, aut negatiuè. Si negatiuè, tunc quicquid non eſt genitum, poteſt dici ingenitum; ſed Spiritus ſanctus non eſt genitus, neque etiam eſſentia diuina: ergo ingenitum etiam eis conuenit, & ſic non eſt proprium Patri. Si autem priuatiuè ſumatur, cum omnis priuatio ſignificet imperfectionem in priuato, ſequitur, quod perſona Patris ſit imperfecta, quod eſt impoſſibile.*

3 *Præterea. Ingenitus in diuinis non ſignificat relationem, quia non dicitur relatiuè: ſignificat ergo ſubſtantiam; ingenitus igitur, & genitus ſecũdum ſubſtantiam differunt. Filius autem, qui eſt genitus non differt à Patre ſecundùm ſubſtantiam: Pater ergo non debet dici ingenitus.*

4 *Præterea. Proprium eſt, quod vni ſoli conuenit, ſed cum ſint plures ab alio procedentes in diuinis, nihil videtur prohibere, quin etiam ſint plures ab alio non exiſtentes: non igitur eſt propriũ Patri eſſe ingenitum.*

5 *Præterea. Sicut Pater eſt principium perſonę genitæ, ita & perſonæ procedentis: ſi ergo propter oppoſitionem, quam habet ad perſonam genitam, proprium Patris ponitur eſſe, quod ſit ingenitus: etiam proprium eius debet poni, quod ſit improceſſibilis.*

Sed contra eſt, quod dicit Hilar. 4. de Trinitate: Eſt vnus ab vno, ſcilicet ab ingenito genitus, proprietate videlicet in vnoquoque, & innaſcibilitas, & originis.

Reſpondeo dicendum, quod ſicut in creaturis

inue-

FORMATIO ARTICVLI.

BIpartita eſt corporis diſtributio. In vna enim parte ponit concluſionem; in altera probationem. Quò ad vnam, concluſio implicitè à D. Thoma poſita, & abſquè verborum multiplicatione, & in corpore poſitis manifeſtiſſimè intelligitur, eſt iſta. Eſſe ingenitum eſt Patri proprium.

Quò ad alteram corporis partem, probatio eſt iſta. *Cui proprium eſt, eſſe principiũ de non principio, ei proprium eſt eſſe ingenitũ: ſed Patri in diuinis proprium eſt eſſe principiũ de non principio. Ergo Patri eſt proprium eſſe Ingenitum.* Cõſequẽtia ſequitur ex præmiſſis. Probat verò minorem. Quia *ſicut in creaturis inuenitur principium primum, & principium ſecundum, ita in perſonis diuinis, in quibus non eſt prius, & poſterius, inuenitur principium non de principio, quod eſt Pater; & principium à principio, quod eſt filius.* Probat verò maiorem. Quia *in rebus creatis aliquod principium primum innoteſcit dupliciter. Vno quidem modo, in quantũ eſt principium primum, per hoc, quòd habet relationem ad ea, quæ ab ipſo ſunt. Alio modo, in quãtùm eſt primũ principium, per hoc, quòd nõ eſt ab alio:* Sed Pater in diuinis habet iſta duo, nempè eſſe principiũ, & eſſe primũ. *Sic igitur Pater innoteſcit quidem paternitate, & communi ſpiratione per reſpectum ad perſonas ab eo procedentes; in quantùm autem eſt principium non de principio, innoteſcit per hoc, quòd non eſt ab alio.* Tunc vltra; ſed *hoc pertinet ad proprietatẽ innaſcibilitatis, quã ſignificat hoc nomen, Ingenitus.* Ergo.

Ad primum argumentum reſpondẽs, tria facit; Primò, refert quorumdam reſponſionẽ, eamquè

vt

Digitized by Google

vt non veram impugnat. Secundò, declarat quid propriè hoc nomen, Ingenitum, ſignificat in diuinis; Et tertiò, ſatisfacit argumento.

Quò ad primum, ſic ait, *Quidam dicũt, quòd innaſcibilitas, quã ſignificat hoc nomen, Ingenitus, ſecundùm quòd eſt proprietas Patris, non dicitur tantum negatiuè, ſed importat, vel vtrumquè ſimul, ſcilicet, quòd Pater à nullo eſt, & quòd eſt principium aliorum, vel importat vniuerſalem authoritatem, vel etiã fontalem plenitudinem.*

Impugnat autem hanc reſponſionem, ſic dicens. *Sed hoc non videtur verum; quia ſic, innaſcibilitas non eſſet alia proprietas à paternitate, & ſpiratione, ſed includeret eas, ſicut includitur propriũ in communi. Nam fontalitas, & authoritas, nihil aliud ſignificant in diuinis, quàm principium originis.*

Quò ad ſecundum, ſic ait. *Et ideo dicendum eſt ſecundùm Auguſtinum de Trinit. quòd ingenitus, negationem generationis paſſiuæ importat. Dicit enim, quòd tantùm valet, quod dicitur ingenitus, quantùm valet, quod dicitur non Filius.*

Quò ad tertium, ſic ait. *Nec propter hoc ſequitur, quòd ingenitus non debeat poni propria notio Patris; quia prima, & ſimplicia per negationes notificantur. Sicut dicimus punctum eſſe id cuius pars non eſt.* Vnde.

Reſponſio ſic in forma proponitur. Omnis proprietas ponit aliquid explicatiuè, ſeu explicitè,

inuenitur principium primum, & principium ſecundum: ita in perſonis diuinis, in quibus non eſt prius, & poſterius, inuenitur principium non de principio, quod eſt Pater, & principium à principio, quod eſt Filius. In rebus autem creatis aliquid principium primum innoteſcit dupliciter, vno quidem modo, inquantum eſt principium primũ, per hoc, quod habet relationem ad ea, quæ ab ipſo ſunt, alio modo, in quantum eſt primum principium, per hoc, quod non eſt ab alio: Sic igitur, & Pater innoteſcit quidem paternitate, & communi ſpiratione per reſpectum ad perſonas ab eo procedentes. In quantum autem eſt principium non de principio, innoteſcit per hoc, quod non eſt ab alio; quod pertinet ad proprietatem innaſcibilitatis, quàm ſignificat hoc nomen ingenitus.

Ad primum ergo dicendum quod quidam dicunt, quod innaſcibilitas, quam ſignificat hoc nomen, ingenitus, ſecundum quod eſt proprietas Patris, non dicitur tantum negatiuè, ſed importat, vel vtrumque ſimul, ſcilicet quod Pater à nullo eſt, & quod eſt principium aliorum, vel importat vniuerſalem auctoritatem, vel etiam fontalem plenitudinem; ſed hoc non videtur verum, quia ſic innaſcibilitas non eſſet alia proprietas à paternitate, & ſpiratione, ſed includeret eas, ſicut includitur proprium in communi: nam fontalitas, & authoritas, nihil aliud ſignificant in diuinis, quam principium originis; & ideò dicendum eſt ſecundum Auguſt. 5. de Trinitate, quod ingenitus negationem generationis paſſiuę importat: dicit enim, quod tantum valet, quod dicitur ingenitus, quantum valet, quod dicitur non filius, nec propter hoc ſequitur, quod ingenitus non debeat poni propria notio Patris, quia prima, & ſimplicia per negationes notificantur. Sicut dicimus punctum eſſe, cuius pars non eſt.

Ad ſecundum dicendum, quod ingenitum quandoque ſumitur negatiuè tantum; & ſecundum hoc Hier. dicit Spiritum ſanctum eſſe ingenitum, ideſt non genitum, alio modo poteſt dici ingenitum, aliquo modo priuatiuè, non tamen aliquam imperfectionem importat. Multipliciter enim dicitur priuatio: vno modo, quando aliquid non habet, quod natum eſt haberi ab alio, etiam ſi ipſum non ſit natum habere illud; ſicut ſi lapis dicatur res mortua, quia caret vita, quam quædam res natæ ſunt habere: alio modo dicitur priuatio, quando aliquid non habet, quod natum eſt haberi ab aliquo ſui generis, ſicut ſi talpa dicatur cæca: tertio modo, quando ipſum non habet, quod natum eſt habere, & hoc modo priuatio imperfectionem importat. Sic autem ingenitum, non dicitur priuatiuè de Patre, ſed ſecundo modo, prout ſcilicet aliquod ſuppoſitum diuinæ naturæ non eſt genitũ, cuius tamen naturæ aliquod ſuppoſitum eſt genitum; ſed ſecundum hanc rationem, etiam de Spiritu ſancto poteſt dici ingenitum: vnde ad hoc, quod ſit proprium ſoli Patri, oportet vlterius in nomine ingeniti intelligere, quod conueniat alicui perſonæ diuinæ, quæ ſit principium alterius perſonæ, vt ſic intelligatur importare negationem in genere

aut præſuppoſitiuè, ſeù arguitiuè, in eo cuius eſt proprietas, concedit maiorem.

Omnis proprietas ponit aliquid explicatiuè, ſeù explicitè, & non aliquando preſuppoſitiuè, aut arguitiuè &c. negat maiorem. Similiter diſtinguenda eſt minor; & neganda eſt conſequentia.

Vel ſecundò reſpondet, negando maiorem vniuerſaliter; Nam ſunt quædam ſimplicia, quæ neceſſariò explicantur per negationem, vt patet de puncto in linea.

Ad ſecundum argumentum reſpondet, & reſponſio cõſiſtit in hoc; Quomodocumq; ſumatur eſſe ingenitum, eſt proprium Patri, dummodo rectè explicetur; vlterius ſuperaddit, nempè quòd in nomine ingeniti intelligatur perſona diuina, quæ ſit principium alterius perſonæ. Vel vt intelligatur in nomine ingeniti, quòd omninò non ſit ab alio, & non ſolùm, quòd non ſit ab alio per generationem. Qua explicatione poſita, patet nullas eſſe argumenti ſequelas. Vnde in forma diſtinguo dilemmatis primi maiorem. *Quidquid non eſt genitum*, ideſt nullo modo procedens, *poteſt dici ingenitum*, concedo maiorem. *Quidquid non eſt genitum*, ideſt, non per generationem productum, *poteſt dici ingenitum*, in ſenſu noſtro, negat maiorem. Similiter diſtin-

Digitized by Google

guenda eſt minor ; & neganda eſt conſequentia.

Vel iuxta primam explicationem à D. Thoma poſitam, diſtinguendo maiorẽ. *Quicquid non eſt genitum*, eſt tamen alterius perſonæ principium, *poteſt dici ingenitum* in ſenſu noſtro, concedit maiorem. *Quidquid non eſt genitum*, neque tamen eſt alterius perſonę principium, poteſt dici ingenitum in ſenſu noſtro, negat maiorem. Similiter diſtinguenda eſt minor; & neganda eſt conſequentia. Nam Spiritus ſanctus non eſt alterius perſonæ principium, neque eſt omnino non procedens. Et natura diuina licèt nullo modo procedat, non tamen eſt alicuius perſonę productiuum principiũ.

Ad ſecundi dilemmatis probationem reſpondet, diſtinguẽdo ſequelam. *Si priuatiuè ſumatur*, tertio modo in reſponſione poſito, *ſequitur, quòd perſona Patris ſit imperfecta*, concedit ſequelam. Si ſecundo modo, negat ſequelam. Tunc conceſſa minori, negat conſequentiam.

Ad tertium argumentum reſpondet, diſtinguendo, ſeù explicando antecedẽs. *Ingenitus in diuinis non ſignificat relationem*, ſignificat verò aliquid ſpectans ad relationem, concedit antecedens. *Non ſignificat relationem*, nec aliquid ſpectans ad relationem, negat antecedens. Ergo &c. negat conſequẽtiam, ſeù conſequẽtias.

Vel ſecundò ſub his terminis. *Ingenitus in diuinis non ſignificat relationem*, formaliter, & explicitè, cõcedit antecedens ; Reductiuè, & implicitè, negat antecedens. Ergo &c. negat conſequentias.

Ad quartum argumentum reſpondet, concedendo maiorem, & negando minorem ; & ratio negationis legatur in textu.

Ad quintum argumentum reſpondet, concedendo antecedens ſimul cum conſequentia ; ſed nihil contra concluſionis intentum. Quia, per ly, *Ingenitus*, explicatur, *proprietas Patris*, *pro vt non eſt ab alio*. Quæ quidẽ proprietas licèt poſſit per rationem improceſſibilis ſignificari, ſicut per rationem ingeniti ; Tamen, *potiùs ſignificatur per remotionẽ natiuitatis Filij, quàm per remotionem proceſſionis Spiritus ſancti*. *Tum quia &c.* Vide diſparitates in littera.

nere principij perſonaliter dicti in diuinis ; vel vt intelligatur in nomine ingeniti, quod omnino non ſit ab alio ; & non ſolum, quod non ſit ab alio per generationem. Sic enim nec Spirituiſancto conuenit eſſe ingenitum, qui eſt ab alio per proceſſionem, vt perſona ſubſiſtens : nec etiam diuinæ eſſentiæ, de qua poteſt dici, quod eſt in Filio, vel in Spiritu ſanctò ab alio, ſcilicet à Patre.

Ad tertium dicendum, quod ſecundum Damaſc. Ingenitum vno modo ſignificat idem, quod increatum, & ſic ſecundum ſubſtantiam dicitur, per hoc enim differt ſubſtantia creata ab increata, alio modo ſignificat id, quod non eſt genitum ; & ſic relatiuè dicitur eo modo, quo negatio reducitur ad genus affirmationis : ſicut non homo ad genus ſubſtantiæ, & non album ad genus qualitatis : vnde cum genitum in diuinis relationem importet, ingenitum etiam ad relationem pertinet ; & ſic non ſequitur, quod Pater ingenitus diſtinguatur à Filio genito ſecundum ſubſtantiam, ſed ſolum ſecundum relationem, inquantum ſcilicet relatio Filij negatur de Patre.

Ad quartum dicendum, quod ſicut in quolibet genere oportet ponere vnum primum, ita in diuina natura oportet ponere principium, quod non ſit ab alio, quod ingenitum dicitur. Ponere igitur duos innaſcibiles, eſt ponere duos Deos, & duas naturas diuinas : vnde Hilar. dicit in lib. de Synodis. Cum vnus Deus ſit, duo innaſcibiles eſſe non poſſunt ; & hoc præcipuè, quia ſi eſſent duo innaſcibiles, vnus eorum non eſſet ab alio ; & ſic non diſtinguerentur oppoſitione relatiua. Oporteret igitur, quod diſtinguerentur diuerſitate naturæ.

Ad quintum dicendum, quod proprietas Patris, prout non eſt ab alio, potius ſignificatur per remotionem natiuitatis Filij, quam per remotionem proceſſionis Spiritus ſancti. Tùm quia proceſſio Spiritus ſancti non habet nomen ſpeciale, vt ſupra dictum eſt, tùm quia etiam ordine naturæ præſupponit generationem Filij : vnde remoto à Patre, quod non ſit genitus, cum tamen ſit principium generationis ſequitur conſequenter, quod non ſit procedens proceſſione Spiritus ſancti, quia Spiritus ſanctus non eſt generationis principium, ſed à genito procedens.

SVPER ARTICVLVM COMMENTARIVM.

1 INgenitum, accipitur pro vt eſt aliquid, ſiuè negatiuum, ſiuè priuatiuum, pertinens ad rationem principij primi, quatenùs idem ſonat, ac non eſſe ab alio.

2 *Proprium*, accipitur, pro vt *diſtinguitur contra commune* (vt rectè Caietanus obſeruat) quatenùs *excludit non ſolùm alias perſonas diuinas*, *ſed etiam naturam ipſam*. Caietan.

In

3 *In creaturis inuenitur principium primum ; & principium ſecundum . Inuenitur principium primum,* non ſimpliciter ; quoniam hoc omninò repugnat creaturæ, ſed in aliquo genere V. G. Sol ſolet cauſa prima, ſeu primum principium nuncupari in ordine ad cauſas particulares , & homo ſolet dici cauſa ſecunda , ſeù principium ſecundum.

4 In reſponſione ad primum . *Ingenitus negationem generationis paſſiuæ importat .* Vbi videtur excludere omnem principij poſitiuam rationem . Circa quod , dubium occurrit. Quia in reſponſione ad ſecundum ait , ad hoc *quòd ingenitum ſit proprium ſoli Patri , oportet vlterius in nomine ingeniti, intelligere , quòd conueniat alicui perſonę diuinæ, quę ſit principium alicuius perſonæ .* Ergo de ratione ingeniti eſt , ſecũdùm quod eſt proprietas Patris , quod non dicatur tantùm negatiuè , ſed importet vtrumquè, negatiuum ſcilicet, & poſitiuum.

5 Reſpondetur, concedendo antecedẽs, & negando conſequentiam; & ratio negationis eſt ; quia D. Thomas non ait , quòd vt ingenitum ſit proprium Patri ex ſuo proprio, ac formali ſuo ſignificato ſignificet rationem principij alterius perſonæ diuinæ productiui ; ſed tantummodò dixit , vt patet ad 2. quòd *oportet vlteriùs in nomine ingeniti intelligere, quòd cõueniat alicui perſonæ diuinæ , quæ ſit principiũ alterius perſonæ .* Ita quòd eſſe principium alterius perſonæ , intelligitur in nomine ingeniti, & non formaliter , & explicitè , ſed fundamentaliter , ſeù præſuppoſitiuè , aut ad minùs connexiuè. Taliter vt ſenſus ſit, quòd eſſe ingenitum, quod de ſe negatiuè, aut priuatiuè ſumitur , dicitur eſſe proprium illi perſonæ, quæ præſupponitur, eſſe alterius perſonæ productiua ; Vel eſſe ingenitum vt ſit Patri proprium, debet eſſe coniunctum , ſeù concomitans eum, & in perſona alterius perſonæ productiua .

6 In reſponſione ad 2. obſerua , quòd reſponſio , vt in reſponſionis formatione inſinuaui , non ſequitur alteram dilẽmatis partem , altera omninò reiecta ; ſed conſiſtit in hoc; Accipiatur ly, *ingenitum,* quomodocumquè placet arguenti, ſiuè negatiuè, ſiuè priuatiuè, ſemper eſſe ingenitum eſt Patri proprium , dummodo altera ex D. Thomæ expoſitionibus explicetur.

7 In reſponſione ad 4. pro ijs, quæ infra de Spiritus ſancti à Patre, Filioquè proceſſione dicemus , diligenter obſerua ; quantæ veritatis ſit, quod in diuinis omnia ſunt vnum, vbi non obuiat relationis oppoſitio ; nam ſi in diuinis eſſent duo innaſcibiles , eſſet ponere duos Deos , & duas naturas diuinas , vt D. Thomas hìc in reſponſione ad quartum affirmat , atquè authoritate D. Hilarij in libro de Synodis cõfirmat . *Cum,* inquit, Hilarius, *vnus Deus ſit, duo innaſcibiles eſſe non poſſunt .* Cuius rationem reddit D. Thomas ſic dicens . *Et hoc præcipuè , quia ſi eſſent duo innaſcibiles, vnus eorum non eſſet ab alio . Et ſic non diſtinguerentur oppoſitione relatiua . Oporteret igitur , quòd diſtinguerentur diuerſitate naturæ .* Ecce igitur, quomodo in diuinis omnia ſunt vnum , vbi non obuiat relationis oppoſitio . Nam ſi daretur diſtinctio , & non per oppoſitionem relatiuam, eſſet diſtinctio in natura.

D. Hilar.

8 Ex quo etiam patet, quod non ſufficit oppoſitio diſparata ; quoniam, ſi in diuinis eſſent duo innaſcibiles , & ambo producentes, ſeù generantes , adhùc opponerentur oppoſitione relatiua diſparata: & nihilominus D. Hilarius , & D. Thomas, irretragabiliter arguunt , quòd ſi in diuinis eſſent duo innaſcibiles, eſsẽt quoquè duo Dij , non obſtante ; quòd duo innaſcibiles opponerentur oppoſitione relatiua diſparata .

9 In reſponſione ad quintum . *Proceſſio Spiritus ſancti etiam ordine naturæ præſupponit generationem Filij .* Dubium occurrit ; quia vbi non datur prioritas naturæ, ibi ordine naturæ vnum non præſupponit alterum : ſed in diuinis non datur prioritas naturæ . Ergo in diuinis vna proceſſio ordine naturæ non præſupponit alteram. Ergo non rectè D. Thomas ait, quòd proceſſio Spiritus ſancti ordine naturæ præſupponit generationem Filij.

10 Reſpondetur, diſtinguendo, ſeù explicando maiorem . Vbi non datur prioritas naturæ, ibi ordine naturæ , vnũ realiter non præſupponit alterum, concedo maiorem . Ibi ordine naturæ vnum ſecundùm noſtrum imperfectum, ſeù inadæquatum intelligendi modũ &c. nego maiorem . Tunc conceſſa minori, nego conſequentiam . Et ratio negationis eſt; quia D. Thomas non dixit, quòd ordine naturæ proceſſio Spiritus ſancti , in aliquo ſigno reali præſupponit generationem Verbi, ſed debet intelligi , vt in præſenti, & infra, ſcilicet.

11 *Ordine naturæ præſupponit generationem Filij .* Præſupponit ordine naturæ à nobis imperfectè concepto . Præſupponit , inquam, non in aliquo ſigno, ex reali ordine naturæ proueniente . Etenim in diuinis ordo naturæ , in ſe nullam prioritatem, aut poſterioritatem dicit , arguit, aut includit ; ſed pro vt nihil aliud dicit , quàm à quo alius ; & qui ab alio . Filius procedit ab vna perſona ; Spiritus

Digitized by Google

ſanctus à duabus; Pater verò à nullo eſt factus, nec creatus, nec genitus, nec procedens. Et etiam in aliquo ſigno præciſionis.

DISPVTATIO CLXXIX.

QVOMODO HOC NOMEN, INGENITVM, ſit proprium nomen Patris.

Per vnicum caput expedita.

CAPVT VNICVM.

Ponuntur plures Ingeniti ſignificationes, & exinde colligitur determinatio veritatis.

1 HAEc particula, Ingenitus, cum ſecundùm plures ſignificationes impoſita fuerit, videtur eſſe nomen æquiuocum, & quia, quæ inter æquiuoca numerantur, vt ad veritatis conferant cognitionem, priùs ſunt diſtinguenda; ideo,

2 Dicendum eſt, quòd hoc nomen, Ingenitum, quod etiam D. Cyrillus Alexandrinus lib. 1. thæſau. cap. 3. inter nomina æquiuoca collocauit, tribus modis accipi poteſt. Primò, vt illud dicatur ingenitum, quod non eſt factum, nec aliquo modo productum per creationem; ità quòd illud, quod correſpondet ingenito, ſub nomine geniti, dicatur factum, ſeu creatum. Secundò, Ingenitum illud ſignificat, ſeu ſignificare ſolet, quod eſt quidem ab alio tanquàm à principio, non tamen per generationem. Et tertiò, Ingenitum illud ſignificat, & ſignificare ſolet, quod non eſt ab alio principio, neque per generationem, neque per ſpirationem, neque per aliquam aliã emanationem, ſiuè creatã, ſiuè increatam; neque per communicationem.

Cyrillus Alexand.

3 Loquendo de ingenito iuxta primam acceptionem, dicendum eſt, quòd eſſe ingenitum non eſt proprium Patris.

Probatur; quia eſſe ingenitum iuxta huiuſmodi ſignificationem, non eſt aliud, niſi eſſe increatum: ſed eſſe increatum non eſt propriũ Patris, vt in Symbolo Athanaſij canit Eccleſia, dicens. *Increatus Pater, Increatus Filius, Increatus Spiritus ſanctus.* Ergo.

Athan.

4 Et hinc habetur ratio, quare nonnulli Sancti Patres hanc vocem Ingeniti non admittebant in perſona Patris. Vnde D. Athanaſius oratione 2. contra Arrianos multò ante medium; & de decretis Nicenæ Synodi, circa finem, ſic ait. *Ab Ethnicis, nomen Ingeniti mutuo ſumendum arbitrati ſunt, vt per occaſionem huius vocabuli inter facta, & creata, Dei Verbum omnium creaturarum intexerent, & euſdem claſſis efficerent: ita ſunt ad impietatem effrontes, & in blaſphemando Domino pertinaces.* Et poſt multa, *Præclari*, inquit, *viri, & promptæ impietatis, non cura honorandi numinis, ſed odij in ſeruatorem hoc vocabulum: Ingeniti, adinuenerunt.*

Athan.

5 Et idem Athanaſius vbi ſupra conſulit, vt potiùs nomine Patris vtamur, quã nomine ingeniti, ſic dicens. *Si illis cura numinis, aut benedicendi fuiſſet, oportuerat eos (quod quidem, & melius fuiſſet) primum agnoſcere Deum Patrem eſſe, eumquè hoc nomine potius, quàm illo prædicare: quoniam quum Deum Ingenitum, hoc eſt, non factum appellant ex rebus factis, vt iam dixi illum conditorem deſignant; quò Verbum pro ſua libidine factitium eſſe quidam declarent.* Et poſt multa ſic ait. *Illud enim in ſcripturis* (ideſt nomen ingeniti) *non reperitur, & ſuſpectum eſt, cum multiplicem habeat ſignificationem.* Et poſt pauca ſic ait. *Rurſum illud vocabulum, Ingeniti, apud Ethnicos reperitur, qui Deum non norunt.*

D. Athan.

6 Dicit apud Ethnicos, ideſt, apud Philoſophos. Philoſophi enim Gentiles de Philoſophia non rectè ſentientes, dicebant materiam eſſe ingenitam. Idem dicit D. Baſilius, cuius verba num. 10. & 13. referemus.

7 Et D. Cyrillus lib. 1. Theſaur. cap. 2. eodem modo intelligit Ingenitum, ſic dicens. *Si ergo neceſſaria eſt fidelibus Sanctę Trinitatis cognitio; & qui Patrem dicit, Filium intelligit, per quem Pater eſt; Quia verò*

D. Cyrill.

Inge-

Digitized by Google

Ingenitum appellat, genita, & facta ex oppoſito videt, à quibus neceſſariò, qui factus non eſt diſtinguitur.

8 Ex quibus verbis clarè colligitur, quòd in tantùm ſancti præfati Patres, & etiam nonnulli alij, Patrem Ingenitum proprium Patris eſſe negant, in quantũ hæretici præſertim Arriani, nomine Ingeniti, intelligebant increatum, & nomine geniti, creatum. Vnde ſuam fundabant impietatem, dicentes, quòd cum ſit ſoli Patri proprium eſſe Ingenitum, Verbum, quod à Patre diſtinguitur, eſt genitum, ideſt, factum, ſeù creatum.

9 Et hinc quoquè eſt, quòd quidã Sancti Patres Verbum diuinum Ingenitum, appellarunt. Ita Sanctus Ignatius Martyr relatus à D. Athanaſio Epiſt. de cõc. Arimin. & Seuleciæ. (D. Ignat. D. Athan.) Sic enim Athanaſius Ignatium dixiſſe refert. *Perſuaſum habemus Beatum Ignatium rectè ſcripſiſſe, genitum illum, ob carnem appellantem; eò quod Chriſtus caro factus ſit: Ingenitum verò, hoc eſt, non factum, quoniam creatura non ſit, ſed Filius à Patre.* Et idem Athanaſius orat. contra Arrianos (D. Athan.) non parùm ante mediũ ſic ait. *Si autem ea ratione interrogent, quo Ingenitum id habeatur, quod factum non eſt, & ſemper eſt; audiant non ſemel, ſed ſæpiùs etiam Filium pro iſta acceptione ingenitum dici. Non enim ex genere factitiorum eſt, neque opus aliquod, ſed æternaliter cum Patre coexiſtit.*

10 Quòd ſi quis dicat, hæc vox, Ingenitum, à Sanctis Patribus reijcitur vt ſuſpecta. Ergo nõ rectè deinde ijdẽ, vel alij SS. Patres (D. Baſil.) Verbum Dei Ingenitum appellarunt. Antecedens patet; quia D. Baſilius lib. 1. contr. Eunomium ſic de hac voce fatur; *Velut nuſquàm in ſcriptura ſitam, & primum impietatis ipſorum* (ſubaudi Arrianorum) *elementum, meritò ſilentio dignam eſſe dixerim*. Et D. Ambroſius lib. (D. Ambr.) de Incarnationis Sacramento, ſic ait. *Primò omnium in diuinis ſcripturis, Ingenitus, nuſquam inuenio, non legi, non audiui.* Hoc idem nonnulli alij Sancti Patres dicunt. Conſequentia patet; quia non debemus vti nominibus (præſertim cum de diuinis loquimur) à Sanctis Patribus reiectis, & anathematizatis.

11 Reſpondetur, diſtinguendo, ſeù potiùs explicando antecedens. Hæc vox, pro vt ab Hæreticis callidè vſurpatur, à Sanctis Patribus reijcitur vt ſuſpecta, cõcedo antecedens. Hæc vox, ſecundùm ſuam puram ſignificationem, & quatenùs ab Eccleſia, à Sanctis Patribus, atque etiam à Theologis propter diuina manifeſtanda perſonarum arcana, à Sanctis Patribus reijcitur, vt ſuſpecta, nego antecedens. Ergo &c. ſimiliter diſtinguẽdum eſt conſequens.

12 Diſtinctio hæc ab ipſis Sanctis Patribus inſinuatur. Nam D. Athanaſius de (D. Athan.) decretis Nicenæ Synodi, ſic ait. *Satis demonſtratum eſt, & liquidò apparet, ſcriptam Synodi rectam ſententiam continere, & Arrianorum voculas friuolas eſſe, & ſcopum eorum malitioſum, quum illi hoc vocabulo, Ingeniti,* quod (nota) *probæ ſignificationis eſt, & cũ pietate vſurpari poſſit, pro animi ſui conceptu, proquè libidine ſua ad contumeliam Saluatoris abutantur &c.*

13 Et D. Baſilius lib. 1. contra Eunomiũ (D. Baſil.) poſt principium, ſic ait. *Ego autem etiam Ingeniti, ſiuè Innaſcibilis appellationem, quãuis ſummoperè* (nota) *cogitationibus noſtris congruat, tamen quoniam nullo loco in Scriptura ipſam inuenio &c.* Ecce igitur, quomodo hæc vox, *Ingenitum*, eſt ſuſpecta propter malitioſam ſcilicet, abuſionem hæreticorum, non verò propter eius ſignificationem. Ex quo patet, quod non negamus Patrem dici Ingenitum; quia iam Pater dicitur Increatus; ſed negamus ſic Patrem Ingenitum, ideſt, increatum dici, vt Verbum diuinum genitum, ideſt, creatum blaſphemando dicatur.

14 Quòd vero hæc vox, *Ing… …um*, ab Eccleſia, non ſolùm in hac acceptione, verumetiam propter Trinitatis myſteriũ explicandum contra Sabellianam hæreſim fuit introducta. Nam Sabellius, quia realem inter diuinas perſonas negabat diſtinctionem, aſſerebat, quod Deus ſecũdùm quod eſt creans, dicitur Pater, ſecundùm quòd verò eadem diuina perſona de Virgine carnem aſſumpſit, & de eadem natus eſt, dicitur Filius, ſeù genitus, ſecundùm quod autẽ gratiam creaturæ rationali confert, eãquè ſanctificat denominatur Spiritus ſanctus, ideo Eccleſia ad hunc fugiendum errorem, perſonam Patris Ingenitam appellauit; & hoc ante hæreſis Arrianæ ortum. Ita teſtatur D. Athanaſius in diſp. quam (D. Athan.) Laodiceæ coram Probo Iudice habuit cum Arrio, vbi ſic ait. *Patri nouum innaſcibilitatis nomen Eccleſia impoſuit. Cum enim Sabelliana hæreſis genitum ex Virgine Patrem voluiſſet aſſerere, ingenitum contra hanc confitendo Eccleſia tradidit Patrem.*

15 Et idem Athanaſius Epiſt. de Synodis (D. Athan.) Ariminis, & Seuleciæ, vt num. 9. ſic D. Ignatium, & alios poſt Ignatium in teſtimonium huius veritatis affert. *Ignatius poſt Apoſtolos Antiochiæ præſul, & Martir Chriſti ſcriptis ſuis de Domino ita locutus eſt. Vnus eſt medicus carnalis, & ſpiritualis, genitus, & ingenitus in homine Deus, vita, vera, & ex Maria, & Deo. Quidam porrò poſt Ignatium Magiſtri, ipſi quoquè ſcripſerunt, vnus Ingenitus Pater eſt, & ex ipſo Filius genitus;*

Digitized by Google

nuinus, verus partus, Verbum, & Sapientia Patris.

16 Vbi obſerua, quòd hæc vox non fuit ab Arrianis primò inuēta, ſed vt ex iam dictis patet, ab Eccleſia priùs propter diuinas perſonas explicandas, introducta; quoniam ſi ab ijs fuerit adinuenta, nec Eccleſia, nec Sancti Patres ea vſi fuerint. Nam vt D. Hieronymus docet, cum hæreticis, nequè etiam in nominibus debemus conuenire, ideſt, cum nominibus ab ipſis fictis, & formatis propter ipſorum fundandam impudentiam.

D. Hiero.

17 Dico ſecundò. Loquendo de hac voce, Ingenitum iuxta ſecundam acceptionem, conuenit quidem Patri eſſe Ingenitum, taliter; quòd non conuenit Filio; tamen conuenit etiam Spirituiſancto, & non ſolùm Patri.

18 Probatur. Quia Filius ſic eſt genitus, vt nullo modo ſit genitor. Ergo eſſe ingenitum iuxta ſecundam acceptionē nullo modo conuenit Filio.

19 Item. Pater æternus ſic generat Filium, vt ipſe à nulla alia perſona generetur. Ergo iam conuenit Patri æterno eſſe ingenitum iuxta ſecundam acceptionem. Item Spiritus ſanctus licèt procedat à Patre, & Filio per ſpirationem, non tamen procedit per generationem. Ergo etiam conuenit Spirituiſancto eſſe ingenitum iuxta ſecundam acceptionē. Ergo eſſe hoc modo ingenitum, ſic conuenit Patri, vt non ſit proprium Patris, ſed etiam conueniat Spirituiſancto.

D. Athan.

20 Hoc dictum eſt inſinuatum à Sancto Athanaſio in ſymbolo, vbi dicitur. *Pater à nullo eſt factus, nec creatus, nec genitus. Filius à Patre ſolo eſt, non factus, nec creatus, ſed genitus. Spiritus ſanctus à Patre, & Filio non factus, nec creatus, nec genitus.* Vbi ly, *nec genitus*, idem ſonat, ac Ingenitus, eo modo, quo de hac voce in hoc ſecundo dicto eſt ſermo.

D. Thom.

21 Hoc idem dictum habet D. Thomas hic in reſp. ad 2. vbi ſic ait. *Ad ſecundum dicendum, quòd Ingenitum quandoquè ſumitur negatiuè tantùm.* Et pro hac eadem acceptione dicit eſſe D. Hieronymum, ſic ſcribens. *Et ſecundùm hoc Hieronymus dicit, Spiritum ſanctum eſſe Ingenitum, ideſt, non genitum.*

Vaſquez.

22 Sed aduerte, quòd Pater Vaſquez diſp. 140. cap. 2. nu. 8. loquens de verbis D. Thomæ iam citatis, ſic ait. *Notat tamen S. Thomas in ſolutione ſecundi, Ingenitum, etiam dici poſſe de Spiritu ſancto, in alia tamen ſignificatione, quatenùs nimirum ſignificat id, quod nō procedit per generationem tāquàm Filius; citatquè Hieronymum in hanc ſignificationem, in quo ego id non inuenio.* ꝙ ſi non inuenit ipſe. inuenerunt autem alij ante ipſum in D. Hieronymo in regulis diffinitionum contra hæreticos, vbi Sanctus Hieronymus hæc verba profert. *Spiritus ſanctus Pater non eſt, ſed Ingenitus, atquè infectus. Pater non eſt, quia Patris eſt, & in Patre eſt, proceſſionem habet ex Patre, & non natiuitatem: Filius non eſt, quia genitus non eſt.* Videndus eſt Magiſter in 1. diſt. 13. in fine, qui hæc, & alia multò plura verba ex D. Hieronymo refert.

D. Hiero.

Magiſter.

23 Dico tertiò. Loquendo de hac voce, Ingenitum, iuxta primam poſitam acceptionem, proprium eſt Patri eſſe Ingenitum.

24 Hoc dictum eſt de fide certum, commune apud Sanctos Patres, & Theologos, & rationi conſentaneum. Nā Nicænum Concilium lib. 2. §. *Sæpè numero* expreſſè præcipit tanquàm de fide tenendum quòd eſt, *Vnus Ingenitus Deus, & Pater, vnus ex eo genitus vnigenitus, Filius, Deus Verbum. Sicut non eſt alter Deus cum Deo, & Patre Ingenitus, ita nequè congenitus &c.* Quod confirmatur ex D. Athanaſio Epiſt. ad Serapionem his verbis. *Non eſt ingenitus Spiritus ſanctus, quia imprincipiatū eſſe, & ingenitum, ſoli Deo Patri Eccleſia Catholica congregata apud Nicæam, rectè, & fideliter attribuit, & de ſolo Patre hoc eſſe credendum; & prædicandum toti mundo, ſub anathemate mandauit.*

Nicænū.

D. Athan.

25 Et Concilium Toletanum vndecimū in profeſſione fidei ſic dicit. *Patrē nō genitum, non creatum, ſed ingenitum profitemur, à nullo originem ducit.* Et paucis interiectis ſic ait. *Spiritus ſanctus nec ingenitus, nec genitus creditur; ne aut, ſi ingenitum dixerimus, duos Patres dicamus; aut, ſi genitum, duos Filios prædicare monſtremus.* Idem habet Concilium Vuormacieſe in profeſſione fidei.

Tolet. 11.

Vuorm.

26 Idem quoquè communiter Sācti Patres docent. Nam Iuſtinus Martir in expoſit. fid. colum. 2. verſ. medium, ſic de Patre æterno fatur. *Si modum, quo cōſtitit, quæras, cum eum à nullo alio ortum videas, ingenitum eum appellabis.* Et D. Athanaſius in quæſt. anonymis quæſt. 5. ſic ait. *Proprium Patris quidem, ingenitum eſſe, Filij verò genitum, at Spiritus ſancti procedere.* Et idem de Synodis Arimini, & Seleuciæ circa finem ſic ait. *Non ignoramus, eos qui dixere vnum eſſe ingenitum, Patrem, non eo animo ſcripſiſſe, quaſi Verbum Dei genitum, hoc eſt, factum, & opus eſſe vellent, ſed ideo vt oſtenderent, Patrem, ſui authorem non habere.* Et D. Hilarius, lib. de Synodis, & de Trinit. præſertim lib. 2. colum 5. vbi ſic ait. *Vnum Ingenitum Deum, vnū vnigenitum Deum.* Et inſuper, *Ab vno ingenito Deo vnus ingenitus Deus; Non Dij duo, ſed*

Digitized by Google

ſed vnus ab vno. Non Ingeniti duo, qui natus eſt ab innato. Et D. Nazianzenus orat. in laudem Heronis pag. penultima de Patre loquens, dicit *vnum eſſe Deum Ingenitum Patrem;* & pag. vlt. in principio ſic ait. *Patris proprietas hæc eſt, quòd ingenitus ſit.* Idem docet D. Auguſtinus lib. 15. de Trinit. cap. 26. vbi ſic ait. *Cum Spiritum ſanctum genitum non dicamus, dicere tamen non audemus ingenitum, ne in hoc vocabulo, vel duos Patres in illa Trinitate, vel duos, qui non ſunt de alio quiſpiam, ſuſpicetur. Pater enim ſolus non eſt de alio, ideo ſolus appellatur ingenitus, non quidem in ſcripturis, ſed in conſuetudine diſputantium, & de re tanta ſermonem, qualem valuerint proferentium.* Et D. Ioannes Damaſcenus lib. 1. de fide cap. 9. ſic ait. *Solus Pater Ingenitus, nõ enim ex alia hypoſtaſi ſuæ hypoſtaſeos habet ſubſtantiam &c.*

Naziãz. D. Aug. Damaſc.

27 Idem docet Sanctus Thomas hic ad 2. ſic ſcribens. *In nomine Ingeniti, ad hoc quòd ſit proprium ſoli Patri, oportet intelligere, quòd conueniat alicui perſonæ diuinæ, quæ ſit principium alterius perſonæ, vt ſic intelligatur &c.* vide num. 28. & 29. quia de eadẽ re, & per magis extẽſum refero verba.

D. Thom.

28. Sed eſt aduertendum, quòd eſſe ingenitum duobus modis accipi poteſt, vt obſeruat D. Thomas loco iam citato; tantùm & purè negatiuè, ſcilicet; & priuatiuè. Si ſumitur tantùm negatiuè, pro vt ſcilicet, *negat generationem, quæ alicui perſonæ diuinæ conuenit:* iam diximus in 2. concl. quòd hoc nomen, ingenitum, conuenit quidem Patri, ſed non eſt proprium Patris, cum conueniat etiam Spiritui ſancto. Si verò ſecundo modo, adhùc tripliciter accipi poteſt, ſicut tripliciter dicitur priuatio. *Vno modo*, ſcilicet, *quando aliquid non habet, quod natum eſt haberi ab alio, etiam ſi ipſum non ſit natum habere illud, ſicut ſi lapis dicatur res mortua, quia caret vita, quàm quadam res natæ ſunt habere. Alio modo, dicitur priuatio, quando aliquid non habet, quod natum eſt haberi ab aliquo ſui generis, ſicut ſi talpa dicatur cæca. Tertio modo, quando ipſum non habet, quod natum eſt habere.* Priuatio tertio modo, imperfectionem importat, non autem primo, & ſecundo. Docet ergo D. Thomas, quòd eſſe Ingenitum conuenit Patri priuatiuè primò, & ſecundo modo, non autem tertio. Non quidem tertio modo; quia Pater eſſet imperfectus. Non enim haberet id, quod ab ipſo natum eſſet haberi. Conuenit autem priuatiuè ſecundo modo, eò quia & ſi non conuenit Patri eſſe genitum, conuenit Verbo diuino, quod eſt perſona etiam diuina, & eiuſdem generis, ideſt, eiuſdem ordinis diuini cum perſona Patris. Conuenit tandem Patri eſſe ingenitum priuatiuè etiam primo modo, ſed neque primo, neque ſecundo modo eſſe ingenitum eſt proprium Patri. quia primo modo conuenit etiam alteri à Deo, & ſecundo modo conuenit etiam Spiritui ſancto. Nam Adam fuit ingenitus, & fuit etiam Pater. Et Spiritus ſanctus non eſt Pater, neque genitus.

D. Thom.

29 Ad hoc igitur, vt eſſe ingenitum priuatiuè ſecundo, aut primo modo tantũ Patri cõueniat, oportet vlteriùs vt idem D. Thomas ibidem docet, quòd conueniat alicui perſonæ diuinæ, quę ſit principium alterius perſonæ *vt ſic intelligatur importare negationem in genere principij perſonaliter dicti in diuinis. Vel vt intelligatur in nomine ingeniti, quod omninò non ſit ab alio, & non ſolùm quòd non ſit ab alio per generationem.*

30. Conuenit igitur ſoli Patri eſſe ingenitum duobus modis, accipiendo ly, *Ingenitum*, primò quidem dicendo ſic, quod Pater ſic eſt principium alterius perſonæ, vel aliarum, vt ipſe nullum aliud ſui principium à quo procedat, habeat. Et hoc exprimitur, quando Pater à Theologis principium de non principio nuncupatur. Ly *enim de non principio*, additũ ſupra principium, dicitur Ingenitum, quod eſt proprium Patris. Vel poteſt dici, quod eſſe ingenitum, ſoli Patri cõueniat, ſic dicendo. Pater eſt perſona diuina, ſeù ens quod omninò non eſt ab alio, ſcilicet, neque per generationem, neque per ſpirationem, neque per communicationem, neque per creationem, neque per factionem, neque tandem per fictionem. Vnde omnia, quæ ſunt, aut imaginari poſſunt, à ratione ingeniti excluduntur, & ſolus Pater æternus ingenitus hoc modo nuncupari poteſt. Nam iuxta hunc loquendi modum, Filius non poteſt dici ingenitus, quia ſic eſt genitus, vt ſit vnigenitus; ac per conſequens, omninò negat rationem ingeniti. Spiritus ſanctus neque etiam poteſt hoc modo ingenitus appellari; eo quia, licèt non ſit per generationem, procedit tamen à Patre, & Filio per ſpirationem; Diuina eſſentia licèt à nullo ſit per generationem, aut per ſpirationem producta, eſt tamen à Patre, Filio per generationem; & à Patre, & Filio, per ſpirationẽ Spiritui ſancto communicata, ac proinde, diuina eſſentia eſt aliquo modo ab alio. Adam non fuit ab alio homine genitus, fuit tamen ab alio principio: puta, à Deo formatus, & factus; Iuxta illud Geneſ. 1. *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram.* Chimera, & quodcumque ens rationis non habet prin-

Gen. 1.

Digitized by Google

principium ſui realiter productiuum, habent tamen principium ſui fictiuum, & in eſse obiectiuo formatiuum. Et poſſibile, nullum habet ſui principium productiuum, quod ipſum in eſse poſſibili ponat, quidquid Scotiſtæ imaginationes dicant; habent tamen cauſam exemplarem, & poſsunt à ſtatu poſſibilitatis, ad ſtatum actualis exiſtentiæ peruenire; nequè ſunt aliquid realiter exiſtens. Et tandem, nihil, licèt non habeat principium ſui, non tamen eſt aliquid, de quo dicimus ingenitum prædicari. Vnde illud ens, quod eſt de facto ſubſiſtens, & non eſt ab alio, aliquo ſupradictorum modorum, dicitur Ingenitum, & hoc eſt ſola perſona Patris.

31 Breuiùs, Ingenitum eſt proprium Patris æterni, ſi accipiatur priuatiuè ſecundo modo, dummodo coniungatur principio quod; ſic dicendo; Eſse principium quod, de non principio, eſt proprium perſonæ Patris. Et etiam, Ingenitum, eſt proprium Patris, ſi accipiatur negatiuè tantùm, dummodo coniungatur cum ente, ſic dicendo. Eſt propriũ Patris eſse ens à nullo, reali proceſſione procedens modo iam explicato.

DISPVTATIO CLXXX.

VTRVM INGENITVM, SEV INNASCIBILITAS, dicat puram negationem, an etiam aliquod poſitiuum.

In tria capita diſtributa.

CAPVT PRIMVM.

Doctorum opiniones referuntur.

1 QVIDAM non valentes intelligere, quomodo ingenitum, ſeu innaſcibilitas ſit notio, & tamen in pura negatione conſiſtat. Dixerunt, quòd innaſcibilitas, ſeù *ingenitum etiamſi negatione ſignificetur, quia nimirum formaliter, & expreſsè ſignificat negationem, materialiter tamen, & directè ſignificat poſitiuam aliquam dignitatem perſonæ, modum ſcilicet, aliquem ſubſiſtendi illius, in quo paternitas aliquo noſtro modo intelligendi apparet, & ratione illius poſitiui innaſcibilitatem eſſe quintam notionem &c. Illud autem poſitiuum huius vocis, eſſe paternitatem, ſub peculiari conceptu primæ originis, & principij, quo non additur relatio realis noua, ſed rationis.* Ita Vaſquez diſp. 137. cap. 5. nu. 14. 17. & 19. & diſp. 140. cap. 3. præſertim nu. 18. vbi ſic ait. *Ego quidem exiſtimo, nomen, Ingenitum, non ſolũ eſſe de numero eorum, quæ ad aliquid dicuntur, & non ad ſe, ratione expreſſi, & directi ſignificati, quod eſt negatio, ad quod ſolùm attendiſſe videtur Auguſtinus, verumetiam ratione materialis, quod diximus eſſe paternitatem ipſam ſub ratione primi principij.* Vaſquez.

2 Faſolus, q. 32. art. 3. in commentario nu. 5. ait, quòd *Bañes hic dub. 1. ad 1. & Vaſquez diſp. 137. cap. 5. dicunt, notionem innaſcibilitatis de formali importare etiam poſitiuam dignitatem.* Faſolus.

3 Verùm, quò ad Vaſquez pertinet, iam ex eius verbis modo relatis, patet, quòd innaſcibilitas de ſuo formali, & expreſſo ſignificato dicit negationem à quocumquè principio, & ſolùm dicit aliquod poſitiuum, quò ad ſuum materiale, directumquè ſignificatum, ſed vide infra num. 9. Vaſquez.

4 Quantùm verò pertinet ad Bañes, nequè Bañes dixit, quòd innaſcibilitas dicat aliquod poſitiuum pro ſuo formali ſignificato, nequè pro materiali directo. Nam q. præced. art. 3. dub. 1. ſic ait. *Non eſt autem eadem ratio de negatione generationis, quæ competit Spirituiſancto, & de negatione generationis, quæ competit Filio, quia talis negatio non negat eſſe ab alio ſimpliciter, ſed ſecundùm quid. Vnde hoc, quod eſt non eſſe ab alio, hoc modo, vel illo, non pertinet ad dignitatem alicuius perſonæ. Et idcircò inſpirabilitas, & innaſcibilitas non debent poni notiones Filij, & Spiritus ſancti. Cæterùm, non eſſe ab alio abſolutè, & ſimpliciter, ſed eſſe principium à quo eſt proceſſio omnis, magna eſt dignitas, & perfectio, vel præſupponit* Bañes.

magnam

Digitized by Google

magnam dignitatem, vel perfectionem in ipſa perſona, & ſic innaſcibilitas ponitur notio Patris.

5 Et in hoc art. §. *Ad* 2. impugnans ſententiam eorum, qui dicebant, quòd eſſe ingenitum ſit proprietas cōſtitutiua Patris, ſic ait. *Sed hæc ſententia falſa eſt, & probatur. Proprietas conſtitutiua alicuius perſonæ diuinę debet importare aliquid poſitiuum, cum perſona diuina ſit quid poſitiuum: ſed eſſe ingenitum, vt docet D. Thomas ſolut. ad* 1. *formaliter nihil importat poſitiuum. Ergo.*

Bañes. Si igitur Bañes ait, quòd ingenitum, ſeù innaſcibilitas formaliter nihil importat poſitiuum, quare ergo Faſolus ait, quòd Bañes tenet innaſcibilitatem formaliter dicere poſitiuum? Fortaſsè, quia ſupra q. præced. art. 3. §. *Notandum eſt ſecundò*, ait, *quòd negatio ſecundùm ſe nullam importat dignitatem, neque poteſt eſſe ratio cognoſcēdi, cum ipſa per ſe non ſit cognoſcibilis.* Et ſubdit ſic; *ex dictis ſequitur, quòd negatio ſecundùm ſe non poteſt accipi pro notione alicuius perſonæ, niſi fortè propter aliquid adiunctum cum ipſa negatione in tali perſona, quod pertineat ad cognoſcēdum perſonam, & dignitatem eius.* Legatur attentè, quoniam non dicit de formali notionem debere ſignificare aliquod poſitiuum, ſed quòd negatio, vt pura negatio eſt, præcisè loquendo, cum non dicat dignitatem, nec ad dignitatem pertineat, non poteſt eſſe notio: attamen ſi conſideretur pura negatio vt in tali perſona, poteſt ad dignitatem pertinere; eò quia, licèt non dicat de formali, imò neque etiam de materiali directo ſignificato, aliquod poſitiuum, poteſt ſic aliquod poſitiuum ſupponere, vt illius poſitiui præſuppoſiti, ac præintellecti explicet dignitatem. Et ſic loquitur Bañes. Qui innaſcibilitatem neque de formali, neque de materiali directo ſignificato, dixit dicere aliquod poſitiuum.

Amicus. 6 Pater Amicus, diſput. 25. de perſona Patris ſect. 3. concluſ. 1. ait, quòd innaſcibilitas, ſeù ingenitum *non importat ſolùm negatiuum, aut ſolùm poſitiuum, ſed vtrumque ſimul*; addit tamen, quòd *negatiuum principaliter, & de formali, poſitiuum verò ſecundario, & de materiali*. Et concl. 2. ait, quòd *formalis ratio proximè, & immediatè fundans negationem geniti, ſeù producti in æterno Patre eſt paternitas, non ſub explicito conceptu generantis, aut ſpirantis, nec ſub ratione Authoris, primi principij, fontalis plenitudinis, aut patriarchalis dignitatis, nec ſub explicita formalitate eſſendi à ſe, ſed ſub expreſſa ratione primæ hypoſtaſis, naturam diuinam adæquatè terminantis, & cum illa adæquatè conſtituentis perſonam, ſub ratione primæ perſonæ*; quod magis explicans, ſic ait. *Dico primam, non per ordinem ad alias perſonas, nam etiamſi aliæ perſonæ non eſſent, adhùc illi conueniret ratio ingeniti, neque per excluſionem alterius perſonæ prioris. Nam hæc formaliter importat negationem, nos autem inquirimus proximum principium poſitiuum. Sed dico, primam, per reſpectum ad naturam diuinam, quam per poſitiuam exiſtentiam quidditatiuè poſſit adæquatè primò terminare, & conſtituere cum illa perſonam, in ratione primæ adæquatam.*

7 Communiter tamen Theologi cum Diuo Thoma docent, ingenitum, ſeù innaſcibilitatem non dicere aliquod poſitiuum in Patre, neque de formali, neque de materiali, & directo ſignificato, niſi tantùm incluſiuè, ſeù connexiuè, dico meliùs ſecundùm noſtrum intelligendi modum, præſuppoſitiuè.

CAPVT SECVNDVM.

Determinatio veritatis.

8 PRO determinatione veritatis, Dico breuiter. Innaſcibilitas, ſeù Ingenitum, neque de formali, neque de materiali directo ſignificato, dicere aliquod poſitiuum, ſed tantummodo aliquod negatiuum, ideſt, negationem principij à quo procedat, & ſolùm preſuppoſitiuè, ſeù connotatiuè dicit aliquod poſitiuum in perſona Patris.

9 Quamuis Pater Vaſquez diſp. 137. expreſsè dicat, quòd innaſcibilitas, ſeù ingenitum formaliter, & expreſsè dicat negationem, ſi tamen attentè legatur, vult dicere, quòd de ſuo formali ſignificato petit, vt id, quod nomine innaſcibilitatis, ſeù ingeniti intelligitur, debet poſitiuè ſignificari,

Digitized by Google

cum ſit re vera aliquod poſitiuum, & quòd ex noſtro imperfecto concipiendi modo per negationem, ſeù negatiuè profertur, quod ex eo patere poteſt, quia innaſcibilitas, ſeù ingenitum eſt ratio propria conſtitutiua perſonæ Patris, vt forma hypoſtatica eſt, & non pro vt generans eſt, ſed pro vt concipitur, quatenùs potens generare eſt; quemadmodum expreſsè diſput. 159. cap. 5. docet & præſertim §. *Tertiò nihil obſtat*. Vbi ſic ait; *Tertiò nihil obſtat, quominùs perſona Patris apprehendatur conſtituta, priuſquàm generet, ex eſſentia, & proprietate illa, ſeù notione innaſcibilis, & fæcundi ad producendum, quam alibi ipſe Bonauentura appellat fontalem plenitudinem, vt vidimus diſput. 137. cap. 5. Poſſumus enim apprehendere eſſentiam à ſe ipſa fæcundam, & fæcunditate quaſi contractam ad eſſe perſonæ, vt poſſit producere, nondum autem intelligimus expreſſam rationem Patris. Poſſe autem hoc modo apprehendi primam perſonam, quid obſtat? Si quidem, vt fæcunda, & innaſcibilis cogitari poteſt, antequàm generet, & antequàm ſit Pater:* ſed perſona Patris eſt de ſuo formali aliquid poſitiuum. Ergo callidè Vaſquez dixit, quòd innaſcibilitas de ſuo materiali directo ſignificato dicat aliquod poſitiuum, non autem de ſuo formali, niſi velit dicere, quòd per materiale directum ſignificatum, intelligit formalitatem poſitiuam, negatiuè ex imperfecto noſtro modo concipiendi ſignificatam. Et ſic patet, quòd re vera tenet innaſcibilitatem, ſeù ingenitum eſſe formalitatem aliquam in ſe formaliter poſitiuam, cum ſit conſtitutiua perſonæ Patris, quæ eſt aliquod formaliter poſitiuum. Vaſquez.

10 Probatur igitur, quod innaſcibilitas, ſeù ingenitum non dicat aliquod poſitiuum in ſenſu à Vaſquez intento; quia ſecundùm Sanctum Thomam quælibet perſona diuina conſtituitur relatione, ita videlicet, quòd perſona Spiritus ſancti conſtituitur proceſſione, ſeù ſpiratione paſſiua; perſona Filij filiatione; & perſona Patris paternitate. Ergo innaſcibilitas, ſeù ingenitum, vel non diſtinguitur à notione paternitatis, ſi eſt aliquod poſitiuum, conſtitutiuumque perſonæ Patris; vel ſi eſt diſtincta notio, non dicit aliud niſi perſonam Patris, vt à nulla alia perſona genitam, aut ſpiratam.

11 Si dicatur cum Vaſquez, negando antecedens; Vaſquez. Nam vt ipſe diſput. 159. num. 20. ait, *dicendum eſt, concipi poſſe primam perſonam Patris, antequàm intelligatur actu generare, non quidem ſub conceptu Patris, id enim repugnat; quia paternitas fundatur in generatione, ſed ſub conceptu innaſcibilis, & fæcundi ad producendum.*

12 Idquè dicit eſſe Diui Thomæ do- D.Thom. ctrinam. Sic enim num. 21. ſcribit; *Nos verò duos modos conſtitutionis perſonarum non obſcurè tradiderunt Sanctus Thomas, & Bonauentura. Nam Sanctus Thomas in artic. 4. huius quæſt. contendit, non poſſe concipi perſonam Patris ſub ratione Patris, antequàm intelligatur genuiſſe; quia paternitas in generatione fundatur. Ergo tunc concipit perſonam primam non expreſsè ſub ratione Patris, quia non dum intelligitur paternitas, ſed ſub ratione cuiuſdam formæ hypoſtaticæ, quam nos nomine aliquo quidditatiuo ſcilicet, ingeniti, aut fæcundi ad producendum, non denominatiuo, quale eſt forma hypoſtatica, magis exprimimus.*

13 Sicuti verum eſt id, quod quæ nuper Vaſquez dixit, ſunt Diui Thomæ, vel ex Diui Thomæ doctrina, ſic ſit eius ſententia vera. Eſt enim expreſsè contra Diuum Thomam in D.Thom. eodem artic. 4. qui eſt articulus quartus quæſt. 40. Ibi enim quamuis Diuus Thomas in corp. ſic dicat. *Similiter, & origo actiuè ſignificata prior eſt ſecundùm intellectum quàm relatio perſonæ originantis, quæ non eſt perſonalis, ſicut actus notionalis ſpirationis ſecundùm intellectum præcedit proprietatem relatiuam innominatam communem Patri, & Filio: ſed proprietas perſonalis Patris, poteſt conſiderari dupliciter. Vno modo, vt eſt relatio, & ſic iterum ſecundùm intellectum præſupponit actum notionalem. Quia relatio in quantùm huiuſmodi fundatur ſuper actum. Alio modo, ſecundùm quòd eſt conſtitutiua perſonæ, & ſic oportet, quòd præintelligatur relatio actui notionali, ſicut perſona agens præintelligitur actioni.*

14 Sed magis explicans quæ ſit iſta relatio, qua conſtituitur perſona, & quæ præintelligitur actioni, recurramus ad eumdem ibidem. Propoſuerat enim hoc argumentum primum. *Dicit enim Magiſter quòd Pater ſemper eſt, quia genuit Filium. Et ita videtur, quòd generatio ſecundùm intellectum præcedat paternitatem.* Ad quod argumentum ſic reſpondet. *Cum Magiſter dicit, quod quia generat, eſt Pater, accipitur nomen Patris, ſecundùm quòd deſignat relationem tantùm, non autem ſecundùm quòd ſignificat perſonam ſubſiſtentem. Sic enim oporteret è conuerſo dicere, quòd quia Pater eſt, generat.*

Et

Digitized by Google

15 Et clariùs ibidem proponit ſecundum argumentum hoc modo. *Omnis relatio præſupponit in intellectu id, ſupra quod fundatur: ſicut æqualitas quantitatem: ſed paternitas eſt relatio fundata ſuper actionem, quæ eſt generatio. Ergo paternitas præſupponit generationem*. Cui argumento hiſce verbis ſatisfacit. *Ad ſecundum dicendum, quòd obiectio illa procedit de paternitate, ſecundùm quòd eſt relatio, non ſecundùm quòd eſt conſtitutiua perſonæ*. Hæc ille. Ex quibus verbis manifeſtè habetur, quòd perſona Patris conſtituitur paternitate, & antequã intelligatur actu generare, non concipitur conceptu innaſcibilis, ſed conceptu Patris. Ergo Vaſquez loquitur expreſſè contra D. Thomam.

16 Ex quibus etiam verbis rectè explicatur D. Thomas quid ſcilicet, intellexerit, cum in corp. eiuſdem art. dixit, quòd *proprietas perſonalis Patris poteſt dupliciter conſiderari, vt relatio eſt &c*. Etenim per ly, *vt relatio eſt*, non intellexit paternitatem vt formalitatem diſtinctam à proprietate perſonali vt forma hypoſtatica eſt, ſed debet ſic intelligi; ipſa proprietas perſonalis Patris, quæ eſt paternitas, poteſt dupliciter conſiderari, vno modo *vt relatio eſt*, ideſt, vt referens eſt. Alio modo vt ſubſiſtentia perſonalis eſt. Et ly, *vt relatio*, non reduplicat rationem relationis in communi, ſed reduplicat relationem provt extra diuina à Philoſophis vſurpari ſolet, & hoc ſupra explicauimus, & infra iterum, cum de conſtitutiuo diuinarum perſonarum explicabimus.

D.Thom.

17 Probatur ſecundò authoritate Diui Thomæ, nam q. præced. in corp. ſic ait; *Igitur perſona Patris non poteſt innoteſcere per hoc, quòd ſit ab alio, ſed per hoc, quod à nullo eſt. Et ſic ex hac parte eius notio eſt innaſcibilitas*. Et in hac q. & art. in corp. ſic ait. *Sic igitur, & Pater innoteſcit quidem paternitate, & communi ſpiratione per reſpectum ad perſonas ab eo procedentes. In quantum autẽ eſt principium non de principio, innoteſcit per hoc, quòd non eſt ab alio. Quod pertinet ad proprietatem innaſcibilitatis, quam ſignificat hoc nomen, Ingenitus*.

18 Et proponens primum argumentum, quod eſt tale. *Omnis proprietas ponit aliquid in eo, cuius eſt proprietas: ſed ingenitus nihil ponit in Patre, ſed remouet tantùm. Ergo non ſignificat proprietatem Patris*. Vt reſpõdeat, primò quorumdam refert opinionem, dicentium, quòd *Ingenitus, ſecũdùm quòd eſt proprietas Patris, non dicitur tãtùm negatiuè, ſed importat, vel vtrumquè ſimul, ſcilicet, quòd Pater à nullo eſt, & quòd eſt principium aliorum; vel importat vniuerſalem authoritatem, vel etiam fontalem plenitudinem*. Et hunc dicendi modum impugnat, non quidem tanquàm minùs probabilem, ſed tanquàm non verum, ſic dicens. *Sed hoc non videtur verum; quia ſic innaſcibilitas non eſſet alia proprietas à paternitate, & ſpiratione, ſed includeret eas, ſicut includitur proprium in communi. Nam fontalitas, & authoritas, nihil aliud ſignificant in diuinis, quàm principium originis*. Et reſpõdens, propriãq; ſtatuens ſententiam, ſic ait. *Et ideo dicendum eſt ſecundùm Aug. 5. de Trinit. quòd ingenitus negationem generationis paſſiuæ importat. Dicit enim quòd tantùm valet, quod dicitur ingenitus, quantùm valet, quod dicitur non Filius; nec propter hoc ſequitur, quòd ingenitus non debeat poni propria notio Patris: quia prima & ſimplicia per negationes notificantur. Sicut dicimus punctum eſſe, cuius pars non eſt*. Et in reſp. ad 2. ait ſic. *Vnde ad hoc quòd ſit proprium ſoli Patri, oportet vlteriùs in nomine Ingeniti, intelligere, quòd conueniat alicui perſonæ diuinæ, quę ſit principium alteriù perſonæ, vt ſic intelligatur importare negationem in genere principij perſonaliter dicti in diuinis. Vel vt intelligatur in nomine ingeniti, quod omninò non ſit ab alio, & non ſolùm quod non ſit ab alio per generationem. Sic enim nec Spiritui ſancto conuenit eſſe ingenitum, quia eſt ab alio per proceſſionem, vt perſona ſubſiſtens, nec etiam diuinæ eſſentiæ, de qua poteſt dici, quòd eſt in Filiò, in Spiritu ſancto ab alio, ſcilicet à Patre*. Vbi aperto marte D. Thomas impugnat eos, quĩ dicunt innaſcibilitatem dicere aliquod poſitiuum.

19 Nec valet cum Patre Vaſquez diſp. 137. num. 17. dicere, quòd *ideo S. Thomas refellit hanc ſententiam Bonauenturæ, quam*, inquit, *ſecuti ſumus; Quia nullum ſignificatum poſitiuum diſtinctum à paternitate, & ſpiratione actiua huic voci, innaſcibilis, in Patre reſpondet: nos verò facile poſſemus diuerſum ſignificatum oſtendere, ſequentes id, quod Bonauentura conſtituit &c. Vt ergo* ſubdit *oſtendamus, Patrem eſſe primum, vtimur voce innaſcibilis, qua per modum negationis ſignificamus, Patrem ita eſſe Patrem, & ad Filium referri, vt ſua paternitate conſtituatur prima perſona*. Et poſt multa ſic ait. *Et hoc modo poſitiuum, quod reſpondet huic notioni innaſcibilitatis, eſt paternitas ſub ratione primi*. Idem repetit nu. 18. dicens, *ſignificatum poſitiuum huius vocis eſſe paternitatem, ſub peculiari conceptu primæ originis, & principij*. Vaſquez.

20 Nam in primis per Vaſquez, illud poſitiuum eſt paternitas, non vt referens, ſed vt forma hypoſtatica in ratione primæ originis, & primi principij. Ergo illud poſitiuum non eſt notio diſtincta à notione Patris. Patet iſta conſequentia; quia paternitas eſt ipſum poſitiuum,

Digitized by Google

quod correſpondet innaſcibilitati, licèt non ſit paternitas, vt referens, ſed paternitas vt principium, & vt origo prima; ac proinde prima origo, & principium non eſt extra paternitatis conceptum. Aliàs non benè diceret, quòd eſt paternitas ſub conceptu primæ originis, & principij. Diſtinguere enim paternitatem ſub conceptu referentis, & ſub conceptu primæ originis, & principij, eſt formalitatem paternitatis in plures inadæquatos conceptus diſtribuere.

21 Secundò; quia iam ſibimet videtur contradicere; eo quia, in eadem diſp. nu. 17, ait, quòd *qui Patrem concipit ſub eodem conceptu ſolius paternitatis, aut ſolius ſpirationis actiuæ, non dum ipſum expreſsè apprehendit vt primum principium in Trinitate*, & poſt multa ſic ſubdit, *ideo addita notione innaſcibilitatis, perſona Patris cum ſua paternitate nouo modo poſitiuè innoteſcit, vt prima, & fontalis origo*. Et diſp. 159. nu. 20. ait. *Concipi poſſe primam perſonam Patris, antequàm intelligatur actu generare, non quidem ſub conceptu Patris &c.* Ergo dum ait, quòd illud poſitiuum correſpondens innaſcibilitati eſt paternitas &c. ſibimet aduerſatur. Vel ſi intelligit paternitatē ſub conceptu diſtincto à paternitate, nō vt Theologum decet, ſed ineptè loquitur, ſicut non rectè loqueretur ſi quis diceret, quòd voluntas diuina ſub conceptu intellectus eſt potentia generatiua; & intellectus ſub conceptu voluntatis eſt potentia ſpiratiua.

Vaſquez.

22 Tertiò; quia ratio principij fontalis, & primi in diuinis, in ratione productiui, & in ratione de facto producentis, licèt diſtinguantur ſecundùm noſtræ intelligentiæ rationem præciſiuam, non tamē ſunt diſtinctæ notiones principium productiuum, & prima origo, ſeu fontalis ratio. Ergo poſitiuum correſpondens innaſcibilitati, eſt diſtincta notio ab innaſcibilitate. Hoc non conceditur à Vaſquez. Ergo. Probatur prima conſequentia; quia notio primæ perſonæ in ratione de facto producentis, vel eſt reſpectu Filij, & ſic non diſtinguitur à paternitate; vel eſt reſpectu Spiritus ſancti, & ſic non diſtinguitur à notione ſpirationis actiuæ. Minor ſubſumpta cum ſua conſequentia patent. Probatur igitur antecedens. Quia notio eſt ratio expreſsè, & explicitè cognoſcendi perſonam, vel duas perſonas: ſed non cognoſcitur expreſsè, & explicitè prima perſona, per hoc ſolùm quòd dicit rationem principij productiui ad intra in confuſo, niſi cognoſcatur etiam in ratione principij producentis; neque hoc ſufficit, niſi cognoſcatur in ratione producentis talem, vel talem perſonam in particulari, puta perſonam Filij, aut perſonam Spiritus ſancti.

23 Pro cuius maiori pōderatione obſerua, ꝙ licèt Deo cōueniat eſſe primū creaturarum principium, quæ ratio principiādi eſt toti Trinitati communis, & perſonę Patris cōueniat quoquè eſſe fontem, & originem, ſeu primum principiū omnium diuinarum perſonarum productarum. Aliter tamen Deo conuenit eſſe principium creaturarum; & aliter conuenit Patri eſſe principium perſonarum. Nam conuenit Deo eſſe principiū creaturarum per ſe, & intrinſecè, veluti in actu primo, ſeu in ratione productiui, non vero in actu exercito & in ratione de facto producentis. Hoc enim conuenit Deo ex ſua liberrima voluntate: at verò Patri æternò conuenit eſſe principium perſonarum ad intra, non ſolùm in ratione productiui, verumetiam in ratione de facto producentis. Imò ratio productiui non conuenit Patri, pro vt diſtinguitur à ratione principij de facto producentis, niſi ſecūdùm noſtrum imperfectum intelligendi modum. Vnde formalis ratio ad dignitatem pertinens ad Patrem in ratione principij, ſi dignè concipiatur, conſiſtit in ratione principij exercitè principiantis hanc, illamquè perſonam in particulari. Ex quo rectè colligitur, quod omne poſitiuum perſonale, ſeu notionale, quod reperitur in Patre, non eſt diſtinctum à notione paternitatis, & à notione ſpirationis actiuæ. Ac proinde, rectè pro noſtra concluſione deducitur, quod innaſcibilitas in abſtracto, ſeu ingenitum, quod eſt ipſa innaſcibilitas in concreto, dicit notionem negatiuam.

24 Quartò; quia ſic paternitas eſt notio Patris, ſicut filiatio eſt notio Filij, & è contra: ſed filiatio eſt notio Filij non ſolùm vt dicit, ad, ſeu ſecundùm quòd eſt referens Filium ad Patrem, ſed etiam ſecundùm quòd eſt veluti forma hypoſtatica. Ergo etiam paternitas ex conceptu paternitatis habet, nedū vt dicat ad, ſeu vt ſit referens Patrem ad Filium, ſed etiam vt ſit forma hypoſtatica. Ergo non verè dicit Vaſquez, quòd perſona Patris in ratione hypoſtaticę & fontalis originis, & principij conſtituitur per notionem diſtinctam à notione paternitatis. Maior eſt, & apud omnes debet eſſe clara. Non enim poteſt maioris ambitus, & efficacitatis eſſe filiatio perſonæ Filij, quam paternitas perſonæ Patris. Ergo quod facit filiatio reſpectu perſonæ Filij, hoc idem facit paternitas reſpectu perſonæ Patris. Probo verò mino-

Digitized by Google

minorem; quia iam in perſona Filij datur ratio veluti formæ hypoſtaticæ, & ratio referens perſonam Filij ad Patrem. Ergo vel iſtæ duæ rationes ſunt duæ notiones, vel vna. Si duæ; in primis, hoc aſſerere, eſt contra omnes, etiam contra ipſum Vaſquez; non enim tribuitur Filio, niſi vna dumtaxat notio, vt ex notionum numero conſtat. Secundò; quia debent explicari iſtæ duæ notiones, quæ ſcilicet, & quales ſint. Vna iam filiatio ab omnibus nuncupatur; de altera ergo ſciſcitari poteſt, & fortè poſſet dici, quod ſit naſcibilitas, ſeù natiuitas, quæ tamen ſecundùm omnes, etiam ſecũdùm Vaſquez, non ponitur notio à Filiationis notione diſtincta. Si vna. Ergo vera eſt minor.

25 Quintò; Quia illud poſitiuum, quod notioni paternitatis præſupponitur, aut eſt abſolutum; aut relatiuum. Si primum, non eſt verum; quia omne abſolutum in diuinis eſt commune toti Trinitati; ſi ſecundum; cum non ſit notio paternitatis, neque ſpirationis actiuę, neque filiationis, neque ſpirationis paſſiuę, ſiue proceſſionis, eſſent quinque relationes in diuinis, quòd non ſolùm eſt cõtra Sanctos Patres, & communẽ Theologorum confeſſionem, ſed neque etiã à Vaſquez ipſo cõceditur diſtinctũ. Ergo dicendũ eſt, quòd illud poſitiuum nõ eſt aliquid à notione paternitatis, aut ſpirationis actiuæ.

26 Reſpondet Vaſquez, quòd illud poſitiuum non eſt aliquid abſolutum, ſed relatiuum, non quidem relatione reali, ſed relatione rationis. *Vaſquez.*

27 Contra primò; Quia relatio rationis minùs ad dignitatem pertinet, quàm negatio proceſſionis ab alio in perſona, quæ eſt aliarum perſonarum principiũ. Ergo inaniter, & improbabiliter refugit Vaſquez ad huiuſmodi poſitiuum, vt innaſcibilitas dignitatem dicat, & inter notiones poſſit collocari. Conſequentia videtur euidens. Probatur antecedens; quia relatio rationis non eſt, niſi per intellectus operationem: ſed id, quod in diuinis ad dignitatem pertinet, debet eſſe independenter ab intellectus opere, & beneficio. Item quod in diuinis ad dignitatem pertinet, aut dignitatem dicit, debet eſſe reale. Nam dignitas eſt realis. Ergo quod ad dignitatem pertinet debet eſſe reale. Et aliàs negatio proceſſionis ab alio, in perſona quæ eſt aliarum principium, eſt realis; cum ſit verum dicere, quòd perſona Patris nullo intellectu cogitante eſt ita aliarum perſonarum principium, vt non ſit ab aliquo alio principio procedens. Ergo.

28 Contra ſecundò; Quia hæc relatio rationis non ſaluat rationem fontalitatis, ſeù primæ realis originis. Ergo illud poſitiuum debet eſſe relatio realis, & non rationis. Probatur antecedens; quia fons non propriè dicitur fons, niſi quia de facto à fonte riuuli manant. Vnde ſi fons ampliùs non ſcaturit, aut emittit, potiùs ciſterna, aut lacus aqua illa nuncupari debet, quàm fons. Et ſi neque aqua, vbi fons erat, inueniatur, non dicitur ampliùs fons, ſed potiùs locus in quo fontis ratio fuit. Ergo hæc relatio rationis &c. Non ergo Pater dicitur fons, & origo Trinitatis, quia conſideratur tantummodo cum hac præciſione, ſcilicet, vt principium generatiuum, aut ſpiratiuum, antecedẽter ad rationem principij de facto originantis, ſeù generantis, atque ſpirantis.

CAPVT TERTIVM.

Proponuntur argumenta in contrarium, & ſoluuntur.

29 SED contra iſtam determinationẽ objiciet aliquis primò argumento communiſſimo, quod ſic in hac materia Doctores torquet, vt in diuerſas ſententias fuerint diuiſi. Negatio, vt negatio, non dicit dignitatem. Ergo ſi innaſcibilitas dicit tantùm negationem, non verò aliquod poſitiuum nõ dicit dignitatem; ac proinde non eſſet propria notio Patris. Probatur antecedens, quia negatio proceſſionis ab alio principio de ente, & de non ente prædicatur. Valet enim dicere, quòd poſſibilia, vt poſſibilia, non ſunt ab alio principio procedentia, & diuina eſſentia in ratione eſſentiæ nõ eſt ab aliquo alio principio producta. Et nihil, neque etiam poteſt dici ab aliquo alio principio procedens. Ergo negatio, vt negatio, non dicit dignitatem.

30 Reſpondetur breuiter, diſtinguendo, ſeù potiùs explicando antecedens. Negatio, vt negatio, reſpectu omnium non dicit dignitatem, concedo antecedens. Negatio, vt negatio reſpectu aliquorũ, non dicit dignitatem, nego antecedens. Ergo &c. nego conſequentiam.

31 Vel ſub alijs verbis, explico antecedẽs. Negatio, vt negatio præcisè, ſeù de iure ordinario priuationis, non dicit dignitatem, concedo antecedens. Negatio, vt negatio talis, ſeù ex priuilegio, non dicit dignitatem, nego antecedens. Ergo &c. nego conſequentiam.

Pro

32 Pro cuius intelligẽtia eſt breuiter obſeruandum, quòd licèt iſta negatio præcisè, & ſecundùm ſe conſiderata, non dicat aliquam dignitatem. Nam nihil, vt nihil, à nullo procedit tanquàm à principio; & tamen hoc, quod eſt, nihilum à principio aliquo non procedere, dignitatem ipſius nihili, nullã dicit; cum ipſum nihilum, ſit cuiuſcumque dignitatis expers, & idem dicitur de chimera, poſſibilibus &c. Nihilominùs, ſi ſermo ſit de principio, ſeù de ente, maximam principij, & ipſius entis dignitatem manifeſtat; quia ſignificat id, vnde alia procedunt tanquàm ex principio primo.

33 Obijciet ſecundò. Perſona Patris cõſtituitur per hoc, quòd eſt ingenita. Ergo Ingenitum neceſſariò dicit aliquod poſitiuum adminùs ratione diſtinctum à ratione poſitiua paternitatis, quæ eſt notio, ſeù formalitas diſtincta à notione, ſeù formalitate ingeniti. Conſequentia patet; quia perſona Patris eſt aliquod poſitiuum. Ergo. Probatur antecedens primò; quia non conſtituitur per paternitatem, neque per originem actiuè acceptam, cum paternitas cõſequatur originem, ſcilicet, generationem actiuam, & generatio actiua conſequatur perſonam generantem. Ergo per aliquod aliud poſitiuum, quod nomine ingeniti ſignificatur. Secundò; quia perſona Patris habet quod ſit primum aliarum perſonarum principium: ſed priùs habet rationem primi, deinde rationem principij. Ergo debet conſtitui in ratione perſonæ primæ per aliquod poſitiuũ, quod ſit formalitas diſtincta à paternitate.

34 Si argumentum hoc bonum apparet arguenti, ſic in arguentem retorquetur. Perſona Patris eſt aliquod realiter, & formaliter poſitiuum. Ergo debet conſtitui per formalitatem aliquam realiter, & formaliter poſitiuam, ac proinde, poſitiuè prolatam, ſicut & ipſa perſona eſt realiter, & formaliter quid poſitiuum, & poſitiuè profertur. Ergo debet conſtitui per aliquam formalitatem realiter, & formaliter poſitiuam, nec non debet etiã poſitiuè proferri: ſed per Vaſquez Ingenitum de materiali directò, ſignificat poſitiuum, de formali verò, & quò ad modum proferendi, formaliter negatiuum.

35 Reſpondetur igitur ad argumentum, negando antecedens. Ad cuius primã probationem, diſtinguo, ſeù explico primam antecedentis partem. Non conſtituitur per paternitatem, vt referens eſt, tranſeat antecedens; quoniam de veritate illius, infra tractabimus. Non conſtituitur per paternitatem, vt eſt veluti forma hypoſtatica, nego antecedẽs. Ergo &c. nego conſequentiam. Ad ſecundam probationem, concedo maiorẽ, & nego minorem. Dico enim, quòd priùs ſecundùm noſtrum intelligendi modum habet rationem principij, deinde rationem primi. Vnde quamuis perſona Patris dicatur primum principium, tamen ſi ſecundùm ordinem formalitatũ loqui velimus, debemus dicere, quòd perſona Patris eſt principium primum, priùs ſcilicet, ponendo poſitiuum, deinde negatiuum, quod fundatur ſupra poſitiuum.

36 Pro cuius intelligentia eſt obſeruandum, quòd primum dupliciter accipi poteſt; Per comparationem ſcilicet, ad ſecundum; & per negationem prioris, quia ſcilicet, non habet aliud principium à quo ipſum deriuetur. Primo modo, ly, *primum*, dicit aliquod poſitiuum. Secundò verò modo, dicit aliquod negatiuum. Et quia Pater æternus non dicitur primum principium aliarum perſonarum, quaſi prҽter ipſum ſit aliud principium, quod ſit principium ſecundum. Nam reſpectu Spiritus ſancti, licèt ſimul quoque cum Patre concurrat Filius; nihilominùs, quia Filius cõcurrit per eamdem omninò virtutem ſpiratiuam, qua Pater, non dicitur ſecũdum principium, ſed ratione virtutis ſpiratiuæ Pater, & Filius ſunt vnum principium Spiritus ſancti: reſpectu verò productionis Filij, neque etiam vocatur primum principiũ illius; quia cum Filius à ſolo Patre procedat, non poteſt aſſignari principium ſecundum, quapropter, Pater ҽternus dicitur principium primum non per comparationem ad principium ſecundum, ſed per negationem alterius principij, ſeù alterius perſonæ à qua ipſa perſona Patris ſit aliquo modo producta.

37 Dicet aliquis. Si eſſe ingenitum, ſeù eſſe primum in ratione principij productiui, non dicit aliquod poſitiuum à generatione actiua, & à paternitate ratione diſtinctum, & eſt veluti quid ipſa paternitate poſterius, per quid ergo conuenit perſonæ Patris, ſeù paternitati in ratione formæ hypoſtaticæ ratio primi?

38 Reſpondeo, hoc conuenire ratione paternitatis, veluti modificantis eſſentiã in ratione fæcundæ. Nam Pater in diuinis fæcunditatem exercet diuinæ naturҽ, ſecundùm quòd intellectus diuinus, vt in Patre, eſt potentia generatiua; & quia ante proceſſionem per intellectum, non poteſt prior, & alia conſiderari proceſſio; idcircò conuenit Patri ratio principij primi, qua Pater eſt, non reduplicãdo

rationem

Digitized by Google

rationem communem paternitatis, ſecundùm quòd dicitur de paternitate creata, & increata, ſed reduplicando cum ſpecificatione paternitatem perſonæ diuinæ. Quæ intelligendo generat. Ac proinde, ex eò quia Pater eſt, conuenit ei ratio primæ proceſſionis, & principij primi.

DISPVTATIO CLXXXI.

VTRVM PERSONA PATRIS INTELLIGATVR ſecundùm noſtrum intelligendi modum quaſi pullulans ab Eſſentia.

Per vnicum caput expedita.

CAPVT VNICVM.

Explicatur titulus, Doctorum opiniones referuntur, & Diſputatio reſoluitur.

1 SVpponimus ex iam dictis, Patrem eſſe Ingenitum, ideſt, à nullo realiter procedentem, ſed ipſum eſſe totius Deitatis, ac Trinitatis principium, Deitatis, inquam, principium communicatiuum; Trinitatis verò non reſpectu omnium trium perſonarum, quia eſſet principium ſui, ſed reſpectu perſonarum, quæ inter perſonas Trinitatis dicuntur, & ſunt productæ. Vnde remanet, quòd Pater ſit à ſe, non tanquã à principio, quia implicat eſſe productiuum ſui; quapropter modum loquendi Lactantij lib. 1. cap. 7. dicentis, *Deus à ſe ipſo eſſe procreatum*, Theologi non approbant, ſed potiùs reprobant, vel explicant, pro vt idem ſonat, quòd Deus eſt à nullo productus, ſed per ſe ipſum eſt veriſſimè Deus. Senſus ergo quæſiti eſt, Vtrùm licèt Pater realiter à nullo procedat, concedendum tamen ſit, quòd intelligatur quaſi ab eſſentia pullulare. Lactant.

2 Quidam dicunt, ꝙ neque etiam ſecundùm noſtrum intelligendi modum Pater æternus intelligitur, quaſi ab eſſentia pullulare, ſed aſſerunt, quòd *Paternitas immediatè coniungitur eſſentiæ, vt incommunicabilis terminus illius formaliter incluſus in ipſa ratione eſſentiæ diuinæ*. Ita Magiſter Petrus de Herrera q. 27. art. 5. concl. 2. Idque tenere coguntur omnes, aſſerentes diuinas perſonas eſſe de intrinſeco, ac eſſentiali conceptu eſſentiæ diuinæ. Herrera.

3 Quidam verò dicunt perſonam Patris ſecundùm noſtrum intelligendi modum veluti pullulare ab eſſentia diuina ex eſſentiali actu intelligendi; & hanc ſententiam Pater Suarez, lib. 8. de Trinit. cap. 5. dicit eſſe cuiuſdam moderni Theologi ingenioſi, & docti, fortaſſe voluit dicere hanc ſententiam fuiſſe Molinæ. Suarez. Etenim Molina q. 27. art. 3. diſp. 4. §. *Tertium*, & §. ſequenti, *Cautè vſus ſum*. Molina. Vbi poſtquàm explicauit, & aſſeruit, Patrem quaſi procedere ab eſſentia diuina, quatenùs intelligit ſe ipſam, ſic ait; *Cautè vſus ſum verbo, quaſi reſultat, dum bis antea dixi, eſſentia, ſeù Deo, quà Deus eſt, in illo priori per intellectum ſe ipſum intelligente, quaſi reſultare à parte eſſentiæ relationem eius, à quo alius per intellectum, ex qua, & eſſentia conſtituitur Pater &c.* Et ſubdit, *Ibi nulla eſt productio, neque proceſſio, quà paternitas, relatiuè eius à quo alius per intellectum procedat, aut producatur ab eſſentia*. Et paucis interiectis ſic ſuam declarat poſitionem. *Inde eſt quòd noſtro intelligendi modo cum fundamento in re ab eſſentia ad ſe ipſam reſpiciente, ſeque ipſam intelligente, quaſi reſultare intelligatur paternitas in ipſamet eſſentia, vnà cum eſſentia conſtituens ſuppoſitum relatiuum Patris*.

4 Quidam deniquè dicunt, paternitatẽ, ſeù Patrem noſtro intelligendi modo, intelligi quidem quaſi ab eſſentia diuina pullulare, non ſicut præcedens affirmat opinio, ſed ſicuti proprietas intelligitur à ſua eſſentia reſultare. Ita tenentur dicere omnes ſuſtinentes, Patrem ratione ratiocinata diſtingui ab eſſentia, & Patrem, ſeù paternitatem conſiderari vt proprietatem, eſſentiam verò veluti omnium

Digitized by Google

omnium proprietatum radicem, & fundamentum, inter quos præſertim ſunt Pater Suarez lib. 8. de Trinit. c. 1. Becanus 2. tract. q. 3. nu. 4. Belarminus lib. 2. de Chriſto cap. 8. Faſolus hìc dubit. 5. nu. 32. & omnes ſuſtinentes perſonas diuinas virtualiter, aut actualiter ex natura rei ab eſſentia diuina diſtingui.

Suarez. Becanus. Belarmin. Faſolus.

5 Pro determinatione autem veritatis, Dico primò. Perſona Patris à nullo alio principio, reali proceſſione procedit.

Hoc dictum eſt ita certum, ſicuti certum eſt, Patrem æternum eſſe primam in Deitate perſonam, & ſicuti certum eſt illud Athanaſij ab Eccleſia amplexum, & à Concilijs confirmatum, nimirum, *Pater à nullo eſt factus, nec creatus, nec genitus.*

Athanaſ.

6 Probatur tamen ratione; Quia ſi Pater æternus re vera ab aliquo alio procederet proceſſione reali; vel illud à quo procedit, eſt ſubſiſtens ſubſiſtentia abſoluta, vel eſt ſubſiſtens ſubſiſtentia perſonali, & relatiua: Vtrumque dicere eſt abſurdum. Ergo. Maior patet; quia illud à quo Pater reali proceſſione prodiret, iam deberet eſſe ſubſiſtens; operationes enim ſubſiſtentium ſunt: ſed in diuinis non datur aliud ſubſiſtentiæ genus, niſi ſubſiſtentia abſoluta, & ſubſiſtentia perſonalis, & relatiua. Ergo. Probatur verò minor, & quidem quòd non ſit ſubſiſtens ſubſiſtentia abſoluta, patet; quia producens, & productum realiter diſtinguuntur, ſed ſubſiſtens abſolutum deitatis non diſtinguitur realiter à perſona Patris, nec ab aliqua alia perſona diuina, cum ſit toti Trinitati commune. Ergo. Quod verò non ſit ſubſiſtens ſubſiſtentia perſonali, aut relatiua, etiam patet, quia illa ſubſiſtentia perſonalis, vel eſt perſona Patris, vel perſona Filij, vel perſona Spiritus ſancti, vel aliqua alia perſona à tribus iam numeratis diſtincta. Quidquid dicatur eſt abſurdum, & à fide catholica omninò alienum. Ergo. Maior patet ex ſufficienti enumeratione. Probatur minor. Nam non eſt perſona Patris, quia Pater eſſet producens ſe ipſum. Non eſt perſona Filij; quia à Patre eſt Filius, & non à Filio, Pater, iuxta illud Athanaſij. *Filius à ſolo Patre eſt, & Pater à nullo eſt factus &c.* Non eſt perſona Spiritus ſancti propter eamdem rationem, quia *Spiritus ſanctus eſt à Patre, & Filio*, vt Athanaſius ait, & non è contra. Neque tandem aliqua alia perſona, tum quia eſſet proceſſus in infinitum. Illa enim alia perſona, vel eſt prima, vel non prima, ſed ab alia. Si prima; quare ergo ab alia non procedit? Et inſuper, quare hæc primitas non tribuitur Patri? Si ab alia; ecce proceſſus in infinitum. Tum etiam quia, non tres tantùm eſſent in deitate perſonæ, ſed quatuor, vel plures, quod eſt hæreticum. Dicitur enim 2. Ioannis vlt. *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in cælo, Pater, Filius, & Spiritus ſanctus.* Ergo.

Athanaſ.

1. Io. vlt.

7 Dico ſecundò. Pater non procedit ex Deo, vt cognoſcente, non ſolum proceſſione reali, ſed neque ſecundum noſtrum intelligendi modum.

Probatur primò; Quia intelligere per quod conſideraretur Pater quaſi pullulans ab eſſentia diuina, eſt quid eſſentiale abſolutum, ac toti Trinitati commune. Ergo non poteſt intelligi quaſi ſolius Patris principium. Patet conſequentia, quia quod eſt abſolutũ, vt abſolutum, eſt commune toti Trinitati, ac proinde, non conuenit vni dumtaxat perſonæ.

8 Probatur ſecundò; Quia ſi Pater intelligeretur quaſi pullulans à Deo vt intelligente ſe, ſequeretur, quòd Pater ſecundùm hanc conſiderationem eſſet Filius Dei ſecundùm rationem. Hoc eſt abſurdum, & ridiculum. Ergo. Minor cum conſequentia patet. Probatur ſequela; quia Pater hoc modo, quaſi pullulans, quaſi procederet vt ſimilitudo Dei intelligentis ſe. Ergo eſſet Filius. Et ſic eſſent duo Filij, vnus Dei abſolutè intelligentis ſe, qui eſt prima in Trinitate perſona, & alter eſſet Filius ab eadem prima perſona productus.

9 Dico tertiò. Pater æternus veluti dimanat ab eſſentia diuina, vt fœcunda, veluti proprieta, etiamſi eſſentia diuina non conſiſteret in illo intelligere, & quia dimanat, vt Pater, dicitur quaſi prodire vt prima perſona.

10 Probatur prima pars; Quia non darentur plures perſonæ in Deo, niſi propter exercitium fœcunditatis naturæ diuinæ. Ergo veluti pullulat ab eſſentia in ratione fœcundæ.

11 Probatur ſecunda pars; Quia Pater veluti modificat intellectum diuinum. Nam intellectus Dei, pro vt eſt in Patre, eſt potentia generatiua; & quia proceſſiones in diuinis ſunt ſecundùm intellectum, & voluntatem, ac proinde, prima proceſſio eſt per intellectum. Ergo procedit vt prima perſona, quatenùs veluti modificat &c.

12 Dices. Si Pater intelligeretur veluti pullulans ab eſſentia, hoc quod eſt eſſe ingenitum, non magis conueniret Patri, quàm eſſentiæ. Hoc eſt contra determinata in ſuperioribus diſputationibus. Ergo. Probatur ſequela; quia ideo Pater dicitur ingenitus, quia re vera à nullo procedit: ſed eſſentiæ diuinæ non ſolum

Digitized by Google

conuenit re vera à nullo procedere, verùm vt neque ſecundum rationem ab alio pullulare dicatur; cum ſit omnium attributorum radix; Patri autem conuenit, quaſi reſultare ab eſſentia. Ergo.

12. Reſpondetur, negando ſequelam. Ad cuius probationem concedo maiorem, & diſtinguo, ſeù explico minorē. Eſſentiæ diuinæ non ſolùm conuenit re vera à nullo procedere &c. conuenit tamen ei, vt à Patre ſit communicata Filio, & à Patre, & Filio Spirituiſancto, concedo minorem. Et non conuenit ei vt à Patre ſit communicata Filio, & à Patre, & Filio Spirituiſancto, nego minorem. Ergo &c. nego conſequentiā; & ratio eſt, quia & ſi Patri conueniat vt ſecundum noſtrum intelligendi modum, intelligatur quaſi ab eſſentia diuina procedens, non tamen conuenit ei, vt ſit ab aliquo alio re vera procedens, aut alteri communicabilis. Diuinæ autem eſſentiæ, vt dictum eſt, conuenit vt ſit communicabilis imò de facto communicata Filio à Patre &c.

QVÆSTIO XXXIV.

DE PERSONA FILII.

IN TRES ARTICVLOS DIVISA.

DEinde conſiderandum eſt de perſona Filij: attribuuntur autem tria nomina Filio, ſcilicet Filius, Verbum, & Imago; ſed ratio Filij ex ratione Patris conſideratur: vnde reſtat conſiderandum de Verbo, & imagine.

Circa Verbum quæruntur tria.

¶ Primò, vtrum Verbum dicatur eſſentialiter in diuinis, vel perſonaliter.

¶ Secundò, vtrum ſit proprium nomen Filij.

¶ Tertiò, vtrum in nomine Verbi importetur reſpectus.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum Verbum in diuinis ſit nomen perſonale.

AD primum ſic proceditur, videtur, quod Verbum in diuinis non ſit nomen perſonale: nomina enim perſonalia propriè dicuntur in diuinis, vt Pater, & Filius; ſed Verbum metaphoricè dicitur in diuinis, vt Origen. dicit ſuper Ioan. ergo Verbum non eſt perſonale in diuinis.

2 Præterea. Secundum Auguſt. in lib. de Trinitate: Verbum eſt notitia cum amore, & ſecundum Anſelm. in monol. dicere ſummo ſpiritui, nihil aliud eſt, quàm cogitando intueri; ſed notitia, & cogitatio, & intuitus in diuinis eſſentialiter

FORMATIO ARTICVLI.

BIpartita eſt corporis diſtributio. Primò, ponit concluſionē reſponſiuam quæſito. Secundò, eam probat.

Quò ad primum, concluſiò eſt iſta. *Nomen Verbi in diuinis, ſi propriè ſumatur, eſt nomen perſonale, & nullo modo eſſentiale.*

Quò ad ſecundū, tria facit: Primò, aſſignat quatuor verbi acceptiones. Secundo dicit quomodo dicitur verbum in Deo. Et tertiò, ex dictis probationē format.

Quò ad horum

 pri-

tialiter dicuntur : ergo Verbum non dicitur perſonaliter in diuinis.

3 Præterea. De ratione Verbi eſt, quod dicatur, ſed ſecūdū Anſel. ſicut Pater eſt intelligēs, & Filius eſt intelligēs, & Spiritus ſanctus eſt intelligēs; ita Pater eſt dicēs, Filius eſt dicēs, & Spiritus ſanctus eſt dicēs, & ſimiliter quilibet eorū dicitur: ergo nomen Verbi eſſentialiter dicitur in diuinis, & non perſonaliter.

4 Præterea. Nulla perſona diuina eſt facta, ſed verbū Dei eſt aliquid factū : dicitur enim in Pſal. 148. Ignis, grādo, nix, glacies, ſpiritus procellarū, quæ faciunt verbum eius : ergo Verbum non eſt nomen perſonale in diuinis.

Sed contra eſt, quod dicit Auguſt. in 7. de Trinitate : Sicut Filius refertur ad Patrem, ita & verbum ad id, cuius eſt verbum; ſed Filius eſt nomē perſonale, quia relatiuè dicitur: ergo & verbū.

Reſpōdeo dicendū, ꝙ nomē Verbi in diuinis ſi propriè ſumatur, eſt nomē perſonale, & nullo modo eſſentiale.

Ad cuius euidētiā ſciendū eſt, quod Verbū tripliciter quidē in nobis propriè dicitur : quartò autē modo dicitur impropriè, ſiuè figuratiuè; manifeſtius autē, & cōmunius in nobis dicitur Verbum, ꝙ voce profertur, quod quidē ab interiori procedit quantū ad duo, quæ in verbo exteriori inueniūtur, ſcilicet vox ipſa, & ſignificatio vocis : vox enim ſignificat intellectus conceptum, ſecundū Philoſophū in lib. 1. periher. & iterū, vox ex ſignificatione, vel imaginatione procedit, vt in lib. de anima dicitur: vox autē, quæ nō eſt ſignificatiua, verbū dici non poteſt : ex hoc ergo dicitur verbū vox exterior, quia ſignificat interiorē mētis cōceptū. Sic igitur primo, & principaliter interior mētis cōceptus verbū dicitur. Secūdario verò, ipſa vox interioris cōcept⁹ ſignificatiua. Tertio verò, ipſa imaginatio vocis verbū dr̄: & hos tres modos, verbi ponit Damaſc. in 1. lib. cap. 17. dicēs, ꝙ verbū dr̄ naturalis intellectus mot⁹, ſm̄ quē mouetur, & intelligit, & cogitat, velut lux, & ſplēdor, quātū ad primū. Rurſus verbū eſt, ꝙ nō verbo profertur, ſed in corde pronūtiatur quātū ad tertiū. Rurſus etiā verbū eſt Angelus, ideſt nūtius intelligētiæ quātū ad ſm̄. Dr̄ autē figuratiuè quarto modo verbū id, ꝙ verbo ſignificatur, vel efficitur, ſicut cōſueuimus dicere, hoc eſt verbū, ꝙ dixi tibi, vel ꝙ mādauit Rex, demōſtrato aliquo facto, ꝙ verbo ſignificatū eſt, vel ſimpliciter enūtiātis, vel etiā imperātis. Dr̄ autē ꝓpriè verbū in Deo ſm̄ ꝙ verbū ſignificat cōceptū intellect⁹: vnde Aug. dicit in 15. de Trin. Quiſquis poteſt intelligere verbū nō ſolū antequā ſonet, verū etiā antequā ſonorū eius imagines cogitatione inuoluātur, iam poteſt videre aliquā verbi illius ſimilitudinē, de quo dictū eſt. In principio erat verbū: ipſe autē cōceptus cordis de ratione ſua habet, ꝙ ab alio ꝓcedat, .ſ. à notitia cōcipiētis: vnde verbū ſm̄ ꝙ ꝓpriè dr̄ in diuinis, ſignificat aliquid ab alio ꝓcedēs; ꝙ ꝑtinet ad rationē nominū ꝑſonaliū in diuinis, eo ꝙ ꝑſonæ diuinæ diſtinguūtur ſm̄ originē, vt dictū eſt: vnde oportet, ꝙ nomē verbi ſm̄ ꝙ ꝓpriè in diuinis accipitur, nō ſumatur eſſētialiter ſed ꝑſonaliter tātū.

Ad

primum, quattuor facit. Primò, quot ſūt verborū genera numerat. Secūdò quatuor verborū genera numerata declarat. Tertiò, comparat ea ad inuicem; Et quartò, dicta, authoritate Damaſceni confirmat.

Quò ad primum; ſic ait. *Sciendum eſt, quòd verbum tripliciter quidem in nobis propriè dicitur. Quarto autē modo, dicitur impropriè, ſiuè figuratiuè.* Quò ad ſecūdū, ſic ait; *Manifeſtiùs autē, & communius, in nobis dicitur verbū, quod voce profertur; quod quidem ab interiori procedit quantum ad duo, quæ in verbo exteriori inueniūtur, ſcilicet; vox ipſa, & ſignificatio vocis. Vox enim ſignificat intellectus conceptum, ſecundùm Philoſophū l. 1. Perihe. Et iterū, vox ex ſignificatione, vel imaginatione procedit, vt in lib. de anima dicitur. Vox autem, quę nō eſt ſignificatiua, verbum dici non poteſt. Ex hoc ergo dicitur verbū, vox exterior, quia ſignificat interiorem mentis conceptum. Dicitur autē figuratiuè quarto modo Verbum, id quod verbo ſignificatur, vel efficitur, ſicut conſueuimus dicere, hoc eſt verbum, quod dixi tibi, vel quod mandauit Rex, demonſtrato aliquo facto &c.* Quò ad tertium, ſic ait; *Sic igitur, primò, & principaliter interior mentis conceptus verbū dicitur. Secundariò verò ipſa vox interioris conceptus ſignificatiua. Tertiò verò, ipſa imaginatio vocis verbum dicitur.* Quò ad quartū, ſic ait; *Et hos tres modos verbi, ponit Damaſcenus in 1. lib. cap. 17. dicens, quòd verbum dicitur naturalis intellectus motus, ſecundū quē mouetur, & intelligit, & cogitat, velut lux, & ſplendor, quātùm ad primum. Rurſus verbū eſt quod non verbo profertur, ſed in corde pronunciatur, quantùm ad tertium. Rurſus, etiam verbum eſt Angelus, ideſt nuncius intelligentiæ, quantùm ad ſecundùm.*

Quò ad ſecundū, primi principalis, ſic ait. *Dicitur autem propriè verbum in Deo, ſecundùm quòd verbum ſignificat conceptum intellectus,* idque authoritate Diui Auguſtini confirmat, ſic dicens. *Vnde Auguſtinus dicit in 15. de Trinitate. Quiſquis poteſt intelligere verbum, non ſolum antequàm ſonet; verum etiam antequàm ſonorū eius imagines cogitatione inuoluantur, iam poteſt videre aliquā verbi illius ſimilitudinem, de quo dictum eſt, In principio erat verbum.*

Quò ad tertium; probatio eſt iſta. *Ipſe conceptus cordis de ratione ſua habet, quòd ab alio procedat, ſcilicet à notitia concipientis.* Ergo oportet, *quòd nomen verbi; ſecundum quòd propriè in diuinis accipitur, non ſumatur eſſetialiter, ſed perſonaliter tantùm.* Antecedens ex dictis ſupponit vt verum. Probat autem conſequentiam; quia ſi conceptus cordis de ratione ſua habet, quòd ab alio procedat. Ergo verbū ſecūdū ꝙ propriè dicitur in diuinis, ſignificat aliquid ab alio procedens.

Tunc

Digitized by Google

Tūc vltra. Sed quod ſic ſe habet, pertinet ad rationem nominum perſonalium in diuinis. Eo quòd, perſonæ diuinæ diſtinguuntur ſecundū originē. Vnde oportet, ꝙ nomē verbi, ſm̄ quòd propriè in diuinis accipitur, non ſumatur eſſentialiter, ſed perſonaliter tātū.

Ad primum argumentum reſpondet, concedendo maiorē, & negando minorē, negādo quoquè quātùm ad hoc, Origenis authoritatē. Legatur littera.

Ad ſecundum argumentum reſpondet, explicando maiorem. *Verbum eſt notitia cum amore*, accipiendo notitiam pro termino, ſeù pro eo, quod intellectus cōcipit cognoſcendo, concedit maiorem. Accipiendo notitiā, pro actu intellectus cognoſcētis, vel pro aliquo eius habitu, negat maiorem. Et ſimiliter dicit ad authoritatē Anſelmi. Similiter diſtinguēda eſt minor, & neganda eſt conſequentia.

Ad tertium argumentum reſpondet, & reſponſio ſic in forma proponitur. *De ratione verbi eſt quòd dicatur*, ideſt, quòd intelligatur, & ſimul ab alio proferatur, ſeù producatur, concedit maiorem. *De ratione verbi eſt, quod dicatur*, ideſt, quòd intelligatur, & non quòd ab alio proferatur, ſeù producatur, negat maiorem. Ad minorem. *Sed ſecundum Anſelmum &c.* diſtinguit, ſeù explicat minorē. *Sed ſecundùm Anſelmum, ſicut Pater eſt intelligens &c. ita Pater eſt dicens, Filius eſt dicens, & Spiritus ſanctus eſt dicens; Et ſimiliter, quilibet eorum dicitur*, accipiendo ly, *dicere*, impropriè, pro intelligere; & ly, *dici*, pro intelligi, concedit minorē; & Anſelmum in hoc ſenſu locutū eſſe affirmat. Accipiendo ly, *dicere*, & ly, *dici*, propriè, ideſt, intelligendo producere, & dum intelligitur, producitur, negat minorem; & in hoc ſenſu non locutus eſt Anſelmus. Ergo &c. negat conſequentiam.

Ad quartum argumentum reſpondet, concedendo maiorē, & negando minorē. Ad cuius probationē explicat authoritatē Sacræ Scripturæ. *Dicitur in Pſalm. 148. Ignis, grādo, nix, glacies, Spiritus procellarum, quæ faciunt verbū eius*, figuratiuè acceptū, concedit minorem. *Quę faciunt verbū eius*, accipiendo verbum propriè, negat minorem. Ergo &c. negat conſequentiam. *Si enim creaturæ dicuntur facere verbum Dei, in quantùm exequuntur effectum aliquem, ad quem ordinātur ex verbo concepto diuinæ ſapientiæ; ſicut aliquis dicitur facere verbū Regis, dum facit opus ad quod ex verbo Regis inſtigatur.*

Ad primum ergo dicendum, quod Arriani, quorum fons Origenes inuenitur, poſuerunt filium alium à Patre eſſe in diuerſitate ſubſtantiæ; vnde conati ſunt, cum filius Dei verbum dicitur, aſtruere nō eſſe propriè dictum, ne ſub ratione verbi procedentis, cogerentur fateri filium Dei non eſſe extra ſubſtantiam Patris: nam verbum interius ſic à dicente procedit, quod in ipſo manet; ſed neceſſe eſt, ſi ponitur verbum Dei, metaphoricè dictum, quod ponatur verbum Dei, propriè dictum: non enim poteſt aliquid metaphoricè verbum dici, niſi ratione manifeſtationis. Quia vel manifeſtat ſicut verbum, vel eſt verbo manifeſtatum: ſi autem eſt manifeſtatum verbo, oportet ponere verbum, quo manifeſtatur. Si autem dicitur verbum, quia exterius manifeſtat ea, quæ exterius manifeſtantur, non dicuntur verba, niſi inquantum ſignificāt interiorem mentis conceptum, quem aliquis etiam per exteriora ſigna manifeſtat: etſi ergo verbum aliquando dicatur metaphoricè in diuinis, tamen oportet ponere verbum propriè dictum, quod perſonaliter dicatur.

Ad ſecundum dicendum, quod nihil eorum, quę ad intellectum pertinent, perſonaliter dicitur in diuinis, niſi ſolum verbum. Solum enim verbum ſignificat aliquid ab alio emanans: id enim, quod intellectus in concipiendo format, eſt verbum. Intellectus autem ipſe ſecundum quod eſt per ſpeciem intelligibilem in actu, conſideratur abſolutè; & ſimiliter intelligere quod ita ſe habet ad intellectum in actu, ſicut eſſe ad ens in actu: non enim intelligere ſignificat actionem ab intelligente exeuntem, ſed in intelligente manentem. Cum ergo dicitur, quod verbum eſt notitia, non accipitur notitia pro actu intellectus cognoſcentis, vel pro aliquo eius habitu; ſed pro eo, quod intellectus concipit cognoſcendo: vnde & Auguſt. dicit, quod verbum eſt ſapientia genita; quod nihil aliud eſt, quàm ipſa conceptio ſapientis: quæ etiam pari modo notitia genita dici poteſt; & per eundem modum poteſt intelligi, quod dicere Deo, ſit cogitando intueri, inquantum ſcilicet, intuitu cogitationis diuinæ concipitur verbum Dei. Cogitationis tamen nomen, Dei verbo propriè non conuenit: dicit enim Auguſt. 15. de Trinitate: Ita dicitur illud verbum Dei, vt cogitatio non dicatur, ne aliquid eſſe quaſi volubile credatur in Deo, quod non accipiat formam, vt verbum ſit, eāque dimittere poſſit, atque informiter quodammodo volutari. Cogitatio enim propriè in inquiſitione veritatis conſiſtit, quæ in Deo locum non habet: cum verò intellectus iam ad formam veritatis pertingit, non cogitat, ſed perfectè veritatem contemplatur: vnde Anſelmus impropriè accipit cogitationem pro contemplatione.

Ad tertium dicendum, quod ſicut propriè loquendo, verbum dicitur perſonaliter in diuinis, & non eſſentialiter, ita & dicere: vnde ſicut verbum non eſt commune Patri, & Filio, & Spirituiſancto, ita non eſt verum, quod Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus ſint vnus dicens: vnde Auguſt. dicit 7. de Trinitate, Illo coæterno verbo non ſingulus intelligitur in diuinis, ſed dici conuenit cuilibet perſonæ. Dicitur enim non ſolum verbum, ſed res, quæ verbo intelligitur, vel ſignificatur: ſic ergo vni ſoli perſonæ in diuinis conuenit dici eo

modo quo dicitur Verbum; eo verò modo, quo dicitur res in verbo intellecta, cuilibet perſonæ conuenit dici, Pater enim intelligendo ſe, & Filium, & Spiritum ſanctum, & omnia alia, quæ eius ſciẽtia continentur, concipit Verbum vt ſic tota Trinitas verbo dicatur, & etiam omnis creatura. Sicut intellectus hominis verbo, quod concipit intelligẽdo lapidem, dicit. Anſelm. verò impropriè accepit dicere, pro intelligere; quæ tamen differunt, nam intelligere importat ſolam habitudinem intelligentis ad rem intellectam: in qua nulla ratio originis importatur; ſed ſolum informatio quædã in intellectu noſtro, prout intellectus noſter fit in actu per formam rei intellectæ. In Deo autem importat omnimodam identitatem, quia in Deo eſt omninò idem intellectus, & intellectum, vt ſupra oſtenſum eſt; ſed dicere importat principaliter habitudinem ad verbum conceptum: nihil enim eſt aliud dicere, quàm proferre verbum, ſed mediante verbo importat habitudinem ad rem intellectam, quæ in verbo prolato manifeſtatur intelligenti; & ſic ſola perſona, quæ profert verbum, eſt dicens in diuinis, cum tamen ſingula perſonarum ſit intelligens, & intellecta, & per conſequens verbo dicta.

Ad quartum dicendum, quod verbum ſumitur ibi figuratiuè, prout ſignificatum, vel effectus verbi, dicitur verbum: ſic enim creaturæ dicuntur facere verbum Dei, inquantum exequuntur effectum aliquem, ad quem ordinantur ex verbo concepto diuinæ ſapientiæ; ſicut aliquis dicitur facere verbum Regis, dum facit opus, ad quod ex verbo Regis inſtigatur.

SVPER ARTICVLVM COMMENTARIVM.

1 N*Omen Verbi in diuinis, ſi propriè ſumatur, eſt nomen perſonale, & nullo modo eſſentiale*. Concluſio hæc mihi omninò certa eſt. Etenim Sacra Scriptura quotiès de Verbo in diuinis abſolutè loquitur, nomine verbi intelligit ſecundam in Trinitate perſonam. Ioannes enim Apoſtolus, & Euangeliſta à Chriſto ſingulariter inſtructus, volens Incarnationis myſterium explicare, non in aliquo eſſentiali, ſed in perſona Filij dumtaxat factum eſſe; ſic diuinitùs ſuum exorditur opus. *In principio* Ioan. 1.
erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum, abſquè vllo prorſus addito, verbum nominat; Et nomine verbi intelligit ſecũdam Trinitatis perſonã, ideſt, Filiũ; & poſtquàm multa de huius Verbi diuinitate prompſit, ſic auguſtiſſimũ incarnationis expreſſit arcanum: *Et Verbum Caro factum eſt*. Quaſi diceret; Illud Verbum, quod eſt coniunctum æternaliter, immanenter, & conſubſtantialiter cum Patre æterno. Illud, per quod omnia *facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt, &c.* Illud, inquit, eſt incarnatum. Sic locutus eſt Ioannes. Numquid in materia tàm graui licebat tàm celeberrimo doctrinæ Chriſtianæ Magiſtro, nominibus improprijs vti, & propria nomina, aut dimittere, aut pœnitus ignorare? Vtrumquè nefas eſt dicere. Ergo.

Durand. 2 Hinc patet non benè Durandum, qui in 1. diſt. 27. q. 3. cõtendit, quòd Verbum in diuinis non dicitur perſonaliter, ſed eſſentialiter, ſic num. 8. dicens. *Dico enim, quòd Verbum de vi nominis, & propriè, dicit aliquid eſſentiale, & non perſonale. Et appropriatione tamen trahitur ad perſonale*. Et nu. 11. ſic concludit. *Ergo Filius non habet rationem Verbi, niſi ratione eſſentiæ; vel alicuius eſſentialis, & non ſecundùm aliquid perſonale. Patet ergo, quòd verbum de vi vocis, & propriè eſt aliquid eſſentiale*. Quod Durandi dictum Theologi, *non periculoſum modò verumetiam temerarium vocant*, & ego *hæreticum dicerem, niſi modeſtius eſſet Eccleſiæ definitioni huius vocabuli notam derelinquere;* vt admonet Melchior Cano in alia materia .ſ. in electione de Sacramẽtis par. 2. Mel. Can.
cõcl. 3. vbi ait, quòd fides Chriſti explicita poſt Euangelij diuulgationem eſt ad ſalutem cuiuſque hominis neceſſaria; & id negare, contra negantes verba relata profert.

3 *Nomen Verbi in diuinis ſi propriè ſumatur, eſt nomen perſonale, & nullo modo eſſentiale. Et nullo modo*, ſi ſumatur quantùm ad rationem differentialem verbi. Quandoquidem ſi ſumatur quantùm ad omne illud quod realiter, & formaliter formalitate rei, identificatur cum verbo, aliquo modo accipitur eſſentialiter. Vnde ſatis attentè dixit, quòd nomen verbi in diuinis &c. non autem dixit entitas verbi; quoniam nomen verbi de ſua ratione formali ſignificat alicuius expreſſiuũ, ſeù manifeſtatiuum, vt ab alio procedens.

4 *Verbum tripliciter quidem in nobis propriè dicitur. In nobis*, reſtrictiuè, & non explicatiuè. Et ratio eſt, quia nec in ſubſtantijs cognoſcitiuis ſupra hominem nec infra hominem triplex verbum inuenitur,

Digitized by Google

uenitur,nec inueniri poteſt. Etenim in Deo non datur verbum imaginationis, nec verbum oris, nequè in Angelis,cum ſint ſubſtantiæ tantùm intellectuales, & nullatenùs materiales. Datur igitur in iſtis tantummodo verbum mentis. In brutis verò, cæteriſquè cognoſcentibus homine inferioribus,non datur verbum mentis,nec oris, ſed ſolum verbum imaginationis. Non mentis, quia mente carent; nequè oris, quia non formant voces ſignificatiuas pro vt ab eorum imaginatiua procedunt. *Vox enim exterior*,vt docet D. Thomas hìc, *niſi ſit ſignificatiua, verbum dici non poteſt*. Supereſt igitur,vt ſolùm in nobis triplex verbum propriè acceptum inueniatur; nempè, verbum mentis, oris, & imaginationis. Verbum mentis ratione partis intellectiuæ, eſtquè ſimilitudo rei intellectæ. Verbum oris ratione partis corporeæ, eſtquè ſignificatiuum, ſeù expreſſiuum conceptus, ſeù verbi mentalis. Et tandem,verbum imaginationis,ratione partis ſenſitiuæ internæ. Eſtquè imaginatio interna efformatrix vocis extrinſecus proferendæ.

D.Thom.

5 *Verbum tripliciter quidem in nobis propriè dicitur*. *Propriè*, ſed non vniuocè, imò tantùm analogicè. Non inquam vniuocè, ſed analogicè; quia vt D. Thomas hìc, *primò, & principaliter interior mẽtis conceptus verbum dicitur. Secundario verò ipſa vox interioris conceptus ſignificatiua. Tertiò verò,ipſa imaginatio vocis verbum dicitur*. Ergo non vniuocè,ſed analogicè. Patet iſta conſequentia. Quia quod primò, & principaliter dicitur de vno, & deinde de cæteris,non vniuocè, ſed analogicè dicitur.

D.Thom.

6 *Verbum tripliciter quidem in nobis propriè dicitur*. Dubium occurrit. Quomodo vox exterior mentis ſignificatiua, ſit propriè verbum. Nam de ratione verbi vt diximus tom. 1. diſp. 34. cap. 2. eſt eſſe expreſſam, ac formalem ſimilitudinem obiecti. Imò diximus,quòd eſt eiuſdem quidditatis cum obiecto quò ad eſſe repræſentatiuum in actu ſecundo: ſed vox non eſt huiuſmodi. Ergo. Probatur minor ex iis, quæ diximus tom. 2. q. 13. art. 1. cum D. Thomà,& Ariſtot. lib. 1. periher. *Voces ſunt ſigna intellectuum; & intellectus ſunt rerum ſimilitudines*. Item vox ſignificat ad placitum. Ergo non eſt expreſſa, ac formalis ſimilitudo rei conceptæ,ſeù conceptus rei intellectæ.

D.Thom. Ariſtot.

7 Reſpondetur, explicando maiorem de verbo interno, non autem de verbo communiſſimè accepto.

8 Dices. Quid eſt ergo verbum propriè acceptum, quatenùs eſt quid commune verbo mentis, oris, & imaginationis?

9 Dico, quòd de ratione verbi vt ſic, eſt ab alio procedere, vt alicuis rei,vel vocis manifeſtatiuum. Supra autem locuti ſumus de verbo mentis; non autem de verbo communiſſimè accepto.

10 *Verbum tripliciter quidem in nobis propriè dicitur*. Dubium occurrit de verbo imaginationis, Vtrum ſcilicet,ſit intrinſecè, & formaliter verbum. Videtur quod ſic. Quod enim eſt propriè tale, eſt formaliter, & non per extrinſecam denominationem tale: ſed verbum imaginationis eſt propriè verbum. Ergo eſt formaliter,& non per extrinſecam denominationem verbum. Maior eſt clara inductiuè, & minor eſt D. Thomæ hìc in principio corporis. Sed videtur quòd non. Nam Caietanus in huius articuli commentario ſic ait; *Verbum igitur, quod formaliter ſaluatur in verbo cordis, & oris tantum, in cogitatiua autem cauſaliter; ideo &c.* Ergo vel non rectè Caietanus interpretatus eſt D. Thomam, vel verbum imaginationis,non eſt formaliter verbum.

11 Reſpondetur primò, quòd verbum imaginationis de quo, & eo modo quo D. Thomas in hoc art. loquitur,non eſt formaliter verbum; ſed tantùm cauſaliter. Ad cuius autem impugnationem reſpondetur diſtinguendo maiorem. Quod eſt propriè tale, accipiendo ly, *propriè*, pro vt contradiſtinguitur, à cauſaliter, & extrinſecè, eſt formaliter &c. concedo maiorem. Quod eſt propriè tale, accipiendo ly, *propriè*, pro vt diſtinguitur à metaphoricè tale, eſt formaliter &c. nego maiorem vniuerſaliter. Similiter diſtinguenda eſt minor; & neganda eſt conſequentia.

12 Explicatur iſta reſponſio. Medicina V.G. dupliciter poteſt dici ſana, propriè loquendo, primò, pro vt ly, *propriè*, accipitur, quatenùs diſtinguitur contra metaphoricè; & ſic ſenſus eſt,quod non dicitur ſana figuratiuè, propter qualitates ſcilicet ſibi,& vt in ſe eſt cum debita proportione conuenientes. Et in hoc ſenſu propriè dicitur ſana; quia ſcilicet,eſt verè, & propriè ſanitatis cauſa; licèt in ſe formaliter propriè non ſit ſana. Secundo,poteſt dici propriè ſana formaliter, & intrinſecè, quaſi ſit ſubiectum habens in ſe veram, ac formalem rationem ſanitatis. Et in hoc ſenſu, licèt pertineat ad propriam rationem ſanitatis, non tamen poteſt dici propriè ſana. D. Thomas igitur,dixit vtiquè, quòd verbum tripliciter quidem in nobis propriè dicitur, non tamen dixit, quòd verbum tripliciter quidem in nobis, formaliter, & intrinſecè dicitur. Vnde ſtat, vt verbum imagi-

imaginationis ſit propriè verbum ; & quod ſit verbum per ſolam extrinſecam denominationem, cauſaliter ſcilicet, ſecundùm quòd eſt cauſa verbi propriè accepit, & hoc dixit Caietanus. Quare menti D. Thomæ non opponitur.

Herrera.

13 Reſponderi poteſt ſecundò cum Herrera hic concl. 2. Verbum imaginationis aliquando eſſe formaliter, & intrinſecè verbum. Et aliquando, non niſi extrinſeca denominatione. Eſt enim verbum intrinſecè, & formaliter, quatenùs accipitur verbum imaginationis, pro idolo, ſeù conceptu rei ſenſibilis. Eſt quoquè formaliter, & intrinſecè verbum imaginationis, idolum, ſeù conceptus ſtructuræ, ſeu formationis vocis extrinſecùs proferendæ pro mentis conceptu manifeſtando. Non tamen eſt formaliter, & intrinſecè verbũ, ſed ſolùm cauſaliter, & ꝑ extrinſecã denominationẽ, quatenùs .ſ. ille imaginationis conceptus pro vocis exterioris proferendę compoſitione formatus, eſt in ordine ad eiuſdem vocis ſignificationem. Etenim imaginatiua componit quidem, ſeù format litteras, ſyllabaſquè vocis, ſeù verbi externi ; non tamen tali voci ſignificationem præbet; cum ſit vocis ſignificatio ex beneplacito hominis cum artificio intellectus impoſita ; & in hoc ſenſu locutus eſt Caietanus, quem ratio incontrarium poſita nõ impugnat.

Caiet.

14 Quod autem noſtra prima expoſitio ſit ad mentem Caietani, & opinio Caietani non ſit à mente D. Thomæ aliena, ex eo manifeſtari poteſt, ſi ſcilicet, præfatam D. Thomæ propoſitionem iterum proponamus, & quantùm ad illam particulam, *propriè*, denuò explicemus.

Caietan.

15 *Verbum tripliciter quidem in nobis propriè dicitur*. *Propriè*, non pro vt diſtinguitur contra cauſaliter, ſed pro vt diſtinguitur contra metaphoricè. Ita Caietanus in præſentis articuli commentario. *Quò ad ſecundum* inquit, *ad declarandum ly, propriè ſumptum, diſtinguitur verbi nomen, & ordinat eius modos. Diſtinguit quidem, quòd ſumitur dupliciter, ſcilicet propriè, & metaphoricè. Et rurſus, propriè, ſumitur tripliciter ; & ſic adunando omnes modos, quadrupliciter dicitur, tribus quidem primis modis propriè ; & quarto ſimilitudinariè*. Ecce igitur, quomodo ly, *propriè*, à Caietano accipitur, pro vt diſtinguitur contra ſimilitudinariè, & metaphoricè dumtaxat, non verò pro vt diſtinguitur contra cauſaliter. Quapropter Caietanus ibidem §. *Ad cuius euidentiam*, nec ſibi contradicit ; nec falſum dicit, ſed congruenter, & conſequenter loquitur, dicens. *Verbum igitur, quia formaliter ſaluatur in verbo cordis, & oris tantùm ; in cogitatiua autem cauſaliter*, & non dixit, in cogitatiua autem ſimilitudinariè.

D. Thom.

16 Hoc idem manifeſtè D. Thomas in corp. prædocuerat. Sic enim ait ; *Verbum tripliciter quidem in nobis propriè dicitur. Quarto autem modo dicitur impropriè, ſiuè figuratiuè*. Duo igitur ſunt diſtinctionis membra à D. Thoma poſita ; *Propriè* ſcilicet, & *impropriè*. Vt ergo ſit adęquata diſtinctio, dicendum eſt, quòd omne illud verbum quod à verbo, *impropriè*, excluditur, ſeù ſub verbo, *impropriè* dicto non includitur, debet ſub verbo propriè dicto contineri : ſed verbum *cauſaliter*, non continetur ſub verbo, *impropriè* dicto per D. Thomam. Nam verbum *impropriè* dictum, ſumitur pro verbo *figuratiuè*, ſeù metaphoricè dicto, quod non coincidit cum verbo cauſaliter accepto.

D. Thom.

17 Et ne hæc doctrina ſeù explicatio pro ſententia Caietani, videatur extorta ſeù violenta in via Diui Thomæ. Vide D. Thomam in diſputatis de verit. q. 2. art. 1. in corp. vbi quærit. *Num ſcientia in Deo ſit* ; Et varias referens diuerſorum opiniones pro ſecunda opinione ab ipſo recitata, adducitur illa, quæ docet in Deo non eſſe ſcientiam formaliter, ſed cauſaliter. Pro tertia verò immediatè ſequẽti, refert opinionem eorum qui dixerũt, quòd datur ſcientia in Deo per quamdã ſimilitudinem proportionis. Sic enim ait. *Et ideo alij dixerunt, quòd per hoc, quod Deo ſcientiam attribuimus, vel aliquid huiuſmodi, nihil in eo ponimus, ſed ſignificamus ipſum eſſe cauſam ſcientiæ in rebus creatis &c.* Et deinde ; *Et ideo*, inquit, *alij dixerunt, quòd ſcientia, & alia huiuſmodi Deo attribuũtur, per quamdam ſimilitudinem proportionis, ſicut attribuitur ei ira*. Et tandem concludens catholicam concluſionem, ſic ait. *Et ideo aliter dicendum eſt, quòd ſcientia Deo attributa, ſignificat aliquid quod in Deo eſt*. Ecce igitur, quomodo aliud eſt dicere cauſaliter ; & aliud figuratiuè. Et D. Th. paucis interiectis ; omnes præcedentes, ſeù relatas reijciens opiniones, dixit, quòd *ſcientia Deo attributa, ſignificat aliquid, quod in Deo eſt*. *Quod*, ſcilicet *in Deo eſt*, nõ ſolùm cauſaliter, verùm etiam formaliter. Nec ſimilitudinariè, ſed propriè.

18 Et ſupra, in hac prima parte q. 13. pręſertim art. 6. hoc nomen *cauſaliter* accipitur nõ pro vt continetur ſub *impropriè*, ſeù metaphoricè, ſed pro vt opponitur ly, *eſſentialiter*, ſeù formaliter. Vnde in corp. ſic ait. *De alijs autem nominibus, quæ non metaphoricè dicuntur de Deo, eſſet etiam eadem ratio, ſi dicerentur de Deo cauſaliter tãtùm, vt quidam poſuerunt : ſed ſupra oſtenſum eſt,*

Digitized by Google

eſt ; quòd huiuſmodi nomina non ſolùm dicuntur de Deò cauſaliter, ſed etiam eſſentialiter. Hæc ille.

19 Vbi aduerte, quòd ly, *cauſaliter*, & *eſſentialiter*, in loco iam citato, ſunt duo membra oppoſita, & adæquatè diuidentia modum eſſendi; quo prædicata Deo attribui poſſunt, adæquata, inquam, nō abſolutè, ſed ſecluſo alio membro, nempè metaphoricè.

20 Hinc etiam patet, quòd bona ſit ratio à Caietano aſſignata, quare ſcilicet, D. Thomas inter tria verba propriè ſumpta, primum locum verbo mentis, ſecundum verbo oris, & tertium verbo imaginationis dedit.

21 Poſſet quoquè alia ratio aſſignari, & eſt iſta; quia ſcilicet, ordine naturæ priùs eſt verbum mentis, non ſolùm via executionis, & nobilitatis, verumetiam in ratione cauſæ finalis. Non enim verbū mētis eſt propter alia verba formatum, ſed propter ipſum alia verba formantur. Ecce quomodo primus locus debetur verbo mentis. Et quamuis verbum imaginationis ſit prius via executionis formatum, quàm verbum oris, non tamen verbum oris eſt propter verbum imaginationis, ſed è contra, verbū imaginationis formatur etiam propter verbum oris. Eſt igitur verbum imaginationis propter verbum mentis, & oris. Quare &c.

22 *Manifeſtiùs, & communiùs*. Non ſecūdùm naturæ ordinem, ſed quò ad nos, & quò ad nominis impoſitionem. *Communiùs*, non quaſi ſenſus ſit, quòd ſecūdùm communiorem opinionem, ſed *communiùs*, ideſt magis ordinariè, & minùs rigoroſè.

23 *Vox autem, quæ non eſt ſignificatiua, verbum dici non poteſt*. Et meritò ſic dicit. Solemus enim dicere, quod cùm quis aliquam vocem profert, quam nos non intelligimus, nos loquentis vocem ignoramus; vel quòd neſcit loqui, vel quòd re vera non loquitur. Etenim loqui eſt explicare conceptum.

DISPVTATIO CLXXXII.

VTRVM FILIVS IN DIVINIS, SIT VERè, ET propriè Verbum.

Per vnicum caput expedita.

CAPVT VNICVM.

Explicatur titulus, opiniones referuntur, & veritas ſtabilitur.

1 CVm quærimus, Vtrū Filius &c. in hac diſp. accipitur ly, ꝓpriè pro vt contradiſtinguitur à figuratè, & metaphoricè, non vero pro vt contradiſtinguitur prædicatum perſonale à prædicato eſſentiali. Hoc enim diſputatione ſequenti inueſtigabitur. Vndè nequè etiam in præſenti diſquirimus, Vtrum Filius ex vi ſuę proceſſionis ſit verè, & propriè Verbum, nequè, vtrum hoc nomen Verbum, ſit ita proprium nomen Filij, vt alteri perſonæ diuinæ cum ſermonis proprietate conuenire non poſſit. Tantùm ergo breuiter diſputamus, Vtrum perſonæ Filij, ſiuè ex propria perſonali ratione, ſiuè ex ratione eſſentiali verè, & propriè attribuatur eſſe verbum, an tantummodo metaphoricè. Vel vtrum ratio propria verbi, verè, & propriè conueniat Deo.

2 Durandus non eſt in hac diſp. pro opinione negante referendus omninò, eò quia, licèt reſolutè affirmet, Filium non eſſe verè, & propriè Verbum ex vi ſuæ perſonalis proceſſionis, non tamen negauit rationem Verbi verè, & propriè dici de Deo; Vnde in 1. diſt. 27. q. 3. nu. 8. ſic ait; *Dico enim, quòd Verbum de vi nominis, & propriè dici aliquid eſſentiale, & non perſonale. Ex appropriatione tamen trahitur ad perſonale*. Idem repetit ibidem num. 13. Durand.

3 Arriani negantes perſonam Filij dici verè, & propriè Verbum Dei, videntur rationem formalem Verbi intellexiſſe, putātes, quòd Verbum debet procedere ab

Digitized by Google

ab intelligente, per actionem immanentem intellectus, eſſequè in ipſo intelligente immanenter exiſtentē, ac proinde, licèt admittant Deum eſſe intelligentem, non tamen admitterent, in Deo dari verè, & propriè verbum. Similiter D. Aug. Alogiani, qui, vt refert Auguſtinus tom. 6. de hæreſibus ad Quoduultdeum hær. 30. negabant etiam dari in Deo Verbū. His enim verbis alogianorum error refertur ab Auguſtino. *Alogiani*, inquit, *propterea ſic vocantur, tanquàm ſine verbo; logos enim græcè, Verbum dicitur; quia Domini Verbum recipere noluerunt, Ioannis Euangelium reſpuentes, cuius nec Apocalipſim accipiunt, has videlicèt ſcripturas negant eſſe ipſius*. Et hos puto nomine Verbi intellexiſſe Filium, & exiſtimaſſe cum vera Philoſophorum, Theologorumquè ſententia de ratione Verbi eſſe procedere ab intelligente, ſeù dicente. Non enim eſt exiſtimandum, quòd Alogiani aſſeruerint Deum non eſſe intelligentē.

4 Ex quo colligitur, quòd diſcrimen inter Arrianos, & Alogianos ex vna parte, & Durandum ex altera conſiſtit in hoc; quia Arriani, & Alogiani licèt de ratione formali Verbi rectè ſentirent, ſicut conſubſtantialitatem perſonæ Filij cum Deo Patre blaſphemantes omninò negabant, ita quoquè rationem propriā Verbi in Deo non concedebant. Durand. Durandus verò, tanquam verus Catholicus, conſubſtantialitatem perſonæ Filij cum Deo Patre firma confitebatur fide, tamen rationem formalem Verbi contra communem Philoſophorum, Theologorumquè conſenſum tenens, non rectè percepit. Vnde per hoc, quod Durandus nomine Verbi affirmat verè, & propriè dari in Deo, nullus Catholicorum negat; & ſolùm in modo loquendi eſt inter eos differentia; quia ſcilicèt, Durandus ait, intellectionem eſſentialem in Deo eſſe verè, & propriè Verbum. Alij verò dicūt dari quidem intellectionem eſſentialem, negant verò ipſam dicendam eſſe verè, & propriè Verbum.

5 Communis igitur Theologorum ſententia eſt, Filium Dei eſſe verè, & propriè Verbum. Vnde pro determinatione veritatis, Dico breuiter. Filius Dei eſt verè, & propriè Verbum.

6 Probatur primò authoritatibus Sacræ Iſaiæ 40. Scripturæ. Dicitur enim Iſaiæ 40. *Verbum autem Domini manet in æternum*, quem locum multi exponunt de Filio Dei. Dicitur quoquè Eccl. 1. *Fons ſapientiæ Verbū* Eccl. 1. Ioan. 1. *Dei*. Et Ioan. 1. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*. *Et Verbum caro factum eſt*. Vbi eſt ſermo de Filio Dei, vt apud omnes expoſitores patet. Et verba ſequentia manifeſtè declarant. *Et vidimus*, inquit Io. 1. *gloriam eius, gloriam quaſi Vnigeniti à Patre*. 1. Io. 5. Et idem Ioannes Epiſt. 1. cap. 5. *Tres*, inquit, *ſunt qui teſtimonium dant in Cælo, Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus, & hi tres vnum ſunt*. Et idem, Apoc. 19. *Habēs*, Apoc. 19. inquit, *nomen ſcriptum, quod nemo nouit, niſi ipſe, & veſtitus erat veſte aſperſa ſanguine, & vocatur nomen eius Verbum Dei*.

7 Hæc D. Ioannis Apoſtoli teſtimonia adeo clara ſunt & conuincentia, vt Alogiani negantes Verbum in diuinis, negauerint quoquè ab eodem D. Ioanne fuiſſe conſcripta, vt patet ex verbis nuper citatis ex Auguſtino tom. 6. de hæreſ. ad Quoduultdeum hæreſ. 30.

8 Probatur ſecundò Sanctorum Patrū authoritatibus. Nam S. Ignatius Martir Epiſt. ad Magneſianos ſic ait. S. Ign. M. *Filius eſt ipſius Patris Verbum, non prolatum, ſed ſubſtantiale; non enim locutionis articulatæ vox eſt, ſed diuinæ efficaciæ ſubſtantia genitus*. Et hoc videtur in Concilio Syrmienſi Cōc. Syr. determinatum. Poſtquàm enim in cōfeſſione fidei ſic dixerit; *Credimus in vnū Deum Patrem &c. Et in vnigenitum eius Filium &c. per quem facta ſunt omnia in cælo, & in terra, viſibilia, & inuiſibilia, Verbum exiſtens, & ſapientia*, ſic explicat quomodo ſit Verbum propriè, vt *ſi quis*, inquit, *deinde affectiuum, aut prolatiuum Verbum dixerit, anathema ſit*. Et deinde; *Si quis audiens Verbum caro factum eſt, Verbum in carnem mutatum putauerit, aut conuerſione facta ſuſcepiſſe carnem, anathema ſit*. Ecce quomodo retinetur nomen Verbi, & excluditur ſignificatio Verbi affectiui, aut prolatiui. Et Clemens Romanus Cle. Rō. Epiſt. 1. ad Iacobum fratrem Domini colum. 7. ſic ait. *Deus ergo Pater ſecreti Sacramenti vocabulum eſt, cuius verè Filius eſt Verbum*. Et Cyrillus Alexandrinus Cyril. Al. lib. 7. theſauri cap. 2. contra Eunomiū, aſſerentem non eſſe proprium vocabulum Filij Dei, *Verbum*, arguit contra Eunomium, & dicit, quòd per hoc dicendus eſt Eunomius, *hoſtis diuinarum ſcripturarum, & præcipuè Ioannis Euangeliſtæ, qui appellationem hanc, tanquàm maximè propriam Filio Dei poſuit*. Si ſecundùm Cyrillum hoc nomen Verbū, eſt ex ſentētia Io: Euangeliſtæ appellatio maximè propria, quo auſu Durandus poteſt ſuſtinere eſſe impropriā perſonaliter loquēdo? Et idē Cyrillus c. 1. ſic concludit. *Verum igitur Patris Verbum, Filius eſt; neque eſt aliud verum Patris Verbum; quàm Filius*. Si ergo Filius eſt verum Verbum, quare non propriè Verbum? Et cap. 4. ſic ait. *Quid prohibebit Verbum etiam propriè Filium Dei appellari, & hoc vocabulo maximè ipſum eſſe*

Filij,

Digitized by Google

pro vt homines percipere poſſunt, ſignificari? Quamuis multa quoquè alia verba ſint abuſiuè, & ad imitationem veri Verbi appellata. Multa alia verba dicit abuſiuè verba vocari, & ad imitationem veri Verbi, quod eſt Verbum diuinum. Ergo Filius Dei ſecundùm Cyrillum eſt verè, & propriè Verbum. Et D. Damaſcenus lib. 1. fid. cap. 6. ait, *Verbum eſſe genitum, & Filium*. Damaſc.

D. Aug. 9 Et D. Auguſtinus lib. 5. de Trinitate cap. 13. ait ſic. *Dicitur relatiuè Filius, relatiuè dicitur & Verbum, & imago, & in omnibus his vocabulis ad Patrem refertur*. Idem docet lib. 6. cap. 2. ſic dicens. *Verbum quidem ſolus Filius accipitur, non ſimul Pater, & Filius, tanquàm ambo vnum Verbum*. Et poſt nonnulla ſic ait. *Sicut Verbum de Verbo dici non poteſt, quia non ſimul ambo Verbum, ſed ſolus Filius*. Et lib. 7. cap. 2. ſic ait. *Sicut Filius ad Patrem refertur, non ad ſe ipſum dicitur, ita & Verbum ad eum, cuius verbum eſt, refertur. Eò quippè Filius, quo Verbum, & eò Verbum, quò Filius.*

10 Probatur tertiò ratione; quia Filius procedit per intellectum. Ergo procedit, vt Verbum mentis Patris æterni. Sed verbum mentale eſt propriè, & non metaphoricè verbum. Ergo Filius eſt verè, & propriè, non autem metaphoricè verbum. Ex ijs, quæ diſput. ſeq. dicemus, complebitur præſentis quæſiti intelligentia; & ex authoritatibus in hac diſputatione poſitis concluſio ſequentis diſputationis roborabitur.

DISPVTATIO CLXXXIII.

VTRVM VERBVM IN DIVINIS SIT NOMEN perſonale, eſſentiale, an vtrumquè ſimul.

In duo capita diſtributa.

CAPVT PRIMVM.

Explicatur titulus, & Doctorum opiniones referuntur.

1 DISPVTAMVS in præſenti, Vtrum ſic Filius in diuinis dicatur verè, & propriè Verbum, vt non ſolùm excludatur ratio metaphorica Verbi, verum etiam ratio verbi conueniat tantummodo perſonæ, an tantummodo eſſentiæ; principaliùs eſſentiæ, & minùs principaliter perſonæ, aut è contra, an ſignificet vtrumquè ſimul, ita vt ex æquo ſit nomen perſonale, & eſſentiale.

Duran. Arriaga. 2 Suppoſita perſona Filij in diuinis, ſolus Durandus inter Theologos, imò inter Chriſtianos, vt obſeruat Arriaga diſput. 52. ſect. 2. num. 8. tenet, quod Verbum in diuinis eſt propriè nomen eſſentiale, non verò perſonale, ſed *ex appropriatione trahitur ad perſonale, ſicut ſapientia*, ita in 1. diſt. 27. q. 3. num. 8. & deinceps.

3 Alij verò tenent Verbum in diuinis dicere abſolutum, & relationem, & quòd *principaliter dicit abſolutum, ſecundariò autem relationem ad dicentem, & ad ea, quæ exprimuntur verbo; Ex quibus reſpectus ad dicentem, eſt realis, reſpectus autem expreſſiui ad res dictas, eſt reſpectus rationis*. Ita Ferrarienſis, 4. cont. gent. cap. 13. §. *Ad ſecundum dubium*. Ferrarie...

4 Alij verò tenent, quòd Verbum in diuinis vtroquè modo accipitur, eſſentialiter ſcilicet, & perſonaliter. Tribuitur D. Thomæ, in 1. diſt. 27. quæſt. 2. art. 2. Capreolo, ibidem quæſt. 2. concl. 4. & Valentiæ, quæſt. 1. de Trinit. punct. 1. §. 3. D. Tho. Capreol. Valentia.

5 Communiter tamen Theologi tenent, Verbum in diuinis propriè loquendo eſſe nomen perſonale, non verò eſſentiale, niſi ſecundùm quandam accommodationem. Sententia hæc eſt D. Thomæ hìc in corp. & ad 2. & in 1. ſent. ad Anibaldum diſt. 27. quæſt. 2. art. 1. quem ſequuntur Scotus, in 1. diſt. 27. quæſt. 1. Gabriel, quæſt. 2. Bonauentura, Aegidius, Riccardus. idem D. Tho. Scotus. Gabriel. Bonauen. Ægidius. Riccar.

 ſuſtinent

Digitized by Google

Alexand. Henricus. Caiet. Torres. Bañes. Vaſquez. Nazarius. Herrera. Gonzal. Ayoſa. Faſolus. Suarez. Zuniga. Ruiz. Arriaga.

ſuſtinent Alexander 1. p. q. 62. memb. 2. Henricus, art. 58. quæſt. 2. art. 59. q. 4. ad 3. & q. 5 in corp. & diſt. 27. Caietanus hìc, Torres, ſupra q. 27. diſput. 6. Bañes, Vaſquez, Nazarius, Herrera, Gonzalez, Ayoſſa, Faſolus, Suarez, lib. 9. de Trinitate cap. 2. Zuniga, diſput. 9. dub. 1. Ruiz, de Trinitate diſp. 57. ſect. 2. 3. & 4. Arriaga, ſuper 1. p. diſput. 52. ſect. 2. & omnes alij. Vnde pro determinatione veritatis.

6 Dico breuiter. Verbum in diuinis propriè loquendo, eſt tantummodò nomen perſonale, non autem eſſentiale, niſi ſecundùm inadæquatam, & incompletam rationem verbi.

7 Quò ad primam partem probatur primò omnibus authoritatibus tùm Sacræ Scripturæ, tùm etiam Sanctorum Patrum pro probatione dicti præcedentis diſputationis iam allatis, quæ omnes probant hoc nomen verbum, eſſe propriè nomen perſonale, non verò eſſentiale.

8 Probatur ſecundò ratione; quia de ratione verbi eſt includere, & dicere duo, relationem ſcilicet, dicti ad dicentem, procedentis ad producentem, & expreſſi ad exprimentem; alterum verò eſt ſimilitudinem ſic expreſſam eſſe obiecti repræſentatiuam: ſed iſta duo ſimul tantummodò perſonæ diuinæ conueniunt, vt pluries D. Thomas ipſe teſtatur, non verò eſſentiæ, aut alicui prædicato eſſentiali. Ergo Verbum in diuinis propriè loquendo, eſt nomen perſonale, non verò eſſentiale.

9 Probatur tertiò; quia Filius in diuinis procedit per intellectum. Ergo ſecundùm quòd procedit, conuenit ei, vt ſit verbum. Sed eſſentiæ diuinæ, & ſimiliter cuicumquè prædicato eſſentiali, ſeù abſoluto repugnat procedere, ſeù produci per intellectum. Ergo eſſentiæ diuinæ, & cuicumquè prædicato abſoluto, & eſſentiali repugnat eſſe verè, & propriè verbum.

10 Quò ad ſecundam verò partem, patet; quia eſſentia diuina, vt eſt obiectum cognitum etiam repræſentat omnia alia, quæ in eadem eſſentia cognita cognoſcuntur. Ergo quantùm ad hoc, quòd eſt in actu ſecundo repræſentare, poteſt inadæquatè dici verbum. Vnde in hoc ſenſu communiter Theologi dicere ſolent, quòd Beati vident omnia in Verbo, ideſt, in diuina eſſentia.

CAPVT SECVNDVM.

Proponuntur argumenta in contrarium, & ſoluuntur.

11 SED contra iſtam determinationē obijciet aliquis primò ex Durando; quia ſicut conuenit Verbo eſſe nomen perſonale, aut eſſentiale in diuinis, ſic conuenit quoquè ſapiētiæ; & è contra: ſed ſapientia eſt nomē eſſentiale, & ſolùm per quandam accōmodationem eſt nomen perſonale. Ergo ſimiliter, Verbum propriè eſt nomen eſſentiale, & per quamdam accommodationem eſt nomen perſonale. Maior patet ex verbis Concilij Syrmienſis, vbi dicitur, quod Filius Dei eſt *Verbum exiſtens, & ſapientia.* Durand. Syrmienſ.

12 Reſpondetur, diſtinguendo, ſeù potiùs explicando maiorem. Sicut conuenit &c. ſic quoquè conuenit ſapientiæ genitæ, concedo maiorem. Sapientiæ abſolutè prolatæ, & abſolutè intellectæ, nego maiorem. Similiter diſtinguenda, ſeu potiùs explicanda eſt minor, & neganda eſt conſequentia.

13 Reſponſio colligitur ex doctrina D. Auguſtini, & D. Thomæ. Ex doctrina quidem D. Auguſtini, quia 9. de Trinitate ſic ait; *Non eo Verbum, quo ſapientia, quia Verbum non ad ſe dicitur, ſed tantùm relatiuè ad eum cuius Verbum eſt, ſicut Filius ad Patrem: Sapientia verò eo quo eſſentia; & ideo quia vna eſſentia, vna ſapientia. Quoniam verò, & Verbum ſapientia eſt, ſed non eo Verbum, quo ſapientia. Verbum enim relatiuè, ſapientia verò, eſſentialiter intelligitur.* Hæc ille. Ecce igitur quomodo ſapientia abſolutè prolata, & abſolutè intellecta, non eſt nomen perſonale, ſed eſſentiale. Et de hac ſapientia loquendo, concedit D. Auguſtinus, quòd Pater dicitur ſapientia ſapiens; negat verò, quòd Pater ſit ſapiens ſapientia cum hoc addito, ſcilicet, genita. D. Aug.

14 Ex doctrina quoque Diui Thomæ; quia Diuus Thomas 4. cōt. gent. cap. 12. quærens *Quomodo Filius Dei dicatur Dei ſapientia*, circa medium ſic ait. *In Deo autem ſapientia quidem oportet dici, ex eo quòd ſe ipſum cognoſcit, ſed quia non cognoſcit ſe per aliquam ſpeciem, niſi per eſſentiam, quinimmo, & ipſum eius intelligere eſt eius eſſentia, ſapientia Dei habitus eſſe non poteſt, ſed eſt ipſa Dei eſſentia.* D. Thom.

Manifeſtum

Digitized by Google

Manifeſtum eſt autem ex dictis, quòd Dei Filius eſt Verbum, & conceptio Dei intelligentis ſe ipſum. Sequitur igitur, (nota) *quòd ipſum Dei Verbum tanquàm ſapienter mente diuina conceptum, propriè concepta, ſeu genita ſapientia dicatur.* Et multis interiectis ſic ait; *Sed tamen licèt Filius, qui eſt Dei Verbū, propriè ſapientia concepta dicatur, nomen tamen* (nota) *ſapientiæ abſolutè dictum, oportet eſſe commune Patri, & Filio; cum ſapientia, quæ per Verbum reſplendet, ſit Patris eſſentia; eſſentia verò Patris ſit ſibi, & Filio communis.* Hæc ille. Ecce tota reſponſio allata quomodo eſt in doctrina D. Thomæ fundata, imò expreſſa doctrina illius.

15 Obijciet ſecundò. Quia hoc nomen Verbum, conuenit Filio, ſicuti conuenit Spirituiſancto hoc nomen amor; ſed hoc nomen amor, non eſt proprium nomen perſonale, ſed propriè eſt nomen eſſentiale, & per quamdam appropriationem dicitur nomen perſonale. Ergo ſimiliter hoc nomen Verbum.

16 Confirmatur. Sic conuenit Filio hoc nomen Verbum, ſicut tertiæ in Trinitate perſonæ conuenit hoc nomen Spiritus ſanctus: ſed hoc nomen Spiritus ſanctus, propriè eſt nomen eſſentiale, & per quamdam accommodationem tantummodo eſt perſonale. Ergo etiam hoc nomen Verbum, propriè eſt nomē eſſentiale, & per accommodationem tātummodo eſt perſonale.

17 Reſpondetur, negando maiorem; & ratio negationis eſt, quia hoc nomen amor, ex vi ſuæ ſignificationis habet, vt ſignificet eſſentialem dilectionem; Imò etiam ex vſu loquentium ſignificat aliquod eſſentiale, niſi addatur, vel implicitè aliquid additum ſub intelligatur, ſcilicet, amor à Patre, Filioquè procedens. Nam abſolutè loquendo, ſicuti Deo cōuenit voluntas, ſic etiam Deo conuenit amor. Vnde D. Thomas ſupra q. 20. poſtquàm in q. præced. de voluntate Dei tractauit, de amore Dei ex profeſſo, & eruditè diſquirit. Et quando hoc nomen amor, cum aliquo addito, vt dixi, tanquàm nomen Spiritus ſancti ponitur, non debet accipi pro ipſo amoris actu, ſed pro termino per amorem producto, quemadmodum, quando Filius vocatur ſapientia genita, non debet intelligi ſapientia pro actu intelligendi, ſed pro termino per ſapientiam Patris producto. Vnde amor, quatenùs eſt nomē Spiritus ſancti, accipitur pro ipſo termino producto per amorem, vel ſi pro ipſo amoris actu concipitur, Spiritus ſanctus non dicitur amor propriè, ſed cauſaliter; at verò hoc nomen Verbum, ex vi ſignificationis ipſius vocis, & rationis formalis eius, non dicit actum intelligēdi, ſed terminum productum per ipſum actum notionaliter acceptum. D. Thom.

18 Ad confirmationem reſpondetur, diſtinguendo, ſeu potiùs explicando maiorem. Sic conuenit Filio ex propria ſignificatione vocis, & ex Doctorum vſu, hoc nomen Verbum, ſicut tertiæ in Trinitate perſonæ conuenit non ex vi propriæ ſignificationis, ſed ex vſu, & accommodatione Eccleſiæ, hoc nomen Spiritus ſanctus, concedo maiorem. Sed ex vi propriæ ſignificationis, & etiam ex vſu, nego maiorem. Tunc conceſſa minori, nego conſequentiam.

19 Sed obſerua, quòd hoc nomen Spiritus ſanctus, licèt quantùm ad vocis propriam ſignificationem nullo modo ſit propriè nomen perſonale, ſed eſſentiale dumtaxat, tamē ſi accipiatur in vi vnius dictionis, eſt ita ab Eccleſia propter ſignificandam tertiam perſonam in Trinitate accommodatū, vt ſtet loco proprij nominis. Vnde loco proprij nominis etiam à Chriſto Domino fuit inſtitutum. Quapropter dixit, *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.* Marc. vlt.

20 Obijciet tertiò. Si dicere eſt eſſentiale, etiam ipſum verbum correſpondens ipſi dicere, eſt eſſentiale: ſed dicere in diuinis eſt quid eſſentiale, non autem perſonale. Ergo ſimiliter Verbum in diuinis eſt quid eſſentiale, non autem perſonale. Maior patet; quia dicere, & verbum cum ſint proportionabiliter ſe habentia, ſunt eiuſdem ordinis. Minor verò probatur; quia Anſelmus in Monologion cap. 6. ait, quòd *dicere Dei eſt cogitando intueri.* Item quod *Pater, Filius, & Spiritus ſanctus ſunt vnum dicens.* Et cap. 34. ait, *quòd dicere Dei eſt intelligere.* Et D. Aug. lib. 7. de Trinit. cap. 1. ait, quòd *omnes perſonæ diuinæ dicunt.* Et D. Thomas in hoc art. ad 2. ſic ait. *Nihil eorum, quæ ad intellectum pertinent, perſonaliter dicitur in diuinis, niſi ſolum verbum.* Sed dicere non eſt verbum. Ergo ex mente Anſelmi, Auguſtini, & Thomæ dicere in diuinis eſt quid eſſentiale. D. Anſel. D. Aug. D. Thom.

21 Confirmatur; quia in nobis dicere, & verbum, ſunt aliquid abſolutum. Ergo ſimiliter in diuinis. Antecedens patet. Probatur conſequentia; quia vt docet D. Cyrillus lib. 1. theſauri cap. 7. hoc nomen Verbum, tribuitur Filio propter ſimilitudinem ad noſtrum verbum.

22 Reſpondetur, concedendo maiorem, & negando minorem. Ad cuius probationem explico Sanctorum Anſelmi, & Auguſtini authoritates. Nam ly, *dicere,*

Digitized by Google

accipitur pro intelligere, non autem pro vt dicere idem ſonat, ac intelligẽdo verbum producere, & huius doctrinæ elegantem explicationem lege in littera D. Thomæ hic in reſp. ad 3.

23 Ad authoritatem verò D. Thomæ retorqueo in primis contra arguentem argumentum. Nam in tantùm aſſumit arguẽs, quòd dicere in diuinis eſt aliquod eſſentiale, in quantùm intendit concludere, quòd verbum ſit aliquod eſſentiale: ſed Diuus Thomas loco iam cit. ait, quòd *nihil eorum, quæ ad intellectum pertinent, perſonaliter dicitur in diuinis, niſi ſolùm verbum*. Ergo ex D. Thoma etiamſi dicere eſſet quid eſſentiale, adhùc verbum eſſet quid perſonale. Vel dicendum erit, ꝙ ſi ex dicere, quod eſt quid eſſentiale, rectè concluditur, quòd verbum ſit quid eſſentiale, eſſet dicere, quòd D. Thomas in ſuis verbis contradictoria inuoluit. Dicẽdum ergo eſt, quòd verba D. Thomæ ſic ſunt intelligenda. *Nihil eorum, quæ ad intellectum* abſolutè *pertinent, perſonaliter dicitur in diuinis*, concedo. *Nihil eorum, quæ ad intellectum pertinent*, in ordine ad actus notionales, *perſonaliter dicitur in diuinis*, nego. Dicere autem propriè pertinet ad intellectum diuinum, non abſolutè, ſed in ordine ad actus notionales. Vnde cum ſubdit, *niſi ſolum verbum*, debet ſic interpretari, *niſi ſolum verbum*, & id per quod per ſe producitur verbũ. D.Thom.

24 Ad confirmationem reſpondetur, explicando prius antecedens. In nobis dicere, & verbum ſunt aliquid abſolutum ratione eſſentiæ, quam dicunt. Dicunt enim qualitatem, quę eſt quædam eſſentia ſpecialis ab eſſentia prædicamenti relationis diſtincta, non tamen abſoluuntur à reſpectu, ſeù relatione actionis reſpectu termini producti, & procedentis à principio producente per actionem. Hoc igitur modo declarato antecedenti, concedo antecedens, & nego conſequentiam; & ratio negationis eſt, quia Verbum in diuinis eſt quid ſubſiſtens ſubſiſtentia perſonali, ac proinde, non habet rationem eſſentiæ ſpecialis diſtinctæ ab eſſentia diuina, ſed vna eſt dumtaxat in diuinis eſſentia, quæ eſt toti Trinitati communis. Vnde Verbum in diuinis pro vt virtualiter ab eſſentia diuina diſtinguitur, eſt tantùm ſubſiſtens relatio.

25 Obijciet quartò. Non eſt de ratione verbi, vt realiter ab aliquo principio procedat. Ergo Verbum in diuinis eſt quid eſſentiale, non autem quid perſonale. Conſequentia patet. Probatur autem antecedens; quia non eſt de ratione actionis vt ſit realiter ab agente procedens. Ergo neque etiam eſt de ratione verbi &c. Antecedens patet, quia vt ex ſupradictis conſtat, diuinæ proceſſiones, vt ſunt productiones actiuè acceptæ, ſunt verè, & propriè actiones, nõ tamen ſunt verè, & propriè à perſona producente procedentes. Conſequentia autem patet à paritate.

26 Reſpondetur, negando antecedens. Ad cuius probationem concedo antecedens, & nego conſequentiam; & ratio diſparitatis eſt, quia actio perſonæ producentis eſt perfectio illius; ac proinde eſt productio termini, & vltima producentis perſonæ veluti perfectio; ac per conſequens, ſi procederet à perſona producente, perſona producens veluti perficeretur ab actione; & ſic perſona producens ſe haberet vt quid potentiale, reſpectu procedentis actionis: at verò de ratione verbi eſt, vt ſit perſonæ dicentis terminus dictus, ſeù productus, vt diſcurrenti de omni verbo, etiam vocali, patet.

27 Obijcies vltimò; quia D. Thomas in 1. ſent. d. ſt. 27. q. 2. ar. 2. ait, quòd Verbum vtroquè modo ſumi poteſt, *& perſonaliter ſcilicet, & eſſentialiter*, & de verit. q. 4. art. 2. ſic in corp. ait. *Quæſtio autem iſta in ſuperficie videtur eſſe planiſſima, ſed interius conſiderata difficilior inuenitur*, & in eodem corp. concedit, quòd Verbum *poterit etiam dici eſſentialiter*. Ergo non rectè dicitur in hoc art. quod Verbum dicitur in diuinis perſonaliter tantùm. D.Thom.

28 Reſpondetur, relicta illorum procerum reſponſione, dicentium, D. Thomam in hoc art. retractaſſe ſententiam, quod D. Thomas non retractauit ſentẽtiam, ſed dicendum eſt, quòd in 1. ſent. locutus eſt relatiuè, & non aſſertiuè, ideſt, aliorum referendo non propriam determinatè propalando opinionem. Imò propriam mentem etiam ibi inſinuauit. Nam poſtquàm problematicè locutus eſt, hæc verba protulit. *Sed tamen in vſu Sanctorum, & communiter loquentium eſt, quòd hoc nomen Verbum, relationem realiter diſtinguentem importet. Vnde S. Auguſtinus &c.* Sed nulli dubium eſt, quòd ea eſt propria D. Thomæ ſententia, quæ eſt *in vſu Sanctorum, & ſecundùm ſapientes &c.* Ergo iam in 1. ſent. ſuam propriam ſententiam, & ſi non ſtatuit, inſinuauit.

29 In quęſtione verò 4. de verit. loco cit. ſic in corp. fine fatur; *Sed tamen, quia nominibus utendum eſt, ut plures utuntur; quia ſecundùm Philoſophum, uſus maximè eſt emulandus in ſignificationibus nominum: & quia omnes Sancti communiter utuntur nomine Verbi, prout perſonaliter dicitur, ideo hoc*

magis

Digitized by Google

magis dicendum eſt, quòd ſcilicet, perſonaliter dicatur. Et quis dubitat ſententiam D. Thomæ propriam eam eſſe, quam omnes Sancti communiter tenent, & quam magis tenendam eſſe ipſe D. Thomas affirmat? Quamuis igitur D. Thomas loco iam citato argumenta vtriuſquè partis ſoluat, hoc non eſt, quaſi oppoſitam ſuſtinuerit opinionem, ſed quia queſtiones diſputatas componebat, ideo quid diſputatiuè poſſent Doctores dicere, poſuit; tamen ſuam ſententiam apertiſſimè manifeſtauit. Et in hac queſt. & art. vbi non diſputando, ſed aſſerendo opinionem, quam in lib. 1. ſent. inſinuauerat, & de verit. expreſſerat, aperto Marte alias opiniones refutando defendit.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Vtrum Verbum ſit proprium nomen Filij.

AD ſecundum ſic proceditur, videtur, quod verbum non ſit proprium nomē Filij: Filius enim eſt perſona ſubſiſtēs in diuinis; ſed verbum non ſignificat rem ſubſiſtentem, vt in nobis patet: ergo verbum non poteſt eſſe proprium nomen perſonæ Filij.

2 *Præterea. Verbum prolatione quadam procedit à dicente, ſi ergo Filius eſt propriè verbum, non procedit à Patre, niſi per modum prolationis; quod eſt hæreſis Valentini, vt patet per Auguſt. in lib. de hæreſibus.*

3 *Præterea. Omne nomen proprium alicuius perſonæ ſignificat proprietatem aliquam eius: ſi igitur Verbum ſit proprium nomen Filij, ſignificabit aliquam proprietatem eius, & ſic erunt plures proprietates in diuinis, quàm ſupra enumeratæ ſunt.*

4 *Præterea. Quicunque intelligit, intelligēdo concipit verbum, ſed Filius intelligit: ergo Filij eſt aliquod verbum, & ſic non eſt proprium Filij, eſſe verbum.*

5 *Præterea. Hebr. 1. dicitur de Filio: Portans omnia verbo virtutis ſuæ: ex quo Baſilius accipit, quod Spiritus ſanctus ſit verbum Filij: non eſt ergo proprium Filij eſſe verbum.*

Sed contra eſt, quod Auguſt. dicit lib. 6. de Trinit. verbum ſolus Filius accipitur.

Reſpondeo dicendum, quod verbum propriè dictum in diuinis, perſonaliter accipitur, & eſt proprium nomen perſonæ Filij: ſignificat enim quandam emanationem intellectus; perſona autē, quæ procedit in diuinis ſecundum emanationem intellectus, dicitur Filius, & huiuſmodi proceſſio dicitur generatio, vt ſupra oſtenſum eſt: vnde relinquitur, quod ſolus Filius propriè dicatur verbum in diuinis.

Ad primum ergo dicendum, quod in nobis non eſt idem eſſe, & intelligere: vnde illud, quod habet in nobis eſſe intelligibile, non pertinet ad naturam noſtram, ſed eſſe Dei eſt ipſum eius intelligere: vnde verbum Dei non eſt aliquod accidens in ipſo, vel aliquis effectus eius, ſed pertinet ad ipſam naturam eius, & ideò oportet, quod ſit aliquid

ſubſiſtens;

FORMATIO ARTICVLI.

COrporis diſtributio in vnica concluſione bimembri, & in vnica eiuſdem probatione conſiſtit.

Concluſio eſt iſta. *Verbum propriè dictum in diuinis perſonaliter accipitur, & eſt propriū nomen perſonæ Filij.*

Probatio quò ad primum eſt iſta; quia *verbum ſignificat quādam emanationem intellectus.* Ergo *verbū propriè dictum in diuinis, perſonaliter accipitur.*

Probatio quò ad ſecundum, eſt iſta. *Perſona quæ procedit in diuinis ſecundùm emanationem intellectus dicitur Filius, & huiuſmodi proceſſio dicitur generatio.* Ergo *relinquitur, quòd ſolus Filius propriè dicatur verbum in diuinis.*

Ad primum argumentum reſpondet, concedendo maiorem, & diſtinguendo minorem. *Sed verbū in creatis, non ſignificat rem ſubſiſtentem,* concedit minorem. *Sed verbum* Dei, ſeù in diuinis; *non ſignificat rem ſubſiſtentem,* negat minorem. Ergo &c. ſimiliter diſtinguendum eſt cōſequens.

Ad ſecundum argumentum reſpondet, concedendo antecedens, & conſequentiam; Negat verò minorem ſubſumptam, dicens, quòd *non propter hoc error Valentini eſt damnatus, quia Filium dixit prolatione natum, vt Arriani calumniabantur, ſicut Hylarius refert 6. de Trinit. ſed propter varium modum prolationis, quem poſuit, ſicut patet per Auguſtinum.*

Ad tertium argumentum reſpondet, concedendo antecedens, & negando cōſequentiam; & ratio negationis eſt, quia per diuerſa nomina, non ſemper diuerſa proprietas explicatur; ſed aliquando eadem per diuerſa nomina diuerſimodè declaratur. Sic eſt in caſu noſtro, quia *in nomine verbi eadem proprietas importatur, quæ in nomine Filij. Vnde dicit Auguſtinus, eò dicitur verbum, quò Filius. Ipſa enim natiuitas Filij, quæ eſt proprietas perſonalis eius, di-*

uerſis

uerſis nominibus ſignificatur &c.

Ad quartum argumentum reſpondet, diſtinguẽdo, ſeù potiùs explicãdo maiorem. *Quicunquè intelligit*, vt generans, ſeù vt exprimens, *intelligendo cõcipit verbum*, concedit maiorem. *Quicunquè intelligit*, vt genitum, ſeù vt expreſſum &c. negat maiorẽ. Ad minorem. *Sed Filius intelligit*, diſtinguit, ſeù potiùs explicat minorem. *Sed Filius intelligit*, vt Deus genitus, ſeù vt verbum expreſſum, concedit minorem. Vt Deus generans, negat minorem. Ergo &c. negat conſequentiam.

Ad quintum argumentum reſpondet, explicando authoritatem ad Hæbr. 1.

ſubſiſtens; quia quicquid eſt in natura Dei ſubſiſtit, & ideò Damaſc. dicit, quod verbum Dei eſt ſubſtantiale, & in hypoſtaſi ens: reliqua verò verba, ſcilicet noſtra, virtutes ſunt animæ.

Ad ſecundum dicendum, quod non propter hoc error Valentini eſt damnatus, quia Filium dixit prolatione natum, vt Arriani calumniabantur, ſicut Hilar. refert lib. 6. de Trinit. ſed propter varium modum prolationis, quem poſuit, ſicut patet per Auguſt. in lib. de hæreſibus.

Ad tertium dicendum, quod in nomine verbi eadem proprietas importatur, quæ in nomine Filij: vnde dicit Auguſt. Eo dicitur uerbum quo Filius: ipſa enim natiuitas Filij, quæ eſt proprietas perſonalis eius, diuerſis nominibus ſignificatur, quæ Filio attribuuntur ad exprimendum diuerſimodè perfectionem eius: nam, ut oſtendatur connaturalis Patri, dicitur Filius; ut oſtendatur coæternus, dicitur ſplendor, ut oſtendatur omninò ſimilis, dicitur imago, ut oſtendatur immaterialiter genitus, dicitur uerbum; non autem potuit unum nomen inueniri, per quod omnia iſta deſignarentur.

Ad quartum dicendum, quod eo modo conuenit Filio eſſe intelligentem, quo conuenit ei eſſe Deum cum intelligere eſſentialiter dicatur in diuinis, ut dictum eſt: eſt autem Filius Deus genitus, non autem generans Deus: unde eſt quidem intelligens, non ut producens uerbum, ſed ut uerbum procedens, prout ſcilicet in Deo uerbum procedens ſecundum rem non differt ab intellectu diuino, ſed relatione ſola diſtinguitur à principio verbi.

Portans omnia verbo virtutis ſuæ. Nomen verbi accipiendo *figuratè pro effectu verbi, vnde Gloſa ibi dicit, quòd verbum ſumitur pro imperio, in quantum ſcilicet, & effectu virtutis verbi eſt, quòd res conſeruentur in eſſe, ſicut ex effectu virtutis verbi eſt, quòd res producantur in eſſe.* Et hic eſt prçfati teſtimonij ſenſus verus. Ad Sãctum autem Baſiliũ dicentem, quòd Spiritus ſanctus ſit verbum Filij. Reſpondet, quòd verbum accipiens pro Spiritu ſancto, *impropriè, & figuratè locutus eſt; pro vt verbum alicuius dici poteſt, omne illud quod eſt manifeſtatiuum eius, vt ſic ea ratione dicatur Spiritus ſanctus Verbum Filij, quia manifeſtat Filium.*

Ad quintum dicendum, quod cum de Filio dicitur: Portans omnia uerbo uirtutis ſuæ, uerbum figuratè accipitur pro effectu uerbi: unde Gloſſ. ibi dicit, quod uerbum ſumitur pro imperio, inquantum ſcilicet, ex effectu uirtutis uerbi eſt, quod res conſeruentur in eſſe, ſicut ex effectu uirtutis uerbi eſt, quod res producantur in eſſe. Quod uerò Baſilius interpretatur uerbum pro Spiritu ſancto, impropriè & figuratè locutus eſt, prout uerbum alicuius dici poteſt, omne illud, quod eſt manifeſtatiuum eius, ut ſic ea ratione dicatur Spiritus ſanctus uerbum Filij, quia manifeſtat Filium.

SVPER ARTICVLVM. COMMENTARIVM.

1 VTRVM *Verbum ſit proprium &c.* in præcedenti quæſiuit, vtrũ Verbum ſit nomen perſonale, an potiùs eſſentiale: nunc verò quærit vtrum ita ſit nomen perſonale, vt ſit proprium nomen ſolius perſonæ Filij, an etiam alteri perſonæ diuinæ conueniat.

2 *Verbum*, non accipitur pro vt quid commune analogũ verbo, ſcilicet creato, & increato; neque pro vt eſt quid commune verbo propriè, & figuratiuè accepto; ſed pro verbo increato propriè ſumpto, quod ſcilicet, eſt in diuinis per emanationem intellectus.

3 Quæ dicuntur in corp. per ea quæ dicta ſunt art. præced. & ſupra q. 27. ar. 2. 3. & 4. remanent intellecta.

4 In reſponſ. ad 3. *In nomine Verbi eadẽ proprietas importatur, quæ in nomine Filij, Vnde dicit Auguſtinus, eò dicitur verbum, quò Filius.* Nota, quòd non dicit eodem modo eadem proprietas importatur, ſed eadem proprietas importatur. Et Auguſtinus non dicit, quòd eodem modo dicitur Verbum, quo Filius; ſed eò dicitur Verbum, quò Filius. Nam eadem *proprietas perſonalis Filij diuerſis nominibus ſignificatur, quæ Filio attribuũtur ad exprimẽdum diuerſimodè perfectionem eius.*

5 *Ad exprimendũ diuerſimodè.* Non dicit diuerſam,

Digitized by Google

diuerſam, ſed *diuerſimodè*; quia iam dixerat, quòd *in nomine Verbi eadem proprietas importatur*.

6 *Perfectionem eius*. Nomine perfectionis intelligit perfectionem, quæ conuenit Verbo, pro vt eſt perſona procedens à Patre ob fœcunditatem naturæ diuinæ, & in identitate eiuſdem naturæ; non autem loquitur de perfectione, quæ conueniat Filio, pro vt virtualiter à natura diuina diſtinguitur. Nam quòd ſit Filius connaturalis, coæternus, omnino ſimilis, & immaterialiter genitus, prouenit ex fœcunditate naturæ diuinę, ratione cuius, Filius debet omnia ſuprà dicta habere; Vnde patet, quòd non eſt alia perfectio in Verbo, niſi, quia eſt idem naturæ diuinæ. Vel dicendum eſt, quod nomine perfectionis, non intelligit perfectionem propriè dictam, ſed largè, & communiter acceptam, pro vt idem ſonat, ac completam Verbi expreſſionem; & hoc iuxta opinionem aſſerentem, quòd relatio in diuinis nullam dicit perfectionem ab eſsētia diſtinctam, neque imperfectionem; quoniā, ſi loquamur ſecundùm aliam ſententiā affirmantem relationem in diuinis relatiuam dicere perfectionem, non eſt neceſſaria pręcedens explicatio.

7 *Non autem potuit vnum nomen inueniri, per quod omnia iſta deſignarentur*; ſubintellige, per deſignationem explicitam; Et hinc habes, quòd ſupra quæſt. 32. art. 3. dum filiationem ſolummodo ponit notionem perſonalem Filij, nomine filiationis, & Filij, non accepit ſignificationem proprietatis Verbi, quatenùs deſignat dumtaxat, filiationem naturalem, ſed prout includit omnia, vnam proprietatem perſonalem deſignantia. Et meritò, quia hic accipit Filium, inadæquatè, ſcilicet, ſecundùm quòd diſtinguitur, à ſplendore, Verbo, & imagine, ibi verò adæquatè, pro notione Filij, vt litteram intuenti conſtabit, ideſt pro filiatione, quantùm ad id, quod expreſsè deſignat, & quantùm ad id, pro quo accipitur.

8 In reſponſione ad 4. *Eſt autem Filius Deus genitus, non autem generans Deus. Vnde &c.* Optima illius propoſitionis intelligentia inſinuatur, nimirum, *Quicunque intelligit, ex hoc ipſo, quòd intelligit, producit verbum*. Etenim ly, *ex hoc ipſo quòd intelligit*, vltra explicationes ſupra poſitas, ſpecialiter in præſenti pro vt etiam in Deo verificatur, ſic intelligitur. *Quicunque intelligit, ex hoc ipſo, quòd intelligit, producit verbum*, dummodo non ſit intelligens per hoc, quòd obiectum cognitum, ſeù terminus productus eſt, cum ipſo intellectu identificatus. Neque hoc ſufficit, vt intelligens producat verbum in diuinis; Sed intelligens non debet eſſe quid abſolutum ſubſiſtens; ne fortè ſit opus concedere, quòd Deus, ſicuti eſt abſolutè intelligens, ita ſit producens Verbum abſolutum; debet igitur in diuinis ſic limitari, & explicari. Intelligens non per hoc, quòd eſt terminus productus cum intellectu identificatus, ſed ex eo, quòd ex ſua ratione formali habet, vt ſit perſona intelligens; ac per conſequens, naturæ diuinæ fœcunditatem exercens, producit Verbum.

9 Hinc quoque colligitur, quòd Spiritus ſanctus ſit vere, & proprie intelligēs, per hoc, quòd ſit terminus productus per voluntatem, identificatus cum intellectu, non verò quòd producat Verbū, ſic intelligendo. Hæc autem omnia D. Thomas his verbis mirificè expreſſit; *Vnde eſt*, inquit, *quidem intelligens, non vt producens verbum, ſed vt verbum procedens, pro vt ſcilicet, in Deo Verbum procedens ſecūdùm rem non differt ab intellectu diuino*. D. Thom.

10 In reſp. ad 5. *Cum de Filio dicitur; Portans omnia verbo virtutis ſuæ*. Locus iſte Apoſtoli ad Hæbr. 1. variè à Sacris Doctoribus explicatur; & quia ex eius intelligentia doctrina præſentis articuli elucidatur, ideo illum explicemus, præſertim quantùm ad duas particulas, nimirum, *Portans omnia, & Verbo virtutis ſuæ*. Et quidem quantùm ad particulā primam exponitur ſic. Hæbr. 1.

11 *Portans omnia; Omnia* ſcilicet, creando, aut quomodolibet faciendo, iuxta illud Ioan. 1. *Omnia per ipſum facta ſunt*. Ioan. 1.

Portans omnia; Omnia conſeruando, & gubernando, iuxta illud Sapient. 6. *Puſillum, & magnum ipſe fecit, & æqualiter cura eſt illi de omnibus*. Et cap. 8. *Attingit à fine vſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuauiter*. Sap. 6 & 8

12 *Portans omnia; Omnia*, etiam in omnibus operantibus, cooperando, & operādo iuxta illud Iſaiæ 26. *Omnia opera noſtra operatus es in nobis Domine*. Et iuxta illud ad Philipp. 2. *Deus eſt, qui operatur in nobis velle, & perficere &c.* Iſaiæ 26. Philip. 2.

13 *Portans omnia*; propter dependentiam, qua omnia, quantùm ad omnia in eſſe ſcilicet, fieri, conſeruari, & operari dependent à Verbo. Aliquid enim portari quantùm ad omnia ab aliquo, ſignificat dependentiā illius ab eo, qui dicitur portans. Vnde dicit Dominus, Io. c. 15. *Sine me nihil poteſtis facere*. Ioan. 15.

14 *Verbo virtutis ſuæ*; ideſt, ſe ipſo, quod eſt verbum virtuoſum. Explicatio hæc eſt D. Thomæ ſuper eumdem locum Apoſtoli ad Hæbr. 1. Eſtque conſimilis expoſi- D. Thom. Hæbr. 1.

Digitized by Google

expoſitioni Sancti Auguſtini ſuper illud Ioan. 12. *Sermo, quem locutus ſum, ille indicabit vobis*, quem locum ſic D. Auguſtinus exponit. *Ego qui ſum Verbum Patris indicabo eum*.

15 *Verbo virtutis ſuæ*; ideſt, imperio ſuo, ſeù imperio efficaci omnipotentiæ ſuæ. Et hoc non ſolùm actiuè, ſed etiam paſſiuè, ideſt, pro effectu verbi. Et ſenſus eſt iſte. Portans omnia verbo virtutis ſuæ, ideſt, ſuſtentans omnia, quæ manifeſtant, ſeù explicant exteriùs, diuinæ conceptionis effectum, ſicut etiam in Pſ. 118. dicitur, *Ignis, grādo, nix, glacies, ſpiritus procellarum, quæ faciut verbū eius*, ideſt, per virtutem creaturarum explicantur diuinæ conceptionis effectus. Ita Diuus Thomas 4. cont. gent. cap. 13. & hìc. Pſ. 148. D.Thom.

ARTICVLVS TERTIVS.

Vtrum in nomine Verbi importetur reſpectus ad creaturam.

AD *tertium ſic proceditur, videtur quod in nomine verbi non importetur reſpectus ad creaturam: omne enim nomē connotans effectum in creatura, eſſentialiter in diuinis dicitur, ſed verbum non dicitur eſſentialiter, ſed perſonaliter, vt dictum eſt: ergo verbum non importat reſpectum ad creaturam.*

2 *Præterea. Quæ important reſpectum ad creaturas, dicuntur de Deo ex tempore, vt Dominus, & creator, ſed verbum dicitur de Deo ab eterno: ergo non importat reſpectum ad creaturam.*

3 *Præterea. Verbum importat reſpectum ad id, à quo procedit: ſi ergo importat reſpectū ad creaturam, ſequitur quod procedat à creatura.*

4 *Præterea. Ideæ ſunt plures ſecundum diuerſos reſpectus ad creaturas. Si igitur verbum importat reſpectum ad creaturas, ſequitur quod in Deo non ſit vnum verbum tantum, ſed plura.*

5 *Præterea. Si verbum importat reſpectum ad creaturam, hoc non eſt niſi inquantum creaturæ cognoſcuntur à Deo, ſed Deus non ſolum cognoſcit entia, ſed etiam non entia: ergo in verbo importabitur reſpectus ad non entia, quod videtur falſum.*

Sed contra eſt, quod dicit Auguſt. in lib. 83. quæſtionum, quod in nomine verbi ſignificatur nō ſolum reſpectus ad Patrem, ſed etiam ad illa, quæ per verbum facta ſunt operatiua potentia.

Reſpondeo dicendum, quod in verbo importatur reſpectus ad creaturam: Deus enim cognoſcēdo ſe cognoſcit omnem creaturam. verbum igitur in mente conceptum eſt repreſentatiuum omnis eius, quod actu intelligitur; vnde in nobis ſunt diuerſa verba, ſecundum diuerſa, quæ intelligimus; ſed quia Deus vno actu, & ſe, & omnia intelligit, vnicum verbum eius eſt expreſſiuum, non ſolum Patris, ſed etiam creaturarum; & ſicut Dei ſciētia, Dei quidem eſt cognoſcitiua tantum, creaturarum autem cognoſcitiua, & factiua; ita verbum Dei eius, quod in Deo Patre eſt, eſt expreſſiuum tantum, creaturarum verò eſt expreſſiuum, & operatiuum, & propter hoc dicitur in Pſalm. 32. Dixit,

FORMATIO ARTICVLI.

TRipartita eſt corporis diſtributio ſecundùm triplicem concluſionem ibidē poſitam. Primò enim reſpondet abſolutè quæſito vnica cōcluſione affirmatiua, & pro eiuſdem probatione, medium ex quo probatio deducitur, ponit. Secūdò, ſtatuit concluſionem magis extēsè reſponſiuam quęſito, eamquè probat. Et tertiò, ſtatuit aliā concluſionem, etiā reſponſiuam quæſito affirmatiuè, quæ tamen præcedentes concluſiones magis apertè diſtinguit, & explanat, eamquè probat.

Quò ad primum, prima concluſio eſt iſta. *In verbo importatur reſpectus ad creaturam*.

Medium ex quo deducitur cōcluſionis ꝓbatio eſt iſtud. *Deus cognoſcendo ſe, cognoſcit omnem creaturam*.

Ex hoc medio ſic formatur pro concluſione probatio. Verbum diuinum repræſentat Deum, vt cognoſcentem ſe, & in ſe ipſo creaturas. Ergo in Verbo diuino importatur reſpectus ad creaturam. Conſequentia relinquitur vt nota; quia in verbo importari reſpectum ad creaturam, non eſt aliud, niſi verbum repræſentare creaturas. Probatur autem antecedens; quia *Deus cognoſcēdo ſe, cognoſcit omnem creaturam*. Ergo &c.

Quò ad ſecundū, ſecunda concluſio eſt iſta. *Vnicum Verbum eius* (ideſt Dei Patris) *eſt expreſſiuū, non ſolùm Patris, ſed etiam creaturarum*.

Probatio eſt iſta; quia *Deus vno actu, & ſe, & omnia intelligit*. Ergo *vnicum Verbum eius &c.* Antecedens patet, probat autem cōſequentiam; quia *verbum in mente conceptum, eſt repræſentatiuum omnis eius, quod actu intelligitur*. Ergo *quia Deus vno actu &c. vnicum verbū eius &c.* Antecedens probat dupliciter; primò quidem, ex propoſitione in principio poſita; quia ſcilicet, *Deus cognoſcendo ſe*, &

Dixit, & facta ſunt, quia importatur in verbo ratio factiua eorum, quæ Deus facit.

Ad primum ergo dicendum, quod in nomine perſonæ includitur etiam natura obliquè: nam perſona eſt rationalis naturæ indiuidua ſubſtantia: in nomine igitur perſonæ diuinæ quantum ad relationem perſonalem non importatur reſpectus ad creaturam, ſed importatur in eo, quod pertinet ad naturam. Nihil tamen prohibet inquantum includitur in ſignificatione eius, eſſentia, quod importetur reſpectus ad creaturam. Sicut enim propriũ eſt Filio, quod ſit Filius: ita proprium eſt ei, quod ſit genitus Deus, vel genitus creator; & per hunc modum importatur relatio ad creaturam in nomine verbi.

Ad ſecundum dicendum, quod cum relationes conſequantur actiones, quædam nomina importãt relationem Dei ad creaturam, quæ conſequitur actionem Dei in exteriorem effectum tranſeuntem, ſicut creare, & gubernare, & talia dicuntur de Deo ex tempore. Quædam verò relatio eſt, quæ conſequitur actionem non tranſeuntem in exteriorem effectum, ſed manentem in agente, vt ſcire, & velle, & talia non dicuntur de Deo ex tempore; & huiuſmodi relatio ad creaturam importatur in nomine verbi: nec eſt verum, quod nomina importantia relationem Dei ad creaturas omnia dicãtur ex tempore, ſed ſola illa nomina, quæ important relationem conſequentem actionem Dei in exteriorem effectum tranſeuntem, ex tempore dicuntur.

Ad tertium dicendum, quod creaturæ non cognoſcuntur à Deo per ſcientiam à creaturis acceptam, ſed per eſſentiam ſuam: vnde non oportet, quod à creaturis procedat verbum, licèt verbum ſit expreſſiuum creaturarum.

Ad quartum dicendum, quod nomen, ideæ, principaliter eſt impoſitum ad ſignificandum reſpectum ad creaturam, & ideò pluraliter dicitur in diuinis, neque eſt perſonale; ſed nomen verbi principaliter impoſitum eſt ad ſignificandam relationem ad dicentem, & ex conſequenti ad creaturas, inquantum Deus intelligendo ſe, intelligit omnem creaturam; & propter hoc in diuinis eſt vnicum tantum verbum, & perſonaliter dictum.

Ad quintum dicendum, quod eo modo, quo ſciẽtia Dei eſt non entium, & verbum Dei eſt non entium, quia non eſt aliquid minus in verbo Dei, quã in ſcientia Dei, vt Auguſt. dicit; ſed tamen verbum eſt entium, vt expreſſiuum, & factiuum, non entium autem, vt expreſſiuum, & manifeſtatiuum.

& ſubaudi, eodem actu, *cognoſcit omnem creaturam*. Ergo *verbum in mente conceptũ &c.* ſecundò verò ex cauſali, hoc modo videlicèt; *In nobis* (ſubaudi) ideo *ſunt diuerſa verba ſecundùm diuerſa, quæ intelligimus*, ſeù quia diuerſis actibus intelligimus. Ergo &c.

Quò ad tertium, tertia concluſio eſt iſta. *Verbum Dei, eius quod in Deo Patre eſt, eſt expreſſiuum tantùm, creaturarum verò, eſt expreſſiuum, & operatiuum.*

Probat dupliciter, & primò quò ad vtramquè partem, ſecundo verò, quò ad ſecundam tantùm.

Prima probatio eſt iſta. *Dei ſcientia, Dei quidẽ eſt cognoſcitiua tãtùm, creaturarum autẽ cognoſcitiua, factiua.* Ergo *Verbum Dei &c.* Patet conſequentia à paritate. *Sicut enim Dei ſciẽtia &c. ita Verbum Dei &c.*

Probatio verò quò ad ſecũdam partem eſt iſta; *quia propter hoc dicitur in Pſal. 32. Dixit, & facta ſunt, quia importatur in verbo ratio factiua eorum, quæ Deus facit.*

Ad primum argumentum reſpondet, concedẽdo maiorẽ, & diſtinguendo, ſeù potiùs explicãdo minorem. *Sed verbum non dicitur eſſentialiter* in recto, includit verò naturam in obliquò, concedit minorem. *Sed verbum non dicitur eſſentialiter* in recto, nequè includit naturam in obliquo, negat minorem. Ergo &c. ſimiliter diſtinguendum eſt conſequens.

Ad ſecundum argumentum reſpondet, diſtinguendo maiorem. *Quæ important reſpectum ad creaturas* conſequentem *actionem Dei in exteriorem effectum tranſeuntem, dicuntur de Deo ex tempore*, concedit maiorem. *Quæ important reſpectum ad creaturas* reſpectum ſcilicet, cõſequentem *actionem non tranſeuntem in exteriorem effectum, ſed manentem in agente, dicuntur de Deo ex tempore*, negat maiorẽ. Tunc conceſſa minori, negat conſequentiam.

Ad tertium argumentum reſpondet, & reſponſio ſic formatur, cõcedẽdo antecedens, & diſtinguendo, ſeù explicãdo ſuppoſitum conſequentis; *ſi ergo importat reſpectũ ad creaturam*, quaſi creaturæ cognoſcantur à Deo *per ſcientiam à creaturis acceptam*, & non *per eſſentiam ſuã*, negat ſuppoſitum conſequentis, ſed ipſo ſuppoſito, concedit conſequentiam. *Si ergo importat reſpectum ad creaturas*, ita vt creaturę *non cognoſcantur à Deo per ſcientiam à creaturis acceptam, ſed per eſſentiam ſuam*, concedit ſuppoſitum conſequentis, ſed negat conſequentiam.

Ad quartum argumentum reſpondet, concedendo antecedens, & negando cõſequentiam, & rationem diſcriminis inter reſpectum, quẽ dicunt ideæ ad creaturas, & reſpectum verbi ad eaſdem. Nã *nomen ideæ, principaliter &c.* Lege litterã.

Ad quintum argumentum reſpondet, & reſponſio ſic in forma proponitur, diſtinguendo, ſeù explicando maiorem, *Si verbũ importat reſpectum ad creaturam, hoc non eſt, niſi in quantùm creaturæ cognoſcuntur à Deo*, vt expreſſibiles, ſimulatquè factibiles, concedit maiorem. Tantummodò vt expreſſibiles, negat maiorem. Ad minorem, *Sed*

Deus non ſolùm cognoſcit entia, ſed etiam non entia, vt expreſſibilia tantummodò, concedit minorem. Vt expreſſibilia, ſimulatquè factibilia, negat minorem. Ergo &c. ſimiliter diſtinguendum eſt conſequens hoc modo videlicet. *Ergo in verbo importabitur reſpectus ad non entia*, vt expreſſibilia, non autem vt factibilia, concedit conſequentiam. *Importabitur reſpectus ad non entia*, vt expreſſibilia, ſimulatquè factibilia, negat conſequentiam. Similiter diſtinguenda eſt, & explicanda minor ſubſumpta.

SVPER ARTICVLVM COMMENTARIVM.

1 VTRVM *in nomine Verbi*. Dicit *in nomine Verbi*, non autem dicit, Vtrum in Verbo, ſeù in re, quæ eſt Verbum; quia ſermo eſt de Verbo diuino, vt Verbum eſt formaliter.

2 *Importetur reſpectus ad creaturam*. Supponit in Verbo importari reſpectus ad Patrem dicentem, & quærit de reſpectu ad creaturam. Et more ſuo ſolito abundantior eſt reſponſio, quàm quæſitum. Vnde reſpondet in ſecunda, & tertia cõcluſione, quòd in Verbo importatur reſpectus ad Deum, & ad creaturam.

3 *Importetur reſpectus*, indefinitè de reſpectu loquitur; non enim quærit de reſpectu reali tantum, vel rationis tantũ, nequè in ratione expreſſiui tantum, aut ſimul etiam factiui, quoniam hæc in decurſu articuli explicantur, ac decidũtur.

4 *In Verbo importatur reſpectus ad creaturã*. Reſpectus non quidem actualis, ſed aptitudinalis, ſecundùm quod reſpectus iſte, eſt reſpectus rationis. Quonia ens rationis tunc tantummodo importatur, quando actualiter à nobis formatur. Si autẽ nomine reſpectus, intelligatur expreſſio actualis creaturæ, dicendum eſt eſſe actualem; quia Verbum ab æterno ſicuti expreſſit Deum cognoſcẽtem, ſic expreſſit creaturas contentas in eo, & cognitas ab eo.

5 *Deus enim cognoſcendo ſe, cognoſcit omnem creaturam*, ſubaudi, ex hoc quòd cognoſcit ſe, vnico, & eodem actu cognoſcit omnem creaturam, pro vt diffuſe explicauimus, & probauimus ſupra tom. 2. cum de ſcientia Dei ageremus.

6 *Verbum igitur in mente conceptum, eſt repræſentatiuum omnis eius, quod actu intelligitur*. Dubium occurrit, Quomodo hæc propoſitio rectè à D. Tho. inferatur. Et quidẽ, ꝙ ſit propoſitio illata, patet ex ly, *igitur*, quæ eſt vis, ſeu nota illatiua. Quod verò non ſit rectè ex antecedente à D. Thoma poſito, deducta, probatur; Quia hoc eſt antecedens. Deus cognoſcendo ſe, cognoſcit omnem creaturam: ſed ex hoc antecedenti non deducitur iſta conſequentia, nimirum. Ergo omne Verbum in mente conceptum eſt repræſentatiuum omnis eius, quod actu intelligitur, niſi dicatur, quòd non eſt ſermo de omni verbo, ſed de Verbo diuino dumtaxat, quod tamen non videtur iuxta litteræ conformitatem.

7 Reſpondetur breuiter; Siuè illatio ſit de omni verbo, ſiuè de Verbo diuino dumtaxat, bonam eſſe illationem. Et quidem, ſi ſecundo modo, iam patet. Ex vno enim actu, quo plura cognoſcuntur in actu, formatur verbum omnia illa plura in actu repræſentans. Si autẽ primo modo, etiam optima eſt illatio; quia antecedens poteſt accipi in ſenſu cauſali, hoc modo; quia Deus cognoſcendo ſe, eodem actu cognoſcit creaturas, ac per conſequens Verbum in mente diuina conceptum, debet in actu repræſentare omne illud quod per Deum intelligitur. Ergo omne verbum in mente conceptum &c.

8 *Vnde in nobis ſunt diuerſa verba, ſecundũ diuerſa, quæ intelligimus*; ſubaudi, ſecundùm diuerſa quæ intelligimus non ſolũ ſecundum diuerſos actus ſucceſſiuos, ſed etiam ſecundùm diuerſa, quæ intelligimus per diuerſos actus ſimul, vt patet in Angelis, qui ſimul poſſunt habere duos cognitionis actus. Nam ſemper cognoſcũt ſe ipſos, & poſſunt, imò de facto aliquando alia à ſe ipſis per aliam cognitionem cognoſcunt.

9 *Sed quia Deus vno actu, & ſe, & omnia intelligit, vnicũ verbũ eius eſt expreſſiuũ, non ſolùm Patris, ſed etiam creaturarum*.

Item; *Et ſicut Dei ſcientia, Dei quidẽ eſt cognoſcitiua tantùm, creaturarũ autem cognoſcitiua, & factiua, ita Verbũ Dei &c.* Nota hęc aurea D. Thomę verba; quoniã per hęc explicatur mens eius circa principalẽ præſentis articuli deciſionẽ, quomodo ſcilicet, in verbo importetur reſpectus ad creaturã, ratione ſcilicet, eſſentiæ, an ratione proprietatis perſonalis verbi, ex quorũ verborũ intelligentia multa, imò omnia aduerſariorũ cadũt argumenta. Verum ne eadem repetamus, vide explicationem in diſp. ſeq.

Reſponſio

Digitized by Google

Reſponſio ad primum, continet doctrinã diſp. ſpeciali ſeq. explicandam.

10 In reſp. ad ſecundum, *Quadam verò relatio eſt, quæ conſequitur actionem non tranſeuntem in exteriorem effectum, ſed manentẽ in agente, vt ſcire, & velle, & alia non dicũtur de Deo ex tempore*. Nomine relationis in Deo non ex tempore, ſed ab æterno, præter relationem vnius perſonę procedentis ad aliam perſonam producẽtem, quæ eſt relatio realis, noli intelligere aliquam relationem realem traſcendentalem ad creaturas; quia huiuſmodi relatio quamuis à quibuſdam concedatur, à nobis tamen omninò negatur; Nequè intelligas relationem rationis pro formali reſpectu rationis, quia vt dicebamus, num. 4. nequè iſta relatio eſt in Deo ab æterno; ſed nomine relationis conſequentis actum immanentem Dei, intellige fundamentum eius, quod eſt ipſa actualis, atquè æterna creaturarum cognitio, ſeù expreſſio.

11 In reſp. ad quartum, *Nomen Verbi principaliter impoſitum eſt ad ſignificandam relationem ad dicentem, & ex conſequenti ad creaturas*. Vult dicere, quòd licèt in nomine Verbi diuini importetur reſpectus ad creaturas, & reſpectus ad Patrem dicentem, differenter tamen vterquè reſpectus conuenit Verbo diuino. Importare enim reſpectum ad creaturas, ex conſequenti conuenit ei, eſtquè reſpectus rationis, modo iam explicato: Importare verò reſpectum ad dicentem, conuenit ei ex primaria eius ſignificatione, eſtquè reſpectus realis, vt dictum eſt.

DISPVTATIO CLXXXIV.

VTRVM IN VERBO DIVINO IMPORTETVR RESPECTVS ad creaturas, & an conueniat ei ratione eſſentiæ, quam includit; an potiùs ratione proprietatis perſonalis.

In duo capita diſtributa.

CAPVT PRIMVM.

Explicatur titulus, & Doctorum opiniones referuntur.

1 DISPVTATIO iſta mihi ſemper facilis viſa eſt, ſed modo ob varios Doctorum dicendi modos facta eſt quaſi grauis. Omnes enim conueniunt in hoc, quòd Verbum diuinum repręſentans diuinam eſſentiam, repræſentat quoquè creaturas. Ita quòd Vaſquez negans Verbum — Vaſquez. — diuinum per ſe ex creaturarum poſſibilium cognitione procedere, affirmat tamen Verbum diuinum per ſe importare reſpectum ad creaturas; de qua doctrina his verbis à Patre Amico diſput. 26. — Amicus. — ſect. 2. num. 79. in fine reprehenditur. *Hinc*, inquit, *conſtat, non benè philoſophari Vaſquez, qui dum negat, Verbum per ſe procedere ex cognitione creaturarum poſſibilium, tamen affirmat, Verbum per ſe importare reſpectum ad creaturas poſſibiles, non ſolùm ratione notitiæ communis, ſed etiam proprietatis perſonalis*. Diſputatio igitur conſiſtit in hoc, Vtrum hoc, quod eſt verbum repræſentare creaturas conueniat Verbo diuino ratione eſſentię diuinę repręſentantis creaturas in ſe ipſa, tanquàm in cauſa cognita; ratione propria perſonali Verbi prout virtualiter diſtincti ab eſſentia diuina; an ex vtroquè capite ſimul.

2 Quidam dicunt, Verbum diuinum dicere quidem reſpectus ad creaturas, non ratione eſſentię, ſed ratione proprietatis perſonalis. Ita videtur ſentire Henricus, — Henricus. — in ſum. p. 2. art. 59. q. 5. & reſolutè affirmat Aureolus, in 1. diſt. 27. p. 2. ar. 3. — Aureolus.

3 Alij verò dicunt, Verbum diuinum dicere, ſeù importare reſpectus ad creaturas, ſed hoc ei conuenire ratione eſſentię diuinę in Verbo diuino eſſentialiter, ſed in obliquo incluſę. Ita videtur dicere D. Thomas hìc ad 1. & q. 4. de verit. — D.Thom. — art. 5. ad 4. Sic tenent Scotus, quodlib. 8. — Scotus.

Riccard. Mayron. Lychet. Capreol. art. 3. & in 2. diſt. 1. q. 1. Riccardus, in 1. diſt. 27. art. 2. q. 3. ad 1. Mayronus, q. 4. Lychetus, etiam in 1. diſt. 27. qu. vnicâ. Capreolus, eadem diſt. q. 2. art. 1. concl. 5. & art. 3. contra 5. concluſionem. Caiet. Ferrar. Molina. Suarez. Zumel. Herrera. Caietanus, hìc. Ferrarienſis, 4. cont. gent. cap. 13. Molina, ſupra q. 27. art. 1. diſp. 7. Suarez, lib. 9. de Trinit. cap. 6. Zumel, ſupra q. 27. diſp. 2. Herrera, hìc concl. 4. §. *Secunda pars concluſionis*.

4 Quidam verò dicunt, quòd Verbo diuino conuenit importare reſpectum ad creaturas ratione eſſentiæ, & ratione proprietatis perſonalis. Sic ſentiût Vaſquez, Vaſquez. Ruiz. Zuniga. Amicus. diſp. 144. cap. 2. Ruiz, diſp. 62. ſect. 2. & 3. Zuniga, diſput. 9. dub. vlt. Amicus, diſp. 26. ſect. 2.

CAPVT SECVNDVM.

Determinatio veritatis.

5 PRO determinatione veritatis, Dico primò. Importare reſpectũ ad creaturas in ratione manifeſtatiui, & repræſentatiui, primò, & per ſe conuenit diuinæ eſſentiæ. Probatur; Quia in tantùm Deus, abſolutè loquendo, cognoſcit creaturas, in quantùm cognoſcit ſuam eſſentiam repręſẽtantem creaturas; & aliàs, in tantùm Verbum diuinum repręſentat creaturas, in quantùm repræſentat diuinam eſſentiam repræſentantem creaturas. Ergo importare reſpectum ad creaturas per modum manifeſtatiui, & repræſentatiui primò, & per ſe conuenit eſſentiæ diuinæ.

6 Confirmatur. Conuenit eſſentiæ diuinæ importare reſpectum ad creaturas, non ex eo quia, conuenit Verbo diuino, ſed ex eo quia, conuenit eſſentiæ diuinæ. Ergo importare reſpectum ad creaturas primò, & per ſe conuenit eſſentiæ diuinæ. Antecedens patet, conſequentia verò probatur. Quia importare reſpectum ad creaturas non eſt aliud, niſi eas repræſentare, & manifeſtare.

7 Ex quo colligitur, quòd non benè Amicus, loco cit. nu. 72. ait quòd *reſpicere creaturas, formaliter vt dictas, & manifeſtatas, ſiuè potiùs, vt dicendas, & manifeſtandas, non dicit purum reſpectum repræſentantis ad repræſentatum &c. ſed dicit peculiarem reſpectum ad res locutione dicendas, & ſignificandas*.

8 Hoc enim eſt voluntariè dictum, & contra D. Thomam. Nam ſicuti exprimere creaturas locutione, ſeù verbo dictas, eſt reſpectus verbi ad creaturas per modum locutionis, ita repræſentare, & manifeſtare creaturas in eſſentia cognitas, dicit, ſeù includit reſpectum manifeſtatiui, & repræſentatiui ad eaſdem. Ergo non benè negatur reſpectus ad creaturas, vt manifeſtatas, & repræſentatas, & conceditur reſpectus importatus per Verbum ad eaſdem locutione dictas.

9 Inſuper; quia ipſe Amicus tenet, quòd ratione vtriuſquè eſſentialis notitiæ ſcilicet, & perſonalis proprietatis cõuenit verbo importare reſpectum ad creaturas. Eſt etiam contra D. Thomam hìc, qui medium ad probandum, D Thom. quòd in Verbo importatur reſpectus ad creaturam, eſt hoc, ſcilicet, Deus cognoſcendo ſe, cognoſcit omnem creaturam. Et infert hanc propoſitionem. *Verbum igitur in mente conceptum eſt repræſentatiuum omnis eius, quod actu intelligitur*. Et ſic in toto corp. perpetuò diſcurrit. Et in reſp. ad 1. ait, quòd *in Verbo importatur reſpectus ad creaturam, in quantùm in ſignificatione Verbi includitur eſſentia*. Et de verit. q. 4. art. 4. ad 5. vbi ſic ait. *Verbum reſpicit directè Deum, qui primò per Verbum exprimitur, & ex conſequenti creaturam*. Et in reſp. ad 6. ſic ait. *Verbum enim non ſolùm importat rationem originis, & imitationis, ſed etiam manifeſtatiuis; & hoc modo eſt aliquo modo creaturæ, in quantùm ſcilicet, per verbum creatura manifeſtatur*. Et ad 7. ſic ait; *Verbum eſt alicuius multipliciter, vno modo vt dicentis, & ſic procedit ab eo, cuius eſt verbum. Alio modo vt manifeſtati per Verbum &c.* Idem docet art. 5. ſequẽti, & ſemper, quando de hac materia loquitur.

10 Dico ſecundò. Verbo diuino conuenit dicere reſpectũ ad creaturas ex propria ratione verbi, ſecundùm quod verbum perſonaliter dicitur. Probatur; quia Verbo perſonaliter accepto, ſecundùm proprietatem perſonalem verbi, conuenit eſſe ſimilitudinem in Patris mente conceptam, ac repræſentantem eſſentiam diuinam quãtùm ad omnia, quæ conueniunt ei ſecundùm rationem abſolutam, & relatiuam. Vnde D. Thomas ſupra q. 27. art. 2. non aliter probat, Verbum diuinum eſſe repręſentatiuum naturæ diuinæ, niſi quia eſt verbum, ſeù conceptio rei intellectæ, de cuius ratione eſt, eſſe ſimilitudinem. Ergo Verbo diuino conuenit importare reſpectum ad creaturas, vt repræſentatas, ſeù vt manifeſtatas in eſſentia diuina, ex propria, ac formali ratione Verbi ſecundùm proprietatem relatiuam.

11 Probatur ſecundò; quia ſi Verbum ſecun-

Digitized by Google

ſecundùm propriam rationem Verbi, imò ſi ſecundum proprietatem perſonalem Verbi non importaret reſpectum ad creaturas, fruſtra D. Thomas quæreret in hoc articulo, Vtrum in nomine Verbi importetur reſpectus ad creaturã, & abſolutè reſpõderet quæſito affirmatiuè, ſcilicet, quòd in Verbo importatur reſpectus ad creaturam. Hoc non eſt dicendum. Ergo. Probatur ſequela, quia vt Commentatores D. Thomæ volunt, ideo dictum eſt in quæſito in nomine Verbi, quia non eſt ſermo de re, quæ eſt Verbum, ſed de Verbo formaliter, prout perſonaliter accipitur: ſed Verbum pro vt perſonaliter accipitur, virtualiter diſtinguitur ab eſſentia. Ergo in Verbo importatur reſpectus ad creaturas, ſecũdùm quòd perſonaliter accipitur.

12 Quòd ſi dicas; argumentum hoc à D. Thoma fuiſſe præuiſum, & in hoc eodem art. propoſitum, eſtquè primum argumentum, ab eodemquè ſolutum, vt legenti litteram manifeſtè conſtabit. Et reſponſio conſiſtit in hoc, quòd in nomine perſonæ includitur etiam *natura obliquè*, & quòd importetur reſpectus ad creaturam ratione naturæ in perſona incluſæ in obliquo.

13 Sed hoc veritati concluſionis noſtræ non obſtat; Quia nòn dicimus in præſenti concluſione, quòd importare reſpectum ad creaturas conueniat Verbo diuino non ratione naturę diuinæ, dum affirmamus, conuenire ei ſecũdùm propriam rationem perſonalem, etiam quatenùs diſtinguitur à natura; imò dicimus, quòd Verbum diuinum licèt ſit quid perſonale, tamen, quia eſt ſimilitudo naturæ diuinę, ex propria ratione habet, vt repræſentet primò, & per ſe in ratione obiecti formalis diuinam eſſentiam, vt cognitam, & vt repræſentantẽ creaturas in ipſa cognitas. Itaquè Verbum diuinum in tãtùm importat reſpectum ad creaturas, ſecundùm quòd Verbum perſonaliter accipitur, in quantùm vt perſona Verbi eſt, repræſentat modo ſupradicto creaturas. Ac proinde repræſentat creaturas ratione eſſentię in obliquo incluſę in ſignificatione diffinitiua perſonę, quatenùs ſcilicet, in diffinitione perſonę eſſentia in caſu obliquo ponitur, vt cum definitur à Boetio perſona, *rationalis naturæ indiuidua ſubſtantia*. Et hoc eſt reſpectu cuiuſcumquè perſonę diuinę: At verò perſona diuina Verbi hoc habet ſpeciale, quia etiam dicit eſſentiam in recto in ratione ſcilicet, ſignificatiua Verbi, vt Verbum repræſentatiuum eſt, cum ſit de intrinſeca ratione Verbi eſſe ſimilitudinem obiecti. Ac proinde Verbum diuinum eſt ſimilitudo formalis repræſentatiua naturæ diuinæ.

14 Et hinc poſſunt conciliari opiniones relatæ, quæ ad inuicem videntur oppoſitæ. Opinio enim affirmans in Verbo importari reſpectum ad creaturam ratione eſſentiæ, non verò ratione proprietatis perſonalis, loquitur de importare reſpectum primò, & per ſe. Opinio vero affirmans in Verbo importari reſpectum ad creaturam etiam ſecundũ proprietatem perſonalẽ Verbi, loquitur de Verbo repręſentante creaturas ratione eſſentiæ diuinæ. Etenim Verbum diuinum non repræſentaret creaturas, niſi tanquàm vera imago Patris, repræſentando Patrem, repræſentaret eſſentiam diuinam repræſentantem creaturas. Hoc idem communiter Sancti Patres affirmant, & præſertim Gregorius Nazianzenus, orat. 4. de Theolog. vbi ſic ait. *Hæc enim eſt imaginis natura, vt princeps exemplar, vnde deducatur, figura ſua referat*. Et S. Ambroſius lib. de incarnat. domin. ſacramen. cap. 10. ſic ait. *Filius imago Dei, quia omnia, quæ ſunt Dei, videntur in Filio, ideſt, ſempiterna diuinitas, omnipotentia, atquè maieſtas*. Et S. Cyrillus lib. 1. de recta fid. ad Theodoſium colum. 12. vbi ſic ait; *Cui dubium eſſe poteſt, imagines ita per omnia effectas eſſe oportere, ſicut ipſa prototypa*. Ergo non poteſt non competere Verbo diuino repræſentare totum illud, quod in Deo Patre reperitur, ac proinde non poteſt non importare reſpectum ad creaturas, vt cognitas à Deo, cum ſit perfecta, & viua, naturaliſquè Dei Patris cognoſcentis ſe, & creaturas imago.

Nazians.
S. Ambr.
Cyrillus.

DISPV-

Digitized by Google

DISPVTATIO CLXXXV.

VTRVM VERBVM DIVINVM PROCEDAT EX COGNItione omnium quæ neceſſariò, ac formaliter ſunt in Deo.

In tria capita diſtributa.

CAPVT PRIMVM.

Explicatur titulus, & Doctorum opiniones referuntur, & præſertim quæ fuerit Scoti opinio declaratur.

1 NON diſquirimus, vtrum Verbũ diuinum procedat ex cognitione tanquam ex principio quo, an potiùs tanquam per actionem, aut vtroq; è modo ſed ſolùm ex cognitione obiectiuè, vtrũ ſcilicet procedat, ex cognitione pro vt eſt cognitio diuinæ eſſentiæ, attributorum, & omnium quæ formaliter, ac neceſſariò ſunt in Deo, ſicuti ſunt attributa, & perſonæ.

2 Scotus tenet procedere ex cognitione ſolius eſſentiæ diuinę. Vt autem apertiùs eius percipiatur opinio, eius verba ſparſim effata fideliter referamus. (Scotus.)

Etenim in 1. diſt. 32. quæſt. 2. ad vltimũ loquens de Spiritu ſancto. *Spiritus autem ſanctus*, inquit, *ex vi principiationis ſuæ, neque primò, nec concomitanter eſt amor creaturæ; quia creatura tantùm contingenter amatur à Deo, licèt autem ex vi productionis ſuæ primo ſit amor eſſentiæ, tamen concomitanter poteſt dici amor Filij; quia illæ perſonæ ſunt in illa natura primò amata ex neceſſitate illius naturæ; & ita poſſet concedi, quòd Pater non diligit creaturam Spiritu ſancto, eo modo, quo Filium.*

3 Et in 2. diſt. 1. quæſt. 1. §. *Quantùm ad hoc igitur*. Sic ait. *Duo ordines poſſunt intelligi in diuinis, ſcilicet, ordo naturæ; & ordo originis, qui ſunt alterius rationis, & in quocũquè graduantius ordinis poteſt totus alius ordo aſſignari.*

4 Et §. immediatè ſequenti ſic ait. *Simpliciter tamen in diuinis ordo naturæ primus eſt, ita quòd ſimpliciter procedendo, in primò inſtanti naturæ debet aſſignari totus primus ordo originis: & ſi in ſecundo inſtanti naturæ aſſignetur ordo originis, non eſt primus ordo originis, ſed ſecundus, quod intelligo ſic. Ordo naturæ accipitur comparando obiecta ad intellectum, & voluntatem diuinam; quia comparando eſſentiam ſuam ad intellectum & voluntatem eius, quæ eſt primum obiectum intellectus ſui, & voluntatis ſuæ eſt primum inſtãs naturæ: Et comparando alia obiecta, quæ ſunt ſecundaria ad intellectum, & voluntatem diuinam, quæ non ſunt ex ſe obiecta, ſed producta per intellectum, & voluntatem in eſſe obiecti, eſt ſecundum inſtans naturæ. In primo igitur inſtanti naturæ ſtando in illo, (nota) habetur perſona perfecta habens memoriam perfectam eſſentiæ diuinæ, ideſt habens intellectum, cui eſſentia diuina eſt præſens ratione obiecti actu intelligibilis; & iſta perſona, iſta memoria eſſentiæ diuinæ poteſt formaliter operari, & formaliter producere; & priùs aliquo modo intelligitur iſta perſona operari iſta memoria, quàm producere; & in illo priori intelligitur iſta perſona in ſe perfecta, & verè beata in actu intellectus intelligendo eſſentiam diuinam, ſicut obiectum ſuum: Eadem etiam perſona producendo iſta memoria, producit notitiam adæquatam huic obiecto. Et cum hoc obiectum ſit infinitum, producit perſonam formaliter infinitam per ſe ſubſiſtentem; Illi autẽ perſonæ communicatur voluntas, vt actus primus, non habens adhùc terminum adæquatum productum, iſta vna voluntate perſona prima, & ſecunda operantur circa eſſentiam diuinam tanquàm obiectum, amando eam infinitè, & tunc ſunt in ſe perfectæ, & verè beatæ in eſſentia diuina. Præter hoc autem, iſta eadem voluntate vna in eis, iſtæ perſonæ producunt amorem inadæquatum huic obiecto cognito ſub ratione amabilis; & ita producunt amorem infinitum, & ita ſpirant perſonam diuinam; quia nihil eſt formaliter infinitum, niſi quod per idẽtitatem eſt Deum.*

5 Et §. immediatè ſequen. ſic ait. *Stãdo*

igitur

Digitized by Google

igitur præciſè in primo inſtanti naturæ comparando eſſentiam diuinam ad intellectum, & voluntatem, habetur totus ordo originis primus; quia ſcilicet, duæ perſonæ perfectæ originantur, & tota perfectio diuinarum perſonarũ ad intra in intellectu diuino, & voluntate habetur in primo inſtanti naturæ, vt ſunt potentiæ operatiuæ circa illam eſſentiam, quia tota perfectio ſimpliciter cuiuslibet perſonæ eſt in intelligendo, & volendo eſſentiam diuinam; quia intelligendo, & volendo eam ſunt beatæ formaliter.

6 Et in eadem quæſt. §. *Quantùm ad primum dico*, ſic ait. *Illa cauſalitas perfecta neceſſariò eſt in tribus*, *quod probatur tripliciter*.

7 *Primò, quia principium duarum productionum neceſſariæ videlicet, & contingentis, neceſſariò eſt priùs principium neceſſariæ, quàm contingentis. Non enim poteſt effectus neceſſarius præſupponere contingentem; ſed benè è contra; ſed aliquid in diuinis eſt principium productionis intrinſecæ, quæ eſt neceſſaria: & aliquid eſt principium productionis extrinſecæ, quæ eſt contingens. Igitur priùs neceſſariò eſt in Deo aliquod principium productionis neceſſariæ & ad intra, quàm in eo ſit aliquod principium productionis contingentis, & ad extra: in illo autem priori, completa productione ad intra communicatur tribus perſonis omnis fœcunditas, quæ eis non repugnat: & per conſequens communicatur eis illud, quod eſt principium productiuum cauſationis ad extra. Igitur in illo inſtanti, in quo eſt proximum principium in Deo ad producendum aliud contingens ad extra, illud communicabitur tribus*.

8 Et §. Immediatè ſeq. ſic ait. *Item prius naturaliter eſt primum obiectum præſens potētiæ reſpicienti tale obiectum, vt primum, quàm ſecundarium obiectum ſit præſens: & hoc maximè verum eſt, quando ſolum primum obiectum ex natura rei, & ex ſe eſt obiectum, & ſecundarium obiectum non ex ſe eſt obiectum illius potentiæ, ſed fit per actum illius potentiæ in tali eſſe, hoc modo. Primum obiectum intellectus diuini, & voluntatis diuinæ eſt ſola eſſentia diuina, & omnia alia ſunt tantùm ſecundaria obiecta &c.* Et ſubdit; *Priùs igitur naturaliter eſt eſſentia diuina præſens intellectui ſuo, vt primum obiectum, quàm aliquid aliud: ſed intellectus diuinus habens eſſentiam vt obiectum ſibi præſens, non tantùm eſt potentia operatiua circa illud, ſed etiam potentia productiua notitiæ adæquatæ illi intellectui, vt principio productiuo, & illi eſſentiæ cuius eſt obiectum. Igitur tunc eſt productiua Verbi infiniti; & per conſequens Verbi geniti in natura diuina*. Idem docet §. immediatè ſequen.

9 Et ſupra in 1. diſt. 32. q. 2. ad vlt. ſic ait. *Spiritus autem ſanctus ex vi principiationis ſuæ, neque primò, nec concomitanter eſt amor creaturæ, quia creatura tantùm contingenter amatur à Deo, licèt autem ex vi productionis ſuæ primò ſit amor eſſentiæ, tamen concomitanter poteſt dici amor Filij, quia illæ perſonæ ſunt in natura primò amata ex neceſſitate illius naturæ, & ita poſſet concedi, quod Pater non diligit creaturam Spiritu Sancto eo modo, quo Filium*.

10 Et quodlib. 4. q. 14. art. 2. §. *Hìc intelligendum eſt*, vbi eamdem opinionem exprimit, ac defendit, qui legendus eſt, vt eius ſincerè percipiatur opinio.

11 Ex quibus Scoti verbis habes primò, quòd obiectum primum intellectus diuini, eſt eſſentia diuina vt eſſentia diuina eſt; Nam iuxta Scoti ſententiam ſupra agitatam, eſſentia diuina in ratione eſſētiæ, ex natura rei diſtinguitur ab omnibus perſonis, & attributis eius.

12 Secundò, quòd in primo inſtanti naturæ ſola eſſentia diuina eſt obiectum primum intellectus diuini, & voluntatis eiuſdem; ac proinde nihil aliud, quod eſt ex natura rei ab eſſentia diuina diſtinctũ diuino intellectui obijcitur.

13 Tertiò, quod in primo inſtanti naturæ, priùs Pater intelligit eſſentiam, ac deinde in eodem inſtanti naturæ, producit Verbum; & poſtmodũ in eodē primo inſtanti naturæ Pater & Filius amāt diuinam eſſentiam iam cognitam, & deinde in eodem primo naturæ inſtanti, producunt Spiritum ſanctum.

14 Quartò, quòd in primo inſtanti naturæ eſt in Deo principium productionis neceſſariæ, & ad intra, non vero principium productionis ad extra; quod eſt dicere, quòd in illo primo inſtanti naturæ, Deus non eſt omnipotens, ſeù in Deo non dum eſt omnipotentia. Et magis patet; quia hæc omnipotentia, ſeù principium productionis ad extra communicatur tribus perſonis, completa productione ad intra. Ergo ſequitur poſt primum inſtans. Hoc euidenter patet ex verbis Scoti in 2. diſt. 1. q. 1. §. *Quantùm ad 1. dico*, iam relatis. Scotus.

15 Tenet ergo Scotus, quòd Verbum diuinum procedit à Patre, vt cognoſcente eſſentiam diuinam, ꝑut ex natura rei diſtinctam ab attributis, & perſonis eius. Ac proinde negat, Verbũ diuinũ procedere ex cognitione intellectus diuini, ſuppoſito, ꝙ intellectus nō ſit ipſa natura, ſeù eſsētia diuina. Similiter negat ꝑcedere ex cognitione volũtatis diuinæ, atque etiam ex cognitione perſonę Patris, aliarumquè diuinarum perſonarum, ni fallor ego, hæc eſt opinio Scoti. Et hāc opinionem ſequuntur Scotiſtæ, & præſertim Rada 1. p. controu. controuerſia 11. Et pro hac opinione, quidam [illegible] Rada.

noſtrum

noſtrum Ferrarienſem 4. cont. gent. cap. 13. §. *Ad primum videtur*, ſed immeritò, vt iam videbimus.

16 Ferrarienſis 4. cont. gentes cap. 13. §. *Ad primum videtur*, ſic ait. *Hoc autem non ſic intelligo*, (ſcilicet, quòd Pater intelligendo ſe & Filium, & Spiritum ſanctũ &c. concipit Verbum) *quaſi priùs ſecundũ rationem Deus Pater intelligat quidquid naturaliter relucet in diuina eſſentia, quam producat Verbum, ita quòd, eius intellectio actualis priùs ad rem cognitam terminetur. Nam apud S. Thomam, Verbum ponitur in intellectu ad hoc, vt intellectus in rem intellectam feratur, cum per ipſum Verbum ſit res intellecta in actu completo, quantùm ad eſſe intelligibile, & obiectiuum: & ideo non eſt priùs ipſum intelligere, vt ad rem intellectam terminatur, quã ſit Verbi productio. Alioquin nulla eſſet neceſſitas ponendi Verbum propter intellectionẽ; ſed è contrariò, priùs oportet intelligere actum intelligendi producere Verbum, quàm terminari ad rem intellectam, vt in ſe eſt, tanquàm vltimatè terminans intellectionem. Verbum enim eſt id in quo videtur res intellecta.* Ferrar.

17 Et §. immediatè ſeq. ſic ait. *Videtur autem ad hunc ſenſum accipienda eſſe verba, & propoſitum Sancti Thomæ, ſcilicet, quòd Deus eodem actu intelligendi, quo & ſe, & omnia alia intelligit, concipit Verbum, in quo & ſe, & omnia alia intuetur, ita quòd, priùs ſecundùm noſtrum modum intelligendi actus diuini intellectus terminatur ad Verbum tanquàm eius productio, quàm terminetur ad diuinam eſſentiam, & ad creaturas, tanquàm ad res intellectas. Et ideò, cum dicitur Verbum diuinum de ſcientia Patris originari, intelligendum eſt, aut accipiendo ſcientiam Patris per modum actus primi, non autem per modum actus ſecundi; aut etiam accipiendo ipſum actum ſecundum, qui eſt cognitio ad hũc ſenſum, quòd ab illa cognitione procedit qua Deus Pater, & ſe, & alia cognoſcit, quæ quidẽ priùs ſecundùm rationem ad ipſum Verbum tanquàm ad terminum per ipſam productum terminatur, quàm ad ſe, & ad creaturas tanquàm ad res intellectas.*

18 Ex quibus Ferrarienſis verbis habes primò, inter opinionem Ferrarienſis, Scotique diſcrimen. Nam Scotus tenet quod ex cognitione ſolius eſſentiæ in primo inſtanti naturæ cognitæ, producitur Verbum; Ferrarienſis verò tenet, quòd priùs ſecundùm rationẽ producitur Verbum, deinde cognoſcitur eſſentia. Item. Ferrarienſis tenet, quòd eſſentia diuina pro vt fœcundat Patris intellectum, non eſt eſſentia in ratione eſſentiæ, pro vt ratione præſcindit ab attributis, & perſonis eius, ſed eſt eſſentia, vt continens in re ipſa virtualiter poſſibiles creaturas, & pro vt eſt realiter cum omnibus attributis eius, ac perſonis identificata.

19 Secundò, quòd Verbum etiam in diuinis ideo ponitur, vt per ipſum ſit res intellecta in actu completo.

20 Et tertiò, quòd priùs ſecundùm rationem producitur Verbum, quàm cognitio Patris terminetur ad eſſentiam, attributa, & perſonas. Vel ad creaturas in ipſa eſſentia diuina contentas, quæ Scotus non affirmat.

21 Vaſquez concedit Verbum diuinum procedere ex cognitione eſſentię diuinę, atque etiam ex cognitione perſonarum Patris, & Filij, & ſolùm negat ex Spiritus ſancti cognitione procedere. Ita 1. p. diſp. 142. cap. 4. Vaſquez.

22 Alij verò Theologi communiſſimè tenent, quòd Verbum diuinum per ſe procedit ex cognitione omnium, quæ formaliter ſunt in Deo, attributorum ſcilicet, ac perſonarum omnium. Ita Caietanus hìc, Torres, q. 27. art. 5. in 3. p. diſp. Bañes, Zumel, Nazarius, Ripa, Herrera, Gonzalez ſuper art. 3. huius diſp. Salmanticenſes tract. 6. diſp. 12. dub. 1. Molina hìc, Suarez lib. 9. de Trinit. & quamuis apud Gonzalez, diſp. 12. ſect. 1. nu. 3. §. *his tamen*, in editione Neapoli apud Scipionem Boninum, 1637. in ædibus S. Dominici pro opinione Vaſquez referri videatur, dum ſic ibi ait, *& omnes expoſitores Sancti Thomæ hic, exceptis Vaſquez, & Suarez lib. 9. de Trinit. cap. 4.* Eſt impreſſionis, ſeu impreſſoris error, vt patet ex ijs, quæ infra in eadem diſp. docet, & in ſequenti diſp. vbi quærens, Vtrum Verbum diuinum procedat ex cognitione creaturarum poſſibilium, ponit Suarez pro parte affirmatiua, & Vaſquez pro negatiua. Albertinus, coroll. 14. q. 14. dub. 1. Ayolſa, diſp. 24. ſect. 2. §. 2. Arrubal, diſp. 124. cap. 2. & 3. Amicus, diſp. 26. ſect. 3. Zuniga diſp. 9. dub. 4. & 5. Ruiz, diſp. 61. Granado, 1. p. tract. 9. diſput. 5. Palumbus, in ſcholaſt. exam. de Filiò cõcl. 3. Faſolus, in hac quæſt. ar. 3. dubit. 4. Arriaga, diſp. 52. ſect. 4. & ſubſect. 1. qui nu. 21. hæc de hac ſententia fatur. *Eſt D. Auguſtini, Anſelmi, D. Thomæ, & diſcipulorum, & omnium ferè ex noſtra ſocietate, vt videre eſt apud Patrem Zunigam.* Hoc idem tenent communiter ſententiarij Bonauentura in 1. diſt. 27. p. 2. art. 2. q. 2. Riccardus, art. 2. q. 3. art. 3. & alij.

Caiet. Torres. Bañes. Zumel. Nazarius. Ripa. Herrera. Gonzal. Salmanti. Molina. Suarez. Ayolſa. Arrubal. Amicus. Zuniga. Ruiz. Granado. Palumb. Faſolus. Arriaga. D. Aug. D. Anſel. D. Thom. Bonau. Riccard.

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT SECVNDVM.

Determinatio veritatis.

23 PRO determinatione veritatis dico primo. Verbum diuinum per ſe procedit ex cognitione diuinæ eſſentiæ, & omnium, quæ abſolutè Deo conueniunt. Hoc dictum eſt apertiſſimè verum, & breuiſſimè ſic

24 Probatur. Verbum diuinum procedit ex cognitione perfectiſſima Patris: ſed in nullo ſigno poteſt intelligi perfectiſſima diuinæ naturæ cognitio, niſi cognoſcatur eſſentia, quantùm ad omnia eius attributa abſoluta. Ergo.

25 Dico ſecundò. Verbum diuinum procedit ex cognitione omnium diuinarum perſonarum.

26 Probatur primò authoritate D. Auguſtini. Nam D. Auguſtinus lib. 15. de Trinit. cap. 14. circa medium ſic ait; *Nouit itaquè omnia Deus Pater in ſe ipſo, nouit in Filio; ſed in ſe ipſo tanquàm ſe ipſum, in Filio tanquàm Verbum ſuum; quod eſt de his omnibus, quæ ſunt in ſeipſo.* Nota, ly, *de his omnibus, quæ ſunt in ſe ipſo*, quoniam pro nūc nec Scotus, nec Vaſquez poſſunt negare, quòd ſermo ſit de omnibus ad minùs, quæ formaliter ſunt in Deo.

D. Aug.

27 Et hoc magis patet ex principio capitis, & in fine præcedentis, vbi ſic ait. *Tale eſt autem, ac ſi dicerem, de Patris ſcientia, de Patris ſapientia, vel quod eſt expreſſius, de Patre ſcientia, de Patre ſapientia;* Et in principio prædicti cap. 14. ſic ait. *Verbum ergo Dei Patris Vnigenitus Dei Filius, per omnia Patri ſimilis, & æqualis, Deus de Deo, lumen de lumine, ſapientia de ſapientia, eſſentia de eſſentia, eſt hoc omninò quod Pater, non tamen Pater.* Et paucis interiectis ſic ait. *Proinde tanquàm ſe ipſum dicens, Pater genuit Verbum ſibi æquale per omnia. Non enim ſe ipſum integrè, perfectèque dixiſſet, ſi aliquid minus, aut ampliùs eſſet in eius Verbo, quàm in ipſo. Ibi ſummè illud agnoſcitur eſt eſt, non non: & ideo Verbum hoc verè veritas eſt; Quoniam* (nota) *quidquid in ea ſcientia de qua genitum eſt, in ipſo eſt. Quod autem in ea non eſt, nec in ipſo eſt.* Ex quibus D. Auguſtini verbis manifeſtè habes, Verbum diuinum eſſe, ideſt, procedere ex cognitione omnis, quod in Patre eſt, ad minùs loquendo de omni eo, quod formaliter eſt in Deo, ac proindè etiam de perſonis.

28 Probatur ſecūdò, authoritate D. Thomæ. Etenim D. Thomas ar. 3. huius q. ſic ait. *Sed quia Deus vno actu, & ſe, & omnia intelligit, vnicum Verbum eius eſt expreſſiuum, non ſolùm Patris, ſed etiam creaturarū.* Et ſupra art. 1. ad 3. ſic expreſſiùs ait. *Pater intelligendo ſe, & Filium, & Spiritum ſanctum, & omnia alia, quæ eius ſcientia continentur, concipit Verbum, vt ſic tota Trinitas Verbo dicatur, & omnis creatura, ſicut intellectus hominis, Verbo, quod concipit intelligendo lapidem dicit*, vbi D. Thomas plùs dicit, quàm ad præſens pertineat inſtitutū. Docet enim per præcitata verba, quòd Verbum diuinum nō ſolum procedit ex cognitione eſſentię diuinę & perſonarū, verumetiam ex cognitione creaturarū.

D. Thom.

29 Probatur tertio, & argumētor ad hominē contra Scotū. Primò quidē; quia in illo inſtanti naturę in quo diuina eſſētia objicitur intellectui Patris intelligentis, iam Pater eſt. Ergo in eodē, eſſētia diuina repręsētat ſe ipsā, & Patrē intelligētē. Ergo in eodē inſtanti naturæ Verbū debet procedere ex cognitione eſſentiæ, & Patris intelligentis. Ergo falsū eſt, ꝙ Verbū diuinū procedit ex cognitione ſolius eſſentię, & nō ex cognitione alicuius pſonę. Hæc vltima cōſequētia, eſt euidēs ex immediatè præcedenti, quæ eſt tertia. Tertia, euidēter ſequitur ex ſecūda. Secūda, ſequitur ex prima. Nā in via Scoti, Verbum diuinū procedit ex cognitione omniū, quæ objiciuntur intellectui diuino in primo inſtāti naturæ. Prima, probatur ex ſuo antecedenti. Nā diuina eſſentia in primo inſtāti naturæ repræſentat intellectui Patris omnē illud, ꝙ in illo inſtāti eſt, ſeù intelligitur eſſe in natura diuina. Valde enim mirū, & falsū eſſet aſſerere, quòd diuina eſſentia, vt repræſentatiua, & in repræſentādo ſimpliciter infinita, & illimitata, repręsētet eſſentiā; ſeù ſeipsā tantū, & nō etiā omne illud ꝙ in illa, & cum illa eſt in illo inſtāti in quo repręſentationē exercet. Oppoſitū certè huius propoſitionis eſt impoſſibile captu, vt diſcurrenti patet.

30 Cōfirmatur hoc; quia diuina eſſentia in illo inſtāti, in quo Patris æterni intellectui ſeipsā repręsētat, debet neceſſariò omne in eodē inſtāti repręsētabile repręsētare: ſed in primo inſtāti in quo perſona Patris æterni per diuinā eſſentiā intelligit, Pater æternus vt intelligens, eſt repręsētabilis. Ergo in primo inſtāti naturæ in quo per Scotū diuina eſsētia repręsētat ſe ipſam, nō poteſt nō repręsētare pſonā Patris, quæ in illo inſtāti eſt, & cui vt infinitè repręſentatiua ineſt.

31 Secūdò quia admiſſo ipſi Scoto, quòd eſſentia diuina ſit ex natura rei diſtincta ab attributis, & perſonis ſuis; atque etiā, ꝙ Pater ęternus ſit prior origine Filio, & Spiritu ſancto, prioritate nō ſolū à quo, verumetiā prioritate in quo, adhùc neceſſariò cōuincitur, vt noſtrā ſententiā fateatur; Et cōtra eū ſic argumētor. Pater

Digitized by Google

çternus in primo inſtāti naturç intelligit diuinam eſſentiā integrè, & perfectè, vt Scotus ipſe cōcedit, & ex verbis ſupra relatis cōſtat. Ergo Pater æternus in eodē inſtāti cognoſcit quidquid neceſſariò diuinam eſſentiam conſequitur: ſed eſto, attributa, & perſonæ diuinæ ſint ipſa natura, ſeù eſſentia diuina poſteriores, & ab eadē ex natura rei diſtinguātur, neceſſariò eamdē eſſentiā conſequūtur. Ergo in eodē primo inſtanti, in quo cognoſcitur eſſentia diuina, cognoſcūtur omnia, quæ eamdē eſſentiā neceſſariò cōſequuntur; ac proinde; ſimul cognoſcūtur attributa, & perſonalitates. Patet iſta conſequētia ex antecedenti. Nam nō cognoſceretur integrè, & perfectè eſſentia diuina, niſi cognoſcantur ea, quæ ipſam neceſſariò conſequuntur.

32 Cōfirmatur primò. Cognoſcēs integrè, & perfectè rationalitatem, vt rationalitas eſt, debet neceſſariò cognoſcere id, ꝙ neceſſariò cōſequitur rationalitatē. Ergo ſimiliter &c. imò à fortiori; quia magis idētificātur attributa, & perſonæ diuinæ cū eſſentia diuina, quā riſibilitas cum rationalitate.

33 Cōfirmatur ſecūdò; Quia eſſentia diuina in primo inſtāti naturæ, cum primò obijcitur intellectui Patris, vel eſt attributorū, ac perſonarū radix, ſeu quaſi radix, vel nō. Nō ſecundū; quia eſſe radicē proprietatū cōuenit eſſentiæ, vt eſſentia eſt. Ergo primū. Si primū. Ergo in eodē inſtāti debet repræſentare omnes rationes attributales, ac perſonales, quç ipſam neceſsariò cōſequūtur. Probo iſtam cōſequētiā; quia ſi diuina eſsētia obijcitur, vt ſuarū proprietatū radix, nō relucet vt radix in cōfuſo, & indeterminatè. Eſset enim valde obſcura, & imperfecta hęc relucentia. Ergo relucet diſtinctè, ideſt, vt radix, ſcilicet, harū, & harū rationū attributalium, ac perſonalium. Ergo.

34 Confirmatur tertiò; quia quādo, ſeù in illo ſecundo inſtāti, in quo intelligitur aduenire eſsentiæ aliqua ratio attributalis, aut perſonalis, iā cognoſcitur à Deo, quòd prædictæ rationes cōueniant eſsētiæ. Tunc ſic cōtra Scotum argumētor. Aut Deus cognoſcit ſibi præfatas rationes cōuenire ex nouo illarū aduentu, vel priùs cognoſcebat ſibi conuenientes, & quaſi in inſtāti ſequēti ſibi neceſsariò futuras. Si primū, videtur valde inconueniens, ſcilicet, ꝙ Deus tūc incipiat, aut quaſi incipiat cognoſcere aliquod ſibi cōuenire, quādo ſeù in illo inſtanti naturæ intelligitur illi ineſse, quod non eſt admittendū. Si ſecundū. Ergo intentū. Patet iſta conſequentia; quia in eodē inſtanti in quo eſt eſsentia in ratione eſsētiæ, antecedēter ad rationes attributales, & perſonales cognoſcerentur omnes præfatę rationes.

35 Confirmatur tandē; quia in illo primo inſtanti naturæ, proprietates abſolutæ, & perſonales, per Scotum non ſunt præſentes. Ergo ſunt veluti neceſsariò futuræ ex vi poſitionis eſsētiæ, ac proinde ſunt cognitæ, cognita eſsentia. Patet cōſequentia; & inſuper probatur; quia per Scotū, & Scotiſtas vt ſupra tom. 2. q. 14. diſp. 23. diximus, Deus cognoſcit futura cōtingētia in decreto ſuæ voluntatis, ratione cuius contingentia infallibiliter dicūtur eſse futura; ſed magis neceſſariò ex poſitione diuinæ eſsētiæ, ſequūtur attributa, & perſonarum, quā futura contingentia, ex poſitione decreti efficacis. Ergo. Scotus.

36 Tertiò; Quia per Scot. in 2. diſt. 1. q. 1. §. *Stando igitur*, ait quod, *in primo inſtat. naturę habetur totus ordo originis primus*. Ergo in eodem inſtanti naturæ in quo eſt eſsentia diuina eſt Pater, eſt Filius, & eſt Spiritus ſanctus. Ergo in eodem inſtanti naturæ dum obijcitur eſsentia diuina intellectui paterno, non poſsunt nō obijci eidem omnes tres perſonæ diuinæ. Probo conſequentiam; quia in illo primo inſtāti naturæ iam ſunt omnes tres perſonæ diuinæ. Scotus.

37 Si pro Scoto dicatur, quòd in vno inſtanti naturæ dantur plura inſtantia, ſeù prioritates originis; ac proinde, priùs cōſideratur eſsentia in ratione eſsentiæ, deinde Pater, poſtea Filius, ac demū Spirit⁹ ſanctus. Et propterea in primo inſtanti naturç eſt præſēs intellectui paterno ſola eſsētia, iuxta tamē primū inſtās originis, in alio inſtanti originis datur Pater prior origine Filio, & Spiritu ſancto; & in alio inſtanti originis ſequenti, dantur Pater, & Filius priores prioritate originis Spiritu ſancto.

38 Cōtra primo; quia etiā ſi admittatur, quòd eſsētia diuina ſit prior origine Patre, quod eſt omninò impropriè dictū, in illo priori originis, in quo eſset prior Patre, nō eſset præſens Patri intelligēti. Ergo falſū eſt quod obijcitur intellectui paterno, taliter quòd ex ipſius eſsentiæ cognitione perſona Patris producat Filiū. Probo antecedens; quia in illo ſigno, in quo eſsentia eſt prior Patre, in eodem ſigno non eſt Pater: ſed nihil obijcitur ei, in eo ſigno in quo non eſt. Ergo.

39 Secūdò; Quia Scotus ipſe iuxta hunc modū dicēdi ſibimet aduerſatur. Nā in 1. diſt. 2. q. 7. §. *Ad tertiā probationē*, ſic ait. *Ad tertiam probationem, cū dicitur ibi eſt ordo, ergo intelligitur prima perſona non intellecta ſecunda*. Scotus.

Reſponſio.

40 *Reſponſio, quòd non neceſſariò prima intellecta, intelligitur ſecunda perſona cum prima perſona, ſi illa prima perſona eſt abſoluta: ſed non ſequitur, quòd cum prima perſona intelligitur eſſe, ſecunda perſona intelligatur non eſſe, ſicut non ſequitur, illud animal, quod eſt in homine, intelligitur non intellecto rationali. Igitur intelligitur non eſſe rationale.*

41 *Cum autem infers mutationem ex terminis oppoſitis, accipis, ac ſi intelligeretur productũ non eſſe, quando producens eſt. Abſtractionẽ igitur ſine mendacio, quæ eſt non conſiderando illud, à quo fit abſtractio, commutas in abſtractionem mendacem, quæ eſt conſiderando illud non eſſe, à quo fit abſtractio.* Hæc ille. Et hæc eadem verba per extenſum ſupra q. 27. art. 1. diſp. retulimus.

42 Vnde vides, quòd quãdo, ſeù in quocumquè ſigno originis, per Scotum, eſt Pater, eſt quoquè Filius. Ergo in quocumquè ſigno obijcitur intellectui Patris eſſentia diuina cum perſona Patris perfectiſſimè conſtituta, debet ab eodẽ Patre cognoſci omnis alia diuina perſona. Patet iſta conſequentia ex iam tradita Scoti doctrina.

43 Confirmatur hoc; quia Scotus cum ait; Quòd *non neceſſariò prima perſona intellecta, intelligitur ſecunda perſona cum prima perſona*, non loquitur de cognitione infinita Patris æterni, ſed de cognitione noſtra. Loquitur enim, vt patet, de cognitione quæ eſt per abſtractionẽ vnius perſonæ ab alia ſine mendacio. Ergo loquendo de perſona Patris, dicendum eſt in via Scoti, iuxta doctrinam iam illatã, quòd in quocumquè ſigno Pater intelligit eſſentiam diuinam vt Patri vnitam, intelligit ſe ipſum. Et in quocumquè ſigno Pater intelligit ſe ipſum; debet quoquè omnes alias diuinas perſonas intelligere, quod vt magis ex doctrina Scoti explicetur.

44 Confirmatur ſecundò; quia ex doctrina Scoti, ſi intelligeretur *productum non eſſe quando producens eſt*, (& loquitur etiam in diuinis) ſic intelligens, *abſtractionem ſine mendacio*, commutaret *in abſtractionem mendacem*. Ergo ſi per Scotũ eſſet aliquod ſignum originis, in quo Pater æternus intelligeret eſſentiam diuinam, & non perſonam ſuam intelligẽtem; aut intelligeret ſe ipſum, & non intelligeret Filium, non ſolùm abſtractiuè cognoſceret ſe ipſum, quatenùs à ſe abſtraheret Filium, verumetiam *abſtractionem ſine mendacio* commutaret *in abſtractionem mendacem*. Ergo penes hanc præcitatam Scoti doctrinam, Scotus ſibi aduerſatur.

45 Et rogo vt aduertas, quòd Scotus loquitur in loco relato iuxta eam opinionem, quam non aſſertiuè, ſed dubitatiuè, & opinatiuè tenet, nimirum, quòd perſona in diuinis non eſt formaliter relatiua, ſed abſoluta; quoniam iuxta ſententiam quam cum communiori tenet, videlicet, quòd perſona diuina eſt formaliter relatiua, à fortiori diceret, quòd vna perſona diuina nedùm à Patre æterno non poſſet intelligi ſine alia, verum neque etiam ab intellectu noſtro abſtractiuè cognoſcente; eò quia, quantumcumque intellectus abſtractiuè cognoſcat, non poteſt aliquod relatiuum, relatiuè cognoſcere, & illud à termino abſtrahere. Eſſet enim cognoſcere relatiuum, vt abſtractum à relatione, ac proinde non vt relatiuum. Quòd verò ſic, vt iam dixi de perſona diuina loquatur, eius extant apertiſſima verba citata, dum *non neceſſariò*, inquit, *prima intellecta, intelligitur ſecunda perſona cum prima perſona, ſi illa prima perſona eſt abſoluta*.

46 Probatur quartò cõtra Ferrarienſem deſtruendo eius fundamentum. Primò quidem, quia falſum omninò eſt, dicere, quòd *priùs ſecundùm noſtrum modum intelligendi actus diuini intellectus terminatur ad Verbum, tãquàm eius productio, quàm terminetur ad diuinam eſſentiam*. Nam ex hac Ferrarienſis poſitione ſequeretur, quòd Verbum diuinum eſſet non ex fœcunditate naturæ, ſed propter neceſſitatem cognoſcendi, quod eſt omninò falſum.

47 Secundò, quia idem Ferrarienſis ſupra lib. 1. contra gentes cap. 53. §. *Notandum autem*, ſic ait. *Cum dicitur hic, conceptionem, & Verbum diuinum eſſe omnium ſimilitudinem, non accipitur Verbum, vt eſt ſecunda perſona in diuinis, ſed per Verbum intelligitur id, ad quod immediatè terminatur actus intelligendi, ſiuè ſit aliquid realiter diſtinctum à re intellecta, ſiuè ſit res intellecta, vt intellecta. Eſſentia enim diuina vt intellecta, eſt ſimilitudo omnium rerum; & Deus intelligendo ipſam, intelligit eam vt omnium ſimilitudinem, & per hoc multa intelligit.* Ex quibus verbis videtur ſibi repugnans. Nam explicans doctrinam D. Thomæ illius capitis, docet, & benè, quòd cum dicitur videri omnia in Verbo diuino, nomine Verbi non intelligitur ſecunda in Trinitate perſona, ſed diuina eſſentia vt intellecta. Ergo non benè, nequè cohærenter ait, quòd actus diuini intellectus priùs ſecundùm noſtrum intelligendi modum terminatur ad productionẽ Verbi, quàm ad eſſentiam, vt intellectã. Patet iſta conſequentia, quia per Ferrarienſem 1. cont. gent. cap. 53. citato, eſſentia diuina vt intellecta, vocatur Verbum, ſed non quatenùs Verbum eſt perſona diuina; Ergo non quatenùs Verbũ pro-

Digitized by Google

productum. Ergo quatenùs eſſentia intellecta priùs ſecundùm noſtrum intelligendi modum, quàm intelligatur Verbi diuini productio.

Ferrar. 48 Tertiò; quia vt benè Ferrarienſis in 4. contr. gent. cap. 13. cit. *apud Sanctum Thomam, verbum ponitur in intellectu, adhoc, vt intellectus in rem intellectam feratur, quum per ipſum verbum ſit res intellecta in actu cõpleto quãtùm ad eſſe intelligibile, & obiectiuũ:* ſed diuina eſſentia ſecundùm noſtrum intelligendi modum ex ſe ipſa, & per ſe ipſam eſt intellectui Patris in eſſe completo, & in eſſe obiectiuo præſens. Ergo priùs ratione intelligitur ab intellectu diuino, quàm ſit Verbi diuini productio. Maior eſt Ferrarienſis, & D. Thomæ, vt Ferrarienſis ipſe fatetur. Minor etiam eſt euidens. Non enim poteſt, etiam data fingendi licentia, quid ſibi deſit, vt per ſe ipſam antecedenter ad Verbi diuini productionem, ſit in eſſe completo & obiectiuo intellectui diuino præſens.

49 Confirmatur hoc; quia eo ipſo quòd datur intellectus habens vim infinitam intelligendi, & illi eſt præſens aliquod per modum actus primi, & per modum actus ſecundi, ſeù in eſſe completo in ratione obiecti intelligibilis, non eſt aſſignabile, quare debeat verbi productio expectari, vt infiniti intellectus intuitus ad obiectum maximè ex ſe intelligibile feratur. Sic eſt in caſu noſtro; Intellectus diuinus eſt infinitæ virtutis in cognoſcendo, & aliàs eſſentia diuina vt in ſe eſt, eſt maximè, & infinitè cognoſcibilis, ac eidem infinito intellectui obiectiuè maximè præſens. Ergo non benè Ferrarienſis ait, quòd actus diuini intellectus priùs ſecundùm rationem terminatur ad productionem Verbi, quàm ad eſſentiam vt intellectam.

Ferrar. 50 His adde, ꝙ Ferrarienſis in 1. cõt. gẽt. c. 53. vbi dubitat, Vtrum Beati videndo Deum forment Verbum, concluſ. 5. ſic reſpondet. *De Beatis poteſt vtrumque ſuſtineri, ſcilicet, & quòd forment Verbum, in quo diuinam eſſentiam intuentur, & quod nõ forment.* Ergo Beati iuxta illam ſententiã; quam etiam Ferrariẽſis approbat, nempè, quòd Beati non formant Verbum; iam diuinam vident eſſentiam immediatè vt in ſe ipſa eſt, abſquè Verbi productione.

51 Nec valet dicere, quòd iuxta talem opinionem Beati vident diuinam eſſentiam non in Verbo creato ab ipſis producto, ſed in Verbo increato, producto tamen à Patre æterno.

52 Non, inquam, valet; quia vt Ferrarienſis ipſe ibidem exponit, Beati per nullum aliud verbum, quàm per Verbũ diuinum intelligerent, nomine tamen Verbi, non intelligit Verbum à Patre diuino productum; ſed diuinam eſſentiam, tanquàm intentionem intellectã, qua Beati, & Deum, & omnia alia vident.

53 Probatur quintò contra Vaſqnez, deſtruendo quoque eius fundamentum. Verbum diuinum procedit ex cognitione diuinę eſſentię & perſonarum Patris, & Filij. Ergo etiam ex cognitione Spiritus ſancti. Antecedens conceditur à Vaſquez; Probatur autem conſequentia; Quia eſt impoſſibile vt cognoſcantur Pater, & Filius, quin ſimul in eodem ſigno cognoſcatur Spiritus ſanctus. Ergo. Probatur antecedens, Quia cognoſcens complete Patrem & Filium, cognoſcit quoquè Patrem & Filium eſſe principium ſpiratiuum, ſeu productiuum Spiritus ſancti: ſed non poteſt cognoſci principium ſpiratiuum Spiritus ſancti & quod non cognoſcatur Spiritus ſanctus. Ergo.

54 Confirmatur; quia in eo ſigno in quo Pater cognoſcit ſe ipſum vt perſonam completè conſtitutam, cognoſcit quoquè, non ſolùm id, per quod in eſſe perſonæ conſtituitur, ſed etiam quidquid ſibi conſecutiuè debetur; ſed ſpiratio actiua conuenit Patri, & ſi non vt conſtitutiua perſona Patris, adminùs vt conueniens ei conſecutiuè.

55 Probatur ſextò ratione non minus efficaci, quam communi. Verbum diuinum procedit ex cognitione comprehẽſiua Patris, ſeu eſſentiæ diuinæ. Ergo procedit ex cognitione omnium quæ per ſe pertinent ad cognitionem comprehenſiuam eſſentiæ diuinæ, ſed ad huiuſmodi cognitionem per ſe requiritur cognitio omnium attributorum, ac diuinarum perſonarum. Ergo Verbum diuinum procedens ex cognitione eſſentiæ diuinæ procedit quoquè ex cognitione attributorum omniumque diuinarum perſonarum. Antecedens eſt, & debet eſſe certum; nam Verbum diuinũ debet procedere ex cognitione perfectiſſima, qua perfectior excogitari nõ poſſit. Ergo debet procedere ex cognitione comprehenſiua. Patet conſequentia, quia tunc aliquis aliquid perfectè cognoſcit, quando cognoſcit illud ita perfectè, ſicut cognoſcibile eſt, ſeù quantùm ad omnia, & omnibus modis quibus cognoſcibile eſt. Ergo. Prima verò conſequentia patet ex ſuo antecedenti: minor verò ſubſumpta probatur; Quia ad comprehẽſiuam cuiuſcumquè eſſentiæ cognitionem, neceſſariò requiritur, non ſolùm vt cognoſcatur eſſentia

tia

Digitized by Google

tia, in ratione eſſentiæ, verumetiam vt cognoſcantur omnes proprietates eius, etiamſi proprietates eſſent realiter ab eſſentia diſtinctæ. Ergo multò magis: vt comprehenſiuè cognoſcatur eſſentia diuina à Patre æterno per intellectum diuinum; ac per conſequens infinitæ virtutis in cognoſcendo, neceſſe eſt, vt non ſiſtat eius comprehenſibilitas in ſola ratione eſſentiali, ſed vt ad omnes eius proprietates ſiuè abſolutas, ſiuè perſonales extendatur.

56 Confirmatur. Si Deus cognoſceret hominem V. G. ſolùm quantùm ad quidditatem eius, puta quod ſit animal rationale, in eo ſigno, in quo ſic cognoſceret hominem, non cognoſceret illum comprehēſiuè, in ſola .ſ. prædicta hominis cognitione ſiſtendo, niſi cognoſceret quoquè de homine, quòd ſit admiratiuus, riſibilis &c. Ergo à fortiori in quocumque ſigno intelligimus Deum cognoſcere eſſentiam ſuam in ratione eſſentiæ, & non inſpicere eius attributa, ac perſonalitates, non poſſumus dicere, quod illa cognitio ſit comprehenſiua diuinæ eſſentiæ. Conſequentia eſt euidens, quia maiorem habent connexionem, & identitatem attributa diuina, & diuinæ perſonæ cum eſſentia Deitatis, quàm proprietates hominis cum eiuſdē hominis eſſentia. Ergo. Antecedens debet eſſe certum apud omnes rectè intelligentes rationem comprehenſiuæ cognitionis, ſeù comprehenſibilitatis alicuius.

CAPVT TERTIVM.

Proponuntur argumenta in contrarium, & ſoluuntur.

57 SED contra iſtam determinationē obijciet aliquis primò. Si Verbū diuinum procederet ex cognitione ſui, & Spiritus ſancti, Verbum diuinum eſſet imago ſui, & imago Spiritus ſancti: ſed hoc non eſt dicendum. Ergo. Probatur ſequela; quia ideo Verbum eſt imago Patris, quia procedit ex cognitione Patris. Ergo ſi procedit ex cognitione ſui, & Spiritus ſancti, erit imago ſui, & imago Spiritus ſancti.

58 Reſpondetur, negando ſequelam. Ad cuius probationem, nego antecedēs. Nam ideo Verbum procedit vt imago Patris, quia procedit à Patre in ſimilitudinem, idest, vt ſimilitudo in natura eiuſdem.

59 Argumentum propoſitum pro ſententia Vaſquez, ſemper mihi parui momēti viſum eſt, tamen propter nonnullorum reſponſiones ſolet recipere vires; vt igitur argumento adæquatè ſatisfacias, vtere ſolutione data. Nam ad hoc vt aliquid ſit alicuius imago (loquor de imagine propriè acceptâ) duo debet neceſſariò habere, vnum eſt, vt ſit ſimilitudo eius, cuius eſt imago, & non qualiſcumque, ſed in ſpecie. Alterum verò eſt, vt ab eo procedat, vel tanquàm à producente effectiuè aut materialiter; vel obiectiuè. Exemplum primi: vt Filius in creatis procedens à Patre, eſt ſimilis Patri in natura, & effectiuè à Patre procedit. Dico effectiuè, loquendo de Filio reſpectu Patris; quoniam de Filio reſpectu Matris, eſt alius loquendi modus. Nam Mater ad generationem Filij concurrit actiuè quo ad ſubminiſtrationem materię paſſiuè verò quò ad ipſam ſubſtantiam Filij; quia tota actiuitas eſt proueniens à ſemine maris. Exēplum ſecundi, vt pictor V. G. formans imaginem Cæſaris ex eiuſdem Cæſaris ſpecie extractâ, illa pictura dicitur imago Cæſaris, non quia ſit à Cæſare tanquàm à pingente, ſed quia eſt à Cæſare tanquàm ab obiecto, & à Cęſare, & ab eodem Cæſare, eo ipſo quòd eius imago eſt, in modo eſſendi diſtinguitur, quamuis quò ad formam quam repræſentat non diſtinguatur.

60 Hinc ergo facile noſcitur, quòd Verbum ſit imago Patris, non autem propriè imago ſui, Spiritus ſancti, aut eſſentiæ diuinæ. Non quidem ſui; quia non procedit à ſe, cum nulla ratione ſit à ſe aliquo modo diſtinctum. Non diuinæ eſſentiæ, quia licèt ſit ſimile Patri in natura diuina, & eiuſdem naturæ diuinæ ſimilitudo formalis; non tamen à natura diuina procedit effectiuè, aut obiectiuè, quaſi habeat diuerſum eſſendi modum. Neque tandem, Spiritus ſancti; Primò quidem, quia non procedit à Spiritu ſancto. Secundo verò, quia non eſt formalis ſimilitudo Spiritus ſancti, ſed Patris in natura diuina. Et quamuis omninò eadem natura diuina, quæ eſt in Patre, ſit etiam in Spiritu ſancto, non tamen eſt admittenda hæc propoſitio, ſcilicet, Filius procedens à Patre, procedit vt ſimilis Spirituiſancto vt principium quo proceſſionis Verbi, ſed hoc habet tantummodo pro vt eſt in Patre.

61 Obijcies ſecundò. Proceſſio Verbi diuini eſt prior ſecundùm rationem, quā ſit proceſſio Spiritus ſancti. Ergo proceſſio Verbi non eſt ex cognitione Spiritus ſancti. Patet conſequentia, quia in illo priori ſigno rationis, in quo conci-

Digitized by Google

ciperetur Spiritus ſanctus vt cognitus, vel intelligeretur vt productus, vel non vt productus. Non ſecundum; quia implicat cognoſcere Spiritum ſanctum, qui ex ſua intrinſeca ratione habet, vt ſit productus, & non cognoſcere illum vt productum. Si primum. Ergo contra conceſſum in antecedenti. Nam in illo priori ſigno rationis ſi intelligeretur productus, non eſſet productum Verbũ priùs in ſigno rationis, quàm Spiritus ſanctus.

62 Reſpondetur; relictis aliorum dicendi modis, quos breuitatis gratia non approbo, nec impugno, diſtinguendo, ſeù explicando antecedens. Proceſſio Verbi diuini eſt prior ſecundùm rationem, prioritate præciſionis, quàm proceſſio Spiritus ſancti, concedo antecedens. Prioritate non præciſionis, ſed intuitionis, nego antecedens. Vel ſub alijs verbis. Eſt prior ſecundùm rationem incõpletè, abſtractiuè & inadæquatè, Verbi proceſſionem concipientem, concedo antecedens. Eſt prior ſecundùm rationem completè, intuitiuè, & adæquatè concipientem, nego antecedens. Ergo &c. nego conſequentiam. Et ratio negationis eſt; Quia Verbum diuinum nõ procedit ex cognitione diuinæ eſſentiæ, pro vt circa cognitionem Dei adęquatã, ac ſimpliciter neceſſariam, intellectus noſter de ea plures ſolet formare conceptus, ſed ex cognitione comprehenſiua, intuitiua, ac neceſſaria diuinæ eſſentiæ, ſecundùm quòd in ſe eſt. Hæc autẽ reſponſio magis declarabitur in ſolutione ſequentis argumenti.

63 Obijcies tertiò. Verbum diuinum ſi procederet ex cognitione ſui, procederet ex ſe ipſo. Hoc non eſt dicendum. Ergo. Probatur ſequela; quia ideo procedit ex Patre, quia procedit ex cognitione Patris. Ergo ſi procederet ex cognitione ſui, procederet ex ſe ipſo. Minor eſt ita certa, ſicuti certum eſt, Verbum diuinum nullatenùs eſſe realiter à ſe ipſo diſtinctum.

64 Confirmàtur. Si verbum diuinum procederet ex cognitione ſui, cognitio ſui, ex qua procederet, eſſet prior ſecundùm rationem, quàm ſuimet ipſius productio. Hoc repugnat. Ergo. Sequela patet; quia priùs ſecundùm rationem conſiderãda eſt cognitio ex qua eſt Verbi productio, quàm ipſa productio Verbi. Ergo. Probatur minor; quia ſi Verbum in illo priori ſecundùm rationem obijceretur intellectui Patris, vel appareret ibi vt productum, vel vt improductũ, aut tanquàm producendum. Non primum; quia ſi appareret vt productum, non eſſet apparitio falſa, ſed vera. Ergo iam in illo ſigno in quo tanquàm productum cognoſceretur, eſſet re vera productum, ac proinde, in nullo alio ſigno produceretur à Patre; aliàs bis produceretur; Primò quidem, quia in priori ſigno appareret vt productum; ſecundò verò, quia in alio ſigno produceretur à Patre; Et ſic Pater produceret, quod in priori ſigno iam productum erat. Non ſecundum, quia implicat Verbum priùs apparere vt improductum, & poſtea in alio ſigno eſſe productum. Eſſet enim improductum, & productum. Nõ tandem tertiò, primo quidem, quia in hac Trinitate vt Eccleſia in ſymbolo Athanaſij canit, *Nihil prius, aut poſterius, nihil maius, aut minus, ſed totæ tres perſonæ coæternæ ſibi ſunt, & coæquales*. Ergo. Secundò, quia quod cognoſcitur vt futurum, non cognoſcitur intuitiuè, ſed Verbum diuinum cognoſcitur à Patre æterno intuitiuè, & nullatenùs abſtractiuè. Ergo. D. Athan.

65 Reſpondetur, negando ſequelam. Ad cuius probationem, cõcedo antecedens, & nego conſequentiam, & ratio diſparitatis eſt, quia Verbum procedit ex cognitione principij intelligentis; & hoc principium in diuinis eſt prima perſona, quæ dicitur Pater. Verbum verò reſpectu cognitionis nõ ſè habet vt principium, ſed vt terminus cognitionis.

66 Vbi aduerte, quòd quærenti, quare Filius in diuinis procedit à Patre, reſpõdendum eſt, quia Filius, vt Filius eſt à Patre; nec alia de hoc eſt ratio petenda. Quærenti, cur Filius in diuinis procedat à Patre immanenter; reſpondendũ eſt, quia procedit vt Verbum, ſeù per emanationem intelligibilem, quæ eſt actio immanens, ac proinde, proceſſio eſt immanens. Quærenti verò, quare proceſſio Verbi in diuinis à prima in Trinitate perſona, eſt proceſſio Filij, ſeù generatio, dictum eſt ſupra; Quærenti tandem quare Verbum diuinum procedit ex Patre, reſpondendum eſt; quia Pater in diuinis non generat, niſi cognoſcendo, & propterea Verbum diuinum procedit ex Patre, quia procedit ex cognitione Patris, vt obiecti cogniti, & vt intelligentis, quod non conuenit in diuinis Verbo cognoſcenti. Vnde neque Verbum diuinum cognoſcens procedit ex ſe ipſo vt cognito, ſeù vt noto ſibi, neque procedit ex ſe ipſo ex hoc quod eſt noto Patri.

67 Ad confirmationem reſpondetur, diſtinguendo ſequelam. Si Verbum diuinum procederet ex cognitione ſui, cognitio ſui, ex qua procederet, eſſet prior ſecundùm rationem præciſiuam abſtra-

ctiuam,

Digitized by Google

ctiuam, inadæquatam, & incompletam, quam ſumet ipſius productio, concedo ſequelam. Eſſet prior ſecundùm rationem intuitiuam, non præciſiuam adæquatam, & completam, quàm &c. nego ſequelam. Similiter diſtinguenda eſt minor, & neganda eſt conſequentia.

68 Explicatur iſta reſponſio. Non mihi placet quorumdam loquendi modus, qui abſolutè dicunt, priùs ſecundùm rationem eſſe cognitionem Verbi, & Spiritus ſancti, quàm Verbi diuini productio, niſi ad hanc poſitam diſtinctionem reducatur. In nullo enim ſigno poteſt intellectio Patris intelligi intuitiuè, completè, & adæquatè ad eſſentiam ſuam terminata, quin ſimul cointelligatur Verbi diuini productio. Solùm ergo admitto, quòd ſecundùm noſtrum imperfectum intelligendi modum, diuerſos formamus, non quidem intuendo, ſed præſcindendo, & abſtrahendo de diuina cognitione, & eſſentia diuina conceptus inadæquatos, & incompletos. Priùs ſcilicet, formando conceptum de Deo vt cognoſcente, veluti eſſentialiter; ſecundò, de Patre vt cognoſcente notionaliter &c. Similiter, priùs concipimus intellectionem diuinam terminari ad eſſentiam, ſecundùm quòd ſpecificat cognitionem diuinam in ratione Deificæ, & motiuè &c. Nã ſi cõcipiamus eſſentiam diuinam, vt terminat cognitionẽ intuitiuam, ſecundùm hãc terminationem, nõ poſſumus præſcindere cognitionem intuitiuam eſſentiæ à cognitione intuitiua perſonarum, quaſi ſint duæ intuitiuæ Patris cognitiones; quoniam omnia, quæ formaliter ſunt in Deo, Pater videt vnica intuitione etiam virtualiter; licèt poſſimus præſcindere non rationem cognitionis intuitiuæ diuidẽdo, ſed noſtros dumtaxat conceptus partiendo. In nullo igitur ſigno poſſumus intelligere, cognitionem Patris intuitiuè, ac comprehenſiuè terminatam ad eſſentiam, & quòd in eodem ſigno non ſit Verbi diuini productio.

69 Obijcies quartò. Verbum diuinum procedit ex cognitione obiecti primarij, & nullo modo ex cognitione obiecti ſecundarij: ſed ſola eſsentia diuina in ratione eſsentiæ eſt obiectum primarium diuinæ cognitionis. Ergo ex ſola cognitione eſsentiæ diuinæ procedit Verbum diuinum. Ac proinde non ex cognitione eſſentiæ attributorum, & diuinarum perſonarum.

70 Reſpondetur primò, diſtinguendo maiorem. Verbum diuinum procedit ex cognitione obiecti primarij, motiuè, ac ſpecificatiuè, ſimulatque terminatiuè, tranſeat maior. Procedit ex cognitione obiecti primarij, motiuè tantum, nego maiorem. Similiter diſtinguenda eſt minor, & neganda eſt conſequentia; & ratio negationis eſt; quia eſſentia diuina in ratione eſſentię, eſt obiectum cognitionis diuinæ primarium motiuè, nõ primarium terminatiuè; quoniam obiectum primarium terminatiuè cognitionis diuinæ, cum non ſit abſtractiua, ſed intuitiua, eſt diuina eſſentia, vt eſt à parte rei.

71 Reſpondetur ſecundò, diſtinguendo maiorem. Verbum diuinum procedit ex cognitione obiecti primarij, intuitiuè, & comprehenſiuè cogniti, concedo maiorem. Verbum diuinum procedit ex cognitione obiecti primarij abſtractiuè, & inadæquatè cogniti, nego maiorẽ. Similiter diſtinguenda, ſeù potiùs explicanda eſt minor, & neganda eſt conſequentia. Nam Verbum diuinum procedit ex perfectiſſima, ac proinde, comprehenſiua cognitione eſſentiæ diuinæ, quæ in ſigno antecedente cognitionem perſonarum diuinarum non eſt. Cùm perfectior, & completior ſit, quando intelligitur terminata ad eſſentiam, & ad perſonas, quàm tantummodo ad eſſentiam. Quare &c.

72 Pro intelligentia eorum, quæ dicta ſunt operepretium eſt obſeruare hanc propoſitionem, nimirum, Verbum diuinum procedit ex cognitione eſſentiæ, & perſonarum; quoniam niſi nos fides ipſa doceret, eſſet impoſſibile captu, quomodo, ſcilicet, Verbum diuinũ procedit ex cognitione eſſentiæ; & quod cognitio eſſentiæ non ſit prior productione Verbi; quoniam ly, ex, videtur denotare antecedentiam quamdam. Sed quia fides catholica docet, non ſolùm tres eſſe perſonas in diuinis, verumetiã duas eſſe procedentes, & vnam à nulla perſona procedere; Quia, ſcilicet, perſona Patris cum ſit principium de nõ principio, à nulla alia perſona procedit, Filius à ſolo Patre, & Spiritus ſanctus à Patre, & Filio: Et quia res ſupra captum noſtrum eſt, concipere perſonam producẽtem nõ priorem perſona producta, ideo fides ipſa catholica docet, quòd omnes iſtæ tres perſonæ tàm producentes, quã productæ, ſunt ſibi coæternæ, ideſt, vna non eſt altera, & altera prior. Vnde quando dicitur, quòd Verbum diuinum procedit ex cognitione eſſentiæ, ly, ex, non debet aliquam prioritatem inſinuare, niſi ſolam prioritatem originis, non quidem in quo, ſed à quo, ideſt, quòd poſita cognitione diuinæ eſſentiæ, ſtatimatquè, & in eodem ſigno in quo

Pater

Pater conſideratur cognoſcens diuinam eſſentiam intuitiuè, & comprehenſiuè, conſideratur Verbi diuini productio. Quapropter cum dicitur, quòd Verbum diuinum procedit ex cognitione diuinæ eſſentiæ, idem eſt ac ſi dicatur, quòd Pater æternus intelligendo eſſentiam, producit Verbum.

73 Quòd ſi quis dicat, quando, ſeù in illo ſigno in quo Pater intelligit Verbum, Pater producit Verbum, ac per conſequẽs, ex cognitione Verbi producit Verbum; Et tunc difficultas antiqua reclamat. Nam dicere quòd intelligendo Verbum producit Verbum, vel eſſet dicere, quòd intelligendo Verbum productum, producit Verbum; quod videtur ridiculum, petitio principij, & falſum. Vel quòd Verbum obijcitur vt producendum; quod videtur falſum. Primò quidem; quia daretur aliquod inſtans in quo Verbum non eſſet, ac per conſequens, intelligeretur tranſire à non producto ad productum. Secundo, quia hoc videtur eſſe contra rationem æternitatis, in qua ratio prioris, & poſterioris omnino repugnat. Et tertio; quia ſequeretur, quòd illa cognitio pro vt ad Verbum terminata, eſſet abſtractiua, nõ autem intuitiua.

74 Reſpondetur, quòd iſta propoſitio, videlicet, Pater, intelligendo ſuam eſſentiam producit Verbum, eſt abſolutè cõcedenda; quia eſſentia eſt obiectũ motiuum in ratione ſpecificatiui diuinæ cognitionis in ratione deificæ: iſta verò, Pater intelligendo Verbum, producit Verbum, non eſt ſic abſolutè concedenda; quia Verbum diuinum non eſt per ſe obiectum primo motiuum cognitionis diuinæ, ſed debet aliqualiter explicari, hoc modo videlicet; Pater æternus intelligens Verbum diuinum vt per ſe exigens intelligi vnà cum eſſentia diuina, producit Verbum. Et ad rationem dubitandi dico, quòd dicere, quòd Pater æternus intelligendo Verbum, producit Verbum, non eſt abſolutè dicere, quòd Pater æternus intelligẽdo Verbum productum, producit Verbum; quoniam eſſet ſenſus, quòd priùs intelligeretur Verbum eſſe productum, & poſtea eſſet productum; neque dicendum eſt, quòd Pater æternus intelligendo Verbum vt producendum, producit Verbum; ſed dicendum eſt, quòd cognitio, quam habet Pater reſpectu ſui, diuinæ eſſentiæ, Spiritus ſancti, omniumquè attributorum, eſt ſimpliciter, & tantùm ſpeculatiua; In ordine verò ad Verbum eſt ſimul, & ſemel practica, & ſpeculatiua, non quidem ſicut practicum & ſpeculatiuum dicũtur reſpectu rerum creatarũ, ſed modo ineffabiliori, quia ſcilicet, ſpeculando Verbum producit, ſeù producendo ſpeculatur. Vnde dicendum eſt ſic; quòd Pater æternus æternaliter intelligens eſſentiam diuinam, & cum ea Verbum, æternaliter produxit Verbum, & non poteſt dari ſignum in quo fuerit contemplatio eſſentiæ, & Verbi, quin detur productio Verbi per illam cognitionem. Vide tom. 1. diſp. 117. num. 48. & 49.

75 Si dicas, quòd neque de hac re quieſcit intellectus. Meminiſſe debes, hoc eſſe myſterium maximè ſupernaturale reſpectu noſtri captus naturalis, ac per conſequens, hic non poſſumus, niſi fide tenere, & poſtea Deo duce in Patria videre. Vnde ſi ratione naturali non percipis, crede vt intelligas, iuxta illud Diui Thomæ, *quod non capis, quod non vides, animoſa firmat fides, præter rerum ordinem.* D Thom.

76 Si autẽ nomine prioritatis ſecundũ rationem, intelligatur ratio producẽdi, ſic admittitur prioritas, quia ſcilicet, cognitio Patris eſt ratio producendi Verbum: & inſuper, quando admittitur, quòd perſona Patris v. g. conſideratur, vt prior generatione actiua, hæc prioritas non debet dici prioritas originis, ſed ſecundùm rationem tantùm. Nam, prioritas originis tunc eſt, quando eſt à quo alius, & qui ab alio dicitur igitur vnus conceptus ante alium, vel poſt alium, ſecundùm prioritatem, & poſterioritatem præciſionis.

DISPVTATIO

DISPVTATIO CLXXXVI.

VTRVM VERBVM DIVINVM PROCEDAT ex cognitione creaturarum poſſibilium.

In tria capita diſtributa.

CAPVT PRIMVM.

Doctorum opiniones referuntur.

1 NEGANTES Verbum diuinum procedere ex cognitione perſonarum vt Scotus, aut concedentes Verbum diuinum procedere ex cognitione perſonarum Patris, & Filij, non autem ex cognitione Spiritus ſancti, vt Vaſquez, conſequenter negant Verbum diuinum procedere ex cognitione creaturarum poſſibilium. Et inſuper, Albertinus, qui firmiter defendens Verbum diuinum procedere ex cognitione diuinæ eſſentiæ, omnium attributorum, primæ, ſecundæ, & tertiæ perſonæ; tenet tamen non procedere ex cognitione creaturarum poſſibilium. Ita tom. 2. 14. corol. theol. ex prædicamento ad aliquid q. 10. concl. 4. Arrubal diſp. 125. cap. 4. probabiliter hanc ſuſtinet opinionem. Pro hac eadem opinione refertur à quibuſdam Capreolus in 1. diſt. 35. q. 2. ad 2. Aureoli contr. 1. concl. ſed immeritò; quia ibi Capreolus non loquitur de productione Verbi in ordine ad cognitionem creaturarum poſſibilium, ſed in ordine ad cognitionẽ creaturarum futurarum, ſeù exiſtentiũ. Sic enim ait. *Vbi producens non præcedit productum, maior eſt falſa. In diuinis autem Pater non præcedit Filium, & ita non præbabet illa, quæ communicat Filio. Similiter falſa eſt maior, vbi illa, quæ communicãt productionem, dicunt habitudinem ad aliquid poſterius ipſo producto, cuiuſmodi eſt notitia creaturarũ &c.* His adde, quòd argumentum militabat contra primam concluſionẽ, in qua dicitur, quòd diuina ſcientia eſt ſpeculatiua, & practica, & cum D. Thoma ait, quòd ſcientia Dei nõ dicitur practica reſpectu Dei, neque reſpectu creaturarum poſſibilium, ſed reſpectu futurarũ duntaxat. Vnde immeritò ab Ayoſſa loco nu. ſequ. adducendo, pro hac opinione refertur. Pro hac eadem opinione ſolet adduci Ferrarienſis 4. cont. gent. cap. 13. Sed de opinione Ferrarienſis ſupra diſp. præced. tractauimus, eãque expiſcauim⁹.

Scotus. Vaſquez. Albertin. Arrubal. Capreol. Ayoſſa. Ferrar.

2 Adducitur quoque pro hac ſententia Heruęus quodlib. de verbo, quam ſequitur Syluester in conſl. q. 36. art. 1. ſed vt Heruęi opinionem fideliter referamus, priùs ea, quæ ipſe docet, audiamus.

Syluest.

3 Heruæus igitur quodlib. 11. q. 7. poſtquàm de hac re duas extremas retulit opiniones, affirmatiuam vnam, negatiuam alteram, ſic ait. *Tertia opinio medi, quam credo eſſe veram. Ad cuius euidentiam præmitto tres diſtinctiones. Prima, quia ſicut ponuntur duo obiecta notitiæ diuinæ, ipſa eſſentia, & ipſæ creaturæ relucentes in ea, ita ponuntur duæ notitiæ ſecundùm rationem; & ſicut duæ notitiæ ſecundum rationem, ita duo verba ſecundùm rationem, & duo dicere. Et ſicut eſſentia vt eſſentia eſt, ſecundùm rationem pręcedit notitiam creaturæ, ita etiam dicere vt eſt productio Verbi repræſentatiui eſſentiæ; & etiam ipſum Verbum, vt eſt repræſentatiuum eſſentiæ præintelligitur ipſi dicere, & ipſi Verbo, pro vt eſt productio Verbi repræſentatiui creaturæ.*

Heruæus.

4 *Secunda diſtinctio eſt; quod Verbum poteſt conſiderari dupliciter, vt eſt repræſentatiuum per modum Verbi, quod eſt ei proprium; vel pro vt eſt ſuppoſitum, habens eſſentiam, etiam notitiam, & quodcumquè diuinum ſibi communicatum.*

5 *Tertia diſtinctio eſt; quòd aliquid poteſt dici priùs.* Vno modo, *quia illud prius eſt ratio poſterioris, ſicut calor priùs conuenit igni, quàm calefacere. Alio modo, non quia vnum ſit ratio alterius, ſed quia vnum magis de neceſſitate conſequitur ipſum, quàm alterum, ſicut ſi ponamus, quod humiditas per priùs conuenit aquæ, quàm frigiditas; dato quòd frigiditas non ſit ratio humiditatis. His præmiſſis ſic re-*

 ſpondeo

ſpondeo ad quæſtionē, & pono tres cōcluſiones.

6 *Prima eſt. Notitia creaturæ in ſe, nec in Patre præcedit productionem Verbi, vel Verbum, vt repræſentatiuum eſſentiæ, vel vt eſt ſuppoſitum habens notitiam ipſius eſſentiæ, ſed potiùs è conuerſo, ſcilicet, quòd Verbum præcedit notitiam creaturæ.*

7 *Secunda; Verbum etiam vt eſt repræſentatiuum eſſentiæ, non præcedit notitiam creaturarum in Patre, vt ratio eliciendi.*

8 *Tertia; Accipiendo Verbum etiam vt repræſentatiuum creaturæ, & etiam vt eſt ſuppoſitum habens notitiam creaturæ ab alio, vt ſic, notitia creaturæ in Patre præcedit productionem Verbi vt ratio producendi.* Hæc ille.

9 Itaquè ex verbis iſtis, & ex alijs quę in eodem loco profert, opinio Heruæi eſt; quòd Verbum diuinum quatenus cōſideratur, vt eſt repręſentatiuum eſſentiæ, ideſt, in ea ſiſtendo, nō procedit ex cognitione creaturarum, ſed ex cognitione ſolius eſſentiæ, quam repræſentat. Si verò conſideretur, vt eſt repræſentatiuū creaturæ, ſic procedit ex cognitione ipſius creaturę; & addit, quòd cognitio Patris, qua cognoſcit eſſentiam, & cognitio, qua cognoſcit creaturas, sūt duę cognitiones ſecundùm rationem; & ſimiliter, Verbū diuinū vt repręſentās eſſentiā; & Verbū vt repręſentās creaturas, sūt duo verba ſecūdū rationē. Duo, inquit, verba ſecundū quòd Verbū conſideratur vt repręſentatiuū, quod eſt illi proprium, in ratione Verbi, nō verò, ſecūdū quòd cōſideratur vt ſuppoſitū, ſeù perſona. Non enim dicit, quod ſunt duo Verba, ideſt duo ſuppoſita, ſeù duę perſonalitates Verbi ſecundùm rationem.

10 Alij verò tenent Verbū diuinū procedere etiā ex cognitione creaturarū poſſibiliū. Ita communiter Theologi, & pręſertim, Alb. Magnus 1. p. q. 35. ar. 2. Alex. Alenſis 1. p. q. 62. memb. 1. ar. 4. D. Bonauētura, in 1. diſt. 27. p. 2. ar. 1. q. 2. Riccardus, ar. 2. q. 3. Gabriel, in 1. diſt. 27. q. 3. ar. 3. Palatius, diſp. 2. Aegidius, q. vlt. Caietanus, q. 34. ar. 3. Torres, ſupra q. 27 ar. 5. in 3. p. diſp. Bañes ibidē pręſertim §. *ex hac concluſione ſequitur*. Molina, diſp. vnica §. *contra aliam ſententiā*, Suarez, lib. 9. de Trinit. cap. 6. Zumel, Nazarius, Ripa, Herrera, Ayoſſa, Gonzalez, Faſolus, & alij commētatores D. Thomę in pręcitato ar. Palumbus, doctrina Scholaſtica de Filio ſecūda Sanctiſ. Trinit. perſona concl. 3. Ruiz, diſp. 63. ſect. 1. Granadus, diſp. 6. Zuniga, diſp. 9. dub. 6. Amicus, diſp. 26. ſect. 4. nu. 127. Salmanticenſes tract. 6. dub. 2. §. 1. Arriaga, diſp. 25. ſect. 4. ſubſect. 2. & alibi. Et Theodorus Foreſtus Bergomenſis ordinis Capuccinorum, diſp. 5. de Verbo cap. 7. concl. 4.

Alb. Mag.
Alenſis.
Bonau.
Riccard.
Gabriel.
Palatius.
Aegid.
Caiet.
Torres.
Bañes.
Molina.
Suarez.
Zumel.
Nazarius.
Ripa.
Herrera.
Ayoſſa.
Gonzal.
Faſolus.
Ruiz.
Granad.
Zuniga.
Amicus.
Salmanti
Arriaga.
Foreſtus.

CAPVT SECVNDVM.

Determinatio veritatis.

11 PRO determinatione veritatis dico breuiter. Verbum diuinum procedit etiam ex cognitione creaturarum poſſibilium.

Explicatur iſta concluſio. Suppono in pręſenti, quòd ſupra cum D. Thoma probaui, nempè, quod Deus cognoſcit creaturas poſſibiles non in ſe ipſis, ideſt, non immediatè eas intelligendo, ſed in ſe ipſo, ideſt, in ſe ipſo tanquā in cauſa; quoniā ſi Deus cognoſceret creaturas poſſibiles non in ſe ipſo, ſed in ſe ipſis, clarum eſt, quòd Verbū diuinū non procederet ex cognitione poſſibilium, ſed ſolùm ex cognitione diuinæ eſſentiæ, aut etiā omnium eorū, quæ formaliter sūt in Deo; vnde ſenſus cōcluſionis eſt, quòd Verbum diuinū procedit ex cognitione creaturarum poſſibiliū cognitorū in diuina eſſentia, ſeù ſub alijs terminis, Verbū diuinum procedit ex cognitione eſſentiæ, pro vt in ipſa omnes poſſibiles creaturæ cognoſcuntur.

12 Probatur primo hæc cōcluſio authoritatibus D. Auguſtini, & D. Thomę pro probatione concluſionis diſputationis præcedētis adductis. Nam per hoc quòd D. Auguſtinus docet Verbum diuinum procedere ex omnibus ijs, quæ ſunt in ſcientia Patris euidenter docet procedere ex cognitione poſſibilium, quæ ſunt in ſcientia Patris cum ſint virtualiter; & eminenter contentæ in Deo. Idem patet ex verbis D. Thomæ, vt ea legenti manifeſtum erit.

13 Probatur ſecundo contra Heruæum impugnando, ac deſtruendo eius fundamentum; Nam falſùm omninò eſt dicere, quòd cognitio Dei ſecundū quòd terminatur ad eſſentiā, & ſecūdū quòd terminatur ad creaturas ſunt duę cognitiones ſecūdū rationē; & quòd Verbū productū ex cognitione eſſentiæ; & Verbū productū ex cognitione creaturarū; ſeù Verbū diuinū vt eſt repręſentatiuū eſſētię diuinæ; & Verbū diuinū vt eſt repræſentatiuū creaturarū sūt duo verba ſecūdū rationē, ꝙ pręterquāquòd dixit in verbis ſupra cap. pręced. relatis, iterū eadē q. repetit in reſp. ad 3. & ad 4. ſic dicens, Heruæus.
quòd licèt perfecta notitia eſſentiæ includat notitiā creaturę, vt eādē rē, loquēdo ſecūdū rē, tamē cū hoc ſtat, quòd differāt ſecūdū rationē; Et ad 4. *Tota*, inquit, *notitia importat diuerſas notitias ſecūdū rationē differētes, quibus correſpondent diuerſa verba ſecundùm rationem*. Quibus poſitis.

14 Contra Heruæum ſic argumentor primò; Quia dum concedit duas cognitiones in Deo ſecundùm rationem diſtinctas, vnam pro vt eſt cognitio eſſentiæ diuinæ, & alteram vt eſt cognitio creaturarum; Aut intendit dicere, quòd ſunt duæ cognitiones ſecundùm rationē imperfectè, inadæquatè, & per præciſionem noſtram diſtinctæ: Aut quod ſunt duæ cognitiones ſecundùm rationem noſtram, ambæ in ſua ratione completæ, & perfectæ.

15 Si primum, noſtram fateretur opinionem; Quia diceret, quòd cognitio diuina quatenùs terminatur ad eſſentiā, & etiam quatenùs terminatur ad creaturas eſt ſecundùm rem, & ſecundum rationem completam cognitionis diuinæ, vna, diſtincta tamen ob imperfectū noſtrum intelligendi modum in duos inadæquatos abſtractoſquè conceptus.

16 Sed adhùc eſſet ineptus loquendi modus Heruæi; quia irrationabiliter dicerentur duæ cognitiones, potiùs enim deberet dicere, quòd eſſet vna cognitio dupliciter conſiderata.

17 Secundò; quia Verbum diuinum neque etiam ſecundùm noſtrum intelligēdi modum poteſt intelligi productum, quin intelligatur perfecta, integra, & adæquata cognitio eſſentiæ diuinæ. Ergo quando intelligitur cognitio diuina terminata ad eſſentiam, & nondùm terminata ad eſſentiam pro vt in ea cognoſcuntur creaturæ, non poſſumus concipere Verbum productum, per illam cognitionem incompletè conſideratam. Quod tamen aſſeritur ab Heruæo.

18 Vbi aduerte quòd Scotus ipſe, dicēs, quod Verbum producitur ex cognitione eſſentiæ, tenet quòd illa cognitio in illo primò inſtanti naturæ eſt integra, & completa; & propterea, in ſecundo inſtanti naturæ in quo intelligit creaturas, non concedit per illam creaturarum cognitionem produci Verbum, & non diſtinguit duo verba ſecundùm rationem, licèt diſtinguat duplicem cognitionem ſecundùm rationem.

19 Si ſecundum, ſic argumentor contra. Aut tenet Heruæus, quòd Deus cognoſcit creaturas in ſe ipſo tanquàm in cauſa; aut tenet quòd cognoſcit creaturas in ſe ipſis immediatè. Non ſecundum, quia multa ſequerentur abſurda. Nam cognitio pro vt terminaretur ad creaturas immediatè, non eſſet beatifica. Non enim haberet obiectum beatificans. quandoquidem, obiectum eſſent creaturæ, quæ non poſſunt creaturam rationalem beatificare; & per conſequens, multò minùs poſſent beatificare creatorem. Item, per illam cognitionem ſic terminatam, non poſſet Deus producere Verbum, quod eſt contra eumdem Heruæum. Hæc, & alia multa, quæ nō expedit adducere, ſequerentur inconuenientia. Si primum, contra. Quando concipitur cognitio vt terminata ad eſſentiam, & non concipitur, vt terminata ad eſſentiam, ſic cognitam, vt cognoſcantur in ea omnes poſſibiles creaturæ, non concipitur cognitio ſecundùm ſuā rationem, vt completa, ſed vt incompleta, & vt inadæquata. Ergo per eam nō intelligitur Verbum productum, vt paulò ante dicebamus; neque diſtribueretur diuina cognitio in duas cognitiones cōpletè diſtinctas.

20 Item, argumentor contra id, quod dicit eſſe duo verba ſecundùm rationem diſtincta. Aut enim intendit dicere, quòd ſunt duo verba, ideſt, duo ſuppoſita, ſeù duæ perſonę Filij ſecundùm rationem diſtinctę: Aut quòd ſunt duo verba ſecundùm rationem diſtincta, ſolummodo in ratione repręſentatiui, quod per Heruęum eſt proprium Verbi. Non primum; Tum quia, hoc ipſe non dicit; tum etiam quia, intolerabilem cōtineret errorem, vt patet. Tres enim tantùm ſunt perſonæ in diuinis, & ſecūdùm rem, & ſecundùm rationem, vt patet diſcurrendo; Nam Pater, vt generās Filium, & vt ſpirans Spiritum ſanctum, & vt ingenitus, ſeù innaſcibilis, non diuiditur, ſeù diſtinguitur in tres perſonas ſecundùm rationem. Si ſecundum, aut intendit dicere, quòd ſunt vnum Verbū dupliciter conſideratum, penès ſcilicet, duos conceptus noſtros imperfectos, & inadęquatos, & verum dicit, ſed ineptè loquitur vt num. 16. de cognitione diximus: Aut quòd ſunt duo verba totalia ſecundùm rationem diſtincta. Et hoc eſt falſum. Primò quidem; Quia Verbum ſecundum, vel procederet ex cognitione creaturarum, & non ſimul ex cognitione eſſentię, vel ex cognitione illarum in eſſentia, ſeu ex cognitione eſſentię pro vt in ea cognoſcuntur creaturę. Si primum, in primis falſum eſt, quòd Pater ſi cognoſceret creaturas ſeorſim ab eſſentia, produceret Verbum; creaturę enim concurrerent vt obiectum primarium, & immediatum quatenùs diuinā terminarent cognitionem; ſecūdò, quia ſecundum Verbum eſſet imperfectius, ſeu minùs perfectum quàm primum, ſicut minùs perfectę ſunt creaturę quàm diuina eſſentia. Si ſecundum; ſequetur, quòd ſecundum eſſet magis perfectum, quàm primum. Procederet enim ex cognitione adęquata diuinę eſſentię.

Digitized by Google

21 Cōfirmatur hoc; Quia licèt vtrumquè Verbum reſpiceret obiectum infinitum, puta diuinam eſſentiam; non tamen vtrumquè eſſet æquè perfectum, quia primū eſſet Verbum repræſentans obiectum infinitum, non infinitè, ſecundū verò vtiquè. Sed hactenùs de ſententia Heruæi.

22 Probatur tertiò, ratione, qua præcedentem probauimus, Verbum diuinum procedit ex cognitione adæquata, & comprehenſiua eſſentiæ diuinæ: Sed niſi cognoſcātur in eſſentia diuina omnes poſſibiles creaturæ, non eſt complerè adæquatè, & comprehenſiuè cognita eſſentia diuina. Ergo. Maior debet eſſe apud omnes certa: nam Verbum diuinū procedit ex cognitione perfectiſſima, & adæquatur Patri. Et minor patet ex ijs quæ diximus tomo primo, & ſecundo.

23 Confirmatur primò; quia impoſſibile eſt, quòd intellectus infinitus in cognoſcendo, ſicuti eſt intellectus diuinus, non cognoſcat eſſentiam diuinam quātùm ad omne id, quod eſt, & quantùm ad id, quod ſub ipſa virtualiter continetur: ſed eſſentia diuina in ſe eſt omnipotens, & ſub ſe continet neceſſariò omnes poſſibiles creaturas. Ergo impoſſibile eſt, vt intellectus diuinus infinitus in cognoſcendo, ex hoc quod infinitus eſt, cognoſcens eſſentiam ſuam non cognoſcat quoquè omnes poſſibiles creaturas.

24 Si dicatur pro Scoto, quòd Deus, ſeù diuina eſſentia in primo inſtanti naturæ non eſt omnipotens, ſed omnipotentia ſequitur diuinam eſſentiam in ſecundo inſtanti naturæ, & in illo ſecundo inſtanti naturæ, cognoſcit poſſibiles creaturas. In illo enim ſecundo inſtanti naturæ, poſſibiles creaturæ producuntur in quodam eſſe diminuto, ratione cuius habent eſſe obiectiuum, ſeu exiſtentiam in intellectu diuino.

25 Contra; Eſto omnipotentia non ſit in diuina eſſentia in primo inſtanti naturæ, adhùc deberet cognoſci ab intellectu diuino, vt debita eidem eſſentiæ tanquàm paſſio ipſius; quia diuina eſſētia in illo primo inſtanti naturæ, & ſi non habeat in ſe omnipotentiam, habet tamen exigentiam omnipotentiæ vt ſibi naturaliter debitam. Ergo intellectus diuinus in quocumquè ſigno cognoſcit eſſentiam diuinam infinitè, debet quoquè cognoſcere quidquid illam cōſequitur, & quidquid illi neceſſariò debetur. Contra illud eſſe diminutum à Scoto confictum, alib. diſcurremus.

26 Confirmatur ſecundò, & cōfirmatio hæc non ſolum præſentem, verumetiā præcedentis diſputationis roborat concluſionem. Pater æternus producit Verbum diuinum ex cognitione comprehēſiua eſſentiæ diuinæ. Ergo ex cognitione attributorum, potentię notionalis actuum notionalium, perſonarum, & creaturarum poſſibilium. Antecedens patet. Probatur conſequentia; quia Pater in illo ſigno in quo producit Filium, ſeù Verbum, cognoſcit iam eſſentiam. Ergo cognoſcit eam vt concurrentem ad generationem, ſiuè vt principium quo radicale, ſiuè vt principium quo proximum, ſi eſſentia diuina conſiſtit in ipſo intelligere. Tunc vltra; ſed non poteſt cognoſcere comprehenſiuè eſſētiam, vt principium quo, ſiuè radicale, ſiuè proximū generationis, niſi cognoſcat quid ſit generatio illa, quę per concurſum eſſentię habetur. Ergo comprehendens diuinam eſſentiam in eodē ſigno, quo cognoſcit eſſentiam, cognoſcit quoquè quid ſit generatio. Tunc vltra. Non poteſt comprehenſiuè cognoſci generatio, niſi ſimulatquè generans, & genitum comprehēſiuè cognoſcantur. Ergo cognoſcens comprehenſiuè diuinam eſſentiam, neceſſariò cognoſcit comprehenſiuè perſonam generantem, & genitam. Tunc vltra. Sed perſona generans, & perſona genita in diuinis habent virtutem ſpiratiuam Spiritus ſancti. Ergo cognoſcens comprehenſiuè perſonam generantem, & genitam, debet quoquè comprehenſiuè cognoſcere virtutem ſpiratiuam Spiritus ſancti, ac proinde ipſam perſonam Spiritus ſancti. Ergo comprehenſiuè cognoſcens diuinam eſſentiam, ex vi huius comprehenſiuæ cognitionis debet comprehenſiuè cognoſcere eſſentiam diuinam, perſonas diuinas, potentias notionales, & actus quoquè notionales. Et hoc pro corroboratione concluſionis præcedentis diſputationis.

27 Tunc vltra. Sed cognoſcens comprehenſiuè eſſentiam, perſonas diuinas, potentias notionales, & actus earum, debet quoquè cognoſcere, quidquid eſt debitum, ſeù conueniens neceſſariò eſſentiæ, & perſonis: ſed eſſentiæ diuinæ, & perſonis eius, conuenit omnipotentia. Ergo cognoſcens comprehenſiuè eſſentiam diuinam, debet quoquè comprehenſiuè cognoſcere omnipotentiā: Tunc vltra. Sed non poteſt comprehenſiuè cognoſci omnipotentia ab intellectu diuino, niſi cognoſcatur cuius, ſeù quorum ſit hæc omnipotentia. Ergo non poteſt comprehenſiuè cognoſci eſſentia diuina, niſi cognoſcantur quoquè

què

Digitized by Google

quę omnes creaturę poſſibiles in eadem eſſentia diuina.

28 Ex dictis ſequitur alterius diſputationis reſolutio, ſcilicet, Vtrum Verbum diuinum procedat ex cognitione peccatorum poſſibilium, entium rationis fictibilium, & ſimiliter priuationum, ac negationum; & dicendum eſt, quòd Verbum diuinum procedit ex cognitione omnium ſupradictorum; & ratio eſt; quia omnia hæc ad comprehenſiuam diuinæ eſſentiæ cognitionem pertinent. Aliter tamen quàm poſſibiles creaturæ; quoniam creaturæ poſſibiles dependent à Deo tanquàm à cauſa exemplari, & virtualiter continentur in Deo; At verò peccata quatenùs contra Deum ſunt, & pro formali conſiderata, non dependent à Deo tanquàm à cauſa exemplari, nec virtualiter continentur in Deo. Pertinent tamen ad comprehenſiuam diuinæ eſſentiæ cognitionem; quia non poteſt omnipotentia diuina comprehenſiuè cognoſci, niſi cognoſcatur quoquè omne illud quod poteſt permittere, & impedire, & huiuſmodi ſunt peccata. Nequè etiam poteſt comprehenſiuè cognoſci, niſi etiam cognoſcatur omne illud ad quod poteſt mediante cauſa ſecunda concurrere, & ſub huiuſmodi continentur entia rationis, quæ per veram intellectus creati operationem finguntur, quæ intellectus operatio à diuina potentia dependet &c.

CAPVT TERTIVM.

Proponuntur argumenta in contrarium, & ſoluuntur.

29 SED contra iſtam determinationē obijciet aliquis primò; Quia creaturæ poſſibiles non ſunt tantę neceſſitatis, quantæ neceſſitatis eſt actualis Verbi diuini productio. Ergo Verbum diuinum non procedit ex cognitione poſſibilium. Patet conſequentia; quia magis neceſſarium non procedit ex cognitione minùs neceſſarij. Ergo.

30 Video nonnullos Theologos nobiſcū ſentientes pro huius argumenti ſolutione magnoperè laborantes, & quoſdam alios in concluſione præcedentis diſputationis concordantes, à præſenti, vi huius argumenti conuictos receſſiſſe. Verùm ni fallor ego, nullius eſt difficultatis argumentum. Vnde in forma,

31 Reſpondetur, concedēdo antecedēs, & negando conſequentiam. Et ratio negationis eſt; quia aliud eſt dicere, quòd Verbum diuinum non procedit ex creaturis poſſibilibus; & aliud eſt dicere, quòd Verbum diuinum nō procedit ex cognitione creaturarum poſſibilium. Hoc ſecundum, eſt falſum, & primum, verum: nos autem dicimus, quòd Verbum diuinum procedit ex cognitione creaturarum poſſibilium; non autem ex creaturis poſſibilibus.

32 Ad probationem verò diſtinguo, ſeù explico antecedens. Magis neceſſarium non procedit ex cognitione minùs neceſſarij, ſi illud minùs neceſſarium non ſit per ſe requiſitum ad comprehenſionem magis neceſſarij, concedo antecedens. Si illud minùs neceſſarium non ſit per ſe requiſitum ad cognitionē magis neceſſarij, nego antecedens. Ergo &c. nego conſequentiam; quia ſic eſt in caſu noſtro; Nam quamuis creaturæ poſſibiles non habeant tantam neceſſitatem, quantam habet Verbi diuini productio, tamen cognitio creaturarum poſſibilium in diuina eſſentia, tantæ neceſſitatis eſt, quantæ eſt comprehenſiua cognitio diuinæ eſſentiæ, vt producatur Verbum diuinum.

33 Poſſet reſponſio hæc ſub alijs verbis in hac forma proponi, diſtinguendo antecedens argumenti principalis. Creaturę poſſibiles, quantùm ad id, quod sūt, non ſunt tantæ neceſſitatis, quantæ neceſſitatis eſt actualis Verbi diuini productio, concedo antecedens. Creaturæ poſſibiles, quantùm ad id, quod arguūt, non ſunt tantæ neceſſitatis, quantæ neceſſitatis eſt actualis Verbi diuini productio, nego antecedens. Ergo &c. nego conſequentiam.

34 Explicatur iſta reſponſio. Creaturæ poſſibiles, quantùm ad id, quod ſunt, & ſi neceſſariò ſint poſſibiles, ita vt non poſſint non eſſe poſſibiles, tamen non tantam neceſſitatem habent, quantam habet Deus, ac proinde quantam habet Verbum diuinum, quòd eſt verè Deus. Quandoquidem dependent à Deo, tanquàm à cauſa exemplari. Verbum diuinum autem eſt ens per eſſentiam; Nihilominùs quantùm ad id, quod arguunt, non minorem neceſſitatem arguunt, quàm ſit neceſſitas productionis Verbi diuini. Arguunt enim omnipotentiam Dei, & comprehenſiuam diuinæ eſſentiæ cognitionem, quæ tantæ neceſſitatis eſt, quantæ neceſſitatis eſt Verbum diuinum produci.

35 Obijcies ſecundò. Si non forent poſſibiles creaturæ, adhùc Pater æternus ex cognitione adæquata quàm haberet de diuina eſſentia produceret Verbum. Ergo cognitio creaturarum poſſibilium non eſt per ſe requiſita ad comprehenſiuam

ſiuam diuinæ eſſentiæ cognitionem. Patet conſequentia; quia Verbum diuinũ procedit ex cognitione eorum, quæ per ſe requiruntur ad comprehenſiuam cognitionem eſſentiæ diuinæ. Antecedẽs patet. Quia cognoſceretur adæquatè eſſentia. Ergo produceretur Verbum..

36 In huius argumenti ſolutione, ſolent quoquè Doctores noſtræ ſententiæ variare. Quidam enim concedunt antecedens, & negant conſequentiam. Quidam verò negant antecedens.

37 Sed breuiter reſpondetur primò, antecedens nõ eſſe omnino certum. Nam productio Verbi diuini eſt per fidem nobis diuinitùs reuelata, & eſt reſpectu Dei, qui modo eſt; qui ſcilicet, eſt communicabilis his poſſibilibus creaturis. Vnde ſi non eſſent poſſibiles hæ creaturæ, quæ modo poſſibiles ſunt, nõ eſset ille Deus, qui de facto eſt; quoniam hic eſt communicabilis creaturis, ille vero nõ item. Vtrum autem ſi daretur Deus, qui non eſset communicabilis creaturis, eſset communicabilis perſonis diuinis, & his perſonis diuinis, non eſt huc vſquè nobis ab Eccleſia propoſitum, nec aliqualiter reuelatum, quare meritò poteſt reſponderi primò negando ſimpliciter antecedens.

38 Reſpondetur ſecundò, diſtinguendo antecedens. Si non forent poſsibiles creaturæ, adhùc Pater æternus ex cognitione adæquata illius eſſentiæ, produceret aliud Verbum, tranſeat antecedens. Ex cognitione adæquata illius eſſentiæ, produceret iſtud Verbum, nego antecedens. Ergo &c. ſimiliter diſtinguendum eſt conſequens. Nam cum Verbum diuinum procedat ex cognitione eſſentiæ diuinæ, euidenter ſequitur, quod ſi non procederet ex cognitione huius eſſentię, quæ modo eſt, neque etiam eſſet hoc idem Verbum, quod modo eſt: nos autẽ loquimur de Verbi diuini proceſſione ex cognitione eſſentiæ, quæ de facto eſt.

39 Obijcies tertiò. Pater æternus non eſt Beatus ex cognitione creaturarum poſsibilium. Ergo non producit Verbũ ex cognitione creaturarum poſsibilium. Probatur antecedens; Quia creatura rationalis non eſt beata ex cognitione creaturarum poſsibiliũ, ſed ſolùm propter diuinam eſſentiam, quæ ſola eſt obiectum beatificans. Ergo multò minùs Pater æternus eſt beatus ex cognitione creaturarum poſsibilium. Probatur igitur conſequentia; Quia Pater æternus ex illius obiecti cognitione producit Verbum, per quam, & per quod dicitur eſſe beatus. Ergo.

40 Reſpondetur, diſtinguendo, ſeù explicando antecedens. Pater æternus nõ eſt beatus ex cognitione creaturarum poſsibilium in ſe ipſis, ſeù ſi cognoſceret creaturas poſsibiles in ſe ipſis, ſeù immediatè, concedo antecedens. Non eſt beatus ex cognitione creaturarum poſſibilium, in diuina eſſentia, nego antecedens. Ergo &c. nego conſequentiam. Et quia Pater æternus nullo modo cognoſcit creaturas poſsibiles in ſe ipſis, ideſt, immediatè, ſed in ſe ipſo, ideſt mediante cognitione ſuæ eſſentiæ, idcircò in ſubiecta materia poteſt abſolutè negari antecedens.

41 Obijcies quartò. Pater ęternus priùs ratione cognoſcit eſſentiam ſuam, quã poſsibiles creaturas. Ergo producit Verbum in illo priori. Ergo non ex cognitione creaturarum poſsibilium. Probatur antecedens; quia cognitio Patris terminatur ad creaturas poſsibiles, quia terminatur ad eſſentiam. Ergo priùs ad eſſentiam, quàm ad creaturas. Conſequentia verò eſt euidens; quia ſi in aliquo priori ſigno, Verbum diuinum intelligitur vt productum à Patre, in ſequenti ſigno non producitur, quia bis produceretur. Productum enim in priori ſigno, produceretur in ſecundo. Vel in illo ſecundo ſigno perfectiùs verbum produceretur, & à priori diſtinctum. Quod eſt à veritate alienum.

42 Reſpondetur, diſtinguendo antecedens. Pater æternus priùs ratione motiua cognoſcit eſſentiam &cæt. concedo antecedens. Priùs ratione terminatiua, adhùc diſtinguo antecedens. Priùs ratione inadęquata, & pręciſiua cognoſcit eſſentiam, quàm poſsibiles creaturas, concedo antecedens. Priùs ratione adęquata, & intuitiua, cognoſcit eſſentiam, quàm poſsibiles creaturas, nego antecedens. Ergo &c. nego conſequentiam.

43 Explicatur iſta reſponſio. Quamuis diuina eſſentia in ratione eſſentię ſit obiectum motiuum, ac ſpecificatiuum diuinę cognitionis in ratione deificę, ac proinde, priùs ratione habeat rationem obiecti motiui, ac ſpecificatiui diuinæ intellectionis; tamen ſi conſideretur in ratione obiecti intuitiuè, & cõprehenſiuè cogniti, non priùs cognoſcitur eſſentia diuina ab intellectu diuino intuitiuè, & comprehẽſiuè, quàm quòd in eadem diuina eſſentia cognoſcantur omnes poſsibiles creaturę. Hoc eſt enim diuinam eſſentiam comprehenſiuè cognoſcere, cognoſcere ſcilicet, eam, non ſolùm quantùm ad omne id, quod formaliter eſt in ea, ſed etiam quantùm ad id, quod virtualiter continet.

DISPVTATIO CLXXXVII.

VTRVM VERBVM DIVINVM PROCEDAT EX COGNItione creaturarum abſolutè futurarum.

In tria capita diſtributa.

CAPVT PRIMVM.

Explicatur titulus, & Doctorum opiniones referuntur.

1 SENSVS quæſiti eſt, Vtrum vt intelligatur Verbi diuini productio, per ſe requiratur cognitio eorum obiectorum, quę ab æterno determinata ſunt in aliqua temporis differentia eſſe futura, non obſtante, quòd hæc cognitio ſit omninò inuoluens voluntatis diuinæ liberum decretum.

2 Quidam affirmatiuè reſpondent. Ita Gregorius de Valentia q. 8. de Trinit. qui ait hanc ſententiam fuiſſe communem antiquorum Theologorum. Zuniga diſp. 1. dub. 7. Ruiz diſp. 63. ſect. 4. conc. 1. idéque docet Arriaga, diſp. 52. ſect. 4. ſubſect. 3. qui etiam ſubdit, quòd *hæc ſententia eſt communiſſima inter recentiores*. Valentia. Zuniga. Ruiz. Arriaga.

3 Alij verò dicunt, Verbum diuinum nō per ſe procedere ex cognitione creaturarum futurarum. Ita Caietanus art. 3. qui hanc ſententiam omninò prçſupponit. Bañes ibidem §. *ad tertium*, vbi hæc habet verba. *Ex quo conſequitur, quòd Verbum diuinum non procedit ex cognitione creaturarum, quæ dicitur ſcientia viſionis. Nā vt dicunt omnes Theologi, hæc ſcientia viſionis dicit relationem ad res productas, & producendas &c.* Et paucis interiectis ſic cōcludit. *Vnde hæc ſcientia viſionis libera eſt in Deo: at verò Verbum producitur ex cognitione creaturarum, quæ dicitur ſimplicis intelligentia, quæ neceſſaria eſt in Deo.* Nazarius, ſuper eumdem art. Ripa, Zumel, ſua q. 1. concl. 5. Molina, in eodem art. Vaſquez diſp. 143. Suarez, lib. 9. de Trinit. cap. 7. Arrubal, diſp. 125. cap. 2. Granadus, tom. 3. in 1. p. tract. 9. diſp. 7. Gonzalez, diſp. 13. ſect. 3. qui de hac opinione hæc verba profert. *Hæc concluſio mihi videtur adeo certa, vt oppoſita ſit manifeſtè erronea*, Salmanticenſes tract. 6. diſp. 12. dub. 3. §. 1. nu. 113. Et in eiuſdem numeri fine ſic dicunt; *Et omnes ferè alij Theologi*. Herrera art. 3. huius quæſt. dubit. 2. concl. 2. Ayoſſa ibidem ſect. 2. §. 3. concl. 2. qui de hac eadem opinione ſic ait. *Eſt concluſio communis.* Faſolus eodem loco dubit. 7. nu. 61. qui de hac opinione ſic ait; *Concluſio negatiua omnium, exceptis quibuſdam recentioribus*. & ſupra to. 2. quæſt. 14. ar. 8. dub. 1. nu. 12. Amicus diſp. 26. ſect. 5. num. 161. qui de hac opinione loquens ſic ait. *Eſt communior inter Theologos*. Et Foreſtus loco citato diſp. præced. Caiet. Bañes. Nazarius. Ripa. Zumel. Molina. Vaſquez. Suarez. Arrubal. Granac. Gonzal. Salmanti. Herrera. Ayoſſa. Faſolus. Amicus. Foreſtus.

CAPVT SECVNDVM.

Determinatio veritatis.

4 PRO determinatione veritatis dico primò. Verbum diuinum nō procedit ex cognitione libera creaturarum futurarum, quatenùs cognitio libera eſt.

5 Probatur. Productio Verbi diuini eſt omninò neceſſaria. Ergo non eſt ex cognitione libera, vt libera, ſed ex cognitione neceſſaria, vt neceſſaria. Antecedens patet; quia Verbum eſſe, eſt ſimpliciter neceſſarium, ac proinde non poteſt non eſſe. Ergo debet procedere ex cognitione ſic neceſſaria, vt ſimpliciter non poſſit non eſſe. Conſequentia verò probatur; quia ſcientia libera omninò opponitur ſcientiæ neceſſariæ.

6 Dico ſecundò. Verbum diuinum neceſſariò procedit ex cognitione creaturarum futurarum, non vt cognitio libera eſt, ſed vt neceſſaria eſt.

Concluſio hæc apparet primo aſpectu ſibi repugnans, & noua; mihi tamen videtur vera, vtramquè opinionē reccōciliās, &

Digitized by Google

& tenenda. Vnde priùs eam explico, & deinde probo.

7 Explico autem ſic. Teneo, vt ſup. to. 2. diſp. 117. & d. ſp 122. & 133. inſinuaui, quòd Deus ab æterno, neceſſariò circa poſſibilia ſe determinauit; & etiam liberè. Neceſſariò inquam; quia implicat, vt voluntas Dei perfectiſſimè libera reſpectu creaturarum maneat omninò ſuſpenſa, & nullum habeat ſuæ libertatis actum, quo determinet hanc, vel illam rem eſſe, vel non eſſe futuram. Itaquè quantùm ad hoc, quod eſt Deum ſe determinare, vt aliqua creatura ſit, vel non ſit futura, fuit ſimpliciter ab æterno ſibi neceſſarium. Liberè verò reſpectu harum, vel aliarum creaturarum; quia ſcilicet, has, & non alias creaturas fuiſſe futuras ex ſua libberrima dependet voluntate. Sicut enim decreuit hunc mundum eſſe futurum, hos Angelos producendos, & non alios &c. ſolummodo ex ſola Dei libera determinatione dependet. Potuit enim eadem libertate velle alium mundum, alioſquè Angelos creare &c. Ecce igitur quomodo Deus ab æterno circa poſſibilia, neceſſariò, & liberè ſe determinauit, modo iam explicato.

8 Dicimus igitur in concluſione, quòd Verbum diuinum procedit quidem ex cognitione libera creaturarum, non vt libera eſt, ſed vt neceſſaria; ideſt, non ſecundùm quòd liberè Deus voluit ab æterno has creaturas in tempore eſſe futuras, & alias nunquam futuritionem habituras, ſed ſecundùm quòd huiuſmodi libera determinatio dicitur neceſſaria, ideſt, ſecundùm quòd continetur ſub hoc, quod eſt voluntatem Dei neceſſariò ab æterno debuiſſe ſuæ libertatis actū circa poſſibilia exercere. His poſitis,

9 Probo concluſionem ſic. Verbum diuinum neceſſariò, & per ſe procedit ex cognitione omnium eorum, quæ neceſſariò ſunt in Deo: ſed determinatio diuinæ voluntatis circa futuritionem, vel non futuritionem rerum neceſſariò eſt in Deo. Ergo Verbum diuinum neceſſariò, & per ſe procedit ex cognitione huius determinationis diuinæ voluntatis. Tunc vltra. Sed non poteſt cognoſci determinatio diuinæ voluntatis, quin cognoſcantur omnes creaturæ, quæ ex vi prædicti decreti ſunt futuræ, & quæ non ſunt futuræ. Ergo Verbum diuinū procedit ex cognitione creaturarum futurarum, & etiam earum omnium, quæ ex vi decreti diuini habent, vt non ſint futuræ.

10 Ex quo colligitur primò iuxta ea, quę diximus tom. 2. diſp. 117. cap. 1. à nu. 7. quòd per ſcientiā viſionis Deus cognoſcit non ſolùm res abſolutè futuras, verumetiam omnia poſſibilia, quæ nō fuerunt determinata ad futuritionem, ſed ad non futuritionem. Dicitur autē hæc cognitio intuitiua; non ratione decreti præcisè; ſed quia, ratione decreti exercitè habent negationem exiſtentiæ; ac proindè reducuntur ad ſcientiam viſionis.

11 Colligitur ſecundò, quòd Verbum diuinum procedit ex cognitione omnium poſſibilium ſecundùm quòd cognitio eſt ſimplicis intelligentiæ, & ſecundùm quòd eſt cognitio intuitiua. Nam dicitur cognitio ſimplicis intelligentiæ, quatenùs verſatur circa poſſibilia ſecùdùm ipſorum quidditatem, ideſt, ſecundùm quòd poſſunt eſſe, & poſſunt non eſſe. Dicitur autem notitia intuitiua, ſecundū quòd videntur ea, vt non futura determinatè.

12 Colligitur tertiò, quòd Verbum diuinum concomitanter, & non per ſe, & formaliter petit, vt procedat ex cognitione creaturarum vt futurarum, vel vt non futurarum; quia hoc ex libera duntaxat Dei voluntate procedit; & in tantùm ex harum cognitione producitur, in quantùm ſub determinatione voluntatis diuinæ continetur.

13 Sed vnum tranſeunter aduerto, & eſt, quòd D. Tho. ſupra q. 14. ar. 12. docet, q̄ Deus cognoſcit per ſciētiam viſionis & per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ infinita, ita videlicet, quòd infinita, quæ per ſciētiam viſionis cognoſcit, ſunt accidentia, puta cognitiones, & affectiones, non autem ſunt infinitæ ſubſtantiæ, puta infinitæ ſpecies, aut infinita indiuidua: Verbum diuinum procedit ex cognitione omnium iſtorum, ſed quia quę determinata ſunt, vt nō ſint futura, ſunt etiam infinitæ ſubſtantiæ, puta infinitæ ſpecies, & infinita indiuidua, & iſta cognoſcuntur per ſcientiam viſionis reductiuè, quia ex vi decreti diuini poſita sūt in ſtatu non futuritionis; ideo procedit etiam ex ſcientia viſionis reductiuè omnium iſtorum. Aliter enim dicitur ſciētia viſionis reſpectu futurorum, & aliter reſpectu non futurorum. Nam primo modo, dicitur propriè, & formaliter ſciētia viſionis, quia terminatur ad exiſtentiam actualem, & realem rei; ſecundo verò modo, reductiuè; ſicut negatio reducitur ad affirmationem, & ſicut lucidum & tenebræ ad idem genus, & potētiam pertinent. Vide quę diximus tomo 2. diſp. 117. à num. 7. D. Thom.

15 De futuris verò contingentibus conditionatis ex decreto libero voluntatis diuinæ dependentibus, dico, quòd co gno-

cognoſcuntur à Deo per ſcientiam omninò liberam, non verò per ſcientiam viſionis formaliter; quia ſcientia viſionis formaliter, terminatur ad obiectum exiſtens realiter, ſiuè in propria menſura æternitatis. Vnde formaliter loquẽdo, cognoſcuntur à Deo per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, non quidem p ſcientiã ſimplicis intelligentiæ, pro vt conuertitur cum ſcientia neceſſaria; ſed p ſcientiã ſimplicis intelligentiæ, quæ eſt libera: & ſimplicis intelligentiæ ex eo dicitur, quia non reſpicit obiectum in aliqua menſura re vera exiſtens.

16 Ex quo patet, quòd magis pertinet ad ſcientiam viſionis cognitio eorum, quæ abſoluto decreto Dei determinata ſunt ab æterno, vt non ſint futura; quã futura contingentia conditionata. Eõ quia, ſcientia viſionis dicitur reſpectu obiecti exiſtentis, vel reſpectu obiecti negantis exiſtentiã ex vi decreti diuini: ſed futurũ contingens conditionatum, vt futurum contingens conditionatum eſt, nõ dicit, ſeù non habet re vera exiſtentiam; & vt tale eſt, non dicit negationem exiſtẽtię, cum dicat futuritionem cõditionatam, & propterea abſolutè futura, & abſolutè non futura, cognoſcuntur à Deo per ſcientiam viſionis; futura verò contingentia conditionata à decreto voluntatis diuinæ dependentia, cognoſcuntur à Deo per ſcientiam formaliter liberã, nõ tamẽ formaliter viſionis, ſed formaliter ſimplicis intelligentiæ. Sed de his hactenus.

17 Colligitur tandẽ inter vtramquè ſententiam poſſe eſſe cõcordiam. Nam qui dicunt, Verbum diuinum procedere ex cognitione futurorũ, ſi loquantur de ipſorum cognitione, quatenùs reducitur ad cognitionem huius, nempè, Deus ab æterno neceſſariò habuit decretum liberum circa creaturas; Et quia licèt Deus neceſſariò ab æterno exercuit ſuã liberrimam circa creaturas libertatem, tamẽ ſtãte quòd ſic determinauit, vt iſta obiecta, & non alia ſint in rerum natura futura, idcirco, iſta libera determinatio fuit neceſſariò cognita à Deo; & ſic rectè loqueretur iſta opinio. Qui verò dicunt, quòd Verbum diuinum nõ procedit ex cognitione libera futurorum, rectè etiã loquuntur, quia intendunt dicere, quòd Verbum diuinum procedit ex cognitione neceſſaria, ideſt, ex cognitione omniũ eorum, quæ neceſſariò ſunt in Deo, & non ex cognitione eorum, quæ liberè cognoſcuntur, ſecundùm quòd liberè cognoſcuntur, licèt ex alia via, ex ſuppoſitione nimirũ, quòd continentur ſub cognitione neceſſaria diuini decreti.

18 Dixi inter vtramquè ſententiam poſſe eſſe concordiam, non tamen inter authores omnes vtriuſquè ſententiæ; quoniam quidã ex parte affirmatiua abſolutè affirmant, Verbum diuinum procedere ex cognitione creaturarum futurarũ, ſecundùm quòd cognitio eſt abſolutè libera, & ex ſuppoſitione dumtaxat, neceſſaria, inter quos præter Ruiz, eſt Arriaga, qui rationem pro prima cõcluſione poſitam proponit, eamquè ſoluit. Nam loco citato ſubſect. 4. n. 34. ſic cõtra ſemetipſum obijcit. *Proceſſio Verbi eſt neceſſaria. Ergo non poteſt oriri ex ſcientia libera.* Ruiz. Arriaga.

19 Reſpondet, diſtinguendo antecedens. Proceſſio Verbi, *quatenùs Verbũ exprimit neceſſaria, & quatenùs neceſſariũ eſt, eſt neceſſaria,* concedit antecedẽs. Proceſſio Verbi, quatenùs Verbũ eſt expreſſiuũ futurorũ eſt neceſſaria, negat antecedẽs. Ergo &c. ſimiliter diſtinguit conſequens. Et pro ſolutione argumẽti aduertit, ſic dicẽs. In Verbo diſtinguendas duas quaſi partiales rationes Verbi, ſeù formalitates; vnã, quæ ſit Verbũ neceſſariorũ; alterã contingentiũ. Ad eum planè modũ, quo diſtinguimus duas ſcientias, vnã neceſſariorũ, alteram liberorum &c.

20 Contra primò. Verbum diuinum eſt verè, & propriè Deus. Ergo eſt neceſſarium, ſicut neceſſarium eſt eſſe Deum. Ergo falſum omninò eſt, dicere, quòd Verbum diuinum, & proceſſio Verbi diuini eſt neceſſitatem habens, prout eſt Verbum neceſſariorum, eſt verò cõtingens, & liberum, quatenus eſt Verbum futurorum, & liberorum. Antecedẽs patet, & credo non poſſe abſque errore in fide negari. Quælibet enim formalitas, quę realiter eſt in Deo, eſt idẽticè Deus. Conſequentia patet; quia ſi daretur Verbum in Deo, quod eſſet contingens, & liberũ, ſequeretur, quòd aliquid quod eſt Deus, potuit non eſſe in Deo.

21 Secundò. Quia per Arriagam loco iam citato, iuxta ſuam ſolutionem dicẽdum eſt, Verbum vt expreſſiuum neceſſariorum eſſe prius ſe ipſo, vt expreſſiuo futurorum. Tunc ſic contra Arriagam argumentor. Verbum diuinum pro vt eſt Verbum neceſſariorum quatenùs præcedit ſe ipſum ſecundùm quòd eſt Verbum futurorum, vel eſt idem Verbum ſecundùm rationem. Vel ſunt duo verba ſecundùm rationem. Neutrum dici poteſt. Ergo.

22 Dicit num. 35. §. *Dices tertiò, quòd obiectio eſt de modo loquendi, in quo attendendus eſt vſus communis, qui obtinuit, vt licèt in re non ſint multæ ſcientiæ, ſed ſolùm ratione noſtra. (Vnde in rigore non poterant*

 dici

Digitized by Google

dici duæ ſcientiæ) abſolutè tamen dicuntur multa : quia verò id non obtinuit in voce, Verbum, ſtandum eſt rigori, & non dicendum duo abſolutè verba ; quia hoc ſignificat duo realiter, quæ non ſunt in diuinis.

23 Itaq; in ſuo ſenſu, ſicuti sũt duæ ſcientiæ in Deo ſecundùm rationem, ita quoquè ſecundùm rationem, Verbum diuinum poteſt dici duo Verba : Non tamen abſolutè ſic dicitur ; quia ſtandum eſt rigori, ac proinde, ſi abſolutè duo verba diuina dicerentur, ſignificaretur diſtinctio realis.

24 Contra ſic argumentor. Si Verbum diuinum partiretur in duo verba ſecundùm rationem diſtincta, aut eſſent vnica actione virtualiter producta ; aut duabus actionibus. Neutrum poteſt dici. Ergo non benè conceditur eſſe duo verba ſecundùm rationem. Maior patet. Probo minorem. Nam ſi eſſet vna virtualiter actio. Ergo eſſet quoquè vnum virtualiter Verbum, Et non duo Verba ſecundùm rationem. Patet iſta conſequentia ; quia implicat, vt vna actio re, & ratione terminetur ad duos terminos ratione diſtinctos. Item. Actio, qua producitur Verbum in diuinis, eſt formaliſſimè generatio. Ergo nequè poteſt dici, quod ſint duæ actiones ſecundùm rationem.

25 Reſpondet Arriaga, num. 36. his verbis. *Verbum quò ad neceſſaria, ſolum prodire per generationem, quò ad libera verò, prodire vt Verbum præcisè, & non vt Filium : ſicut in ſententia communi, dum accipit à Patre ſpirationem actiuam, non habet communicationem pertinentem ad generationem, ſed aliam ratione diuerſam.*

Arriaga.

26 Contra ſic argumentor primò ; Quia totum, quod reperitur in Verbo diuino, aut pertinet ad rationem perſonæ, aut ad rationem abſolutam & eſſentialem. Si primum ; ergo Verbum vtroquè modo prodit per generationem. Probo conſequentiam. Quia quod reperitur in Verbo pertinens ad rationem perſonæ, prodit per generationem. Solùm enim in caſu impoſſibili, nimirum, ſi Spiritus ſanctus non procederet à Filio, ſed ſolummodò à Patre, per voluntatem, & admiſſo, quòd non diſtingueretur perſonaliter à Filio, eadem perſona eſſet genita ſecundùm vnam rationem, & non genita, ſed procedens ſecundùm aliam rationem ; At in caſu vero, quicquid habet Spiritus ſanctus pertinens ad rationem perſonæ, prodit per proceſſionem. Ergo etiam quicquid habet Verbum pertinens ad rationem perſonæ, prodit per generationem.

Secundò ; Quia hæc doctrina aduerſatur Diuo Auguſtino dicenti, quòd eò Filius, quo Verbum, & eò Verbum, quò Filius.

27 Tertio ; Quia Verbum quatenùs prodit vt Verbum, vel eſt perſona diuina formaliter ; vel non. Si primum, contra. Ergo duæ perſonæ diuinæ à Patre per intellectum procedunt ; vna eſt Verbum, vt Filius ; & altera eſt Verbum, vt Verbum, & non vt Filius. Quod videtur abſurdum. Ergo. Si ſecundum, contra. Quia nihil deeſſet ei, vt procedat tanquàm perſona. Eſſet enim à Patre, vt à perſona.

28 Quartò ; quia iuxta exemplificationẽ ab Arriaga poſitam ; ſic ſe habet Verbũ reſpectu neceſſariorum ad Verbum reſpectu liberorum, ſicut ſpiratio actiua communicata Filio à Patre, quæ non pertinet ad generationem. Ergo ſic diſtinguitur Verbum reſpectu neceſſariorum à Verbo reſpectu liberorum, ſicut ſpiratio actiua communicata Filio, reſpectu generationis, ſeù reſpectu perſonæ Filij, quatenùs eſt per generationẽ : ſed ſpiratio actiua, & Filiatio ſunt duæ relationes ratione diſtinctæ, licèt ſint realiter identificatæ. Ergo Verbum reſpectu neceſſariorum, & Verbum reſpectu liberorum ſunt duæ relationes ratione diſtinctæ, quod videtur nouum abſurditatis genus.

29 Quintò, quia in illo ſigno in quo Verbum intelligitur procedere ex ſcientia liberorum, ſeù libera, vel cõcurrit etiã ad idẽ omninò Verbum producendũ ſcientia neceſſaria, vel nõ, ſed præſupponitur concurriſſe. Si primum. Ergo idem Verbum debet dici, bis eſſe productum ; ſemel ſcilicet, per ſcientiã neceſſariã, dumtaxat, & iterum per ſcientiã neceſſariã, & liberã ſimul. Hoc eſt contra omne lumẽ, naturale, ſcilicet, & diuinũ. Semel enim locutus eſt Deus, & non bis. Si ſecundũ, videtur falſum ; quia in illo ſigno in quo conſideratur Pater intelligens liberè, poteſt ſimul cũ ſcientia neceſſaria concurrere. Ergo erit Pater fœcundus per vtrãquè ſcientiam ad vnum Verbum dumtaxat.

30 Sextò ; quia diſtinguere duo Verba in diuinis ſecundùm rationem, eſt ſibimet aduerſari. Ergo. Probo antecedẽs ; quia per Arriagam, per ſcientiam liberorum, ſeù liberam producitur Verbum, vt expreſſiuum, ſecundùm ſcilicet præciſam rationem Verbi : ſed hoc etiam debet cõuenire Verbo procedenti ex ſcientia neceſſariorum. Nam Verbum reſpectu neceſſariorum eſt verè, & propriè Verbum. Ergo non eſt proprium Verbi ex ſcientia libera procedentis, vt ſit productum in ratione Verbi præcisè.

Reſpon-

Digitized by Google

31 Reſpondebit aliquis pro Arriaga, cōcedendo vtrumquè Verbum procedere in ratione Verbi, ſed Verbum neceſſariū habet, vt procedat etiam per generationem, & per conſequens, vt Filius', quod non habet Verbum prodiens ex ſcientia liberorum.

32 Contra; Quia Verbum prodiens ex ſcientia liberorum, vel eſt formaliter Filius, vel non. Non primum per Arriagam. Ergo ſecundum. Tunc ſic argumentor contra. Verbum liberorum nō eſt formaliter Filius. Ergo eſt formaliter in Filio; & ſic erit verum dicere, quòd Verbum diuinum eſt in Verbo diuino, quod eſt ridiculum, & falſum.

33 Septimò; Verbum neceſſariorum, eſt priùs ratione in aliquo ſigno ſe ipſo, vt Verbum liberorum. Ergo Verbum liberorum, ſe habet vt conſequens. Ergo vt paſſio, ſeù proprietas primi, vel vt accidens eius: Vtrumquè eſt falſum. Ergo. Minor ſubſumpta, probatur. Et quidem quò ad primam partem patet; quia ſi eſſet veluti paſſio, neceſſariò conſequeretur Verbum, vt eſt neceſſariorum. Quò ad ſecundam verò partem, etiam patet; quia valde abſurdum eſt, ne ampliùs dicam, aliquam formalitatem, quę realiter, & formaliter eſt in Deo, per accidens illi ineſſe, & idem eſſe identificatam per accidens. Vt verum fatear periculoſum mihi videtur eſſe, aſſerere dari Verbum diuinum liberum.

34 Octauò; quia quando Sacra Scriptura ait; *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, Verbum caro factum eſt &c.* (Ioan. 1.) loquitur de Verbo propriè dicto, & per modum vnius Verbi. Ergo ſi Verbum diuinum partiretur in duo verba ſecundùm rationem, Verbum diuinum, quod eſt incarnatum eſſet Verbum partiale, ideſt, Verbum, quatenùs eſt per generationem, non autem Verbum quatenùs procedit ſecundùm præciſam rationem Verbi; & ſic cum dicitur, Verbum caro factum eſt, non eſſet vndequaque vera propoſitio, ſed aliqualiter. Vel dicendū eſſet, quod quantùm ad omnem Verbi rationem, Verbum fuiſſe incarnatum, quod ſecundùm Arriagā non poteſt in ſe ipſo conſiſtere; quoniam Verbum quatenùs eſt Verbum futurorum non eſt Filius Dei, cum procedat à Patre non per generationem.

35 Tandem, quia Verbum diuinum quatenùs eſſet Verbum liberorum, re vera produceretur à Patre. Ergo vel eſſet à Patre vt Pater eſt, vel ſub alio titulo. Si primum. Ergo eſſet per generationem. Probo conſequentiam; quia quod eſt à Patre, vt Pater eſt, eſt per generationē, & dicitur genitum, ſeù Filius; ſed hoc non conceditur ab Arriaga. Ergo. Si ſecundum. Ergo in Patre reſpectu Verbi futurorum, ſeù liberorum, datur alia relatio per quam relatiuè ei opponatur. Nam ex hoc, quòd Pater generat Filiū, dicitur Pater, & generans. Ex hoc vero quòd producit Spiritum ſanctum, dicitur ſpirator, quæ denominatio licèt, ſit relationem paternitatis conſequens, tamen eſt à denominatione Patris diſtincta, vt ſupra diximus. Ergo ſimiliter, ſi reſpectu Verbi diuini quatenùs eſt expreſſiuum liberarum creaturarum, non dicitur generans, debet alia denominatione denominari.

36 Si dicatur pro Arriaga, quòd huiuſmodi diuerſæ denominationes ſunt veluti rationes partiales reſpectu eiuſdem diuinæ perſonæ.

37 Contra; quia relatio filiationis, vt præciſa ratio filiationis eſt, fundat completum, ac totalem conceptum in diuinis. Etenim ſic ſe habet conceptus filiationis reſpectu perſonæ Filij, ſicuti relatio paternitatis reſpectu perſonæ Patris: ſed relatio paternitatis fundat conceptum completum, & adæquatum. Ergo ſimiliter Filiatio. Ergo non ſunt diuerſi conceptus inadęquati eiuſdem relationis, ac formalitatis. Maior patet; quia Pater pro ſuo adæquato termino reſpicit Filium, & paternitas, vt paternitas reſpicit filiationem; & è conuerſo.

38 Confirmatur; quia Sacra Scriptura dicens ſic, *tres ſunt qui teſtimonium dant in cælo; Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus.* (1. Io 5.) Perſonæ Patris, opponit relatiuè Verbū. Ergo Verbum relatiuè oppoſitum Patri eſt vndequaquè Filius; ſicuti Pater relatiuè oppoſitus Verbo, eſt vndequaquè Pater. Ergo Verbum vt expreſſiuum liberorum; & Verbum diuinum, vt eſt Verbum neceſſariorum, vel ſemper habet rationem Filij; vel diuiditur in duo verba adæquatè diſtincta, ac proinde, ſimiliter Pater diſtingueretur per duas denominationes adæquatè ſecundùm rationem diſtinctas, quarum vna eſt reſpectu Verbi, vt geniti, altera verò eſt reſpectu Verbi, vt non geniti, quæ quam ſint ridicula, & abſurda, quis non videt?

Digitized by Google

CAPVT TERTIVM.

Proponuntur argumenta in contrarium, & ſoluuntur.

39 POSSET præſens diſputatio ſine argumentorum ſtrepitu expediri, quia per ea, quæ dicta ſunt, habetur ipſorum non obſcura ſolutio, nihilominùs maioris claritatis gratia aliquot proponuntur, & ſoluuntur argumenta. Vnde contra ſupradictam determinationem,

40 Obijcies primò. Cognitio creaturarum exiſtentium, ſeù futurarum eſt libera. Ergo Verbum non procedit ex cognitione creaturarum exiſtentium, aut futurarum. Antecedens patet. Supponit enim actum liberum diuinæ voluntatis. Conſequentia videtur euidens; quia productio Verbi eſt omninò neceſſaria. Ergo procedit ex cognitione omninò neceſſaria. Ergo nō procedit ex cognitione futurorum, quæ eſt cognitio libera.

41 Hoc argumentum probat primam conclusionem, & non militat contra ſecundam. Et quatenùs aliqualiter cōtra eam poſſet dirigi,

42 Reſpondetur, diſtinguendo, ſeù explicando antecedens. Cognitio creaturarum exiſtentium, vt exiſtentium, ſeù vt futurarum, eſt libera, concedo antecedens. Cognitio creaturarum exiſtentium, non vt exiſtentium, ſed pro vt ſtāt ſub decreto neceſſario diuinæ voluntatis, eſt libera, nego antecedens. Ergo &c. &c. ſimiliter diſtinguendum eſt conſequens.

43 Senſus huius reſponſionis iam explicatus eſt. Volumus enim dicere, quòd cognitio creaturarum exiſtentium eſt libera, quia diuina voluntas, ratione cuius dicitur libera diuina cognitio, liberè decreuit aliquas creaturas eſſe futuras, & aliquas non. Et ſimiliter, has, & non alias eſſe futuras: at verò diuina voluntas neceſſariò ab æterno oportuit, vt ſuā exerceat libertatem. Vnde non fuit libera libertate contradictionis, quantùm ad hoc, videlicet, vt ab æterno ſe determinet ad aliquid volendum, vel nolendum: ſed ne remaneat ſuſpenſa diuina voluntas, oportuit, vt habeat ab æterno decretum circa res. Quòd verò decreuerit aliquas creaturas eſſe futuras, ex libera diuina voluntate proceſſit. Potuit enim decernere, vt nihil ad extra producatur. Et ſimiliter ex libera Dei voluntate proceſſit, quòd decreuerit aliquas & has, & illas, & non alias creaturas in tempore eſſe futuras. Et quia Deus (vt dicebamus) neceſſariò cognoſcit ſuam determinationem, idcirco dicimus, quòd cognitio libera creaturarum, cadit ſub cognitione neceſſaria, quatenùs, ſub decreto Dei res neceſſario continentur.

44 Obijcies ſecundò. Quæ ſunt libera, pendent à communi conſenſu, & deliberatione omnium perſonarum. Igitur nequeunt origine præcedere perſonas. Antecedens nō poteſt negari; quia quæ ſunt libera, non ſunt magis vnius, quàm alterius perſonæ, ſed omnium communia. Conſequentia verò probatur; nam quæ origine præcedunt, ſupponuntur habere eſſe independens ab ijs, quibus ſunt origine priora, ſaltem quo ad illud eſſe, quo ſunt origine priora: ſed implicat, vt liberum decretum Dei ſit independens à Filio, & a Spiritu ſancto. Ergo. Argumentum hoc ſi quid probat, primam concluſionem probat.

45 Sed reſpondetur, diſtinguendo, ſeù explicando antecedens: Quæ ſunt libera, pendent à communi conſenſu, & deliberatione omnium perſonarum, idest, non excludunt perſonas, concedo antecedens. Idest, neceſſariò coexigunt perſonas adhuc concedo antecedens. Idest, Verbi, ſeù perſonarum diuinarum productio præcedit ſecundùm intellectum noſtrum cognitionem creaturarum liberarum, præſertim vt ſubſunt voluntati diuinæ vt neceſſario determinatæ, nego antecedens. Ergo &c. nego conſequentiam.

46 Sed circa verba in conſequenti poſita obſeruandum eſt, quòd quando dicitur cognitionem creaturarum origine præcedere perſonas, eſt locutio arguentis; & non propria. Nos autem, vt ſupra explicauimus, non dicimus cognitionē creaturarum ſiuè liberam, ſiuè neceſſariam origine præcedere perſonarū productiones; quoniam huiuſmodi præcedentia (loquendo de prioritate à quo) eſt inter perſonam producētem, & productam, ita vt vna ſit à quo altera; & altera, quæ ab altera, quod non ſaluatur inter cognitionem creaturarum, & Verbum productum. Sed potiùs debet dici præcedentia ſecundùm noſtræ intelligētiæ rationem, modo tamen ſupra pluriès explicato.

47 Dices: D. Thomas q. præced. ar. 3. ad 1. ait, quòd communia, quæ important reſpectum ad creaturam, per poſteriùs dicuntur, quàm propria, quæ important reſpectus perſonales. Ergo contra D. Thomam dicitur, quòd cognitio creatura- D.Thom.

turarum futurarum præcedat ſecundùm rationem productionem Verbi.

48 Reſpondetur, cõcedendo antecedẽs, & negando conſequentiam; & ratio negationis eſt; quia D. Thom. loquitur de prioritate, & poſterioritate executiuè, & prædicatiuè, vt in Comment. ſuper iar. præfatum, ex profeſſo declarauimus; non autem loquitur decretiuè; quaſi dixerit, quòd prius ſit Verbi diuini productio, quàm determinatio libera diuinæ voluntatis, pro vt hæc libera determinatio ſubeſt voluntati diuinæ neceſſariò determinatæ.

49 In ſumma dico, quòd Verbum diuinũ procedit ex cognitione creaturarum futurarum, nõ vt futurarum, ſed quatenùs procedit ex cognitione voluntatis diuinæ neceſſariò ab æterno determinatæ. Vnde, quaſi per accidens ſeu potius cõcomitanter, concurrit creaturarum futurarum, vt futurarum cognitio; quoniam etiamſi in omni ſigno in quo cognoſcuntur neceſſariò creaturæ poſſibiles, omnes quoquè creaturæ liberè futuræ cognoſcantur, & creaturarum libera futuritio, non ſubeſſet voluntati diuinæ neceſſariò determinatæ, Verbum diuinum procederet ex cognitione neceſſaria, non autem ex cognitione libera futurorum. Non enim verum eſt, quòd ſcientia libera, vt libera eſt, diuinum fœcundat intellectum, vt imaginatur Arriaga; quoniam intellectus diuini fœcũditas non prouenit ex ſcientia, vt ſcientia eſt, tanquam ex prima fœcunditatis radice, ſed ex ipſa naturæ diuinæ fœcunditate; ac proinde quæcumquè fœcunditas eſt in Deo, non poteſt eſſe libera, ſed debet eſſe omninò neceſſaria. Quod enim ex natura tanquàm ex radice prouenit, non liberè, ſed neceſſariò habetur.

50 Sed dicet aliquis. Si Verbum diuinũ procedit ex cognitione creaturarũ poſſibilium, & etiam futurarum modo iam explicato, ſequeretur, quòd etiam Spiritus ſanctus procederet ex amore creaturarum poſſibilium, & futurarum. Hoc non admittitur à nobis. Ergo.

51 Reſpondetur, negando ſequelã. Nam creaturę poſſibiles, eo ipſo quod ſunt intelligibiles, de facto ſunt à Deo ab æterno intellectæ; non tamen ſunt de facto à Deo vt in ſe ipſis ſunt ab æterno amatæ; vt ſupra tom. 1. probauimus. Quidquid enim Deus poteſt cognoſcere, de facto cognoſcit, nõ tamen quidquid poteſt amare de facto (loquor de creaturis) amat. Et ratio eſt; quia cognoſcibilia reſpicit vt intra ſe; creaturas verò amando reſpicit vt in ſe ipſis, & extra ſe. De creaturis vero futuris, dico, quòd quanuis eas amet, liberè tamen diligit eas, & Spiritus ſanctus ex libero creaturarum amore non procedit, ſicut neque Verbũ procedit ex cognitione merè libera, nequè etiam dicimus in præſenti Verbum diuinum liberè à Patre prodire.

DISPVTATIO CLXXXVIII.

VTRVM VERBVM DIVINVM PROCEDAT ex ſcientia media.

Per vnicum caput expedita.

CAPVT VNICVM.

Doctorum opiniones referuntur, & veritas ſtabilitur.

1 SVAREZ lib. 9. de Trinit. cap. 7. nu. 8. & 9. Vaſquez diſp. 141. cap. 1. nu. 2. Arrubal diſp. 125. nu. 11. & 12. Salmanticẽſes tract. 6. diſp. 12. §. 1. nu. 122. ex hypoteſi, ſi, ſcilicet, ſcientia media daretur. Et Faſolus in hac q. ar. 3. dubit. 7. nu. 63. negatiuè reſpondent. Suarez. Vaſquez. Arrubal. Salmant. Faſolus.

2 Affirmatiuè verò reſpondet Molina, art. 3. huius quæſt. Non dari ſcientiam mediam ſupra tom. 2. q. 123. ex profeſſo probaui. Vnde non oportet circa hoc Molina.

Digitized by Google

hoc aliquantulum immorari, ſolùm aduertendum ſupereſt, quòd Pater Arriaga diſp. 21. de ſcientia media, ſeù cõditionata in proemio ſic de ſcientiæ mediæ quæſtione fatur. *Vix vlla præſenti ſæculo celebrior quæſtio in ſcholis agitur, quàm ſit hæc, vtpotè à qua dependet tota ferè materia de prædeſtinatione, & gratia Dei*. Et eadem diſp. ſect. 1. nu. 5. ſic ſcribit. *Ego in hac quæſtione, quæ eſt de ſola voce, cenſeo primò &c.* & ſect. 3. nu. 13. ſic ait. *Vnde non poſſum non mirari, ſcientiam hanc fuiſſe ab vllo ex illis negatam. Cum enim ipſi omnes eam prædeterminationem cognoſcant; & euidens ſit ea data ſecuturum effectum, non video, quomodo Deum id non agnoſcere affirmarint. Cum ego ipſe euidenter ſciam, ſi Deus me prædeterminaret, amarem.*

Arriaga.

3 Miror certè, quomodo ſic Pater iſte loquatur. In primis, ſi de ſola voce eſt quæſtio, quomodo tàm grauis eſt diſputatio? Item. Nonne phyſica prædeterminatio, quatenùs à Thomiſtis aſſeritur, & explicatur, eſt fundamentum ſciẽtiæ mediæ deſtructiuum? Vbi ergo fundat admirationem, quòd nos prædeterminationem phyſicam concedentes, ſcientiam quoquè mediam non concedimus? Non enim poſſumus benè aliquid diſputando cõcludere, niſi in ſignificatione nominum conueniamus. Quid ergo nomine ſciẽtiæ mediæ intelligatur, iam Doctorum plenæ ſunt paginæ. Et quantùm ad hoc vide ſupra tom. 2. diſp. 123. cap. 2. & 3. Tandem, ex ſemetipſo loquitur, non ex Thomiſtarum dictis, cum ait, nos aſſerere, Deum non agnoſcere futura etiã pdeterminatiõe phyſica poſita, ſed hæc ſint trãſeunter dicta; Vnde pro determinatione veritatis,

4 Dico breuiter. Verbum diuinum procedit ex ſcientia media, ſi datur. Hoc dictum probauimus ſupra tom. 2. cap. 7. Et inſuper,

5 Probatur. Verbum diuinum procedit neceſſariò ex cognitione omnium, quæ neceſſariò ſunt in Deo: ſed ſcientia media neceſſariò eſt in Deo. Ergo Verbum diuinum procederet ex ſciẽtia media ſi daretur. Maior patet. Probatur minor; quia per Authores ſcientiæ mediæ, ideo ſcientia præfata nuncupatur media, quia mediat inter neceſſariam, & liberam, & dicitur libera obiectiuè, neceſſaria verò ſubiectiuè. Ergo eſt iam in Deo neceſſariò.

6 Dices. Scientia media eſt de obiecto libero, & contingenti. Ergo non cognoſcitur neceſſariò à Deo.

7 Retorqueo argumentum. Scientia media, & ſi obiectiuè eſt libera, ideſt, de obiecto libero; ſubiectiuè tamen eſt neceſſaria, ideſt, non poteſt nõ eſſe in Deo. Tunc vltra. Sed quod non poteſt non eſſe in Deo, & neceſſariò eſt in Deo, neceſſariò cognoſcitur ab intellectu diuino. Ergo ſcientia media pro vt eſt in Deo, neceſſariò cognita eſt à Deo.

8 Confirmatur; Quia eſt de obiecto cõtingenti, & libero, ideo per aduerſarios Verbum diuinum non procedit ex ſcientia media. Ergo quia ſcientia media ſubiectiuè eſt naturalis Deo, ſeù neceſſaria, Verbum diuinum debet procedere ex ſcientia media, quatenùs ſubiectiuè Deo neceſſariò ineſt.

9 Vnde ad inſtantiam reſpondetur, diſtinguendo, ſeù potiùs explicando antecedens. Scientia media eſt de obiecto libero, & contingenti, & aliàs neceſſariò ineſt Deo, concedo antecedens. Et aliàs liberè, & contingenter eſt in Deo, nego antecedens. Ergo &c. nego conſequentiam. Vide ea, quæ ſupra tom. 2. diſput. 123. cap. 7. pro hac concluſione firmanda diximus, ne omninò ſemper eadem repetamus.

DISPVTATIO

DISPVTATIO CLXXXIX.

VTRVM COGNITIO, QVA VERBVM PROCEDIT EX cognitione ſui, & Spiritus ſancti, dicenda ſit intuitiua, an potiùs abſtractiua.

In tria capita diſtributa.

CAPVT PRIMVM.

Doctorum opiniones referuntur, & veritas ſtabilitur.

1 QVIDAM dicunt, cognitionẽ, qua Verbum diuinum procedit à ſui ipſius, & Spiritus ſancti cognitione, eſſe abſtractiuã.

2 Hæc opinio tribuitur Caietano; ſic præſertim Amicus, diſput. 26. ſect. 3. num. 85. qui ibi ſic ait, *Ex quo colligi videtur ex Caietano p. p. quaſt. 34. art. 3. §. Circa prædicta verſus finem*; locus autem ex quo quidam dicunt Caietanũ huius fuiſſe ſententiæ eſt; in hac quæſt. ar. 3. §. *Ad imaginationes autem Scoti.* Vbi hæc habet verba. *Ad ſecundum verò dicitur quòd nullum incõueniens eſt, Verbum procedere ex ſe ipſo, & Spiritu ſancto, vt notis Patri, ideſt, ex notitia, quam habet Pater de eis.* Ex quibus Caietani verbis, non poteſt colligi, quod Caietanus huius fuerit opinionis. Nam ſi procedere ex notitia, quam habet Pater de Verbo, & Spiritu ſancto, eſſet procedere ex notitia abſtractiua, actum ageremus & fruſtra iterum quæreretur, vtrum huiuſmodi notitia ſit dicenda abſtractiua; an potiùs intuitiua. Quod non eſt; Nam eorum qui concedunt, Verbum procedere ex notitia, quam habet Pater de Verbo, & Spiritu ſancto, multò plures ſuſtinent, (vt iam iam videbimus) talem notitiam dicendam eſſe ſimpliciter intuitiuam, & nullatenùs abſtractiuam. Ayoſſa, eſt re vera huius opinionis, vt patet in ſua diſp. 25. à num. 2.

Caiet. Amicus. Caiet. Ayoſſa.

3 Alij verò affirmant cognitionem qua Verbum procedit ex cognitione ſui, & Spiritus ſancti, eſſe ſimpliciter intuitiuã. Ita Zumel, in hac quæſt. ar. 3. diſput. 1. concl. 4. Suarez, lib. 9. de Trinit. cap. 5. Franciſcus de Chriſto, in 1. diſt. 27. Vaſquez diſp. 142. c. 2. num. 7. & cap. 3. nu. 11. vbi tamen loquitur reſpectu Verbi, ex cuius cognitione fatetur procedere, ſic dicens. *Cenſeo primum, negari non poſſe, Verbum procedere, per intuitiuam cognitionẽ, & ſcientiam, quæ circa duas perſonas, Patris nimirum, & ipſius Verbi, tanquàm circa obiectum per ſe neceſſarium, & requiſitum verſatur*, & oppoſitam, falſam appellat. Gonzalez hic ar. 3. diſp. 12. ſect. 1. num. 11. Theodorus Foreſtus Capuccinus, diſp. 5. de Verbo cap. 7. concl. 3. Salmanticenſes tract. 6. diſp. 12. dub. 1. §. 7. à nu. 31. Amicus, diſp. 26. ſect. 3. concl. 2. nu. 97. Faſolus hic ar. 3. dubit. 5. Arriaga, diſp. 52. ſect. 4. ſubſect. 1. num. 27.

Zumel. Suarez. Francisc. de Chri. Vaſquez. Gonzal. Foreſt. Amic. Salmant. Faſolus. Arriaga.

CAPVT SECVNDVM.

Determinatio veritatis.

4 PRO determinatione veritatis, Dico breuiter. Verbum procedit ex cognitione intuitiua ſui, & Spiritus ſancti.

Probatur primò authoritate Sacræ Scripturæ. Dicitur enim Ioann. 14. *Philippe qui videt me, videt & Patrem; quia ego in Patre, & Pater in me eſt.* Ergo in nullo ſigno Pater æternus videt ſe ipſum, & nõ videt Filium, ſimulatquè Spiritum ſanctum. Probatur conſequentia; quia, propoſitio Chriſti Domini videtur eſſe non ſolùm identica, ſed formalis, quaſi ſenſus ſit, quòd inter perſonas Patris, & Filij, ac proinde Spiritus ſancti, datur hoc neceſſariò requiſitum; quod qui videt Patrem, videat quoquè Filium, & ſic intelligit nimirũ, videre Patrẽ, eſt videre quoque

Digitized by Google

quoque Filium. Ergo ſupradicta ſcripturæ authoritate rectè colligitur, quod ſi Verbum diuinum procedit ex cognitione intuitiua Patris, procedit etiam ex cognitione intuitiua ſui, & cognitione intuitiua Spiritus ſancti.

5 Probatur ſecundò ratione deſtruente oppoſitæ ſententiæ fundamentum, quæ mihi videtur efficax, & ſenſata. In nullo ſigno in quo conſideratur Pater diuinus eſſe, poteſt dici Filium Dei eſſe, & Spiritũ ſanctum nõ eſſe. Ergo in quocũquè ſigno Pater æternus intuitiuè cognoſcit ſe eſſe, intuitiuè quoquè cognoſcit Filium & Spiritum ſanctum eſſe. Probo conſequentiam; quia, quòd aliquid ab aliquo non videatur eſſe, ex duplici capite prouenire poteſt, vel quia non eſt; vel quia eſt, & cognoſcens ex virtutis cognoſcitiuæ debilitate ipſum quod eſt, videre non poteſt: ſed neutrũ horum in cognitione Patris æterni accidere poteſt. Ergo. Maior patet. Probatur minor; quia ex antecedenti conſtat, quòd in quocumquè ſigno Pater æternus exiſtit, ſeù exiſtere intelligitur, etiam debẽt exiſtere & coexiſtere Filius, & Spiritus ſanctus. Probo igitur antecedens; quia modo in quocumquè tempore, in quocumque inſtanti temporis, & in quocumquè ſigno originis, & naturæ ſic eſt, quòd quocumquè tempore, aut inſtanti temporis, aut ſigno naturę, originis, aut rationis ſignato, valet dicere Pater æternus eſt, & Filius ęternus eſt, & Spiritus ſanctus æternus eſt. Ergo ſic quoquè ſemper fuit verum dicere, per totum æternitatis ſpatium diſcurrendo. Conſequentia patet; quia Pater in diuinis cum ſit æternus, quod eſt modo, fuit ſemper. Hoc idem dicendum eſt de Filio, & Spiritu ſancto. Probo igitur antecedens; quia ſi eſſet verum dicere, quòd datur aliquod ſignum, non dico durationis; quoniam nullus ſanæ mentis hoc dicere auſus eſt, in quo ſit Pater, & non ſit Filius, ſequeretur hoc abſurdum, quòd daretur aliquod ſignum, in quo eſſet creatura, & non eſſet Filius Dei. Hoc præterquamquòd eſt ridiculum, & ſtultum, eſt hæreticum. Ergo. Minor patet; quia omnis creatura per Verbum diuinum facta eſt, & conſeruata, iuxta illud, *Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt*. Ioan.1. Probatur igitur maior; quia detur, & aſſignetur ſignum huius horę V.G. in quo mundus exiſtit, in quocumquè ſigno eiuſdem horæ, valet dicere mundus exiſtit. Ergo ſi aſſignetur aliquod ſignum eiuſdem horæ, in quo ſit Pater, & non ſit Filius, euidenter ſequitur, quòd in aliquo ſigno eſſet creatura, & nõ eſſet Verbum creator, & conſeruator creaturæ.

CAPVT TERTIVM.

Proponuntur argumenta in contrarium; & ſoluuntur.

6 SED contra iſtam determinationẽ obijciet aliquis primò. Datur aliquod ſignum in quo cognitio Patris terminatur ad eſſentiam, & ad perſonam Patris intuitiuè, non vero ad perſonam Filij, niſi abſtractiuè. Ergo Verbum diuinum non procedit ex cognitione intuitiua ſui. Patet conſequentia ex ſuo antecedenti. Probatur antecedens, quia perſona Patris eſt prior origine, vel ad minus ſecundùm rationem, quàm perſona Filij. Ergo. Secundo; quia Verbum procedit ex cognitione ſui, non quatenus iam productum eſt, ſed quatenus futurum, ſeù vt producendum poſt illud ſignum in quo cognoſcitur. Ergo.

7 Hoc argumentum ex dictis ſupra habetur iam fuiſſe propoſitum, rectèquè ſolutum, iterum tamen proponitur, vt quorumdam dicendi modi examinẽtur.

8 Reſpondent nonnulli, concedendo vtiquè dari aliquod ſignum, ſiuè originis, ſiuè ſecundùm rationem, in quo Pater ſit, & Filius non ſit, non tamen admittunt dari aliquod inſtans durationis, in quo ſit Pater, & non ſit Filius. Cæterum in illo primo ſigno, tàm Filius quã Spiritus ſanctus determinati ſunt ad exiſtendum, quamobrem, etiam in illo primo ſigno intuitiuè Verbum, ſeù Filius, & Spiritus ſanctus cognoſcuntur.

9 Contra hunc dicendi modum ſic argumentor. Aut actualis exiſtentia obiecti in eſſe reali eſt de intrinſeca ratione ſcientiæ viſionis, ſeù cognitionis intuitiuæ; aut non. Si ſecundum. Ergo fruſtra recurritur ad exiſtentiam ſimultaneam in eodem inſtanti durationis, ſed ſufficeret ſola determinatio ad exiſtendum; ac proinde cognitio diceretur intuitiua etiamſi ab æterno non extiterit in ſe, nequè in æternitate ſecundùm realem exiſtentiam, & ſic cognitio determinatè futurorum erit ex hoc præciſè intuitiua. Si primum. Ergo in illo ſigno, in quo non eſt realis obiecti exiſtentia, cognitio non dicitur intuitiua.

10 Reſpondent alij, & fortè in idem incidunt. Cognitionem eſſe quidem intuitiuam, etiamſi in illo ſigno priori, in quo intelligitur Pater, & non eſt Filius; eò

quia

Digitized by Google

quia in ſigno immediatè ſequenti exiſtit etiam Filius. Sufficit enim, vt cognitio, & obiectum in eadem menſura æternitatis ſimul exiſtant.

11 Sed hæc reſponſio per præcedentem impugnationem omninò refellitur, quia de ratione cognitionis intuitiuæ eſt, vt terminetur ad obiectum exiſtens. Ergo ſi cognitio intelligitur iam terminata in illo priori ſigno, & Verbum in eodē ſigno intelligitur non eſſe, neque etiam cognitio in illo ſigno poteſt dici intuitiua, ſed in poſteriori dumtaxat ſigno, in quo exiſtit obiectum, tunc intuitiua dicetur.

12 Reſpondetur igitur ad argumentum, negando antecedens; in nullo enim ſigno originis, aut rationis, intelligitur Pater eſſe, & Filius, aut Spiritus ſanctus non eſſe, vt ſupra diximus, & in præſentis concluſionis probatione monſtrauimus. Ad illud autem, quod in probatione dicitur, iam patet reſponſio. Non enim valet dicere, quòd Pater æternus ſit prior origine Filio, prioritate in quo, ſed tantùm prioritate à quo. Item. Vtraque pars in ſecunda probatione poſita falſa eſt, neque enim verum eſt dicere, quòd Verbum diuinum procedit ex cognitione ſui, vt iam productum eſt, eò quia, hic loquendi modus indicat aliquam præceſſionem, nō quidem præciſiuam, quæ eſt ſine mendacio, ſed præciſionem alicuius ſigni in quo conſideretur Verbum iam prius cognitum vt productum, quàm quòd producatur; quod & ſi in creatis, ac temporaneis accidat, in æternis nequaquam contingere poteſt. Neque etiam verum eſt dicere, quòd Verbum diuinum procedit ex cognitione ſui quatenus, ſcilicet, futurum eſt; quia hoc omninò æternitati repugnat. Dicendum ergo eſt, quòd Verbū diuinum procedit à Patre, vt cognoſcēte æternaliter eſſentiam diuinam, vt eſt, & ſic intelligendo producit, & producendo intelligit, ac proinde in nullo ſigno Pater, vt intelligens antecedit Verbum, vt productum, ſed ſola præceſſio attendenda eſt ſecundùm ordinem originis, id eſt, à quo alius, & qui ab alio.

13 Obijcies ſecundò ex Ayoſſa. Cognitio intuitiua ſupponit obiectum præexiſtens: ſed Verbum diuinum non intelligitur realiter præexiſtens. Ergo Verbū diuinum non producitur ex cognitione intuitiua ſui. Probatur maior; quia obiectum eſt ſpecificatiuum actus. Ergo intelligitur præexiſtens. Ergo. Minor patet; quia quod procedit ex cognitione, ſeù per cognitionem, non antecedit cognitionem. Ayoſſa.

14 Reſpondetur, negando maiorem. Ad cuius probationem, concedo antecedens, & nego conſequentiam, præſertim cum actus non ſit purè ſpeculatiuus, ſed productiuus ſui termini, & obiecti. Item diſtinguo, ſeù explico hoc antecedens. Obiectum veluti motiuū eſt ſpecificatiuum actus, concedo antecedens. Obiectum purè terminatiuum, quatenus eſt cum motiuo idētificatum, eſt ſpecificatiuum actus, nego antecedens. Ergo, &c. nego conſequentiam. Et ratio negationis eſt, quia obiectum ſpecificatiuum diuinæ cognitionis eſt diuina eſſentia.

15 Sed vt iuxta ea, quæ ſupra diximus conſequenter loquamur, prior reſponſio tenenda eſt, ſcilicet, quòd obiectum ſpecificatiuum diuinæ cognitionis in ratione intuitiuæ eſt diuina eſſentia, vt in ſe eſt, quæ non debet conſiderari, vt præexiſtens, ſed ſufficit vt ſit coexiſtens. Etenim in relatiuis, vnum relatiuum ſpecificatur per ordinem ad ſuum correlatiuum, & tamen correlatiuum nō intelligitur præexiſtens, ſed coexiſtens: & quamuis eſſentia diuina, & cognitio Patris non ſint duo correlatiua, ſunt tamē vnum æternum, & ratione æternitatis non minùs, quàm relatiuum, & correlatiuum debent eſſe ſimul.

Digitized by Google

QVÆSTIO XXXV.

DE IMAGINE.

IN DVOS ARTICVLOS DIVISA.

DEINDE quæritur de imagine. Et circa hoc quæruntur duo.

¶ Primò, vtrum imago in diuinis dicatur perſonaliter.

¶ Secundò, vtrum ſit proprium Filij.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum Imago in diuinis dicatur perſonaliter.

AD primum ſic proceditur, videtur quòd imago non dicatur perſonaliter in diuinis: dicit enim Auguſtin. in lib. de fide ad Pet. vna eſt ſanctæ Trinitatis diuinitas, & imago, ad quam factus eſt homo: igitur imago dicitur eſſentialiter, & non perſonaliter.

2 Præterea. Hilar. dicit in lib. de ſynod. quod imago eſt eius rei, ad quam imaginatur, ſpecies indifferens; ſed ſpecies, ſiuè forma, in diuinis dicitur eſſentialiter: ergo & imago.

3 Præterea. Imago ab imitando dicitur, in quo importatur prius, & poſterius: ſed in diuinis perſonis, nihil eſt prius, & poſterius: ergo imago non poteſt eſſe nomen perſonale in diuinis.

Sed cōtra eſt, quod dicit Auguſt. quid eſt abſurdius, quàm imaginem ad ſe dici? ergo imago in diuinis relatiuè dicitur, & ſic eſt nomen perſonale.

Reſpondeo dicendum, quod de ratione imaginis eſt ſimilitudo: non tamen quæcunque ſimilitudo ſufficit ad rationem imaginis, ſed ſimilitudo, quæ eſt in ſpecie rei, vel ſaltem in aliquo ſigno ſpeciei. ſignum autem ſpeciei in rebus corporeis, maxime videtur eſſe figura: videmus enim, quod diuerſorum animalium ſecundum ſpeciem, ſunt diuerſæ figuræ, non autem diuerſi colores: vnde ſi depingatur color alicuius rei in pariete, non dicitur eſſe imago, niſi depingatur figura; ſed neque ipſa ſimilitudo ſpeciei ſufficit, vel figuræ, ſed requiritur ad rationem imaginis origo, quia vt Auguſt. dicit in lib. 83. quæſtionum, vnum ouum, non eſt imago alterius, quia non eſt de illo expreſſum. Ad hoc ergo, ꝙ verè aliquid ſit imago, requiritur ꝙ ex alio ꝓcedat ſimile ei in ſpecie, vel ſaltē in ſigno ſpeciei.

Ea

FORMATIO ARTICVLI.

BIpartita eſt corporis diſtributio. Primò, ponit conditiones requiſitas ad imaginē; ſecundò, reſpondet quæſito vnica concluſione, eāque probat, vt rectè diſtribuit Caietanus.

Quò ad primum, prima conditio eſt iſta, ſcilicet, quòd *de ratione imaginis eſt ſimilitudo.*

Secundam conditionem aſſignat, & probat, ſic dicens. *Nō tamen quęcumque ſimilitudo ſufficit ad rationē imaginis, ſed ſimilitudo, quæ eſt in ſpecie rei, vel ſaltē in aliquo ſigno ſpeciei &c.* Lege litterā vſquè ad illa verba, *Niſi depingatur figura.*

Aſſignat tertiam conditionē, eamquè ex Auguſtino probat, conditionē aſſignat, ſic dicens. *Sed neque ipſa ſimilitudo ſpeciei ſufficit, vel figuræ; ſed requiritur ad rationem imaginis, origo.*

Probat autem ſic; *quia* inquit, *vt Auguſtin. dicit in lib. 83. quæſtionū, vnū ouum nō eſt imago alterius, quia non eſt de illo expreſſum.*

Quò ad ſecundū, cōcluſio reſponſiua quæſito eſt iſta. *Hoc nomen, Imago, eſt nomē perſonale.*

Probatio eſt iſta. *Ea, quæ proceſſionem, ſiuè originē important in diuinis, ſunt perſonalia:* ſed, ſubaudi, imago importat proceſſionē, ſiuè originē. Ergo *imago eſt nomē perſonale.* Maiorē relinquit vt notam. Probat verò minorem, quia *ad hoc, quòd verè aliquid ſit imago, requiritur, quòd ex alio procedat ſimile ei in ſpecie, vel ſaltem in ſigno ſpeciei.* Ergo. Antecedēs deducit ex tribꝰ cōditionibꝰ requiſitis ad rationē imaginis, & iā aſſignatis. Ad

Digitized by Google

Ad primum argumentum reſpondet, explicando antecedens, quò ad vltimã particulã. *Vna eſt Sanctæ Trinitatis diuinitas, & imago,* impropriè, ad quam factus eſt homo, concedit antecedens. *Et imago* propriè, negat antecedens. *Igitur &c.* negat conſequentiã; vel ſimiliter diſtinguendum eſt conſequens.

Ad ſecundum argumentum reſpondet, explicando maiorem. *Imago eſt eius rei ad quam imaginatur, ſpecies deducta in aliquo ab alio, concedit maiorem;* & in hoc ſenſu locutus eſt Hilarius. *Species* non deducta in aliquo ab alio, negat maiorem. Similiter diſtinguenda eſt minor, & neganda eſt conſequẽtia.

Ad tertium argumentum, reſpondet diſtinguendo, ſeù explicando maiorem. *Imago ab imitando dicitur, in quo importatur prius, & poſterius,* vel ſola ſimilitudo, concedit maiorẽ. Sẽper importatur priùs, & poſteriùs, negat maiorem. Tunc conceſſa minori, negat cõſequentiam.

Ea verò, quæ proceſſionem, ſiuè originem important in diuinis, ſunt perſonalia: vnde hoc nomen imago, eſt nomen perſonale.

Ad primum ergo dicendum, quod imago propriè dicitur, quod procedit ad ſimilitudinem alterius: illud autem, ad cuius ſimilitudinem aliquid procedit, propriè dicitur exemplar, impropriè verò imago: ſic tamen Auguſt. vtitur nomine imaginis cum dicit, diuinitatem Sanctæ Trinitatis eſſe imaginem, ad quam factus eſt homo.

Ad ſecundum dicendum, quod ſpecies (prout ponitur ab Hilar. in diffinitione imaginis) importat formam deductam in aliquo ab alio. Hoc enim modo, imago dicitur eſſe ſpecies alicuius, ſicuti id, quod aſſimilatur alicui, dicitur forma eius, inquantum habet formam illi ſimilem.

Ad tertium dicendum, quod imitatio in diuinis perſonis non ſignificat poſteritatem, ſed ſolam aſſimilationem.

SVPER ARTICVLVM COMMENTARIVM.

1 De *ratione imaginis eſt ſimilitudo. De ratione,* ſcilicet, intrinſeca, quæ eſt ratio generica. Omnis enim imago eſt ſimilitudo, & non è contra.

2 *Sed ſimilitudo, quæ eſt in ſpecie rei, vel ſaltem in aliquo ſigno ſpeciei. Similitudo, quæ eſt in ſpecie rei,* eſt ſimilitudo in eſſentiali ratione rei; Similitudo verò, quæ eſt in aliquo ſigno ſpeciei, eſt ſimilitudo in aliqua figura, vt patet in rebus corporeis, in quibus maximè videtur eſſe figura. Lege litteram optimè differentem.

3 *Requiritur ad rationem imaginis origo.* Ad rationem eſſentialem, ac differentialem ſupra rationem ſimilitudinis poſitam.

4 In reſp. ad 1. *Illud autem ad cuius ſimilitudinem aliquid procedit, propriè dicitur exẽplar; Impropriè verò imago.* Exemplar, ſi erit intra mentem producentis, propriè diceretur idea.

5 In reſp. ad 3. *Imitatio in diuinis perſonis non ſignificat poſterioritatem.* Non dicit, quòd in diuinis datur propriè imitatio; Si tamen hoc diceret, & ſi quando hoc dicit, debet intelligi de imitatione, pro vt, idem ſonat, ac aſſimilationem.

FORMATIO ARTICVLI.

Tripartita eſt corporis diſtributio. Primò, refert vſum loquendi Græcorum, & Latinorum, & hunc refert primò. Secundò, refert modos, ſeù rationes quorumdã pro vſu loquendi latinorum, eoſquè impugnat; & tertiò, veriorem rationem aſſignat.

Quò ad primum

ARTICVLVS SECVNDVS.

Vtrum nomen imaginis ſit proprium Filij.

Ad ſecũdum ſic proceditur, videtur quod nomen imaginis non ſit proprium Filio: quia, vt dicit Damaſcen. Spiritus ſanctus eſt imago Filij: non eſt ergo proprium Filij.

2 *Præterea. De ratione imaginis eſt ſimilitudo cum expreſſione (vt Auguſt. dicit in lib. 83. quæſtionum,) ſed hoc conuenit Spirituiſancto;* procedit

ſic ait ; *Doctores Græcorum communiter dicunt Spiritum ſanctum eſſe imaginem Patris , & Filij*.

Refert autẽ vſum loquẽdi Latinorum ſic dicens. *Sed Doctores Latini ſoli Filio attribuunt nomen imaginis* .

Præfert autem vſum loquendi Latinorum, vſui Græcorum , ſic . *Non enim* , inquit, *inuenitur in canonica ſcriptura , niſi de Filio . Dicitur enim Coloſſenſ.* 1 . *qui eſt imago Dei inuiſibilis, primogenitus creaturæ . Et ad Hebræos* 1. *Qui cum ſit ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ eius.*

Quò ad ſecũdum, duos refert dicendi modos, ſic dicens ; *Huius autem rationem aſſignant quidã ex hoc , quod Filius &c.* Lege litteram vſquè ad illa verba , *vna imago* , incluſiuè.

Quòad tertium, propriã , veramquè rationem aſſignat , ſic dicens . *Et ideo aliter dicendum eſt &c.* Lege litteram vſque ad finem corporis .

Ad primum argumentum reſpondet, concedendo antecedens,& negando cõſequentiam ; & rationem negationis aſſignat ; quia *D. Damaſcenus , & alij Doctores Græcorum , communiter vtuntur nomine imaginis , pro perfecta ſimilitudine .*

Ad ſecundum argumentum reſpondet,concedendo maiorem , & negando minorem . Ad cuius probationem diſtinguit,ſeù explicat antecedens . *Procedit ab alio* , ſecundùm modum ſimilitudinis , ideſt , procedit identicè ſimilis Patri , & Filio, nõ tamen procedit formaliter vt imago, & ſimilitudo Patris,& Filij,concedit antecedens . Procedit formaliter vt imago , & ſimilitudo, negat antecedẽs. Ergo &c. negat conſequentiam.

Ad tertium argumentum reſpondet, explicando antecedens . *Homo dicitur imago Dei* , ſicut in re alterius naturę: concedit antecedens. Sicut in re eiuſdem naturæ ſecundum ſpeciem, negat antecedens . Ergo &c. negat conſequentiam.

procedit enim ab alio ſecundum modum ſimilitudinis : ergo Spiritus ſanctus eſt imago , & ita non eſt proprium Filij, quod ſit imago.

3 Præterea.Homo etiam dicitur imago Dei , ſecundum illud primæ ad Corinth. 2 . Vir non debet velare caput ſuum,quoniam imago , & gloria Dei eſt : ergo non eſt proprium Filio .

Sed contra eſt , quod Auguſt. dicit 7. de Trinit. quod ſolus Filius eſt imago Patris .

Reſpondeo dicendum , quod doctores Græcorũ communiter dicunt Spiritum ſanctum eſſe imaginem Patris , & Filij ; ſed doctores Latini ſoli Filio attribuunt nomen imaginis : non enim inuenitur in canonica ſcriptura, niſi de Filio : dicitur enim Coloſſ. 1. Qui eſt imago Dei inuiſibilis , primogenitus creaturæ , & ad Hebr. 1. Qui cum ſit ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ eius . Huius autem rationem aſſignant quidam, ex hoc , quod Filius conuenit cum Patre, non ſolum in natura , ſed etiam in notione principij : Spiritus autem ſanctus non conuenit cum Filio,nec cum Patre in aliqua notione ; ſed hoc non videtur ſufficere, quia ſicut ſecundum relationes non attenditur in diuinis, neque æqualitas,neque inæqualitas (vt Auguſt. dicit) ita neque ſimilitudo,quæ requiritur ad rationem imaginis : vnde alij dicunt , quod Spiritus ſanctus non poteſt dici imago Filij , quia imaginis non eſt imago:neque etiam imago Patris,quia etiã imago refertur immediatè ad id , cuius eſt imago . Spiritus ſanctus autem refertur ad Patrem per Filium : neque etiam eſt imago Patris , & Filij , quia ſic eſſet vna imago duorum, quod videtur impoſſibile : vnde relinquitur , quod Spiritus ſanctus nullo modo ſit imago ; ſed hoc nihil eſt,quia Pater & Filius ſunt vnum principium Spiritus ſancti , vt infra dicetur : vnde nihil prohibet ſic Patris , & Filij (inquantum ſunt vnum) eſſe vnam imaginem , cum etiam homo totius Trinitatis ſit vna imago . Et ideò, aliter dicendum eſt , quod ſicut Spiritus ſanctus, quamuis ſua proceſſione accipiat naturam Patris, ſicut & Filius ; non tamen dicitur natus, ita,licet accipiat ſpeciem ſimilem Patris,non dicitur imago , quia Filius procedit vt Verbum,de cuius ratione eſt ſimilitudo ſpeciei ad id, à quo procedit ; non autem de ratione amoris , quamuis hoc conueniat amori,qui eſt Spiritus ſanctus, inquantum eſt amor diuinus .

Ad primum ergo dicendum , quod Damaſcen. & alij doctores Græcorum , communiter vtuntur nomine imaginis,pro perfecta ſimilitudine .

Ad ſecundum dicendum , quod licèt Spiritus ſanctus ſit ſimilis Patri, & Filio : non tamen ſequitur,quod ſit imago ratione iam dicta .

Ad tertium dicendum , quod imago alicuius dupliciter in aliquo inuenitur,vno modo in re eiuſdem naturæ ſecundum ſpeciem , vt imago Regis inuenitur in Filio: alio modo in re alterius naturæ, ſicut imago Regis inuenitur in denario . Primo autem modo Filius eſt imago Patris , ſecundo autem modo dicitur homo imago Dei,& ideò ad deſignandum in homine imperfectionem imaginis , homo non ſolum dicitur imago,ſed ad imaginem , per quod motus quidam tendentis in perfectionẽ deſignatur ; ſed de Filio Dei nõ poteſt dici,quod ſit ad imaginem, quia eſt perfecta Patris imago .

SVPER

Digitized by Google

SVPER ARTICVLVM COMMENTARIVM.

1 DOCTORES *Græcorum communiter dicunt Spiritum ſanctum eſſe imaginem Patris, & Filij*, non reijcit Græcorum doctrinam tanquàm falſam; eò quia, Doctores Græci dicentes Spiritum ſanctum eſſe imaginem Patris, & Filij, nomine imaginis intelligebant perfectam ſimilitudinem ideſt, identitatem inter Spiritum ſanctum, & Patrem, & Filium, vt idem D. Thomas hic ad 1. obſeruat.

2 *Sicut Spiritus ſanctus quamuis ſua proceſſione accipiat naturam Patris, ſicut & Filius.* ly, *ſicut*, dicit paritatem, quò ad rationē naturæ, non quò ad modum procedendi. Et ſenſus eſt, quòd Spiritus ſanctus procedens à Patre, & Filio accipit totā naturam diuinam, quam Filius à Patre; Nihilominùs non currit paritas quò ad modum procedendi, quia Filius accipit eam vt natus, ſeù naſcendo; Spiritus ſanctus verò vt procedens, ſeù procedēdo; quod per verba immediatè ſequentia explanat, dum ait. *Non tamen dicitur natus*.

3 *Non dicitur imago, quia Filius procedit vt Verbum, de cuius ratione eſt ſimilitudo ſpeciei &c.* Subaudi, de cuius ratione generica, ſpecifica, & numerica, quod non conuenit Spiritui ſancto, niſi ſecundùm rationem numericam.

4 In reſponſ. ad 1. *Damaſcenus, & alij Doctores Græcorum communiter vtuntur nomine imaginis, pro perfecta ſimilitudine..* In doctrina D. Thomæ in hoc eodem art. videtur eſſe pugna verborum, videlicet, Spiritus ſanctus non eſt ſimilitudo Patris, & Filij, & quòd Doctores Græci nomine imaginis vtuntur pro perfecta ſimilitudine. Ergo Spiritus ſanctus eſt perfecta ſimilitudo. Quomodo ergo non eſt ſimilitudo?

5 Ex eodem tamen D. Thoma in hoc eodem art. facilis eſt reſponſio. Quandoquidem, quādo D. Thomas ait, quòd Doctores Græcorum, communiter vtūtur nomine imaginis, pro perfecta ſimilitudine, nomine perfectæ ſimilitudinis intelligit perfectam in Deitate vnitatē, ſeù identitatem; quando verò negat Spiritum ſanctum eſſe ſimilitudinem Patris, & Filij, loquitur de ratione formali generica, & ſpecifica ſimilitudinis.

6 In reſp. ad 3. *Primo autem modo Filius eſt imago Patris, ſecundo autem modo dicitur homo imago Dei; & ideo ad deſignandum in homine imperfectionem imaginis, homo non ſolùm dicitur imago, ſed ad imaginem*. Per hæc verba duo facit; primò impugnat nonnullorum dicendi modum. *Sunt enim*, inquit, D. Auguſtinus lib. 7. de Trinit. cap. 6. *qui ita diſtinguunt, vt imaginem velint eſſe Filium, hominem verò non imaginem, ſed ad imaginem*; quos quidem ſic reijcit Auguſtinus ibidem. *Refellit autem eos Apoſtolus, dicens; Vir quidem non debet velare caput ſuum, cum ſit imago, & gloria Dei: non dixit ad imaginem, ſed imago*. Et hos D. Thomas impugnat cum ait, *homo non ſolùm dicitur imago, ſed ad imaginem*. D. Aug.

7 Secundò, expoſitioni D. Auguſtini conformatur. Nam D. Auguſtinus eodem loco explicans illud Geneſ. 1. *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram*, ſic fatur, *ſed quia*, inquit, *non omninò æqualis fiebat illa imago Dei, tanquàm non ab illo nata, ſed ab eo creata, huius rei ſignificandæ cauſa ita imago eſt, vt ad imaginem ſit, ideſt, non æquatur parilitate, ſed quadam ſimilitudine accedit*. Et paucis interiectis ſic ait; *ſed propter imparem, vt diximus, ſimilitudinem dictus eſt homo ad imaginem, & ideo noſtram, vt imago Trinitatis eſſet homo, non Trinitati æqualis, ſicut Filius Patri, ſed accedens, vt dictum eſt quadam ſimilitudine, ſicut in diſtantibus ſignificatur quadam vicinitas, non loci, ſed cuiuſdam imitationis*. Per diſputationes ſequentes doctrina vtriuſquè articuli elucidabitur.

DISPVTATIO

Digitized by Google

DISPVTATIO CXC.

IN QVO RATIO IMAGINIS conſiſtat.

Per vnicum caput expedita.

CAPVT VNICVM.

Explicatur titulus, & diſputationis veritas ſtabilitur.

1 PRO tituli intelligentia eſt obſeruandum primò, quòd diſcrimen eſt inter imaginem, & veſtigiũ; quia imago eſt ſimilitudo expreſſa in natura, ſeù in aliquo ſigno naturæ, ideſt, in aliqua forma, aut proprietate accidẽtali naturæ. Et hoc magis ſpecialiter declarabitur, & exemplificabitur num. ſequẽtibus. Veſtigium autẽ dicitur ſignum repræſentans ſolam cauſalitatẽ cauſæ, non autem formam eius, & ſi formam, per valde remotas rationes, ex cuius cognitione arguitiuè deuenitur in cognitionem naturæ, ſeù perſonæ alicuius. Dicitur autem propriè veſtigiũ, pro vt idem eſt, quòd pedis impreſſio, ſeù ſignum, quod à pede relinquitur. Vnde Virgilius 4. Geor. ſic dixit. *Et gradiens ima vertit veſtigia cauda*, & lib. 5. Aeneid. *Veſtigia prima Alba pedis*, à Philoſophis autem, & Theologis veſtigium accipitur pro aliqua ſimilitudine imperfecta, omninò diuerſæ naturæ ab eo, quod repræſentatur, vt fumus v. g. eſt veſtigium ignis, & extenditur ad creaturas irrationales reſpectu Dei, quæ licèt ſint ſimiles Deo quò ad rationem valde communem, ſcilicèt, quò ad rationem ſubſtantiæ, viuentis, cognoſcentis &c. non tamen ſunt ſimiles Deo quantùm ad intellectualitatem, in qua ratione conſiſtit veluti ſpecificè natura diuina; extenditur quoquè, quando habet rationem imaginis ratione partis, non verò ratione totius, & tunc eſt, quando accipitur pars pro toto. Vnde pedis impreſſio in puluere, ſeù in luto, licèt ſit imago figuræ extrinſecæ pedis, tamen, ſecundùm quòd ex illa pedis impreſſione venitur in cognitionem Franciſci V. G. cuius eſt illa pedis impreſſio, non diceretur imago Franciſci, ſed veſtigium eius; quia, ſcilicet, Franciſcus per illum locum trãſiens, & ſi non totius corporis, tamen partis, puta, pedis impreſſiones reliquit. Vide D. Thomam in 1. diſt. 3. quæſt. 3. ar. 1. & in hac p. p. quæſt. 45. ar. 7. & infra, quæſt. 93. ſed præſertim quæſt. 45. eſt videndus omninò.

Virgilius. D.Thom.

2 Obſeruandum ſecundò, quòd imago dupliciter accipi poteſt, propriè ſcilicet, & impropriè. Imago propriè, eſt ſimilitudo ab aliquo producta, iuxta vnitatẽ formalem eius, cuius eſt ſimilitudo, vt num. ſequenti explicabimus. Imago verò impropriè dicta, poteſt, & ſolet dici exemplar, inſtar cuius aliquod producitur, & ſic Deus ſolet vocari imago creaturarum; iuxta illud Gen. 1. *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinẽ noſtram*. In præſenti quærimus, quid ſit imago propriè accepta. Geneſ. 1.

3 Obſeruandum tertiò, quòd multiplex eſt imago, Artificialis, Intellectualis ſed intentionalis, Naturalis imperfecta, Naturalis perfecta in ratione ſimilitudinis, non autem intellectualis; & naturalis perfecta etiam intellectualis. Artificialis, eſt ſimilitudo alicuius in forma extrinſeca, vt ſimulacrum Pompeij, pictura Cæſaris &c. Naturalis imperfecta, eſt ſimilitudo multùm deficiens à ratione ſpecifica eius inſtar cuius producitur, & huiuſmodi ſunt omnes creaturæ intellectuales, puta Angelus, & Homo; & in hoc ſenſu dicitur 1. ad Corint. 2. *Vir non debet velare caput ſuum, quoniam imago, & gloria Dei eſt*. Intellectualis ſed intentionalis, eſt expreſſa, ac formalis ſimilitudo obiecti, vt Verbum. Naturalis perfecta, ſed non intellectualis, eſt ſicuti Filius reſpectu Patris in creatis. Naturalis tandem, & perfecta, ſed intellectualis, eſt ſicuti Filius Patris æterni dicitur eiuſdẽ Patris imago. In præſenti igitur quærimus propriam rationem imaginis quãtùm ad eſſentialem rationem eius. 1.Cor. 2.

4 Obſeruandum vltimò, vt plurièſ obſeruauimus,

ſeruauimus, quòd quotieſcumquè aliqua formalitas formaliter reperitur in Deo, & etiam reperitur formaliter in creatura, in illo debet perfecta, & completa illius formalitatis ratio conſiſtere, quod ſecundùm formalitatem, ſecundũ quam in Deo ponitur, conſideratur, v. g. in Deo datur ratio ſcientiæ formaliter, datur quoquè formaliter ratio ſcientiæ in creatura, differenter tamen, quia ſciẽtia in creatura eſt accidens, in Deo verò non item, imò eſt quid ſubſiſtens, & ſecundùm probabiliſſimam opinionẽ, eſt ipſa eſſentia, ſeù natura diuina. Quomodo ergo conſideranda eſt ſcientiæ formalitas? Fortè erit, quòd ratio formalis ſcientiæ eſt eſſe habitum, ſeù qualitatem, an potiùs eſſe cognitionẽ ſubſiſtentem? Si diceretur primum, nõ ſaluaretur in Deo pfecta ratio ſcientiæ, ſicuti neque reperiri poteſt in Deo ratio qualitatis, aut accidentis. Si ſecundum, ſaluaretur in Deo, ſed non in creatura, quia ſcientia in creatura non eſt, nec poteſt eſſe ſubſiſtens. Quid ergo dicendum? Reſpondendum eſt, quòd ratio formalis ſcientiæ nõ ſolùm quantùm ad attingẽtiã obiecti, ſed etiam quantùm ad modum eius eſſendi, eſt ea, quæ reperitur in Deo. Vnde quòd ſit accidentalis qualitas in creatura, dicit receſſum à perfecta ratione ſcientiæ, & ſi non, quantùm ad rationem formalem, tamẽ quantùm ad proprium, ac perfectum modum eſſendi illius. Suppoſito igitur, quòd in Deo datur vera, & propria imaginis ratio, vt diſp. ſeq. probabimus, ad inueſtigandã propriam, formalemquè imaginis rationem, recurrendum eſt ad illam formalitatem, quæ in Deo eſt imago, & iuxta eius rationem, omnes aliæ imagines rimari oportet, ac metiri.

5 Imago igitur in diuinis, ſeù ſecundùm perfectam, completamquè imaginis rationem eſt ſimilitudo perſonæ productæ in natura perſonæ producentis. Quapropter, quantum alicui de hac imaginis rationem deeſt, tantum ei ab imaginis ratione abeſt; Vel quantùm ad rationẽ formalem imaginis, vel quãtùm ad modum eſſendi illius, ſi alicui deeſt ratio perſonæ, illud deficit à perfecto modo eſſendi imaginis, non autem à ratione formali, dummodo cæteræ conditiones contineantur in illo.

6 Conditiones autẽ, ſeù ea, quæ intrinſecè ad rationem formalem imaginis requirũtur, in iſtis continentur, videlicet, quòd ſit *ſimilitudo*, quòd ſit *ſimilitudo in ſpecie rei*, *vel* ſaltem *in aliquo ſigno ſpeciei*; & quòd procedat ab eo cuius eſt imago. Ita D. Thomas in hac quæſt. præſertim art. 1. & alibi pluriès. Ex quibus particulis neceſſariò, ac eſſentialiter ad rationem imaginis requiſitis, euidenter ſequitur, quòd omnis imago eſt ſimilitudo, non autem omnis ſimilitudo eſt imago; & omnis imago eſt ab aliquo alio procedens; non autem omne procedens ab alio eſt imago; Nam in diuinis Spiritus ſanctus eſt procedens, non tamen eſt propriè Patris, & Filij imago. (D. Thom.)

7 His adde, quòd in perfecta imaginis ratione quantùm ad omnem eſſendi modum, ſaluatur imaginis cum imaginato æqualitas, vt patet in diuinis inter Patrem, & Filium, & etiam inter Patrẽ, & Filium in humanis temporis dumtaxat, præcedentia excepta. Hæc omnia in vnum eleganter collegit D. Auguſtinus tom. 4. lib. octoginta trium quæſtionum in fine quæſt. 73. & in principio quæſt. 74. vbi hæc habet verba. *Imago, & æqualitas, & ſimilitudo diſtinguẽda ſunt; quia vbi imago, continuò ſimilitudo, non continuò æqualitas. Vbi æqualitas, continuò ſimilitudo, non continuò imago. Vbi ſimilitudo, non continuò imago, non continuò æqualitas*. Et de omnibus his exemplificans, ſic ait; *vt in ſpeculo eſt imago hominis, quia de illo expreſſa eſt, eſt etiam neceſſariò ſimilitudo, non tamen æqualitas; quia multa deſunt imagini, quæ tamen inſunt illi rei, de qua expreſſa eſt. Vbi æqualitas, continuò ſimilitudo, non continuò imago: velut in duobus ouis paribus, quia ineſt æqualitas, ineſt & ſimilitudo: quæcumquè enim adſunt vni, adſunt & alteri; imago tamen non eſt, quia neutrum de altero expreſſum eſt. Vbi ſimilitudo, non continuò imago, non continuò æqualitas: omne quippe ouum omni ouo, in quantùm ouum eſt, ſimile eſt; ſed ouum Perdicis, quamuis in quantùm ouum eſt, ſimile eſt ouo gallinæ; nec imago tamen eius eſt, quia de illo expreſſum non eſt: nec æquale, quia breuius eſt, & alterius generis animantium. Sed vbi dicitur, non continuò, vtiquè intelligitur, quia eſſe aliquando poteſt. Poteſt ergo eſſe aliqua imago, in qua ſit etiam æqualitas: vt in parentibus, & Filijs inueniretur imago, & æqualitas, & ſimilitudo, ſi interuallum temporis defuiſſet; nam & de parente expreſſa eſt ſimilitudo Filij, vt rectè dicatur imago, & poteſt eſſe tanta, vt rectè etiam dicatur æqualitas, niſi quòd parens tempore præceſſit. Ex quo intelligitur, & aliquando æqualitatem, non ſolùm ſimilitudinem habere, ſed etiam imaginem, quod in ſuperiori exemplo manifeſtum eſt. Poteſt etiam aliquando ſimilitudo eſſe, & æqualitas, quamuis non ſit imago; vt de duobus ouis paribus dictum eſt. Poteſt etiam ſimilitudo, & imago eſſe, quamuis non ſit æqualitas; vt in ſpeculo oſtendimus. Poteſt & ſimilitudo eſſe, vbi & æqualitas, & imago ſit, ſicut de Filijs commemorauimus,* (D. Aug.)

excepto

excepto tempore, quò præcedunt parentes. Sic enim æqualem ſyllabam ſyllabæ dicimus, quãuis altera præcedat, altera ſubſequatur. In Deo autem quia conditio temporis vacat; non enim poteſt rectè videri Deus in tempore generaſſe Filium, per quem condidit tempora; conſequens eſt, vt non ſolùm ſit imago eius, ſed etiam æqualitas tanta, vt nec temporis quidem interuallum impedimentum ſit. Hæc omnia verba ex D. Auguſtino tranſcripſi; quoniam per hæc, ſupra reliquos Doctores clarè, ac mirificè totam, ac perfectam imaginis rationem declarauit; Continẽt enim omnes particulas ad rationẽ imaginis pertinentes, & quatenùs eſt quid veluti commune omnibus imaginibus creatis ſcilicet, & increatis, artificialibus, & naturalibus; perfectis, & imperfectis.

8 Ex quibus D. Auguſtini, ac D. Thomæ in 1. art. verbis in corp. poſitis, hæc imaginis definitio formatur. *Imago eſt ſimilitudo in ſpecie rei, vel in aliquo ſigno ſpeciei ab alio expreſſa.* Omnes huius definitionis particulæ ex doctrina D. Auguſtini, & D. Thomæ poſita remanent explicatæ. Ex quibus etiam colligitur, quòd nihil poteſt eſſe verè, & propriè ſui ipſius imago, eò quia, imago debet oriri ab eo cuius eſt imago. Et in hoc ſenſu intelligẽda eſt definitio imaginis, quam D. Hilarius tradit, cuius verba diſput. ſequenti num. 8. referemus.

9 Quòd ſi quis contra ſic inſtaret, in Concilio 5. Conſtantinopolitano in cõfeſſ. fid. Verbum diuinum vocatur *imago Deitatis*; & Gregorius Nyſſenus in vita Gregorij Teumaturgi enarrans inſtructionem, quam accepit à Virgine Dei Matre, & Præcurſore Chriſti, Ioanne ſcilicet, Baptiſta, habet, quòd inter alia fuit inſtructus, quòd Filius Dei eſt *imago Deitatis*, & Sapient. 7. de eodem Filio Dei dicitur, quòd eſt *imago bonitatis Dei*; Et ad Hebr. 1. quòd eſt figura, & imago ſubſtantiæ Dei, ideſt, *eſſentia Dei*, vt ibidem D. Thomas exponit.

Cõſtãtino polit. 5.

10 Reſpondetur, explicando ſupradictas authoritates, de imagine non quantùm ad omnes eius particulas eſſentialiter requiſitas, ſed tantummodò quantùm ad rationem repræſentatiui, non verò quantùm ad rationem originis. Itaquè non eſt ibi ſermo de imagine propriè dicta.

11 Dices. Idcircò Verbum diuinum dicitur imago Patris propriè dicta, quia Sacra ſcriptura ipſum imaginem vocat: ſed etiã Sacra Scriptura appellat ipſum Filium imaginem Deitatis. Ergo dicẽdum eſt, quòd etiam reſpectu Deitatis proprie loquendo eſt imago.

12 Reſpondetur, explicando maiorem. Idcircò Verbum diuinum dicitur imago Patris propriè dicta, quia Sacra Scriptura ipſum imaginem vocat, & Sacra Cõcilia, ſimulatquè Sancti Patres, ac communiter Theologi Sacram Scripturam exponunt de imagine propriè dicta, & ad hanc expoſitionem ratio ipſa ſuadet; concedo maiorem. Quia Sacra Scriptura præcisè, & eodem prorſus modo, quo Verbum diuinum eſſentiæ diuinæ, ſeù deitatis imaginem vocat, nego maiorem. Similiter explicanda eſt minor, & neganda eſt conſequentia.

13 Dices. Imago picta Cæſaris eſt propriè imago, & tamen nõ procedit à Cæſare. Ergo non eſt de ratione imaginis vt procedat ab eo, cuius eſt imago.

Reſpondetur, concedendo primam antecedentis partem, & diſtinguendo ſecundam, & tamen non procedit à Cæſare effectiuè concedo. Tanquàm ab exemplari cognito, nego. Ergo &c. nego conſequentiam, ſufficit enim vt imago procedat ab eo cuius eſt imago, aut effectiuè, aut exemplariter, & hoc, loquendo de imagine imperfecta; quoniam imago perfecta debet ab eo cuius eſt imago, effectiuè procedere.

DISPVTATIO

Digitized by Google

DISPVTATIO CXCI.

VTRVM SIT PROPRIè IMAGO IN DIVINIS, ET AN ſit nomen perſonale, an potiùs eſſentiale.

Per vnicum caput expedita

CAPVT VNICVM.

Determinatio Veritatis.

1 DVrandus in 1. diſt. 28. q. 3. admittens num. 4. quòd *de ratione imaginis ſunt duo; vnum eſt, quòd illud, quod dicitur imago, ſit ſimile illi, cuius eſt imago; aliud eſt, quòd ab eo ſit productum effectiuè, vel exemplariter*, nu. 5. negat, quòd *imago conueniat propriè diuinis*; ſed ſubdit, quòd *pro vt conuenit, dicitur perſonaliter, & non eſſentialiter*. Verùm nu. 6. magis ſuam mentem explicans, ait; quòd *ſimilitudo propriè dicta differt ab identitate, quæ vnum numero dicitur idem ſibi ipſi*. Tenet, quòd *in diuinis non eſt propriè imago*, quia *ibi non eſt totalis identitas, propter diſtinctionem extremorum, nec propriè ſimilitudo, propter identitatem fundamenti, ſed* inquit, *eſt media conuenientia inter identitatem, & ſimilitudinem minor totali identate, & maior ſimilitudine*. Et concludit ſic; *Patet ergo, quòd vna perſona non eſt alij ſimilis propriè, ſed eſt pluſquàm ſimilis; quia verè perſona vna eſt eadem cum alia in eſſentia, & per conſequens, vna non eſt propriè imago alterius*. Et paucis interiectis, *accipiendo tamen*, inquit, *imaginem, & ſimilitudinem pro ſumma conuenientia in vna forma, & natura, inuenitur in diuinis imago, & ſimilitudo, quæ tamen eſt aliquid potius imagine, vel ſimilitudine, & imago ſic accepta, dicitur in diuinis ſolùm perſonaliter*. Durand.

2 Ex quibus Durandi verbis manifeſtũ eſt, quòd Durandus iam quod imaginis nomine intelligimus, admittit in diuinis; concedit enim, quòd ſi nomine imaginis intelligitur ſumma conuenientia vnius perſonæ productæ cum perſona producente in natura diuina, datur in diuinis imago, & ſimilitudo. Et in tantùm negat in diuinis propriè rationẽ imaginis reperiri, in quantũ ad rationem imaginis requiritur ſimilitudo, quæ eſt minor identitate. Vnde ſententia Durandi quantũ ad hoc, non eſt aliqua cenſura digna, licèt quantùm ad modum loquendi, modo loquendi Sacræ Scripturæ aduerſantem à Theologis meritò cenſeatur.

3 Communis tamen Sanctorum Patrũ, Theologorumquè ſententia eſt, quòd in diuinis datur verè, & propriè imago; & quòd nomen imaginis propriè acceptæ, non eſſentialiter, ſed perſonaliter dicitur. Nec oportet Doctores, eorumquè loca ſingulatim adducere; Vnde,

Pro determinatione veritatis, Dico breuiter. Imago verè, & propriè reperitur in diuinis.

4 Probatur primò, quia Sacra Scriptura non ſemel, atquè iterum, ſed pluriès abſolutè vocat Filium Dei imaginẽ Patris ſui. Dicitur enim Sapient. 7. vbi eſt ſermo de perſona Filij; *Candor eſt enim lucis æternæ, ſpeculum ſine macula, & imago bonitatis illius*. Et ad Rom. 8. *Quos præſciuit, & prædeſtinauit conformes fieri imaginis Filij ſui*. Et 2. ad Corint. 4. *Qui eſt imago Dei*. Et ad Coloſſenſ. 1. *Qui eſt imago Dei inuiſibilis*. Hæc, & alia Sacræ Scripturæ loca abſolutè admittunt, Filium Dei eſſe imaginem Patris ſui. Ergo cum proprietate ſermonis interpretanda ſunt; cum nihil obſtet contradictionem implicans, nec explicitè, nec implicitè. Sap. 7. Rom. 8. 2 Cor. 4. Coloſſ. 1.

5 Probatur ſecundò, Sanctorum Patrum authoritatibus, tàm Græcorum, quàm Latinorum. Omnes enim admittunt veram rationem imaginis in diuinis, & ſolùm inter Sanctos Patres Latinos, & aliquos græcos ex vna parte, & inter quoſdam aliquos græcos ex altera, controuerſia eſt, Vtrum imago ſaluetur tãtummodò ſecundùm propriam imaginis rationem in vna dumtaxat perſona,

puta, Filij, ſicuti affirmant Patres Latini cum quibuſdam Græcis, an etiam ratio imaginis ad Spiritum ſanctum extendatur, ſicuti quidam Greci tenent, aſſerentes, quòd Filius eſt imago Patris, & Spiritus ſanctus eſt imago Filij, aut Filij, & Patris.

6 Probatur tertiò ratione; Quia in diuinis ſaluatur totum illud, quod pertinet ad propriam, perfectamquè imaginis rationem. Ergo in diuinis inuenitur propriè, & perfectè imago. Patet conſequentia; Probatur antecedens, & accipio perſonam Filij, in qua ſola, propria imaginis ratio inuenitur. Nam Filius procedit à Patre. Ecce origo vnius perſonæ ab alia, ac proinde, ecce vna conditio ſecundùm Durãdum ad rationem imaginis eſſentialiter requiſitam. Item, Filius ſic procedit à Patre, vt procedat per intellectum, tanquàm verbum mente conceptum. Ecce perfecta Filij ſimilitudo in natura Patris. Verbum enim, vt Verbum, eſt ſimilitudo eius, cuius eſt Verbum. Et quamuis negetur à Durando, Filium per intellectum à Patre procedere, hoc tamen eſt ſupra ex profeſſo probatum. Et tandem; Filius Dei repræſentat Patrem, quod ad rationem imaginis, ſeù ſimilitudinis ab alio expreſsè exigitur. Omnis enim ſimilitudo ab aliquo expreſſa, repręſentat illud, cuius eſt ſimilitudo. Ergo in diuinis datur verè, & propriè imago.

7 Dico ſecundò. Imago in diuinis non dicitur eſſentialiter, ſed tantùm perſonaliter.

Probatur primò authoritatibus Sacræ Scripturæ concl. præced. adductis.

8 Probatur ſecundò; quia imago neceſſariò dicit originem ab eo, cuius eſt imago: ſed originem dicere in diuinis, dicitur perſonaliter, non verò eſſentialiter. Ergo. Minor eſt de fide. Maior verò probatur ex requiſitis ad rationem imaginis. Eaquè aſſeritur à Sanctis Patribus; Nam S. Baſilius ho. 15. ſic ait. *Re vera namquè imaginis ſunt omnia, quæ in prototypo, ſiuè exẽplari exiſtunt*. Et Sanctus Hilarius lib. de Synodis circa principium, explicans canonem primum Epiſcoporum orientalium, ſic ait. *Imago omnis eius, ad quem coimaginatur, ſpecies indifferens eſt. Nequè enim ipſe ſibi quiſquã imago eſt, ſed eum, cuius imago eſt, neceſsè eſt, vt imago demonſtret. Imago itaquè eſt rei ad rem coæquandæ imaginata, & indiſcreta ſimilitudo. Eſt ergo Pater, eſt & Filius, quià imago Patris eſt Filius; Et qui imago eſt, vt verè imago ſit, ſpeciem neceſſe eſt, & naturam, & eſſentiam ſecundùm quòd imago eſt, in ſe habeat authoris*. Et Sanctus Gregorius Nazianzenus, orat. 4. de theolog. ſic ait. *Imago dicitur, qui ſit eiuſdem eſſentiæ, & quòd hic ab illo*. Et S. Ambroſius, lib. 1. de fide cap. 4. circa medium, ſic ait. *Vides ergo, quia dum imago dicitur, Patrem ſignificat eſſe, cuius imago ſit Filius; quia nemo poteſt ipſe ſibi imago ſua eſſe*. Et D. Auguſtinus lib. 5. de Trinit. cap. 13. ſic ait. *Dicitur relatiuè Filius; relatiuè dicitur, & Verbum, & imago; & in omnibus his vocabulis ad Patrem refertur*. Et lib. 7. cap. 1. ſic de Patre æterno loquens, ait. *Verbo æquali ſibi quo ſemper, atquè incommutabiliter dicit ſe ipſum; non eſt enim ipſe Verbum, ſicut nec Filius, nec imago*. Et paucis interiectis; *Ita ne*, inquit, *& ſapiens, ſicut dicens, vt ita ſit Sapientia, ſicut Verbum, & hoc ſit Verbum eſſe, quod eſt eſſe Sapientiam; & hoc etiam eſſe virtutem, vt virtus, & ſapientia, & Verbum idem ſit, & relatiuè dicatur, ſicut Filius, & imago*. Ecce quomodo ſupponit, quòd Filius, & imago relatiuè dicuntur, & quærit, vtrum etiam Verbum relatiuè dicatur &c. Et poſt multa in meo libro littera, I, ſic ait. *Sed Patris eſſentia eſt Filius, ſicut Patris; Virtus, & Sapientia, ſicut Verbum Patris, & imago Patris; aut ſi eſſentia dicitur ad ſe Filius, Pater autem non eſt eſſentia, ſed genitor eſſentiæ, non eſt autem ad ſe ipſum, ſed hac ipſa eſſentia, quem genuit, ſic, vt hac ipſa magnitudine magnus, quam genuit. Ergo & magnitudo dicitur ad ſe Filius; Ergo, & virtus, & ſapientia, & Verbum, & imago. Quid autem abſurdius quam imaginem ad ſe dici?* Idem docet eodem lib. cap. ſeq. Et S. Anſelmus, in monologion cap. 37. ſic ait. *Verbum, hoc ipſum quòd Verbum eſt, aut imago, ad alterum eſt*. Idem docent communiter S. Patres.

S. Baſil. S. Hilar. Nazianz. D. Ambr. D. Aug. S. Anſel.

9 Sed contra iſtam determinationem obijciet aliquis primò contra primum dictum; Quia in diuinis non concurrunt particulæ eſſentialiter ad rationem imaginis requiſitæ. Ergo in diuinis non datur verè, & propriè imago. Conſequentia patet; probatur autem antecedens; quia ad rationem imaginis requiritur ſimilitudo, quæ procedat ab eo cuius eſt imago; Sed iſta non concurrunt ad ea, quæ reperiuntur in Deo. Ergo. Probatur minor; Quia ſimilitudo non eſt identitas. Ergo in diuinis non datur ſimilitudo. Probatur conſequentia; quia ſi inter Filium V. G. & Patrem daretur ſimilitudo, aut eſſet in ratione paternitatis, & filiationis, ſeù in aliqua ratione relatiua; aut in ratione eſſentiæ, ſeù in aliqua ratione abſoluta: ſed inter Filium, & Patrem in ratione relatiua, nulla eſt ſimilitudo; & in ratione abſoluta datur tantummodo identitas. Ergo.

Reſpon-

Digitized by Google

10 Reſpondetur, negando antecedens. Ad cuius probationem, concedo maiorem, & nego minorem. Ad cuius probationem, diſtinguo antecedens. Similitudo imperfecta non eſt identitas, concedo antecedens. Similitudo perfectiſſima non eſt identitas, nego antecedēs. Quomodo autem identitas perfectiſſima non ſit formaliſſimè ſimilitudo, benè tamen perfectiſſima ſimilitudo ſit identitas, magis patebit diſp. ſeq.

11 Obijciet ſecundò; quia Filius v. g. nō eſt imago Patris, neque in ratione eſſentiæ, neque in ratione perſonæ. Ergo nō datur propriè imago in diuinis. Patet conſequentia; Probatur antecedens. Non eſt imago Patris in ratione eſſentiæ, quia non procedit ab eſſentia. Non in ratione perſonæ, quia Filius ratione filiationis non aſſimilatur Patri in ratione paternitatis, cum ei relatiuè opponatur.

12 Reſpōdetur, quòd ratione vtriuſquè, debita tamen explicatione ſeruata. Abſolutè enim, & ſine addito loquendo, debet dici, quòd Filius eſt imago Patris. Et quia ad rationem imaginis requiritur ratio, ſeù forma, in qua ſit aſſimilatio, & principium, vnde imago producatur; ideò dicendum eſt, quòd Filius eſt imago Patris, procedens à Patre ſecundùm rationem perſonalem Patris, vt ſimilis, ſeù vt ſimilitudo Patris in natura, ſeù in eſſentia illius.

DISPVTATIO CXCII.

VTRVM RATIO IMAGINIS IN DIVINIS VERè, ET propriè conueniat Filio.

Per vnicum caput expedita.

CAPVT VNICVM.

Determinatio Veritatis.

1 PRo determinatione veritatis, Dico primò. Abſolutè loquendo, debet dici, quòd Filius eſt verè, & propriè imago Patris. Probatur primò authoritatibus Sacræ Scripturæ. Dicitur enim Hebræor. 1. *Qui cum ſit ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ eius*, vbi in græco, loco *ſubſtantiæ*, legitur *hypoſtaſeos*, idest, perſonæ. Et iuxta hunc loquendi modum loquitur etiam S. Athanaſius ſerm. 3. contra Arrianos, vbi ſic ait. *Conſpicimus Filium non aliunde, ſed ex Patre genitum, & caracterem perſonæ Patris ſemper exiſtere; & Filium ſimilitudinem, & imaginem Patris incommutabilem in ſe conſeruare. Vt qui hunc viderit, videat in eo ipſam perſonam Patris, cuius caracter eſt.*

Hebr. 1.

S. Athan.

2 Idem colligitur ex illo Ioannis 14. *Oſtende nobis Patrem, & ſufficit nobis*; & reſpondens Dominus ait. *Philippe qui videt me, videt & Patrem*. Ergo Filius eſt imago Patris.

Ioan. 14.

3 Quòd ſi quis dicat, etiam eſt vera iſta propoſitio. Qui videt Spiritum ſanctū, videt Filium, & Patrem; Et tamen, non ſequitur, quòd Spiritus ſanctus ſit imago Filij, & Patris. Vel dicendum erit, quòd etiam Spiritus ſanctus eſt vtriuſquè imago.

4 Reſpondetur, explicando primam antecedentis partem. Eſt vera iſta propoſitio; *Qui videt* &c. ratione generalis identitatis inter eſſentiam diuinam, omneſquè perſonas, concedo antecedens. Ratione ſpecialis repræſentationis in ratione ſcilicet, formalis ſimilitudinis, nego antecedens. Etenim videndo Filium Dei Patris, videtur Pater, nō ſolùm quia videtur eſſentia, in qua Filius eſt vnum cum Patre, ſed etiam quia, ipſe Filius ex ſuo formali conceptu eſt ſimilitudo repræſētatiua Patris. Dicēs ergo Chriſtus, *Qui videt me, videt & Patrē*, vtroq; modo veraciter explicatur, tamē primo modo materialiter, ſecundo formaliter, & hoc volunt magis principaliter illa verba ſonare; quia inſinuare voluit ex ſpeciali ratione Filij, habere veram imaginis rationem. Vnde Sanctus Ambroſius lib. 1. de fid. cap. 4. ſic ait. *Imago non vultus eſt corporalis, non fucis compoſita, non ceris, ſed ſimplex de Deo; egreſſa de Patre, expreſſa de fonte*. Et immediatè poſt, hæc verba, præfatum locum explicantia ſubdit. *Hanc imaginem Philippo Patrem Dominus demōſtrauit dicens. Philippe, qui videt me, videt, & Patrē. Et quomodo tu dicis, oſtende nobis*

S. Ambr.

nobis Patrem? Non credis, quia ego in Patre, & Pater in me eſt? Videt enim (nota) *in imagine Patrem, qui videt in Filio. Vides ergo, quia dùm imago dicitur, Patrem ſignificat eſſe, cuius imago ſit Filius, quia nemo poteſt ipſe ſibi imago ſua eſſe.* Et Cyrillus lib. 1. theſauri cap. 1. ſic ait. *Si Patris incommutabilis imago Filius eſt, vt Pater in ipſo videatur, ſicut ſcriptum eſt, Qui videt me, videt, & Patrem meum.* Idem docent communiter Theologi.

5 Probatur tandem ratione; Quia Verbum Dei Patris eſt verè, & propriè Filius Patris. Ergo eſt verè, & propriè imago Patris. Patet conſequentia; quia aliàs etiam Spiritus ſanctus diceretur Filius. Sed videatur D. Thom. art. 2. huius quæſt.

Dico ſecundò. Filius in diuinis non eſt imago artificialis Patris.

6 Probatur; quia, quod ex natura ſua eſt tale, non eſt per artificium tale, ſed Filius Patris æterni eſt ex natura ſua Filius. Ergo non eſt imago artificialis, ſed naturalis Patris.

7 Dico tertiò. Verbum diuinum eſt imago naturalis Patris.

Probatur. Verbum diuinum eſt perfecta ſimilitudo Patris, quantùm ad omne illud, quod reperitur in Patre; & eſſe naturale Verbi, quatenus nomine Filij ſignificatur, eſt perfectiſſimè ſimile cum eſſe naturali Patris. Ergo.

8 Dico quartò. Verbum diuinum eſt etiam verè, & propriè Patris imago intentionalis.

Probatur; Quia Verbum diuinum ſecundùm quòd à Patre intelligente ſe ipſum producitur, formaliter repræſentat Patrem, vt cognitum. Ergo.

9 Dico quintò. Verbum diuinum nõ eſt imago eſſentiæ diuinæ.

Probatur. Verbum diuinum non procedit ab eſſentia diuina. Ergo non eſt imago eſſentiæ diuinæ. Antecedens patet; probatur conſequentia; Quia imago illius propriè eſt imago, à quo procedit.

10 Per idem patet, quòd Verbum diuinũ non eſt imago ſui, non Spiritus ſancti, neque creaturarum, eò quia, Verbum diuinum non procedit à ſe ipſo, non à Spiritu ſancto, neque à creaturis.

11 Ex dictis etiam colligitur, quòd tantùm Filius in diuinis, & non etiam Spiritus ſanctus eſt imago, contra quoſdam Græcos, idque D. Thomas in ſecundo huius quæſt. articulo optimè declarat, & probat, & ad authoritates Sanctorum, quæ in contrarium ſolent adduci, optimè quoque expoſitionem, ac reſponſionem affert.

12 Quòd ſi quis obijciat, quia ad perfectam imaginis rationem ſufficit, & requiritur vnius perſonæ origo ab alia, & ſumma identitas in natura: ſed Spiritus ſanctus habet hæc duo. Procedit enim à Patre, & Filio, & eſt eiuſdem omninò naturæ cum Patre, & Filio. Non enim ſunt magis vnum in natura Pater, & Filius, quàm Spiritus ſanctus cum eiſdem, iuxta illud, 1. Ioan. 5. *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus, & hi tres vnum ſunt.* Ergo.

13 Reſpondetur, explicando maiorem. Ad perfectam imaginis rationem ſufficit, & requiritur vnius perſonę &c. ſumma identitas in natura, per modum formaliter repræſentatiui ſecundùm eſſe naturale, & ſecundùm eſſe intentionale, concedo maiorem. Et ſumma identitatis in natura per modum identitatis præciſè, & non per modum repræſentatiui, nego maiorem. Similiter explicanda eſt minor, & neganda eſt conſequentia. Et ratio negationis eſt; quia Verbum diuinum ſic procedit à Patre, vt identificetur cum Patre in natura diuina, ratione perfectiſſimæ ſimilitudinis à Patre expreſſæ, & cum natura diuina identificatæ, quod non habet Spiritus ſanctus, qui ex vi ſuæ proceſſionis identificatur cum natura diuina per modum impulſus perfectiſſimi.

14 Dicet aliquis. Spiritus ſanctus ex vi ſuæ proceſſionis cum à Patre, Filioque procedat, neceſſe eſt, vt Patrem, Filiumque repræſentet, tanquàm principium ſui. Tunc vltra. Vel repræſentatio iſta eſt per modum imaginis; vel per modũ veſtigij. Non per modum veſtigij; quia veſtigium imperfectè, & obſcurè id, cuius eſt veſtigium, repræſentat. Ergo per modum imaginis. Ergo intentum.

15 Reſpondetur, quòd ſi propriè loquamur, Spiritus ſanctus neque repræſentat Patrem, & Filium per modum imaginis propriè, neque propriè per modũ veſtigij, ſed partim habet ex vtroque, & partim ab vtroque recedit. Habet quidem aliquid de repræſentatione per modum veſtigij, quia ſcilicet, repræſentat, non quidem cauſalitatem ſuæ cauſæ, quia in rigore Latinorum, Pater, & Filius non ſunt cauſa Spiritus ſancti, ſed repræſentat ſuam principiationem. Habet etiam aliquid de ratione perfectiſſimæ imaginis, puta, ſummam identitatem in natura Patris, & Filij; recedit autem à propria ratione imaginis, quia ipſemet non eſt formalis ſimilitudo Patris, & Filij; recedit quoque à ratione veſtigij, quia cognoſcens Spiritum ſanctum intuitiuè, intuetur quoque Patrem, & Filium clarè, diſtinctè, & quidditatiuè.

QVAE-

Digitized by Google

QVÆSTIO XXXVI.

DE PERSONA SPIRITVS SANCTI.

IN QVATVOR ARTICVLOS DIVISA.

POST conſiderationem prędictam, conſiderandum eſt de his, quæ pertinent ad perſonam Spiritus ſancti, qui non ſolùm dicitur Spiritus ſanctus, ſed etiam amor, & donum Dei.

Circa Spiritum ſanctum ergo quæruntur quatuor.

¶ Primò, vtrum hoc nomen, Spiritus ſanctus, ſit proprium alicuius diuinæ perſonæ.

¶ Secundò, vtrum illa perſona diuina, quæ Spiritus ſanctus dicitur, procedat à Patre, & Filio.

¶ Tertiò, vtrum procedat à Patre per Filium.

¶ Quartò, vtrum Pater, & Filius ſint vnum principium Spiritus ſancti.

FORMATIO ARTICVLI.

COrporis diſtributio in duabus cõcluſionibus conſiſtit, cum ſuis probationibus.

Prima concluſio eſt negatiua, & eſt iſta. *Nomen perſonæ hoc modo*, ideſt, per modum amoris *procedentis, non habet proprium nomen*.

Probatio eſt iſta; quia *relationes, quæ ſecundùm huiuſmodi proceſſionem*, amoris ſcilicet, *accipiuntur, innominatæ ſunt*. Ergo *& nomen perſonæ hoc modo procedentis, eadẽ ratione non habet proprium nomen*. Probat antecedens; quia *cum ſint duæ proceſſiones in diuinis, altera earum, quæ eſt per modũ amoris, non habet proprium nomen, vt ſupra dictum eſt*. Ergo *& relationes, quæ ſecundũ huiuſmodi proceſſionem accipiuntur innominatæ ſunt*.

Secunda concluſio affirmatiua, eſt iſta. *Sicut ſunt accommodata aliqua nomina ex vſu loquentium ad ſignificandum prędictas relationes, cum nominamus eas nomine proceſſionis, & ſpirationis, quæ ſecundum proprietatem ſignificationis, magis videntur ſignificare actus notionales, quàm relationes, ita ad ſignificandum diuinam perſonam, quæ procedit per modum amoris, accommodatum eſt ex vſu ſcripturæ, hoc nomen, Spiritus ſanctus*.

Probat autem ſic *huius conuenientię ſum;*

poteſt

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum hoc nomen, Spiritus ſanctus, ſit proprium nomen alicuius diuinæ perſonæ.

AD primum ſic proceditur, videtur quod hoc nomen Spiritus ſanctus, non ſit proprium nomen alicuius diuinæ perſonæ: nullum enim nomen commune tribus perſonis eſt proprium alicuius perſonæ; ſed hoc nomen, Spiritus ſanctus, eſt commune tribus perſonis: oſtendit enim Hilar. lib. 8. de Trinitate, in ſpiritu Dei aliquando ſignificari Patrem, vt cum dicitur, ſpiritus Dei ſuper me; aliquando ſignificari Filium, vt cum dicit Filius: in ſpiritu Dei eijcio dæmonia, naturæ ſuæ poteſtate, eijcere ſe dæmonia demonſtrans: aliquando de Spiritu ſancto, vt ibi. Effundam de ſpiritu meo ſuper omnẽ carnem: ergo hoc nomen Spiritus ſanctus non eſt proprium alicuius diuinæ perſonæ.

2 Præterea. Nomina diuinarum perſonarum ad aliquid dicuntur, vt Boetius dicit in lib. de Trinitate; ſed hoc nomen, Spiritus ſanctus, non dicitur ad aliquid: ergo hoc nomen eſt proprium diuinæ perſonæ.

3 Præterea. Quia Filius eſt nomen alicuius diuinæ perſonæ, non poteſt dici Filius huius, vel illius: dicitur autem ſpiritus huius, vel illius hominis, vt enim habetur Numer. 11. dixit Dominus ad Moyſen, de ſpiritu tuo accipiam, tradamque eis, & 4. Reg. 2. Requieuit ſpiritus Eliæ ſuper Eliſæum: ergo Spiritus ſanctus non videtur eſſe proprium nomen alicuius diuinæ perſonæ.

Sed

poteſt ex duobus. Primò quidem &c. Lege litteram vſquè ad finem corporis.

Ad primum argumentum reſpondet, concedendo maiorem, & diſtinguendo, ſeù potiùs explicando minorem. *Sed hoc nomen, Spiritus ſanctus, pro vt ſumitur in virtute duarum dictionum, eſt commune tribus perſonis*, concedit maiorem. *Sed hoc nomen, Spiritus ſanctus, in vi vnius dictionis, eſt commune tribus perſonis*, negat maiorē. Ergo &c. negat conſequentiam; vel ſimiliter diſtinguendū eſt conſequens.

Ad ſecundum argumentum reſpondet, & reſponſio in hac forma proponitur, diſtinguendo, ſeù potiùs explicando maiorem. *Nomina diuinarum perſonarum*, ſecūdùm quòd ſunt, vel accommodantur, vt ſint nomina diuinarum perſonarum *ad aliquid dicuntur*, concedit maiorem. *Nomina diuinarum perſonarum*, nō vt ſunt, nequè vt accommodantur, vt ſint nomina diuinarum perſonarum, *ad aliquid dicuntur*, negat maiorem. Similiter, diſtinguenda eſt minor, & neganda eſt conſequentia.

Ad tertium argumentum reſpondet, & reſponſio conſiſtit in negatione maioris vniuerſaliter. Et aſſignat cauſam quare poteſt dici, ſpiritus noſter, & Pater noſter, non tamen poteſt dici, Filius noſter. Legatur littera.

Sed contra eſt, quod dicitur 1. Ioan. vltimo, tres ſunt qui teſtimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus; vt autem Auguſt. dicit lib. 7. de Trinitate, cum quæritur, quid tres? dicimus tres perſonæ: ergo Spiritus ſanctus eſt nomen diuinæ perſonæ.

Reſpondeo dicendum, quod cum ſint duæ proceſſiones in diuinis, altera earum, quæ eſt per modum amoris, non habet proprium nomen, vt ſupra dictum eſt: vnde & relationes, quæ ſecundū huiuſmodi proceſſionem accipiuntur, innominatæ ſunt, vt etiam ſupra dictum eſt. Propter quod & nomen perſonæ hoc modo procedentis, eadem ratione non habet proprium nomen; ſed ſicut ſunt accomodata aliqua nomina ex vſu loquentium ad ſignificandum prædictas relationes, cum nominamus eas nomine proceſſionis, & ſpirationis, quæ ſecundum proprietatem ſignificationis, magis videntur ſignificare actus notionales, quàm relationes, ita ad ſignificandum diuinam perſonam, quæ procedit per modum amoris, accommodatum eſt ex vſu ſcripturæ hoc nomen, Spiritus ſanctus. & huius quidem conuenientiæ ratio ſumi poteſt ex duobus. Primo quidem ex ipſa communitate eius, quod dicitur Spiritus ſanctus, vt enim Auguſt. dicit 15. de Trinitate. Quia Spiritus ſanctus communis eſt ambobus, id vocatur ipſe propriè, quod ambo communiter: nam & Pater eſt ſpiritus, Filius eſt ſpiritus, & Pater eſt ſanctus, & Filius eſt ſanctus. Secundo verò ex propria ſignificatione: nam nomen Spiritus in rebus corporeis, impulſionem, & motionem ſignificare videtur: nam flatum, & ventum, ſpiritum nominamus. Eſt autē proprium amoris, quod moueat, & impellat voluntatem amantis in amatum. Sanctitas verò illis rebus attribuitur, quæ in Deum ordinantur. Quia igitur perſona diuina procedit per modum amoris, quo Deus amatur, conuenienter Spiritus ſanctus nominatur.

Ad primum ergò dicendum, quod hoc, quod dico Spiritus ſanctus, prout ſumitur in virtute duarum dictionum, commune eſt toti Trinitati, quia nomine ſpiritus, ſignificatur immaterialitas diuinæ ſubſtantiæ. Spiritus enim corporeus inuiſibilis eſt, & parum habet de materia: vnde omnibus ſubſtantijs immaterialibus, & inuiſibilibus, hoc nomen attribuimus; per hoc verò, quod dicitur ſanctus, ſignificatur puritas diuinæ bonitatis. Si autem accipiatur hoc, quod dico Spiritus ſanctus, in vi vnius dictionis, ſic ex vſu Eccleſię eſt accommodatum ad ſignificandam vnam trium perſonarum, ſcilicet, quæ procedit per modum amoris, ratione iam dicta.

Ad ſecundum dicendum, quod licet hoc, quod dico Spiritus ſanctus, relatiuè non dicatur, tamen pro relatiuo ponitur, inquantum eſt accommodatum ad ſignificandam perſonam ſola relatione ab alijs diſtinctam: poteſt tamen intelligi in nomine aliqua relatio, ſi Spiritus ſanctus intelligatur quaſi ſpiratus.

Ad tertium dicendum, quod in nomine Filij, intelligitur ſola relatio eius, qui eſt à principio ad principium; ſed in nomine Patris, intelligitur relatio principij; & ſimiliter, in nomine Spiritus, prout importat quandam vim motiuam; nulli autem creaturæ competit eſſe principium reſpectu alicuius diuinæ perſonæ, ſed è conuerſo; & ideò poteſt dici, Pater noſter, & Spiritus noſter, nō tamen poteſt dici, Filius noſter.

SVPER ARTICVLVM COMMENTARIVM.

1 A*D ſignificandum diuinam perſonam, quæ procedit per modum amoris, accommodatum eſt ex vſu ſcripturæ hoc nomen, Spiritus ſanctus.* Aliter accommodantur communia proprijs in diuinis, puta, potentia Patri, ſapientia Filio, & bonitas Spirituiſancto. Et aliter hoc nomē, Spiritus ſanctus, accommodatur tertiæ in Trinitate perſonæ. Quandoquidem, ſupradicta nomina, ſic ſunt perſonis accommodata, vel appropriata, vt ex vſu Eccleſiæ, per ea tota Trinitas intelligatur: at verò hoc nomen,

nomen, Spiritus ſanctus, ex vſu Eccleſiæ intelligitur tertia Trinitatis perſona. Quapropter, per accommodationem, & Eccleſiæ vſum, accipitur tanquàm proprium tertiæ perſonæ nomen.

2 In reſp. ad 1. *Hoc, quod dico, Spiritus ſanctus, pro vt ſumitur in virtute duarum dictionum, commune eſt toti Trinitati &c.* Rectè declarat, quomodo, & quando ex vſu Eccleſiæ hoc nomen, *Spiritus ſanctus* accipitur pro tertia perſona; & quando non. Tunc enim ad tertiam perſonam applicatur, vt proprium eius nomen, quando hoc nomen, *Spiritus ſanctus*, accipitur in vi vnius dictionis; quando verò accipitur in virtute duarum dictionũ, non eſt ex vſu Eccleſiæ pro tertia perſona acceptum, vagatur enim per omnes perſonas. Valet enim dicere, quòd Pater eſt Spiritus ſanctus; Filius eſt Spiritus ſanctus. Et tertia perſona quocumquè nomine nuncupetur, eodem prorſus modo eſt Spiritus ſanctus. Et ſenſus eſt, quòd Pater eſt Spiritus, qui eſt ſanctus. Similiter Filius eſt Spiritus, qui eſt ſanctus. Et tertia perſona, eſt Spiritus, qui eſt ſanctus. Et ſic explicandus eſt D. Hilarius 8. de Trinit. Vbi omnes tres perſonas Spiritus vocat, vt patet in primo argumento. D. Hilar.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Vtrum Spiritus ſanctus procedat à Filio.

AD ſecundum ſic proceditur, videtur quod Spiritus ſanctus non procedat à Filio; quia ſecundum Dionyſ. non eſt audendum dicere aliquid de ſubſtantiali diuinitate præter ea, quæ diuinitus nobis ex ſacris eloquijs ſunt expreſſa; ſed in ſcriptura ſacra non exprimitur, quod Spiritus ſanctus à Filio procedat, ſed ſolum, quod procedat à Patre, vt patet Ioan. 15. Spiritum veritatis, qui à Patre procedit: ergo Spiritus ſanctus non procedit à Filio.*

2 Præterea. In ſymbolo Conſtantinopolitanæ Synodi ſic legitur. Credimus in Spiritum ſanctũ. Dominum, & viuificantem, ex Patre procedentem, cum Patre, & Filio adorandum, & glorificandum. Nullo igitur modo debuit addi in ſymbolo noſtro, quod Spiritus ſanctus procedat à Filio; ſed videntur eſſe anathematis rei, qui hoc addiderunt.

3 Præterea. Damaſcen. dicit, Spiritum ſanctum ex Patre dicimus, & ſpiritum Patris nominamus; ex Filio autem Spiritum ſanctum non dicimus: ſpiritum verò Filij nominamus: ergo Spiritus ſanctus non procedit à Filio.

4 Præterea. Nihil procedit ab eo, in quo quieſcit, ſed Spiritus ſanctus quieſcit in Filio. Dicitur enim in legenda Beat. Andr. Pax vobis, & vniuerſis, qui credunt in vnum Deum Patrem, & vnum Filium eius vnicum dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, & in vnum Spiritum ſanctum procedentem ex Patre in Filio permanentem: ergo Spiritus ſanctus non procedit à Filio.

5 Præterea. Filius procedit, vt verbum, ſed ſpiritus noſter in nobis non videtur procedere à verbo noſtro: ergo Spiritus ſanctus non procedit à Filio.

6 Præterea. Spiritus ſanctus perfectè procedit à Patre: ergo ſuperfluũ eſt dicere, q; procedit à Filio.

Præ-

FORMATIO ARTICVLI.

QVatripartita eſt corporis diſtributio. Primò, ponit cõcluſionem reſponſiuam quæſito. Secundò, probat cõcluſionem ratione ducente ad impoſſibile. Tertiò, ex ipſa proceſſionis vtriuſquè ratione. Et quartò, ex ipſo rerum ordine ad inuicem.

Quò ad primum, concluſio eſt iſta. *Neceſſe eſt dicere Spiritum ſanctum à Filio eſſe.*

Quò ad ſecundũ, prima ratio ad impoſſibile ducens eſt iſta. *Si enim non eſſet ab eo, nullo modo poſſet ab eo perſonaliter diſtingui.* Ergo *neceſſe eſt dicere, Spiritum ſanctũ à Filio eſſe.*

Pro antecedentis probatione, duo dicit, & probat, ex quorum probatione remanet probatũ antecedens.

Primum quod dicit, eſt iſtud. *Solùm relationibus diuinæ perſonæ ab inuicem diſtinguuntur.*

Probatio huius eſt iſta. *Quia non eſt poſſibile dicere, quòd ſecundùm aliquòd abſolutum diuinæ perſonæ ab inuicem diſtinguantur. Relinquitur ergo, quòd ſolùm relationibus &c.* probat antecedens; Quia *ſequeretur, quòd nõ eſſet trium vna eſſentia.* Ergo *non eſt poſſibile &c.* Probat antecedens; Quia *quicquid in diuinis abſolutè dicitur, ad vnitatem eſſentiæ pertinet.*

Secundum quod dicit, eſt iſtud. *Relationes, perſonas diſtinguere nõ poſſunt, niſi ſecundùm quòd ſunt oppoſitæ.* Probatio huius eſt iſta. Quia *Pater habet duas relationes, quarum vna refertur &c.* Lege litterã vſquè ad illa verba *oppoſitis relationibus* incluſiuè.

Conſequentia patet ex conceſſione, & probatione efficacitatione cuius conce-

cedendum eſt antecedens; ſed ob explicationẽ eorum quæ pro antecedẽtis probatione dixerat, probat eam, & probatio conſequẽtiæ eſt iſta. *Solis relationibus oppoſitis diuinæ perſonæ ab inuicem diſtinguuntur*, & ſubaudi. Ergo relationibus originis. Ergo *neceſſe eſt dicere, Spiritum ſanctum à Filio eſſe*. Antecedens iam aſſumptum eſt; & probatum. Conſequentiam primam ſubintellectam probat ſic. *Quia non poſſunt eſſe in diuinis aliæ relationes oppoſitæ, niſi relationes originis*. Secundam verò conſequẽtiam, probat ſic. *Oppoſitæ relationes originis accipiuntur ſecundùm principium, & ſecundùm quòd eſt à principio. Relinquitur ergo, quòd neceſſe eſt dicere, vel Filium eſſe à Spiritu ſancto (quod nullus dicit) vel Spiritum ſanctum eſſe à Filio, quod nos confitemur*.

Quò ad tertium, ſecũda ratio pro cõcluſione eſt iſta. *Neceſſe eſt, quòd amor à Verbo procedat*. Ergo *& ſecundùm hoc manifeſtum eſt, quòd Spiritus ſanctus procedit à Filio*. Probat antecedens. *Non enim aliquid amamus, niſi ſecũdùm quòd conceptione mentis apprehendimus*. Ergo *neceſſe eſt &c.* Probat verò conſequentiã. *Dictum enim eſt ſupra, quòd Filius procedit per modum intellectus vt Verbum, Spiritus ſanctus autem per modum voluntatis, vt amor*. Ergo *ſecũdùm hoc &c*

Quò ad quartum duo facit. Primò, aſſignat pro concluſione rationem, eã-

7 Præterea. In perpetuis non differunt eſſe, & poſſe, (vt dicitur in 3. phyſicor.) & multò minus in diuinis; ſed Spiritus ſanctus poteſt diſtingui à Filio, etiam ſi ab eo non procedat: dicit enim Anſelm. in lib. de proceſſione Spiritus ſancti: habent vtique à Patre eſſe Filius, & Spiritus ſanctus, ſed diuerſo modo, quia alter naſcendo, & alter procedendo, vt alij ſint per hoc ab inuicẽ; & poſtea ſubdit: nam ſi per aliud non eſſent plures Filius, & Spiritus ſanctus, per hoc ſolum eſſent diuerſi: ergo Spiritus ſanctus diſtinguitur à Filio ab eo non exiſtens.

Sed contra eſt, quod dicit Athanaſius, Spiritus ſanctus à Patre, & Filio, non factus, nec creatus, nec genitus, ſed procedens.

Reſpondeo dicendum, quod neceſſe eſt dicere Spiritum ſanctum à Filio eſſe: ſi enim non eſſet ab eo, nullo modo poſſet ab eo perſonaliter diſtingui; quod ex ſupra dictis patet. Non enim eſt poſſibile dicere, quod ſecundum aliquid abſolutum, diuinæ perſonæ ab inuicem diſtinguãtur, quia ſequeretur, quod non eſſet trium vna eſſentia. Quicquid enim in diuinis abſolutè dicitur, ad vnitatem eſſentiæ pertinet. Relinquitur ergo, quod ſolum relationibus, diuinæ perſonæ abinuicem diſtinguantur. Relationes autem perſonas diſtinguere nõ poſſunt, niſi ſecundum quod ſunt oppoſitæ, quod ex hoc patet, quia Pater habet duas relationes, quarum vna refertur ad Filium, & alia ad Spiritum ſanctum, quæ tamen, quia non ſunt oppoſitæ, non conſtituunt duas perſonas, ſed ad vnam perſonam Patris tantum pertinent. Si ergo in Filio, & in Spiritu ſancto non eſſet inuenire niſi duas relationes, quibus vterque refertur ad Patrem, illæ relationes non eſſent adinuicem oppoſitæ, ſicut neque duę relationes, quibus Pater refertur ad illos: vnde ſicut perſona Patris eſt vna, ita ſequeretur, quod perſona Filij, & Spiritus ſancti eſſet vna, habens duas relationes oppoſitas duabus relationibus Patris. Hoc autem eſt hæreticum, cum tollat fidem Trinitatis. Oportet ergo, quod Filius, & Spiritus ſanctus, abinuicem referantur oppoſitis relationibus. Non autem poſſunt eſſe in diuinis aliæ relationes oppoſitæ, niſi relationes originis, vt ſupra probatum eſt. Oppoſitæ autem relationes originis, accipiuntur ſecundum principium, & ſecundum quod eſt à principio. Relinquitur ergo, quod neceſſe eſt dicere, vel Filium eſſe à Spiritu ſancto, (quod nullus dicit,) vel Spiritum ſanctum eſſe à Filio, quod nos confitemur, & huic quidem conſonat ratio proceſſionis vtriuſquè. Dictum enim eſt ſupra, quod Filius procedit per modum intellectus, vt Verbum: Spiritus ſanctus autem per modum voluntatis, vt amor. Neceſſe eſt autem quod amor à Verbo procedat. Non enim aliquid amamus niſi ſecundum quod conceptione mentis apprehendimus: vnde & ſecundum hoc manifeſtum eſt, quod Spiritus ſanctus procedit à Filio. Ipſe etiam ordo rerum hoc docet: nuſquam enim hoc inuenimus, quod ab vno procedant plura abſque ordine, niſi in illis ſolum, quæ materialiter differunt; ſicut vnus faber producit multos cultellos materialiter

què confirmat; Secundò, eamdem rationem ex ijs quæ Gręci ipſi concedũt, contra Græcos exagerat, & inſtaurat.

Quò ad horum primum, ratio tertia pro concluſione eſt iſta. *Si ab vna perſona Patris, procedunt duæ perſonæ, ſcilicet, Filius, & Spiritus ſanctus, oportet eſſe aliquem ordinem eorum ad inuicẽ*. Ergo *non eſt poſſibile dicere, quòd Filius, & Spiritus ſanctus ſic procedant à Patre; quòd neuter eorum procedat ab aliò; niſi quis poneret in eis materialem diſtinctionem; quod eſt impoſſibile*. Ergo. Probat conſequentiam; Quia *non poteſt aliquis ordo alius aſſignari, niſi ordo naturæ, quod alius eſt ex alio*. Probat verò antecedens, ſimulatquè cõfirmat. Probat ſic. *In rebus, in quibus non eſt ſola materialis diſtinctio, ſemper inuenitur in multitudine productorum aliquis ordo. Si ergo ab vna perſona Patris &c.* Probat antecedens; Quia *nuſquã hoc inuenimus &c.* Lege litteram vſque ad illa verba *ad inuicem*, incluſiuè. Confirmat ſic. Quia *etiam in ordine creaturarum productarum decor diuinæ ſapientiæ manifeſtatur. Si ergo &c.*

Quò ad horum ſecundum, ſic ait. *Vnde etiam ipſi &c.* lege litteram vſque ad finẽ corp.

Ad primum argumentum reſpondet, explicando maiorẽ. *Non eſt audendum dicere aliquid de ſubſtantiali diuinitate, præter ea, quæ ex ſacris eloquijs ſunt expreſſa, vel per*

verba,

Digitized by Google

verba, vel per ſenſum, concedit maiorem, & in hoc ſenſu loquitur D. Dionyſius. Per verba ſolùm, negat maiorem. Similiter explicãda eſt minor, & negat cõſequentiam.

Ad ſecundum argumentum reſpondet, concedendo antecedens, & diſtinguendo, ſeu potiùs explicãdo cõſequẽs. *Nullo igitur modo debuit vt nouum dogma, addi in ſymbolo noſtro, quòd Spiritus ſanctus procedat à Filio*, concedit conſequentiã. *Nullo igitur modo debuit*, vt declaratiuum dogmatis antiqui, *addi in ſymbolo noſtro &c.* negat conſequentiam.

Ad tertium argumentum reſpondet, concedendo antecedens, & negãdo conſequentiã; rationem negationis vide in littera.

Ad quartum argumentũ reſpõdet, cõcedendo antecedẽs, & negãdo conſequẽtiam; rationẽ negationis vide in littera.

Ad quintum argumentum reſpondet, explicando maiorẽ. *Filius procedit vt verbũ* mentale, cõcedit maiorem. *Vt verbum* vocale, negat maiorẽ. Similiter diſtinguit minorem; & negat conſequentiam. Vide litteram.

Ad ſextum argumentum reſpondet, concedendo antecedens, & negando cõſequentiam. Lege rationem negationis in littera.

Ad ſeptimum argumentum reſpondet, concedendo maiorem, & negando minorem. Ad cuius probationem, explicat authoritatem. *Si per aliud non eſſent plures Filius, & Spiritus ſanctus*, ſi ſermo ſit de excluſione originis, vnius ab alio, *per hoc ſolum eſſent diuerſi*, diuerſitate virtuali, & ratione tantùm, cõcedit conſequentiã. Diuerſitate reali, negat conſequentiam.

rialiter ab inuicem diſtinctos nullum ordinem habentes ad inuicem; ſed in rebus, in quibus non eſt ſola materialis diſtinctio, ſemper inuenitur in multitudine productorum aliquis ordo: vnde etiam in ordine creaturarum productarum decor diuinę ſapientiæ manifeſtatur. Si ergo ab vna perſona Patris procedunt duæ perſonæ, ſcilicet Filius, & Spiritus ſanctus, oportet eſſe aliquem ordinem eorum adinuicem; nec poteſt aliquis ordo alius aſſignari, niſi ordo naturæ, quo alius eſt ex alio. Non eſt igitur poſſibile dicere, quod Filius, & Spiritus ſanctus ſic procedant à Patre, quod neuter eorũ prócedat ab alio, niſi quis poneret in eis materialem diſtinctionem, quod eſt impoſſibile: vnde etiam ipſi Græci proceſſionem Spiritus ſancti aliquem ordinem habere ad Filium intelligunt. Concedunt enim Spiritum ſanctum eſſe ſpiritum Filij, & eſſe à Patre per Filium; & quidam eorum dicuntur concedere, quod ſit à Filio, vel profluat ab eo, non tamen, quod procedat; quod videtur, vel ex ignorantia, vel ex proteruia eſſe. Quia ſi quis rectè conſideret, inueniet proceſſionis Verbum inter omnia, quę ad originem qualemcunque pertinẽt, communiſſimum eſſe: vtimur enim eo ad deſignandũ qualemcunque originem. Sicut quod linea procedit à puncto, radius à ſole, riuus à fonte; & ſimiliter in quibuſcunque alijs: vnde ex quocũque alio, ad originem pertinente poteſt concludi, quod Spiritus ſanctus procedit à Filio.

Ad primum ergo dicendum, quod de Deo dicere non debemus, quod in ſacra ſcriptura non inuenitur, vel per verba, vel per ſenſum. Licet autem per verba non inuenitur in ſacra ſcriptura, quod Spiritus ſanctus procedit à Filio, inuenitur tamen quantum ad ſenſum, & præcipuè, vbi dicit Filius, Ioan. 16. de Spiritu ſancto loquens; ille me clarificabit, quia de meo accipiet. Regulariter etiam in ſacra ſcriptura tenendum eſt quod id, quod de Patre dicitur, oportet de Filio intelligi, etiam ſi dictio, excluſiua addatur, niſi ſolum in illis, in quibus Pater, & Filius ſecundum oppoſitas relationes diſtinguũtur: cum enim Dominus Matth. 11. dicit: Nemo nouit Filium, niſi Pater, non excluditur quin Filius ſeipſum cognoſcat. Sic igitur cũ dicitur, quod Spiritus ſanctus à Patre procedit, etiam ſi adderetur, quod à ſolo Patre procedit, nõ excluderetur inde Filius, quia quantum ad hoc, quod eſt eſſe principium Spiritus ſancti, non opponuntur Pater, & Filius, ſed ſolum quantum ad hoc, quod hic eſt Pater, & ille Filius.

Ad ſecundum dicendum, quod in quolibet concilio, inſtitutum fuit ſymbolum aliquod propter errorem aliquem, qui in concilio damnabatur: vnde ſequens concilium non faciebat aliud ſymbolũ, quàm primum; ſed id, quod implicitè continebatur in primo ſymbolo, per aliqua addita explanabatur contra hæreſes inſurgentes: vnde in determinatione Calcedonenſis ſynodi dicitur, quod illi, qui fuerunt congregati in concilio Conſtantinopolitano doctrinam de Spiritu ſancto tradiderunt, nõ quod minus eſſet in præcedentibus qui apud Nicęã congregati ſunt, inferentes; ſed intellectũ eorũ aduerſus hæreticos declarantes. Quia igitur in tempore antiquorũ conciliorũ, nondum exortus fuerat error dicentium Spiritum ſanctũ non procedere à Filio, non fuit neceſſarium, quod hoc explicitè poneretur; ſed poſtea inſurgente errore quorumdam, in quodã concilio in Occidentalibus partibus congregato, expreſſum fuit authoritate Romani Pontificis, cuius authoritate etiã antiqua concilia congregabantur, & confirmabantur. Continebatur tamen implicitè in hoc ipſo, quod dicebatur Spiritus ſanctus à Patre procedere.

Ad tertium dicendum, quod Spiritũ ſanctũ non procedere à Filio, primo fuit à Neſtorianis introductũ, vt patet in quodã ſymbolo Neſtorianorũ, damnato in Epheſina ſynodo; & hunc errorẽ ſequutus fuit Theodoricus Neſtorianus, & plures poſt ipſũ; inter quos fuit etiã Damaſcenus, vnde in hoc, eius ſententiæ nõ eſt ſtandũ: quamuis à quibuſdã dicatur, ꝙ Damaſc. ſicut nõ cõfitetur Spiritũ ſanctum eſſe à Filio, ita etiã nõ negat ex vi illorũ verborũ.

Ad quartũ dicendũ, ꝙ per hoc, ꝙ Spiritus ſanctus dicitur, quieſcere, vel manere in Filio, non excluditur quin ab eo procedat, quia & Filius in

Digitized by Google

Patre manere dicitur: cũ tamẽ à Patre procedat. Dicitur etiã Spiritus ſanctus in Filio quieſcere, vel ſicut amor amantis quieſcit in amato, vel quantũ ad humanã naturã Chriſti, propter id, quod ſcriptũ eſt Ioan. 1. ſuper quẽ videris ſpiritũ deſcendentẽ, & manentem ſuper eum, hic eſt, qui baptizat.

Ad quintũ dicendũ, quod Verbũ in diuinis, non accipitur ſecundum ſimilitudinẽ Verbi vocalis, à quo non procedit Spiritus; quia ſic tantũ metaphoricè diceretur, ſed ſecundum ſimilitudinem Verbi mentalis, à quo amor procedit.

Ad ſextum dicẽdũ, quod per hoc, quod Spiritus ſanctus perfectè procedit à Patre, non ſolũ non ſuperfluũ eſt dicere, quod Spiritus ſanctus procedat à Filio; ſed omninò neceſſarium, quia vna virtus eſt Patris, & Filij; & quicquid eſt à Patre, neceſſe eſt eſſe à Filio, niſi proprietati filiationis repugnet: non enim Filius eſt à ſeipſo licèt ſit à Patre.

Ad ſeptimum dicendum, quod Spiritus ſanctus diſtinguitur perſonaliter à Filio in hoc, quod origo vnius, diſtinguitur ab origine alterius; ſed ipſa differentia originis eſt per hoc, quod Filius eſt ſolum à Patre: Spiritus ſanctus verò à Patre, & Filio. Non enim aliter proceſſiones diſtinguerentur, ſicut ſupra oſtenſum eſt.

SVPER ARTICVLVM COMMENTARIVM.

1 N*Eceſſe eſt dicere Spiritum ſanctum à Filio eſſe. Neceſſe eſt*, non ſolùm ratione, ſuppoſita fide proceſſionis Spiritus ſancti a Patre, verumetiam ex fide; quia Spiritum ſanctum à Filio procedere in multis Concilijs eſt definitum, & à Summis Pontificibus pluriès determinatum. Et hoc propter Græcorum cõtra Doctores Latinos repugnantiam; grauis enim, & acris inter ipſos in materia tàm celebri, & ad ſalutem neceſſaria, nõ dico per plures mẽſes, & annos, ſed per plures centurias cõtrouerſia verſata eſt. Etenim circa annũ Domini 430. exordita eſt hæreſis, videlicet, quòd Spiritus ſanctus non procedit à Filio; ita Theodoretus Doctor Græcus, & inſignis, qui primus omnium inter Græcos hunc ſuſtinuit errorem, vt habetur in refutationibus anathematiſmorum Concilij Alexandrini apud Cyrillum in lib. ad Euoprium cap. 9. Theodoretus tamen, ex diligẽtia Sancti Leonis in Concilio Calcedonenſi, Eccleſiæ reſtitutus fuit, & error circa eadem tempora remanſit quaſi abolitus,, ſuique emendatione: Verùm, quia ſerpens antiquus hæreſum ſator, & defenſor, circuit quęrens Chriſtianæ religionis totis iniquitatis viribus euellere fundamẽta, iterũ, & fortiùs eumdem reſuſcitauit errorem. Etenim circa annum Domini 700. & 860. Theofilactus ſuper cap. 3. Ioannis defendit Spiritum ſanctum à Filio non procedere, ſed tantùm à Patre, imò arguit Latinos, & contra eos inuehit per hoc; quòd Spiritum ſanctum credant à Filio procedere, & hoc ne concederetur, duo eſſe principia Spiritus ſancti: admiſit tamen, quòd eſt ſpiritus Filij, ex quo tempore pręfatus error magis augeri cępit. At circa annum Domini 1054. Michael cognomento Cerularius, Patriarca Conſtantinopolitanus aperto Marte ſic impiam præfatam defendit auxitq; blaſphemiam, vt omnes Græcos illius temporis excitauerit ad ſubſtentandum eum, & inenarrabiliter aliorum fecit animos ebullire, & erroris magnam creſcere flammã ipſo enim Authore, ac Gręco Imperatore Conſtantino Monomacho protegente, & patrocinãte, factum eſt, vt Græci ab Eccleſia Romana ſepararentur, & Schiſmatici fierent, ac permanerent. Sed Michael vnde motus? Efferueſcẽti animo primam in Eccleſia Dei ſedem cupiebat; ideoquè videns Græcos in ſua obſtinatione, ipſius etiam opera permanentes, & ex altera parte Doctores Latinos veritatem Catholicã confitentes, impreſſit in cordibus Græcorum, & præſertim græci Conſtantini Imperatoris, quòd Papa, omneſquè Doctores, Prelatiquè Latini nedũ in errorẽ, verumetiã in excõmunicationẽ inciderint, per hoc, ꝙ cõtra decretũ Cõcilij Epheſini ad ſymbolũ, illã particulã, *Filioq;* addiderũt, vt cõſtat ex Epiſtolis Leonis Noni ad Imperatorẽ Cõſtãtinum, & ad Patriarchã Cõſtãtinopolitanũ, Michaelẽ, .i. Ceruliũ; Et ex Anſel. in lib. de proc. Spiritus sãcti, & ex S. Antonino in hiſt. p. 3. tit. 22. cap. 13. §. 11. Vnde factũ eſt, vt Romanũ Pontificẽ excõmunicarẽt, ſuaq; ſuprema dignitate priuarẽt, & tandẽ omnes Latinorũ Eccleſias, quæ in eiuſdẽ ditione manebant, claudi fecerunt, & Imperator, Doctores, qui cõtra Latinos libros ederẽt quęrebat, illiſq; pręmia, vt id facerẽt promittebat; deficiente autẽm ſede Romana, prima ſedes Patriarchæ Conſtantinopolitano debebatur, Michael hæc operatus eſt, vt primam ſedem in Eccleſia ſuperbiſſime poſſideret. Vide Baronium tom. XI. ab anno Domini 1053. & 1054.

Theodor. Cyrillus. Theophi. Michael P. Conſt. Cõſt. Im. Leo. ix. S. Antoni. Baronius.

Quia

Digitized by Google

2 Quia igitur Græcorum peruicacia, fauilla quaſi extincta, in magnã creuerat flammam, non defuerunt ſummæ Pontificum exquiſitiſſimæ diligentiæ, vt eã aqua ſapientiæ ſalutaris extinguerent. Vnde Vrbanus ſecundus Concilium nobiliſſimũ in Illuſtriſſima Ciuitate Barij intra Eccleſiam Sancti Nicolai, ante corpus eiuſdem, potiſſimum pro concordia inter latinos, & græcos circa proceſſionem Spiritus ſancti à Filio, celebrauit, & hoc, anno Domini 1097. teſte Baronio tom. XI. eodem anno Domini fol. mihi 711. §. *Ad poſtremum*.

Vrban. 2. Ciu. Barij Cóc. Bar.

Baronius.

S. Anſel.

3 Huic Concilio adfuit S. Anſelmus Cantuarienſis Epiſcopus, qui ob perſecutionem Regis Angliæ ad Vrbanum ſecũdum ſummum Pontificẽ laceſſitus acceſſit, quod diuino permiſsũ fuiſſe cõcilio, non dubitarim aſſerere, vt eius ſcilicet, eloquentia, & doctrina, & corde Spiritus ſancti gratia repleto, Barenſem illuſtraret Eccleſiam, ac fidei catholicæ firmitatem, veritatemquè defenderet, & explicaret.

4 Huius nobiliſſimi concilij acta perierunt, vt teſtatur Baronius citatus. Extãt tamen D. Anſelmi opera, inter quæ eſt liber de proceſſione Spiritus ſancti, quẽ poſt celebrationem præfati Concilij compoſuit, in quo tota Concilij determinatio veraciter continetur. Idquè ex eo colligi poteſt; quia totum Concilij onus fuit ipſi ſoli commiſſum. Et hoc non ſola voluntate dicitur, ſed in fideli teſtimonio fundatur.

Enidcrus.

5 Etenim Edinerus familiaris ſancti Anſelmi, & concilio Barenſi præſens, ſic ſcribit. *Cui Concilio cum Anſelmus ſe præſentaſſet, & perſuaſus à Papa, Grecos in proceſſione Spiritus ſancti, vt potè, quem à Patre, & non à Filio procedere græci aſtruunt errantes, rationabili, & catholica diſputatione confutaſſet, magni apud omnes eſt habitus, & veneratione digniſſimus comprobatur.*

Vuil. Mel. Vrb. 2.

6 Et Vuillelmus Malmesburienſis de conſtit. Pontificum Anglorum lib. 1. de Anſelmi eſtimatione ab Vrbano II. in præfato Concilio his excellentiora fatur. Sic enim ait. *Vt ergo ventum eſt ad Concilium, Apoſtolicus ante corpus ſancti Nicolai conſtratus tapetibus, & palleis, ipſe caſula, cum pallio amictus, ante tribunal aſcendit, cæteri cum cappis ſedebant, omnibus ergo ſuum locum ex antiquo vendicantibus, Anſelmus humilitate ſummus, quò poterat aſſedit.* Quibus peractis ſummus Pontifex *Anſelmi recordatus, exclamat; viuidæ vocis tonitruum, ædis capacitas, & turbæ multiplicitas ingeminat. Pater & Magiſter Anſelme Anglorum Archiepiſcope vbi es? ille vbi ſe vocari audiuit, in pedes conſtitit, quem Apoſtolicus compellans, Nunc, inquit, Magiſter opus eſt ſcientia, opus eloquentiæ tuæ opera. Veni aſcende huc, & defende Matrem tuam Eccleſiam, quam græci labefactare conantur, ſuccurre ergo quaſi à Deo huc miſſus. Quibus verbis à Summo Pontifice expletis, continuò cuncti aſtantes, & aſſiſtentes, oculos, & ora in eum conuerſi, percunctari, quis eſſet annitentibuſquè proximis ad conſeſſum Apoſtolici leuatus, ſedere iuſſus iuxta Romanum Archidiaconum, cui ante Papam ſedere moris eſt. Includamus, inquit, hunc in orbe noſtro, quaſi alterius orbis Papam.*

7 Et poſtquàm græcos profligauit, efficaciterquè conuicit, audire quibus eum Summus Pontifex laudibus extulit, & ornauit. Intendens enim in eum, ſic ait. *Benedictum ſit cor tuum, & ſpiritus tuus, & os, & ſermo oris tui benedictus.* Vide igitur librum S. Anſelmi de proceſſione Spiritus ſancti, ſi vis ſcire Barenſis Concilij in materia de eiuſdẽ Spiritus ſancti proceſſione proceſſum. Lege diſputationem ſequentem num. 4.

8 *Neceſſe eſt dicere Spiritum ſanctum à Filio eſſe.* Non dicit à Filio procedere, non quia æquiuocat, ſed quia idem omninò eſt aliquod eſſe ab aliquo, & ab illo procedere. Et hoc, vt magis ignorantiæ græcos arguat; ſunt enim nonnulli græci, vt patet ex ijs, quæ dicit in corp. concedentes quidem Spiritum ſanctum eſſe à Patre per Filium, & eſſe à Filio, vel ab eo profluere, non tamen admittentes Spiritum ſanctum à Filio procedere, quod, vt rectè D. Thomas, *videtur, vel ex ignorantia, vel ex proteruia eſſe.* De qua re videndum eſt Concilium Florentinum à collat. & deinceps. Vbi Concilium ex hac doctrina, ad hominem arguit contra eos qui concedunt Spiritum ſanctũ eſſe à Filio, & negant ab illo procedere. Vide diſputationem ſequentem præſertim num. 16. & num. 48. Florent.

9 *Quidquid enim in diuinis abſolutè dicitur, ad vnitatem eſſentiæ pertinet.* Per hæc verba eluditur doctrina Scoti in 1. diſt. 25. q. 1. vbi probabiliter ſuſtinẽs, quòd perſonę diuinę proprietatibus abſolutis cõſtituantur, duplex conſtituit abſolutum, vnum, quod relatiuo opponitur; aliud verò, quod cum relatiuo coniungitur V. G. Petrus eſt aliquid abſolutum, ſed non tale abſolutum, vt nõ poſſit per relationem paternitatis, V. G. relatiuum nuncupari: Eſſentia autem diuina pro vt eſt eſſentia, ſeu quid commune omnibus perſonis diuinis, ſic eſt aliquid abſolutum, vt omninò repugnet ei dici relatiuum. Et rationabiliter, quia nulla alia relatio datur in diuinis, niſi originis, ideſt, à quo alius, & qui ab alio; & quia

Digitized by Google

repugnat omninò dicere, quòd eſſentia diuina ſit à qua aliud, aut quæ ab alio. Ergo eſſentia diuina, ſic dicitur abſoluta, vt nullo modo poſſit in ratione eſſentię, relatiua nuncupari.

10 Contra hanc Scoti doctrinam probabiliter ab ipſo defenſam, militant verba D. Thomæ, dicentis, quòd *quidquid in diuinis abſolutè dicitur, ad vnitatem eſſentiæ pertinet*. Et contra diſtinctionem à Scoto aſſignatam; ſic argumentor. Illud abſolutum perſonæ conſtitutiuum, ideo per Scotum non pertinet ad vnitatem eſſentiæ, ſed ad conſtitutionem, ac diſtinctionem perſonarum, quia non ſic eſt abſolutum, vt non compatiatur rationem relatiui. Ergo illud abſolutum in tantùm conſtituit, diſtinguitquè perſonas, in quantùm includit rationem relatiui. Ergo nulla eſt aſſignata diſtinctio. Probo iſtam conſequentiam; quia illa ratio relatiui, vel conſequitur ad rationem illius abſoluti, vel impertinenter ſe habet, vel eſt ratio formalis illius abſoluti conſtitutiua. Non hoc vltimum per Scotum, nequè ſecundùm; quia ſi ratio relatiui impertinenter ſe haberet ad rationem abſoluti, impertinens etiã eſſet de duplici abſoluto aſſignata diſtinctio. Si primum. Contra. Quia illud abſolutum antecedenter ad relatiuum, cõſtitueret, diſtingueretquè perſonas, vt eſt abſolutum à relatione. Ergo vt eſt abſolutum, non haberet, vnde dicatur perſonæ conſtitutiuum; ac proinde, nõ datur aliud abſolutum in diuinis, niſi illud, quod eſt toti Trinitati commune; Eſt etiam contra Concilia, & Sãctos Patres, præcipuè contra Florentinũ collat. 16. §. *Attende*, circa finem, vbi dicitur, quòd, *nomen Patris dicit eſſentiam, & dicit relationem*, idem repetit ibidem §. *Modò*. Vbi vt legenti patebit, concilium in Patre non cognoſcit aliam formalitatem, quàm eſſentiam, & relationem. Vide quoquè Beſſarion, cuius verba pono infra, diſp. ſequenti num. 40. & num. 45.

11 *Vnde ſicut perſona Patris eſt vna, ita ſequeretur, quòd perſona Filij, & Spiritus ſancti eſſet vna, habens duas relationes oppoſitas duabus relationibus Patris*. Dubium occurrit circa paritatem; quia duæ relationes Patris, puta; paternitas, & ſpiratio actiua, non ita ſe haberent reſpectu Patris, ſicuti ſe haberent duæ relationes, videlicet, filiatio, & ſpiratio paſſiua, ſeù proceſſio. Ergo non benè dicit, quòd *ſicut perſona Patris eſt vna, ita ſequeretur &c.* Probatur conſequentia; quia relatio paternitatis ſe habet reſpectu Patris, vt perſonæ Patris conſtitutiua, ſpiratio verò actiua, non ſic ſe habet, nequè ſic in caſu impoſſibili poſito, ſe haberet, ſed eſſet veluti relationem paternitatis conſequens; at verò filiatio, & ſpiratio paſſiua, ſeù proceſſio in caſu poſito, ambæ ſe haberent vt vnius perſonæ cõſtitutiuæ; quia ambæ dicunt perſonæ proceſſionem. Ergo *non ſicut &c.*

12 Reſpondetur, concedendo antecedẽs, & negando conſequentiam; & ratio negationis eſt, quia paritas à D. Thoma per ly, *ſicut*, inſinuata, non eſt illa, quæ in ratione dubitandi exponitur, ſed ea, quam D. Thomas exprimit, nempè, *ſicut perſona Patris eſt vna, ita ſequeretur quòd perſona Filij, & Spiritus ſancti eſſet vna*, per præciſam relatiuè oppoſitionis negationem.

13 *Nuſquàm enim hoc inuenimus, quòd ab vno procedant plura abſquè ordine, niſi in illis ſolùm, quæ materialiter ſe habent. Quod ab vno procedant plura*, ſubaudi, formaliter, ſeù ſpecificè, aut quaſi ſpecificè. *Abſquè ordine*, ſubaudi, vnius rei ad aliam, *abſquè ordine* exceſſus in ratione perfectionis, aut originis. Vnde verificatur in omnibus eſſentialiter differẽtibus. Nã omnes Angeli, qui in ſententia D. Th. ſunt ſpecificè differentes, ſunt quoquè ad inuicẽ in ratione ſpecifica, ſeù eſſentiali, ac per conſequens, perfectionali inæquales. Et quia, in diuinis perſonis non poteſt hic ordo naturæ ſaluari, cum omnes ad inuicem ſint æquales, ideo debet inter eas ordo originis reperiri. Videatur D. Thomas in 4. cont. gent. cap. 24. & de pot. q. 10. ar. 5. D.Thom.

14 *Niſi in illis ſolùm, quæ materialiter*, ideſt ſolo numero differunt.

In reſp. ad 1. *De Deo dicere non debemus, quòd in Sacra Scriptura non inuenitur, vel per verba, vel per ſenſum*, ſubaudi, quantùm ad ea, quæ de Deo ratione humana inueſtigari non poſſunt; quoniam ſi ſermo ſit de ijs, quæ de Deo poſſunt ratione naturali cognoſci, debemus, & poſſumus multa de Deo dicere, etiamſi in Sacra Scriptura non inueniantur.

15 *Vel per verba, vel per ſenſum*, ſubaudi, formaliter, aut virtualiter. Multa enim non ſunt in Sacra Scriptura formaliter expreſſa, in ijs tamen, quæ de Deo Sacra Scriptura dicit, virtualiter continentur. Non enim Sacra Scriptura formaliter exprimit notiones eſſe in diuinis, dicit verò dari tres perſonas diuinas, in quibus notiones intelliguntur.

16 *Sic igitur cum dicitur, quòd Spiritus ſanctus à Patre procedit, etiamſi adderetur, quòd à ſolo Patre procedit, non excluderetur inde Filius*. Intellige verba hæc cum grano ſalis, & iuxta ſubiectam D. Thomæ doctrinam, ac explicationem, ideſt, ſi in aliqua

Digitized by Google

aliqua ſcriptura authentica dicatur, Spiritum ſanctum à ſolo Patre procedere, non excluderetur inde Filius; Et ratio eſt, quam D. Thomas aſſignat; quia quantùm ad hoc, quod eſt eſſe principium Spiritus ſancti, non opponuntur Pater, & Filius; & aliàs quidquid conuenit Patri, conuenit etiam Filio quantùm ad ea, in quibus Pater non opponitur relatiuè Filio. Si autem propoſitio hæc, ſcilicet, Spiritus ſanctus procedit à ſolo Patre, proferatur, ac proponatur in ſubiecta materia, de qua in articulo quæritur, *Vtrum Spiritus ſanctus procedat à Filio*, non eſſet omninò abſolutè admittẽda, ſed neganda, vel iuxta explicationẽ D. Thomæ exponenda; eò quia, dicere, quòd Spiritus ſanctus procedit à ſolo Patre, dummodò non ſit authoritas alicuius facientis authoritatem, ſenſus eſt, quòd Spiritus ſanctus ſic procedit à Patre, vt Pater in huiuſmodi productione excludat cuiuſcumquè alterius perſonæ conſortium.

17 In reſp. ad ſecundum. *Sequens Conciliũ non faciebat aliud ſymbolum, quàm primum*. Ex quibus verbis habes, ſymbola Conciliorum non eſſe alia à ſymbolo Apoſtolorum, ſed vnum idemquè omninò, & ſi in ſymbolo aliquo Conciliorum eſt poſita aliqua particula, quæ non eſt in ſymbolo Apoſtolorum expreſſa, illa non inducit contrarium, vel nouum fidei dogma, ſed confirmat, & propter inſtantiam hæreticorum exponit antiquum, vt idem D. Thomas eleganter hìc, his verbis exponit; *Sed id*, inquit, *quod implicitè continebatur in primo ſymbolo, per aliqua addita explanabatur contra hæreſes inſurgentes*. (D. Thom.)

18 *Sed poſtea inſurgente errore quorumdam, in quodam Concilio in Occidentalibus partibus congregato, expreſſum fuit authoritate Romani Pontificis*. Hinc habes illam particulã, *Filioquè*, quæ in ſymbolo Nicæno canitur, non eſſe à Patribus Nicæni Concilij primò poſitam; quia teſte D. Thoma hìc, hoc factum eſt *in quodam Concilio in occidentalibus partibus congregato*. Et hoc euidentiùs conſtat, quia in Concilio Toletano octauo ante Concilium ſecundũ Nicænum, quod à Græcis ſeptima Synodus nuncupatur, illa particula, *Filioquè*, exprimitur. Nam Concilium Toletanum octauum, celebratum fuit ſub Martino Quarto circa annum Domini 655. Concilium verò Nicænum ſecundum, anno Domini 781. (Toleta 8. Nicęnũ 2.) (Martin. 4.)

19 *In quodam Concilio in occidentalibus partibus congregato*, nota ly, *in quodam*, quoniam denotat neſciri determinatum nomen illius Concilij, in quo illa particula, *Filioquè*, fuit in ſymbolo explicationis gratia ſuperaddita; ac proinde, ex ea habetur, neque etiam in Concilio Nicęno Conſtantinopolitano, aut Toletano, illam particulam poſitam fuiſſe. Non enim dixiſſet *in quodam Concilio*, indefinitè loquens, ſed determinatè, puta, in tali Concilio, idquè magis explicat, dum ait, præfatam particulam poſitam fuiſſe *in quodam Concilio, in occidentalibus partibus congregato*; Nicænum autem, & Conſtãtinopolitanum, atquè Toletanum non in occidentalibus partibus ſituantur.

20 *Expreſſum fuit authoritate Romani Pontificis*, non exprimit perſonæ Pontificis Romani nomen, propter eamdem rationem, quia ſcilicet, quemadmodum vſque modò nomen ſupradicti Concilij in occidentalibus celebrati ignoratur, ita & nomen Papæ.

21 *Cuius authoritate etiam antiqua Concilia congregabantur, & confirmabantur*. Audiãt verba hæc Schiſmatici, & confundantur, dum impudentiſſimè dicunt, illam particulam, *Filioquè*, delendam eſſe; eò quia, tenent ab aliquo ſummo Pontifice, & non ab aliquo Concilio ſuperadditam fuiſſe, & non eſſe poteſtatem talem Papæ conceſſam. Mentiuntur enim primò, quia per hæc aurea D. Thomæ verba fuit illa particula, *Filioquè*, in quodam Concilio in occidentalibus partibus cõgregato poſita, ac perconſequens, non ab aliquo ſummo Pontifice. Blaphemãt deinde dicentes, non eſſe poteſtatem talem ſub authoritate Papæ contentam. Nam Concilium quodcumquè illud ſit, vt ritè dicatur eſſe congregatum, authoritate Papæ debet congregari. Et nunquàm firmum, & ratum iudicari debet, niſi eiuſdem Papæ authoritate fuerit confirmatum. Si ergo illa particula rata fuiſſet ſi Romani Põtificis authoritate expreſſa foret, quare ſi à ſolo Romano Pontifice poſita, non valeret?

DISPVTATIO CXCIII.

VTRVM SPIRITVS SANCTVS PROCEDAT A FILIO, idquè poſsit authoritatibus Sacræ Scripturæ probari.

In duo capita diſtributa.

CAPVT PRIMVM.

Explicatur titulus, & veritas ſtabilitur.

D.Thom. 1 D. Thomas in hac quæſt. 36. incipit de tertia Sanctiſſimæ Trinitatis perſona tractare, quæ Spiritus ſanctus nuncupatur, & circa hoc non quærit, Vtrũ Spiritus ſanctus ſit, quoniam Spiritum eſſe, ſacra Scriptura ex profeſſo teſtatur. Matt. vlt. Dicit enim Dominus Matth. vlt. *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.*

2 Non quærit, Vtrum Spiritus ſanctus ſit creatura, an verus Deus, non obſtante, quòd Arrius, & Macedonius blaſphemantes Spiritum ſanctum aſſerebant eſſe creaturam. Nam Arrius, & ſi parùm, aut nihil contra Spiritus ſancti diuinitatem ſcripſerit, tamen quià diuinitatem Filij totis viſceribus perturbauit, à fortiori diuinitatem Spiritus ſancti negauit. Nam ſi Filius non eſt verus Deus, multò minùs erit verus Deus Spiritus ſanctus, quem ſuſtinuit à Filio fuiſſe productum. Verus enim Deus non poteſt à creatura produci. Et in hoc ſenſu locutus eſt D. Thomas 4. contr. gent. cap. 16. D.Thom. in fine, ſic de opinione negãte Spiritum ſanctum eſſe verum Deum, dicens. *Hæc poſitio Arrij, qui Filium, & Spiritum ſanctum dixit eſſe creaturas. Filium tamen maiorem Spiritu ſancto; Et Spiritum ſanctum eius miniſtrum, ſicut & Filium minorem Patre eſſe dicebat.* Arrius.

3 Macedonius, vt idem D. Thomas ibidem refert, *de Patre, & Filio rectè ſentit, quòd vnius, & eiuſdem ſubſtantiæ ſint: ſed hoc de Spiritu ſancto credere noluit, creaturam eum eſſe dicens. Vnde* inquit, *quidam Macedonios, Semiarrianos vocant, eò quòd cum Arrianis in parte conueniunt, & in parte differunt ab eiſdem.* Non inquam, quærit in hac quæſt. 36. Vtrum Spiritus ſanctus ſit verus Deus, ſed ſupponit Spiritus ſancti veram Deitatem 4. cont. gent. cap. 17. & in hac p. p. ſup. q. 27. art. 1. in corp. ex teſtimonijs Sacræ Scripturæ probatum. Solùm ergo in præſenti quærimus, Vtrum Spiritum ſanctum procedere à Filio, poſſit authoritatibus Sacræ Scripturæ probari. Macedo.

4 In qua re Græci multi concedentes Spiritum ſanctum eſſe verum Deum, ſicuti Pater, & Filius, negauerũt Spiritum ſanctum à Filio procedere, neque huiuſmodi proceſſionem ex Scriptura colligi poſſe, putauerunt. Et hanc hæreſim introduxerunt Neſtoriani, quos ſequutus eſt Theodoretus, qui tamen poſtea ſe correxit. Et Theodoretum quantum ad aliquid videtur, ſequutus S. Damaſcenus, vt Diuus Thomas hic ad 3. vbi ſic ait, *Ad tertium dicendum, quòd Spiritum ſanctum non procedere à Filio, primò fuit à Neſtorianis introductum, vt patet in quodam Symbolo Neſtorianorum, damnato in Epheſina Synodo. Et hunc errorem ſecutus fuit Theodoricus Neſtorianus, & plures poſt ipſum. Inter quos fuit etiam Damaſcenus; Vnde in hoc eius ſententiæ non eſt ſtandum. Quamuis à quibuſdam dicatur, quòd Damaſcenus, ſicut non confitetur Spiritum ſanctum eſſe à Filio, ita etiam non negat ex vi illorum verborum.* Idem refert de potent. q. 10. ad vltimum, id eſt, ad 24. vbi refert verba ſymboli Neſtorianorum, & ſunt iſta. *Spiritum ſanctum neque Filium putamus, neque per Filium eſsẽtiam accepiſſe.* Et de Theodoro ſic ait. *Theodorus verò in quadam Epiſt. ad Ioannem Antiochenum ſic dicit. Spiritus ſanctus non ex Filio, aut per Filium habens ſubſtantiam, ſed procedens quidem à Patre; Spiritus verò Filij, eò quòd conſubſtantialis ſit nominatus.* Eamdem ſuſtinuerunt hæreſim Theophylactus ſuper 3. cap. Ioannis, & Nicetas lib. contr. Latinos, vt refert Hugo Nestoria. Theodor. Damaſc. D.Thom. Theophi. Niceta.

Athe-

Digitized by Google

Hug. Aet.

Aetherianus, lib. 1. de hæreſibus. Idem quoquè tota Græcia diuiſa ab Eccleſia latina tenet. Vide commentarium articuli num. 1. & 2.

5 Communiter tamen Sancti Patres, præter citatos, tàm Latini, quàm Græci, ſimulatquè Scholaſtici Theologi firmiter tenẽt, Spiritum ſanctum à Filio procedere, idquè demonſtratiuè ex Sacra ſcriptura monſtrari, licèt iiſdem expreſſis verbis in Sacra ſcriptura nõ inueniatur, his verbis, ſcilicet, Spiritus ſanctus procedit à Filio, ſicut inuenitur, quòd idem Spiritus ſanctus procedit à Patre. Vnde,

6 Pro determinatione veritatis, Dico primò. Spiritus ſanctus procedit à Filio. Hoc dictum authoritatibus Sacræ ſcripturæ probabitur nu. ſeq. ratione verò diſputationibus ſequentibus.

D. Thom.

7 Dico ſecundò. Spiritum ſanctũ procedere à Filio, euidenter demonſtratur ex Sacræ ſcripturæ authoritatibus, taliter, quòd D. Thomas in diſputatis de potent. q. 10. art. 5. in princip. corp. ſic contra Græcos ait. *Non enim concedunt Spiritum ſanctum à Filio procedere, vel propter ignorantiam, vel proteruiam, ſeù calumniam, vel propter quamcumquè aliam cauſam.*

Rom. 8.

8 Probatur igitur primò, ex illo ad Rom. 8. *Si quis Spiritum Chriſti non habet, hic non eſt eius*, ſed per ſpiritum Chriſti intelligitur Spiritus ſanctus. Ergo Spiritus ſanctus ex Sacra ſcriptura procedit à Filio. Conſequentia eſt euidens; quia ſi Spiritus ſanctus non procederet à Filio, non diceretur Spiritus Filij. Item ad Galatas 4. dicitur, *quoniam autem eſtis Filij Dei, miſit Deus ſpiritum Filij ſui in corda veſtra clamantem, Abba Pater*. Et Act. 16. *Cum veniſſent Miſiam tentabant ire in Bittiniam, & non permiſit eos ſpiritus Ieſu*. Item 1. Cor. 2. *Nos autem non ſpiritum huius mundi accepimus, ſed ſpiritum, qui ex Deo eſt.*

Galat. 4.

Act. 16.

1. Cor. 2.

9 Reſpondebit aliquis pro Græcis, quòd alius eſt ſpiritus qui procedit à Patre, & alius, qui eſt Filij.

10 Contra hoc validè inſurgit D. Thomas in opuſcolis opuſc. 1. contra errores Græcorum cap. 32. §. *Ad oſtendendũ autem, quòd Spiritus ſanctus &c.* Et 4. contra gentes cap. 24. Nam Rom. 8. poſtquàm dixerat, *ſi ſpiritus Dei habitat in vobis, ſtatim ſubiungit. Si quis ſpiritum Chriſti non habet, vt oſtendat eumdem eſſe ſpiritum Patris, & Filij*. Hæc ille.

S. Baſilius Theodor.

11 Idquè D. Thomas opuſc. cit. authoritatibus Græcorum Baſilij ſcilicet, & Theodoreti confirmat, ſic dicens. *Vnde Baſilius dicit cõtra Eunomium poſtquàm prædicta verba Apoſtoli induxerat. Ecce in Patre, & Filio, & ſpiritus Patris, & Filij, vnum ſpiritum vidit, ſcilicet Apoſtolus. Et Theodoricus dicit ſuper Epiſt. ad Rom. exponens idem verbum Apoſtoli. Communis eſt Patris, & Filij Spiritus ſanctus.*

12 Reſpõdebit aliquis aliter pro Græcis, quòd licèt ſit idem Spiritus ſanctus, qui eſt Spiritus Patris, & Spiritus Chriſti, tamen dicitur ſpiritus Chriſti, ſecundùm quòd conſideratur Chriſtus, vt homo; ita vt ſenſus ſit, quòd *Spiritus ſanctus eſt ſpiritus Chriſti, quaſi in homine Chriſto plenariè inhabitans, ſecundum illud Luc. 4. Ieſus plenus Spiritu ſancto regreſſus eſt à Iordane. De cuius plenitudine nos Omnes accepimus; vt dicitur Io. 1.* Lucæ 4.

13 Sed contra hanc fugam D. Thomas arguens, ſic ait; *Hæc autem reſponſio ſuſtineri non poteſt; vt ſcilicet, hac tantùm ratione Spiritus ſanctus Chriſti dicatur*, & argumentum conſiſtit in hoc, à Doctoribus Græcorum inuenitur, & conceditur, quòd *Spiritus ſanctus ſit naturalis ſpiritus Filij: ſed ſpiritus non eſt naturalis Chriſto ſecundùm humanitatem*. Ergo *non poteſt propter hoc dici ſpiritus Filij, quia Chriſtum excellenter repleuit ſecundùm humanitatem. Non ſolùm ergo Spiritus ſanctus eſt ſpiritus Chriſti, quia humanitatem eius repleuit, ſed magis, quia eſt ex diuinitate ipſius*. Maiorem probat; quia ſic dicit Athanaſius in ſerm. 3. Nicæni Cõcilij, & in Epiſt. ad Serapionem. Sic Cyrillus ſuper Ioannem; & ſic idem Athanaſius in ſer. de Incarnat. Verbi, quorũ verba legantur in D. Thoma. Probat minorem; *quia non pertinet ad naturam humanitatis, ſed gratis à Deo in natura humanitatis effunditur.*

14 Reſpondebit inſuper aliquis pro iiſdẽ Græcis, eſtquè communior Græcorum fuga; quòd Spiritus ſanctus eſt Filij ſecundùm Deitatem, ſicut à Filio Dei datus, & miſſus, non autem ſicut à Filio perſonaliter, & æternaliter exiſtens.

15 Contra hanc fugam arguit D. Thomas loco citato, & ſic proponitur ratio. Spiritus ſãctus eſt ſpiritus Patris, vt procedens à Patre; Ergo ſi etiam eſt ſpiritus Filij, procedit à Filio. Antecedens patet, ex Sacra Scriptura, & conceditur à Græcis; probatur conſequentia. Quia ſic dicitur Spiritus Filij, ſicut dicitur Spiritus Patris; vt docet Cyrillus in exhortatorio Sermone ad Theodoſium Imperatorem, Spiritus ſãctus ſicut eſt proprius Patris à quo procedit, ſic & in veritate eſt ipſius Filij.

16 Hoc teſtimonio debemus vti contra Græcos, quoniam huius authoritatis pondere niſi proteruiant, conuincuntur. Vnde Cyrillus, lib. 12. Theſauri cap. 1. explicans præfata Roman. 8. Apoſtoli D. Cyrill.

verba,

Digitized by Google

verba, ſic ait. *Diſce à Paulo rectas de Spiritu ſancto ſententias. Hinc enim habes, ex Saluatoris ſubſtantia Spiritum ſanctum eſſe, nec alienum ab vnius Deitatis eſſentia. Nam cum Spiritum Dei vocauerit, ſtatim, & Spiritum Christi appellauit, vt oſtenderet, omnia, quæ Patris ſunt, in Filius ſuum, dum ex eo naſcitur, naturaliter pertranſire*. Et in Concilio Florentino ſeſſ. 24. circa medium, ſic Ioannes Latinus, aliàs Prouincialis loquitur; *Porrò quoniam apud Sacram ſcripturam Spiritus Patris, ac Filij eſt, ſequitur, vt ambo ſimul Spiritum ſpirent*. Et vt refert Beſſarion Oratione dogmatica cap. 6. vi huius authoritatis, *Cuncti etiam Patres occidentales communi ſententia ideo dicunt, Filij ſpiritum, & eſſe, & dici, quia ex eo procedit*. Et D. Thomas opuſc. 1. cap. 12. tit. *Ad oſtendendum autem*. In fine ſic concludit. *Patet ergo, quòd ex hoc, quòd Spiritum ſanctum ſpiritum Chriſti confitentur, neceſſè eſt, quòd vlteriùs dicant, eum eſſe à Filio ab æterno*.

Io. Latin. Beſſarion. D. Thom.

17 Probatur ſecundò ex illo Io. 16. vbi dicit Filius de Spiritu ſancto ſic. *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annunciabit vobis*; ſed inter ea, quæ habet Filius vnum eſt ſpiratio actiua. Ergo Spiritus ſanctus procedit à Filio. (Ioan. 16.)

18 Reſpondẽt Græci, explicando authoritatem Sacræ ſcripturæ. *De meo accipiet*, id eſt, de meo theſauro, eſſentiæ ſcilicet, ſeù deitatis, ſapientiæ &c. & ſic concedunt antecedens, & ſic dicunt explicandam eſſe Sacram ſcripturam. *De meo accipiet*, id eſt, de mea perſona procedens, accipiet &c. negant; & in hoc ſenſu dicunt, non eſſe interpretandam Sacram ſcripturam. Vnde dicunt, quòd Spiritus ſanctus accepit à Patre Deitatem, quæ etiam eſt ipſamet Deitas Filij. Et in fauorem Græcorum addo, quòd Chriſtus Dominus non dixit de me, ſed *de meo*; quòd ſi intellexiſſet proceſſionem Spiritus ſancti à Filio debuiſſet dicere potiùs, de me, quàm *de meo*.

19 Sed contra hanc Græcorum fugam eadem Chriſti verba ſequentia exclamant; Nam ſic ſubdit, & vt D. Thomas ait, *quaſi ſe exponens*. *Omnia quæcumquè habet Pater, mea ſunt, propterea* (nota) *dixi vobis, quia de meo accipiet*. Tunc ſic, omnia, quæ ſunt Patris, ſunt etiam Filij; ſed Pater habet ſpirationem actiuam, per quam non procedit Filius, nec aliquo modo repugnat Filio. Ergo ſpiratio actiua Patris eſt etiam Filij. Hic diſcurſus eſt D. Thomæ opuſc. 1. contra errores Græcorum cap. 32. §. *Vlteriùs autem*, qui eumdem confirmat authoritatibus Athanaſij in Epiſt. ad Serapionẽ, & in ſermone Nicæni Concilij. Et S. Baſili' contra Eunomium. Poteſt etiam in huius confirmationem adduci Gregorius Nazianzenus, tract. de fide, vbi dictum Ioannis teſtimonium exponens, ſic ait. *De meo accipiet. Omnia quæcumquè habet Pater, mea ſunt. Propterea dixi, quia de meo accipiet*. Et Epiphanius, clarioribus verbis in Ancorato circa medium, ſic ait. *Chriſtus ex Patre, creditur Deus ex Deo, & Spiritus ex Chriſto, aut ab vtriuſquè, ſicut Chriſtus dicit, qui ex Patre procedit; Et hic de meo accipiet*. Poteſt etiam ly *de meo*, & benè ſic exponi, *de meo* Patre ac per conſequens, idem eſt, ac ſi dixiſſet à me, quia quæ Patris ſunt, mea ſunt, videndi ſunt pro huius teſtimonij exageratione, Sanctus Cyrillus Hieroſolymitanus, catecheſi 16. circa medium, Sanctus Hilarius, lib. 8 de Trinit. colum. 8. S. Ambroſius, lib. 2. de Spiritu ſancto, & alij. Siue ergo dicat de me, ſiue *de meo*, ſemper habetur catholicæ concluſionis intentum, quare autem non dixit de me, vide num. 40.

D. Thom. Athanaſ. S. Baſilius Nazianz. Epiphan. D. Cyrill. Hilarius. Ambroſ.

20 Reſpondent inſuper, explicando ly *de meo accipiet*, hoc modo, erit conformis ſermoni meo.

21 Sed contra hoc eſt; quia Dñus, non ſolùm dixit *de meo accipiet*, ſed etiam, *non loquetur à ſemetipſo*. Ergo Spiritus ſanctus per præcitata Chriſti Domini verba locutus eſt conſentaneè ſermoni Filij, & proceſſit æternaliter ab eodem.

22 Probatur tertiò ex illo Ioannis 15. *Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis*; & cap. 16. *ſi enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos; ſi autem abiero, mittam eum ad vos*. Habetur etiam ex authoritate Sacræ ſcripturæ, quòd Pater dat Spiritum ſanctum. Dicitur enim Ioan. 14. *Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitũ dabit vobis*: ſed quòd & Filius det eumdẽ Spiritum ſanctum, dicitur Ioan. 20. quod poſt reſurrectionem Dominus diſcipulis inſufflauit, & dixit eis. *Accipite Spiritum ſanctum*. Patet ergo ex hoc, quòd Spiritus ſanctus mittitur à Filio, exiſtat æternaliter, & ab eo habeat, quòd ſit Deus. Conſequentia euidenter ſequitur, eamquè probat D. Thomas authoritatibus D. Athanaſij in ſermone Nicæni Concilij, & in Epiſt. ad Serapionem. De vi etiam huius conſequentiæ videndi ſunt Sanctus Anſelmus, de proceſſ. Spiritus ſancti cap. 7. Nazianzenus, tract. de fide in fine, & D. Auguſtinus, lib. 4. de Trinit. cap. 20. Beda, hom. 11. Dominicæ primę poſt Aſcenſionem, cuius iſta ſunt verba. *Mittitur Spiritus à Patre, mittitur & à Filio; procedit à Patre, procedit & à Filio; quia eius miſſio eſt ipſa proceſſio*. Et D. Gregorius, hom. 26. in Euangelica ſic ait.

Io. 15. & 16. Ioann. 14. Ioann. 20. Athanaſ. Anſelm. Nazianz. Auguſt. Beda. Gregor.

Spiritus

Digitized by Google

Spiritus ſancti miſſio, ipſa proceſſio eſt, qua de Patre procedit, & Filio. Sicut igitur ſpiritus mitti dicitur, quia procedit, ita & Filius non incongruè mitti dicitur, quia generatur. Patet igitur ex prædicto Sacræ ſcripturæ teſtimonio optima conſequentia pro proceſſione Spiritus ſancti à Filio.

23 Reſpondebit aliquis pro Græcis, quòd etiam Filius mittitur à Spiritu ſancto; quia dicitur Lucæ 4. quòd Dominus dixit in ſe impletũ illud Iſaiæ; *Spiritus Domini ſuper me, Euãgelizare pauperibus miſit me.* (Luc. 4.)

24 Sed contra; quia in prædicto teſtimonio Chriſtus loquitur de ſe ipſo ſecundùm naturam aſſumptam, & ſecundùm illam dicitur à Spiritu ſancto miſſus: quando verò Filius dicitur mittere Spiritum ſanctum, quamuis miſſio quò ad effectum ad extra ſit temporalis, tamen inuoluit proceſſionem perſonæ miſſæ à mittente, vt probatũ eſt. Vide D. Thomã 4. cont. gẽt. cap. 24. n. 2. ſic loquẽtẽ; (D. Thom.) *Si quis autẽ dicat, quòd etiã Filius mittitur à Spiritu sãcto, quia dicitur Lucæ 4. &c. Sed cõſiderandũ eſt,* inquit, *quòd Filius à Spiritu ſancto mittitur, ſecundũ naturã aſſumptã, Spiritus autẽ ſanctus nõ aſſumpſit naturã creatam, vt ſecundũ eã poſſit dici miſſus à Filio, vel Filius habere authoritatẽ reſpectu ipſius. Relinquitur igitur, quòd reſpectu perſonæ æternæ Filius ſuper Spiritum ſanctum authoritatem habeat.*

25 Probatur quartò, quia Sacra ſcriptura ad Hebr. 9. ait, *Per Spiritum ſanctum ſemetipſum obtulit.* Ergo ex Sacra ſcriptura habetur, quòd Spiritus ſanctus procedit à Filio. Probatur iſta conſequentia; quia perſonam Filij operari ad extra per Spiritum ſanctum, vel eſt ipſam accipere virtutem à Spiritu ſancto ſibi communicatam; vel eſt perſonam Spiritus ſancti agere ad extra per virtutem ſibi communicatam à perſona Filij. Non poteſt dici primum, nec ipſi Græci dicunt. Ergo ſecundum. Ergo perſona Spiritus ſancti etiam procedit à perſona Filij. Patet iſta vltima conſequentia, quia perſona Filij dicitur procedere à perſona Patris, per hoc, quòd accipit virtutem producendi, à Patre ſibi communicatam. Ergo &c. (Hebr. 9.)

26 Probatur quintò ex illo ad Rom. 8. (Rom 8.) *Quos præſciuit conformes fieri imagini Filij ſui.* Et ex illo 1. Corint. 15. (1. Cor. 15.) *Sicut portauimus imaginem terreni, portemus & imaginem cæleſtis.* Sed Græci Doctores per imaginem Filij Dei, & imaginem cæleſtem intelligunt Spiritum ſanctum. Ergo ex Sacra ſcriptura iuxta interpretationem Sanctorum Patrum Græcorum, Spiritus ſanctus procedit etiam à Filio. Patet iſta conſequentia, quia de ratione imaginis eſt, vt procedat ab eo, cuius eſt imago. Vnde etiam ex Sacra ſcriptura rectè colligitur, quòd Filius procedat à Patre, ex hoc, quòd Filius eſt imago Patris. Ergo ſi Spiritus ſanctus ex Sacra ſcriptura iuxta Sanctorum Græcorum interpretationem eſt imago Filij, rectè concluditur ex eadem, quòd procedat à Filio. Minor eſt euidens; quia ſic ait Sanctus Damaſcenus lib. 1. fidei Orthodoxæ cap. 18. (Damaſc.) *Spiritus ſanctus,* inquit, *eſt imago Filij.* Et Diuus Athanaſius in Epiſt. ad Serapionem ex perſona Filij Dei loquens, ſic ait. (D. Athan.) *Accipite ipſam imaginem meam, Spiritum ſanctum ſcientiæ.* Et Gregorius Cæſarienſis ait. (Gre. Cæſ.) *Spiritus ſanctus eſt imago Filij perfecti.* Et Cyrillus in lib. theſaurorum ſic ait. (Cyrillus.) *Qui accipit Filij imaginem naturalem, hoc eſt, Spiritum ſanctum, habet veraciter per ipſum ſpiritum eumdem Filium, & Filij Patrem.* Et Sanctus Baſilius contra Eunomium, ſic ait. (Baſilius.) *Naturalis Filij imago eſt ſpiramen eius Spiritus.*

27 Probatur ſextò; quia per Sanctos Patres Græcos ad mẽtem Sacræ ſcripturæ Pater ſpirat Spiritum ſanctum per Filium, ſeù Spiritus ſanctus eſt à Patre per Filium. Ita præſertim Diuus Hilarius lib. 12. de Trinitate in fine, (D. Hilar.) vbi ſic ait. *Conſerua hanc, oro, fidei meæ religionem, vt ſemper obtineam Patrem, ſcilicet, te, & Filium tuum, vna tecum adorem, & Spiritum ſanctum tuum, qui eſt per vnigenitum tuum, promerear.* Quæ Græcorum Sanctorum Patrum locutio eſt conformis Sacræ ſcripturæ. Sacra enim ſcriptura loquens de Patre, & Filio reſpectu productionis ad extra, dicit, quòd *Omnia per ipſum facta ſunt.* Ioan. 1. Ac proinde, omnia etiam ad intra per Filium communicata ſunt. (Ioan. 1.) Ergo ſicut per ly, *Omnia per ipſum facta ſunt*, intelligitur, quòd Filius procedit à Patre, & quòd creaturæ procedunt à Filio, vt effectus ſcilicet, à ſua cauſa, ita etiam cum Sancti Patres dicunt, quòd Pater producit Spiritum ſanctum per Filium, ſeù quòd Spiritus ſanctus procedit à Patre per Filium, ſenſus eſt, quòd Spiritus ſanctus etiam procedit à Filio.

28 Petet aliquis; Si Spiritum ſanctum procedere à Patre per Filium, non eſt aliud, quam Spiritum ſanctum non ſolùm procedere à Patre, ſed etiam à, ſeù, ex Filio, quare non eſt in vſu iſta locutio, & communiter non eſt à Scholaſticis viurpata?

29 Reſpondetur, ex Concilio Florentino per Ioannem Latinum collat. 22. §. *Modo in hac.* Vbi ſic Ioannes (Florent. Io. Lat.)

Latinus ait. *Omnes noſtri Doctores rariſſimè, vel nunquàm dicunt per Filium, ſed ſemper ex Filio; & eſt ratio, quia licèt ſit idem in ſignificatione, eſt differentia in modo ſignificandi; & ne aliquis vnquàm poſſet ex hoc credere, quòd Filius eſt organum, per quod Pater produceret Spiritum, vt Ariani dicebant, ideo cauent Doctores, ne occurrat aliqua declarationis neceſſitas, vt tunc temporis contra Arianos erat neceſse.*

30 Dices. Diuus Thomas in hac quæſtio. format articulum ſubſequentem, *Vtrum* ſcilicet, *Spiritus ſanctus procedat à Patre per Filium*; & reſpondet affirmatiuè; & nullus ignorat D. Thomam ſcholaſticè loqui.

31 Reſpondetur, quòd Diuus Thomas format prædictum articulum, propter veritatem fidei iuxta modum Sanctorum Grecorum confirmandam, & legatur attentè, quia non reſpondet, quòd debet, ſed quod *poteſt dici, quod Pater per Filium ſpirat Spiritum ſanctum &c.* Nec in illo tēpore ſumus, in quo Arrianorū iniqua vrgebat opinio.

32 Probatur ſeptimo; quia in Symbolo Conciliorum poſitum eſt, quod Spiritus ſanctus procedit ex Patre, Filioquè. Ergo ex Sacra ſcriptura habetur, quòd Spiritus ſanctus procedit etiam à Filio. Antecedens patet; Probatur autem conſequentia; quia in ſymbolis Conciliorum non debet aliquid ſuperaddi; quod ſi aliqua particula ſuperadditur, debet implicitè in Symbolo Apoſtolorum contineri. Ergo quia in ſymbolo poſita eſt illa particula, *Filioquè*, debet dici, quòd eſt in Sacra ſcriptura contenta, & ex eadem Sacra ſcriptura deducta. Antecedens patet; quia ſymbola Conciliorum ſunt expreſſiones, & explicationes ſymboli Apoſtolorum. Probatur autem conſequentia; quia ſymbolum Apoſtolorum compoſitum eſt ab Apoſtolis ex verbis Euangeliorum, vt patet, & explicitè aſſeritur à Concilio Florentino collat. 18. per Archiepiſcopum Coloſſenſem §. *Veniamus ad alia*, vbi ſic dicitur. *Clarum eſt, Euangelium eſſe Symboli principium; quia Apoſtoli exequi volentes Dei præceptum, vt omni creaturæ Euangelium prædicarent, vt pariter in Euangelizando conuenirent, ex Euangelio fecerunt Symbolum, quod dicitur Apoſtolorū.* Florent. Coloſſen.

33 Sed obſerua, quòd duo ſunt, quæ contendebant Græci; vnum erat, quòd falsò aſſerebatur Spiritum ſanctum à Filio procedere; atquè adeò, illam particulam, *Filioquè*, non eſſe addendam poſt ly, *ex Patre*, & conſequenter, falsò poſitam eſſe, & additam. Alterum erat, quòd etiam ſi verum eſſet, Spiritum ſanctum à Patre, Filioquè procedere, non tamen rationabiliter fuiſſe in ſymbolo poſitam. Mouebantur autem ad hoc aſſerendum.

34 Primò quidem; quia Agatho Papa in ſua Epiſtola recitata in Synodo act. 4. ait, non eſſe licitum addere, nec verbum, nec dictionem, nec ſyllabam; & quod verbis, & ſenſu debeat ſeruari integritas fidei, & fuit eius epiſtola approbata à Patribus Synodi iam citatæ. Agat. PP.

35 Secundò; Quia etiam in Sacra ſcriptura continetur, quòd Beata Virgo dicitur Dei genitrix, & etiam pluriès hoc de fide tenendum eſſe determinatum eſt, & nihilominùs non habetur in Symbolo; Similiter Eucariſtiæ Sacramentum ad ſalutem pertinens animarum, eſt de fide, & tamen, non ponitur in ſymbolo. Ergo cum non ſit magis de fide Spiritum ſanctum etiam procedere à Filio, quàm Matrem Chriſti eſſe Dei genitricem, & Eucariſtiæ Sacramentum pertinere ad ſalutem animarum, ſicuti non ponuntur illa in Symbolo, ſic nec iſta particula, *Filioquè*.

36 Hæ ſunt circa hoc inſtantiæ Græcorum, quæ facili negotio diſſoluuntur. Sed antequàm eis fiat ſatis, obſeruandum eſt, quòd aliud eſt abſolutè addere ſymbolo aliquid aliud ab ijs, quæ in Symbolo continentur; & aliud eſt, in ſymbolo implicitè contenta, explicitè exprimere, & enarrare. Illa igitur particula, *Filioquè*, quantùm ad ſtructuram litterarum, iam dicitur addita; quantùm vero ad ſignificatum, non eſt additamentum, ſed implicite contenti maior explicatio, ſeù identitatis expreſſio. Ex hoc enim quòd Spiritus ſanctus procedit à Patre, habetur implicitè, quod etiam procedit à Filio. Et per hoc patet ad primam pro Græcis inſtantiam. Nam illa particula non eſt addita, vt contraria, non vt extranea, ſed vt conſona, vt recte idem Concilium ex S. Bonauentura docet, in p. d. 11. ar. 1. q. 2.

37 Et inſuper, ſic in Græcos retorqueo argumentum. Non licèt aliquid addere Apoſtolorum ſymbolo, & multò minùs licet hoc additamentum ſupra ſymbolum Apoſtolorum, quàm ſupra ſymbola Conciliorum: ſed ſupra ſymbolum Apoſtolorum additum fuit per Concilium Nicęnum, & per alia Concilia, ly, *conſubſtantialem Patri;* D. Bonau.

Item

Digitized by Google

Item in Symbolo Apoſtolorum dicitur. *Credo in Spiritum ſanctum*, & nihilominùs per Concilia fuit additum *Dominum, & viuificantem*. Item in ſymbolo Apoſtolorum non habetur, quòd Spiritus ſanctus procedat à Patre. Et nihilominùs etiam ipſi Græci admittunt in ſuo ſymbolo, *Qui ex Patre procedit*. Ergo ſi non licet ſymbolo Apoſtolorum addere, quare ipſi per Concilia addiderunt, & quæ ſunt per concilia addita, canunt; & deinde per Eccleſiam Summos Pontifices, & alia Concilia non potuit illa particula, *Filioquè*, explicatiuè, addi? Sicut enim illæ particulæ in ſymbolo Apoſtolorum continebantur, ſic & iſta, & in ſymbolo Apoſtolorum, & Conciliorum.

38 Ad ſecundum reſpondeo cum Concilio Florentino p. 2. collat. 9. ex Foroliuienſi ex parte Latinorum, vbi ſic dicitur. *Et quis ſana mentis habet dubitare, ſi immineret neceſſitas, quòd magna Chriſtianorum multitudo laberetur in hæreſim circa Sacramentum altaris, quòd ſicut in ſymbolo fuit oppoſitum per Patres, Confiteor vnum baptiſma in remiſſionem peccatorum, quin poſſet Eccleſia apponere, Confiteor Eucharistiæ Sacramentum ad ſalutem animarum; & ſimiliter dictionem illam, Dei genitrix, ſi neceſſarium videtur, dicendo; Et incarnatus eſt ex Maria Virgine, quæ verè eſt Dei genitrix, & homo factus eſt?*

Florent. Foroliu.

39 Itaquè illa particula *Filioquè*, non fuit totaliter catholicæ addita veritati, ſed intra viſcera ſymboli Apoſtolorum, & aliorum ſymbolorum omninò contenta; Nam Chriſtus, dicit Matth. 5. *Non veni ſoluere legem, ſed adimplere*. Non enim dixit, ſe addere, quia lex per aduentum Chriſti non eſt mutata, ſed adimpleta; non fides mutata eſt, ſed tempora. Vnde idem Chriſtus Dominus ſubdit. *Amen dico vobis, Iota vnum, aut vnus apex non præteribit a lege, donec omnia fiant*, non dixit, donec alia fiant, ſed *donec omnia fiant*. Et ratio eſt; quia lex noua continetur intra veterem, & non eſt veteri additio, ſed veteris adimpletio. Et huic conſonat illud, *Rota in medio Rotæ*, quod exponens Gregorius, lib. 1. in Ezechielem hom. 6. vbi ſic ait; *Rota in Rota, nouum teſtamentum in veteri*. Et gloſſa ordinaria ſuper Matth. cap. 5. in illis iam præcitatis verbis, *non veni ſoluere, ſed adimplere*, ſic ait; *Euangelium eſt recapitulatio veteris legis*: recapitulatio autem non eſt additio. Videatur Concilium Florentinum collat. 9. §. *Reſpondeo igitur*. Et D. Auguſtinus contra Fauſtum lib. 17. & 18.

Math 5.

D.Greg.

Florent. D.Aug.

40 Petet aliquis, vt ea, quæ in præcedentibus rationibus dicta ſunt ad probandum ex verbis Chriſti Domini, quòd Spiritus ſanctus procedit à Filio; quarè Chriſtus Dominus loquens de Spiritu ſancto dicit, *De meo accipiet. Mittam vobis alium Paraclitum, Spiritum ſanctum qui à Patre procedit*, & nunquàm dixit, Spiritus ſanctus qui à me, ſeù ex me procedit? Tenebatur enim explicare hanc Spiritus ſancti proceſſionem eſſe ab eodem Filio; cum ita verum ſit, Spiritum ſanctum procedere à Filio, ſicuti verum eſt procedere à Patre.

41 Reſpondetur, hoc ideo Chriſtum obſeruaſſe, quia mos illi fuit ad Patrem referre, etiam quod ipſiuſmet eſt; Vnde dixit Ioannis 7. *Doctrina mea non eſt mea, ſed eius, qui miſit me*. Si ergo intelligitur ſua eſſe doctrina, quam dicit non ſuam, ſed Patris, quantò magis intelligendus eſt, & de ipſo procedere Spiritus ſanctus, dum ſic ait, quòd *de Patre procedit*, vt numquàm dixerit, *de me non procedit?* à quo autem habet Filius, vt ſit Deus, ab illo habet vtiquè, vt ab illo procedat Spiritus ſanctus, ſicut procedit à Patre; etenim vt ſit Deus, ab ipſo habet Patre.

Ioann. 7.

42 Item. Propter vnitatem naturæ in tribus perſonis iuxta regulam omnium Theologorum, quidquid de vna perſona dicitur, neceſſariò habet intelligi de alia, vbi non obuiat oppoſitio relatiui.

43 Item. Etiam ſi ponatur ad vnam perſonam dictio excluſiua, quod conuenit Patri, etiam conuenit Filio, vbi non obuiat relatiui oppoſitio. Quemadmodum cum dicitur 1. Corint. 2. *Nemo nouit, quæ ſunt Dei, niſi ſpiritus Dei*, & tamen ea omnia, quæ nouit ſpiritus Dei, idest, Spiritus ſanctus, noſcunt Pater, & Filius. Et Matth. 5. & 10. *nemo nouit Filium, niſi Pater, nequè Patrem niſi Filius, & cui voluerit Filius reuelare*; & tamen etiam Spiritus ſanctus Patrem, & Filium nouit.

1.Cor 2.

Matth 5. & 10.

44 Dices, per hæc habetur, quòd Spiritus ſanctus ſi procedit à Patre, procedit etiam à Filio, non tamen habetur ratio; quare tribuitur Patri, & non Filio.

45 Reſpondetur, quòd habetur vtrumquè, & quòd procedit à Patre, & à Filio, & ratio, quare tribuitur Patri, nõ autẽ Filio, aſſignatur, quia ſcilicet, Filius eſt principium Spiritus ſancti, ſed de principio; Pater verò eſt principium de non principio, vndè meritò vocatur fons totius Deitatis. Videatur Concilium Florentinum collat. 21. §. *Ego dico*, & collat. 22. §. *Ex hac authoritate*.

46 Pro perceptione efficaciæ rationum poſitarum, neceſſariò videnda ſunt ea, quæ habentur in Concilio Florentino p. 2. collat. 21. §. *Ego dico*, circa medium, vbi per os Ioannis Latini ex D. Auguſtino lib. 1. ad Gratianum cap. vlt. ſic dicitur. *Mitti à Patre, & Filio dicitur, vt de ipſorum ſubſtantia procedere, & vnum cum eis opus agere dignoſcatur*. Et paucis interiectis, *Dat nobis*, inquit, *vnum nobile documentum, quòd omnis miſſio temporalis præſupponit proceſſionem æternam à perſona, quæ mittit; vnde cũ dicitur mitti à Patre, & Filio, dicitur, vt de ipſorum ſubſtantia procedere, & vnum opus cum eis agere dignoſcatur*. Et collat. 22. §. *Deinde*, circa principium, reſpõdens ad authoritates ab Epheſino contra Latinos poſitas, & exageratas, præſertim quantùm ad illam particulam, *qui à Patre procedit*, ex D. Baſilio contra Sabellianos, vbi dicebat, *proprietatem familiaritatis Spiritus ad Patrem intelligo, cum ait, ex Patre procedit, proprietatem Spiritus ad Filium, cum audio, ſi quis ſpiritum Chriſti non habet, hic non eſt eius*. Sic Ioannes Latinus ait. *Hæc authoritas, de qua facit feſtum, clariſſimum eſt fundamentum opinionis noſtræ. Hæc enim eſt proprietas vna, per quam Filius eſt ſecundus à Patre, & quoniam voluit intelligere proprietatem ſpiritus ad Filium, ſecundùm quã originatur, fundauit ſe in iſto, in quo omnes Sancti Doctores fundãt, quia dicitur ſpiritus Chriſti. Ita dicunt omnes Doctores veſtri, ita quod hæc authoritas facit pro nobis, & do illi gratias, quia ex ore ſuo protulit veritatem huius rei*.

Io. Latin. D. Aug. Epheſin. D. Baſil.

47 Videnda quoquè ſunt verba Eugenij IIII. in decreto, ſeu diffinitione, quæ incipit, *Lætentur cæli, & exultet terra*, & extat decretum in Concilio Florentino, & verba ſunt iſta. Eugen. 4.

48 *In nomine igitur Sanctæ Trinitatis Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, hoc ſacro approbãte vniuerſali Florentino Concilio diffinimus, vt hæc fidei veritas ab omnibus Chriſtianis credatur, & ſuſcipiatur, ſicquè omnes profiteantur, quòd Spiritus ſanctus ex Patre, & Filio æternaliter eſt, & eſſentiam ſuam, ſuumquè eſſe ſubſiſtens habet ex Patre, ſimul & Filio, & ex vtroquè æternaliter, tanquàm ab vno principio, & vnica ſpiratione procedit. Declarantes, quòd id, quod Sancti Doctores, & Patres dicunt, ex Patre per Filium procedere Spiritum ſanctum, ad hanc intelligentiam tendit, vt per hoc ſignificetur, Filium quoquè eſſe, ſecundùm Græcos quidem, cauſam, ſecundùm Latinos verò, principium ſubſiſtentiæ Spiritus ſancti, ſicut & Patrem; Et quoniam omnia, quæ Patris ſunt, Pater ipſe Vnigenito Filio ſuo gignendo dedit, præter eſſe Patrem; hoc ipſum quòd Spiritus ſanctus procedit ex Filio, ipſe Filius à Patre æternaliter habet, à quo etiam æternaliter genitus eſt*. Ex quibus verbis non ſolùm habetur ex fide determinatum, quòd Spiritus ſãctus à Patre, Filioquè procedit, ſed etiã declaratur, quòd authoritates Sacræ ſcripturæ, & Sanctorum, in quibus dicitur, quòd Filius procedit à Patre, concludunt quoquè, quòd procedit à Filio. Et hæc aduertentia debet extẽdi ad omnes authoritates, in quibus dicitur, quòd Filius mittit Spiritum ſanctum, qui à Patre procedit &c. Quoniam ſunt Atlãtis ſcutum, & gladius Goliad.

CAPVT SECVNDVM.

Proponuntur argumenta in contrarium, & ſoluuntur.

49 SED contra iſtam determinationẽ obijciet aliquis primò, authoritate Sacræ ſcripturæ. Dicit enim de Spiritu ſancto Filius Io. 14. *Spiritus ſanctus, qui à Patre procedit &c.* Ergo ſi Filius affirmat Spiritum ſanctum à Patre procedere, & non dicit etiam procedere à ſe ipſo, Spiritus ſanctus procedit à Patre, & non à Filio. Io. 14.

50 Reſpondetur, concedendo antecedens, & negando conſequentiam, & ratio negationis eſt; quia quidquid conuenit Patri in diuinis, conuenit etiam Filio, *vbi non obuiat relationis oppoſitio*, vt dictũ eſt num. præced. Conſequentia quàm inualida ſit, videatur Ioannes prædictus in Concilio Florentino collat. 22. loco nuper citato, vbi ſic ait. *Ad id, quod dicebat de proprietate, neſcio vbi ipſe inuenerit in ſermone Gregorij* (explicat ibi authoritatẽ Gregorij ex parte Græcorum exageratã) *quia ſemper facit conſequentiam, quandocumquè reperit, procedit à Patre, ipſe infert. Ergo non procedit à Filio. Quantùm valeat iſta conſequentia, quilibet Patrum poteſt iudicare, quinimò nullus, nec Græcus, nec Latinus auſus eſt dicere, quòd non procedat à Filio, & tamen Epheſinus ſemper intulit, ergo non à Filio*. His adde id, quòd D. Thomas hìc ad 1. dicit; *Sic igitur*, inquit, *cum dicitur, quòd Spiritus ſanctus à Patre procedit, etiam ſi adderetur, quòd à ſolo Patre procedit, nõ excluderetur inde Filius; quia quantũ ad hoc, quod eſt eſſe principium Spiritus ſancti, non opponuntur Pater, & Filius; ſed ſolùm quantùm ad hoc, quod hic eſt Pater, & ille Filius*. Ergo quia Chriſtus nõ locutus eſt cum particula excluſiua, ſolus, multò minùs ex hoc antecedenti deducitur conſequentia in fauorẽ Græcorum. Vide eundem Thom. 4. cont. gent. cap. 25. qui friuolum hunc diſcurſum vocat.

Io. in Cõcil. Flor. D. Thom. D. Thom.

Obijciet

Digitized by Google

Io. 15.

51 Obijciet ſecundò, ex illo Io. 15. vbi dicitur. *Cum venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre*: ſed mitti à Patre nõ eſt mitti a Filio. Ergo Spiritus ſanctus non procedit à Filio, ſed tantùm à Patre.

52 Reſpondetur, concedendo antecedẽs, & negando conſequentiam; & ratio negationis eſt, quia, vt dicebamus, quod cõuenit Patri in diuinis, Filio non conuenire nõ poteſt, niſi excepta formalitate, qua Filius relatiuè opponitur Patri, & Pater Filio. Mira res, Græci oppoſitum ſentientes fundantur in authoritatibus, quæ ſunt pro nobis, & contra eos. Hæc enim authoritas, vt ex dictis conſtat, eſt pro catholica ſententia, & ab eis adducitur in contrarium. Ad oſtendendum, quòd nullum aliud firmum habent fundamentum, niſi ſolam ipſorum peruicaciam.

Io. Latin.

53 Videndus eſt Ioannes Latinus, qui ex authoritate adducta, ſcilicet, quòd ſpiritus mittitur à Patre, format hanc pro catholica veritate rationem. *Nullus poteſt mitti ab alio, niſi mittens habeat authoritatem ſuper illum*; & adducit plura miſſionis exempla, & concludit, quòd *in diuinis in tantùm vna perſona diuina mittitur ab altera, in quantùm vna perſona originatur ab altera. Cum ergo*, inquit, *dicatur quòd perſona ſpiritus mittitur, oportet, quòd hæc temporalis miſſio de neceſſitate præſupponat originem ab alia perſona à qua mittitur*. Et eadem collat. 21. §. *Ergo dico*, circa medium ex D. Auguſtino, ſic ait. *Et niſi procederet, etiã de ipſo, non diceret diſcipulis; Accipite Spiritum ſanctum, eumquè inſufflando daret, vt à ſe quoquè procedere ſignificãs &c.* Et infra, *ſatis eſt nobis, quòd non eſt à ſe Filius, ſed ab illo, à quo natus eſt; non eſt à ſe ſpiritus, ſed ab illo, à quo procedit &c.* Et inſuper, ſic eumdem refert in lib. ſuper Ioan. ſuper illa verba, *Non enim loquetur à ſemetipſo, ſi enim non ab eo procederet, non poſt reſurrectionem ſe repræſentans diſcipulis inſufflaſſet dicens; Accipite Spiritum ſanctum. Quid illa inſufflatio ſignificat, niſi quòd procedat Spiritus de ipſo.*

54 Et poſt multa refert eumdem Auguſtinum ſic aientem. *Nec video, quòd aliud ſignificare voluerit, cum inſufflans ait, Accipite Spiritum ſanctum, nequè flatus ille corporeus eſt ſenſu corporali tangendi procedens ex corpore Chriſti, ſubſtantia fuit Spiritus ſancti, ſed demõſtratio per congruas ſignificationes, nõ tantùm à Patre, ſed à Filio procedere Spiritũ ſanctum.* Et infra, inquit Ioannes, *Quòd ergo ait Dominus, quem mittam vobis à Patre, oſtendit ſpiritum, & Patris, & Filij, quia etiam cum dixiſſet, quem mittet Pater, addit, In nomine meo, non dixit, quem mittet Pater à mè, quemadmodum dixit, quem ego mittam à Patre, videlicet, oſtendens, quòd totius diuinitatis, vel ſi melius dicatur, Deitatis principium, Pater eſt. Qui ergo ex Patre procedit, & Filio, ad eum refertur à quo natus eſt Filius.*

55 Sed eſt aduertendum, quòd cum Ioannem Latinum nominamus, ideo ſic dicimus, quia, cũ eſſet nomine Ioannes, fuit à Sacro Concilio electus ex parte Latinorum, qui in eodem Cõcilio circa proceſſionem Spiritus ſancti a Filio cõtra Græcos argueret, ipſorumquè obiectionibus ſatisfaceret, quod eruditiſſimè, ac veraciter opere compleuit, vt patet à collat. 9. vſquè ad vltimam incluſiuè. Et in codice Concilij Florentini latino idiomate compoſito, cùm iſte Doctor nominatur, Prouincialis appellatur; Quandoquidem, vt notat ſcriptor Græcus, hic Prouincialis, Ioannes nominabatur, & Sanctus Antoninus tit. 22. cap. 1. dicit hunc Ioannem fuiſſe de Montenigro, Ordinis prædicatorum, & tunc temporis Prouincialem Lombardiæ, vt habetur in eodem Concilio parte 2. collat. 2. circa principium. Itaquè Ioannes Latinus, fuit Frater Ioannes de Mõte nigro ordinis Prædicatorum, & tunc temporis Prouincialis Lombardiæ.

Io. Latin.

Florent.

Scrip. Gr.

S. Anton.

56 Pro huius concluſionis abundantiori intelligentia, videndum eſt Concilium Florentinum, quod præ cęteris copioſiſſimè catholicam hanc declarat veritatem. Et pro confirmanda ſolida Præceptoris Angelici doctrina, diligẽter obſerua, quod Concilium, totum ferè diſcurſum ex eius doctrina deprõpſit, & ſi nõ credis mihi, attentè intuere, & lege D. Thomam opuſ. 1. contra errores Græcorum, præſertim cap. 32. Quod opus ex iuſſu Summi Pontificis Vrbani IIII. cõpoſuit, vt eius verba in §. vltimo eiuſdẽ primi opuſ. manifeſte teſtantur, Sic enim ait. *Hæc ſunt Pater Sanctiſſime, quæ ex authoritatibus Doctorum Græcorum ſecundũ veſtram iuſſionem excepi; & exponenda, & ad confirmationem veræ fidei inducenda &c.* Videatur quoquè idem D. Thom. 4. contr. gent. à cap. 24. de potent. q. 10. art. 5. & hic.

Vrban. 4.

D. Thom.

DISPVTATIO

Digitized by Google

DISPVTATIO CXCIV.

VTRVM SI SPIRITVS SANCTVS NON PROCEDERET à Filio, diſtingueretur ab illo.

In quinquè capita diſtributa.

CAPVT PRIMVM.

Explicatur titulus, & Doctorum opiniones referuntur.

1 PRopter opinionem Gotfredi, operepręcium eſt præſentis diſputationis titulum explicare. Etenim quodlib. 7. q. 4. putat, quod diſputatio hæc, nulla eſt, & inutilis. Et mouetur ex hoc, quia quæſtio quæ eſt ex hypotheſi impoſſibili, eſt nulla & inutilis. Iſta eſt huiuſmodi. Ergo. Probat maiorem. Quia quæſtio inuoluens duo incompoſſibilia, eſt nulla, & inutilis. Huiuſmodi eſt quæſtio, quę eſt ex hypotheſi impoſſibili. Ergo. Maior videtur vera, quia inuoluens duo incompoſſibilia, inuoluit redargutionem, quod eſt vnũ ex inconuenientibus, ad quod conatur arguens reſpondentem inducere. Eſt enim redargutio, præconceſſi negatio, & prænegati conceſſio. Minor etiam clara videtur; quia, in ſubiecta materia, Spiritum ſanctum procedere à Filio, eſt ſummè neceſſarium; & non procedere eſt ſummè impoſſibile. Ergo data hypotheſi impoſſibili, inuoluuntur duo contradictoria, quæ in ſubiecta materia ſunt iſta, procedere, & non procedere à Filio.

Gotfred.

2 Gotfredus verò decipitur, & non ſolùm eius opinio nõ eſt diſputationis ſolutio, ſed fuga, vt rectè Scotus in 1. diſt. 11. quæſt. 2. in principio obſeruat, verũ etiam extra doctrinam communem Theologorum, Summuliſtarumq; perambulat.

Scotus.

3 Et contra Gotfredum ſic argumentor primò; quia eius opinione poſita deſtrueretur modus argumentandi, ad probandum aliquam veritatem, qui dicitur ducens ad impoſſibile; vt diſcurrenti conſtabit.

Secundò, quia de facto hoc modo argumentandi vtuntur Philoſophi, vt cum probant infinitum per modum infiniti, ſeu infinitum ſyncathegorematicum nõ poſſe peruenire, vt fiat infinitum in actu, & cathegorematicum; quia ſi daretur huiuſmodi infinitum in actu, infinitum poſſet pertranſiri. Sed hoc eſt inconueniens. Ergo & illud vnde ſequitur. Item. Si continuum componeretur ex indiuiſibilibus, ſequeretur, quod quantitas non eſſet diuiſibilis in infinitum: ſed hoc cũ ſit contra rationem quantitatis, eſt impoſſibile. Ergo & illud vnde ſequitur. Et ſimiliter patet in ſexcentis caſibus: Sic eſt in caſu noſtro; quia quæritur à Theologis, vtrum ſi Spiritus ſanctus nõ procederet à Filio, diſtingueretur ab illo. Seruit enim ad diſcernendum, vtrum ſit bonus modus conuincendi Gręcos affirmantes Spiritum sãctum eſſe perſonam realiter à perſona Filij diſtinctam, & negantes à Filio procedere, ducendo eos ad inconueniens, quod etiam ipſi inconueniens eſſe putant. Hoc modo, Si Spiritus ſanctus non procederet à Filio, non diſtingueretur ab eo: Sed hoc eſt inconueniens. Ergo & illud vnde ſequitur.

4 Quapropter, ex hoc argumentãdi modo, non obſcurè deregitur, quæ ſit propria, & per ſe ratio realiter diſtinguens Spiritum ſanctum à Filio.

5 Sed pro pleniori huius intelligentia eſt obſeruandum, primò, quòd hypotheſis inuoluens contradictoria, eſt duplex. Quædam enim intrinſecè includit vtrũque contradictionis membrum, & quædam extrinſecè, & à poſteriori. Exemplum primi, vt cum dico, ſi homo non eſſet animal, ſed eſſet rationalis, diſtingueretur à Leone. Vel cum dico, Si homo eſſet animal, & non eſſet rationalis, diſtingueretur à Leone; Exemplum ſecundi, vt cum dico, Si homo non eſſet riſibilis, eſſet tamen rationalis, diſtingueretur à Leone.

Obſer-

6 Obſeruandum ſecundò, quòd quando dicitur, hypotheſim impoſſibilem includere duo incompoſſibilia, ſeu duo contradictoria, debet intelligi in ipſa hypotheſi, vt impoſſibili, non autem in conſequenti ex hypotheſi præciſè poſita; v.g. cũ dico ſi homo nõ eſſet animal, eſſet tamen rationalis, diſtingueretur à Leone. Hypotheſis in ſuo antecedenti inuoluit duo incompoſſibilia, ſcilicet, quòd non ſit animal, & quod ſit rationalis. Hæc enim incompoſſibilia ſunt; quia quod eſt rationale, per locum ab intrinſeco eſt animal. Rationalitas enim eſt differentia diuidens animal, & conſtituens ſpeciem eius, puta hominẽ, quapropter, homo eſt eſſentialiter animal; & inſuper, animal eſt ratio vniuerſalior ratione ſpeciei, & differentiç conſtituentis ſpeciem, ac proinde, quod nõ eſt animal, per locum ab intrinſeco non eſt homo, neque rationale: ideoquè dicendum eſt, quod ſupradicta hypotheſis inuoluit duo contradictoria, ſcilicet, quòd homo eſſet rationalis, & non eſſe rationalis, eſſet, & non eſſet animal: At vero, conſequens non inuoluit duo contradictoria, ſed eſt abſolutè neceſſariũ; Nam ex poſitione rationalitatis, neceſſariò ſequitur eſſentialis diſtinctio hominis à quocunquè alio animali.

7 Itaquè ex hypotheſi impoſſibili vtiliter, rationabiliter, & aliquando neceſſariò formatur aliqua diſputatio, ad inueſtigandum aliquod neceſſarium: Sic eſt in caſu diſputationis poſitæ; Nam ex hac hypotheſi impoſſibili inueſtigatur, quod ſit proprium, & per ſe diſtinctionis realis principium, inter Filium, & Spiritum ſanctum. Vnde ſenſus diſputationis eſt, vtrum ſi per impoſſibile, Spiritus ſanctus non procederet à Filio, procederet tamen à Patre, eſſetquè perſona diuina, haberet in ſe per quid realiter diſtingueretur à Filio; ſiue Filius & Spiritus ſanctus remanerent eadem perſonæ, quæ modo ſunt, ſiue non.

CAPVT SECVNDVM.

Doctorum opiniones referuntur.

8 QVidam dicunt, quòd ſi Spiritus ſanctus non procederet à Filio, adhuc diſtingueretur ab illo. Ita Henricus, quodlib. 5. quæſt. 9. Scotus, diſt. 11. q. 2. Bacconius, in 1. diſt. 13. art. 5. §. *Ideò mihi*, tenet quidem cum Scoto, ſed ſuam ſententiam ſic ponit. *Ideo*, inquit, *mihi videtur, quòd poſita hypotheſi, etiam diſtingueretur à Filio perſonaliter, non tamen diſtingueretur ab eo, ſicut perſona, quæ modo de facto vocatur Spiritus ſanctus, ſed ſicut ſecundus Filius, & tanquàm frater primi*. Itaquè Bacconus ait, quòd ſi Spiritus ſanctus non procederet à Filio, diſtingueretur à Filio, ſed in tali caſu eſſent duo Filij, vnus eſſet Verbum, tanquàm primus Filius, & alter eſſet Spiritus ſanctus, qui diceretur ſecundus Filius. Aureolus, art. 3. propoſ. 4. Mayronus, quæſt. 2. Rubionenſis, quæſt. 1. art. 2. Ocham, quæſt. 2. Dionyſius Carthuſianus, q. 2. ad finem. Palatius, diſp. 3. Lichetus in eadem diſt. Tataretus, ibidem quæſt. 2. Fauentinus, diſp. 38. Vulpes, diſp. 67. ar. vlt. & alij Scotiſtæ.

Henricus. Scotus. Baccon. Aureol. Mayron. Rubion. Ocham. Carthuſ. Palatius. Lichetus. Tataret. Fauent. Vulpes.

9 Alij vero dicunt, quòd ſi Spiritus ſanctus non procederet à Filio, non diſtingueretur ab illo. Ita Alenſis, 1. p. q. 27. memb. 4. Albertus Magnus, 1. p. q. 31. memb. 3. D. Bonauentura, in 1. diſt. 11. q. 1. Heruæus, eadem diſt. Durandus, ibidem q. 2. Capreolus, q. 1. art. 1. in reſp. ad obiecta. Aegidius, art. 1. q. 3. Argentina, eadem diſt. Riccardus, art. vnico q. 2. licèt præcedentem ſententiam aliqualiter ſuſtineat. Caietanus hic, Ferrar. 4. contra gent. cap. 24. Syluest. in conflato q. 36. art. 4. Suarez, li. 10. de Trin. diſp. 2. Torres, hic, Molina, diſp. Granada, diſp. 7. Zuniga, diſp. 11. dub. 3. Ruiz, diſp. 68. ſect. 4. Valentia punct. 3. Bellarminus, lib. 2. de Chriſto cap. 26. Ripa hìc, Arrubal hìc, Albertinus, coroll. theolog. 15. ex prædicamento ad aliquid, Becanus, tract. 2. de Sanctiſ. Trinit. cap. 6. quæſt. 3. Gonzalez, diſput. 14. ſect. 2. Salmanticenſes, tract. 6. diſp. 14. dub. 3. Amicus, diſp. 27. ſect. 3. Florauantinus, lib. 10. de Trinit. pag. 56. & 142. notat. 37. Ayoſſa, hìc diſp. 29. §. 3. Faſolus, hìc dub. 3. concl. vnica, Herrera, ſupra, q. 27. ar. 3. Ioannes à S. Thoma, diſp. 15. art. ſuo 3. à nu. 24. Arriaga, diſp. 53. ſect. 4. ſubſect. 1. Magiſter Marcus Ferro Venetus hìc dub. 2.

Alenſis. Alb. Mag. Heruęus. Durand. Capreol. Aegidius. Argent. Ricard. Caiet. Ferrar. Sylueſter. Suarez. Bañes. Zumel. Torres. Molina. Granada. Zuniga. Ruiz. Valentia. Bellarm. Ripa. Arrubal. Albert. Becanus. Gonzal. Salmant. Amicus. Ayoſſa. Faſolus. Herrera. Io. à S. T. Arriaga. Marc. Fer.

10 Pro eadem opinione ſolent adduci communiter Sancti Patres. Vnde neceſſe erat, vt hæc ſententia defenderetur à D. Thoma; hanc enim ex profeſſo ſuſtinet, ac defendit in 1. diſt. 11. q. 1. art. 1. & opuſ. 1. contra errores Græcorum cap. 49. 50. & 51. & opuſ. 3. cap. 49. & de potent. q. 10. art. 5. & 4. contra gent. cap. 24. & hìc. Quem omnes ex relatis poſt ipſum, ſic tanquàm Magiſtrum ſequuntur, ac ſi nullus antè ipſum hanc defenderit veritatem.

D. Thom.

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT TERTIVM.

Proponuntur aliquot concluſiones ante determinationem veritatis cognoſcendæ.

11 DICO primò. Si Spiritus ſanctus non procederet à Filio, neque etiam procederet à Patre.

Probatur, quia ideo ex Sacra ſcriptura diſp. præcedenti probatum eſt, quòd Spiritus ſanctus procedat etiam à Filio, quia omnia, quæ habet Pater communicat Filio, vnde dixit Filius Patri, *omnia tua mea ſunt, & mea tua. Et omnia mihi tradita ſunt à Patre meo.* Ergo ſi Spiritus ſanctus non procederet à Filio, neque etiam procederet à Patre. Patet conſequentia. Quia ſi nõ procederet à Filio, ſignum eſt, quòd virtus ſpiratiua non eſt in Patre; quia ſi eſſet in Patre, fuiſſet à Patre communicata Filio. Ergo ſi non eſt communicata Filio, ſignum eſt, quod non eſt in Patre &c.

12 Dico ſecundò. Si Spiritus ſanctus nõ procederet à Filio, totum Trinitatis myſterium turbaretur, ideſt, perſona Spiritus ſancti non eſſet eadem, quæ modo eſt, & ſimiliter, nec perſona Filij, nec perſona Patris.

13 Probatur, quia ſi Spiritus ſanctus nõ procederet à Filio, & procederet à Patre, in primis, Pater non eſſet ea perſona, quæ modo eſt. Probatur hoc; quia perſona Patris, quæ modo eſt, eſt communicatiua virtutis ſpiratiuæ Filio: ſed ſi Spiritus ſanctus non procederet à Filio, Pater non communicaret virtutem ſpiratiuam Filio. Ergo Pater, qui modo eſt, eſſet alia perſona à Patre, in caſu impoſſibili, quod ſcilicet, ſi Spiritus ſanctus non procederet à Filio.

14 Item. Neque Filius, qui modo eſt, eſſet eadem perſona cum Filio, à quo non procederet Spiritus ſanctus. Probatur hoc; quia Filius qui modo eſt, talis eſt, vt accipiat virtutem ſpiratiuam à Patre, ac proinde, vt ſpiret Spiritum ſanctum: ſed in caſu poſito, ille Filius non acciperet virtutem ſpiratiuam à Patre, nec ſpiraret Spiritum ſanctum. Ergo Filius, qui modo eſt, non eſſet eadem perſona cum Filio, à quo non procederet Spiritus ſanctus. Item. Spiritus ſanctus, qui modo eſt, non eſſet omninò eadem perſona cum Spiritu ſancto, qui nõ procederet à Patre. Probatur hoc. Quia Spiritus ſanctus, qui modo eſt, habet ex ſua ratione indiuiduali, vt referatur ad Patrem, & ad Filium; ſed ille Spiritus ſanctus, qui non procederet à Filio, non referretur ad Patrem, & ad Filium, ſed ad Patrem tantùm. Ergo Spiritus ſanctus, qui modo eſt, non eſſet eadem perſona cum Spiritu ſancto, qui à Filio non procederet, ſed à Patre tantùm.

15 Dices cum Scotiſtis, præſertim cum Vulpes loco citato cap. præced. nu. 11. quòd Spiritui ſancto quaſi per accidens, ſeù materialiter conuenit procedere à Filio, quoniam proprium eius eſt procedere à Patre, & in tantùm conuenit ei procedere à Filio, in quãtùm Pater communicat Filio virtutem ſpiratiuam. Sicuti ſi lapis V. G. qui modo à tota Trinitate producitur, ſi per impoſſibile eſſet vna dumtaxat in Deitate perſona, idem numero lapis ab illa vna perſona produceretur; eò quia, lapis non per ſe petit, vt à tota Trinitate producatur, ſed quia, quod conuenit vni perſonæ ad extra, conuenit omnibus perſonis; Vnde dicitur, quòd actiones ad extra ſunt indiuiſæ. Vulpes.

16 Contra primò; quia Spiritus ſanctus procedit vt nexus Patris, & Filij. Ergo non merè per accidens, ſed per ſe petit procedere etiam à Filio. Ergo ſi non procederet à Filio deeſſet ei ratio nexus Patris, & Filij, quod pertinet ad identitatem perſonalem Spiritus ſancti.

17 Secundò; quia ſi Spiritus ſanctus non procederet à Filio, non procederet à Patre per eamdem virtutem ſpiratiuam, per quam de facto procedit. Ergo ſi Spiritus ſanctus non procederet à Filio, nõ eſſet eadem omninò perſona, quæ modo eſt. Antecedens patet, quia virtus ſpiratiua, per quam de facto procedit Spiritus ſanctus eſt communicabilis, imò de facto communicata Filio. Si verò virtus ſpiratiua non eſſet communicabilis, & de facto non eſſet communicata Filio, eſſet alia virtus ſpiratiua. Nam virtus ſpiratiua communicabilis, & virtus ſpiratiua incommunicabilis reſpectu vnius, euiuſdemque perſonæ, non ſunt vna, eademque virtus ſpiratiua; Conſequentia eſt clara.

18 Dico tertiò. Si Spiritus ſanctus non procederet à Filio, procederet tamen à Patre, perſona Spiritus ſancti non diceretur Filius, neque perderet denominationem Spiritus ſancti; & ſimiliter, perſona Filij non perderet denominationẽ Filij.

19 Hoc dictum eſt contra Bacconum loco cit. & probatur; quia ſi Spiritus ſanctus non procederet à Filio, procederet tamen à Patre, non procederet per intelle-

intellectum, ſeù non procederet à Patre vt intelligente, ſed vt amante, ſeù vt volente. Ergo non diceretur Filius, ſed Spiritus ſanctus. Antecedens patet, & ſupponitur. Probatur autem conſequentia; quia, ſi procederet à Patre, vt volente, procederet vt impulſus (licèt non per modum nexus) ad amandum notionaliter Patrem, diuinam eſſentiam, & omnia quæ formaliter ſunt in Deo.

20 Item. Si Spiritus ſanctus non procederet à Filio, adhùc Filius procederet à Patre per intellectum, ſicuti modo procedit, & tantummodo non haberet ſpiritiuam virtutem ſibi communicatam. Ergo haberet vnde poſſet dici Filius.

CAPVT QVARTVM.

Determinatio veritatis.

PRO determinatione veritatis. Dico breuiter. Si Spiritus ſanctus non procederet à Filio, & procederet à Patre, non diſtingueretur à Filio.

21 Hæc concluſio eſt adeò certa, vt oppoſitam nonnulli dicant, nō modò eſſe improbabilem, verumetiam in fide parùm tutam. Ita Pater Ruiz, sect. 5. nu. 4. Quidam verò vocent erroneam, & periculoſam in fide, vt videri poteſt apud Zumel hic, & Vaſquez, diſp. 147. Albertinum, & Amicum, locis citatis; licèt alij ab omni cenſura excuſent, ſicuti ſunt Vaſquez, Zumel, Albertinus, Amicus locis cit. & alij. Ego autem nec excuſo à cenſuris, nec accuſo, ſed pono pro concluſione probationes, ex quibus vnuſquiſque iudicet, pro vt ſibi videbitur, veritatem.

Ruiz. Zumel. Vaſquez. Albertin. Amicus.

22 Probatur igitur primò Conciliorum authoritatibus. Etenim in Concilio Toletano XI. in profeſſ. fid. in art. 1. ſic dicitur. *Nec rectè dici poteſt, vt in vno Deo ſit Trinitas, ſed vnus Deus Trinitas: In relatiuis verò perſonarum nominibus, Pater ad Filium, Filius ad Patrem, Spiritus ſanctus ad vtroſquè refertur. Quæ cum relatiuè tres perſonæ dicantur, vna tamen naturalis ſubſtantia creditur.* Vbi Sacrum Concilium duo docet, vnum eſt, quòd in diuinis vna tantùm eſt ſubſtantia, eò quià, relatiuè non dicitur; Alterum eſt, quod in diuinis tres ſunt perſonæ, & Pater ponitur diſtinctus à Filio, & è contra, eò quia, *Pater dicitur ad Filium, & Filius ad Patrem; Spiritus ſanctus verò ad vtroſquè refertur*, quaſi diceret, quòd Spiritus ſanctus ideo ab vtriſquè diſtinguitur, quia ad vtroſquè refertur.

Toletan.

23 Vrgetur hoc ex eiuſdem Concilij verbis art. ſeq. contentis, ſic enim ibi dicitur. *Hæc ergo Sancta Trinitas, quæ vnus, & verus eſt Deus, nec recedit à numero, nec capitur numero. In relatione enim perſonarum numerus cernitur, in diuinitatis verò ſubſtantia quid enumeratum ſit, non comprehenditur.* Vbi ponderanda ſunt verba, per quæ negatur in Deo vero, & vno, ratio numeri; & verba, per quæ conceditur numerus. Deus enim non capitur numero; ſeù in Deo non eſt numerus, ſecundùm rationem abſolutam deitatis, dicitur enim, quòd Sancta Trinitas vnus & verus eſt Deus. Et quòd numerus eſt in relatione perſonarum. Dicitur enim ſic. *In relatione enim perſonarum numerus cernitur*: ſed numerus qui cernitur in relatione perſonarum, non eſt niſi in relatiua, & correlatiua oppoſitione. Ergo.

24 Et hoc, verba immediatè ſequentia euidentiori diſcurſu confirmant. Sic enim ſubdit idem Concilium. *Ergo hoc ſolo numerum inſinuat, quod ad inuicem ſunt; & in hoc numero carent, quod in ſe ſunt.* Vbi ponderanda ſunt illa verba; *hoc ſolo numerum inſinuat, quòd ad inuicem ſunt*. Nota, inquam, ea ideſt, *ad inuicem ſunt*; quoniam relatiuam, & correlatiuam oppoſitionem dicunt. Et pondera etiam ly, *hoc ſolo*; quoniam non obſcurè noſtræ proficiunt concluſioni. Dicere enim, quòd *hoc ſolo numerum inſinuat* in diuinis, *quòd ad inuicem ſunt*, nihil aliud ſonare videtur, niſi, quòd non habetur aliunde perſonarum numerus in diuinis, niſi ex hoc, quòd *ad inuicem ſunt*. Ergo ſi Spiritus ſanctus non procederet à Filio, Filius, & Spiritus ſanctus ad inuicem non eſſent. Ergo ad inuicem numerus non inſinuaretur.

25 Idquè etiam verba iam poſita rectè inſinuant, cum dicitur, *& in hoc numero carent, quòd in ſe ſunt*. Nam ex hoc, quòd Filius non referretur ad Spiritum ſanctum, nec è contra, Filius, & Spiritus ſanctus ad inuicem comparati, in ſe eſſent, ideoquè ad inuicem conſiderati numero carerent.

26 Et in Concilio Florentino collat. 13. §. *Declaraui* fol. mihi 200. ſic dicitur. *Doctores dicunt, quòd Filius eſt de ſubſtantia Patris, & Spiritus eſt de ſubſtantia Patris, & Filij, ad ſaluandam vnita-* Florent.

vnitatem eſſentiæ, & diſtinctionem perſonarum, quia perſonæ ſunt vnum, vbi non eſt oppoſitio relatiua, & ſic habet intellectum propoſitio. Sicut mus in dicto Baſilij, cum dicit, quòd ex ore Dei, an eſt ex ore Dei Patris, an ex ore Dei Filij? Et collat. 15. §. *Dixi*, ſic dicitur; *Sola relatio eſt illa, quæ multiplicat perſonas in diuinis, quæ dicitur relatio originis, ad quam duo pertinent, à quo alius eſt, & qui ab alio eſt.* Et collat. 22. §. *Ex hac authoritate*, ſic dicitur. *Propter vnitatem naturæ in tribus perſonis iuxta regulam omnium Theologorum, quidquid de vna perſona dicitur, neceſſariò habet intelligi de alia, vbi non obuiat oppoſitio relatiui, quia noſtri, & veſtri Doctores dicunt, quòd ſubſtantia continet vnitatem, & relatio multiplicat.*

27 Ex quibus verbis patet, quòd Concilium Florentinum non obſcure loquitur pro noſtra ſententia. Nam ſi perſonæ in diuinis non diſtinguuntur niſi per oppoſitionem relatiuam, & hæc oppoſitio relatiua conſiſtit in hoc, vt vna perſona originetur ab altera. Et inſuper, ſi perſonæ ſunt vnum, vbi non eſt oppoſitio relatiua, per euidentem conſequentiam probatur, quod ſi Spiritus ſanctus non procederet à Filio, non diſtingueretur realiter ab illo; quia inter Spiritum ſanctum, & Filium non eſſet oppoſitio relatiua originis, quæ conſiſtit in hoc, vt vna perſona ſit à qua altera, & quæ ab altera procedit.

28 Si dicatur pro ſententia affirmatiua, quòd perſonæ diuinę diſtinguuntur quidem per relationes, non tamen per correlationes relatiuè tantum oppoſitas.

29 Contra hoc, verba Concilij exclamant; quia diſtingui per hoc, quòd vna perſona eſt ab altera, eſt non ſolum diſtingui per relationes, verumetiam per correlationes: ſed Concilium ait, quod vna perſona in diuinis diſtinguitur ab altera, per hoc, quòd vna eſt à qua altera, & alia eſt, quæ ab altera.

30 Si dicatur, & in idem redit, quòd perſonæ diſtinguuntur quidem per relationes, ſed per relationes diſparatas; ideoquè dicunt filiationem V. G. eſſe quidem relationem correlatiuè oppoſitam paternitati, atquè adeò ab ea diſtinctam per relationem originis vnius ab altera, diſparatè verò diſtingui à ſpiratione paſſiua; nec aliquid aliud vltra prætendunt Concilij Florentini teſtimonia.

31 Contra; quia diſtingui per relationē originis vnius ab altera perſona, non eſt diſtingui per oppoſitionem relatiuā diſparatè, ſed per veram correlationem: ſed Sacrum Concilium vult, quòd perſonæ diuinæ diſtinguantur per oppoſitionem relatiuam, quæ eſt relatio originis vnius perſonæ ab altera. Ergo nulla eſt hæc explicatio.

32 Si dicatur cum alijs, quòd Sacrum Concilium affirmat vtiquè perſonas diuinas diſtingui ad inuicem diſtinctione reali per relationes originis, ſecundùm quod vna eſt ab altera, non quidem primaria diſtinctione; & quaſi intrinſeca, ſed ſecundaria, & quaſi accidentaria, ſcilicet, manifeſtatiuè, quia nimirùm, perſonarum diuinarum diſtinctio realis, manifeſtatur, ſeu magis clarè cognoſcitur, per hoc, quod vna procedit ab altera.

33 Contra hoc eſt; quia Sacrum Concilium non ſolùm dicit, quòd relatio originis diſtinguit diuinas perſonas, verumetiam ait, quod ſola relatio originis multiplicat in deitate perſonas, taliter, quòd vbi perſonæ diuinę hoc oppoſitionis genere non opponuntur, ſunt vnum. Ergo non ſolùm manifeſtatiuè, ſed per ſe, & intrinſecè.

34 Hinc deregitur. Vtrū ſententia oppoſita ſit aliqua cēſura digna, vel omni cēſura immunis: Colligitur quoquè, quātocū fundamēto Arriaga diſp. 53. ſect. 4. ſubſect. 2. n. 23. dixerit ſic. *Afferri etiā ſolet pro ea* (ſcilicet ſententia) *Conciliū Florentinū ſeſſ. vlt. ſed locum hunc non ſtare pro hac ſententia, manifeſtū eſt; Adducitur enim mutata littera, quod etiam alij dicere ſolent.* **Arriag.**

35 Sed licèt apud impreſſiones, quas ipſi viderūnt, poſſit dici, fuiſſe verba Cōcilij perturbata, ſeù mutata, tamē in impreſſione Cōcilij Florētini ab Horatio Iuſtiniano Bibliothecę Vaticanę cuſtode primario Romę typis Sacrę Congregationis de fide propagāda anno Dñi 1638. Superiorū permiſſu habita, quæ eſt fidelis impreſſio, & ex vetuſto originali deprōpta. Vnde idē Horatius Iuſtinianus in Epiſt. dedicatoria ad Summū Pōtificē Vrbanū Octauū directa, ſic ait, *Quis credat auctos tā ipſos propemodū annos germana tanti Concilij acta, diſiuncta, diuulſa, & ignorata iacuiſſe? Tuæ eſt Beatiſ. Pater felicitatis, & glorię, quę tādiù delituerāt, tuis emerſiſſe tēporibus, tuis deniq; auſpicijs in vſū Chriſtianę rei publicę deriuari cæpiſſe.* Et paucis interiectis explicās, vnde hauſerit, tātāq; deprompſerit veritatē, hæc verba fatur. *Reperi vetuſtū codicem manu ſcriptum, continētē eas diſputationes ab Andrea de Sācta Cruce Patritio Romano, & Apoſtolici Cōciſtorij Aduocato deſcriptas; Qui & inter Aduocatos, qui Cōcilio interfuerūt recēſetur in actis, & ea, quę hinc inde ducebātur, excipiebat q̄ ipſe profitetur.* Et paucis interiectis, verba ex parte ſupradicti Andreę facit, hoc modo. **Vrban. 8.**

Qua,

Quæ, inquit Andreas, *retuli, prò vt fuere, verbiſquè proprijs, eorum qui ea protulere, ne verborum ornamento à geſtorum veritate diuertere iudicarer*. Lege præfatam Horatij Iuſtiniani Epiſtolam & conſolaberis, promptiuſquè conſenties veritati. Si igitur in alijs codicibus videbis verborum varietatem, verbis nuper citatis crede, quæ fideliter ſunt ab Andrea de S. Cruce exarata; Quibus tamen verbis poſitis, clarum eſt, quòd reſpondere pro excuſatione à cenſura oppoſitæ opinionis, aliter debent occurrere, qui voluerint ſententiam illam à cenſura excuſare.

36 Mihi nō videtur tutior via pro excuſatione à cenſura, niſi dicatur quòd Sacrum Concilium ibi non loquitur de fide determinando; Sunt enim verba Patrum, quæ fuerunt propoſita contra Græcos diſputando, vt Concilium inſpicere legenti patebit. Vnde poſſent pro ſententia contraria dicere, Concilium acceptaſſe ſupradictum loquendi modum, tanquàm magis probabilem opinionem, non tamen oppoſitam ſub aliqua falſitatis nota damnaſſe.

37 Quamuis poſſet non modicè à cenſura oppoſita ſententia excuſari, tamen dicant quæſo aduerſarij, præſertim Doctores poſt Concilium Florentinum; Parùm ne illis videtur, ſententiam noſtram fuiſſe in Concilio Florentino pro Græcorum extirpatione ſentētiæ aſſūptam, & vt communem inter Doctores Latinos, & Græcos celebratam? Debuiſſent igitur, ac debent omnes noſtri temporis Doctores ſententiam noſtram tāquàm probabiliorem, communiorem, ſacroquè Concilio gratiorem defendere, & approbare. Ideoquè exiſtimo; poſt huius vltimam impreſſionis cognitionē, non poſſe oppoſitam ſententiam abſquè aliqua cenſura defendi; imò rationem D. Thomæ, qua probat Spiritum ſanctum à Filio procedere; quia aliàs ſi Spiritus ſanctus non procederet à Filio, nec ſimiliter impugnari.

Toletan. 38 Videndum eſt Concilium Toletanū primùm, quod quamuis fuerit Conciliū Prouinciale, fuit tamē authoritate Leonis Papæ confirmatum, vbi in confeſſ. fid. contra Priſcillianiſtas ſic dicitur. *Credimus in vnum verum Deum, Patrem Omnipotentem, & Filium, & Spiritum ſanctum*, & poſt nonnulla, *Patrem autem non eſſe Filium ipſum, ſed habere Filium, qui Pater nō ſit. Filium non eſſe Patrem, ſed Filium Dei de Patris eſſe natura, Spiritum quoquè eſſe Paracletum, qui nec Pater ſit ipſe, nec Filius, ſed à Patre, Filioquè procedens*. Per quæ verba, non parùm videtur ꝙ Conciliū intēdit ibi aſſignare vnitatem inter perſonas diuinas, & diſtinctionem, & docet vnitatem eſſe attendendam in vnitate eſſentiæ, diſtinctionem verò inter perſonas, ex proceſſione vnius perſonæ ab altera, & loquitur de diſtinctione reali. Nam probat Spiritum ſanctum nec eſſe Patrem, nec Filium, ideſt, nec eſſe perſonam realiter idētificatam cum Patre, nequè identificatam cum Filio, ex eo quia à Patre, Filioquè procedit. Vnde paucis interiectis ſic ſubditur ibidem; *Hanc Trinitatem perſonis diſtinctam, ſubſtantia vnitam, virtute, & poteſtate, & maieſtate inuiſibilem, indifferentem*.

39 Probatur ſecundò authoritatibus Sāctorum Patrum, Doctorumquè fide dignorum. Nam Sanctus Anſelmus in Epiſt. de proceſſ. Spiritus ſancti contra Græcos cap. 1. docet. *Spiritum ſanctum eſſe Deum de Deo*; & cap. 2. ſemper docet S Anſel. conſeruandam eſſe vnitatem, quando non prohibet oppoſitio; & cap. 3. cuius verba quære infra num. 46.

40 Et D. Nyſſenus li. 1. cōtra Eunomiū de diſtinctione diuinarū perſonarū tractās ſic ait. Nyſſenus. *Spiritus Patri coniunctus ſecundùm quòd vterquè increatus, & rurſus ab eo diſtinguitur, eo quòd non eſt Pater, prout ille eſt; Filio verò, & ſecundùm quòd vterquè increatus eſt, & ſecundùm quòd vterquè ex primo principio ſuam ſubſiſtentiam habet, coniūctus, diſtinguitur ab eo ſua proprietate, quæ eſt, quòd nec vt genitus ex Patre productus eſt, & quòd per ipſum Filius ſit manifeſtus*.

41 Quæ verba exponens, ac diligenter ſcrutans Beſſarion Archiepiſcopus Nicæni orat. dogmatica de vnione Florentiæ habita ad Græcos cap. 6. ſic ait. Beſſario. *Patri itaquè coniunctus ſecundùm quòd vterquè increatus eſt, ac ſi diceret per abſoluta, & eſſentialia, quæ per nomen increati ſignificantur: rurſus ab eo diſtinguitur, eo quòd, non eſt Pater vt ille eſt; cum Filio verò, commune habēs, quòd vterquè increatus, & omnia eis abſoluta communia ſint; cum vna eademquè vtriuſquè eſſentia ſit. Item, quòd vterquè Deum & Patrem, ſui principium habet, tamen ab eo his duobus diſtinguitur. Primò, quòd non per generationem, vt Filius, ſed per proceſſionem videlicet, ex Patre ſit, ac ſi diceres, per diuerſum ſubſiſtentiæ modum; Secundò, quòd per ipſum Filium manifeſtatus ſit*.

42 Si dicatur cum quibuſdam, quòd ly, per, idem ſonat ac, cum.

43 Contra ſic arguit Beſſarion. *Mirum eſſet profectò, ſi ideo Spiritus diſtinguatur à Filio, quia cum eo manifeſtatur: Vnitur enim hoc modo, non diſtinguitur, & eo coniungitur, non diuiditur*. Ergo.

44 Confirmariquè poteſt, ex illo Symboli Nicæni. *Qui cum Patre, & Filio ſimul* Nicænum *adoratur, & conglorificatur*. Nam in Symbolo

bolo cum de iis quæ conueniunt Spiritui ſancto, pro vt à Patre Filioquè diſtinguitur, tractatur, non ponitur particula, *cum*, ſed, *ex*, dicendo, *Qui ex Patre Filioquè procedit*; cum verò eſt ſermo de iis quæ conueniunt ei, prout à Filio non diſtinguitur, ſed potiùs identificatur vtitur particula, *cum*, & ſic dicitur. *Qui cùm Patre, & Filio ſimul adoratur, & conglorificatur*. Ergo.

Nyſſenus. 45 Idem S. Gregorius Nyſſenus orat. ad Ablauium, quod ipſe Beſſarion hoc idē quoquè refert, & ſic ait. *Ille quidem eſt, immediatè à primo, Filius videlicet, à Patre: hic verò*, (id eſt Spiritus ſanctus) *per eum, qui immediatè à Patre eſt, hoc eſt, per Filium: & eò diſtinguitur Spiritus à Filio, quia per ipſum eſt*. Verba clara ſunt. Et ne quiſpiam poſſit dicere, quòd intelligenda ſunt rationaliter, ſeù illatiuè, & manifeſtatiuè, non autē cauſaliter; prætterquamquòd, per ly, *& eo, diſtinguitur*, manifeſtè probatur, quòd S. Nyſſenus loquitur in ſenſu cauſali, audiamus cum Beſſarion loco cit. eadem verba Nyſſeni accuratè exponens, dicat; ſic enim ait, *Quaſi diceret, quòd cum ambo à primo ſint, non ſufficienter diſtinguerentur, niſi alter per alterum eſſe. Vt manifeſtè per diſtinctionem hic ſignificet, & diſtinctionem, quæ ab æterno eſt, quæquè ſecundū cauſam, & cauſatum eſt, cum antea dixerit*, (nota) *cauſa, & cauſatio tantùm ab inuicem diuinas perſonas diſtingui*. Vbi nota ly, *tantùm*, quia eſt dictio excluſiua, quę de ſuo ſignificato formali habet vnum includere, & cætera excludere.

Beſſario.

Nazianz. 46 Et Sanctus Gregorius Nazianzenus, quærens, cur & Spiritus non nominetur Filius, & an ei aliquid deficiat, vt Filius ſit? ait, *non ei quicquàm deficere; diuinitati nanquè deficit nil. Manifeſtationis autem, vel relationis ad inuicem diuerſitas, diuerſa quoquè eis attribuit nomina*. Et non loquitur de diſtinctione quaſi formali, ſed de diſtinctione reali, quaſi diceret, quòd ſi Spiritus ſanctus non procederet à Filio, procederet tamen à Patre, Spiritus ſanctus eſſet Filius perſonaliter, id eſt, non eſſent duæ perſonæ. Vnde Beſſarion loco cit. verba Nazianzeni perpendens, ſic ait. *His verbis manifeſtationis verbum æternam proceſſionem ſignificare probans, pro vt etiam ex verbis Nyſſeni Gregorij apparuit, & eamdem Filij Spiritus ſancti ab inuicem diſtinctionem tradens, quam & Gregorius Nyſſenus, Quemadmodum enim ille*, inquit, *eò quòd nec vt vnigenitus ex Patre productus eſt, & quòd per Filium ſit manifeſtatus, Spiritum à Filio diſtinguit; ita & Nazianzenus, tùm manifeſtationis, tùm relationis* (nota) *ad inuicem diuerſitate diſtinctionem eorum ponit*. Et paucis interiectis ſic ait. *Relationem verò ad inuicem Filij, & Spiritus ſancti, neſcio an aliam quiſquam reperiat, præter eam, quæ ſecundùm cauſam, & cauſatum ſit*. Et poſt pauca ſic ait. *Hæc autem relationem ad inuicem cauſæ, & cauſati ſignificant; quā Nazianzenus Gregorius audacter aſſeuerat, & diuinarum perſonarum Filij, & Spiritus diſtinctiuam eſſe, & cauſam, vt diuerſa nomina habeant, & vnus Filius, alter Spiritus ſanctus dicatur*. Et poſt nonnulla, *in hac etiam*, inquit, *diuinarum perſonarum Trinitate, quæ ſibi in vnitate eſſentiæ conueniunt, quærendum eſt illud, quod* (nota) *eas diſtinguit. Et cum id non ſit eſſentia (in hac enim ſummè conueniunt) in diuinis autem præter eſſentiam, & relationes, atquè diuerſum proceſſiuum modū, quem Latini originem nominant, nil aliud intelligere ſit: relinquitur, vt vel origo, vel relatio, vel vtrumquè diuinas perſonas diſtinguat*. Et paucis interiectis ſic ait. *Ideo vtroquè quidem modo diſtinguuntur diuinæ perſonæ, priùs tamen, & principaliter ſecundū modum intelligendi, per relationes, per quas etiam conſtituuntur diuinæ perſonæ; conſequēter autem per diuerſum modum proceſſiuum, ſiuè per originem*. Et non poſt multa ſic ait. *Patet ergo quòd hæc relationum diuerſitas, relationis diſtinctio eſt, & relatiuè Filius ad Spiritum, & ad Filium ſpiritus refertur. Et cum Filius, pro vt Filius non referatur ad ſpiritum, (non enim dicitur Filius ſpiritus) reſtat, vt referatur ad ſpiritum tanquàm ſpirans, cum ſpiritus etiam refertur ad Filium, tanquàm ſpiritus. Ait enim ſpiritus ſpiranti, & paſſiua ſpiratio actiuæ ſpirationi correſpondet*. Nota contra Scotū relatum ſupra in commentario art. 2. nu. 10.

Beſſario.

47 Et Sanctus Anſelmus lib. de proceſſ. Spir. ſancti cap. 2. idem docet. Et cap. 3. ſic ait. *Sic ergo huius vnitatis, & huius relationis ſe contemperant conſequentiæ, vt nec pluralitas, quæ ſequitur relationem, tranſeat ad ea, in quibus prædicta ſimplicitas ſonat vnitatis; nec vnitas cohibeat pluralitatē, vbi eadem relatio ſignificatur, quatenùs nequè vnitas amittat aliquando ſuam conſequentiā, vbi non obuiat aliqua relationis oppoſitio; nec relatio perdat quod ſuum eſt, niſi vbi obſiſtit vnitas inſeparabilis*. Ergo ſicut per D. Anſelmum datur vnitas in diuinis, quò ad abſoluta, quæ ad inuicem oppoſitione carent, ita propter oppoſitionem relatiuam datur pluralitas. Et ibidem circa principium, ſic ait. *Supradicta relationis oppoſitio, quæ ex eo naſcitur, quia Deus de Deo eſt, prohibet Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum de inuicem dici, & propria ſingulorū alijs attribui*. S. Anſel.

48 Itaquè ſententia D. Thomæ eſt communis inter Sanctos Patres, tàm Græcos, quàm Latinos. Vnde cum Ioannes Latinus, & Beſſarion nuper citati, dixe- Io. Latin. Beſſario

Digitized by Google

dixerunt, quòd omnes tàm Græci, quã Latini tenent, quòd Spiritus ſanctus ex eo ſolùm à Filio diſtinguitur, quia eſt à Filio, debet intelligi de Sanctis Doctoribus tàm Græcis, quàm Latinis, quorũ authoritas tàm à Latinis, quàm à Græcis venerabatur. Quamobrem, etiamſi aliqui Doctores Latini tunc temporis ſuſtinerent, quod ſi Spiritus ſanctus nõ procederet à Filio, adhùc diſtingueretur ab illo, non eſt facta mentio de horum virorum opinione. Sufficit igitur nobis, quòd omnes Sancti Patres, tàm Græci, quàm Latini aſſerunt, quòd diſtinctio in diuinis, aliundè non eſt, niſi ex relatiua oppoſitione; Vnde inaduertenter Magiſter Marcus Ferro ſuper hunc articulum §. *Notandum tamen*, dixit, quòd Ioannes Latinus, ideo ſic locutus eſt, quia *hoc dixit ante Scotum, ideo*, inquiens, *à Doctoribus Latinis Scotum nõ excepit* Scotus enim pluſquàm centum annos fuit ante Concilium Florentinum, quandoquidem, anno 1439. fuit expletum, & Scotus floruit 1300.

Ferro. Io. Latin. Scotus.

49 Probatur tertiò ratione D. Thomæ ex viſceribus doctrinæ Patrum prompta, & ſic proponitur. Si Spiritus ſanctus non procederet à Filio, non haberet, vnde realiter diſtingueretur ab illo. Ergo ſi non procederet à Filio, non diſtingueretur ab illo. Patet conſequentia; probatur antecedens; Diſtinctiuum realiter inter perſonas diuinas eſt oppoſitio relatiua originis vnius perſonæ ab alia. Ergo ſi à Spiritu ſancto amoueretur proceſſio à Filio, amoueretur quoquè realiter diſtinctiuum Spiritus ſancti à Filio. Probatur antecedens ex illo communi Sanctorum axiomate, ſcilicet, *in diuinis omnia ſunt vnum, vbi non obuiat relationis oppoſitio*, quod etiam communiter Theologi amplectuntur. Ergo ſi à Spiritu ſancto amoueretur proceſſio à Filio, amoueretur realiter diſtinctiuum Spiritus ſancti à Filio.

50 Si dicant aduerſarij pro Scotica doctrina, realiter diſtinctiuum primarium, ac veluti intrinſecum vnius perſonæ ab altera, ſunt ipſæ proprietates relatiuæ, nimirùm, paternitas, filiatio, & ſpiratio paſſiua, ſeù proceſſio. Oppoſitam verò correlationem, eſſe quidem ſufficientẽ ad realiter diſtinguendum eas, quando non præſupponuntur diſtinctæ; Cum verò realiter præintelliguntur diſtinctæ, oppoſitio correlatiua, adhùc confert ad realem perſonarum diſtinctionem, non quidem primariò, ſed ſecundariò, & veluti manifeſtatiuè; quia ſcilicet, non parùm realis apparet diſtinctio perſonarum ex oppoſita inter eas correlatione.

51 Et hoc coincidit cum alio reſpondendi modo, ſub alia ſcilicet, formatione verborum, cum dicitur à Doctoribus contrariæ ſententiæ, quòd perſonæ diuinæ diſtinguuntur per relationes tanquã per principia primò diſtinctiua, non tamen per correlationes, ſeù per relationes diſparatas, non verò per relationes ad inuicem correlatas, niſi dicant perſonas eſſe aliquid abſolutum, quod iam impugnauimus.

52 Contra; Quia paternitas, & ſpiratio actiua; & ſimiliter, ſpiratio actiua, & filiatio, ſunt relationes ad inuicem diſparatæ, & nihilominùs realiter ad inuicem non diſtinguuntur. Ergo non ſufficit ad realem diſtinctionem inter vnam perſonam, & alteram, ſola ratio relationis diſparatæ. Conſequentia patet; quia ſi ſufficeret ratio relationis diſparatæ, vbicũquè poneretur huius ordinis ratio poneretur quoquè id, quod ex ea ſequitur; ac proinde, tenerentur aduerſarij dicere, quod paternitas, & ſpiratio actiua, ſunt realiter diſtinctæ. Et ſimiliter, ſpiratio actiua, & filiatio. Minor, ſeù ſecunda antecedentis pars patet ex ſupradictis. & ipſimet aduerſarij, quamuis dicant ex natura rei paternitatem, ſpirationemquè diſtingui, non tamen dicunt diſtingui realiter, ſicuti diſtinguitur res à re. Ergo.

53 Reſpondent aduerſarij primò; diſparem eſſe rationem inter ſpirationem actiuam, & paternitatẽ: filiationem, & ſpirationẽ actiuã ex vna parte, & filiationẽ, ac ſpirationem paſſiuam, ſeù perſonam Filij, & perſonam Spiritus ſancti ex altera. Eò quia, ſpiratio actiua nec eſt conſtitutiua perſonæ Patris, nec perſonæ Filij, ſed ſe habet veluti conſequens perſonã Patris, ac perſonam Filij: at verò, filiatio eſt conſtitutiua perſonæ Filij, & proceſſio, ſeù ſpiratio paſſiua eſt conſtitutiua perſonæ ſpiritus ſancti, & propterea poſita filiatione ponitur perſona Filij, & poſita ſpiratione paſſiua, ponitur perſona Spiritus ſancti. Ideoquè, etiamſi in perſona Filij non poneretur ſpiratio actiua Spiritus ſancti, daretur diſtinctio realis inter Filium, & Spiritum ſanctum.

54 Contra hanc reſponſionem militat argumentum; quia ſi ſpiratio actiua eſſet conſtitutiua perſonę, non poſſet aſſignari realis diſtinctio inter perſonam Patris conſtitutam per paternitatem, & perſonam ſpirantem, quia non poſſet aſſignari ratio, quare vna, & eadem perſona non poſſet eſſe ſimul genita, & ſpirata, ſicut non poteſt aſſignari ratio, quare generans, & ſpirans non eſſent duæ perſonæ realiter diſtinctæ. Ergo.

Re-

Digitized by Google

55 Reſpondent ſecundò, quòd ratio diſparitatis iam eſſet in promptu, eò quia, minor diſtinctio requiritur in principijs, quam in principiatis. Videmus enim, quòd ab vna cauſa plures procedunt effectus; & ab vno principio ſyllogiſtico, multæ deducuntur concluſiones.

56 Contra; quia licèt hoc currat in rebus eſſentialiter differentibus, propter ipſarum limitationem, non tamen poteſt in diuinis aliquo modo ſine oppoſitione correlatiua ſaluari; & ſic argumentor;

57 In diuinis propter infinitatem diuinæ eſſentiæ omnia identificantur cum diuina eſſentia, & ad inuicem. Ergo ſi vna perſona producta, puta, Spiritus ſanctus, non opponeretur correlatiuè alteri perſonę, puta Filio, haberet vnde eſſet vtraquè realiter vna, non verò haberet vnde vtraquè eſſet realiter plures. Patet conſequentia; quia infinitas diuinę eſſentiæ eſt bona, imò optima ratio identificandi eſſentiam cum omnibus prædicatis eius, & omnia eſſentiæ prædicata, ad inuicem: Ratio autem realis diſtinctionis vltra oppoſitionem correlatiuā, non apparet, niſi dicatur, quod vna perſona diſtingueretur ab altera propter limitationem, quæ non admittitur in diuinis.

58 Item. Eodem prorſus modo poſſet quiſpiàm dicere, quòd intellectus, & voluntas in Deo realiter diſtinguuntur; Hoc non poteſt dici. Ergo. Sequela probatur; quia non haberet perſona Spiritus ſancti V. G. ſi non procederet à perſona Filij, per quid realiter diſtinguatur, magis quàm intellectus à voluntate. Non enim magis repugnat vni, & eidem perſonæ realiter procedere, ſeù ſpirari, ſimulatquè generari ſecundùm diuerſam rationem, quàm repugnet intellectui eſſe realiter voluntatem. Vel dicat aduerſarius, cur voluntas Dei non diſtinguitur ab intellectu realiter, diſtingueretur autem Spiritus ſanctus realiter à Filio, ſi ab eo realiter non procederet? Et vrget argumentum; quia adæquata ratio intellectus eſt extra rationem adæquatam voluntatis, non minùs quàm adæquata ratio Filij eſt extra rationem adæquatam rationem procedentis, ſeù ſpirati. Ergo ſicut eadem diuina entitas eſt intellectus, & voluntas realiter in diuinis, ita quoquè erit realiter eadem diuina perſona genita, & ſpirata.

CAPVT QVINTVM.

Proponuntur argumenta in contrarium, & ſoluuntur.

59 SED contra iſtam determinationē obijciet aliquis primò authoritatibus Sanctorum: Nam D. Anſelmus, cuius doctrina in hac materia apud omnes debet eſſe non ſpernenda authoritas, vt patet ex ijs, quæ diſp. præced. nu. 4. 5. 6. & 7. diximus, in Epiſt. de proceſſione Spiritus ſancti cōtra Græcos §. *Credunt quidem*, ſic ait. *Filius autem, vt interim aliam cauſam dicam, quia nondùm conſtat, quòd Spiritus ſanctus de illo ſit, & procedat, ideo non eſt Spiritus ſanctus, nequè Spiritus ſanctus eſt Filius; quia Filius naſcendo habet eſſe de Patre; Spiritus ſanctus verò non naſcendo, ſed procedendo.* Et ibidem paucis interiectis ſic ait. *Alio modo intelligitur Filius eſſe de Patre, & aliter Spiritus ſanctus. Filius enim eſt de Patre ſuo, id eſt, de Deo, qui eſt Pater eius. Spiritus ſanctus verò non eſt de Deo Patre ſuo, ſed tantùm de Deo, qui eſt Pater*, & paucis interiectis ſic ait; *Hæc itaquè ſola cauſa pluralitatis eſt in Deo, vt Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus dici non poſſint de inuicem, ſed alij ſint ab inuicem; quia prædictis duobus modis eſt Deus de Deo, quod totum poteſt dici relatio. Nam quomodo Filius exiſtit de Deo naſcendo, & Spiritus ſanctus procedendo, ipſa diuerſitas naturalitatis, & proceſſionis, referuntur ad inuicem, vt diuerſi, & alij ab inuicem.* Et ibidem cap. 4. ſic ait. *Nam & ſi per aliud non eſſent plures Filius, & Spiritus ſanctus, per hoc ſolùm eſſent diuerſi.* Hæc ille. Per quæ verba, præſertim per vltima, manifeſtè detegitur, quòd Sanctus Anſelmus iam tenet, quòd ſi Spiritus ſanctus non procederet à Filio, adhùc deberet dici realiter ab illo diſtinctus. Idem quoquè ex D. Auguſtino lib. 5. de Trinit. cap. 14. pro oppoſita ſententia videtur colligi. Sic enim ibi ait de Spiritu ſancto loquens. *Exit, non quomodo natus, ſed quomodo datus; & ideo non dicitur Filius, quia nec natus eſt, ſicut vnigenitus.* Idem tribuitur eidem lib. de fide ad Petrum cap. 1. ſeù D. Fulgentio. Multi enim putant, opuſculum illud fuiſſe D. Fulgentij. Ibi enim hæc habētur verba. *Quia igitur aliud eſt genuiſſe, quàm natum eſſe; aliudquè eſt procedere, quā genuiſſe, vel natum eſſe; manifeſtum eſt, quia alius eſt Pater, alius Filius, alius Spiritus ſanctus.* Idem tribuitur Diuo Damaſceno lib. 1. de fide cap. 2. 10. & 11. Et D. Athanaſio dialog. 1. de S. Trinitate, Nazian-

S. Anſel.

D. Fulg.

D. Dam.

D. Anſel.

Digitized by Google

Nazianzeno oratione in ſancta lumina.

60 Reſpondetur, explicando authoritatem D. Anſelmi cum D. Thoma de potent. q. 10. art. 5. ad 2. quòd D. Anſelmus in præfatis verbis non locutus eſt ſecundùm propriam aſſertionem, ſed potiùs ſecundùm diſputatiuam ſuppoſitionem; & argumentabatur ad hominē contra Græcos, vt ex eo, quod concedebant, duceret eos ſimulatquè conuinceret ad confitendum quod negabant. Admittenbant enim Græci ſimul cum Latinis, quòd Spiritus ſanctus eſt perſona realiter diſtincta à Filio. Concedebant quoquè Græci cum Latinis, quòd Spiritus ſanctus eſt à Patre procedendo, & Filius eſt etiam à Patre, ſed naſcendo. Tunc arguit contra Græcos Anſelmus, vt inducat eos ad concedendum, quòd Spiritus ſanctus procedat à Filio; eò quià Spiritus ſanctus eſt diſtinctus a Filio ex eo ſolùm, quòd Spiritus ſanctus exit à Patre vt ſpiritus, Filius vt genitus: ſed hoc nō poteſt eſſe, niſi ſpiratio ſit etiam à Filio. Ergo Spiritus ſanctus procedit à Filio. Vnde quando D. Anſelmus dixit, quòd ſi per aliud non eſſent plures Filius, & Spiritus ſanctus per hoc ſolùm eſſent diuerſi, locutus eſt Græcis contra quos argumentabatur, & propoſuit hanc propoſitionem tanquàm ab ipſis omninò conceſſam; non tamen voluit excludere proceſſionem Spiritus ſancti à Filio aſſerendo, ſed ex propoſitione poſita, voluit potiùs deducere.

61 Vide D. Thomam loco cit. vbi reſpōdens ad prædicta D. Anſelmi verba, ſic ait: *Ad 2. dicendum, quòd id quod dicit Anſelmus, quòd Filius, & Spiritus ſanctus per hoc ſolùm ad inuicem diſtinguuntur, quòd diuerſo modo procedunt, eſt omninò verum. Sed ſicut oſtenſum eſt, diuerſo modo procedere non poſſent, niſi Spiritus ſanctus à Filio eſſet. Vnde remoto, quòd Spiritus ſanctus ſit à Filio, omnis diſtinctio Spiritus ſancti remouetur à Filio.* Et ſic immediatè de vera D. Anſelmi in præallegatis verbis intentione percipiēda ſubdit: *Eſt autem* inquit, *intentio Anſelmi lib. de proceſſ. Spirit. ſanct. priùs ponere ea, in quibus nos conuenimus cum negantibus Spiritum ſanctum à Filio eſſe, qui tamen Spiritum ſanctum à Filio dicunt diſtingui. Vnde verba prædicta Anſelmi inducta ſunt magis, vt diſputatiua ſuppoſitio, quàm veritatis diffinitio.* Itaquè D. Anſelmus in nullo quàtùm ad hoc, à Sanctis Patribus fuit aliquo modo diuerſus, ſed tantùm aliqua ſubtiliori ſpeculatione arguit Græcos ex conceſſis, vt dicebamus.

D. Thom.

62 Ad authoritates aliorum Sanctorum non oportet aliqua ſpeciali gloſa, vel reſponſione occurrere; eo quia, non aſſerunt, quòd ſi Spiritus ſanctus non procederet à Filio, diſtingueretur ab illo, ſed ſolummodò, quòd Spiritus ſanctus diſtinguitur à Filio, quia vnus eſt à Patre, vt natus, & alter ab eodem Patre, vt ſpiratus, quod nos vtiquè omninò cōcedimus. Verùm hoc, quod eſt eſſe ex Deo Patre natum, intrinſecè includit à Deo Patre recepiſſe hoc, quod eſt eſſe Spiratorem; ideoquè diſtinctio realis inter natum, & ſpiratum arguitur tanquā per locum à priori per proceſſionē ſpirati à generante, & nato. Itaquè omnes iſti Sancti Patres locuti ſunt de ratione natiuitatis, & proceſſionis, pro vt de facto ſunt, non pro vt impoſſibili hypotheſi ſubſunt.

63 Obijcies ſecundò. Si Spiritus ſanctus non procederet à Filio, Spiritus ſanctus eſſet ſpiratus, & Filius eſſet genitus. Ergo ſi Spiritus ſanctus non procederet à Filio, adhùc diſtingueretur à Filio. Antecedens ſupponitur; quia Spiritus ſanctus procederet à Patre per volūtatem, & Filius procederet ab eodem per intellectum. Ergo. Probatur conſequentia; quia ratio geniti, & ſpirati in diuinis, nō poſſunt vni, eidemquè perſonæ conuenire. Ergo. Probatur huius conſequentiæ antecedens; quia ſequeretur, quòd eadem perſona bis produceretur, ſemel ſcilicet, per intellectum, & iterum, per voluntatem. Procederet enim à Patre per intellectum; Ecce productio vna. Procederet quoquè per voluntatem; Ecce ſecunda.

64 Reſpondetur, tranſeundo antecedēs, & negando conſequentiam; Ad cuius probationem, diſtinguo antecedens. Ratio geniti, & ſpirati in diuinis, non poſſunt vni, eidemquè perſonæ conuenire, de facto, & ſecundùm merita geniti, & ſpirati, quæ Deo debent conuenire, concedo antecedens. Ex hypotheſi impoſſibili, nego antecedens. Ergo &c. nego conſequentiam. Ad cuius antecedentis probationem, nego ſequelam. Ex hypotheſi enim impoſſibili, ſcilicet ſi Spiritus ſanctus non procederet à Filio, & adhùc procederet à Patre vt volente, eſſet vna, eademquè perſona cum perſona Filij per intellectum, & voluntatem producta, tanquàm per duas rationes producendi inadæquatè conſideratas.

65 Obijcies tertiò. Si Spiritus ſanctus nō procederet à Patre, & procederet à ſolo Filio, diſtingueretur à Patre, à quo tamen non procederet. Ergo ſi non procederet à Filio, & ſolummodò procederet à Patre, diſtingueretur à Filio.

66 Reſpondetur, diſtinguendo, ſeù explicando antecedens. Si Spiritus ſanctus

non

non procederet à Patre immediatè, procederet tamen mediatè, diſtingueretur à Patre &c. concedo antecedens. Si Spiritus ſanctus non procederet à Patre, neque immediatè, neque mediatè, non diſtingueretur à Patre &c. nego antecedens. Ergo &c. nego conſequentiam. Et ratio negationis eſt; quia ſi Spiritus ſanctus non procederet à Filio immediatè, neque etiam procederet ab eo mediatè: at verò ſi non procederet immediatè à Deo, benè tamen immediatè à Filio, neceſſariò deberet à Patre mediatè prodire; Cuius ratio eſt; quia Filius accipit virtutem ſpiratiuam à Patre; quidquid enim habet Filius, habet à Patre; Pater autem nihil habet à Filio, neque per Filium.

67 Obijcies quartò. Perſona Filij conſtituitur per filiationem. Ergo per eamdē filiationem diſtinguitur à perſona Spiritus ſancti. Antecedens conceditur à nobis. Probatur autem conſequentia; quia in omnibus idem eſt principium conſtitutiuum, & diſtinctiuum. Ergo ſi perſona Filij conſtituitur per filiationē, per eamdem filiationem debet eſſe diſtincta ab omni alia perſona.

68 Propter hoc argumentum Doctores noſtram ſententiam defendentes, in varios dicendi modos ſunt diuiſi. Verùm ni fallor, non eſt tantæ difficultatis, vt pro eius ſolutione nimis immoremur. Vnde in forma, & breuiter,

69 Reſpondetur, diſtinguendo, ſeù potiùs explicando antecedens. Perſona Filij conſtituitur per filiationem ſpirantem, concedo antecedens. Perſona Filij conſtituitur per filiationem non ſpirantem, nego antecedens. Ergo &c. Similiter diſtinguendum eſt conſequens. Ad cuius probationem concedo antecedens. Et ſimiliter diſtinguo conſequens.

70 Explicatur iſta reſponſio. Quando dicimus, quòd filiatio eſt conſtitutiua perſonæ Filij, accipimus filiationem ſecundùm quòd eſt veluti forma hypoſtatica ſecundùm inadæquatum perſonæ Filij conceptum. Loquimur enim de perſona in ratione incommunicabiliter ſubſiſtentis. Non autem dicimus, quòd filiatio pro vt eſt dicens ad, ſit ſpirans, ſeù ſpiratiua; quoniam filiatio, vt filiatio, hoc modo accepta, eſt tantummodò ordo Filij ad Patrem. Dicimus igitur, quòd filiatio vt eſt forma hypoſtatica eſt etiam ſpirans Spiritum ſanctum.

71 Dices, Filiatio, vt filiatio, reſpicit tantummodò Patrem, ſeù paternitatem. Ergo non rectè dicitur, quòd filiatio eſt ſpirans.

72 Reſpondetur, quòd filiatio in ratione formæ hypoſtaticæ habet vtrumquè, quod ſcilicet, dicat ordinem ad Patrem, & ad Spiritum ſanctum. Si conſideretur veluti paſſiuè, ſic reſpicit Patrem & eſt perſona genita. Si conſideretur veluti actiuè, reſpicit Spiritum ſanctum, & eſt perſona ſpirans.

73 Sed aduerte, quòd non ex æquo dicit vtrumquè. Dicit enim, ſeù habet ſecundum propter primum, & non è contra. Ideo enim perſona Filij eſt ſpirans, quia eſt perſona genita, ac proinde, ſibi communicatur à Patre totum, quod conuenit Patri, præter hoc; quod eſt eſſe Patrem.

74 Dices, In illo priori, in quo intelligitur perſona Filij vt relata ad Patrem, intelligitur perſona diſtincta à perſona Spiritus ſancti. Ergo perſona Filij eſt diſtincta realiter à perſona Spiritus ſancti, antequam intelligatur ſpirans Spiritum ſanctum.

75 Inſtantia hæc friuola eſt, & ſemetipſam deſtruit. Nam in illo ſigno in quo intelligitur Filius, vt genitus, ſi priùs eſt genitus, quàm ſpirans ergo in illo ſigno neque etiam intelligitur eſſe Spiritus ſanctus. Probatur hoc; quia ſpiratum non poteſt eſſe, neque conſiderari ante ſpirantem, & ſpirationem. Ergo ſi nondùm intelligitur Filius ſpirans Spiritum ſanctum, neque etiam in illo ſigno intelligitur Spiritus ſanctus; ac proinde non poteſt cum fundamento dici, quòd in illo ſigno Filius eſſet realiter diſtinctus à perſona Spiritus ſancti.

76 Reſpondetur igitur, negandò ſuppoſitum, loquendo de prioritate reali in quo; Si verò ſermò ſit de prioritate præciſionis, nego antecedens. Conſiderans enim Filium, vt relatum ad Patrem, & vt genitum dumtaxat, nondùm concipit ipſum vt ſpirantem, non quòd non ſit à Spiritu ſancto diſtinctus, ſed quia, nondùm vt perſona diſtincta concipitur. Reliqua argumenta ex dictis, & ex dicendis infra, remanent reſoluta.

ARTICVLVS

Digitized by Google

FORMATIO ARTICVLI.

TRipartita eſt principalis corporis diſtributio; Primò enim explicat ſignificatū illius particulæ, ſeù præpoſitionis, *per*; Secundò, eamdem diuidit; & Tertiò, reſpondet vnica concluſione affirmatiua quæſito, eamquè probat.

Quò ad primum, ſic ait. *In omnibus locutionibus, in quibus dicitur aliquis, per aliquē operari, hæc præpoſitio, per, deſignat in cauſali aliquam cauſam, ſeù principium illius actus.*

Quò ad ſecundū, duo facit; Primò, ponit diſtinctionem, ſeù diſtribuit ipſam particulam, ſeù præpoſitionem, *per*, in duas partes principales; & rationē diſtinctionis aſſignat. Secundò, eamdem diſtinctionem per aliam aliorum explicat, vt coincidentem cum illa. Quò ad horum primum, duo etiam facit, primò, ponit diſtinctionem; Secundò, eam exemplificat, & explanat. Quò ad horum primum, ſic ait; *Quandoquè illud cauſale, cui adiungitur hæc præpoſitio, per, eſt cauſa actionis, ſecundùm quòd exit ab agente. Quandoquè verò &c.* Ratio huius diſtinctionis eſt iſta; quia *actio eſt media inter faciens, & factum,*

ARTICVLVS TERTIVS.

Vtrum Spiritus ſanctus procedat à Patre per Filium.

AD tertium ſic proceditur, videtur quod Spiritus ſanctus non procedat à Patre per Filium: Quod enim procedit ab aliquo per aliquem, nō procedit ab eo immediatè. Si igitur Spiritus ſanctus procedit à Patre per Filium, non procedit à Patre immediatè, quod videtur inconueniens.

2 Præterea. Si Spiritus ſanctus procedit à Patre per Filium, non procedit à Filio, niſi propter Patrem; ſed propter quod vnumquodque, & illud magis: ergo magis procedit à Patre, quam à Filio.

3 Præterea. Filius habet eſſe per generationē. Si igitur Spiritus ſanctus eſt à Patre per Filium, ſequitur, quod prius generetur Filius, & poſtea procedat Spiritus ſanctus, & ſic proceſſio Spiritus ſancti non eſt æterna, quod eſt hæreticum.

4 Præterea. Cum aliquis dicitur per aliquē operari, poteſt è conuerſo dici: ſicut enim dicimus, quod Rex operatur per Balliuum, ita poteſt dici, quod Balliuus operatur per Regem; ſed nullo modo dicimus, quod Filius ſpiret Spiritum ſanctum per Patrem: ergo nullo modo poteſt dici, quod Pater ſpiret Spiritum ſanctum per Filium.

Sed contra eſt, quod Hilar. dicit in lib. de Trinitate: Conſerua hanc, oro, fidei meæ religionem, vt ſemper obtineam Patrem, ſcilicet te, & Filium tuum, vna tecum adorem, & Spiritum ſanctum tuum, qui eſt per vnigenitum tuum, promerear.

Reſpondeo dicendum, quod in omnibus locutionibus, in quibus dicitur aliquis per aliquem operari, hac præpoſitio, per, deſignat in cauſali aliquam cauſam, ſeu principium illius actus; ſed cum actio ſit media inter faciens, & factum, quandoque illud cauſale, cui adiungitur hæc præpoſitio, per, eſt cauſa actionis, ſecundum quod exit ab agente, & tunc eſt cauſa agenti, quod agat, ſiuè ſit cauſa finalis, ſiuè formalis, ſiuè effectiua, ſiuè motiua. Finalis quidem, vt ſi dicamus, quod artifex operatur per cupiditatem lucri: formalis verò, vt ſi dicamus, quod operatur per imperium alterius; quandoque verò dictio cauſalis, cui adiungitur hæc præpoſitio, per, eſt cauſa actionis, ſecundum quod determinatur ad factum, vt cum dicimus, artifex operatur per martellum: non enim ſignificatur, quod martellus ſit cauſa artifici, quod agat, ſed quod ſit cauſa artificiato, vt ab artifice procedat, & hoc ipſum habeat ab artifice; & hoc eſt quod quidam dicunt, quod hæc præpoſitio, per, quandoque notat authoritatem in recto, vt cum dicitur, Rex operatur per Balliuum. Quandoque autem in obliquo, vt cum dicitur: Balliuus operatur per Regem;

Ergo *quandoquè illud cauſale &c.* Quò ad horum ſecūdum explanatio primi membri eſt iſta; *& tunc eſt cauſa agenti quòd agat, ſiuè ſit cauſa finalis, ſiuè formalis, ſiuè effectiua, ſiuè motiua.* Exemplificatio eiuſdem primi membri eſt iſta. *Finalis quidem, vt ſi dicamus &c.* Lege litteram vſquè ad illa verba, *per imperium alterius*, excluſiuè. Explanatio ſecundi membri, ſcilicet, *quādoquè verò dictio cauſalis, cui adiungitur hæc præpoſitio, per, eſt cauſa actionis, ſecundùm quòd determinatur ad factū*, eſt iſta, ſcilicet, *vt cum dicimus &c.* Quò ad alia duo ſequētia, ſic ait; *Et hoc eſt, quod quidam dicunt &c.* Lege litteram, vſque ad illam particulam, Regem, incluſiuè.

Quò ad tertiū principale, concluſio eſt iſta: *Poteſt dici, quòd Spiritus ſanctus procedit à Patre per Filium.* Probatio eſt iſta: *Poteſt dici, quòd Pater per Filium, ſpirat Spiritum ſanctum.* Ergo *poteſt dici, quòd Spiritus ſanctus procedit à Patre per Filium, quod idem eſt.* Probat antecedens, quia *Filius habet à Patre, quòd ab eo procedat Spiritus ſanctus.* Ergo *poteſt dici, quòd Pater per Filium ſpirat Spiritum ſanctum.*

Ad primum argu-

mentum reſpondet, & reſponſio ſic proponitur, diſtinguendo, ſeù potiùs explicãdo antecedens. *Quod procedit ab aliquo per aliquem, non procedit ab eo immediatè*, ſecundùm quòd procedit per aliquẽ, concedit antecedẽs. Secundùm quòd nõ procedit per aliquẽ, negat antecedens. Et ſimiliter, diſtinguendum eſt conſequens cum minori ſubſumpta. Lege doctrinam in littera contentam.

Ad ſecundum argumentum reſpondet, diſtinguendo ſequelam, *Si Spiritus ſanctus procedit à Patre per Filium, non procedit à Filio, niſi propter Patrem*, communicantem eamdem numerò virtutem ſpiratiuam Filio, concedit maiorem. *Propter Patrem*, communicãtem Filio diſtinctam virtutem ſpiratiuam, negat maiorem. Similiter, explicanda eſt minor, & neganda eſt conſequentia.

Ad tertium argumentum reſpondet, explicando antecedens. *Filius habet eſſe per generationem* æternam, & coæternam proceſſioni Spiritus ſancti, concedit antecedens. *Per generationem*, non æternam, aut non coæternam proceſſioni Spiritus ſancti, negat antecedens. *Si igitur &c.* concedit ſuppoſitum conſequentis modo iam explicato, & negat conſequẽtiam; quia *ſicut generatio Filij eſt coæterna generanti &c.* Lege litteram.

Ad quartum argumentum reſpondet, negando maiorem vniuerſaliter. Lege litteram.

Regem; quia igitur Filius habet à Patre, quod ab eo procedat Spiritus ſanctus, poteſt dici, quod Pater per Filium ſpirat Spiritum ſanctum, vel quod Spiritus ſanctus procedat à Patre per Filiũ, quod idem eſt.

Ad primum ergo dicendum, quod in qualibet actione eſt duo conſiderare, ſcilicet ſuppoſitum agens, & virtutem qua agit, ſicut ignis calefacit calore. Si igitur in Patre, & Filio conſideretur virtus, qua ſpirant Spiritum ſanctum, non cadit ibi aliquod medium, quia hæc virtus eſt vna, & eadem; ſi autem conſiderentur ipſæ perſonæ ſpirantes, ſic cum Spiritus ſanctus communiter procedat à Patre, & Filio, inuenitur Spiritus ſanctus immediatè à Patre procedere, inquantum eſt ab eo, & mediatè inquantùm eſt à Filio; & ſic dicitur procedere à Patre per Filium. Sicut etiam Abel proceſſit immediatè ab Adam, inquantum Adam fuit Pater eius, & mediatè, inquantum Eua fuit Mater eius, quæ proceſſit ab Adam licèt hoc exemplum materialis proceſſionis ineptum videatur ad ſignificandam immaterialem proceſſionem diuinarum perſonarum.

Ad ſecundum dicendum, quod ſi Filius acciperet à Patre aliam virtutem numero ad ſpirandum Spiritum ſanctum, ſequeretur quod eſſet ſicut cauſa ſecunda, & inſtrumentalis, & ſic magis procederet à Patre, quam à Filio; ſed vna, & eadem numero virtus ſpiratiua eſt in Patre, & Filio, & ideò æqualiter procedit ab vtroque: licèt aliquando dicatur principaliter, vel propriè procedere de Patre propter hoc, quod Filius habet hanc virtutem à Patre.

Ad tertium dicendum, quod ſicut generatio Filij eſt coæterna generanti; (vnde non prius fuit Pater, quam gigneret Filium,) ita proceſſio Spiritus ſancti eſt coæterna ſuo principio: vnde non fuit prius Filius genitus, quam Spiritus ſanctus procederet; ſed vtrumque æternum eſt.

Ad quartum dicendum, quod cum aliquis dicitur per aliquid operari, non ſemper recipitur cõuerſio: non enim dicimus, quod martellus operetur per fabrum: dicimus autem, quod Balliuus operatur per Regem, quia Balliui eſt agere, cum ſit Dominus ſui actus: martelli autem non eſt agere, ſed ſolum agi: vnde non deſignatur niſi vt inſtrumentum: dicitur autem Balliuus operari per Regem, quamuis hæc præpoſitio, per, denotet medium, quia quanto ſuppoſitum eſt prius in agendo, tanto virtus eius eſt immediatior effectui, quia virtus cauſæ primæ coniungit cauſam ſecundam ſuo effectui: vnde & prima principia dicuntur immediata in demonſtratiuis ſcientijs. Sic igitur inquantum Balliuus eſt medius ſecundum ordinẽ ſuppoſitorum agentium, dicitur Rex operari per Balliuum, ſecundum ordinem verò virtutum, dicitur Balliuus operari per Regem, quia virtus Regis facit, quod actio Balliui conſequatur effectum. Ordo autem non attenditur inter Patrem, & Filium, quantum ad virtutem, ſed ſolum quantum ad ſuppoſita; & ideò dicitur, quod Pater ſpirat per Filium, & non è conuerſo.

SVPER ARTICVLVM. COMMENTARIVM.

1 HÆC *præpoſitio, per, deſignat in cauſali*, id eſt, in eo, ſuper quod cadit, ſeù in eo, quod ratione ipſius, *per*, in caſu Accuſatiuo ponitur. *Aliquam cauſam, ſeù principium alius actus*, id eſt, deſignat illud, ſuper quod cadit, eſſe illius actus cauſam, vel principium.

2 *Quandoque illud cauſale*, id eſt illud quod vocatur cauſa ſignificata, ratione illius particulæ, *per*.

Et

3 *Et tunc eſt cauſa agenti quòd agat*, id què in triplici genere cauſæ manifeſtat. Vbi aduerte, quòd Pater Marcus Antonius Palumbus Ieſuita, in explicatione articuli præſentis, explicare volens ly, *Eſt cauſa actionis, ſecundum quòd exit ab agente, & tunc eſt cauſa agenti quòd agat*, ſic & benè ait; *Secundùm quòd exit ab agente, ſcilicet, quòd ſit cauſa agenti, quòd agat* (nota) *vt ſi dicamus, cauſa ſecunda agit per concurſum Dei, quia ſcilicet, Dei concurſus facit, quòd actio exeat à cauſa ſecunda*. Ex quibus verbis collige cõtra Ieſuitas negantes phyſicam prædeterminationem, & ſolùm ſimultaneum concurſum Dei cum cauſa ſecunda concedentes; Nam ſi concurſus Dei eſt cauſa cauſæ ſecundæ vt agat, debet eſſe concurſus præcedẽs actionem cauſæ ſecundæ in aliquo ſigno naturæ, & cauſalitatis. Nam ſi concurſus Dei eſt cauſa, vt cauſa ſecunda agat; ergo eſt prior actione cauſæ ſecundæ. Patet iſta conſequentia; nàm cauſa eſt prior eo, cuius eſt cauſa. Ergo concurſus Dei, quo Deus facit vt cauſa ſecunda agat, eſt cõcurſus prior concurſu cauſæ ſecundæ, non tantummodo ſimultaneus.

Palumb.

4 In reſp. ad primum. *Sic cum Spiritus ſanctus communiter procedat à Patre, & Filio, inuenitur Spiritus ſanctus immediatè à Patre procedere, in quantum eſt ab eo, & mediatè, in quantum eſt à Filio*. Per hæc verba explicat adæquatè quæſiti ſolutionem. Aſſerit enim, quòd Spiritus ſanctus procedit à Patre immediatè, & mediatè, diuerſa tamen ratione. Immediatè quidem procedit à Patre, ratione virtutis ſpiratiuæ, & etiam ratione perſonæ ſpirantis. Immediatè quoque procedit à Filio, ratione virtutis ſpiratiuæ, cum ſit vna eademquè virtus ſpiratiua in Patre, & in Filio; immediatè quoquè, ratione perſonæ Filij ſpirantis; quia Filius ratione virtutis ſpiratiuæ in eodem ſigno, nedùm originis, verumetiam rationis, ſpirat Spiritumſanctum, quo Pater ipſe ſpirat: mediatè verò Pater dicitur producere, ſeù ſpirare perſonam Spiritus ſancti, per Filium per hoc, quòd Filius, per quem producitur Spiritus ſanctus eſt à Patre, ac proinde, dùm Filius producit Spiritum ſanctum, Pater ipſe dicitur Spiritum ſanctum producere per Filium.

5 In reſp. ad ſecundum. *Si Filius acciperet à Patre aliam virtutem numero ad ſpirandum Spiritum ſanctum, ſequeretur quòd eſſet ſicut cauſa ſecunda, & inſtrumentalis*. Cum dicit, *aliam virtutem numero*, intellige, ſeù ſubaudi, *aliam virtutem*, non æqualem, ſed dependentem, & inferiorem; & per ly, *numero*, noli intelligere, ſolam diſtinctionem numericam, quæ eſt, ſeù reperitur inter duo indiuidua eiuſdem ſpeciei atho mæ, ſed per ly, *numero*, intellige realem diſtinctionem inter virtutem ſpiratiuã, quæ eſſet in perſona Patris, & virtutem ſpiratiuam, quæ eſſet in perſona Filij; & ratio huius explicationis ex ſequentibus verbis D.Thomæ colligitur; quia ſcilicet, *Si Filius acciperet à Patre aliam virtutem numero, ſequeretur*, inquit, *quòd eſſet ſicut cauſa ſecunda, & inſtrumentalis*. Si autem eſſet in vtraq; perſona æqualis virtus ſpiratiua, non ſequeretur hoc. Nam ſi duo trahentes nauim eſſent Pater, & Filius, eo ipſo, quòd ambobus æqualis virtus tractiua conueniret, Filius non diceretur cauſa ſecunda illius motus, neque Pater, prima. Similiter, duo equi trahentes currum, ſi vnus eſſet Pater, & alter filius eius; oportet ergo vt virtus ſpiratiua Filij ſit inferioris conditionis, quàm virtus ſpiratiua Patris. Vnde virtus creaturæ, qua cauſa ſecunda dicitur, & virtus Creatoris, qua Deus cauſa prima nuncupatur, differunt, ſicut virtus finita, & infinita.

6 *Et ſic magis procederet à Patre, quàm à Filio. Magis*, ideſt, ſecundùm altiorem rationem, ſicut effectus cauſæ ſecundæ procedens à cauſa prima, & ſecunda, magis, ideſt, ſecundùm altiorem, & vniuerſaliorem rationem procedit à cauſa prima, quàm à ſecunda.

7 *Et ideo æqualiter procedit ab vtroquè; æqualiter*, ideſt, ſecundùm vnam, eamdemquè virtutem ſpiratiuam.

Licèt aliquando dicatur principaliter, vel propriè procedere de Patre. Ly, *principaliter*, non accipitur, vt quid correlatiuum, ſeù vt relatiuè oppoſitum ei, quod dicitur minùs principaliter; quoniam falſùm eſſet dicere, quòd Spiritus ſanctus procedit à Patre principaliter, ſicut falſum eſt dicere, quòd Spiritus ſanctus procedit à Filio minùs principaliter, aut inſtrumentaliter. Vnde falſum eſt dicere, abſolutè loquendo, & ſine præcedenti explicatione poſita, qua quieſcat animus audientis, quòd Spiritus ſanctus procedit à Patre principaliùs. Si quandoquè dicitur Spiritus ſanctus *principaliter* à Patre procedere, explica ly, *principaliter*, impropriè, & abuſiuè.

8 In reſp. ad quartum. *Quantò ſuppoſitum eſt prius in agendo, tantò virtus eius eſt immediatior effectui. Immediatior*, non quia cauſa ſecunda producens effectum non attingat ipſum in agẽdo immediatè; quoniam vtraquè cauſa prima, & ſecunda reſpectu effectus producti immediatè ipſum attingit. Dicitur igitur immediatior, quia non ſolùm præbet cauſæ ſecundæ

Digitized by Google

cundæ virtutem vt agat. ſimulatquè cum cauſa ſecunda agit, ſed etiam quia cauſam ſecundam cõiungit ſuo effectui, ideſt, eſt cauſa vt cauſa ſecunda agat; & hoc D. Thomas per verba ſequentia declarat, præbens præcedentis propoſitionis cauſam, ſic dicens; *quia virtus cauſæ primæ coniungit cauſam ſecundam ſuo effectui.*

ARTICVLVS QVARTVS.

Vtrum Pater, & Filius ſint vnum principium Spiritus ſancti.

AD quartum ſic proceditur, videtur quod Pater, & Filius non ſint vnum principium Spiritus ſancti. Quia Spiritus ſanctus non videtur à Patre, & Filio procedere inquantum ſunt vnum, neque in natura, quia Spiritus ſanctus ſic etiam procederet à ſeipſo, qui eſt vnum cum eis in natura. Neque etiam inquantum ſunt vnum in aliqua proprietate, quia vna proprietas nõ poteſt eſſe duorum ſuppoſitorũ, vt videtur: ergo Spiritus ſanctus procedit à Patre, & Filio, vt ſunt plures: non ergo Pater, & Filius ſunt vnum principium Spiritus ſancti.

2 *Præterea. Cum dicitur Pater, & Filius ſunt vnum principium Spiritus ſancti, non poteſt ibi deſignari vnitas perſonalis, quia ſic Pater, & Filius eſſent vna perſona. Neque etiam vnitas proprietatis; quia ſi propter vnam proprietatem Pater, & Filius ſunt vnum principium Spiritus ſancti, pari ratione, propter duas proprietates Pater videtur eſſe duo principia Filij, & Spiritus ſancti, quod eſt inconueniens: non ergo Pater, & Filius ſunt vnum principium Spiritus ſancti.*

3 *Præterea. Filius non magis conuenit cum Patre, quam Spiritus ſanctus: ſed Spiritus ſanctus, & Pater non ſunt vnum principium reſpectu alicuius diuinæ perſonæ: ergo neque Pater, & Filius.*

4 *Præterea. Si Pater, & Filius ſunt vnum principium Spiritus ſancti, aut vnum, quod eſt Pater, aut vnum, quod non eſt Pater: ſed neutrum eſt dare; quia ſi vnum, quod eſt Pater, ſequitur quod Filius ſit Pater. Si unũ, ꝗ nõ eſt Pater, ſequitur, quod Pater nõ eſt Pater; non ergo dicendũ eſt, quod Pater, & Filius ſint vnum principium Spiritus ſancti.*

5 *Præterea. Si Pater, & Filius ſunt vnum principium Spiritus ſancti, videtur è conuerſo dicendum, quod vnum principium Spiritus ſancti ſit Pater, & Filius; ſed hæc videtur eſſe falſa. Quia hoc, quod dico principium, oportet quod ſupponat, vel pro perſona Patris, vel pro perſona Filij, & vtroque modo eſt falſa: ergo etiam hæc eſt falſa, Pater & Filius ſunt vnum principium Spiritus ſancti.*

6 *Præterea. Vnum in ſubſtantia facit idem, ſi igitur Pater, & Filius ſunt vnum principium Spiritus ſancti, ſequitur, quod ſint idem principiũ; ſed hoc à multis negatur: ergo non eſt concedendum, quod Pater, & Filius ſint vnum principiũ Spi-*

FORMATIO ARTICVLI.

BIpartita eſt principalis corporis diſtributio. Primo, abſolutè reſpondet quæſito vnica concluſione affirmatiua, eamquè probat. Secũdò, modaliter eidem quæſito reſpondet.

Quò ad primum, cõcluſio eſt iſta. *Pater, & Filius ſunt vnum principium Spiritus ſancti.*

Probatio eſt iſta. *In hoc quod eſt eſſe principium Spiritus ſancti, Pater, & Filius nõ opponuntur relatiuè. Ergo ſequitur, quòd Pater, & Filius ſunt vnum principium Spiritus ſancti.* Antecedens ſupponit vt omninò verum. Probat verò conſequẽtiam; quia *Pater, & Filius in omnibus vnum ſunt, in quibus non diſtinguit inter eos relationis oppoſitio.*

Quò ad ſecũdum duo facit; Primo, refert quorumdam dicendi modum, cum fundamento illorũ; ipſũquè impugnat. Secundo, aſſignat proprium modum, quo ſcilicet, Pater, & Filius debent dici vnum principium Spiritus ſancti.

Quò ad horũ primum, quorumdam dicendi modum ſic refert. *Quidam tamē dicunt, hanc eſſe impropriam, Pater, & Filius ſunt vnum principium Spiritus ſancti.*

Hius dicendi modi fundamentum eſt iſtud. *Quia cum hoc nomen, Principium, ſingulariter acceptum non ſignificet perſonam, ſed proprietatem, non poteſt conuenienter dici, quòd Pater, & Filius ſint vnum principium Spiritus ſancti, niſi vnum intelligatur quaſi aduerbialiter poſitum, vt ſit ſenſus, ſunt vnum principium, ideſt, vno modo.*

Impugnatio præfati modi dicendi eſt iſta. *Sed ſimili ratione poſſet dici Pater duo principia, Filij, & Spiritus ſancti, ideſt, duobus modis.*

Quò ad horũ ſecundum, modum aſſignat, quo Pater, & Filius ſunt vnum principium Spiritus ſancti, idquè probat.

Modus eſt iſte. *Sicut Pater, & Filius sũt vnus Deus propter vnitatem formæ ſignificatæ, per hoc nomen, Deus, ita ſunt vnum principiũ Spiritus ſancti, propter vnitatem proprietatis ſignificatæ in hoc nomine, principium.*

Probatio eſt iſta. *Licèt hoc nomen, principium, ſignificat proprietatem, tamen ſignificet eam per modum ſubſtãtiui; ſicut hoc nomen, Pa-*

Digitized by Google

Pater, & Filius, etiam in rebus creatis. Ergo *numerum accipit à forma ſignificata, ſicut & alia ſubſtantiua. Sicut igitur Pater, & Filius &c.*

Ad primum argumentum reſpondet, concedendo primũ membrum in antecedenti poſitum, negãdo verò ſecundum; Ad cuius impugnationem diſtinguit, ſeù explicat antecedens. *Vna proprietas non poteſt eſſe duorum ſuppoſitorum*, quorum non eſt vna natura, concedit antecedẽs. *Vna proprietas non poteſt eſſe duorum ſuppoſitorum*, quorum eſt vna natura, negat antecedẽs. Ergo &c. Adhùc diſtinguit cõſequens primum. *Ergo Spiritus ſanctus procedit à Patre, & Filio, vt ſunt plures* quò ad ſuppoſita ſpirationis, concedit conſequentiam. Quò ad virtutem ſpiratiuã, negat conſequentiã. Ergo &c. negat ſecundam conſequentiam.

Ad ſecundum argumentum reſpondet, negando ſecundam antecedentis partem. Ad cuius probationem negat maiorem, ſeù paritatem, & diſparitatem aſſignat; quia *cum dicitur Pater, & Filius &c.* Lege litteram. Ergo &c. negat conſequentiam.

Ad tertium argumentum reſpondet, diſtinguendo, ſeù explicando maiorem; *Filius non magis conuenit cum Patre, quàm Spiritus ſãctus*, quò ad eſſentiam, concedit maiorem. Quò ad virtutem ſpiratiuã, *Spiritus ſancti*.

7 Præterea. Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus, quia ſunt vnum principium creaturæ, dicuntur eſſe vnus Creator, ſed Pater, & Filius non ſunt vnus ſpirator, ſed duo ſpiratores, vt à multis dicitur: Quod etiam conſonat dictis Hilar. qui dicit in ſecundo de Trinitate, quod Spiritus ſanctus à Patre, & Filio authoritatibus confitendus eſt: ergo Pater, & Filius non ſunt vnum principium Spiritus ſancti.

Sed contra eſt, quod Auguſt. dicit in lib. 7. de Trinitate, quod Pater, & Filius non ſunt duo principia, ſed vnum principium Spiritus ſancti.

Reſpondeo dicendum, quod Pater, & Filius in omnibus vnum ſunt, in quibus non diſtinguit inter eos relationis oppoſitio: vnde cum in hoc, quod eſt eſſe principium Spiritus ſancti, non opponantur relatiuè, ſequitur quod Pater, & Filius ſunt vnum principium Spiritus ſancti. Quidam tamen dicũt, hanc eſſe impropriam, Pater & Filius ſunt vnum principium Spiritus ſancti; quia cum hoc nomen principium ſingulariter acceptum, non ſignificet perſonam, ſed proprietatem, non poteſt conuenienter dici, quod Pater, & Filius ſint vnum principium Spiritus ſancti, niſi vnum intelligatur quaſi aduerbialiter poſitum, vt ſit ſenſus, ſunt vnum principium, ideſt vno modo; ſed ſimili ratione poſſet dici Pater duo principia Filij & Spiritus ſancti, ideſt duobus modis. Dicendum eſt ergo, quod licet hoc nomen (principium) ſignificet proprietatem, tamen ſignificat eam per modum ſubſtantiui, ſicut hoc nomen Pater, & Filius etiam in rebus creatis: vnde numerum accipit à forma ſignificata, ſicut & alia ſubſtantiua. Sicut igitur Pater, & Filius ſunt vnus Deus propter vnitatem formæ ſignificatæ per hoc nomen Deus, ita ſunt vnum principium Spiritus ſancti propter vnitatẽ proprietatis ſignificatæ in hoc nomine principium.

Ad primum ergo dicendum, quod ſi attendatur virtus ſpiratiua, Spiritus ſanctus procedit à Patre, & Filio, inquantum ſunt vnum in virtute ſpiratiua, quæ quodammodo ſignificat naturam cum proprietate, vt infra dicetur. Neque eſt inconueniens, vnam proprietatem eſſe in duobus ſuppoſitis, quorum eſt vna natura, ſi verò conſiderentur ſuppoſita ſpirationis, ſic Spiritus ſanctus procedit à Patre, & Filio, vt ſunt plures. Procedit enim ab eis, vt amor vnitiuus duorum.

Ad ſecundum dicendum, quod cum dicitur Pater, & Filius ſunt vnum principium Spiritus ſancti, deſignatur vna proprietas, quæ eſt forma ſignificata per nomen. Non tamen ſequitur, quod propter plures proprietates poſſit dici Pater plura principia, quia implicaretur pluralitas ſuppoſitorum.

Ad tertium dicendum, quod ſecundum relatiuas proprietates non attenditur in diuinis ſimilitudo, vel diſſimilitudo, ſed ſecundum eſſentiam: vnde ſicut Pater non eſt ſimilior ſibi, quam Filio, ita nec Filius ſimilior Patri, quam Spiritus ſanctus.

Ad quartum dicendum, quod hæc duo, ſcilicet Pater, & Filius ſunt vnum principium, quod eſt Pater,

negat maiorẽ. Tunc conceſſã minori negat conſequentiam.

Ad quartum argumentum reſpondet, & reſponſio conſiſtit in negatione maioris, tanquàm inſufficientis. Nam *hæc duo, ſcilicet, Pater, & Filius ſunt vnum principium, quod eſt Pater, aut vnum principium quod non eſt Pater, non ſunt contradictoriè oppoſita*. Lege litteram.

Ad quintum argumentum reſpondet, concedendo maiorem, & negando minorẽ. Ad cuius probationem negat maiorem tanquàm inſufficientem; *quia hoc, quod duo principiũ, non ſupponit pro vna perſona tantùm, ſed indiſtinctè, pro duabus*.

Ad ſextum argumentum reſpondet, concedendo antecedens, & ſuam conſequentiam cum ſuppoſito conſequẽtis, diſtinguendo verò minorem ſubſumptam. *Sed hoc à multis negatur*, non rectè, concedit minorem. Rectè, negat minorem. Ergo &c. negat conſequentiam. Lege litteram.

Ad ſeptimum argumentum reſpondens duo facit. Refert quorumdam reſponſionem. Secundò, ponit reſponſionem propriam, & iuxta eam explicat authoritatem Hilarij in cõtrarium poſitam.

Quò ad primum ſic ait; *Quidam dicũt, quòd Pater, & Filius licèt ſint vnum principium Spiritus ſancti, ſunt tamen duo ſpiratores propter diſtinctionẽ ſuppoſitorum*. Lege litte-

Digitized by Google

litteram vſquè ad illa verba, *vnum in eſſentia*, incluſiuè.

Quò ad ſecũdum reſponſio propria eſt iſta, concedo maiorem, ſeù cauſalem, & nego minorem; quia ſpirãs adiectiuũ eſt, ſpirator verò ſubſtantiuũ, & ideo poſſumus dicere &c. Lege litteram vſquè ad finem.

Pater, aut vnum principium, quod non eſt Pater; non ſunt contradictoriè oppoſita: vnde non eſt neceſſe alterum eorum dare. Cum enim dicimus, Pater & Filius ſunt vnum principium, hoc quod dico principium, non habet determinatam ſuppoſitionem: immo confuſam pro duabus perſonis ſimul: unde in proceſſu eſt fallacia figuræ dictionis à confuſa ſuppoſitione ad determinatam.

Ad quintum dicendum, quod hæc etiam eſt uera, unum principium Spiritus ſancti eſt Pater, & Filius, quia hoc, quod dico principium, non ſupponit pro una perſona tãtum, ſed indiſtinctè pro duabus, ut dictum eſt.

Ad ſextum dicendum, quod conuenienter poteſt dici, quod Pater, & Filius ſunt idem principium, ſecundum quod ly principium, ſupponit confuſè, & indiſtinctè pro duabus perſonis ſimul.

Ad ſeptimum dicendum, quod quidam dicunt, quod Pater, & Filius licet ſint unum principium Spiritus ſancti, ſunt tamen duo ſpiratores propter diſtinctionem ſuppoſitorum, ſicut etiam duo ſpirantes, quia actus referuntur ad ſuppoſita. Nec eſt eadem ratio de hoc nomine Creator, quia Spiritus ſanctus procedit à Patre, & Filio, ut ſunt duæ perſonæ diſtinctæ (ut dictum eſt) non autem creatura procedit à tribus perſonis, ut ſunt perſonæ diſtinctæ; ſed ut ſunt unum in eſſentia; ſed uidetur melius dicendum, quod quia ſpirans adiectiuum eſt, ſpirator uerò ſubſtantiuum, poſſumus dicere, quod Pater, & Filius ſunt duo ſpirantes, propter pluralitatem ſuppoſitorum, non autem duo ſpiratores, propter unam ſpirationem: nam adiectiua nomina habent numerum ſecundum ſuppoſita, ſubſtantiua uerò à ſeipſis ſecundum formam ſignificatam; quod uerò Hilarius dicit, quod Spiritus ſanctus eſt à Patre, & Filio authoribus, exponendum eſt, quod ponitur ſubſtantiuũ pro adiectiuo.

SVPER ARTICVLVM.

COMMENTARIVM.

1 VTRVM *Pater, & Filius ſint vnũ principium Spiritus ſancti*. Quęſitum hoc non eſt de præcipuo, ac ſolo modo loquendi, vt quidam volunt, ſed de re, ac de modo loquendi ſimul. Etenim à D. Thoma formatur propter Græcorum opinionem, eorum ſcilicet, qui dicebant Spiritũ ſanctum à ſolo Patre procedere, ſeù produci, non autem à Filio: & inter alia Græcorum fundamenta vnum erat, ad impoſſibile ducens; quia nimirum, ſi Spiritus ſanctus à Patre, Filioquè procederet, prodiret vtiquè à duobus principijs adæquatis, & totalibus, vel inadæquatis, & partialibus, quod impoſſibile, & incõueniens, & rectè quidem, eſſe dicebant, quòd non ſolùm de modo loquendi, verumetiam de re ipſa Græci hoc eſſe, ſeù ſequi putabant. Imò impoſſibile fortaſſe putabant, eadem ſpiratiua virtute Patrẽ, & Filium Spiritum ſanctum potuiſſe ſpirare. Vnde D. Thomas hìc in principio corporis probauit virtutem ſpiratiuam Patris, & Filij eſſe vnam; & eámdem per hoc, quòd Pater, & Filius in omnibus vnum ſunt, in quibus non diſtinguit inter eos relationis oppoſitio. Hoc idem quæſitum formatur à Græcis, negantibus à Filio Spiritum ſanctum procedere, Vtrum ſcilicet, ſi Spiritus ſanctus procederet à Filio, & a Patre, Pater, & Filius eſſent vnum Spiritus ſancti principium, an duo principia, & concludunt, quod eſſent duo principia, quod putant eſſe inconueniens, quemadmodum Doctores Latini fideliter confitentes Spiritum ſanctum à Patre, Filioquè procedere, diſputat, Vtrum ſi Spiritus ſanctus non prodiret à Filio diſtingueretur ab eo; & Nos cum D. Thoma, & communiori dicimus, ac probamus, quòd non diſtingueretur; quod inconueniens eſt. Dicere enim Spiritum ſanctum non diſtingui à Filio, eſt intra diuinitatis clauſtra (vt probabimus) reſcindere veritatem.

2 *Vnde cum in hoc, quod eſt eſſe principium Spiritus ſancti non opponuntur relatiuè*. Dubium eſt; quia in reſp. ad primum D. Thomas docet, quòd ſi attendatur virtus ſpiratiua, Spiritus ſanctus procedit à Patre, & Filio in quantùm ſunt vnum in virtute ſpiratiua; ſi verò conſiderentur ſuppoſita ſpirationis, ſic Spiritus ſãctus procedit à Patre, & Filio, vt ſunt plures: Sed Pater, & Filius vt ſunt plures, opponuntur relatiuè; non enim datur pluralitas in diuinis, niſi propter oppoſitionem relatiuam, vt idem D. Thomas docet pluriès, & præſertim hìc in principio corporis. Ergo Pater, & Filius producunt Spiritum ſanctum, non ſolũ

ſecun-

ſecundùm quòd ſunt vnum, & ſecundũ quod non opponuntur; verum etiam ſecundum quòd ſunt plures, & ſecundũ quod relatiuè opponuntur.

3 Reſpondetur concedendo maiorem, minorem, & diſtinguendo, ſeù explicando conſequens: Ergo Pater, & Filius producunt Spiritum ſanctum, vt ſuppoſita ſpirationis non ſolum &c. concedo conſequentiam. Vt principium ſpiratiuum, ſeù in ratione ſpiratoris, nego conſequentiam. D. Thomas ergo dixit, quòd Pater, & Filius producunt Spiritum ſanctum, vt vnum principium, quod non attenditur penès pluralitatem perſonarum Patris, & Filij, ſed penes vnitatem virtutis ſpiratiuæ; Quando verò dixit in reſponſione ad primum, quòd *Pater, & Filius producunt Spiritum ſanctum, non ſolum vt ſunt vnum, ſed etiam vt ſunt plures;* per ly, *vt plures*, non intellexit, *vt plures* ſecundum denominationem principij ſpiratiui, ſeù ſpiratoris, ſed voluit explicare, quòd in ratione vnius ſpiratoris, ſunt duo ſuppoſita ſpirantia. Sic enim ait; *Si verò conſiderentur* (nota) *ſuppoſita ſpirationis,* non dixit principia, ſed *ſuppoſita ſpirationis. Sic Spiritus ſanctus procedit à Patre, & Filio, vt ſunt plures,* quaſi diceret, quamuis Spiritus ſanctus procedat ab vno ſpiratore, tamen ad rationem vnius ſpiratoris concurrunt duo ſuppoſita ſpirantia, ideſt, eſt vnus ſpirator, & ſpirationis ſuppoſita ſunt duo ad inuicem relatiuè oppoſita.

4 In reſp. ad ſecundum. *Non tamen ſequitur, quòd propter plures proprietates poſſit dici Pater plura principia, quia implicaretur pluralitas ſuppoſitorum.* Ex quibus verbis habes, quòd ad multiplicationem termini ſubſtantiui concreti, non ſolùm requiritur multiplicatio formarũ, verumetiam ſuppoſitorum.

5 In reſp. ad quartum. *Hæc duo, ſcilicet, Pater, & Filius ſunt vnum principium, quod eſt Pater, aut vnum principium, quod non eſt Pater, non ſunt contradictoriè oppoſita.* Et ratio huius eſt, quia quæ ſunt contradictoriè oppoſita, nullum habent medium, neque per participationem, neque per abnegationem; Ac proinde, quod ab vno membro cõtradictorio excluditur, ſub alio contradictorio membro neceſſariò includitur: ſed inter iſta duo, ſcilicet, ſunt vnum principium, quod eſt Pater, & vnum principium, quod non eſt Pater, mediat aliud membrum, ſcilicet, vnum principium, quod eſt Pater, ſimul & Filius. Vnde quamuis iſta duo, nempè, aut eſt Pater, aut non eſt Pater, ſint cõtradictoriè oppoſita, iſta tamen duo, vnum principium Spiritus ſancti, aut eſt Pater, aut non Pater, non ſunt contradictoria, quia reſpiciunt principium ſpirationis, quod conſiſtit in vna virtute ſpiratiua communi duobus ſuppoſitis ſpirationis, ſcilicet, Patri & Filio.

6 *Hoc, quod dico principium, non habet determinatam ſuppoſitionem,* ideſt, non determinat vnam dumtaxat perſonam, habet tamen determinatam ſuppoſitionem, quò ad duas determinatas perſonas, ideſt, determinat diſtinctè perſonam Patris, & perſonam Filij, vt duo ſuppoſita ſpirationis, habentia tamen vnam dumtaxat ſpirandi virtutem. Et hoc eſt, quod D. Thomas per verba ſequentia immediatè declarat, ſic dicens, *immò confuſam.* Ecce negatio ſuppoſitionis pro vna dũtaxat perſona: *Pro duabus perſonis ſimul*, Ecce diſtincta duarum ſuppoſitio perſonarum. Idem docet in reſponſione ad quintum.

Digitized by Google

DISPVTATIO CXCV.

VTRVM SPIRITVS SANCTVS PRINCIPALIVS procedat à Patre, quàm à Filio.

Per vnicum caput expedita.

CAPVT VNICVM.

Doctorum opiniones referuntur, & veritas ſtabilitur.

Bonau. 1 DIVVS Bonauentura, in 1. diſt. 12. q. 2. in fine dicit, quòd Filius principaliter producit Spiritum ſanctũ, ſed Pater principaliùs. Riccard. Idem ait Riccardus, eadem diſt. q. 1. ad 2. Durand. Durandus, q. 2. vbi quærens, *Vtrum Spiritus ſanctus perfectius procedat à Patre, quàm à Filio*, ait, quòd *dicenda ſunt duo; Primum eſt, quòd Spiritus ſanctus non procedit pleniùs vel perfectius à Patre, quàm à Filio. Secundum eſt, quòd procedit ex ipſo principaliùs*, idquè num. ſeq. ex profeſſo probat. Marſil. Idem docet Marſilius, q. 15. art. 2. concluſ. 4. & ad tertiam rationem.

D.Thom. 2 D. Thomas verò, in art. præcedenti, in reſp. ad 2. admittit quidem, quòd Spiritus ſanctus propriè procedit à Patre, negat verò, quòd Spiritus ſanctus principaliùs à Patre, quàm à Filio procedat. Hoc idem prædocuit D. Thomæ Alb.Mag. Magiſter, Magnus Albertus, p. p. ſummæ q. 31. memb. 3. Idem docent magis communiter Theologi. Henricus. Henricus, in ſumma art. 54. q. 7. ad 2. Et art. 60. q. 9. ad. 1. Carthuſ. Dionyſius Carthuſianus, in 1. diſt. 12. q. 1. col. 2. Riccard. Riccardus, ibidem q. 2, Aureol. Aureolus, art. 2. Marſil. Marſilius, q. 15. art. 2. Gabriel. Gabriel, q. 3. art. 3. Torres. Torres hic. Amicus. Pater Amicus, diſp. 27. nu. 86. Faſolus. Faſolus hìc dubit. 2. nu. 7. & alij.

3 Vnde pro determinatione veritatis; Dico primò. Spiritus ſanctus procedit à Filio principaliter.

4 Probatur. Spiritus ſanctus procedit à Filio, & non inſtrumentaliter. Ergo principaliter. Antecedens patet; quia ſi procederet à Filio inſtrumentaliter, principiatio Filij in ordine ad Spiritum ſanctum eſſet inferioris conditionis, quã principiatio Patris; eſſet enim Filius inſtrumentum Patris. Et inſtrumentum eſt inferioris conditionis, quàm id, cuius eſt inſtrumentum. Conſequentia verò eſt euidens; quia non datur medium inter principiationem inſtrumentalem, & principalem. Ergo.

5 Dico ſecundò. Aequè principaliter concurrit Filiu ad productionem Spiritus ſancti, ac Pater.

Probatur. Filius producit Spiritum ſanctum per eamdem virtutem ſpiratiuam, ac ſpirtionem, qua Pater. Ergo æquè principaliter. Antecedens eſt de fide certum, & præſertim determinatum eſt in Concilio Florentino ab Eugenio IIII. vbi ſic dicitur; *Spiritus ſanctus ex Patre, & Filio æternaliter eſt tanquàm ab vno principio, & vnica ſpiratione procedit.* Eugen.

6 Vbi obſeruandum eſt, quòd ſic Spiritus ſanctus à Filio eadem virtute ſpiratiua, atquè ſpiratione procedit, ſicut à Patre, vt illa virtus ſpiratiua, ſeù ſpiratio ſit omninò debita Filio, ac neceſſariò à Patre eidem Filio ſibi communicata, nõ autem voluntariè, ſeù liberè; aut quaſi miſericor liter illi conceſſa. Vnde æquè principaliter conuenit Filio, & Patri.

7 Dico tertiò. In aliquo bono ſenſu dici poteſt, quòd Spiritus ſanctus eſt à Patre principaliter, & non à Filio.

Explicatione potiùs, quàm probatione indiget hoc dictum. Senſus enim eſt, quòd Pater eſt primum principium, ideſt, principium de non principio; Principium ſpiratiuum communicans virtutem ſpiratiuam Filio, quòd quidem munus cõuenit ſoli Patri, vt patet; & hoc eſt, quòd D. Thomas in 3. ar. in reſp. ad 2. his verbis docet; *ſed vna*, inquit, *& eadẽ numero virtus*

Digitized by Google

virtus ſpiratiua eſt in Patre, & Filio; & ideo æqualiter procedit ab vtroquè. Licèt aliquando dicatur principaliter, vel propriè procedere de Patre, propter hoc, quòd Filius habent hāc virtutem à Patre.

8 Ex quibus D. Thomę verbis præſens, præcedenſquè dictum expreſsè declaratur. Nam per ly, *æquè principaliter*, manifeſtatur dictum præcedens; per verba verò ſequentia, dictum præſens.

9 Et in hoc eodem ſenſu intelligitur Beſſarion oratione dogmatica de vnione Florentiæ habita ad Græcos cap. 6. circa finē. Vbi ſic dicit, *Quæ omnia apertè Filium, etiam ſignificant cauſam, ſiuè principium eſſe, & tale principium, qualis eſt Pater, cum nil imperfectum apud Filium ſit quamquàm* (nota) *non principalem, nec primariā: hoc enim cauentes negant Filium cauſam eſſe.* Vbi cum negat Beſſarion Filium eſſe cauſam principalem, & primariam Spiritus ſancti, non negat principalitatem, vt oppoſitam inſtrumentalitati, ſed tātùm intendit dicere, quòd licèt Filius ſit principium æquè principaliter, vt Pater, tamen Filius non principiat Spiritum ſanctum, niſi accipiendo virtutem ſpiratiuam à Patre.

Beſſario.

10 Dico vltimò. Non debet congruè dici, quòd Spiritus ſanctus principaliùs procedat à Patre, quàm à Filio. Hoc dictum eſt contra Authores primæ ſentētiæ, ſed,

11 Probatur primò ad hominem contra Durandum. Nam Durandus loco cit. duo dicit, primum eſt, quòd *Spiritus ſanctus non procedit pleniùs, vel perfectiùs à Patre, quàm à Filio*; ſed hoc non benè cohęret cum hoc alio, quod eſt ſecundum, nempè, *Spiritus ſanctus principaliùs procedit à Patre, quàm à Filio*. Ergo ſi primum à Durando negatur, debet quoquè negari ſecundum. Maior patet ex verbis Durandi iam adductis. Probatur minor; quia principaliùs cōcurrere ad aliquem terminum producendum, idem ex modo loquendi ſonat, ac perfectiùs, & pleniùs, vt patet diſcurrenti in omni rerū productione, in qua ſemper principalior cauſa eſt perfectior, ac proinde, cauſa, quæ concurrit principaliùs, concurrit perfectiùs.

Durand.

12 Scio, quòd controuerſia hæc potiùs eſt de modo loquendi, quàm de re ipſa. Omnes enim Doctores catholici confitētur, quòd principiatio, qua Filius principiat Spiritum ſanctum, nō eſt inferioris conditionis, ac perfectionis principiatione, quàm habet Pater, cum Pater, & Filius vna dumtaxat ſpiratione ſpirent Spiritum ſanctum; ſed quidam Doctores non ſpernendæ authoritatis, per hoc, quòd dicitur Spiritus ſanctus principaliùs procedit à Patre, non intelligunt aliud niſi quòd Pater à ſe ſpirat Spiritum ſanctum, & Filius per virtutem ſpiratiuam ſibi à Patre communicatam, vt patet ex verbis Durandi. Durandus enim ſic probat, quod Spiritus ſanctus ex Patre procedit principaliùs. Principaliùs eſt ſpirare à ſe, quàm ab alio: ſed Pater ſpirat à ſe, Filius autem ab alio quia virtutem ſpirandi habet ab alio, ſcilicet, à Patre. Ergo Pater ſpirat principaliùs, quàm Filius. Ecce igitur quomodo diſcrepantia eſt in ſolo modo loquendi.

13 Probatur autem ſecundò, quòd ſit incongruus hic loquendi modus. Nam ly, *principaliùs*, cadit ſupra producere, ſeù procedere, non verò ſupra originem, ſeù ſupra modum principiādi à ſe ſine communicatione ab alio. Ergo incongruè dicitur, quòd Spiritus ſanctus principaliùs procedit à Patre, quàm à Filio, ſeù Pater principaliùs ſpirat Spiritum ſanctum, quàm Filius. Conſequentia videtur euidens; quia non eſt verum, quòd ratio principiandi, aut virtus ſpiratiua, & ipſa ſpiratio principaliùs ſit à Patre, quàm à Filio, cum vna ratione ſpirandi, ſeù vnica virtute ſpiratiua, & vnica ſpiratione Pater, & Filius ſpirent Spiritum ſanctum. Antecedens verò patet, quia ly, *principaliùs* eſt aduerbium, & aduerbium eſt modus verbi.

14 Probatur tertiò; quia non valet dicere, quòd Spiritus ſanctus procedit à Filio veluti à cauſa ſecunda, ſeù veluti à principio ſecundo, & à Patre tanquàm à cauſa prima, ſeù tanquàm à principio primo; Ergo neque etiam valet dicere, quòd procedit à Filio minùs principaliter, & à Patre principaliùs.

15 Quòd ſi oppoſitum tenentes dicant, quòd per principaliùs, idem intelligitur ac à ſe, quòd nō intelligitur per ly, *à cauſa prima*.

16 Contra; quia eodem prorſus modo poſſet quiſpiàm dicere, quòd nomine principij primi intelligitur principium de non principio, & nomine principij ſecundi, intelligitur principium de principio. Ergo vtrobiquè eſt eadem ratio, ac per conſequens, poſſet dici, quòd Filius eſt principium ſecundum Spiritus ſancti, Pater verò primum, quod non admittitur.

17 Hoc idem videtur dixiſſet Anſelmus de proceſſione Spiritus ſancti cap. 16. vbi ſic ait. *Si ergo dicitur, quòd Spiritus ſanctus principaliter à Patre ſit, non aliud ſignificatur, quàm, quia ipſe Filius, de quo eſt Spiritus ſanctus, à Patre habet hoc ipſum, vt Spiritus ſanctus ſit de illo, quoniā id, quod eſt habet à Patre.*

D. Anſel.

Digitized by Google

à Patre. Ecce quomodo per Sanctum Anſelmum veritas tertij dicti comprobatur. Et immediate poſt ſic ait. *Non quemadmodum in rebus creatis, cum aliquid aſſerimus eſſe principaliter, volumus ſignificare, quòd in ijs ſit hoc, quod dicitur eſſe principaliter, quàm illud, a quo refertur*. Ac ſi diceret, in rebus creatis idem ſonat principaliter, ac principalius reſpectu eius à quo principalitas denegatur, quod in diuinis admitti non debet.

18 Ex ſupradictis patet, quòd Spiritus ſanctus pariformiter, ſeu vniformiter à Patre, Filioque procedit; quia, vt dicebamus, vna virtute ſpiratiua, vnicaque ſpiratione procedit à Patre, & à Filio. Vnde non priùs procedit à Patre, quàm à Filio, non ſolùm ſecundùm prioritatē durationis, ſed nec ſecundùm prioritatē originis, loquendo de prioritate originis, quæ eſt prioritas realis, & in quo.

19 Vnde colligitur cōtra Scotum, quòd ſi Pater eſſet prior origine Filio, prioritate reali, & in quo, quemadmodum multi Scotiſtę ad mentem Scoti volunt, ſequeretur, vel quòd ſolus Pater ſpiraret Spiritum ſanctum; quod eſt hæreticum: vel quòd priùs Spiritus ſanctus produceretur à Patre, & in alio inſtanti originis produceretur à Filio. Quod eſt etiam inconueniens, & abſurdum, ſicut inconueniens eſt, & abſurdum aſſerere, quòd Spiritus ſanctus bis producatur, ſemel à Patre, & iterum à Filio. Probatur ſequela, quia Pater in eo ſigno, in quo habet virtutem ſpiratiuam, in eodē, poteſt in actu exercito ſpirare Spiritum ſanctum. Ergo in eodem ſigno originis in quo produceret Filium, ſpiraret quoquè Spiritum ſanctum.

29 Si dicatur, negando ſequelam; eò quia, debet expectari communicatio virtutis ſpiratiuæ alteri ſuppoſito, ſpiranti.

21 Contra. Quia dato, quòd Pater ſit prior origine Filio prioritate prædicta, voluntariè dicitur, quòd debet expectari communicatio virtutis ſpiratiuæ alteri ſuppoſito. Et hoc magis vrget in via Scoti tenentis, quòd Spiritus ſanctus nō per ſe petit à duabus perſonis procedere, ſed vt uti materialiter, propter identitatem realem inter virtutem ſpiratiuam Patris, & Filij. Vnde ſic argumentor. Poſito Patre cum virtute ſpiratiua, poteſt quoquè poni in actu exercito ipſa ſpiratio actualis. Ergo ſi Pater eſt prior origine Filio prioritate iam dicta, in illo priori originis de facto ſpiraret Spiritum ſanctum. Imò poſita hac opinione, hoc idem argumentum ſolet extendi ad productionem creaturarum ad extra. Dato enim, quòd Pater æternus prior origine Filio, & Spiritu ſancto, ſi eſſet in illo priori omnipotens, in eodem ſigno ſolus ipſe creare poſſet. Et ſic creatura illa producta, vel eſſet ſimul origine cum alijs perſonis, vel ſimul origine cum Filio, & prior origine Spiritu ſancto. Sed aduerte, quòd Scotus non admittit Deum priùs eſſe omnipotentē, quàm quod habeat in ſe omnes tres perſonas in ſua deitate exiſtentes. Nequè concedit creaturas poſſibiles in primo ſigno naturæ, ſed in ſecundo ſigno naturæ, ac per conſequens, hæc extenſio non militat contra Scotum, niſi ſuppoſito quod in eodem ſigno naturæ ſit Deus, eius omnipotentia, & poſſibilia, quod eſt facilis probationis. Sed hæc ſint tranſeunter dicta.

22 Per ea, quæ dicta ſunt, poteſt ad modum loquendi contra ea, quæ dicta ſunt reſponderi; Et præſertim quantùm ad modum loquendi Ioannis Latini in Cōcilio Florentino. Nam Ioannes Latinus part. 2. coll. 21. in impreſſ. recentiori Romæ anno 1638. fol. mihi 260. ait, quòd *Spiritus ſanctus principaliter procedit à Patre*. Sic enim loquitur. *Ex hoc verbo habetur, quòd prima radix huius proceſſus eſt Pater, & quòd Filius non habet ex ſe, vt producat ſpiritum, ſed à Patre, propter hoc Doctores dicunt, quòd principaliter procedit à Patre, quia Filius ex ſe non habet, niſi à Patre*. Ex quibus verbis iam manifeſtum eſt, quomodo verum ſit Spiritum ſanctum principaliter à Patre procedere.

DISPV-

Digitized by Google

DISPVTATIO CXCVI.

VTRVM PATER, ET FILIVS SINT VNVM principium Spiritus ſancti.

In duo capita diſtributa.

CAPVT PRIMVM.

Doctorum opiniones referuntur.

Durand. 1 DVrandus, in 1. diſt. 29. quæſt. 2. vbi hoc idẽ quærit, ſic quæſito reſpondet. *Si nomen principij, accipiatur pro eo, quod agit; cum illud ſit ſuppoſitum (Pater autem, & Filius non ſunt vnum ſuppoſitum, ſed plura) neceſſe eſt dicere, quòd Pater, & Filius ſint plura principia Spiritus ſancti; ſed quia agens magis propriè dicitur principians, quàm principium, ideo licèt communiter dicatur, quòd Pater, & Filius ſint duo principiantes, vſus tamẽ communis non recipit, quòd dicantur duo principia. Si autem nomen principij ſumatur, non pro agẽte, ſed pro eo, quo agens agit; Sic propriè loquendo debet dici, quòd in Patre, & Filio eſt vnum principium quo ſpirant Spiritum ſanctum. Et nihilominùs verè dicitur, quòd Pater, & Filius ſunt vnum principium Spiritus ſancti, ſed non æquè propriè, ſicut primum.* Et paucis interiectis ſic ait. *Et ideo propriè dicitur, quòd in Patre, & Filio eſt vnum principium, quo ſpirant Spiritum ſanctũ. Et hoc eſt ſecundùm omnem conſuetudinem loquentium, magis proprius modus loquendi, quàm ſi dicatur, quòd Pater, & Filius ſunt vnum principium Spiritus ſancti, accipiendo principium pro eo, quo ſpirant.* Et poſt pauca ſic ait. *Ideo concedendum eſt, Patrem, & Filium eſſe vnum principium Spiritus ſancti, non obſtante pluralitate ſuppoſitorum, propter vnitatem principij, quo ſpirant. Hæc tamen locutio deficit à proprietate primæ,* & nu. vlt. reſpondens ad ſecundum argumentum ſic ait. *Si nomen principij accipiatur pro eo, quod agit, ſic Pater eſt vnum principium; Pater autem, & Filius ſunt duo principia. Si autem accipiatur principium pro eo, quo agens agit, ſicut dictum eſt, propriè loquendo, debet dici, quòd in Patre, & Filio reſpectu Spiritus ſancti eſt vnũ principium, ſcilicet, vis ſpiratiua; in Patre autem reſpectu Filij, & Spiritus ſancti, ſunt duo principia, ſcilicet, vis generatiua, & ſpiratiua, ſi tamen hæc includant intrinſecam relationem. Si autem dicatur, quòd Pater, & Filius reſpectu Spiritus ſancti ſunt vnum principium, verè dicitur, ſed deficit à proprietate alterius modi loquendi.* Hæc ille.

2 Vbi aduerte primò, quòd Durandus, in quæſt. iam præcitata non ait, quæſtionem eſſe de modo loquendi, & non de re. Hoc enim ſupra diſt. 11. q. 3. vbi quærit, *Vtrum Pater, & Filius ſpirent Spiritum ſanctum in quantùm vnum, an in quantũ plures*: & nu. 4. ſic ait. *Quæſtio iſta non eſt de re, ſed de modo loquendi.* Et diſt. 29. q. tamen 3. vbi quærit, *Vtrum Pater, & Filius poſſint dici plures ſpiratores*, & ibidem nu. 4. eadem repetit verba, ſic dicens. *Hæc quæſtio non eſt de re, ſed de modo loquendi.* Durand.

3 Aduerte ſecundò, quòd Durandus diſt. 29. q. 2. citata, vbi ex profeſſo quærit hoc idem, quod in præſenti diſquiritur, cum aliqua cautela videtur eſſe locutus. Non enim abſolutè dixit, quòd Pater, & Filius ſunt duo principia Spiritus ſancti, aut vnum; ſed ex hypotheſi, *ſi*, & *ſi*, ideſt, ſi nomine principij intelligatur perſona producens, ſunt duo principia. Et ſi nomine principij intelligantur perſonæ, vt habent vim ſpiratiuam, ratione vis ſpiratiuæ, ſunt vnum principium. Imò ſe declarat, quòd ſi nomen principij accipiatur primo modo, *magis propriè Pater, & Filius dicuntur duo principiantes, quàm duo principia*, & fatetur, quòd vſus communis non recipit, quòd dicantur duo principia. Itaquè Durandus nõ abſolutè admittit, quòd Pater, & Filius ſunt duo principia Spiritus ſancti, ſi nomen principij accipiatur pro perſona.

4 Item, Durandus abſolutè fatetur, quòd Pater, & Filius per vnã, eamdẽquè vim ſpiratiuam ſpirant Spiritum ſanctum.

Digitized by Google

5 Deniquè, Durandus docet, quòd Pater, & Filius licet poſſint dici vnum principium Spiritus ſancti etiam propriè, ratione vnius virtutis ſpiratiuæ, tamen magis propriè dicendum eſt, quòd in Patre, & Filio eſt vnum principium Spiritus ſancti, quàm quòd Pater, & Filius ſint vnum principium Spiritus ſancti. Itaquè ſententia Durandi eſt iſta, quòd Pater, & Filius ſunt propriè vnum principium Spiritus ſancti ratione vnius virtus ſpiratiuæ, magis tamen propriè deberet dici, quòd in Patre, & Filio ſint vnum principium Spiritus ſancti. Et hoc ſi nomen principij ſumatur pro eo, quo agens agit. Et quòd Pater, & Filius ſũt duo principia Spiritus ſancti, ſi nomen principij accipiatur pro perſona, quæ agit, tamen eſſet magis propria locutio, ſi dicatur, quòd Pater, & Filius ſunt duo principiantes ſpiritum ſanctum.

6 Hæc pro intelligentia opinionis Durandi poſui; quia à multis non modicis cenſuris afficitur. Et vt detegatur, in quo debeat accuſari, aut excuſari, ex verbis eiuſdem nuper relatis colligẽdũ eſſe.

7 Etenim nullus catholicorum negat, quòd Pater, & Filius concurrunt vt duæ perſonæ ad productionem Spiritus ſancti. Aliàs Spiritus ſanctus non ex Patre, Filioquè procederet. Ergo ſi quis nomine principij voluerit intelligere perſonas producentes, verum diceret, quòd Pater, & Filius ſunt duo principia Spiritus ſancti.

8 Item; Dicere, quòd Pater, & Filius magis propriè ſunt duo principiantes Spiritum ſanctum, quàm duo principia, eſt communis Theologorum vſus.

9 Item; Dicere, quòd Pater, & Filius ſunt vnum principium Spiritus ſancti ratione vnius virtutis ſpiratiuæ eſt communis Theologorum ſententia, imò de fide, vt iam videbimus. Ergo quantùm ad hæc omnia, quæ à Durando dicta ſũt, doctrina Durandi nulla cenſura digna eſt.

10 Solùm ergo ſupereſt inueſtigare, Vtrum rectè dixerit Durandus, quòd magis propriè dicitur in Patre, & Filio eſſe vnum principium Spiritus ſancti, quàm quòd Pater, & Filius ſint vnum principium Spiritus ſancti, non enim dixit, quod hic loquendi modus deficit à proprietate, ſed quòd *deficit à proprietate alterius modi loquendi*, quod cap. ſeq. videbimus.

Arimin. 11 Gregorius Ariminenſis in 1. diſt. 12. q. vnica ait, *quòd licet ſit vera, & communiter conceſſa* (ſcilicet, hæc propoſitio, Pater, & Filius ſunt vnum principium Spiritus ſancti) *non eſt tamen in ſua proprietate accipienda; nec in ſenſu, quem primò facit, & de virtute ſermonis, ſed in ſenſu, quẽ intendebant Sancti illam ſcribentes. Si tamen inniteremur proprietati ſermonis, tunc dici deberet, quòd Pater, & Filius ſunt duo principia Spiritus ſancti.* Et pro ſua ſententia adducit Altiſiodorenſem, Gerardum Nouarienſem, & Magiſtrum in 1. diſt. 29. qui tamen non cum Ariminenſi ſentiunt. Itaquè magis apertè loquitur Ariminẽſis, dum apertè dicit, præfatam propoſitionem non eſſe de toto ſermonis rigore veram. Altiſiod. Gerard. Nouarieſ. Magiſter.

12 Communis Theologorum ſententia eſt, quòd Pater, & Filius ſunt vnum principium Spiritus ſancti.

CAPVT SECVNDVM.

Determinatio veritatis.

13 PRO determinatione veritatis, Dico breuiter Pater, & Filius ſũt vnum principium Spiritus ſancti.

Probatur primò authoritatibus Conciliorum. Etenim In Concilio Generali Lugdunenſi ſub Gregorio X. celebrato, ſic dicitur. *Fideli, & deuota proceſſione fatemur, quòd Spiritus ſanctus æternaliter ex Patre, & ex Filio, non tanquàm ex duobus principijs, ſed tanquàm ex vno principio, non duabus inſpirationibus, ſed vnica inſpiratione procedit.* Et circa hæc verba hanc reflexionem facit. *Hoc*, inquit, *profeſſa eſt hactenus, prædicauit, & docuit Sacroſancta Romana Eccleſia Mater omnium fidelium, & Magiſtra. Hoc habet Horthodoxorum Patrum, atquè Doctorum Latinorum pariter, & Græcorum incommutabilis, & vera ſententia.* Et ſubdit ſic immediatè. *Sed quia nonnulli propter irrefragabilis præmiſſæ veritatis ignorantiam in errores varios ſunt prolapſi; Nos ſacro approbante Concilio damnamus, & reprobamus omnes, qui negare præſumpſerint æternaliter Spiritum ſanctum ex Patre, & Filio procedere, ſiuè etiam temerario auſu aſſerere, quòd Spiritus ſanctus ex Patre, & Filio tanquàm ex duobus principijs, & non tanquàm ex vno procedat.* Hæc eadem verba habentur de ſumma Trinitate, & fide catholica in 6. Lugdun.

14 Reſpondet Ariminenſis, explicando verba Concilij non de vnitate principij, ſed de vnitate modi principiandi; vnde non immeritò Concilium poſuit illam particulam, *tanquàm*, & ſic ait. *Concilium noluit affirmare vnitatem principij, ſed vnitatem modi principiandi, ideo ait, tanquàm ex vno; quia verè voluit aſſerere vnitatem ſpirationis,*

Digitized by Google

tionis, ait. Vnica ſpiratione, nec ait, tanquàm vnica ſpiratione, ſicut ait, tanquàm ex vno principio.

15 Contra; quia Eugenius Quartus in decreto ſeù diffinitione facta in Concilio Florentino eodem modo ſermocinatur circa proceſſionem Spiritus ſancti à Patre, & Filio, & illam particulam, *tanquàm*, accipit non diminutiuè, ſed ſpecificatiuè, & declaratiuè, ſic enim ait §. *Conuenientes. Græci quidem aſſeruerunt, quòd id, quod dicunt Spiritum ſanctum ex Patre procedere, non hac mente proferunt, vt excludant Filium, ſed quia eis videbatur, vt aiunt, Latinos aſſerere Spiritum ſanctum ex Patre, & Filio procedere tanquàm ex duobus principijs, & duabus ſpirationibus, ideo abſtinuerunt à dicendo, quòd Spiritus ſanctus ex Patre procedat, & Filio. Latini verò aſſeruerunt non ſe hac mente dicere Spiritum ſanctum ex Patre, Filioquè procedere, vt excludant Patrem, quin ſit fons, & principium totius Deitatis, Filij ſcilicet, & Spiritus ſancti; aut id, quod Spiritus ſanctus procedit ex Filio, Filius à Patre non habeat, ſiuè quòd duo ponant eſſe principia, ſeù duas ſpirationes, ſed vnum tantùm aſſerunt eſſe principium, vnicamquè ſpirationem Spiritus ſancti, pro vt hactenùs aſſeruerunt.*

Eugen. 4.

16 Et Ioannes Latinus in Concilio Florentino pluriès aſſerit, quòd Pater & Filius ſunt vnum principium Spiritus ſancti. Nam collat. 20. §. *Non reſpondetur*, & in meo libro pag. 256. ſic ait. *Ergo apparet, vt habeat ſe ad Filium, vt cauſam à Filio. Nec propter hoc ſequitur, quod Spiritus ſanctus ſit à Patre, & Filio vt à duabus cauſis, vel duobus principijs; quia fortè videtur mihi, quòd timeas confiteri veritatem, pro vt eſt in libro antiquo iſto, quia ſi dicatur, quòd Filius eſt cauſa ſpiritus, ſequatur ex iſto, ſpiritũ habere duas cauſas, non oportet, quòd dubites in iſto; quia nec Baſilius hoc intendit, nec aliquis doctor Latinorum, imo Eccleſia Romana, quæ ſemper immaculata permanſit à talibus erroribus, Domino operante, & Beato Petro, profitetur, quòd ſpiritus æternaliter eſt à Patre & Filio, & procedit à Patre & Filio, non vt ex duobus principijs, ſed ex vno, non ex duabus cauſis, ſed ex vna. Imo anathematizat quoſcunquè dicentes duas cauſas.* Vbi in aſſertione, quòd Spiritus ſanctus procedit à Patre, & Filio, non ponit *tanquàm ab vno*, ſed abſolutè dicit *ex vno* principio; imo ly, *vt*, ſeù, *tanquàm*, ponit in negatiua, ideſt, quòd non procedit à Patre, & Filio tanquàm ex duobus principijs, dicens, *non vt ex duobus*; & nihilominùs Ioannes Latinus abſolutè negat Patrẽ & Filium eſſe duo principio Spiritus ſancti.

Io. Latin.

17 Quod euidenter ibidem aperit, & declarat. Sic enim paucis interiectis ait. *Contradicens igitur Eunomium, & Arianis qui ſequebantur duo principia, vult vnum eſſe principium in duabus perſonis, & anathematizat contrarium dicentes.* Et poſt pauca, *Ita*, inquit, *ſequitur, quòd nullo modo ſint duo principia.* Vbi iam habes, quod ly, *vt*, ſeù *tanquàm*, non accipitur diſtractiuè, ſeù diminutiuè, ſed potiùs expreſſiuè, pro vt idem ſonat, ac in quantùm, ſeù quatenùs; aliàs non rectè deduceret, quòd *nullo modo ſint duo principia.*

Et collat. 21. §. *Optaſſet*, folio 261. *Filius*, inquit, *habet eamdem naturam diuinam, & virtutem ſpiratiuam, ſecundùm quam Pater & Filius ſunt vnum principium; nec alio modo licite legi poſſe, vt ſint vnum principium. Patet ex his, quæ ſpiritus accipit à Filio, ex hoc, quòd Filius accipit à Patre, quia, vnum & idem eſt numero, quòd habet Pater & Filius, hoc vno excepto, quòd Pater à nullo habet, & Filius à Patre, quod vnum & idẽ principium ſit Spiritus, & tamen, cum dicitur per Baſilium, quòd Filius eſt ſecundus ordine & dignitate à Patre, & ſpiritus ſecundus ordine, & dignitate à Filio, non debetis intelligere, vt ſint duæ cauſæ, aut duo principia. Quia illamet dignitas, qua Pater producit Spiritum ſanctum, eſt qua Filius producit eumdem Spiritum.* Ecce quomodo Patrem, & Filium vocat abſquè omni prorſus additamento, vnum Spiritus ſancti principium.

18 Et Collat. 22. fol. 281. ſic ait. *Deinde ex teſtimonijs tantorum Patrum Latinorũ, & Græcorum, qui fuerunt eodem tempore, & vno, & eodem ſpiritu illuminati, & quod mirandum eſt in hoc negotio, quòd illamet fundamenta, quæ habuerunt Doctores Latini, illamet Patres Græci acceperunt, ad probandum, quòd ſpiritus eſſet à Filio, vt à Patre; & quòd ſunt vnum principium. Aliàs poneretur diſtinctio in natura, inter Patrem, & Filium, vt Ariani volebant.* Vbi diligenter obſerua, quòd tam apud Ioannem Latinũ, quàm apud Sanctos Patres, & Concilia, quando negatur Patrem & Filium eſſe duo principia, Spiritus ſancti, ſed vnum, dumtaxat aſſeritur, non ſolùm loquuntur & definiunt quantùm ad modum loquendi, ſed etiam quantùm ad rem. Quod ex verbis mox, & alijs ſuper relatis apparet. Nam Arriani aſſerebant Patrem, & Filium in eſſentia omninò differentes, & dicebant conſequenter, Patrem, & Filium eſſe duo principia Spiritus ſancti, & hoc eſt, quod Ioannes Latinus ait. *Et quòd ſunt vnum principium; aliàs poneretur diſtinctio in natura.*

19 Inſuper, abſquè omni fundamento aſſerit, quòd per ly, *tanquàm*, corrigitur ratio propria vnius principij. Nam vel hoc aſſeritur, quia ſemper dicta particula *tanquàm*, eſt conditio diminuens, & diſtrahens

diſtrahens à ratione ſignificati, cui apponitur: Vel quia, ſic ſe habet in ſubiecta materia. Si primum, hoc eſt apertè falſum, & contra fidem; eò quia, non magis eſt particula diminuens ly, *tanquàm*, quàm ly, *quaſi*: ſed falſum, & contra fidem eſt aſſerere, quòd ly, *quaſi*, ſit conditio ſemper diminuens id, cui apponitur. Ergo. Maior patet. Probatur minor, quia Ioannis 1. dicitur. *Vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à Patre*. Et 2. Cor. 5. *Pro Chriſto legati ſumus, tanquàm Deo exhortante per nos*. Vbi illa particula *tanquàm* declarat, exprimit, & confirmat propriam ſignificationem eius, cui apponitur.

Ioan. 1.

20 Hinc patet, non immeritò ſententiã, ſeù modum loquendi Ariminenſis temerariam ad minùs à Theologis nuncupari; eò quia, ſacra Concilia volunt, non eſſe verum, quòd Pater, & Filius ſunt duo principia Spiritus ſancti, ſed quòd ſunt vnum. Et temerarium eſt dicere, quòd in materia tam graui, corã eruditiſſimis, doctiſſimiſquè Theologis ex profeſſo diſcuſſa, ſacra Concilia vtãtur terminis improprijs relicta proprietate verborum, & quòd ſolus Ariminẽſis, aut alter ſecum locutus fuerit cum proprietate ſermonis contra modum loquendi Conciliorum.

21 Eadem cenſura à nonnullis Theologis Durandus affici ſolet; eò quia, putãt Durandum in 1. diſt. 29. q. 2. dixiſſe, *Patrem, & Filium propriè dici duo principia, cum principium propriè ſtet pro agente vt quod & principiante. Et propoſitionem non eſſe veram; ſi verò ſtet pro ratione agendi, quæ vna eſt, eſſe vnum principium, propoſitionem eſſe veram, ſed modum loquendi improprium*. Ita refert Ayoſſa diſp. 26. ſect. 3. §. 1. n. 55. qui in fine eiuſdem numeri ait, quòd *ſententia Durandi, & Gregorij reijcitur vt temeraria*.

Durand.

Ayoſſa.

22 Verùm nunquàm inueni apud Durãdum q. 2. citata ſcilicet, in 1. diſt. 29. quòd dixerit expreſsè propriè eſſe verã hanc propoſitionem Pater, & Filius sũt duo principia Spiritus ſancti propriè loquendo, & quòd nomen hoc, puta, principium, propriè ſtet pro eo, quod agit; neque vnquàm Durandus dixit, quòd hæc propoſitio, ſcilicet, *Pater, & Filius ſunt vnum principium Spiritus ſancti* propter vnitatem virtutis ſpiratiuæ eſſe impropriam, ſed ſemper eam propriam exiſtimauit, vt patet ex verbis eiuſdem Durãdi nu. 1. relatis. Nam conſpicuis verbis ait, quòd *agens magis propriè dicitur principians, quàm principium; & quòd vſus communis non recipit, quòd dicantur duo principia*. Et, ibidem poſt multa ſic ait. *Et nihilominùs verè dicitur, quòd Pater, & Filius ſunt vnum principium Spiritus ſancti, ſed non æquè propriè, ſicut primum*. Imò ait, quòd directiùs Pater, & Filius dicuntur vnum principium Spiritus ſancti, ratione vnius virtutis ſpiratiuæ, quàm quòd ſint duo principia propter duo ſuppoſita ſpirantia. Et cum dicit, quòd *non æquè propriè*, iam concedit, quòd propriè, licèt non æquè propriè.

23 Itaquè Durandus ſi defecit in modo loquendi, non ideo fuit, quia quantùm ad hoc, à modo loquendi Sacrorum Cõciliorum omninò receſſerit, ſed quia dixit, quòd magis propriè debet dici in Patre, & in Filio eſſe vnam vim ſpiratiuam, ſeù vnum principium Spiritus ſancti, quàm quòd Pater, & Filius ſunt vnũ principium Spiritus ſancti. Et fortaſsè, etiam quantùm ad hoc, rectè ſenſiſſe putari poteſt, eò quia, per ly, *principaliùs*, ſeù *magis principaliter*, videtur intelligere rationem, ob quam Pater, & Filius dicũtur eſſe vnum principium Spiritus ſancti. Idq; in Conc. Florẽtino videtur poſſe fundari. Vbi ex Ioanne Latino collat. 20. ſic dicitur. *Contradicens igitur Eunomio, & Arrianis, qui ſequebantur duo principia, vult* (nota) *vnum eſſe principium in duabus perſonis*. Vbi pro Durando ponderanda sũt illa verba *vnum eſſe principium in duabus perſonis*. Ex quibus rectè deducitur, quòd ideo Pater, & Filius ſunt vnum principium Spiritus ſancti, quia ſcilicet, habent in ſe vnum principium Spiritus ſancti, id eſt vnam virtutem ſpiratiuam, ac proinde ex illa logicali propoſitione, *Propter quod, vnumquodquè tale, & illud magis*, videtur deduxiſſe Durandus, quòd magis propriè dicitur in Patre, & Filio eſſe vnum principium Spiritus ſancti, quàm quòd Pater, & Filius ſunt vnum principiũ Spiritus ſancti, dummodo hæc propoſitio cum ſermonis proprietate ſit vera. Vnde ſi Durandus in hoc ſenſu locutus eſt, meo iudicio ab omni prorſus cenſura eſt excuſandus. Nec puto ſacra Concilia voluiſſe determinare contra iam præfatum loquendi modum.

Florent.

24 Dicunt alij, ſententiam Durandi eſſe temerariam per hoc, quòd dixit diſputationem hanc eſſe non de re, ſed de ſolo modo loquendi, & modus loquendi Durandi, eſt contrarius modo loquendi Conciliorum.

25 Sed immeritò hæc dicunt; Quia vt nu. 2. notauimus, Durandus quærens. *Vtrum Pater & Filius ſint vnum principium Spiritus ſancti*, non facit mentionem, Vtrum quæſtio hæc ſit de ſolo nomine, aut de re, ſed tãtummodò ex hypotheſi,

ſcilicet, *ſi*, & *ſi*, reſpondet quæſito, vt iã dictum eſt.

25 Secundò; quia Durandus illa verba protulit in quæſt. 3. diſt. 11. vbi quærit, *Vtrum Pater, & Filius ſpirent Spiritum ſanctum, in quantùm vnum, an in quantùm plures*. Quod quidem quæſitum non eſt omnino idem cum quæſito præſentis diſputationis. Nam ibi præſupponit, quòd Pater, & Filius reſpectu ſpirationis Spiritus ſancti ſunt plures, & vnum. Plures, ſi conſiderentur ſuppoſita ſpirationis; Vnum, ſi conſideretur vis ſpiratiua, & reſpondet, cum non ſpernenda diſtinctione, hoc modo, *ſi in actu ſpirandi conſideremus modum actus, quatenùs conſideramus circa actum modum realem, quem habet in ſe, & in habitudine ad ſua principia, vtpotè quòd eſt actus vnus, & ſimplex à Patre, & Filio procedens, ita quòd à quolibet perfectè, & ſic*, inquit, *debemus dicere, quòd Pater, & Filius ſpirant, in quantùm ſunt vnum in vi ſpiratiua*. Et paucis interiectis approbat primum dicendi modum, quem retulerat, & ſic ait; *Et ſic procedit prima opinio, & benè. Vel poſſumus*, inquit, *circa actum ſpirandi conſiderare modum, & habitudinem eius ad extrinſeca, ſecundùm quamdam ſimilitudinem, ratione cuius ſortitur tale nomẽ, vtpotè, quia ſpirare eſt à duobus; & quantùm ad hoc, dicunt illi de ſecunda opinione, quòd Pater, & Filius ſpirant in quantùm ſunt plures*.

Durand.

27 Et iſtum dicendi modum iudicat non benè dictum, & impugnat nu. 10. vbi ſic ait; *Et patet ex præcedentibus, quòd pluralitas ſuppoſitorum nullo modo eſt huius cauſa, vel ratio. Et ideo*, ſubdit, *nullo modo eſt dicendum, quòd Pater, & Filius ſpirent in quantùm ſunt plures, propter quòd ſecunda opinio minùs eſt conueniens, quàm prima*. Hæc eſt doctrina Durandi circa illud quæſitum, in qua nihil fidei, aut Conciliorum dictis, ſeu modo loquendi ipſorum inuenitur obſtans. Ideoquè exiſtimo quantùm ad hoc, non eſſe alicuius cenſuræ dignum.

28 Imò videtur eſſe conformis doctrinæ D. Thomæ. Etenim D. Thomas in 1. diſt. 11. q. vnica art. 2. in corp. etiam diſtinctione procedit, circa hoc, quod eſt quærere, *Vtrum Pater, & Filius ſint principium Spiritus ſancti in quantùm vnum, an in quantùm plures*, & hæc aurea verba profert. *Ly, in quantum, poteſt dicere conditionem agentis, vel principium actionis. Si dicat conditionem agentis, vel operantis, ſic procedit Spiritus ſanctus à Patre, & Filio, in quantùm ſunt plures, & in quantùm ſunt diſtinctæ perſonæ. Si autem dicat conditionem principij actionis, ſic dico, quòd procedit ab eis in quantùm ſunt vnum*. Et in 4. huius quæſt. art. ad 1. hoc idem ait.

D. Thom.

29 Probatur ſecũdò authoritatibus Sanctorum; Nam D. Auguſtinus lib. 5. de Trinit. cap. 14. *Fatendum eſt*, inquit, *Patrem, & Filium principium eſſe Spiritus ſancti, non duo principia, ſed ſicut Pater, & Filius, vnus Deus, & ad creaturam relatiuè vnus Creator, & vnus Dominus, ſic relatiuè ad Spiritum ſanctum, vnum principium. Ad creaturam verò Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus, vnum principium, ſicut vnus Creator, & vnus Dominus*. Idem docet S. Iſidorus lib. 1. ſent. cap. 17. nu. 2. ſic dicens. *Spiritus ſanctus Patris, & Filij eſt; & inde vnum ſunt Pater, & Filius, quia nihil habet Pater, quòd non habet Filius. Non enim res vna, & duorũ conſubſtantialis, poterit ſimul ab eis procedere, & ſimul ineſſe, niſi vnum fuerit, à quibus procedit*. Et S. Anſelmus, Epiſt. de proceſſ. Spiritus ſancti cap. 15. *Quoniam*, inquit, *ſicut non credimus Spiritum ſanctum eſſe de hoc, unde duo ſunt Pater, & Filius, ſed de hoc, in quo unum ſunt; ita nõ dicimus duo eius principia, ſed unum principium*.

D. Aug. S. Iſidor. S. Anſel.

30 Ex quibus authoritatibus Conciliorũ ſcilicet, & Sanctorum Patrum colligitur, quòd ſententia Gregorij Ariminenſis meritò à recentioribus, & præſertim à Patre Molina art. 4. huius quæſt. diſp. 2. §. *Sententia hæc, temeraria, & parùm tuta in fide* iudicatur.

Arimin. Molina.

31 Probatur tertiò ratione. In diuinis omnia ſunt, & debent dici vnum, vbi nõ obuiat relationis oppoſitio: ſed quantũ ad hoc, quod eſt ſpirare, ſeu eſſe principium Spiritus ſancti, Pater, & Filius nõ opponuntur relatiuè, imò conueniunt. Ergo Pater, & Filius ſunt vnum principium Spiritus ſancti.

32 Confirmatur, quia Pater, & Filius, licèt ſint duæ perſonæ realiter diſtinctæ, tamen principiant Spiritum ſanctum per vnam omninò indiuiſibilem vim ſpiratiuam, & per vnam, ſeu vnicam ſpirationem, vt Concilia Lugdunenſe, ſcilicet, & Florentinum expreſsè docent. Ergo Pater, & Filius ſunt vnum principium Spiritus ſancti. Videantur, quæ D. Thomas in toto art. 4. huius quæſt. docet, & ea, quæ ſuper eiuſdem articuli Commentarium diximus; quoniam per eadem magis hæc veritas roboratur, & declaratur, & argumenta, quæ poſſent in contrarium adduci, rectè ſoluuntur.

Lugdun. Florent. D. Thom.

DISPV-

Digitized by Google

DISPVTATIO CXCVII.

VTRVM PATER, ET FILIVS DICENDI SINT VNVS Spirator, an duo Spiratores.

Per vnicum caput expedita.

CAPVT VNICVM.

Doctorum opiniones referuntur, & veritas ſtabilitur.

1 SVppoſito, quòd Pater, & Filius ſunt vnum principium Spiritus ſancti, eo modo quo diſp. præced. concluſimus, inueſtigandum remanet, Vtrum, cum in ſpiratione Spiritus ſancti concurrant duæ perſonæ, quæ ambæ ſpirant, & etiam concurrat vna virtus ſpiratiua ratione duarum perſonarum ſpirantium, ſit vera iſta propoſitio, Pater & Filius ſunt duo ſpiratores, an potiùs vnus ſpirator.

Alb. Mag. D. Thom. Alenſis. Henricus. Bonau. Ægidius. D. Thom.

2 Albertus Magnus, 1. p. ſum. q. 31. memb. 3. ad 1. quæſt. concedit, quòd Pater, & Filius ſunt duo ſpiratores, & D. Thomas. in 1. diſt. 11. q. vnica ar. 4. & diſt. 29. q. vnica art. 4. ad 2. hoc ipſũ affirmare videtur. Alenſis, in Summa 1. p. q. 70. memb. 3. art. 5. Henricus, in ſumma art. 54. q. 6. ad 11. & art. 60. q. 6. D. Bonauentura, in 1. diſt. 29. art. 2. q. 2. Aegidius, in 1. diſt. 11. art. 2. q. 4. & vt vnico verbo dicam, multi hanc ſuſtinent opinionem, vt teſtatur D. Thomas art. 4. in argum. 7. *à multis dicitur*, quòd Pater, & Filius ſunt duo ſpiratores.

3 Sed aduerte, quòd ly, *à multis*, ponitur à D. Thoma ex parte argumenti, ſeù arguentis in contrarium, non autem ex parte reſponſionis; quoniam illi ſatisfaciens argumento ſic ait. *Ad ſeptimum dicendum, quòd quidam dicunt, quòd Pater, & Filius, licèt ſint vnum principium Spiritus ſancti, ſunt tamen duo ſpiratores*. Vbi D. Thomas non dicit, *multi*, *ſed quidam dicunt*. Vnde ly, *à multis*, vel non accipitur ſecundùm magnam multitudinem, ſed pro vt multi vocari poſſunt etiam tres. Quamobrem, D. Thomas reſpondẽs argumento, illam particulam, *à multis dicitur*, per illam aliam, *Quidam dicunt*, iudico correxiſſe, & arguenti non conceſſiſſe.

4 Alij tamen dicunt, quòd Pater, & Filius dicuntur vnus ſpirator, non duo ſpiratores Spiritus ſancti. Ita D. Thomas in hoc art. in reſp. ad 7. Capreolus in 1. diſt. 29. art. 1. q. 2. Et ne in diſputatione nõ tàm graui multùm immoremur, ita communiter Doctores poſt D. Thomam, & præſertim recentiores. D. Thom. Capreol.

5 Dixi non tàm graui quia, vt rectè obſeruat Durandus, in 1. diſt. 29. q. 3. n. 4. *hæc quæſtio non eſt de re, ſed de modo loquendi*. Omnes enim catholici confitẽtur, quòd Pater, & Filius ſpirant Spiritum ſanctũ, non vt vna perſona, ſed vt duæ perſonę; Et ſimiliter, quòd non ſpirant Spiritum ſanctum, niſi vnica virtute ſpiratiua, & vnica ſpiratione; ideoquè aſſerentes, Patrem, & Filium rectè duos ſpiratores nuncupari non intendunt aliud dicere, niſi quòd ambæ perſonæ Spiritum ſanctum ſpirant. Et ſimiliter dicentes, Patrem per Filium eſſe vnum ſpiratorem, non intelligunt eſſe vnam perſonam ſpirantem, ſed duas, per vnam virtutem ſpiratiuam. Eſt igitur quæſtio de modo loquendi, non de re. Durand.

6 Sed pro determinatione veritatis; Dico primò. Pater, & Filius ſunt duo ſpirantes Spiritum ſanctum.

Hoc dictum eſt commune, & breuiter probatur; quia ſpirans eſt terminus adiectiuus, adiectiuè acceptus. Ergo accipitur per perſona, quæ ſpirat: ſed ſunt duę perſonæ, quæ ſpirant, puta, Pater, & Filius. Ergo verum eſt dicere, quòd Pater, & Filius ſunt duo ſpirantes.

7 Dico ſecundò. Meliùs dicitur, quòd Pater, & Filius ſunt vnus ſparator, quã quòd ſunt duo ſpiratores.

Nota ly, *melius dicitur*; quia per hoc oppoſita ſententia non vt falſa damnatur, nequè vt omninò improbabilis refutatur.

Sufficit

Digitized by Google

Sufficit enim, vt ſua gaudeat probabilitate, quòd eam tenuerit Albertus Magnus & quondam eius diſcipulus, noſterquè Præceptor Sanctus Thomas.

8 Probatur igitur primò concluſio ratione D. Thomæ. Spirator eſt terminus ſubſtantiuus, ſubſtantiuè acceptus. Ergo non poteſt, nec debet multiplicari, ſeù in numero plurali pronunciari, niſi multiplicato formali, ac primario eius ſignificato. Sed ſignificatum huius vocis, nempè, ſpirator, eſt virtus ſpiratiua, ratione cuius Pater, & Filius dicuntur vnum principium Spiritus ſancti. Ergo Pater, & Filius melius dicuntur vnus ſpirator, quàm plures ſpiratores.

9 Probatur ſecundò. Pater, Filius, & Spiritus ſanctus non dicuntur tres Creatores, ſed vnus Creator. Ergo Pater, & Filius non dicuntur duo ſpiratores, ſed vnus ſpirator. Antecedens patet, & ab omnibus admittitur. Omnes enim concedunt, quòd licèt, Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus ſint tres perſonæ creantes, ſunt tamen omnes tres perſonæ diuinæ vnus Creator, ſicuti ſunt vnus Deus. Probatur igitur conſequentia. Quia ſicuti Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus, non obſtante, quòd ſunt tres perſonæ realiter diſtinctæ, propter vnam vim creatiuam, dicantur vnus creator, ita Pater, & Filius &c.

10 Quòd ſi obijcies. In tantùm Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus dicuntur vnus Deus, in quantùm datur vna ſubſiſtentia abſoluta ſignificata per ly, *Deus*: ſed Pater, & Filius in ratione principij Spiritus ſancti non habent vnam ſubſiſtentiam communem, vt videbimus diſp. ſeq. Ergo Pater, & Filius, non ſunt vnus ſpirator.

11 Reſpondetur, diſtinguendo, ſeù potiùs explicando antecedens. In tantum &c. ſi ly, *in tantùm*, & ly, *in quantùm*, accipiantur explicatiuè, & aſſertiuè, non excludendo alias rationes, concedo antecedens. Si accipiantur excluſiuè, ita vt ſenſus ſit, quòd non propter aliam rationem Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus ſunt vnus Deus, niſi quia conueniunt in vnica ſubſiſtentia abſoluta, nego antecedens. Etenim negãtes ſubſiſtentiam abſolutam in Deo, affirmant quoquè; quòd Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus ſunt vnus Deus, propter vnam formam ſubſtantificam Deitatis.

12 Obijciet aliquis inſuper ſic. Pater, & Filius dicuntur vnus ſpirator Spiritus ſancti, ſicuti dicuntur vnum principium: ſed non valet dicere, quòd Pater, & Filius ſunt duo principia Spiritus ſancti, & eſſet propoſitio erronea, ſi diceretur, quòd Pater, & Filius ſunt duo principia Spiritus ſancti. Ergo nequè etiam valet aliqua probabilitate dicere, quòd Pater, & Filius dicuntur duo ſpiratores. Ergo non benè ſic diximus num. 7. meliùs dicitur, quòd Pater, & Filius ſunt vnus ſpirator, quàm quod ſunt duo ſpiratores. Et ibidem malè notauimus, quòd dicere Patrem, & Filium eſſe duos ſpiratores, eſſe probabile.

13 Reſpondetur, negando maiorem, ſeù paritatem quò ad omnia. Nam omnes Theologi dicunt, quòd hoc nomen, principium Spiritus ſancti, accipitur ſubſtantiuè, & pro virtute ſpiratiua, quæ non eſt niſi vna ſupponens quo ad perſonas ſpirantes pro duabus perſonis indiſcriminatim, ac proinde, nulla probabilitatis ſpecie, cum proprietate ſermonis dici poteſt, quod Pater, & Filius ſunt duo principia Spiritus ſancti, licèt dici poſſit, quòd ſunt duo principiantes, ſeu ſpirantes Spiritum ſanctum: at vero hoc nomen ſpirator, à Doctoribus affirmantibus, quòd Pater, & Filius ſunt duo ſpiratores, accipitur pro perſonis ſpirantibus, non verò pro forma, ſeù pro vi ſpiratiua.

14 Obijciet aliquis inſuper. Si valeret dicere, quòd Pater, & Filius ſunt vnus ſpirator, valeret quoquè dicere, quòd Pater, & Filius ſunt hic ſpirator, ſed hoc non benè dicitur. Ergo nequè benè dicitur, quòd Pater, & Filius ſunt vnus ſpirator. Probatur ſequela, quia vnus homo, eſt iſte, ſeù hic homo. Ergo vnus ſpirator eſt hic ſpirator. Ergo valet dicere &c. Probatur verò minor; quia ly, *iſte*, ſeù hic ſpirator, demonſtrat ſuppoſitum ſpirans, ſeù perſonam ſpirantem: ſed non valet dicere, quòd Pater, & Filius ſunt iſtud, ſeù hoc ſuppoſitum, aut hæc perſona ſpirans; cum Pater, & Filius non ſint vnum ſuppoſitum, ſeù vna perſona. Ergo.

15 Reſpondetur, concedendo ſequelam, & negando minorem. Ad cuius probationem, nego maiorem, Namquè ſpirator, ſeù hic ſpirator, demonſtrat formale, ac primarium ſignificatum ſuum: formale autem, ac primarium ſignificatum ſpiratoris, non eſt perſona ſpirans, aut perſonę ſpirantes, ſed eſt virtus ſpiratiua, actioquè ſpirandi, vt ſubſiſtens ſubſiſtentijs relatiuis Patris & Filij. Vnde, non obſtante, quòd ſunt duæ perſonæ ſpirantes, meliùs dicitur, quòd Pater, & Filius ſunt iſte, ſeù hic ſpirator, quã ſi diceretur, ſũt iſti, ſeù hi ſpiratores.

Digitized by Google

16 Contra; quia dato, quòd ſit verum, & melius dicere, Pater, & Filius ſunt hic ſpirator, ſi, ly, *hic ſpirator*, ponatur ex parte prædicati, vt eſt in caſu præſentis ſermonis, nihilominùs, verum, & meliùs erit dicere, hi ſpiratores ex parte ſubiecti. Ergo dicendum eſt, quòd aliquando melius dicitur hic ſpirator; & aliquando, hi ſpiratores. Probatur antecedens, ex doctrina D. Thomæ 3. p. q. 16. art. 7. ad 3. vbi ſic ait. *Terminus in ſubiecto poſitus, tenetur materialiter, id eſt, pro ſuppoſito; poſitus verò in prædicato, tenetur formaliter, id eſt, pro natura ſignificata*. Et eadem quæſt. art. 9. vbi quærit, *vtrum hæc ſit vera, iſte homo, demonſtrato Chriſto, incæpit eſſe*; Et reſpondēs negatiuè, probanſq; in ſecunda ratione concluſionem, ſic ait. *Terminus in ſubiecto poſitus, non tenetur formaliter, pro natura, ſed magis materialiter, pro ſuppoſito*; & hoc idem ſæpenumero affirmat. Qua doctrina poſita ſic arguitur. Hoc nomen, ſpirator, eſt terminus ſubſtantiuus, dicens, & includens naturam, ſeù formalitatem ſpiratiuam, & ſuppoſita ſpirantia. Ergo poſitus ex parte prædicati, tenetur formaliter, pro virtute ſpiratiua &c. Poſitus autem ex parte ſubiecti, tenetur materialiter, pro ſuppoſitis: ſed ſuppoſita ſpirationis actiuæ sūt duo, puta, Pater, & Filius. Ergo quamuis valeat dicere, Pater, & Filius ſunt hic ſpirator, quia ponitur ex parte prædicati, tamen ſi collocetur ex parte ſubiecti, melius diceretur in numero plurali, hi ſpiratores, dicendo, hi ſpiratores ſpirant.

D.Thom.

17 Reſpondetur, negando antecedens. Ad cuius probationē, concedo doctrinā D. Thomæ poſitā tanquā firmā, & tutā, imò neceſſariā, vt patet ex ijs, quæ dicūtus 3. p. q. 16. & articulis citatis, cōcedo quoquè totū ex prædicta doctrina aſsūptū, & nego vltimā conſequentiā. Et ratio negationis eſt, quia ad multiplicationē, ſeù numerationē termini ſubſtantiui poſiti ex parte prędicati, aut ex parte ſubiecti, requiritur multiplicatio nedū ſuppoſitorū, quod eſt ſignificatū materiale nominis ſubſtantiui concretiuè accepti, verumetiam multiplicatio naturæ, ſeù formæ, quæ eſt ſignificatum formale eiuſdem termini ſubſtantiui,

18 Eſtquè pro hac noſtra ſententia, & doctrina irrefragabile exemplū. Etenim hoc nomen, *Deus*, eſt terminus ſubſtantiuus concretus, habetquè ſignificatum formale, & materiale; formale, eſt natura diuina; materiale, ſunt tres perſonæ diuinæ (loquor in præſenti, ac ſi non daretur ſubſiſtentia abſoluta) & nihilominus hoc nomen, *Deus*, ex quacumquè parte ponatur, ſiuè ex parte prædicati, ſiuè ex parte ſubiecti, ſemper ſingulariter dicitur, & profertur, vt patet, cum dicitur, Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus ſunt Deus, ſeù vnus Deus; & cum dicitur, Deus creauit cœlum, & terram.

19 Et pro huius faciliori captu eſt obſeruandū; quòd nulli dubium eſt, tres perſonas diuinas poſſe, imò debere in numero plurali proferri. Non enim aſſerimus de tribus perſonis loquendo, quòd hæc perſona creat &c. ſed tres perſonæ. Dicimus verò quòd terminus numeralis poſitus ſupra terminum ſubſtantiuum, etiam ex parte ſubiecti ſituatum, multiplicat nomen materiale ſignificati formalis, ac per conſequens, quia ad multiplicationē nominis ſubſtantiui, requiritur plurificatio ſuppoſitorū, & naturarū, idcircò hoc nomen, ſpirator v. g. ſecundū quòd accipitur vt terminus ſubſtantiuus, ex quacūquè parte teneatur, propter vnitatem virtutis ſpiratiuæ ſemper in numero ſingulari debet pronunciari, non obſtante, quod neceſſariò, ac intrinſecè ſupponat virtus ſpiratiua pro duabus perſonis Patris ſcilicet, & Filij.

20 Sed vt hoc etiā faciliori intelligētia cōcipiatur, eſt obſeruādū, quòd quāuis nomen ſubſtantiuū ex parte ſubiecti teneatur materialiter pro ſuppoſito, nō tamē dicendum eſt, quod tenetur pro ſuppoſito ſub nomine propio ſuppoſiti, ſed ſub nomine ſubſtātiuo, cuius ſcilicet, ſuppoſitū eſt ſignificatū materiale. Pono exēplum. Cum dico, Deus creat, (ſuppoſito, quòd non datur in Deo ſubſiſtentia abſoluta, ſeù ſubſiſtens abſolutū, ſed tātummodo natura diuina, & tres ſubſiſtētię relatiuę, ſeù perſonales, vt iam diximus) ly, *Deus*, quia ex parte ſubiecti ponitur, tenetur vtiquè materialiter, pro perſonis diuinis, non propterea dicendū eſt in numero plurali, Dij creāt, eò quia, ſupponit vtiquè ly, *Deus*, pro tribus perſonis, quæ cum ſint tres, ſecundùm quòd tres ſunt, non poſſunt in numero ſingulari proferri, verumtamen ly, *Deus*, eſt terminus ſubſtantiuus, & quatenùs ſupponit pro perſonis, ſupponit pro eis tanquam pro materiali ſignificato, & retinens formale ſignificatum ſuum. Vnde non poteſt numerari. Per nomen autem materiale ſignificati formalis, intelligo concretum alicuius abſtracti, vt Deus reſpectu deitatis, & perſona reſpectu perſonalitatis; quapropter, Pater, v. g. nō eſt nomē materiale ſignificati formalis deitatis, ſed Deus eſt nomē materiale ſignificati formalis deitatis, quatenùs ly, *Deus*, ſupponit pro pſona, vel perſonis;

Pater

Digitized by Google

Pater autem eſt nomẽ materiale paternitatis. Vnde quando ly, *Deus*, ſupponit perſonaliter pro duabus, aut pro tribus perſonis, dicitur etiam in numero ſingulari, quia non ſupponit pro duabus, aut pro tribus perſonis, quatenus proprijs, aut appropriatis nominibus nuncupantur, ſed pro vt ſunt nomen ſignificatum materiale huius nominis, puta, *Deus*; ſic igitur eſt in caſu noſtro. Hoc nomen, ſpirator, eſt terminus ſubſtantiuus, & poſitus ex parte prædicati, tenetur formaliter, poſitus ex parte ſubiecti; tenetur materialiter pro duabus perſonis. Patris, ſcilicet, & Filij, ſemper tamen ſingulariter nominatur.

DISPVTATIO CXCVIII.

VTRVM PATER, ET FILIVS IN RATIONE VNIVS Spiratoris, ſubſiſtant vna ſubſiſtentia communi relatiua.

In tria capita diſtributa.

CAPVT PRIMVM.

Explicatur titulus, & Doctorum opiniones referuntur.

1 PRobauimus ſupra, & ex profeſſo concluſimus, quòd in diuinis dãtur tres ſubſiſtentiæ relatiuæ, & vna abſoluta. Tres relatiuæ, ſunt propriæ trium diuinarum perſonarum; vna verò abſoluta correſpondet rationi abſolutæ deitatis. Quæritur ergo in præſenti, Vtrum ſicuti Deus abſolutè conſideratus, ſubſiſtit ſubſiſtentia abſoluta, & omnes tres diuinæ perſonæ etiam ſubſiſtunt eadem abſoluta ſubſiſtentia illis communi, atque etiam perſona Patris vt genitor eſt, ſubſiſtit ſubſiſtentia, quæ eſt propria Patri; Perſona Filij, ſubſiſtit ſubſiſtentia propria, vt genita eſt; & perſona Spiritus ſancti, ſubſiſtit ſubſiſtentia propria, vt perſona ſpirata eſt; ita quoquè Pater, & Filius, quatenùs ſunt vnum principium, & dicuntur vnus ſpirator Spiritus ſancti, ſubſiſtant vna ſubſiſtentia ſibi dumtaxat, communi.

2 Quidam partem defendunt affirmatiuam. Ita Ocamus, & Gabriel, in 1. diſt. 12. quos ſecuti ſunt Molina, in hac quęſtione art. 4. diſp. 2. licèt à nonnullis excuſetur. Becanus, tract. de Trinit. cap. 6. q. 5. concl. 3. Nazarius, in hac quæſt. art. 4. controu. 2.

Ocham. Gabriel. Molina. Becanus. Nazarius.

3 Communiter tamen tenent, non dari huiuſmodi ſubſiſtentiam ſpirationis ratione diſtinctam à ſubſiſtentia abſoluta, & à ſubſiſtentijs perſonalibus. Ita D. Thomas, infra citandus, Bañes, art. 4. huius quæſt. §. *Sed hic modus dicendi*. Zumel, & Ripa hìc, Suarez, lib. 10. de Trinit. cap. 4. Vaſquez, diſp. 149. cap. 4. Granada, in 1. p. tract. 10. diſp. 6. Gonzalez, diſp. 13. ſect. 2. Turrianus Complutenſis 1. p. q. 39. diſp. 34. dub. 2. Ruiz, diſp. 7. Arrubal. diſp. 129. cap. 3. Salmãticenſes, tract. 6. diſp. 15. dub. 4. Albertinus, coroll. 15. theol. ex prædicamento ad aliquid dubit. 1. concl. 3. Ioannes à S. Thoma, q. 33. diſp. 15. art. ſuo 4. nu. 23. §. *Nihilominùs*, Faſolus, in hac q. art. 4. dub. 2. concl. 2. num. 14. qui contẽdit, quòd *nequè cõtradicit Molina*. Ayoſſa, hìc art. 4. diſp. 26. ſect. 2. §. 2. Marcus Ferro, hìc dub. 3. Arriaga ſupponit, vt patet, præſertim diſp. 50. ſect. 5. & 6. & infra, diſp. 53.

D. Thom. Bañes. Zumel. Rip. Suarez. Vaſquez. Granado. Gonzal. Turrian. Ruiz. Arrubal. Salmant. Albertin. Io à S. T. Faſolus. Ayoſſa. Ferro. Arriaga.

CAPVT SECVNDVM.

Determinatio veritatis.

PRO determinatione veritatis, Dico breuiter. Non datur ſubſiſtentia ſpirationis actiuæ, ſeù vnum ſubſiſtens relatiuum, quod ſpiret Spiritũ ſanctum.

4 Probatur primò; quia ſic videtur vehementer Sacrũ Concilium Florentinũ indi- Florent.

Digitized by Google

Florent. indicare. Nam collat. 21. §. *Optaſſem*. fol. mihi 261. ſic Ioannes ex parte Latinorum ait. *Et cum Pater ſit primum principium, & origo totius diuinitatis, non habet ab alio, quòd producat perſonam in diuinis, ſed ex ſe habet, quia à nullo eſt; Filius autem ex ſe non habet, quia eſt perſona, quæ eſt ab alio; modo Pater in quantùm eſt Pater, non eſt principium Spiritus, ſed in quantùm ineſt in eo natura diuina, & virtus ſpiratiua. Et ideo communicando naturam diuinam, & virtutem ſpiratiuam Filio, non communicat paternitatem, ſecundùm quam diſtinguitur à Filio, ſed omnia illa ſecundùm quæ eſt principium Spiritus ſancti, communicantur Filio*; Vbi, vt puto, non obſcurè pro noſtro dicto loquitur; eò quia, Concilium totam rationē principij Spiritus ſancti ponit in virtute ſpiratiua, pro vt in perſonis Patris, & Filij inuenitur; & quam perſona Patris habet, non ab alio, ſed à ſe, & eamdem, quam habet ex ſe, communicat Filio, & ſic Pater, & Filius ſunt ex mente Concilij vnum principium Spiritus ſancti. Ergo ex mente Concilij non eſt admittenda iſta vna ſubſiſtentia duarum perſonarum.

5 Et ibidem, eodem fol. ſic dicitur. *Sed non poteſt communicari Filio, vt ſit prima radix diuinitatis, quia repugnat proprietati Filij, & ſic eſt clarum, qualiter Spiritus dicatur principaliter à Patre, non quòd ſit pleniùs, aut perfectiùs à Patre, quàm à Filio; quia Filius habet eamdem naturam diuinam, & virtutem ſpiratiuam, ſecundùm quàm Pater, & Filius ſunt vnum principium; Nec alio modo intelligi poſſe, vt ſint vnum principium*. Et immediatè ſic ſubdit; *Patet ex his, quia Spiritus accipit à Filio, ex hoc, quòd Filius accipit à Patre; quia vnum, & idem eſt numero, quod habet Pater, & Filius, hoc vno excepto, quòd Pater a nullo habet, & Filius à Patre, quòd vnum, & idem principium ſit ſpiritus*.

6 Et ibidem. *Et tamen cum dicitur per Baſilium, quòd Filius eſt ſecundus ordine, & dignitate à Patre; Et ſpiritus ſecundus ordine, & dignitate à Filio, non debetis intelligere, vt ſint duæ cauſæ, aut duo principia; quia illamet dignitas, qua Pater producit Spiritum ſanctū, eſt qua Filius producit eumdem*. Sic ibidem fol. 265.

7 In quibus verbis tria ſunt, quę pro noſtra faciunt ſententia. Primum eſt, quòd ſpirare Spiritum ſanctum, conuenit Patri *principaliter*, quia ſcilicet, à Patre Filius habet *eamdem naturam diuinam, & virtutem ſpiratiuam, ſecundùm quàm Pater, & Filius ſunt vnum principium*. Quaſi diceret, Pater, & Filius dicuntur, & verè ſunt vnum Spiritus ſancti principium, ex hoc, quòd Pater habet in ſe virtutem ſpiratiuam, quam omninò eamdem Filio communicat. Ergo ſecundùm mentem Concilij ad conſtituendum vnum principium Spiritus ſancti, ſufficit, & requiritur vna virtus ſpiratiua, & inſuper, duæ perſonæ, ſcilicet, perſona Patris, & Filij. Perſona quidem Patris, vt ex ſe, ſeù à ſe Spiritus ſancti virtutem ſpiratiuam habens; perſona verò Filij, vt accipiens virtutem Spiritus ſancti ſpiratiuā à Patre ſibi communicatam. Alterum eſt, cum dicitur. *Nec alio modo intelligi poſſe, vt ſint vnum principium*. Per quæ verba videtur ſignificare Concilium, nō ſolùm prædictam ſubſiſtentiam relatiuā non dari, ſed nec poſſe dari. Etenim aſſignauit priùs per quid conſtituatur vnū principium Spiritus ſancti, nempè duas perſonas Patris, ſcilicet, & Filij, & vnā virtutem ſpiratiuam, dicit deinde, *non poſſe intelligi alio modo, vt ſint vnum principium*. Aliud tandem eſt, quòd ideo Pater, & Filius ſunt vnum principium Spiritus ſancti, & non *dicuntur duo principia*, quia *illamet dignitas, qua Pater producit Spiritum ſanctum, eſt qua Filius producit eumdē*. Vbi ex eo præcisè Sacrum Concilium, ſeù Ioannes ex parte Latinorum ait, quòd Pater, & Filius ſunt vnum principium Spiritus ſancti, & non duo principia, quia eſt vna dignitas, id eſt, virtus ſpiratiua in Patre, & in Filio. Ergo alienū eſt à mente Concilij illud vnum ſubſiſtens relatiuum propter Spiritus ſancti productionem, Patri dumtaxat, Filioquè commune.

8 Probatur ſecundò; Quia ſic etiam pluriès inſinuat D. Thomas. Nam in compendio Theologiæ ad Fratrem Reginaldum ſocium ſuum chariſſimum, tractatu 1. cap. 60. vbi hunc formans titulum. *Quòd licèt relationes in diuinis ſint quatuor, tamen non ſunt niſi tres perſonæ*. Sic in corp. circa principium ait. *Vnde nihil prohibet, communem ſpirationem ineſſe & perſonæ Patris, & perſonæ Filij. Propter quod communis ſpiratio non eſt perſona ſubſiſtens ſeorſum à perſona Patris, & Filij*. Et paucis interiectis. *Hinc autem patet, quare Deus nō dicitur quinus propter quinarium numerum notionum, ſed dicitur trinus, propter trinarium perſonarum; Quinquè enim notiones non ſunt quinquè ſubſiſtentes res, ſed tres perſonæ ſunt tres res ſubſiſtentes. Licet autem vni perſonæ plures notiones, aut proprietates conueniant, vna tamen ſola eſt, quæ perſonam conſtituit*. Et poſt pauca. *Oportet igitur*, inquit, *quòd plurium proprietatum, ſeù notionum, vni perſonæ conuenientium, illa quæ procedit ſecundū ordinem naturæ perſonam conſtituit, aliæ verò intelliguntur vt perſonæ iam conſtitutæ inhærentes*. Vbi D. Thomas ait, quòd ex quinquè notionibus, tres tantùm ſunt ſubſiſtentes, D.Thom.

Digitized by Google

ſtentes, cæteræ verò ſunt inhærentes; & ſpiratio actiua eſt huiuſmodi, ſicut innaſcibilitas. Et magis vrget argumentum, quia eodem modo loquitur de ſpiratione actiua, ſicut de innaſcibilitate: Sed innaſcibilitas non habet propriam ſubſiſtentiam. Ergo neque ſpiratio actiua.

9 Secundò idem D. Thomas, in 4. huius quæſt. art. in reſp. ad 1. ſic ait. *Si attendatur virtus ſpiratiua, Spiritus ſanctus procedit à Patre, & Filio, in quantùm ſunt vnum in virtute ſpiratiua; neque eſt inconueniens, vnã proprietatem eſſe in duobus ſuppoſitis, quorum eſt vna natura; ſi verò conſiderentur ſuppoſita ſpirationis, ſic Spiritus ſanctus procedit à Patre, & Filio, vt ſunt plures.* Quæ verba ſi attentè conſiderentur, aliquid ad noſtrũ dictum pertinens vehementer conferunt. Nam D. Thomas in illo articulo ex profeſſo, & non diminutè diſquirit, concludit, probat, & declarat, quomodo Pater, & Filius ſunt vnum Spiritus ſancti principium, & primum argumentum contra veritatem militans, ſic proponit. *Spiritus ſanctus non videtur à Patre, & Filio procedere, in quantùm ſunt vnum; neque in natura, quia Spiritus ſanctus ſic etiam procederet à ſe ipſo, qui eſt vnum cum eis in natura. Neque etiam in quantùm ſunt vnum in aliqua proprietate, quia vna proprietas non poteſt eſſe duorum ſuppoſitorum. Ergo &c.* Et reſpondet per verba iam relata. Ergo dicens, quòd *ſi attendatur virtus ſpiratiua &c.* non agnoſcit aliud ſubſiſtens ſpirans, niſi duo ſuppoſita Patris, & Filij, & ipſam virtutem ſpiratiuam in eis.

D.Thom.

10 Aduertenda quoque ſunt ea verba, nimirùm, *ſi verò conſiderentur ſuppoſita ſpirationis*; per ea enim explicat, quodnam ſit ſubſiſtens, ſeù quot ſint res ſubſiſtentes, quæ ſunt id, quod ſpirat, ſeù ea, quæ Spiritum ſanctum ſpirant, & dicit eſſe duo, ſcilicet, ſuppoſita Patris, & Filij.

11 Et ibidem in reſp. ad 4. ſic ait. *Cum enim dicimus, Pater, & Filius ſunt vnũ principium, hoc, quod dico principium, non habet determinatam ſuppoſitionem, immò confuſam, pro duabus perſonis ſimul. Vnde in proceſſu eſt fallacia figuræ dictionis, à confuſa ſuppoſitione ad determinatam*; Vbi nota verborũ D. Thomæ contrapoſitionem; Primò enim loquitur negatiuè, ſic dicens; *non habet determinatam ſuppoſitionem*; Secundò affirmatiuè, ſic dicens, *immò confuſam, pro duabus perſonis ſimul*. Et ſi daretur ſubſiſtens relatiuũ Patri, Filioque commune, ſupponeret ly, *principium*, ſecundùm ſuppoſitionem determinatam, ac proinde, non rectè dixiſſet, quòd nõ habet ſuppoſitionem determinatam. Et ſimiliter, minùs cõgruè explicaſſet, quæ eſt ſuppoſitio principij, dicens eam eſſe confuſam; quoniam ſi daretur vnum ſubſiſtens modo iam dicto, rectiùs dixiſſet, quòd habet determinatam, ac diſtinctam ſuppoſitionem, ſeù potiùs, quòd habet vtramque, determinatam ſcilicet, & confuſam; determinatam quidem, ratione vnius ſubſiſtentis; confuſam verò, ratione duarum perſonarum in illo ſubſiſtente per idẽtitatem vnitarum.

12 Idem docet in reſp. ad 5. & ad 6. Etenim ad 5. ſic ait. *Hæc etiam eſt vera, vnum principium Spiritus ſancti eſt Pater, & Filius, quia hoc, quod dico principium, non ſupponit pro vna perſona tantùm, ſed indiſtinctè pro duabus.* Ad 6. verò ſic ait. *Pater, & Filius ſunt idem principium, ſecundùm quòd ly, principium, ſupponit confuſè, & indiſtinctè pro duabus perſonis ſimul.* Vbi D. Thomas niſi tanquàm diminutus reprehẽderetur, dicendum eſt, quòd tale ſubſiſtens omninò reiecit; quoniam non fuiſſet neceſſarium propter argumentorum ſolutionem ad duorum ſuppoſitorum ſuppoſitionem confuſam, indiſtinctamque recurrere. Et ſi vis huic exagerationi firmiùs adhærere, in contrarium ab eodẽ D. Thoma propoſita argumenta conſidera.

13 Probatur tertiò ratione. Si daretur ſubſiſtens ſpiratiuum Patri, Filioque commune, vel haberet virtutem ſpiratiuam, vel non. Si ſecundum, non ſpiraret, ac proinde, non eſſet ſubſiſtens ſpiratiuum, neque ſpirans. Si primum; Vel eam haberet à ſe, vel communicatam à Patre. Si primum. Contra. Ergo Pater non eſt fons, & origo totius diuinitatis, ſeù Trinitatis, ſed eſſent duæ diuinitatis origines, Pater ſcilicet, & ſubſiſtens ſpiratiuum; Pater, nimirùm, reſpectu Filij; & ſubſiſtens ſpiratiuum reſpectu Spiritus ſancti; quod eſt contra Cõcilia, & Sanctos Patres. Si ſecundum; ſic argumentor contra. Aut Pater communicat hanc virtutem præfato ſubſiſtenti, quia ipſe Pater, ſeù perſona Patris cum virtute ſpiratiua, quam habet, non valet, niſi per ipſum ſubſiſtens Spiritum ſanctum producere, ſeù ſpirare. Et hoc non; quia quidquid Pater æternus communicat alijs, habet etiam in ſe, & ex ſe, in quo dumtaxat, veluti ſeparatur ab alijs. Vel quia, ſimul cum illo ſubſiſtente ad ſpirandum Spiritum ſanctum ex æquo concurrit, & hoc eſt friuolum, falſum, & ridiculum, vt viro rectè diſcurrẽti patet. Item; ſi acciperet virtutem à Patre, procederet à Patre. Hoc eſt hæreticum. Ergo. Probatur ſequela. Quia ideo Spiritus ſanctus procedit à Filio, quia accipit à Filio iuxta illud. *De meo accipiet*. Ergo non remanet in diuinis huic ſubſi-

ſubſiſtenti ſpiratiuo locus.

14 Confirmatur; quia Pater æternus, & ſimiliter Filius, cum ſola virtute ſpiratiua ſufficienter Spiritum ſanctum ſpirāt. Ergo fruſtrà datur, ſeù fingitur dari ſubſiſtens relatiuum, Patri, Filioque commune. Conſequentia eſt euidens; quia huiuſmodi ſubſiſtens non ob aliud poneretur, niſi vt ſpiret Spiritum ſanctum. Probatur autem antecedens; quia non apparet, etiam data fingendi licentia, quid aliud expectatur.

15 Probatur quartò; quia Spiritus ſanctus procedit à Patre, & Filio tanquàm à duobus ſpirantibus æquè principaliter, & immediate. Ergo non requiritur vnū ſubſiſtens commune relatiuum. Conſequentia probatur; quia ſi requireretur tale ſubſiſtens, ideo eſſet, quia Spiritus ſanctus debet procedere ab vno ſpiratore, non ſolum ratione vnius virtutis ſpiratiuæ, verum etiam ratione vnius ſpirantis. Ergo ſi Spiritus ſanctus petit, vt procedat à duobus ſpirantibus, vt duò ſunt, in ratione ſpirantium, fruſtrà fingitur huiuſmodi ſubſiſtens ſpiratiuum. Antecedens verò probatur; quia vt magis patebit diſputatione ſequenti, Spiritus ſanctus procedit vt nexus Patris, & Filij. Ergo ex ſe petit procedere à duobus tanquàm à ſpirantibus.

16 Probatur quintò; quia huiuſmodi ſubſiſtens videtur repugnare dictis Sacræ ſcripturæ. Nam Chriſtus Dominus primus, ac ſingularis de Trinitatis myſterio Magiſter, loquens de Spiritus ſancti proceſſione, non dixit, Spiritus ſanctus, qui à ſubſiſtente ſpiratiuo procedit, ſed *Spiritus ſanctus, qui à Patre procedit*. Quòd ſi huiuſmodi ſubſiſtens Patri; Filioquè commune daretur, meliùs, ac congruentiùs dixiſſet, Spiritus ſanctus qui à ſubſiſtente ſpiratiuo procedit.

17 His adde primò, quòd ſi daretur huiuſmodi ſubſiſtens ſpiratiuum, Pater nō diceretur per ſe, & merito perſonalitatis, ſeu ſuæ propriæ ſubſiſtentiæ ſpirare Spiritum ſanctum, ſed veluti per accidens, ſeù, quaſi materialiter, quia ſcilicet, perſona, ſeù ſubſiſtentia Patris, cum non ſit relatiuè oppoſita ſubſiſtenti illi, identificatur cum illo, ac per conſequens, propter identitatem, quam cum illo ſubſiſtēte ſpiratiuo habet, diceretur ſpirans Spiritum ſanctum. Eo modo, quo concedentes ſubſiſtentiam abſolutam in Deo, dicunt tres perſonas diuinas concurrere ad creationem. Ad quod D. Thomas in 1. diſt. 11. q. vnica, art. 4. ad 3. attendens, ſic dixit. *Per intellectum remota diſtinctione perſonarum, adhùc remanebit creatio.*

D. Thom.

18 Adde ſecundò, quòd fruſtra contra Græcos Concilia, & Doctores laboraſſent, ad probandum quòd Spiritus ſanctus procedat etiā à Patre, per hoc, quòd Sacra ſcriptura dicit, *Spiritus ſanctus, qui à Patre procedit*; quia ſcilicet, Spiritus ſanctus procedens à Patre, procedit quoque a Filio, cui Pater omnia dedit, excepto hoc, quod eſt eſſe Patrem. Patet hoc, quia tàm Pater, quàm Filius habe-rent, vt ſpirent Spiritum ſanctum, quia identificantur ſubſiſtenti ſpiratiuo. Ergo non ex eo quia à Patre procedit, ideo à Filio quoquè procedere debet, ſed potiùs, quia Filius identificatur cum ſubſiſtente ſpiratiuo, Spiritum ſanctum ſpirat. Vt quid ergo Chriſtus Dominus nominauit Patrem tanquàm fontem, & principium Spiritus ſancti?

19 Probatur tàdem; quia ſi Spiritus ſanctus non procederet à Filio, procederet tamen à Patre, peto ab oppoſitæ ſententię Doctoribus, daretur ne ſubſiſtens ſpiratiuum, ratione diſtinctum à ſubſiſtente generatiuo, an non. Si primum, hoc eſt falſum; quia in tali caſu, illud ſubſiſtens eſſet perſona; & ſic generans, & ſpirans eſſent duæ perſonæ ratione diſtinctæ; quod eſt falſum. Si ſecundum; Contra. Ergo nequè etiam datur modo in caſu vero, ſcilicet, quòd Spiritus ſanctus procedit à Patre, & etiam à Filio. Probatur conſequentia; quia quòd etiam procedat à Filio, nō additur aliud, niſi quod, id quod habebat Pater in ordine ad ſpirandum Spiritum ſanctum, ineſt quoquè Filio communicatum à Patre. Ergo.

CAPVT TERTIVM.

Proponuntur argumenta in contrarium, & ſoluuntur.

20 SED contra iſtam determinationē obijciet aliquis primò, authoritate D. Thomæ. Nam in 1. ad Annibaldum diſt. 29. q. 4. ad 2. ſic ait. *Sicut diuinitas in diuinis non eſt niſi ſubſiſtens, & tamen vna deitas eſt Patris, & Filij, quia ſunt duo ſubſiſtentes ex alia ratione diſtincti; ſimiliter, & de communi ſpiratione oportet intelligi.* Ergo ſicut datur vna ſubſiſtentia deitatis, ita datur quoquè ad mentem D. Thomæ vna ſubſiſtentia virtutis ſpiratiuæ. Et in 1. diſt. 11. ar. 2. & 3. ait, quòd *Pater, & Filius ſpirant Spiritum ſanctum, in quantum ſunt vnum in potentia ſpiratiua, quæ dicit aliquid quaſi mediū inter eſſentiam, ac proprietatem, eò quòd dicit eſſentiam* D. Thom.

eſſentiam ſub ratione proprietatis. Sic enim actus notionalis ab eſſentia egreditur. Generatio enim ab eſſentia non egreditur, in quantùm eſt eſſentia, ſed in quantùm eſt paternitas; & ſi iſta ſcilicet, eſſentia, ac paternitas differrent in diuinis, egrederetur generatio ab vtroquè, ſed à paternitate immediatè, & ab eſſentia, ſicut à primo principio. Similiter dico, quòd ſpiratio egreditur ab eſſentia, non ſicut à ſpirante, ſed ſicut à principio ſpirationis, in quantùm habet rationem alicuius notionis, quæ eſt communis Patri, & Filio, quæ dicitur communis ſpiratio: & iſta ſpiratiua potentia dicit eſſentiam ſub ratione talis proprietatis; & ideo dico, quòd procedit Spiritus ſanctus à Patre, & Filio, in quantùm ſunt vnum in eſſentia, & in aliqua notione, ſcilicèt communi ſpiratione. Ergo datur quarta ſubſiſtentia perſonalis, & quartum ſubſiſtens. Circa quas authoritates, Nazarius multas pro ſua opinione congerit exagerationes.

21 Reſpondetur ad primam authoritatem, concedendo eam, vt iacet, & negando conſequentiam. Et ratio negationis eſt, quia paritas inter deitatem, & communem ſpirationem à D. Thoma poſita, non eſt ſecundùm arguentis intentionem, ſed pro noſtra ſententia. Vnde hæc eſt præfatæ authoritatis explicatio germana. *Sicut diuinitas in diuinis non eſt niſi ſubſiſtens*, ita communis ſpiratio eſt ſubſiſtens; taliter, quòd lv, *ita*, non facit paritatem quantùm ad hoc, nempe, ſicut diuinitas habet propriam ſubſiſtentiam, ita quoquè communis ſpiratio habet propriam ſuam ſubſiſtentiã. Hoc enim nec vnquàm ſomniauit. Sed paritas eſt, vt dixi, quòd ſicuti in diuinis diuinitas eſt ſubſiſtens, ita quoquè communis ſpiratio non eſt inhærens, ſed neceſſario eadem diuinitatis ſubſiſtentia ſubſiſtens, & præter ſubſiſtentiam deitatis, ſubſiſtit quoquè duarum perſonarũ ſubſiſtentijs.

22 Ad ſecundam authoritatem reſpondetur, explicando eam, hoc modo. Spiritus ſanctus procedit à Patre, & Filio in quãtùm ſunt vnum in eſſentia, & in aliqua notione, ſcilicet, communi ſpiratione. Ideſt, procedit à Patre, & Filio, tanquàm à ſuppoſitis ſpirantibus, & à communi ſpiratione, tanquàm à ratione formali ſpirandi, concedo. Et à communi ſpiratione, tanquàm à ſubſiſtente ſpirante, nego. D. Thomas, vt patet, in locis ſupra pro noſtræ concluſionis probatione, adductis, loquitur primo, ſed non ſecundo modo.

23 Obijciet ſecundò, quia relatio in diuinis non eſt inhærens, ſed ſubſiſtens. Ergo etiam relatio ſpirationis debet eſſe ſubſiſtens. Ergo datur ſubſiſtens ſpiratiuum commune Patri, & Filio.

24 Reſpondetur, diſtinguendo, ſeù potiùs explicando antecedens. Relatio in diuinis non eſt inhærens, ſed ſubſiſtens, ſubſiſtentia communi, & abſoluta deitatis, nec non ſubſiſtentijs perſonalibus Patris, & Filij, concedo antecedens. Subſiſtentia ſibi propria, nego antecedens. Ergo &c. ſimiliter diſtinguendũ, ſeù explicandum eſt primum cõſequẽs, negando verò ſecundã conſequentiam. Omnis enim formalitas, quæ reperitur in Deo, debet eſſe ſubſiſtens, ſed nõ omnis debet habere propriam ſubſiſtentiã. Vnde D. Thomas, qui ſupra, notiones innaſcibilitatis, & communis ſpirationis vocat inhęrentes, non quia re vera inhęreant, ſed quia proprias non dicunt ſubſiſtentias.

25 Obijciet tertiò. In Deo datur vnum ſubſiſtens abſolutum commune Patri, & Filio, & Spirituiſancto. Ergo etiam datur vnum ſubſiſtens relatiuum ſpirãs. Antecedens probatum eſt ſupra diſput. 166. Probatur conſequentia. Quia ſicut Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus ſunt vnus Deus, ita Pater, & Filius ſunt vnus ſpirator. Ergo.

26 Reſpondetur, concedendo antecedens, & negando conſequentiam. Ad cuius probationem diſtinguo, ſeù explico antecedens. Sicut &c. Ratione formæ ſubſtantificè, & in concreto ſignificatæ, concedo antecedens. Ratione habentis formam deitatis, virtutis creatiuæ &c. nego antecedens. Ergo &c. nego conſeq. Itaquè diſparitas eſt, quia Pater, Filius & Spiritus ſanctus dicũtur, & ſunt vnus Deus, & vnus creator, ratione vnius Deitatis, & vnius virtutis creatiuæ, & etiam ratione vnius ſubſiſtentis in deitate, & vnius creantis, Pater autem, & Filius dicuntur vnus ſpirator ratione vnius virtutis ſpiratiuæ dumtaxat. Et huius etiam ratio eſt; Quia Pater, & Filius & Spiritus ſanctus licèt ſint tres perſonæ realiter ad inuicem diſtinctæ, tamen dicuntur creare non in quãtùm tres ſunt, ſed in quantùm ſunt vnũ, creant enim in quantùm ſunt Deus. At verò Pater, & Filius ſpirant Spiritum ſanctum, nedùm ſecundùm quòd habẽt vnam vim ſpiratiuam, verumetiam in quantùm ſunt duæ perſonæ mutuò ſe notionaliter amantes; ac proinde, producunt Spiritum ſanctum vt vnum ſunt in vi ſpiratiua, & vt duæ perſonæ ſunt mutuò ad inuicem ſe amantes.

27 Hinc ergo ſoluitur argumentum ſextum ſupra diſp. 166. nu. 132. poſitum, quod erat tale. Valet dicere, quòd Pater, & Filius ſunt vnus ſpirator Spiritus

san-

ſancti, ratione vnius virtutis ſpiratiuæ, ſed non inde ſequitur, quòd vnus ſpirator habeat vnum ſubſiſtens in ratione ſpiratoris. Ergo nequè etiam ſequitur, ex eo, quia Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus ſunt vnus Deus, quòd datur vnũ ſubſiſtẽs abſolutum, ſeù vnum ſubſiſtere, aut vna ſubſiſtentia abſoluta. Lege totum argumentum loco cit.

28 Reſpondetur enim, concedendo antecedens, quantùm ad totum aſſumptũ in illo, & negando ſuppoſitum conſequentis. Non enim ex eo præcisè probamus, dari in Deo ſubſiſtentiam abſolutam, quia ſcilicet, valet dicere, Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus ſunt Deus, ſunt vnus Deus, ſunt hic Deus &c. ſed propter rationes iam ibi adductas, & explicatas. Etenim vt valeat dicere, Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus ſunt Deus, ſunt vnus Deus, ſunt hic Deus, ſufficit vnitas deitatis ſubſtantiuè ſignificatæ, quod eruditè docet D. Thomas in hac quæſt. 36. art. 4. in corp. ſic dicens. *Sicut igitur Pater, & Filius ſunt vnus Deus propter vnitatem formæ ſignificatæ per hoc nomen, Deus, ita ſunt vnum principium Spiritus ſancti, propter vnitatem proprietatis ſignificatæ in hoc nomine, principium*. Idem docet 3. p. quęſt. 3. art. 6. ad 1. vbi ſic ait. *Hac poſitione facta ſcilicet, quòd tres perſonæ aſſumerent vnam humanam naturam, verum eſſet dicere, quòd tres perſonæ eſſent vnus homo propter vnam naturam humanam*; quod his exemplificat verbis; *Sicut enim*, inquit, *nunc verum eſt dicere, quòd tres perſonæ ſunt vnus Deus, propter vnam diuinam naturam, ſic verum eſſet dicere &c.* Et idem inſuper docet eadem quæſt. art. 7. ad 2.

D. Thom.

29 Hinc etiam patet diſcrimen, quare ſcilicet, rectè probatur, quòd datur vna ſubſiſtentia abſoluta toti Trinitati communis, non verò datur vna ſubſiſtentia relatiua ſpiratoris communi Patri, & Filio Spiritum ſanctum ſpirantibus; eò quia, & ſi valet dicere, Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus ſunt vnum intelligens, vnum volens &c. non tamen valet dicere, Pater, & Filius ſunt vnum ſpirans, licèt valeat dicere, Pater, & Filius ſunt vnus ſpirator; Nam ad hoc vt ſit verum dicere, Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus ſunt vnum intelligens, vnum volens &c. requiritur vnum ſubſiſtens abſolutum; & quia datur vnum ſubſiſtens abſolutum commune toti Trinitati, non verò datur vnum ſubſiſtens relatiuum commune Patri, & Filio Spiritum ſanctum ſpirans, idcircò eſt manifeſta diſparitas.

30 Sed eſt aduertendum, quòd ſtante vna ſubſiſtentia abſoluta in diuinis, quia etiam dantur tres ſubſiſtentiæ relatiuæ, ideo valet dicere, quòd Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus ſunt vnum intelligens, & vnum volens, & quòd ſunt tres intelligentes, & tres volentes. Vnum intelligens, & vnum volens, non ſolùm propter vnam intelligendi, vnamquè volendi virtutem, verumetiam propter vnum habẽs intellectum, & voluntatem. Tres verò intelligentes, & tres volentes, propter tres perſonas relatiuè ſubſiſtentes; in caſu verò noſtro, propter vnam ſpirandi virtutem, Pater, & Filius dicuntur vnus ſpirator, non verò vnum ſpirans; quia, & ſi eſt vna virtus ſpiratiua Patri, Filioquè communis, non tamen eſt vnum ſubſiſtens relatiuum commune Patri, & Filio. Vide quæ diximus diſp. præcedenti, & diſp. 166.

DISPVTATIO CXCIX.

VTRVM SPIRITVS SANCTVS SVÆ PROPRIÆ PERSOnalitatis ratione petat procedere à duabus perſonis.

In tria capita diſtributa.

CAPVT PRIMVM.

Explicatur titulus, & Doctorum opiniones referuntur.

1 SVppoſito, quod Spiritus ſanctus procedat à Patre, & Filio, inueſtigandũ ſupereſt, vtrum hoc ſit, quia ſic ex parte principij productiui exigitur; an quia etiam ex parte Spiritus ſancti ſecundùm characteriſticam, indiuidualemquè Spiritus

Digitized by Google

ritus ſancti proprietatem exigitur, vt à duabus perſonis omninò procedat; ita, quòd, ſi Spiritus ſanctus non procederet à Filio, ſed tantùm à Patre, non remaneret eadem numero perſona. Sicuti, ſi lapis V. G. procedens à tribus diuinis perſonis, per hoc, quòd in diuinis actiones ad extra ſunt indiuiſæ; ac proinde quidquid procedit ab vna perſona, debet quoquè ab alia, alijſuè procedere, non ex ſua propriâ exigentia. Et ſic etiam ſi vna dumtaxat eſſet in deitate perſona, dummodo remaneret in Deo eadem potentia creandi, idem quoquè numero lapis produceretur à Deo.

Scotus.

2 Scotus, in 1. diſt. 12. q. 1. docet, quòd Spiritus ſanctus non per ſe, ſeù ratione ſui habet procedere à duabus perſonis, ſed propter identitatē ſpirationis actiuæ in Patre, & in Filio: quoniā cum ſpiratio actiua ſit in Patre, à Patre cōmunicatur Filio.

Durand.

3 Pro hac eadē opinione cōmuniter à Doctoribus ſolet receſeri Durādus, in 1. diſ. 11. q. 3. Sed nō ita res ſe habet. Etenim ibi Durādus, q. 2. ex profeſſo tenet, *quòd ſi Spiritus ſanctus non procederet à Filio nōn diſtingueretur realiter ab illo.* Ergo vt ſaluetur proprietas numeralis Spiritus ſancti debet procedere ab vtroquè neceſſariò. Nec oppoſitū huius docet q. 3. ſed tantum ibidē aſſerit, quòd quando quæritur vtrū Pater, & Filius ſpirēt Spiritū ſanctū in quantùm vnū, an in quantū plures. In tota illa diſputatione docet, quòd ſtante hac reduplicatione, in quantū, ſi ſermo ſit de actu ſpirandi vt ſic, Pater, & Filius nō ſpirant Spiritū ſanctū, in quantùm vnum, nec in quantū plures, ſed in quantū habent virtutē ſpiratiuā præciſè. Ratio enim ſpirationis eſt per vim ſpiratiuā formaliter, & præciſè. Item. Si ſermo ſit de modo reali qui eſt in actu ſpirandi in ordine ad ſua principia, & in ſe, ſic Pater, & Filius ſpirant Spiritum ſanctū, in quantū ſunt vnum in virtute ſpiratiua. & negat poſſe vllo modo dici, quòd ſpirant in quantum plures; eò quia, pluralitas ſuppoſitorum, non eſt cauſa, vt Spiritus ſanctus ſpiretur; Vnde infra diſt. 29. quæſt. 2. nu. 4. ait, quòd *Pater, & Filius ſunt duo principiantes, non duo principia.*

4 Doctores referentes Durandū pro hac opinione, dicūt etiā alibi Durādū tenuiſſe, Patrē, & Filiū eſſe duo principia propriè loquēdo, Spiritus ſancti, atque adeò nō ſatis ſibi cōſtāt, in referēda Durādi opinione. Licèt ergo Durādus nō conueniat in ratione illa, qua probatur, ꝙ Spiritus ſanctus debet procedere à duabus pſonis, quia eſt nexus Patris, & Filij, conuenit tamē in cōcluſione; & in alia ratione, iam tacta & iterū ſtabilienda. Huius igitur opinionis nō eſt defēſor, ſed impugnator. Et ſi mihi non credis, lege Durandum.

5 Refertur quoq; Molina, in hac q. ar. 4. diſp. 5. ſed immerito, vt videri poteſt loc. cit. concl. 1. Solet etiā referri Bellarminus, lib. 2. de Chriſto cap. 27. Sed nō eſt verū, vt patebit in fine ſequētis numeri. Poſſunt ergo pro hac opinione citari, Gabriel, in 1. diſt. 12. Bacconius, ibidem art. 2. in fine, & Scotiſtæ. Molina. Bellarm. Gabriel. Baccon.

6 Alij verò cōmuniſſimè tenēt ꝙ Spirit⁹ ſāctus neceſſariò procedit à duabus pſonis, nedum neceſſitate exigitā ex parte principij producentis, verū etiā ex parte Spiritus ſancti producti. Ita D. Thomas, locis infra citādis. Albertus Magnus, 1. p. q. 31. memb. 1. ad 3. & memb. 2. ad 10. licèt memb. 3. ad oppoſitā ſententiā videatur inclinare Riccardus, in 1. diſt. 11. ar. vnico q. 3. Gregorius, q. vnica art. 2. Henricūs de Gandauo, ar. 54. q. 6. ad 7. Argētina, in 1. diſt. 11. q. 2. colum. penult. cōmuniter Thomiſtæ, Capreolus, in 1. diſt. 12. q. vnica cōcl. 4. Caietanus hic §. *In reſponſ. ad* 1. Ferrariēſis, 4. cont. gent. cap. 25. circa finē, Torres, Bañes, Zumel, Ripa, Nazarius ar. 4. hic. Itē Suarez, lib. 10. de Trin. cap. 5. Vaſquez, diſp. 150. c. 2. Molina eſt huius & nō alterius partis loc. cit. cōcl. 1. Valētia, 1. p. q. 10. punct. 3. in fine. Arrubal, diſp. 136. Granado, tom. 3. in 1. p. tract. 10. diſp. 7 ſect. 1. & 2. Zuniga, diſp. 11. dub. 4. Ruiz de Mōtoya Gōzalez, diſp. 13. ſect. 3. Albertinus tom. 2. 15. coroll. theol. ex prędic. ad aliquid cōcl. 4. Amicus, diſp. 27. de pſona Spirit⁹ ſācti ſect. 6. Ayoſſa, diſp. 29. ſect. 2. §. 2. n. 63. Salmāticēſes, tract. 6. diſp. 15. dub. 5. Ioan. à S. Th. diſp. 15. ar. ſuo 4. n. 5. Faſolus, hic dubit. 3. cōcl. vnica. Arriaga, diſ. 50. ſect. 7. Ferro, in hoc ar. 4. huius q. dub. 1. Bellarm. nu. præc. cit. indubitāter eſt pro hac, & non pro oppoſita opinione. Nā quāuis pceſſionē Spiritus ſācti à Patre, & Filio, pceſſioni creaturę ab omnibus diuinis pſonis æquiparare videatur; Hoc tamē fecit reſpōdēs ad rationē gręcorū, cui iā ſatis ſit, ſi dicatur, ꝙ ſi Pater ſpirat, etiā Spirit⁹ ſāct⁹ ſpirat, propter eādē virtutē ſpiratiuā, quę ſi ineſt Patri, debet cōmunicari Filio, ſicut virtus creatiua eſt cōmunis ſpiritui ſancto. Vbi tamē, ſic immediatè ſubdit. *Adde ꝙ Spirit⁹ ſāct⁹ pcedit à duobus, quia alioqui nō eſſet tertia pſona, ſed coincideret cū ſecūda. Itaq; mūdus producitur neceſſariò à tribus neceſſitate producētis, nō neceſſitate producti; At Spiritus ſanctus, producitur à duobus neceſſariò, neceſſitate producentium, & neceſſitate producti.*

D. Thom. Alb. Mag. Riccard. Gregor. Henricus. Argentin. Capreol. Caiet. Ferrarien. Torres. Bañes. Zumel. Ripa. Nazarius. Suarez. Vaſqaez. Molina. Valentia. Granado. Arrubal. Zuniga. Ruiz. Gonzal. Albertin. Amicus. Ayoſſa. Salmant. Io. à S. T. Faſolus. Arriaga. Ferro. Bellarm.

CAPVT SECVNDVM.
Determinatio veritatis.

7 PRO determinatione veritatis, Dico breuiter. Spiritus ſanctus pro vt nunc eſt, neceſſariò ex ſua characteriſtica numerica perſonalitate per ſe petit à duabus perſonis, ideſt, à Patre, Filioquè procedere.

Tolet. xi. 8 Probatur primo ex Concilio Tolerano XI. in confeſſ. fid. vbi ſic dicitur. *Nequè Patris tantùm, nequè Filij tantum, ſed ſimul Patris, & Filij ſpiritus dicitur.*

D. Thom. 9 Idem pluriès D. Thomas affirmat. Nam in hac quæſt. ar. 4. ad 1. ait, quòd *ſi attendatur virtus ſpiratiua, Spiritus ſanctus procedit à Patre, & Filio, in quantùm ſunt vnũ in virtute ſpiratiua &c. Si verò conſiderentur ſuppoſita ſpirationis, ſic Spiritus ſanctus procedit à Patre, & Filio, vt ſunt plures.* Idem docet in 1. diſt. 11. q. 1. ar. 2. vbi ſic ait. *Dico ergo, ly, in quantùm, poteſt dicere conditionẽ agentis, vel principium actionis. Si dicat conditionem agentis, vel operantis, ſic procedit Spiritus ſanctus à Patre, & Filio, in quantùm ſunt plures, & in quantùm ſunt diſtinctæ.* Idem docet ibidem art. 4. ad 2. Et diſt. 21. art. vlt. ad 2. Vide pro hac noſtra ſententia D. Hieronymum, ſuper Pſal. 17. Ambroſium, in ſymb. Apoſt. cap. 1. D. Auguſtinum, 6. de Trinit. cap. 5. & tractatu 105. in Ioannem, Proſperum, in libello ſent. ſententia 371. Iſidorum, lib. 7. Etymoligiarum cap. 3. D. Anſelmum, in Monol. cap. 48. & 52. & Bernardũ, ſerm. 8. in cantica, & ſerm. 3. de Pentécoſte.

D. Hier. D. Ambr. D. Aug. D. Proſp. D. Anſel. D. Bern.

10 Probatur ſecũdò ratione. Spiritus ſãctus relatiuè opponitur Patri, & Filio tãquã duobus à ſe diſtinctis, nõ tãquã vni. Ergo procedit à Patre, & Filio per ſe, tãquã à duobus. Antecedẽs patet; quia Spiritus ſanctus diſtinguitur à Patre, & Filio ſecundũ quòd duo ſunt. Ergo. Probatur cõſequentia; quia Spiritus ſanctus ab illo ſuppoſito per ſe, ac neceſſariò procedit à quo per ſe, & neceſſario diſtinguitur. Ergò à tot per ſe, ac neceſſariò procedit, à quot per ſe, ac neceſſariò diſtinguitur. Sed per ſe, ac neceſſariò Spiritus ſanctus à duabus perſonis per ſe, ac neceſſariò diſtinguitur. Ergo à duabus perſonis per ſe, ac neceſſariò procedit.

11 Confirmatur. Si Spiritus ſanctus non procederet à Filio, non diſtingueretur ab illo, vt probatum eſt. Ergo ſicuti per ſe diſtinguitur à Patre, & Filio, ita per ſe petit procedere à Patre, & à Filio.

12 Si dicas. Creaturę per ſe, ac neceſſariò ab omnibus tribus perſonis diſtinguuntur, non tamen per ſe petunt procedere à tribus, vt tres ſunt, ſed à tribus, vt vnus Creator ſunt. Ergo ſimiliter, licèt Spiritus ſanctus per ſe, ac neceſſariò diſtinguatur à Patre, & Filio, nõ tamen per ſe procedit à Patre, & Filio ex ſui exigẽtia.

13 Reſpondetur, diſparem eſſe rationẽ. Nam ſi Spiritus ſanctus non procederet à duabus perſonis, nõ diſtingueretur ab eis; at verò, ſi creaturæ nõ procederẽt à tribus diuinis perſonis, ſed ab vna tantũ, adhùc eſſẽt realiter diſtinctæ ab illis perſonis à quibus non procederent. Item. Creaturę procedunt à tribus diuinis perſonis, non quatenùs tres diuinæ perſonę ſunt ad inuicem ſe amãtes, ſeù reamantes; Spiritus ſanctus verò procedit à Patre, & Filio, quatenùs Pater, & Filius ſe mutuò non ſolùm eſſentiali amore, ſed etiam notionaliter diligunt.

14 Probatur tertio. Spiritus ſanctus procedit à Patre, & Filio, vt nexus amborũ. Ergo per ſe procedit à Patre, & Filio etiam, vt plures ſunt. Antecedens eſt Cõcilij Toletani XI. vbi ſic dicitur. *Simul ab vtriuſquè proceſſiſſe monſtratur, quia charitas, ſiuè ſanctitas amborum eſſe agnoſcitur.* S. Proſperi loco citato, vbi ſic ait. *Spiritus ſãctus ſpiritus eſt Patris, & Filij, tanquàm charitas ſubſtantialis, & conſubſtantialis amborũ.* Sed etiã D. Thomas hoc nõ obſcurè docet. Nam de potentia qu. 10. ar. 2. ad 15. ſic ait. *Spiritus ſanctus procedit à Patre, & Filio in quantũ ſunt plures, ſi habeatur reſpectus ad ſuppoſita ſpirãtia. Cũ n. Spiritus ſanctus ſit amor mutuus, & nexus duorũ, oportet ꝙ à duobus ſpiretur.* Et in 1. diſt. 10. q. 1. ar. 3. ſic ait. *Et quia Spiritus ſanctus procedit vt amor, ex modo proceſſionis habet, vt ſit vnio Patris, & Filij.* Et D. Auguſt. 6. de Trinit. c. 5 ſic ait. *Siuè enim ſit vnitas amborũ, ſiuè ſanctitas, ſiuè charitas; ſiuè ideo vnitas, quia charitas; & ideo charitas, quia sãctitas, manifeſtum eſt, ꝙ aliquis duorũ (ſcilicet, Pater, & Filius) eſt, quò vterq; coniũgitur, quo genitus à genitore diligatur, generatoremq; ſuũ diligat, ſintq; non participatione, ſed eſſẽtia ſua, nequè dono ſuperioris alicuius, ſed ſuo proprio ſeruãtes vnitatẽ ſpiritus in vinculo pacis &c. Spiritus ergo ſanctus commune aliquid eſt Patris, & Filij, quicquid illud eſt; at ipſa cõmunio cõſubſtãtialis, & coæterna, quæ ſi amicitia cõuenienter dici poteſt, dicatur.* Conſequẽtia autẽ eſt euidẽs.

Toletan. D. Thom. D. Aug.

15 Ex quibus verbis colligitur primò, ꝙ non ſolùm antecedens eſt D. Thomæ, ſed tota ratio ab ipſo proponitur.

16 Colligitur ſecũdò; ꝙ nõ ſolũ amore eſſẽtiali Pater, & Filius ſe diligũt, verũ etiã amore notionaliter accepto. Nã ſi de amore eſſentialiter conſiderato loquamur, omnes tres diuinę pſonę ſe diligũt; cũ amor eſſẽtialiter ſit in Patre, Filio, & Spiritu ſancto; ſe igitur Pater & Filius amant pro vt in Patre, & Filio notionaliter accipitur.

Colli-

17 Colligitur tertiò; quòd Spiritus ſanctus dicitur nexus Patris, & Filij, non quia ſit perſona medians ordine originis inter Patrem, & Filium; quia eſſet ſecunda, non autem tertia perſona; & Filius tertia. Sed quia, procedit à Patre & Filio ſe mutuò amantibus notionaliter. Et vocatur nexus, terminatiue, quia nimirum, ex nexu amoris inter Patrem, & Filium procedit.

18 Probatur quartò. Spiritus ſanctus per ſe petit procedere ab aliquo ſpirante, habente vim ſpiratiuam Spiritus ſancti. Ergo hic numero Spiritus ſanctus, qui de facto eſt, petit procedere ab hoc ſpirante, vt habente hanc virtutem ſpiratiuam: ſed hæc virtus ſpiratiua per ſe petit eſſe in duobus, vt potè, in Patre, & in Filio; Ergo Spiritus ſanctus per ſe, ac neceſſariò petit procedere à duobus, ſcilicet à Patre, & Filio.

Dices. Creatura per ſe petit procedere à Creatore habente virtutem creatiuam. Ergo hæc numero creatura petit procedere ab hoc habēte hanc virtutem creatiuam. Sed hæc numero virtus creatiua per ſe, ac neceſſariò petit eſſe in tribus diuinis perſonis. Ergo hęc numerò creatura per ſe petit procedere ab omnibus tribus perſonis. Hoc autem per nos nō eſt verùm. Ergo nequè &c.

19 Contra. Quia eſt manifeſta diſparitas. Ergo. Probatur antecedens, quia hæc numero creatura non eſt per ſe primò, & formaliter hæc numero, quia ſcilicet, procedit ab hoc habente hanc numero virtutem creatiuam, ſed quia, eſt hanc, vel illam; ſic, vel ſic participās id, quod eſt per eſſentiam tale; Vnde à quocunq; creatore, & à quacunquè virtute creatiua, poteſt ex omni nihilo fieri, & in eſſe in rerum natura poni. Vnde falſum eſt formaliſſimè loquēdo, quòd hæc numero creatura per ſe, ac neceſſariò exigat hoc creans, cum hac creandi virtute; Ergo ſuppoſito, quòd Spiritus ſanctus per ſe, & neceſſariò petat ab aliquo, per hanc numero ſpiratiuam virtutem procedere, & virtus ipſa ſpirandi per ſe, ac neceſſariò petat eſſe in duobus, rectè concluditur, quòd hic numero Spiritus ſanctus per ſe, ac neceſſariò debet procedere à duobus.

20 Non dico, quòd ſit poſſibilis alia virtus creatiua, ſed tantùm aſſero, quòd ſi per impoſſibile poſſet eſſe, aut imaginari alia virtus creatiua ſubiectiuè, tamen ſemper eſſet eadem terminatiuè, quia virtus creatiua, quacumquè, & in quocunquè illa ſit, & quomodocumquè cōſideretur, ſiuè ſecundùm ſe, ſiuè vt talis, ſemper habet producere rem ex omni nihilo; Vnde quod producatur per creationem hæc res, & non illa, nō prouenit ex ratione virtutis creatiuæ talis, vel talis, ſed ex eo, quia res, quæ ex omni nihilo producitur, ſic, vel ſic diuinam imitatur eſſentiam; ideſt, quantùm ad hanc, vel illam formalitatem; at verò Spiritus ſanctus, pro vt de facto eſt, petit procedere, non ex nihilo ſed ex ſubſtantia Dei, vt nexus Patris, & Filij propter hanc numerò ſpirandi virtutem. Vnde ſi non eſſet uirtus ſpiratiua Spiritus ſancti Patri, Filioquè communis, non eſſet utiquè hæc numero uirtus ſpiratiua. Quare &c.

21 Sunt etiam aliæ pro hac noſtra concluſione rationes, quæ uideri poſſunt apud D. Thomæ commentatores; ſed unum aduertere neceſſe eſt, nēpè, quòd non ſunt ita diuerſæ iſtæ rationes inter ſe, quaſi ſint omninò ab inuicem diſparatæ, & per diuerſa principia procedentes, ſed coniunctæ, & altera alteri manū præbentes. Nam omnes duæ rationes immediatè præcedentes exoriuntur à prima. Ex hoc enim, quòd in diuinis omnia ſunt unum, ubi non obuiat relationis oppoſitio, & ſuppoſito, quòd Spiritus ſanctus eſt perſona realiter diſtincta non ſolùm à Patre, uerumetiam à Filio, oportet, quòd procedat, vt nexus Patris, & Filij; & per virtutem ſpiratiuā neceſſariò exigentem Patrem, & Filiū tanquàm duos ſpirantes, ad hoc, vt ſit perſonę Spiritus ſancti, qui de facto eſt, actualis ſpiratio.

CAPVT TERTIVM.

Proponuntur argumenta in contrarium, & ſoluuntur.

22 SED contra iſtam determinationē obijciet aliquis primò. Si per impoſſibile eſſet virtus ſpiratiua in ſolo Patre, adhùc Pater æternus ſpiraret Spiritum ſanctum. Ergo Spiritus ſanctus non petit ex ſua characteriſtica proprietate à duabus perſonis procedere. Antecedens patet; quia poſita virtute ſpiratiua in Patre, Pater poſſet ſpirare; non enim apparet, quid, vel per quid poſſet ab actu ſpirandi impediri.

23 Reſpondetur primò; negando ſuppoſitum antecedentis. Implicat enim in terminis aſſerere, quòd virtus ſpiratiua non opponatur relatiuè Filio, & quòd exiſtat tantummodò in Patre, & non in Filio.

24 Quòd ſi arguens contendens dicat; Suppo-

Digitized by Google

Suppoſito, quòd hæc numero virtus ſpiratiua eſſet in hoc numero Patre, & non eſſet in Filio, adhùc Pater ſpiraret eumdem Spiritum ſanctum numero, qui modo eſt.

25 Dico, quòd huiuſmodi ſuppoſitio eſt de numero earum, ex quarum poſitione ſequitur contradictio, & vnius eiuſdemquè poſitio, ac deſtructio v. g. ſi quis ſic diceret. Suppoſito, quòd homo eſſet irrationalis, ſequeretur quòd eſſet idem homo, qui modo eſt, ſimulatquè non eſſet idem. Eſſet idem, quia ſic ſupponitur. Non eſſet idem, quia eſſet irrationalis; & homo qui modo eſt, non eſt irrationalis. Ita ſimiliter, ſi quis ſic diceret; Suppoſito, quòd hæc virtus ſpiratiua Spiritus ſancti, quæ eſt in Patre, & Filio, eſſet tantummodò in Patre; eſſet eadem, & non eadem. Eſſet eadem, quia ſic ab arguente ſupponitur; non eſſet eadem; quia hæc virtus ſpiratiua Spiritus ſancti intrinſecè petit, vt ſit in Patre, & in Filio, ac proinde, non eſſet eadem.

26 Reſpondetur ſecundò, explicando antecedens. Si per impoſſibile eſſet virtus ſpiratiua in ſolo Patre, adhùc Pater æternus ſpiraret Spiritum ſanctum, aliū ab eo, qui modo eſt, concedo antecedēs. Eumdem, nego antecedens. Ergo &c. nego conſequentiam; quoniam nos loquimur de Spiritu ſancto, qui de facto eſt, non de Spiritu ſancto, qui fuiſſet in caſu impoſſibili ab arguente poſito.

27 His adde, quòd ſi virtus ſpiratiua Spiritus ſancti eſset in ſolo Patre, nequè ille Pater fuiſſet idem cum Patre, qui modo eſt, nequè Filius fuiſſet idem cum Filio, qui modo eſt, nequè tandem, Spiritus ſanctus fuiſſet idem cum Spiritu ſancto, qui modo eſt, vt dicebamus. Nam Pater, qui modo eſt, talis eſt, vt communicet vim ſpiratiuam Filio. Ergo ſi virtus ſpiratiua eſſet in ſolo Patre; & ille Pater hanc ſpirandi virtutem Filio non communicaret, non eſſet idem Pater, cum eo, qui modo eſt. Item. Filius, qui modo eſt, talis eſt, vt habeat virtutem ſpirandi, ſeù producendi perſonam Spiritus ſancti; Sed in caſu impoſſibili ab arguente poſito, ille Filius non haberet virtutem ſpirandi, ſeù producendi Spiritum ſanctum. Ergo ille Filius non eſſet idem cum Filio, qui modo eſt. Hoc idem patet de Spiritu ſancto ex prædictis. Ergo.

28 Obijciet ſecundò; Pater æternus habet totam uirtutem ſpiratiuam Spiritus ſancti. Ergo ſolus Pater ſufficit ad producendum perfectè Spiritum ſanctum. Ergo Spiritus ſanctus non petit ex ſua propria perſonali ratione produci à duabus perſonis.

29 Reſpondetur, explicando antecedēs. Pater æternus habet totam virtutem ſpiratiuam Spiritus ſancti, & eamdem quoquè habet, & debet habere Filius, concedo antecedens. Et eamdem quoquè nō habet, nec debet habere Filius, nego antecedens. Ergo &c. adhùc propter illam particulam, ſufficit, diſtinguo primum conſequens. Ergo ſolus Pater ſufficit, ideſt, nihil Patri deeſt, vt poſſit producere Spiritum ſanctum, concedo conſequentiam. Ergo ſolus Pater, excludendo omnes alios Patres creatos à ſui conſortio, concedo conſequentiam. Ergo ſolus Pater ſufficit, ideſt, excludit etiam à ſuo conſortio Filium, nego conſequētiam. Ergo &c. nego vltimam conſequentiam.

30 Dices. Pater ſe ſolo, vel eſt completum principium Spiritus ſancti; vel incompletum. Si primum. Ergo Spiritus ſanctus per ſe petit procedere à Patre, & per accidens à Filio. Si ſecundum. Hoc eſt falſum; quia ſequeretur, quòd Spiritus ſanctus procederet à Patre, & à Filio tanquàm à duobus principijs incompletis.

31 Reſponſio ad hoc, dabitur diſp. ſequenti. Petit enim explicationem, pro quo ſupponat principium Spiritus ſancti.

32 Obijciet tertiò. Pater nihil accipit à Filio in ſpiratione Spiritus ſancti. Ergo Spiritus ſanctus ſic procedit à Patre, vt non per ſe petat procedere à Filio, ac proinde, Spiritus ſanctus per ſe procedit à Patre, & veluti per accidens à Filio.

33 Reſpondetur, diſtinguendo, ſeù potiùs explicando antecedens. Pater nihil accipit à Filio communicatiuè, concedo antecedens. Nihil accipit à Filio, exigit tamen perſonam Filij ad ſpirandum, ſeù conſpirādum Spiritum ſanctum, adhùc concedo antecedens. Pater nihil accipit à Filio, nec tamen coexigit perſonā Filij ad ſpirandum, ſeù conſpirandum Spiritum ſanctum, nego antecedens. Ergo &c. nego conſequentiam.

34 Itaquè, Pater requirit conſortium Filij ad ſpirandum Spiritum ſanctum, non quia Pater aliquid accipiat à Filio. Accipere enim aliquid inter diuinas perſonas, eſt procedere à perſona à qua illud accipitur, vt in Concilio Florentino collat. & per Ioannem Latinum dicitur, & probatur. Et quia, non Pater à Filio, ſed Filius à Patre procedit; Ideo, non Pater accipit à Filio, ſed Filius quidquid habet, accipit à Patre. Vnde idem Filius, hoc ipſum docuit dicens; *Omnia mihi tradita*

Digitized by Google

dita ſunt à Patre meo. Quia igitur Pater omnia dedit Filio, ac per conſequens dedit quoquè ei ſpirandi virtutem, idcircò Pater producens Spiritum ſanctum coexigit perſonam Filij ad conſpirandum eumdem Spiritum ſanctum.

35 Obijciet quartò. Spiritus ſanctus eſt vna ſimpliciſſima perſona. Ergo per ſe petit procedere ab vna ſimpliciſſima perſona. Antecedens patet; Probatur autem conſequentia; quia ſi procederet per ſe, & neceſſariò à duabus perſonis, daretur aliquid in Spiritu ſancto, per quod correſponderet vni, & aliquid per quod alteri perſonæ correſponderet, ac proinde, non eſſet vna ſimpliciſſima perſona, nec vna ſimpliciſſima relatio.

36 Reſpondetur, concedendo antecedens, & negando conſequentiam. Ad cuius probationem diſtinguo, ſeù potiùs explico antecedens, ſeù ſequelam. Quia ſi procederet per ſe, & neceſſariò à duabus perſonis per duas virtutes ſpiratiuas, duaſquè ſpirationes, daretur aliquid &c. concedo antecedens, ſeù ſequelam. Si procederet per ſe, & neceſſariò à duabus perſonis per vnicam virtutem ſpiratiuã, vnicamquè ſpirationem daretur aliquid &c. nego antecedens, ſeù ſequelam. Ergo &c. nego conſequentiam.

37 Obijciet quintò. Si Spiritus ſanctus per ſe, ac neceſſariò peteret procedere à duabus perſonis, vt ſe mutuò amantibus, ac reamantibus, procederet ex duobus amoribus. Hoc non eſt dicendum. Ergo. Probatur ſequela; quia mutuus inter duos amicos amor, eò quia, reciprocationem dicit, duos amores petit, vnum in amante reſpectu amati, & in amato, vt reamante, alterum.

38 Reſpondetur, negando ſequelam; Ad cuius probationem diſtinguo, ſeù explico antecedens. Mutuus inter duos amicos amor, quando mutuatio eſt non ſolùm ex parte perſonæ amãtis, & amatæ, verumetiam, quando eſt reſpectu actus amandi, & reamandi, eò quia &c. cõcedo antecedens. Quando non eſt reſpectu actus amandi, ſed cum vno, eodemquè amoris actu datur reciprocatio, tantùm reſpectu perſonæ amantis, & amatæ, nego antecedens. Sic eſt in caſu noſtro; Spiritus ſanctus procedit ex amore notionali mutuo inter Patrem, & Filium ad inuicem ſe, ſcilicet, vnico, & eodem amoris actu diligentes.

39 Obijciet ſexto. Verbum diuinum per ſe petit procedere ab vna tantùm perſona. Ergo etiam Spiritus ſanctus per ſe petit procedere ab vna tantùm perſona. Antecedens patet. Probatur autem cõſequentia à paritate.

40 Reſpõdetur, concedẽdo antecedẽs, & negando conſequentiam; & ratio diſparitatis eſt, quia Verbum procedit à Patre per intellectum; intellectus autem diuinus in ratione potentiæ generatiuæ non eſt niſi in ſola perſona Patris; cum nullam aliam proceſſionem præſupponat. Spiritus ſãctus verò procedit per voluntatem notionaliter ſumptam, quæ ſic eſt in Patre, vt neceſſariò ſit communicata Filio. Ideoquè eſt manifeſta diſparitas, quare perſona Verbi per ſe petit procedere à ſola perſona Patris, perſona verò Spiritus ſancti à perſona Patris, & à perſona Filij.

41 Dices. Quod eſt generans, eſt ſpirãs: ſed ſolus Pater eſt generans. Ergo ſolus Pater eſt per ſe, ac neceſſario ſpirans.

42 Reſpondetur, diſtinguendo, ſeù potiùs explicando maiorem. Quod eſt generans, eſt ſpirans, & non è contra, reſpectu omnis ſpirantis, concedo maiorẽ. Quod eſt generans, eſt ſpirans, & è contra, reſpectu omnis ſpirantis, nego maiorem. Tunc conceſſa minori, nego conſequentiam. Licèt enim Pater ſit generans Filium, & ſpirans Spiritum ſanctum; nòn tamen ſicut Pater ſolus eſt generans, ita quoquè eſt ſolus ſpirãs. Et ratio patet ex dictis; Vnde Pater dicitur generans; non tamen debet ſic dici ſpirans, vt non etiam ſit ſimul cum Filio ſpirans, ſed ſpirat conſpirans, & conſpirans, ſpirat; Et ſimiliter, Filius ſpirat Spiritum ſanctum conſpirans cũ Patre, & conſpirans, ſpirat.

DISPVTATIO

Digitized by Google

DISPVTATIO CC

PRO QVO SVPPONAT PRINCIPIVM SPIRITVS SANCTI.

Per vnicum caput expedita.

CAPVT VNICVM.

Determinatio veritatis.

1 NON loquimur de principio Spiritus ſancti ratione virtutis ſpiratiuæ, quoniam vnicam eſſe virtutem ſpiratiuam Patri, Filioquè communem, iam ſupra probatum eſt, & declaratum; loquimur igitur de eo, quod ſpirat Spiritum ſanctum. Et quia ſupra quoquè probauimus, non dari aliquod ſubſiſtens ſpiratiuum Spiritus ſancti, vt quod, Patri, Filioquè commune, remanet ſolùm, quòd perſonæ Patris, & Filij Spiritum ſanctum ſpirent, ac proinde, explicandum ſupereſt, quomodo principium Spiritus ſancti ſupponat pro Patre, & Filio tantùm collectiuè ſcilicet, an etiam diuiſiuè. Si tantùm collectiuè, eſſet ſenſus, quòd Pater, & Filius ſpirant Spiritum ſanctum, & non valeret dicere, Pater ſpirat Spiritum ſanctum, & Filius ſpirat Spiritum ſanctum. Si etiam diuiſiuè, valeret vtrumquè.

2 Pro determinatione ergo veritatis, Dico primò. Hoc nomen, principium Spiritus ſancti, ſupponit ſuppoſitione confuſa, & indeterminata, ſeù collectiuè.

Non oportet magnam ſummulartum coaceruare doctrinam, ad explicandam ſuppoſitionem confuſam, ſeù indeterminatam; & ſuppoſitionem diſtinctam, ſeù determinatam; ſuppoſitionem naturalem, & accidentalem, ſed ſufficit breuiter explicare, quid in cōcluſione intelligimus nomine ſuppoſitionis indeterminatæ, ſeù confuſæ; & quid nomine ſuppoſitionis diſtinctæ, ſeù determinatæ.

3 Nomine igitur ſuppoſitionis confuſæ, ſeù indeterminatæ in præſenti, intelligimus ſuppoſitionem nō pro vna perſona diuina tantùm, cum alterius excluſione, aut pro altera perſona, ſed accipimus ſuppoſitionem confuſam pro perſona Patris, & Filij ſimul. Illa enim particula, &, cum ſit coniunctiua, habet rationem confuſiui. Nam perſona Patris ſupponit diſtinctè; & perſona Filij ſimiliter diſtinctè ſupponit. Si ergo perſona Patris vniatur cum perſona Filij, dicendo Pater, & Filius ſunt principium Spiritus ſancti, ly, &, iam habet rationē confuſiui.

4 Probatur igitur hæc prima concluſio. Cum dico principium Spiritus ſancti, ly, principium, non ſupponit tantùm pro perſona Patris, neque tantùm pro perſona Filij. Ergo ſupponit pro vtraquè perſona indiſcriminatim, ſeù indiſtinctè. Ergo ſupponit confusè, accipiendo ly, *confusè*, modo iam explicato.

5 Dico ſecundò. Principium Spiritus ſancti ſupponit etiam diſtinctè, ſeù determinatè, pro aliqua determinata perſona.

Probatur. Valet dicere, Pater æternus eſt principium Spiritus ſancti. Et ſimiliter, valet abſolutè dicere, Filius eſt principiū Spiritus ſancti. Ergo principium Spiritus ſancti ſupponit etiam diuiſiuè, & pro aliqua determinata perſona.

6 Dico tertiò. Principium Spiritus ſancti, quando accipitur pro vt ſupponit pro vna perſona, puta, Patris, non accipitur pro ſuppoſitione ſibi adæquata, loquendo de perſona pro qua ſupponit.

Explicatur iſta concluſio. Si loquamur de principio Spiritus ſancti pro ipſa virtute ſpiratiua, adæquatè eſt in Patre, & adæquatè eſt in Filio. Tota enim, & totaliter cum ſit in Patre, à Patre communicatur Filio. Vnde non loquimur de principio Spiritus ſancti quatenùs ſupponit pro virtute ſpiratiua, loquimur igitur de ſuppoſitione principij Spiritus ſancti in ordine ad perſonas ſpirantes, & dicimus, quòd quando conſideratur, vt ſupponēs pro vna perſona, puta, Patris, vt cum dico, Pater ſpirat Spiritū ſanctū, non habetur adæquata perſonalis ſuppoſitio

poſitio huius vocis, principium Spiritus ſancti.

7 Probatur. Quia eſſe principium Spiritus ſancti, conuenit Patri, & etiam Filio; non magis Patri, quàm Filio, ſed æqualiter Patri, & Filio. Ergo cum hanc propoſitionem profero, Pater eſt principium Spiritus ſancti, explico ſuppoſitionem inadæquatè, non autem adæquatè. Patet hoc; quia ad ſuppoſitionem perſonalem principij Spiritus ſancti, neceſſariò concurrunt duæ perſonæ, vt duo ſuppoſita ſpirantia per vnicam virtutem ſpiratiuam, vnicamquè ſpirationem.

8 Sed contra primum dictum objiciet aliquis. Dicere, quòd principium Spiritus ſancti ſupponit pro perſona Patris, & Filij, eſt dicere, quod ſupponit determinatè, nimirùm, pro perſona Patris, & pro perſona Filij. Ecce igitur, quomodo determinantur perſonæ. Ergo non ſupponit confusè.

9 Reſpondetur, diſtinguendo, ſeù explicando antecedens. Dicere, quòd principium Spiritus ſancti ſupponit pro perſona Patris, & Filij, eſt dicere, quòd ſupponit determinatè, determinando perſonas, concedo antecedens. Determinando perſonam, nego antecedens. Ergo &c. nego conſequentiam; Vel ſimiliter diſtinguendum eſt conſequens.

10 Senſus eſt; quòd cum dico, Pater, & Filius ſunt principium Spiritus ſancti, determinantur quidem collectiuè perſonæ, pro quibus ſupponit, ſcilicet, quæ ſunt duæ perſonæ, quæ Spiritum ſanctũ ſpirant; tamen, non determinatur vna perſona, quaſi altera excludatur, ſed dũ vna exprimitur, altera quoquè debet ſubintelligi, vel ſubiungi. Et hoc intelligimus, per ſuppoſitionem confuſam, & indeterminatam in præſenti.

D. Thom. 11 Et hoc expreſsè D. Thomas intendit. Nam ar. 4. huius quæſt. ad 4. ſic ait; *Hoc quod dico principium, non habet determinatã ſuppoſitionem, immo confuſam*. Et explicãs in quo conſiſtat iſta confuſio, ſic immediatè ſubdit, *pro duabus perſonis ſimul*. Ecce quomodo confuſæ ſuppoſitionis nomine intelligit acceptionem principij ſpiratiui, quatenùs non ſolùm eſt in vna determinata perſona, vel altera; ſed duas ſimul, eaſquè determinatè non vagè deſignans, perſonas ſcilicet Patris, & Filij. Quod ad 5. eodem modo confirmat, & explanat ſic dicens. *Hæc etiam eſt vera, vnum principium Spiritus ſancti eſt Pater, & Filius; quia hoc, quod dico principium, non ſupponit pro vna perſona tantùm, ſed indiſtinctè pro duabus perſonis ſimul. Vnum principium Spiritus ſancti eſt Pater, & Filius*; Ecce determinatio perſonarum. *Non ſuppon: pro vna perſona tantùm, ſed indiſtinctè pro duabus perſonis ſimul*. Ecce indeterminata, indiſtincta, ſeù confuſa ſuppoſitio.

12 Objiciet ſecundò, ex Gregorio Ariminenſi apud Capreolum in 1. diſt. 12. quæſt. vnica circa finem. *Quia de virtute ſermonis, principium in prædicato non poteſt ſtare confusè*. Ergo. Probat antecedens. *Quia nullum ſignum vniuerſale, vel ſyncathegorema præcedit confundens ipſum. Ergo*. Arimin. Capreol.

13 Reſpondetur primò; explicando antecedens. De virtute ſermonis principium, in prędicato non poteſt ſtare confusè, ratione virtutis ſpiratiuæ, concedo antecedens. Ratione ſuppoſiti ſpirantis, nego antecedens. Ergo &c. nego conſequentiam, quia loquimur de principio, non ratione virtutis ſpiratiuæ, & ſecundùm quòd principium eſt, ſubſtãtiuè, ſed de principio ratione perſonæ ſpirantis; Vel ſimiliter diſtinguendum eſt conſequens. Ad cuius probationem reſpondetur vt infra.

14 Reſpondetur ſecundò, negando antecedens. Ad cuius probationem, nego antecedens. Nam illa particula, &, eſt ſyncathegorema confundens ſuppoſitionem perſonæ ſpirãtis, cõiungit enim perſonam Patris cum perſona Filij, ac per conſequens, facit vt hoc nomen principium, non ſupponat pro vna perſona tantùm, Patris, ſcilicet, aut Filij, ſed indiſtinctè pro vtraquè quod nomine ſuppoſitionis confuſæ, ſeù indeterminatæ intelligimus.

15 Reſpondetur tertiò; negando antecedens. Ad cuius probationem, diſtinguo antecedens. *Nullum ſignum vniuerſale, vel ſyncathegorema &c.* & tamen hoc nomen principium Spiritus ſancti, eſt nomen ſuaptè natura commune pluribus perſonis ſpirantibus, concedo antecedens. Et tamen hoc nomen, principiũ Spiritus ſancti, non eſt nomen ſuaptè natura commune pluribus perſonis ſpirantibus, nego antecedens. Ergo &c. nego conſequentiam.

16 Explicatur iſta reſponſio. Iſte terminus v. g. Deus, eſt terminus communis, non quidem pluribus Dijs, eo modo, quo iſte terminus homo, eſt communis pluribus hominibus, ſed eſt communis pluribus dumtaxat perſonis pro quibus non accidentaliter, ſed naturaliter ſupponit, ac proinde pro omnibus ſupponit, pro quibus accipi poteſt, ideoquè ex ſui natura ſupponit confusè in ordine ad perſonas de quibus verificatur, & hoc ſiue ponatur ex parte ſubiecti, ſiue ex parte prædicati. Huiuſmodi autem eſt terminus

Digitized by Google

terminus iſte, Principium Spiritus ſãcti; ideoquè, ad hoc vt confuſè ſupponat, non indiget aliquo ſigno vniuerſali, vel aliquo alio ſigno cõfundente; quoniam ex ſe ipſo confuſionem habet. Prȩterquamquòd, habet particulam confundentem, puta, ly, &.

17 Obijciet tertiò ex eodem. *Quia ſi principium ſtat confuſè, & non determinatè, cum conſtet, quòd non ſtet confuſè diſtributiuè, ſequitur, quòd ſupponitur confuſè tantùm; & per conſequens, ſub ipſo contingit deſcendere ad ſingularia per propoſitionem de diſiuncto prædicato, nulla mutatione facta ex parte ſubiecti. Sequitur ergo; Pater, & Filius ſunt principium Spiritus ſancti, ergo Pater, & Filius ſunt hoc principium, vel hoc principium, demonſtrando primò vnam perſonam, deinde aliam, pro quibus dicitur principium ſupponere confuſè: Sed iſtud conſequens eſt falſum; cum eius oppoſitum ſit verum, ſcilicet, Pater, & Filius non ſunt hoc principium, nec ſunt hoc principium, ſicut verum eſt, quòd Pater, & Filius non ſunt hæc perſona Patris, nec ſunt hæc perſona Filij.*

18 Reſpondetur primò, diſtinguendo, ſeù explicando antecedens, quo ad illam propoſitionem, *& per conſequens ſub ipſo contingit deſcendere ad ſingularia per propoſitionem de diſiuncto prædicato, nulla mutatione facta ex parte ſubiecti.* Quando ſub ipſo termino ſunt plura ſingularia, concedo antecedens. Quandò ſub ipſo termino non ſunt plura ſingularia, nego antecedens. Tunc vltra, quando ſic Gregorius ſubdit. *Sequitur ergo, Pater, & Filius &c. Ergo Pater, & Filius ſunt hoc principium, vel hoc principium &c.* nego conſequentiam, committitur enim fallacia figuræ dictionis, quia tranſit, ſeù deſcendit ad plura ſingularia, principij ſpiratiui, cum non dentur. Pater enim, & Filius ſunt vnum principium numero Spiritus ſancti, & arguens deſcendit ad Patrem, & ad Filium tanquàm ad diuerſa principia, dicendo. *Ergo Pater & Filius ſunt hoc principium, vel hoc principium demonſtrando primò vnam perſonam, deinde aliam.*

19 Dices. Principium Spiritus ſancti eſt terminus communis. Ergo habet ſub ſe plura ſingularia.

20 Reſpondetur, & reſponſio patet ex dictis. Principium Spiritus ſancti eſt terminus cõmunis pluribus perſonis principiantibus, concedo antecedens. Eſt terminus communis pluribus principijs, nego antecedens. Ergo &c. nego conſequentiam. Fallit ergo Gregorij argumentum, quia putat, quòd ſicut valet dicere, Pater, & Filius ſunt hæc perſona, vel hæc perſona; Ita quoquè valeat dicere, Pater, & Filius ſunt hoc principiũ, vel hoc principium; Valet quidem primum, quia Pater, & Filius in ratione, per quæ ſunt plures perſonæ; non valet verò ſecundum, quia Pater, & Filius in ratione principij, non diſtinguuntur, ſed ſunt vnum numero Spiritus ſancti principium.

21 Sed aduerte, quòd etiam poteſt eſſe vera iſta propoſitio, Pater, & Filius ſunt hoc principium Spiritus ſancti, quod eſt Pater, hoc modo videlicet, accipiendo ly, principium, vt eſt identicè vnum cum Patre, eo modo, quo valet dicere, quòd diuina eſſentia eſt Pater, in quo ſenſu eſt vera iſta, Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus ſunt vna eſſentia, quæ eſt Pater, quoniam ly, quæ, demonſtrat eſſentiam, vt identificatam, non verò Patrem.

22 Reſpondetur ſecundò, concedendo ſequelam, & negando minorem. Ad cuius probationem, nego hanc eſſe falſam, ſcilicet, Pater, & Filius nõ ſunt hoc principium, nec ſunt hoc principium, licèt ſit verum, quòd Pater, & Filius nõ ſunt hęc perſona Patris, nec ſunt hæc perſona Filij. Vide Capreolum, cuius vtraquè eſt reſponſio in 1. diſt. 12. q. 1. circa finem ad 2. argum. Gregorij, vbi ſic, & benè loquitur; *Secundò dico, quòd benè ſequitur; quòd Pater, & Filius ſunt vnum principium Spiritus ſancti. Ergo ſunt hoc principium, vel hoc principium, demõſtrando per primum hoc, vnam perſonam, & per ſecundum hoc, aliam; nec conſequens illud eſt falſum, ſed verum; & eſt propoſitio de diſtincto extremo. Et cum probatur falſitas conſequentis, quia nec Pater, & Filius ſunt hæc perſona, demonſtrando Filium. Igitur nec illud conſequens eſt verum, dico, quòd conſequentia non valet; nam ex tali antecedente, quod eſt propoſitio copulatiua, benè probatur, quòd conſequens eſt falſum, ſi eſſet diſiunctiua, non autem ſi ſit de diſiuncto extremo; Vnde iſta conſequentia non valet, nec Pariſijs, & Romæ venditur ibi piper: Ergo falsũ eſt, quòd Pariſijs, Romæ venditur iſte, vel ille. Vnde Sortes, & Plato ſunt Sortes, & Plato, non tamen conceditur, quòd Sortes, & Plato ſunt Sortes, nec quòd Sortes, & Plato ſunt Plato.*

23 Obijciet quartò ex eodem. *Si principium ſupponit pro duabus perſonis ſimul, ergo hæc erit magis, vel non minus propria, & concedenda, Pater, & Filius ſunt principia, ſicut dicitur, quòd Pater, & Filius ſunt perſonæ.*

24 *Confirmatur; quia terminus in plurali numero, magis propriè ſupponit pro pluribus ſingularibus coniunctim, quàm in numero ſingulari.*

25 Item, *Secundùm hoc, principium non ſupponeret confuſè tantùm, vt dicis, ſed determinatè, ſicut in iſta, Sortes, & Plato ſunt homines, prædicatum ſupponit determinatè, non obſtan-*

Digitized by Google

ſtante, quòd ſupponat pro pluribus ſimul, ſcilicet, pro Sorte, & Platone; & vtrūq; probatur, quia ſub prædicato contingit deſcendere per diſiunctiuam, quæ vtiquè vera erit, & ſua contradictoria falſa.

26 Reſpondetur, negando ſequelam, quam arguens non probat.

27 Quòd ſi pro vigore argumenti ſic ſequela probetur. Ratione vnius virtutis ſpiratiuæ, Pater, & Filius dicuntur vnū principium Spiritus ſancti. Ergo ratione duarum perſonarum principiantiū, ſeù ſpirātium Spiritum ſanctum, Pater, & Filius deberent dici duo principia Spiritus ſancti.

28 Reſpondetur, concedēdo antecedēs, & negando conſequentiam; & ratio diſparitatis eſt, quia hoc nomen, principiū Spiritus ſancti eſt concretum ſubſtantiuum, ac proinde, non multiplicatur, niſi multiplicatis ſuppoſitis, & virtute ſpirandi.

29 Ad confirmationem reſpondetur, explicando antecedens. Terminus in plurali numero, magis propriè ſupponit pro pluribus ſingularibus coniunctim, quàm in numero ſingulari, quando nomen ſignificat formam plurificatam ad plurificationem ſuppoſitorum eius, cōcedo antecedens. Quando terminus ſignificat formam non plurificatam, ſed vnicam exiſtentem in omnibus ſuppoſitis eius, nego antecedens. Ergo &c. nego conſequentiam. Sumus enim non in primo, ſed in ſecundo caſu. Quandoquidem, hoc nomen, principium Spiritus ſancti, ſignificat virtutem ſpiratiuā vnam, & eamdem numero in Patre, & Filio ſpirantibus exiſtentem.

30 Ad ſecundam confirmationem reſpondetur, negando ſequelam eo modo, quo ab arguente ſupponere etiam determinatè accipitur; nam ideo valet dicere, quòd Sortes, & Plato ſunt duo homines, quia homo plurificatur non ſolū quantùm ad ſuppoſita, ſed etiam quantùm ad ipſas formas numero, puta, quātùm ad humanitates numero diſtinctas. Non ſic autē eſt in caſu noſtro, eò quia principium Spiritus ſancti dicit formā, ſeù virtutem ſpiratiuam omninò vnicā.

31 Obijciet quintò; Si hoc nomen principium Spiritus ſancti, ſupponeret ſimul pro perſona Patris, & Filij, ſequeretur, quòd Pater, & Filius eſſent duo principia partialia Spiritus ſancti: hoc non eſt dicendum. Ergo. Minor cum conſequentia patet; Probatur ſequela; Quia ſolus Pater non diceretur ſpirare Spiritum ſanctum, nequè ſolus Filius. Ergo concurrerent vt principia partialia.

32 Reſpondetur, negando ſequelam. Ad cuius probatiōnē, concedo antecedens, & nego conſequentiam. Ratio autē negationis eſt, quia ratio principij partialis, vel totalis, habetur ratione virtutis productiuæ, ita quòd tunc aliqua duo habent rationem cauſarum partialiū quādo virtus vnius nō ſufficit ad producendum effectum, ita perfectū, aut ita commodè, ex coniunctione tamen virtutis vtriuſquè agentis ſufficit. Cauſa verò totalis, tunc dicitur, quando virtus illius agentis in illo genere, vel abſolutè alterius agentis virtute non æget.

33 Vidēdus eſt D. Thomas in 1. ad Anibaldum diſt. 29. q. 1. ar. 4. in corp. vbi ſic ait. *Reſpondeo dicendum, quòd quādocumque plures aliquid vnum operantur, oportet, quòd operatio ſingulorum ſit partialis reſpectu communis operationis, qua operatum efficitur, ſi ſinguli habeant diſtinctas operationes, ſicut patet in trahentibus nauim. Conatus enim vniuſcuiuſquè eſt pars totius rationis, quæ ex omnibus actionibus ſingularibus reſultat. Non autem poteſt dici, quòd Pater, & Filius partialiter ſint principium Spiritus ſancti, quia ſic eſſet vterquè inſufficiens, & deficiens virtutis; Vnde oportet, quòd vtriuſquè actus notionalis, ideſt, ſpiratio, ſit vnus numero; & per conſequens, proprietas, ideſt, virtus ſpiratiua, quæ intelligitur illius actus notionalis principium, ſit vna numero in vtroquè.* D. Thom.

34 Hinc patet reſponſio ad interrogationem diſp. præced. factam, Vtrum ſcilicet, ſolus Pater dicatur concurrere ad ſpirationem Spiritus ſancti, vt quid completum, an potius incompletū. Vt quid partiale, an potiùs totale? Dicendùm enim eſt, quòd ratione virtutis ſpiratiuæ concurrit vt quid completum, & totale, eò quia, habet in ſe totam, ac totaliter ſpirandi virtutem; & eodem modo ſe habet Filius; Attamen, quantùm ad cōditionem ſpirandi, ſolus Pater non producit Spiritum ſanctùm, nequè ſolus Filius; Nam Spiritus ſanctus procedit à Patre, & Filio, vt ſunt plures ſpirantes ex mutua ad inuicem notionali dilectione.

35 Obijciet ſextò. Sacra ſcriptura ait, quòd Spiritus ſanctus à Patre procedit, quod eſt dicere, Pater eſt principium Spiritus ſancti. Ergo hoc nomen, principium Spiritus ſancti, non ſupponit tantùm collectiuè, & confuſè, ſed etiam diuiſiuè, & determinatè.

36 Reſpondetur, concedendo totum iuxta ſenſum ſecundæ concluſionis. Non enim dicimus, quòd ſic, hoc nomen, principium Spiritus ſancti, ſupponit confuſè, indiſtinctè, indeterminatè, & collectiuè, pro perſonis Patris, & Filij, vt non etiam ſupponat determinatè, & diſtinctè; ſed quando ſupponit diſtinctè pro

Sed cōtra eſt, quod Gregor. dicit in homil. Pentecoſtes ; ipſe Spiritus ſanctus eſt amor.

Reſpondeo dicendum, quod nomen amoris in diuinis ſumi poteſt eſſentialiter, & perſonaliter ; ſecundum quod perſonaliter ſumitur, eſt proprium nomen Spiritus ſancti, ſicut verbum eſt proprium nomen Filij : ad cuius euidentiam ſciēdum eſt, quod cum in diuinis, vt ſupra oſtenſum eſt, ſint duæ proceſſiones, vna per modum intellectus, quæ eſt proceſſio Verbi, alia per modum voluntatis, quæ eſt proceſſio amoris, quia prima eſt nobis magis nota ad ſingula ſignificanda, quæ in ea conſiderari poſſunt, ſunt magis propria nomina adinuenta ; non autem in proceſſione voluntatis : vnde & quibuſdam circumlocutionibus vtimur ad ſignificandam perſonam procedentem, & relationes, etiam quæ accipiuntur ſecundum hanc proceſſionem, & proceſſionis, & ſpirationis nominibus nominantur, vt ſupra dictum eſt, quæ tamen ſunt magis nomina originis, quā relationis, ſecūdū proprietatem vocabuli. Et tamen ſimiliter ſecundum vtramque proceſſionem conſiderari oportet. Sicut enim ex hoc, quod aliquis rem aliquam intelligit, prouenit quædam intellectualis conceptio rei intellectæ in intelligente, quæ dicitur verbum, ita ex hoc, quod aliquis rem aliquam amat, prouenit quædam impreſſio (vt ita loquar) rei amatæ in affectu amantis, ſecundum quam amatum dicitur eſſe in amante, ſicut & intellectum in intelligente, ita quod cum aliquis ſeipſum intelligit, & amat, eſt in ſeipſo ; non ſolum per identitatem rei, ſed etiam vt intellectum in intelligente, & amatum in amante ; ſed ex parte intellectus ſunt vocabula adinuenta ad ſignificandum reſpectum intelligentis ad rem intellectam, vt patet in hoc, quod dico intelligere ; & ſunt etiam alia vocabula adinuenta ad ſignificandum proceſſum intellectualis conceptionis, ſcilicet ipſum dicere, & verbum : vnde in diuinis intelligere ſolum eſſentialiter dicitur, quia non importat habitudinem ad verbum procedens ; ſed verbum perſonaliter dicitur, quia ſignificat id, quod procedit : ipſum verò dicere, dicitur notionaliter, quia importat habitudinem principij verbi ad verbum ipſum. Ex parte autem voluntatis præter diligere, & amare, quæ important habitudinem amantis ad rem amatā, non ſunt aliqua vocabula impoſita, quæ importēt habitudinem ipſius impreſſionis, vel affectionis rei amatæ, quæ prouenit in amante, ex hoc, quod amat, ad ſuum principium, aut è conuerſo ; & ideò propter vocabulorum inopiam, huiuſmodi habitudines ſignificamus vocabulis amoris, & dilectionis, ſicut ſi verbum nominaremus intelligentiam conceptam, vel ſapientiam genitam. Sic igitur inquantum in amore, vel dilectione non importatur niſi habitudo amantis, ad rem amatam, amor & diligere eſſentialiter dicuntur, ſicut intelligentia, & intelligere : inquantum verò his vocabulis vtimur ad exprimendam habitudinem eius rei, quæ procedit per modum amoris, ad ſuum principium, & è conuerſo, ita quod per amorem intelligatur amor procedens, & per diligere intelligatur ſpirare amorem procedentem, ſic amor eſt nomen perſonæ, & diligere, vel amare eſt verbum notionale, ſicut dicere vel generare.

Ad primum ergo dicendum, quòd eſſentialiter

Quò ad horum primum, ſic ait ; *Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, quòd cum in diuinis &c.* Lege litterā vſque ad illa verba, *ſecundùm proprietatem vocabuli*, incluſiuè.

Quò ad horū ſecundum, ſic ait ; *Et tamen ſimiliter, ſecundū vtramquè proceſſionem conſiderari oportet &c.* Lege litteram vſquè ad illa verba, *& amatum in amante*, incluſiuè.

Quò ad horū tertium, ſic ait ; *Sed ex parte intellectus ſunt vocabula adinuenta ad ſignificandum reſpectū intelligentis, ad rem intellectam &c.* Lege litteram vſque ad illa verba, *vel ſapientiā genitam*, incluſiuè.

Quò ad horum quartum, ſic ait. *Sic igitur, inquantū in amore, vel dilectione non importatur, niſi habitudo amantis ad rem amatam &c.* Lege litterā vſque ad finem corporis.

Ad primum argumentum reſpondet, explicando maiorē, ſeù authoritatem D. Auguſtini. *Neſcio cur &c. non ita & charitas*, loquendo *de charitate, ſecundùm quòd eſſentialiter ſumitur in diuinis*, concedit maiorem, & in hoc ſenſu dicit locutum eſſe D. Auguſtinum. *Non ita & charitas*, loquendo de charitate, ſecundùm quòd perſonaliter ſumitur in diuinis, negat maiorem, & in hoc ſenſu non locutus eſt Auguſtinus. Tunc conceſſa minori, negat conſequentiam, ſeù ſimiliter diſtinguēdum eſt conſequens.

Ad ſecundum argumentum reſpondet, concedendo maiorem, & diſtinguendo, ſeù explicando minorem ; *ſed amor* in nobis, *non ſignificatur vt perſona ſubſiſtēs*, concedit minorem. *Sed amor* notionalis in diuinis *non ſignificatur vt perſona ſubſiſtēs*, negat minorem. Ad cuius probationem, per idem patet reſponſio. Ergo &c. negat conſequentiā.

Ad tertium argumentum reſpondet, & reſponſio in hac forma proponitur, concedēdo maiorē, & negando minorē quò ad ſecundam partem, ac proinde, negando conſequētiam; nam ex hoc ipſo, quòd *Pater, & Filius ſe mutuò amant, oportet quòd mutuus amor, qui eſt Spiritus ſānctus, ab vtroquè procedat. Secundùm igitur &c.* Lege litteram.

Ad quartum argumentum reſpondet, diſtinguendo, ſeù explicando maiorē. *Cuiuslibet amantis* notionaliter, *eſt aliquis amor*, concedit maiorem. *Cuiuslibet amantis* eſſentialiter, *eſt aliquis amor*, negat maiorem, ſimiliter diſtinguenda eſt minor, & neganda eſt conſequentia. Et per idem patet ad reliqua in argumento ſubiuncta.

Digitized by Google

ſumitur in diuinis, vt dictum eſt.

Ad ſecundum dicendum, quod intelligere, & velle, & amare, licet ſignificentur per modum actionum tranſeuntium in obiecta: ſunt tamen actiones manentes in agentibus (vt ſupra dictum eſt;) ita tamen, quod in ipſo agente, important habitudinem quandam ad obiectum: vnde amor etiam in nobis, eſt aliquid manens in amante, & verbum cordis manens in dicente, tamen cum habitudine ad rem, verbo expreſſam, vel amatam; ſed in Deo, in quo nullum eſt accidens, plus habet, quia tam verbum quam amor eſt ſubſiſtens; cum ergo dicitur, quod Spiritus ſanctus eſt amor Patris in Filium, vel in quicquam aliud, non ſignificatur aliquid tranſiens in alium, ſed ſolum habitudo amoris ad rem amatam, ſicut & in verbo importatur habitudo verbi ad rem verbo expreſſam.

Ad tertium dicendum, quod Spiritus ſanctus dicitur eſſe nexus Patris, & Filij inquantum eſt amor, quia cum Pater amet vnica dilectione ſe, & Filium, & è conuerſo, importatur in Spiritu ſancto (prout eſt amor) habitudo Patris ad Filium, & è conuerſo, vt amantis ad amatum; ſed ex hoc ipſo, quod Pater, & Filius ſe mutuo amāt, oportet quod mutuus amor, qui eſt Spiritus ſanctus, ab vtroque procedat. Secundum igitur originem Spiritus ſanctus non eſt medius, ſed tertia in Trinitate perſona. Secundum verò prædictam habitudinem, eſt medius nexus duorum ab vtroque procedens.

Ad quartum dicendum, quod ſicut Filio licèt intelligat, non tamen ſibi competit producere verbum, quia intelligere conuenit ei, vt verbo procedenti, ita licet Spiritus ſanctus amet, eſſentialiter accipiendo, non tamen conuenit ei, quod ſpiret amorem, quod eſt diligere notionaliter ſumptum, quia ſic diligit eſſentialiter, vt amor procedens, non vt à quo procedit amor.

SVPER ARTICVLVM COMMENTARIVM.

1 NOMEN *amoris in diuinis ſumi poteſt eſſentialiter, & perſonaliter. Sumi poteſt*, non dixit, neceſſariò debet ſumi; eo quia, hoc nomen *amor*, in diuinis ſimpliciter, & abſolutè loquendo, debet accipi eſſentialiter; quia amor, & voluntas in Deo ſunt aliquid eſſentiale, & abſolutum ſicut intellectio, ſeu cognitio, & intellectus, ac proinde, eſt toti Trinitati communis.

2 *Nomen amoris in diuinis ſumi poteſt eſſentialiter, & perſonaliter*. Dicit *nomen amoris*, non autem actum amoris; eò quia, amor pro vt diuiditur in amorem eſſentialem, & perſonalem, non eſt actus amoris, ſed eſt diuiſio amoris, pro vt ſe extendit ad actum, & ad terminum productum per amorem.

3 *Secundùm quòd perſonaliter ſumitur, eſt proprium nomen Spiritus ſancti. Amor* ſecũdùm quòd *eſt proprium nomen Spiritus ſancti*, non accipitur, vt dicit actum amoris, ſed pro vt dicit terminum, ſeu perſonã productam per amorem.

4 *Intelligere ſolùm eſſentialiter dicitur*. Vnde ſi alicubi inuenitur, quòd intelligere in diuinis aliquando accipitur eſſentialiter, & aliquando notionaliter, impropria eſt, & explicanda locutio, videlicet, quòd intelligere accipitur notionaliter, pro vt idem ſonare poteſt, ac dicere.

5 *Ipſum verò dicere, dicitur notionaliter*, non dicit *perſonaliter*, ſed *notionaliter*; quia actus notionalis in diuinis ſe tenet ex parte perſonæ producentis; Vnde ly, *notionaliter*, non accipitur in ſubiecta materia, pro vt eſt quoddam aduerbium correſpondens adæquatè notioni. Nam filiatio, proceſſio, paternitas, & innaſcibilitas ſunt notiones, & non propriè accipiuntur notionaliter, ſed potiùs perſonaliter; quoniam notionaliter accipi in diuinis, diſtinguitur contra eſſentialiter, & perſonaliter. Et hoc eſt, quod Diuus Thomas in eodem corp. ſic ait. *Vnde in diuinis intelligere ſolùm eſſẽtialiter dicitur, quia non importat habitudinem ad Verbum procedens; ſed Verbum, perſonaliter dicitur, quia ſignificat id, quod procedit; ipſum verò dicere, dicitur notionaliter; quia importat habitudinem principij Verbi ad Verbum ipſum*. D.Thom. Ecce igitur, quomodo iſta tria in diuinis, ſcilicet, eſſentialiter, perſonaliter, & notionaliter, ſunt aduerbia diuerſam ſignificationem habentia. Dicitur enim aliquid eſſentialiter, iuxta præſentem loquendi modum, quod ex vi ſuæ ſignificationis dicit aliquid toti Trinitati commune. Dicitur notionaliter, quia importat habitudinem principij, vel actionis, in ordine ad perſonam productam. Dicitur tandem perſonaliter, quia ſignificat perſonam.

6 Obſerua, & accuratè lege reſponſiones ad obiecta, quoniam redolent clarã pulcherrimamquè doctrinam.

ARTI-

Digitized by Google

FORMATIO ARTICVLI.

BIpartita eſt principalis corporis diſtrubutio. Primò, aſſignat diuerſas diuerſorum Doctorum opiniones. Secundò, iuxta propriam opinionē quæſito reſpondet.

Quo ad primum, duo facit. Primò, aſſignat motiuum diuerſa opinantium. Secundò, diuerſas opiniones recitat.

Quò ad horum primum ſic ait. *Circa hanc quæſtionem difficultatem affert, quod cū dicitur &c.* Lege litteram vſquè ad illa verba, *omninò impoſſibile*, incluſiuè.

Quò ad horum ſecundum ſic ait. *Et ideo quidam dixerunt, hanc eſſe falſam &c.* Lege litteram vſquè ad illa verba *effectus formalis*.

Quò ad ſecūdum principale, quatuor facit; Primò, approbat vltimam in ordine opinionem. Secūdò, præmittit quamdam aduertendā omninò doctrinam ad huius difficultatis dæciſionem ſpectantē. Tertiò ponit vnam diſtinctionem bimēbrem. Et quartò; duas concluſiones quæſito reſponſiuas iuxta duo diſtinctionis membra.

Quò ad horum primum, ſic ait. *Et iſti propinquiùs ad veritatem acceſſerunt.*

ARTICVLVS SECVNDVS.

Vtrum Pater, & Filius diligant ſe Spiritu ſancto.

AD ſecūdum ſic proceditur, videtur quod Pater, & Filius non diligant ſe Spiritu ſancto. Auguſtin. enim in 7. de Trinit. probat quod Pater non eſt ſapientia genita; ſed ſicut Filius eſt ſapiens ſapientia genita, ita Spiritus ſanctus eſt amor procedens, vt dictum eſt; ergo Pater, & Filius non diligunt ſe amore procedente, qui eſt Spiritus ſanctus.*

2 *Præterea. Cum dicitur Pater, & Filius diligunt ſe Spiritu ſancto, hoc verbum diligere, aut ſumitur eſſentialiter, aut notionaliter; ſed nō poteſt eſſe vera ſecundum quod ſumitur eſſentialiter, quia pari ratione poſſet dici, quod Pater intelligit Filio: neque etiam ſecundum quod ſumitur notionaliter, quia pari ratione poſſet dici, quod Pater, & Filius ſpirant Spiritu ſancto, vel quod Pater generat Filio: ergo nullo modo hæc eſt vera, Pater, & Filius diligunt ſe Spiritu ſancto.*

3 *Præterea. Eodem amore Pater diligit Filium, & ſe, & nos; ſed Pater non diligit ſe Spiritu ſancto, quia nullus actus notionalis reflectitur ſuper principium actus: non enim poteſt dici, quod Pater generat ſe, vel ſpirat ſe; ergo etiam non poteſt dici, quod diligat ſe Spiritu ſancto, ſecundum quod diligere ſumitur notionaliter. Item amor quo diligit nos, non videtur eſſe Spiritus ſanctus, quia importatur reſpectus ad creaturam, & ita ad eſſentiam pertinet: ergo & hæc eſt falſa, Pater diligit Filium Spiritu ſancto.*

Sed contra eſt, quod Auguſt. dicit lib. 6. de Trinitate, quod Spiritus eſt, quo genitus à generante diligitur, genitoremquè ſuum diligit.

Reſpondeo dicendum, quod circa hanc quæſtionem difficultatem affert, quod cum dicitur, Pater diligit Filium Spiritu ſancto, cum ablatiuus conſtruatur in habitudine alicuius cauſæ, videtur quod Spiritus ſanctus ſit principium diligendi & Patri, & Filio, quod eſt omninò impoſſibile; & ideò quidam dixerunt hanc eſſe falſam. Pater & Filius diligunt ſe Spiritu ſancto; & dicunt hanc eſſe retractatam ab Auguſt. in ſuo ſimili, cum ſcilicet retractauit iſtam, Pater eſt ſapiens ſapientia genita; Quidam verò dicunt, quod eſt propoſitio impropria, & eſt ſic exponenda: Pater diligit Filium Spiritu ſancto, ideſt amore eſſentiali, qui appropriatur Spirituiſancto. Quidam verò dixerunt, quod ablatiuus iſte conſtruitur in habitudine ſigni, vt ſit ſenſus Spiritus ſanctus eſt ſignū, quod Pater diligat Filium, inquantum procedit ab eis Spiritus ſanctus, vt amor. Quidam verò dixerunt, quod ablatiuus iſte conſtruitur in habitudine cauſæ formalis, quia Spiritus ſanctus eſt amor quo

Quò ad horum ſecundum, ſic ait. *Vnde ad huius euidentiam, ſciendum eſt &c.* Lege litteram vſquè ad illa verba, *ab ipſa procedentes*, incluſiuè.

Quò ad horum tertium, diſtinctio eſt iſta. *Diligere in diuinis dupliciter ſumitur, eſſentialiter, & notionaliter.*

Quò ad horum quartū, ponens primam concluſionem tria facit; primò, ponit primam concluſionē; ſecundò, eam probat, & tertiò, recitatas reconciliat opiniones, prima cōcluſio eſt iſta. *Secundùm quòd eſſentialiter ſumitur, ſic Pater, & Filius non diligunt ſe Spiritu ſancto.*

Probatio eſt ex authoritate D. Auguſtini in 15. de Trinit. cap. 7. vbi ſic ait. *Quis audet dicere, Patrem ex ſe, nec Filium, nec Spiritum ſanctum diligere, niſi per Spiritū ſanctum?*

Reconcilians autem opiniones ſic ait. *Et ſecundùm hoc, procedunt primæ opiniones.*

Secunda concluſio eſt iſta. *Secundū verò quòd notionaliter ſumitur, Pater, & Filius dicuntur diligentes Spiritu ſancto, vel amore procedente, & ſe, & nos.*

Probatio eſt iſta. *Sicut dicitur arbor florens*

rens floribus, ita dicitur Pater dicens Verbo, vel Filio, ſe, & creaturam; & Pater, & Filius dicuntur diligentes Spiritu ſancto, vel amore procedēte, & ſe, & nos: ſed, ſubaudi, verum eſt dicens ſe, & creaturas Verbo. Ergo verum eſt dicere, quòd Pater, & Filius dicuntur diligentes Spiritu ſancto, vel amore procedente, & ſe, & creaturas. Probat antecedens; quia ſecundùm quòd notionaliter ſumitur, ſic diligere nihil eſt aliud, quàm ſpirare amorem, ſicut dicere, eſt producere verbum; Ergo ſicut dicitur arbor florens floribus &c.

Ad primum argumentum reſpondet, concedendo maiorem, & negando minorem, & rationem diſparitatis aſſignat; quia eſſe ſapientem, vel intelligentem &c. Lege litteram.

Ad ſecundum argumentum reſpondet, concedendo maiorem, & minorem quò ad primam partem; eam verò negando quò ad ſecūdam. Ad cuius probationem negat ſequelam; & rationē negationis aſſignat; quia, quando in intellectu alicuius actionis &c. Lege litteram.

Ad tertium argumentum reſpondet, concedendo maiorem, & negando minorem; Ad cuius probationem cōcedit antecedens, & negat conſequentiam.

Ad aliam probationem, negat antecedens; & rationem negationis aſſignat; quia, diligere, pro ut notionaliter ſumitur &c. Lege litteram.

quo formaliter Pater, & Filius ſe inuicem diligunt. Quidam verò dixerunt, quòd conſtruitur in habitudine effectus formalis; & iſti propinquius ad veritatem acceſſerunt; vnde ad huius euidentiam ſciendum eſt, quod cum res communiter denominentur à ſuis formis, ſicut album ab albedine, & homo ab humanitate, omne illud à quo aliquid denominatur, quantum ad hoc habet habitudinem formæ; vt ſi dicam, iſte eſt indutus veſtimento, iſte ablatiuus conſtruitur in habitudine cauſæ formalis, quamuis non ſit forma. Contingit autem aliquid denominari per id, quod ab ipſo procedit, non ſolum ſicut agens actione: ſed etiā ſicut ipſo termino actionis, qui eſt effectus, quando ipſe effectus in intellectu actionis includitur. Dicimus enim, quod ignis eſt calefaciens calefactione, quamuis calefactio non ſit calor, qui eſt forma ignis; ſed actio ab igne procedens; & dicimus, quod arbor eſt florens floribus, quamuis flores non ſint forma arboris, ſed quidam effectus ab ipſa procedens. Secundum hoc ergo dicendum, quod cum diligere in diuinis dupliciter ſumatur: eſſentialiter ſcilicet, & notionaliter, ſecundum quod eſſentialiter ſumitur, ſic Pater, & Filius non diligunt ſe Spiritu ſancto, ſed eſſentia ſua: vnde Auguſt. in 15. de Trinit. quis audet dicere Patrem, nec ſe, nec Filium, nec Spiritum ſanctum diligere niſi per Spiritum ſanctum; & ſecundum hoc procedunt primæ opiniones. Secundum verò, quod notionaliter ſumitur, ſic diligere nihil eſt aliud, quam ſpirare amorem, ſicut dicere eſt producere verbum, & florere eſt producere flores. Sicut ergo dicitur arbor florens floribus, ita dicitur Pater dicens Verbo, vel Filio ſe, & creaturam: & Pater, & Filius dicuntur diligentes Spiritu ſancto, vel amore procedente, & ſe, & nos.

Ad primum ergo dicendum, quod eſſe ſapientem, vel intelligentem in diuinis non ſumitur, niſi eſſentialiter; & ideò non poteſt dici, quod Pater ſit ſapiens, vel intelligens Filio; ſed diligere ſumitur non ſolum eſſentialiter, ſed etiam notionaliter; & ſecundum hoc, poſſumus dicere, quod Pater, & Filius diligunt ſe Spiritu ſancto, vt dictum eſt.

Ad ſecundum dicendum, quòd quando in intellectu alicuius actionis importatur determinatus effectus, poteſt denominari principium actionis ab actione, & ab effectu; ſicut poſſumus dicere, quod arbor eſt florens floritione, & floribus; ſed quando in actione non includitur determinatus effectus, tunc non poteſt principium actionis denominari ab effectu: ſed ſolum ab actione. Non enim dicimus, quod arbor producit florem florē, ſed productione floris. In hoc igitur, quod dico, ſpirat vel generat, importatur actus notionalis tantum: vnde non poſſumus dicere, quod Pater ſpiret Spiritu ſancto, vel generet Filio. Poſſumus autem dicere, quod Pater dicit verbo tanquam perſona procedente, & dicit dictione, tanquam actu notionali, quia dicere importat determinatam perſonam procedētem, tum dicere ſit producere verbum; & ſimiliter diligere, prout notionaliter ſumitur, eſt producere amorem; & ideò poteſt dici, quod Pater diligit Filium Spiritu ſancto tamquam perſona procedente, & ipſa dilectione tanquam actu notionali. D.Thom.

Ad tertium dicendum, quod Pater non ſolum Filium, ſed etiam ſe, & nos diligit Spiritu ſancto, quia (vt dictum eſt) diligere, prout notionaliter ſumitur, non ſolum importat productionem diuinæ perſonæ, ſed etiam perſonam productam per modum amoris, qui habet habitudinem ad rem dilectam: vnde ſicut Pater dicit ſe, & omnem creaturam verbo, quod genuit, inquantum verbū genitum ſufficienter repræſentat Patrem, & omnem creaturam, ita diligit ſe, & omnem creaturā Spiritu ſancto, inquantum Spiritus ſanctus procedit, vt amor bonitatis primæ, ſecundum quam Pater amat ſe, & omnem creaturam; & ſic etiam patet, quod reſpectus importatur ad creaturam, & in verbo, & in amore procedente quaſi ſecundario, inquantum ſcilicet, bonitas, & veritas diuina, eſt principium intelligendi, & amandi omnem creaturam.

Digitized by Google

SVPER ARTICVLVM COMMENTARIVM.

1 VTRVM *Pater, & Filius diligant ſe Spiritu ſancto*. Aduerte hìc, quæſitum hoc non eſſe de re, ſed de veritate propoſitionis. Omnes enim Catholici confitemur, quòd Pater, & Filius non diligunt ſe Spiritu ſancto, ſi ly, *Spiritu ſancto*, dicat diligendi principium quo. Principium enim quo diligendi in diuinis eſt diuina voluntas, quæ eſt toti Trinitati communis, ſed diſputatio eſt de veritate propoſitionis, Vtrum, ſcilicet, ſit cum proprietate ſermonis vera propoſitio iſta, *Pater, & Filius diligunt ſe Spiritu ſancto*, accipiendo Spiritum ſanctum pro tertia in Trinitate perſona, non obſtante, quòd Spiritus ſanctus non concurrat vt principium diligendi.

2 *Contingit autem aliquid denominari, per id, quod ab ipſo procedit*; Propoſitio eſt apud omnes vera. Nam actio ab agente procedit; & nihilominùs valet dicere, quòd agens actione denominatur agens.

3 *Per id, quod ab ipſo procedit*. Non dicit, per id, quod in ipſo recipitur; quoniam agens, etiamſi ſit agens immanenter, nõ denominatur agens per actionem, pro vt in ipſo recipitur, quoniam, cum recipere ſit quoddam pati, per receptionem actionis denominatur patiens, nõ agẽs. Scitè igitur dixit, *Per id, quod ab ipſo procedit*. Idq; apertè declarat cũ paucis interiectis ait. *Dicimus enim* ꝙ *ignis eſt calefaciens calefactione, quamuis calefactio non ſit calor, qui eſt forma ignis, ſed actio ab igne procedens*.

4 *Non ſolùm ſicut agens actione, ſed etiam ſicut ipſo termino actionis, qui eſt effectus*. Non qualiſcunquè, ſed ordinans agens ad vlteriorem effectum, terminum, vel obiectum. Et hoc inſinuare intendit per verba immediatè ſequentia, videlicet; *Quando ipſe effectus in intellectu actionis includitur*. Vide num. vltimo huius commẽtarij.

5 *Et dicimus, quòd arbor eſt florens floribus, quamuis flores non ſint forma arboris, ſed quidam effectus ab ipſa procedentes*. Nota, quòd ſi Deus ex ſe produceret in arbore flores, quia flores non eſſent effectus arboris, arbor illis floribus non diceretur florens, ſed florida; & ſic euaneſcit impugnatio Aureoli pro defenſione Scoti in 1. d. 32. contra hoc exemplum. Aureol. Scotus.

6 *Et florere eſt producere flores*. Nota, quòd quamuis floreo, flores, ſit verbum neutrum, ac proinde, non ſignificet propriè actionem, ſignificatur tamen, ſeù habet modum ſignificandi verbi actiui, & in hoc ſenſu dicit D. Thomas, quòd florere eſt producere flores. Et ſic nulla detegitur, contra hęc D. Thomæ verba alia Scotica impugnatio, quam habet in 1. diſt. 32. quæſt. 1. Scot.

7 *Secundum quòd notionaliter ſumitur, ſic diligere nihil eſt aliud, quàm ſpirare amorem, ſicut dicere eſt producere Verbum*. Subaudi, & nihilominùs, valet dicere, Pater dicit ſe Verbo; ex quo rectè deducit intentũ, videlicet, *Pater, & Filius diligunt ſe Spiritu ſancto*.

8 *Diligere nihil eſt aliud, quàm ſpirare amorem*; intellige hoc, quantùm ad aliquã, ac principalem ipſius, *diligere* ſignificationem. Etenim, *diligere*, ſi notionaliter ſumatur, non ſolùm dicit ſpirare amorẽ, ſeù tertiam producere in Trinitate perſonam, ſed etiam tendentiam, & habitudinem ad obiectum amatum, ſicut ipſum dicere eſt producere Verbum, ſed hoc non dicit adæquatam ipſius, dicere, ſignificationem. Quandoquidem, vera eſt iſta propoſitio, Pater dicit ſe Verbo; & tamen, non facit hoc ſignificatũ, nempè, Pater producit ſe Verbo, ſed hoc, nimirùm, Pater repræſentat ſe Verbo.

9 *Pater, & Filius dicuntur diligentes Spiritu ſancto, vel amore procedente, & ſe, & nos*. Ly, *Nos*, denotat creaturas exiſtentes, non autem poſſibiles. Quoniã, vt ſup. 2. to. diſp. 129. probauimus, Deus creaturas poſſibiles nullo amore diligit; ſed nõ propter hoc ſequitur, quòd Spiritus ſanctus procedat ex dilectione naturali creaturarũ exiſtẽtium, vt declarabimus.

10 In reſponſ. ad ſecundum. *Quando in intellectu alicuius actionis importatur determinatus effectus*. *In intellectu*, non eſſentialiter, ſed modaliter. Non enim poteſt eſſe, quòd in eſſentiali, ac intrinſeca actionis ratione importetur effectus per eamdem actionem productus; poteſt tamen eſſe, ac de facto contingere ſolet, vt aliquis determinatus effectus ſit de intellectu actionis modaliter, id eſt, ſe teneat ex parte agentis, & actionis, in ordine ad vlteriorem effectum, vel per habitudinem ad vlterius obiectum. Et clariùs, ac breuiùs ſic.

In

Digitized by Google

11 *In intellectu alicuius actionis importatur determinatus effectus*, non per modum vltimi, ac vltimati effectus, ſed per modũ actionis, aut habitudinis ad vlteriorem effectum, vel obiectum.

12 *Quando in intellectu alicuius actionis importatur determinatus effectus*. Ly, *determinatus*, debet intelligi iuxta determinationem actionis; ita, videlicet, quòd ſi actio eſt determinata in ſpecie, eius effectus debet eſſe determinatus in ſpecie. Si in indiuiduo, ſimiliter, debet eſſe determinatus effectus. Effectus determinati, in ſpecie ſunt, ſicut cùm dico, arbor floret floribus; determinati verò in indiuiduo, ſicut cum dico, hæc arbor floret his floribus.

13 Ex dictis multorum contra doctrinã D. Thomæ in hoc articulo poſitã, præſertim Scoti, argumenta diſſolues. Nam non ſic ædificium eſt de intellectu ædificationis, ſicut eſt de intellectu actionis determinatus effectus de quo D. Thomas loquitur. Etenim ſiuè ædificium ſit de intellectu ædificationis ſpecificatiuè, ſiuè obiectiuè, non eſt in caſu doctrinæ D. Thomæ, ſed potiùs id, quod ab aduerſarijs ponitur, ex malo litteræ intellectu procedit. Quandoquidem, ædificium ſemper conſideratur, vt ędificationis effectus, & non ſe tenet ex parte ædificationis, ſeù ędificantis in ordine ad vlteriorem effectum, ſeù in ordine ad aliquod aliud obiectum; Nam cum dico, ædificans ædificio ædificat, dico, quòd effectum effectu producit. Quòd ſi ædificium ad aliquid aliud ordinetur, puta, ad ædificantis honorem, poſſet vtiquè ædificium ex parte ædificationis ſe tenere, & in ablatiuo conſtrui vt ſi dicerem; Faber ſuo ædificio reſplendet, ſeù ſuo opere eſt inſignis; & ratio eſt, quia in hoc caſu in intellectu actionis, puta, ædificationis, importatur determinatus effectus, ideſt, ædificium, quod ponitur non vt alterius ædificatoris effectus, ſed potiùs vt ad aliud vltra ſe ordinatum, ad ornatum, ac ſplendorem ędificatoris. Itaquè; quia non rectè intellexerunt, quid ſibi præfata verba velint, videlicet, quandò in intellectu alicuius actionis importatur determinatus effectus, poteſt denominari principium actionis, ab actione, & ab effectu, ſolidam Doctoris angelici reiecerunt doctrinam; & hoc benè nota. Sed vt magis huius articuli doctrina angelica elucеſcat, ſit in ordine.

DISPVTATIO CCI.

VTRVM HÆC PROPOSITIO PATER, ET FILIVS diligunt ſe Spiritu ſancto, ſit cum proprietate vera.

In quatuor capita diſtributa.

CAPVT PRIMVM.

Doctorum opiniones referuntur.

1 Magiſter. MAgiſter ſententiarum in 1. diſt. 32. affirmat vtiquè prę-fatam propoſitionem eſſe veram, ſed ad eius defenſionem alios quærit, & expectat, & ſic humiliter loquitur. *Difficilem mihi fateor hãc quæſtionem, pręcipuè cum ex prędictis oriatur, quæ ſimilem videntur habere rationem, quod meæ intelligentiæ attendens infirmitas, turbatur. Inueſtiget ergo diligenter pius lector rationem dictorum, ſi forte dictorum aliquam valeat reperire cauſam, qua* (nota) *ipſa præmiſſa quæſtio aliquatenùs explicari valeat. Ego autem hanc quæſtionem non abſoluens, ſed errorem excludens, profiteor non eſſe dictũ, Patrem diligere Filium, vel Filium Patrem, ea dilectione, quæ ab vtroquè procedit, quæ non eſt aliquis eorum, ſed tantùm Spiritus ſanctus tanquàm ea dilectione ſit, Pater, vel Filius, ſed ſic ea Pater diligit Filium, & Filius Patrem, vt etiam Pater per ſe ea, qua ipſe eſt, dilectione diligat, ſic, & Filius; Non autem ſic, vt Pater per ſe non diligat, & Filius, ſed per eam tantùm: eam tamen quæſtionem lectorum*

diligentiæ

Digitized by Google

diligentiæ plenius dijudicandam, atquè abſoluendam relinquimus ad hoc minus ſufficientes.

2 Quidam ergo dixerunt, præfatã propoſitionem eſſe falſam, & à D. Auguſtino retractatam in alia conſimili, videlicet, Pater eſt ſapiens ſapientia genita. Ideoquè dicunt, quòd hanc propoſitionem retractans, & corrigens Auguſtinus, correxit quoque, retractauitquè hanc aliam, Pater, & Filius diligunt ſe Spiritu ſancto. Ita Gottifredus Pictauienſis apud Scotum in 1.

D. Aug.

Gottifr. Scotus.

3 Quidam verò dixerunt, eſſe quidem prædictam propoſitionem veram, ſed impropriã, & nõ extẽdẽdã, ſed potiùs exponendã, hoc modo. Pater, & Filius diligunt ſe Spiritu ſancto, ideſt, amore eſſentiali, qui Spirituiſancto appropriatur; Sicut enim potẽtia Patri, & ſapiẽtia Filio, ita amor appropriatur Spirituiſancto. Vnde dicũt, quòd ſicut eſſet impropria iſta; Pater ſapit Filio, ideſt, ſapiẽtia eſsẽtiali, quæ eſt appropriata Filio, ita & iſta, Pater, & Filius diligunt Spiritu ſancto, ideſt, amore eſſentiali, qui appropriatur Spirituiſancto. Ita Albertus Magnus in ſua ſumma 1. p. q 50. memb. 1. quæſtiũcula 3. Et Alexander Alenſis, 1. p. q. 67. memb. 3. circa finẽ, quos ſecuti sũt Torres, hic poſt quartã cõcluſionẽ. Molina, §. penult. Becanus, cap. 6. q. 9. concl. 2. & Arriaga, diſp. 53. ſect. 2. n. 13. Aliorũ verò circa hanc diſputationẽ placita legãtur in D. Thoma in corp. & in 1. diſt. 32. q. 1. art. 1. & alibi.

Alb. Mag. Alexand. Torres. Molina. Becan. Arriaga.

4 Communiſſima igitur Theologorũ ſententia ea eſt, quã D. Th. in huius q. ar. 2. defẽdit, & explanat, nimirũ, quòd hæc propoſitio, ſcilicet, Pater, & Filius diligũt ſe Spiritu ſancto in ſenſu, quo à Sanctis Patribus intelligitur, proponitur, & affirmatur, eſt propria, & vera.

CAPVT SECVNDVM.

Determinatio veritatis.

5 PRO determinatione veritatis, Dico primò. Si diligere ſumatur eſſentialiter, non eſt verũ dicere, quòd Pater, & Filius diligunt ſe Spiritu ſancto.

6 Hoc dictũ eſt apud omnes verum, & breuiter probatur; Quia in quocumquè ſenſu accipiatur, vel eſt falſa, vel impropria. Ergo. Probatur antecedẽs. Quia ſi faceret hunc ſenſũ, Pater, & Filius dilectione eſſentiali diligũt ſe Spiritu ſancto tanquàm principio formali eſſentialiter diligendi, ſeù tanquàm intellectione eſſentiali eſt pluſquam falſa propoſitio, quemadmodum pluſquàm falſum eſt aſſerere, quòd Pater, & Filius cõſtituuntur eſsẽtialiter diligẽtes, vel actualis dilectio per Spiritũ ſanctũ. Si verò ſenſus ſit, ꝙ Pater, & Filius diligũt ſe eſſentialiter Spiritu ſancto, tãquã termino producto, ſeù tanquã perſona procedẽte. Contra hoc eſt; quia Spiritus ſanctus nõ procedit à Patre, & Filio per dilectionẽ eſſentialiter acceptam, ſed per dilectionem notionaliter dumtaxat, conſideratam.

7 Dico ſecundò. Si diligere accipitur notionaliter, ſic propoſitio præfata eſt vera, & propria.

Probatur primò; Quia ſic eã docuit D. Auguſt. 6. de Trinit. cap. 5 à D. Thoma ſic intellectus, & in argumẽto, *ſed contra*, relatus. Sic enim ait Auguſtinus. *Spiritus ſanctus eſt, quo genitus à generante diligitur, genitoremquè ſuum diligit.*

8 Reſpondẽt nonnulli à D. Auguſtino lib. 83. quæſtionũ, q. 23. dictũ fuiſſe, Patrem eſſe ſapientẽ ſapiẽtia genita, & tamen ab eodẽ, lib. 1. retractationũ cap. 25. & 6. de Trin. cap. 1. & 2. & lib. 7. etiã de Trin. cap. 3. Et ſimiliter, lib. 15. cap. 7. fuiſſe correctã, & retractatã; ideoquè dicendũ putant, hanc præfatã noſtrã propoſitionẽ tacitè fuiſſe quoquè retractatã. Vbi enim eſt æqua ratio, retractaro vno conſimili, intelligitur quoquè aliud conſimile emendatum. D. Aug.

9 Contra primò. Quia D. Auguſt. quotiès aliquam propoſitionẽ protulit, quæ deinde ſibi diſplicuit, explicitè retractauit. Ergo cum hoc non fecerit, dicendũ eſt eam non retractaſſe.

10 Secũdò. Quia eſt alia ratio de propoſitione retractata, ac de propoſitione noſtra præfata; Nam vt ſcitè, & conſideratè docet D. Thomas, intelligere ſemper ſolet accipi eſsẽtialiter; diligere verò ſolet propter penuriã vocabulorũ, etiam notionaliter vſurpari; ac proinde, nõ eſt concedenda iſta propoſitio, Pater eſt ſapiẽs ſapiẽtia genita, ſicut nec iſta, Pater eſt intelligens intellectione genita. Eò quia intelligere, & ſapere nõ accipiũtur notionaliter, ſed eſſentialiter tantùm. D Thom.

11 Tertiò; quia non ſolũ D. Auguſtinus, ſed etiã alij Sancti Patres dixerunt, quòd Pater, & Filius diligunt ſe Spiritu ſancto, quod numquàm inuenitur in eis fuiſſe retractatum. Ergo.

12 Quartò; Quia idem Auguſtinus retractans hanc propoſitionẽ, ſcilicet, Pater eſt ſapiẽs ſapiẽtia genita, nõ retractat iſtã, nimirũ, Pater dicit ſe, & omnia, Verbo: ſed iſta, nempè, Pater, & Filius diligũt ſe Spiritu ſancto, & nõ illa, conſimilis eſt propoſitioni, quam examinamus. Ergo.

13 Idem quoquè docet D. Hieronymus, ſuper Pſal. 17. vbi ait, *Spiritum ſanctũ eſſe dile-* D. Hier.

Digitized by Google

dilectionem, quam habet Pater in Filio, & Filius in Patre. Et D. Bernardus, lib. de amore Dei cap. 7. *Amas, inquit, te, ò amabilis Domine in te ipſo, cum à Patre, & Filio procedit Spiritus ſanctus, amor Patris ad Filiū, & Filij ad Patrē.* Et Riccardus de Sancto Victore in declarationibus ad Bernardum §. vlt. qui ibi, ſic ait. *Quæris ſcire, quomodo verū ſit, quòd Auguſtinus dicit. Dicit enim, quòd Pater Spiritu ſancto diligit Filiū; & Filius eodē ſpiritu diligit Patrē ſuum, quod tamē Pater ea ſapiētia, qua Filius eſt, ſapiat, omninò cōtradicit &c.* Vbi Riccardus reijcit hanc propoſitionē; Pater ea ſapientia quæ Filius eſt, ſapit. Et amplectitur iſtā, Pater, & Filius diligunt ſe Spiritu ſancto, & ſic ibidem ait; *Pater Spiritu ſancto diligere dicitur, non ſic intelligitur, quaſi Spiritus ſanctus author, & origo exiſtat dilectionis, quod Pater eſt, & pro arbitrio amat, quod amat; ſed quod Pater eam dilectionem, qua Filius diligitur, & Spiritus ſanctus eſt, ſpiret, & illius author, & origo exiſtat. Dicitur ergo Pater Spiritu ſancto diligere, non quòd per eum, amorem habeat, ſed exhibeat.* Et in fine ſic concludit. *Heccinè frater, eſt illa quæſtio ſoluta, quam putant inſolubilem, & dicunt, & ſcribunt.* Quæ verba contra Magiſtrum ſententiarum ſine dubio directa fuerūt. Eò quia; Magiſter, putauit inexplicabilem eſſe ab ipſo, vt patet ex eiuſdem Magiſtri verbis in huius diſputationis exordio relatis.

D.Bern.

Riccard.

14 Probatur concluſio ratione ſic. Spiritus ſanctus eſt impulſus, à Patre, & Filio productus, quo Pater, & Filius ſe notionaliter diligunt. Ergo hæc propoſitio, Pater, & Filius diligunt ſe Spiritu ſancto, non ſolùm catholicam continet veritatem, verumetiam eſt cum ſermonis proprietate veriſſima. Antecedens patet, & iam iam magis elucidabitur. Conſequentia verò eſt euidens; quia cum dicitur, quòd Pater, & Filius diligunt ſe Spiritu ſancto, non eſt ſenſus, quòd ille Ablatiuus abſolutus ſignificet principium quo, ſeù rationem formalem, aut ipſam actionem diligendi, ſed dicit terminum productum, quo mediāte Pater, & Filius impelluntur ad diligendum ſe notionaliter. Sed quia, vt ex librorum lectione obſeruaui, tota difficultas præfatæ propoſitionis, cuius in præſenti diſquirimus veritatem, ac proprietatem, ex non intelligentia, ſeù potiùs ex diuerſa eiuſdem intelligentia procedit, idcircò ſit.

CAPVT TERTIVM.

Explicatur legitimus, ac germanus, huius propoſitionis ſenſus, ſcilicet, Pater, & Filius diligūt ſe Spiritu ſancto.

15 QVamuis Magiſter ſententiarū, huius propoſitionis ſenſum, ſupra ſui intellectus vires eſſe putauerit; & quidam alij eiuſdem propoſitionis intelligentiam percipere non valentes, in diuerſas ſententias fuere diuiſi, nihilominùs D. Thomas, qui *in lucem pandit abdita, dum ſupra ſenſus hominum, obſcura facit cognita*, in hoc articulo, & alibi, ita clarè veritatem, proprietatemquè declarauit, ac probauit, vt ab eius ſententia recedere, ſit relinquere veritatem. D.Thom.

16 Vt igitur eam de facili Nouitijs explicemus, præſuppono primò, & reuoco illam Chriſti Domini propoſitionem in memoriam, videlicet; *Ego, & Pater vnum ſumus.* Hæc propoſitio non ſolum eſt vera de Filio, & Patre, verumetiā de omnibus tribus diuinis perſonis; Vnde dicitur 1. Io. vlt. *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus, & hi tres, vnum ſunt.* Quomodo ergo nulla mentione facta de Spiritu ſancto dixit; *Ego, & Pater vnum ſumus?* Debebat enim dicere, Ego, & Spiritus ſanctus, & Pater vnum ſumus. Scio, poſſe, & rectè quidem dici, quòd, quidquid dicitur de Patre, & Filio, conuenit quoquè Spiritui ſancto, vbi non obuiat relationis oppoſitio. Ideoquè ſic dicens, Spiritum ſanctum non excluſit. 1.Io.vlt.

17 Omnia benè, ſed aduertendum eſt, ꝙ Chriſtus Dominus venit tanquā Magiſter. Sic enim vocabatur, Matt. 12. *Magiſter volumus à te ſignum videre*, & ſic ipſemet teſtificabatur, dicens Ioan. 13. *Vocatis me, Magiſter, & Domine, & benè dicitis; ſum etenim.* Cum igitur fuerit verus, veraxquè Magiſter, venit, vt homines de diuinis, & præſertim de Sanctiſſimæ Trinitatis arcano erudiret. Et quia, de Patre, & ſe Filio, multa docuerat, puta, ꝙ ipſe procedit à Patre: *Ego ex Deo proceſſi &c.* explicauitquè, ꝙ eſt minor Patre quātū ad humanitatē aſſumptā, dicēs; *Pater maior me eſt*, iam intēdebat ſibi parare viā, ad exponēdā Spiritus ſancti proceſſionē eſſe a Patre, & à Filio; eò quia, quidquid cō uenit Patri, cōuenit etiā Filio, vbi Pater relatiuè nō opponitur Filio. Et propterea dixit, *Ego, & Pater vnū ſumus*, nō ſolū ſcilicet, quò ad vnitatē eſſentiæ, verumetiā, quò ad vnicā ſpirādi virtutē, quæ per dilectionē inter Patrē, & Filiū exercetur, Matt. 12. Ioan. 13.

Digitized by Google

Dixit ergo. *Ego, & Pater vnum ſumus*, vt cum ex eiuſdem veritatis ore audiatur, *Spiritus veritatis, qui à Patre procedit*, nullus detur ambiguitati locus, Vtrum Spiritus ſanctus procedat etiam ex Filio. Itaquè dicens Chriſtus Dominus, *Ego, & Pater vnum ſumus*, voluit etiam inſinuare, quòd in Patre, & Filio Spiritum ſanctum ſpirantibus, datur vnitas notionalis dilectionis. Vnde etiam dixit. *Ego in Patre, & Pater in mè eſt*, etiam per amorem notionalem ad inuicem.

18 Item, præſuppono ſecundò, quòd dilectio, qua Pater, & Filius producunt Spiritum ſanctum, non eſt dilectio eſſētialiter accepta, ſed notionaliter. Verſitamen dicendum eſt, quòd dilectio notionaliter accepta, ſecundùm prioritatē præciſionis prçſupponit dilectionem eſſentialem Dei.

19 Item, præſuppono tertiò, quòd dilectio notionaliter accepta, priùs, ſecundū prioritatem præciſionis conſideratur, vt productio Spiritus ſancti, deinde, vt tendens ad Patrem, & Filium, & ad cætera diligibilia in ratione obiecti notionaliter diligibilis. Et tandem, præſuppono omnia, quæ in commentario diximus, & adnotauimus.

20 Ex quibus, & ex dictis in cōmētario colligitur primò, quòd quādo d citur, quòd Spiritus ſanctus procedit ex Patre, & Filio ſe amantibus, & reamantibus, non debet intelligi de dilectione notionaliter, quatenùs terminatur ad Patrem, & ad Filium, vt ad obiectum dilectionis notionalis in ratione obiecti formaliter terminantis, ſed potiùs in ratione principij productiui, & poſtquàm ſecundùm noſtræ intelligentiæ præciſionem, Pater, & Filius vniti intelliguntur per dilectionem notionalem, tanquàm per actionē Spiritus ſancti productiuam, & conſideratur Spiritus ſancti productio, Pater, & Filius per Spiritum ſanctum productum tanquàm impulſum; impelluntur ad diligendum, & rediligendum ſe dilectione notionali.

20 Colligitur ſecundò, quòd quamuis ambæ iſtæ propoſitiones ſint veræ, ſcilicet, Pater, & Filius diligendo ſe dilectione notionali, producunt Spiritum ſanctum; & Pater, & Filius producendo Spiritum ſanctum, diligunt ſe dilectione notionali, tamen, prima eſt vera in ſenſu effectiuo, non formaliter obiectiuo, ſecūda autem eſt vera in ſenſu obiectiuo, idest, priùs conſiderantur Pater, & Filius vniti per dilectionem ad inuicem in ratione dictionis, & in ratione ſpirantium; Et deinde Pater, & Filius ſic ſpirantes Spiritum ſanctum, tendunt ad ſe ipſos tanquàm ad obiecta notionaliter amata à ſe ipſis, & re amata per Spiritū ſanctum tanquàm per impulſum.

21 Vnde magis aptè explicatur propoſitio præfata, dicendo, quòd hunc ſenſum facit, Pater, & Filius producendo Spiritum ſanctum, per Spiritum ſanctum tanquàm per terminum productum impelluntur ad diligendum, & rediligendum ſe, quàm dicendo, Pater, & Filius diligēdo ſe, ſpirant Spiritum ſanctum. Vtraquè, vt dicebamus, propoſitio eſt vera, ſed pro explicatione propoſitionis de qua diſputamus, magis recurrendum eſt ad ſecundam, quàm ad primam.

22 Et ratio huius eſt, quia ſic ſaluatur paritas inter productionem Verbi à Patre, & productionem Spiritus ſancti à Patre, & Filio. Ideo enim valet iſta propoſitio, Pater dicit ſe Verbo; quia Pater per intellectionem, tanquàm per dictionem producit Verbum, quod Verbum eſt expreſſiuum Patris, ac per conſequens, Pater per Verbum, ſeù Verbo à ſe producto exprimit, ſeù dicit ſe. Ergo ſimiliter, cum dicitur, Pater, & Filius diligunt ſe Spiritu ſancto, ſenſus eſt, quòd Pater, & Filius, per dilectionem, vt dictionem, ſpirantes Spiritum ſanctum, qui eſt impulſus, diligunt ſe.

CAPVT QVARTVM.

Proponuntur argumenta in contrarium, & ſoluuntur.

23 SED contra iſtam determinationē obijciet aliquis primò. Non eſt cum proprietate vera hæc propoſitio. Pater intelligit ſe Verbo. Ergo nequè etiam eſt cum proprietate vera hæc, Pater diligit ſe Spiritu ſancto, ac per conſequens, nequè iſta. Pater, & Filius diligunt ſe Spiritu ſancto. Antecedens patet. Quia illa propoſitio eſt ab Auguſtino loco iam citato retractata. Conſequentia verò probatur, quia vtrobiquè eſt eadem ratio.

24 Reſpondetur, concedendo antecedens, & negando conſequentiam, & ratio diſparitatis iam eſt ex D. Thoma aſſignata, & iterum replicatur. Nam intelligere in diuinis accipitur tantùm eſſentialiter; diligere verò, poteſt accipi eſſentialiter, & notionaliter; Nos autē diximus, in iſta propoſitione prout à Sanctis Patribus profertur, & à D. Thoma defenditur, & explicatur, quòd diligere, accipitur notionaliter.

25 Sed contra. Hæc propoſitio, ſcilicet,

Pater eſt ſapiens, ſeù intelligens Verbo, eſt à D. Auguſtino retractata, vt iam dictum eſt. Ergo etiam retractata eſt & iſta, nimirùm, Pater eſt amans ſe Spiritu ſancto. Ergo & iſta, Pater amat ſe Spiritu ſancto. Ergo & iſta, Pater, & Filius diligunt ſe, ſeù amant ſe Spiritu ſancto. Vltima cõſequẽtia probatur ex ſecũda. Secunda, probatur ex paritate cum prima. Idem enim omninò eſt dicere, Pater eſt amans ſe Spiritu ſancto, ac dicere, Pater amat, ſeù diligit Spiritu ſancto. Ergo ſi retractata eſt iſta, Pater eſt amãs Spiritu ſancto, retractata etiã eſt & iſta, Pater amat Spiritu ſancto. Prima verò conſequentia optimè ex ſuo antecedẽti deducitur. Cum nulla poſſit aſſignari diſparitas.

Vaſquez. 26 Pater Vaſquez diſp. 151. reſpondet, concedendo antecedens, & primam cõſequentiam, negando verò ſecundam, & vltimam. Et ponit differentiam inter iſtas duas propoſitiones, ſcilicet, Pater eſt amans Spiritu ſancto, ſeù Pater, & Filius ſunt amantes ſe Spiritu ſancto, & Pater amat Spiritu ſancto, ſeù Pater, & Filius amant ſe Spiritu ſancto. Primam, ſeù primas dicit ſubintelligi retractatas, alteram verò, ſeù alias, nequaquàm. Sed in materia tam graui non eſt recurrendum ad grammaticalem dumtaxat, diſtinctionem, ſed potiùs attendendus eſt vſus, ſeù modus loquendi Sanctorum, & claſſicorum Theologorum.

27 His adde, quòd D. Auguſtinus retractans hanc ſententiam, ſcilicet, Pater eſt intelligens, ſeù ſapiens ſapientia genita, etiam correxit, ac retractauit iſtam; Pater intelligit, ſeù ſapit ſapientia genita. Ergo ſimiliter diſcurrendum eſt de iſta, Pater eſt amãs Spiritu ſancto, & de iſta, Pater amat Spiritu ſancto.

28 Reſpondetur igitur, concedendo antecedens, & negando conſequentiam primam, ac per conſequens, omnes alias ſequentes, quæ conſequuntur ex prima; & ratio diſparitatis eſt iam aſſignata, & iterum replicatur; quia ſapere, & intelligere in diuinis accipitur tantummodò eſſentialiter; diligere verò, ſeù amare, accipitur eſſentialiter, & notionaliter, non ratione alicuius grammaticalis regulæ, ſed ex ſolidorum Sanctorum Patrum, atquè Theologorum vſu. Et hoc rationabiliter; quia habemus propriam notionalem particulam, ad ſignificandã cognitionem notionaliter acceptam, & eſt dicere, ſeù dictio. Et ſic non dicimus, Pater intelligit Verbo, accipiendo, ly, intelligit, notionaliter, quia habemus propriam vocem. Dicimus enim Pater dicit Verbo. Vnde ſi proprium non haberemus nomen, vtiquè Sancti Patres, ac Theologi, modò eſſentialiter, & modò notionaliter, ly, *intelligere*, & ly, *ſapere acceptiſſent*. At verò, propter penuriam vocabulorum, proprio caremus nomine ad ſignificandam dilectionem notionaliter acceptam, idcircò, diligere aliquando accipitur in diuinis eſſentialiter, ſicut cũ dicitur Io: 3. *ſic Deus dilexit mundum, vt Filium ſuum vnigenitum daret*; & aliquando notionaliter, ſicut patet in propoſitione præfata, ſcilicet, Pater, & Filius, diligunt ſe Spiritu ſancto. Ioan 3.

29 Obijciet ſecundò. Cum dicitur, quòd Pater, & Filius diligunt ſe Spiritu ſancto, ly, *Spiritu ſancto*, eſt Ablatiuus abſolutus. Ergo ſignificat principium, ſeù rationẽ formalem, qua Pater, & Filius dicuntur diligere ſe. Hoc, vt ex ſupradictis patet, eſt omninò falſum. Ergo.

30 Reſpondetur, concedendo antecedens, & negando conſequentiam. Et ratio negationis eſt, quia Ablatiuus abſolutus, aliquando ſignificat inſtrumentum, vt cum dico, hiſce oculis egomet vidi, & baculo percuſſi. Aliquando cauſam, vt cum dico, veſtra culpa hæc acciderunt; Aliquando modum actionis, vt cum dico, pacem maritimam ſumma virtute, atquè incredibili celeritate confecit. Aliquando exceſſum, vt cum dico, Scipio ſale, facetijſquè omnes ſuperabat. Aliquando prætium, vt cum dico, viginti talentis vnam orationem Socrates vendidit; & aliquando effectum quaſi formalem, quo principium, ſeù cauſa ad aliud per ipſum effectum ordinatur, vt cum dico, arbor floret floribus; Pater æternus dicit ſe, & creaturas Verbo, vt ſupra in Commentario articuli declarauimus. In præſenti ly, *Spiritu ſancto*, eſt Ablatiuus abſolutus in hac vltima acceptione.

31 Obijciet tertiò. Si eſſet vera iſta propoſitio in ſenſu iam ſæpenumero explicato, ſequeretur, quòd Spiritus ſanctus eſſet media perſona inter Patrem, & Filium; ſed hoc eſt falſum. Ergo. Probatur ſequela; quia Spiritus ſanctus eſſet medium, quo Pater, & Filius ad ſe ipſos amandos impelluntur. Ergo eſſet media perſona &c. Probatur minor. Quia ſi eſſet media, eſſet ſecunda in Trinitate perſona, & non tertia.

32 Reſpondetur, explicando ſequelam. Si eſſet vera iſta propoſitio &c. ſequeretur, quòd Spiritus ſanctus eſſet media perſona impulſiuè, ad mutuum inter perſonas producentes amorem, concedo ſequelam. Eſſet ſecunda, proceſſiuè, nego ſequelam. Similiter explicanda eſt minor. Etenim Spiritus ſanctus dicitur

ſecunda

ſecunda perſona impulſiuè, quia eſt impulſus vnitiuus Patris, & Filij; eſt verò tertia perſona, proceſſiuè, quia ſcilicet, à duabus perſonis, nimirum, à Patre, Filioquè procedit. Cætera videantur in Commentario articuli.

DISPVTATIO CCII.

EX QVORVM OBIECTORVM DILECTIONE procedat Spiritus ſanctus.

Per vnicum caput expedita.

CAPVT VNICVM.

Determinatio veritatis.

1 PRO determinatione veritatis, Dico primò. Spiritus ſanctus procedit ex dilectione diuinæ eſſentiæ. Loquimur de dilectione notionaliter, prout ſcilicet, in Patre, & in Filio, & vt dictio eſt, ſupponens tamen ſecundùm noſtræ intelligentiæ præciſionem dilectionem eſſentialiter acceptam, & ſic intendimus loqui in ſequentibus concluſionibus.

2 Probatur; quia tota ratio dilectionis diuinæ eſt ex diuina eſſentia. Ergo quodcumquè diligatur notionaliter, ſemper in illo diligitur diuina eſſentia, & illud diligitur, vt habens diuinam eſſentiam.

3 Dico ſecundò. Spiritus ſanctus procedit ex dilectione omnium perſonarũ Patris ſcilicet, Filij, & ſui.

Ayoſſa. Vaſquez.

4 Dicit Ayoſſa, diſp. 28. §. 2. num. 10. quòd hoc dictum negaretur à Vaſquez quantùm ad proceſſionem ex dilectione ſui, ſicuti de facto negatur ab ipſo, quòd Verbum procedat ex cognitione Spiritus ſancti.

5 Contra hoc tamen eſt, quia ſi conſequenter velimus dicere loqui Vaſquez, non negaretur ab eo, quod ita probo. Vaſquez concedit, quòd Filius, ſeù Verbum procedit ex cognitione ſui. Ergo tenetur quoquè concedere, quòd Spiritus ſanctus procedit ex dilectione ſui. Patet conſequentia; quia ſicut Verbum ſe habet reſpectu ſui, vt cognoſcatur dũ producitur, ita ſe habet Spiritus ſanctus, vt diligatur, dum ſpiratur. Ergo ſi per Vaſquez, Verbum procedit à Patre ex cognitione ſui, etiam Spiritus ſanctus procedit à Patre, & Filio per dilectionẽ ſui.

6 Probatur igitur concluſio. Spiritus ſanctus procedit ex perfectiſſimo amore Dei. Ergo procedit ex dilectione omnium perſonarum diuinarum. Patet antecedens, & etiam à ſimili remanet abundè probatum, quãdo probauimus, quòd Verbum procedit ex perfectiſſima cognitione Patris. Conſequentia etiam eſt bona, & neceſſaria; quia ad perfectam dilectionem Dei, neceſſariò includũtur omnes tres diuinæ perſonæ.

7 Dico tertiò. Spiritus ſanctus nõ procedit ex dilectione creaturarum poſſibilium.

8 Probatur; quia creaturæ poſſibiles, vt in ſe ipſis ſunt, non diliguntur à Deo, licèt diligantur, pro vt ad diuinam pertinent omnipotentiam, per hoc ſcilicèt, quòd diuina omnipotentia diligitur, vt ſupra tom. 2. diſp. 129. Ergo.

9 Dico quartò. Si creaturæ poſſibiles diligerentur à Deo, Spiritus ſanctus procederet ex dilectione creaturarum poſſibilium.

10 Probatur, & explicatur, quia ſi diligerẽtur à Deo, diligerẽtur neceſſariò, non ex hoc abſolutè, ꝙ in ſe ipſis sũt, ſed ex hoc, quòd neceſſariam haberent cum diuina bonitate connexionem. Et eodem omninò amore, quo diuina bonitas amatur, amarentur. Vnde ſi alio quaſi amore amarentur, etiam ſi daretur huiuſmodi amor, Spiritus ſanctus non procederet ex amore creaturarũ poſſibiliũ. Ergo.

11 Dico quintò. Spiritus ſanctus non procedit ex dilectione creaturarum in aliqua temporis differentia exiſtentium.

12 Probatur; quia Deus diligit creaturas in aliqua temporis differentia exiſtẽtes, &

&

Digitized by Google

& ſi ab æterno, tamen omninò liberè: ſed Spiritus ſanctus debet neceſſariò procedere ex amore ſimpliciter neceſſario, & non omninò, & ſimpliciter libero. Ergo.

13 Sed contra iſtam determinationem obijciet aliquis contra tertium dictum primò. Verbum procedit ex cognitione creaturarum poſſibilium. Ergo etiã ex dilectione earundem procedit Spiritus ſanctus. Conſequentia patet a paritate, & antecedens conceditur à nobis.

14 Reſpondetur, concedendo antecedens, & negando conſequentiam; eò quia falſum eſt ſuppoſitum conſequentis. Nõ enim poſſibilia diliguntur a Deo, vt pluriès diximus, & ſup. probauimus.

15 Quod ſi poſſibilia diligerentur à Deo, & hæc dilectio verſaretur erga poſſibilia in ſe ipſis, non quatenùs neceſſariam habent cum diuina eſſentia, ſeù diuina potentia connexionem, adhùc conceſſo antecedenti, negatur conſequentia; eò quia, Verbum procederet ex cognitione poſſibilium cognitorum in ſe ipſo tãquam in cauſa, & ipſorum cognitio ad comprehenſiuam Dei cognoſcibilitatẽ pertinet neceſſariò; poſſibilia verò, vt in ſe ipſis dilecta, non ſpectarent ad adæquatam diuinæ bonitatis dilectionem; & alio veluti amore ab amore diuinæ bonitatis amarentur. Quòd ſi dicatur, poſſibilia cognoſci à Deo non in ſe ipſo tanquàm in cauſa, ſed in ſe ipſis immediatè, immediatione obiectiua, dicendũ quoquè erit, quòd Verbum non procedit ex cognitione poſſibilium, vt conſequenter locutus eſt Scotus.

16 Obijciet ſecundò contra vltimum. Pater, & Filius diligunt ſe, & creaturas in aliqua temporis differentia exiſtentes, Spiritu ſancto. Ergo Spiritus ſanctus procedit etiam ex cognitione creaturarum in aliqua temporis differentia exiſtentium. Probatur antecedens authoritate D. Thomæ hic ad 3. quorum occaſione verborum præſentem formauimus diſputationem; vbi ſic ait. *Pater non ſolùm Filium, ſed etiam ſe, & nos diligit Spiritu ſancto; quia (vt dictum eſt) diligere pro vt notionaliter ſumitur, non ſolùm importat productionem diuinæ perſonæ, ſed & perſonam productam, per modum amoris, qui habet habitudinem ad rem dilectã. Vnde &c.* Probatur igitur conſequentia; quia Spiritus ſanctus ab eorum obiectorum dilectione procedit, reſpectu quorum, Pater, & Filius diligunt ea Spiritu ſancto. Ergo ſi per D. Thomam Pater diligit nos Spiritu ſancto, Spiritus ſanctus procedit ex dilectione noſtrum.

17 Retorqueo argumentum. Etiam creaturæ in aliqua temporis differentia exiſtentes dicuntur Verbo à Patre æterno. Ergo. Verbum procedit à Patre æterno ex cognitione creaturarum in aliqua temporis differentia exiſtentium: ſed hoc nõ eſt dicendum in via D. Thomæ, vt ſupra probatum eſt. Ergo.

18 Confirmatur; quia ex D. Thoma in hoc eodem loco, ab arguẽte relato. *ſicut Pater dicit ſe, & omnem creaturam Verbo, quod genuit, ita diligit ſe, & omnem creaturã Spiritu ſancto.* Ergo vel dicendum eſt ex vi præſentis teſtimonij, etiam Verbum procedere ex cognitione creaturarum omnium, quas dicit Verbo, vel quod authoritas contra concluſionem poſitam, non premit, nec infringit concluſionem. D. Thom.

19 D. Thomas in præfato teſtimonio, vt in Commentario articuli obſeruauimus, non loquitur de creaturis poſſibilibus, ſed de creaturis in aliqua dumtaxat, temporis differentia exiſtentibus; idquè illa particula, *& nos*, non obſcurè declarat. Etenim ly, *& nos*, non creaturas poſſibiles, vt poſſibiles, ſed eas vt exiſtentes, euidenter oſtendit. Hoc obſeruo, contra eos, qui hoc teſtimonio conuicti contendunt, D. Thomam tenere creaturas poſſibiles, vt poſſibiles ſunt, eſſe à Deo aliquo ſimplicis complacentię amore dilectas.

20 Reſpondetur igitur ad argumentum, cõcedẽdo antecedẽs in ſenſu à D. Thoma intellecto, & iam iam à nobis explicando; & negando conſequentiam. Ad cuius probationem diſtinguo, ſeù potiùs explico antecedens. Spiritus ſanctus ab eorum obiectorum dilectione procedit, reſpectu quorum Pater, & Filius diligũt ea, dilectione neceſſaria; concedo antecedens: dilectione libera, nego antecedens. Ergo &c. nego conſequentiam.

21 D. Thomas ipſe explicat eodem loco, quomodo Pater dicat creaturas Verbo, eaſdemquè Spiritu ſancto diligat; ſic enim ait. *Vnde ſicut Pater dicit ſe & omnem creaturam Verbo, quod genuit, in quantum Verbum genitum ſufficienter repræſentat Patrem, & omnem creaturam, ita diligit ſe, & omnem creaturam Spiritu ſancto, in quantùm Spiritus ſanctus procedit, vt amor bonitatis primæ, ſecundùm quam Pater amat ſe, & omnẽ creaturam. Et ſic etiam patet, quòd reſpectus importatur ad creaturam, & in Verbo, & in amore procedente quaſi ſecundariò, in quantũ ſcilicet bonitas, & veritas diuina eſt principiũ intelligendi, & amandi omnem creaturam.* Ex quibus verbis habes, quòd Pater licèt diligat ſe, & nos, ſeù omnem creaturam Spiritu ſancto, nõ tamen S. Doctor dicit, quòd eodem modo diligat ſe, & omnem crea- D. Thom.

Digitized by Google

quemadmodum licèt dicat ſe, & omnem creaturam Verbo, non tamen eodem modo; dicit enim ſe, exprimendo ſe, tanquàm obiectum neceſſarium. Dicit autem omnem creaturam, exprimēdo, & liberè cauſando eas, ſeù dicit creaturas ſecundariò, & ſuppoſito decreto de productione ipſarum. Similiter diligit ſe, & omnem creaturam, ſe quidem neceſſario; omnem creaturam verò, ſecundariò, & liberè, per hoc, quòd diligit bonitatem Dei infinitam, vt liberè ſe extendentem, ſeù communicantem creaturis. Vide quæſt. ſequenti, in diſp. num. 26.

QVÆSTIO XXXVIII.

DE NOMINE SPIRITVS SANCTI. QVOD EST DONVM.

IN DVOS ARTICVLOS DIVISA.

COnſequenter quæritur de dono. Et circa hoc quæruntur duo.

¶ Primò, vtrum donum poſſit eſſe nomen perſonale.

¶ Secundò, vtrum ſit proprium Spiritus ſancti.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum donum ſit nomen perſonale.

AD primum ſic proceditur, videtur quod donum non ſit nomen perſonale: omne enim nomē perſonale, importat aliquam diſtinctionem in diuinis; ſed nomen doni non importat aliquam diſtinctionem in diuinis: dicit enim Auguſtin. lib. 15. de Trinitate, quod Spiritus ſanctus ita datur, ſicut Dei donum, vt etiam ſeipſum det, ſicut Deus: ergo donū non eſt nomen perſonale.

2 *Præterea. Nullum nomen perſonale conuenit eſſentiæ diuinæ; ſed eſſentia diuina eſt donum, quod Pater dat Filio, vt patet per Hyl. lib. 8. de Trinitate: ergo donum non eſt nomen perſonale.*

3 *Præterea. Secundum Damaſc. nihil eſt ſubiectum, aut ſeruiens in diuinis perſonis; ſed donum importat quandam ſubiectionem, & ad eū, cui datur, & ad eum à quo datur: ergo donum non eſt nomen perſonale.*

4 *Præterea. Donum importat reſpectum ad creaturam, & ita videtur de Deo dici ex tempore; ſed*

FORMATIO ARTICVLI.

BIpartita eſt corporis diſtributio. Primò, ponit vnicam concluſionem modaliter reſponſiuam queſito. Secundò, eam probat.

Quò ad primum concluſio eſt iſta. *Et ſic diuinæ perſonæ competit dari, & eſſe donum.*

Quò ad ſecundū, ſex facit. Primò, ponit habitudines importatas per donū. Secundò, explicat quot modis perſona diuina dicitur eſſe alicuius. Tertiò, declarat quid ſit habere aliquid; Quartò, ait, & probat, quòd ſola creatura rationalis poteſt habere diuinam perſonam. Quintò, ait, & probat, quòd diuina perſona, non poteſt ab aliqua creatura rationali haberi, niſi ei deſuper detur. Et tādem ſextò, ex omnibus prælibatis principalem concluſionē optimè infert.

Quò ad horū primū ponit tres doni habi-

habitudines, prima, eſt ipſius doni, ſecũda, donantis, ſeũ donatoris; & tertia, donatarij.

Primã ſic aſſignat. *In nomine doni importatur aptitudo ad hoc, quod donetur.*

Secundam, & tertiam ſic ſimul aſſignat, atque etiã probat, aſſignat ſic. *Quod autem donatur, habet aptitudinem, vel habitudinem, & ad id à quo datur*, ecce aptitudo ex parte donatoris, ſeũ donantis; *& ad id cui donatur*. Ecce habitudo ex parte donatarij.

Probat autem ſic. *Quia nõ daretur ab aliquo, niſi eſſet eius, & ad hoc alicui datur, vt eius ſit.*

Quò ad horũ ſecundam, ſic ait. *Perſona autem dicitur eſſe &c.* Lege litteram, vſquè ad illam particulam, *habetur*, incluſiuè.

Quò ad horũ tertium, ſic ait. *Habere autem dicimur id, quo liberè poſſumus vti, vel frui, vt volumus.*

Quò ad horum quartum, ſic ait. *Et per hunc modum diuina perſona non poteſt haberi, niſi à rationali creatura Deo coniũcta.* Probat autem ſic. *Quia aliæ creaturæ moueri*
62 *quidem poſſunt à diuina perſona, non tamen ſic, quòd in poteſtate earum ſit, frui diuina perſona, & vti effectu eius, ad quod quandoquè pertingit rationalis creatura, vt puta, cum ſic ſit particeps diuini Verbi, & procedentis amoris, vt poſſit liberè Deum verè cognoſcere, & rectè amare.* Ergo *ſola creatura rationalis poteſt habere diuinam perſonam.*

ſed nomina perſonalia dicuntur de Deo ab æterno, vt Pater, & Filius: ergo donum non eſt nomen perſonale.

Sed contra eſt, quod Auguſt. dicit lib. 15. de Trinitate: ſicut corpus carnis, nihil aliud eſt, quã caro, ſic donum Spiritus ſancti, nihil aliud eſt, quã Spiritus ſanctus: ſed Spiritus ſanctus eſt nomen perſonale, ergo & donum.

Reſpondeo dicendum, quod in nomine doni, importatur aptitudo ad hoc, quod donetur: quod autem donatur, habet aptitudinem, vel habitudinẽ, & ad id à quo datur, & ad id cui datur. Non enim daretur ab aliquo niſi eſſet eius, & ad hoc alicui datur, vt eius ſit. Perſona autem diuina dicitur eſſe alicuius, vel ſecundum originem ſicut Filius eſt Patris, vel inquantum ab aliquo habetur. Habere autem dicimur id, quo liberè poſſumus vti, vel frui, vt volumus; & per hunc modũ diuina perſona non poteſt haberi, niſi à rationali creatura Deo coniuncta. Aliæ autem creaturæ moueri quidem poſſunt à diuina perſona, non tamen ſic, quod in poteſtate earum ſit frui diuina perſona, & vti effectu eius. Ad quod quandoque pertingit rationalis creatura, vt puta cum ſic ſit particeps diuini Verbi, & procedentis amoris, vt poſſit liberè Deum verè cognoſcere, & rectè amare: vnde ſola creatura rationalis poteſt habere diuinam perſonam: ſed ad hoc quod ſic eam habeat, non poteſt propria virtute peruenire: vnde oportet, quod hoc ei deſuper detur. Hoc enim dari nobis dicitur, quod aliundè habemus; & ſic diuinæ perſonæ competit dari, & eſſe donum.

Ad primum ergo dicendum, quod nomen doni importat diſtinctionem perſonalem, ſecundum quod donum dicitur eſſe alicuius per originem; & tamen Spiritus ſanctus dat ſeipſum, inquantum eſt ſui ipſius, vt potens ſe vti, vel potius frui, ſicut & homo liber, dicitur eſſe ſui ipſius; & hoc eſt, quod Auguſt. dicit ſuper Ioan. Quid tam tuum eſt, quam tu? vel dicendum, & melius, quod donum oportet eſſe aliquo modo dantis; ſed hoc eſſe huius, dicitur multipliciter, vno modo per modum identitatis, ſicut dicit Auguſt. ſuper Ioan. & ſic donum non diſtinguitur à dante: ſed ab eo cui datur, & ſic dicitur, quod Spiritus ſanctus dat ſe, alio modo dicitur aliquid eſſe alicuis vt poſſeſſio, vel ſeruus, & ſic oportet, quod donum eſſentialiter diſtinguatur à dante, & ſic donum Dei eſt aliquid creatum, tertio modo dicitur hoc eſſe huius per originem tantum; & ſic Filius eſt Patris, & Spiritus ſanctus vtriuſque. Inquantum ergo donum hoc modo dicitur eſſe dantis, ſic diſtinguitur à dante perſonaliter, & eſt nomen perſonale.

Ad ſecundum dicendum, quod eſſentia dicitur eſſe donum Patris, primo modo, quia eſſentia eſt Patris per modum identitatis.

Ad tertium dicendum, quod donum ſecundum quod eſt nomen perſonale in diuinis, non importat ſubiectionem: ſed originem tantum in comparatione ad dantem. In comparatione verò ad eum, cui datur, importat liberum vſum, vel fruitionẽ, vt dictum eſt.

Ad

Quò ad horum quintũ, ſic ait. *Oportet quòd hoc ei deſuper detur.*

Probat ſic. *Quia ad hoc, quòd ſic eam habeat, non poteſt propria virtute puenire.* Ergo. *oportet quòd &c.* probat iſtam conſequẽtiam; Quia *hoc dari nobis dicitur, quod aliũde habemus.*

Quò ad ſextum horum, ratio pro cõcluſione, quòd ſit nomen perſonale hoc nomen donum, eſt iſta: Quia *Perſona diuina, aliqua ſcilicet, non omnes, eſt ab aliquo, & poteſt donari alicui, ergo eſt nomen perſonale.* Quòd verò *ſic diuina perſona &c.* ideſt, tali modo, probatur ſic. Quia *perſona diuina nulla alia creatura poteſt frui, eiuſquè effectu vti, niſi ſola rationalis creatura.* Ergo ſic &c.

Ad primum argumentum reſpondet primò; diſtinguendo maiorem. *Omne nomen perſonale, importat aliquam diſtinctionem* perſonalem, cõcedit maiorem. Eſſentialem, negat maiorem. Similiter diſtinguẽda eſt minor, & neganda eſt conſequentia. Ad minoris probationem, explicat D. Auguſtinũ. *Spiritus ſanctus ita datur, ſicut Dei donum, vt etiam ſe ipſum det, ſicut Deus, in quantùm Spiritus ſanctus eſt ſui ipſius, vt potens ſe vti, vel potiùs frui,* concedit, & ſic locutus eſt Auguſtinus. Vt etiam ſe ipſum det, non vt potens ſe vti &c. negat, & ſic non locutus eſt Auguſtinus.

Reſpondet ſecundò, concedendo maiorẽ, & diſtinguẽdo, ſeũ

Digitized by Google

Ad quartum dicendum, quod donum non dicitur ex eo, quod actu datur, ſed inquantum habet aptitudinem, vt poſſit dari: vnde ab æterno diuina perſona dicitur donum, licet ex tempore datur; nec tamen per hoc, quod importatur reſpectus ad creaturam, oportet quod ſit eſſentiale: ſed quod aliquid eſſentiale in ſuo intellectu includatur, ſicut eſſentia includitur in intellectu perſonæ, vt ſupra dictum eſt.

ſeu explicãdo minorem, ſed *nomen doni*, per modum identitatis, *non importat aliquam diſtinctionem*, concedit minorem. *Sed nomen doni, ſecundùm quod dicitur eſſe alicuius per originem, non importat aliquam diſtinctionem in diuinis*, negat minorem. Ergo &c. negat conſequentiam. Ad authoritatem autem D. Auguſtini, reſpondet, D. Auguſtinum locutum eſſe de dono, per modum identitatis, non de dono, quod eſt alicuius, per modum originis.

Ad ſecundum argumentum reſpondet, concedendo maiorem, & diſtinguẽdo, ſeù potiùs explicando minorem. Sed *eſſentia diuina eſt donum*, per modum identitatis, concedit minorem. Per modum originis, negat minorem. Ergo &c. negat cõſequẽtiã.

Ad tertium argumentum reſpondet, concedendo maiorẽ, & negãdo minorem in diuinis, aſſignatquè rationem; quia *donum, ſecundùm quòd eſt nomen perſonale in diuinis, non importat ſubiectionem, ſed originem tantùm &c.* Lege litteram.

Ad quartum argumentum reſpondet, & reſponſio ſic in forma proponitur, diſtinguendo, ſeũ explicando maiorem. *Donum importat reſpectum* aptitudinalem *ad creaturam*, concedit maiorem. *Donum importat reſpectum* actualem ad creaturam, negat maiorem. Tunc conceſſa minori, negat conſequentiam.

SVPER ARTICVLVM COMMENTARIVM.

1 VTRVM *donum ſit nomẽ perſonale.* Non quærit, vt rectè obſeruat Caietanus, Vtrum hoc nomen, donum, in diuinis ſit tantùm, ac neceſſariò nomen perſonale; Quoniam vt patet ex diſcurſu articuli, & præſertim in reſponſione ad primum; hoc nomen donum, in diuinis, aliquando accipitur per modum identitatis, & ſic eſt toti Trinitati commune. Idquè ex eodem D. Thoma deducitur, qui in hac quæſt. ante præſentis articuli, & tituli eiuſdem formationem, ſic huius articuli poſuit inſcriptionem. *Vtrum donum poſſit eſſe nomen perſonale.* Cum ergo ſint eiuſdem quæſiti titulus vnus, ille, ſcilicet, in præfatione poſitus; & iſte in fronte articuli deſignatus, ad idem omninò ſignificandum tendunt, ac proinde, ſignum eſt, quòd D. Thomas quærit, *Vtrum donum ſit nomen perſonale*, poſſibiliter, ideſt, *Vtrum poſſit eſſe nomen perſonale*; & per conſequens, non quærit, Vtrum hoc nomen, donum, neceſſariò ſit dicẽdum nomen perſonale. Caiet.

2 *In nomine doni, importatur aptitudo ad hoc, quòd donetur.* Non dicit importatur actuale dationis, ſeù donationis exercitium, ſed *aptitudo*, vt conformetur doctrinæ poſitæ in reſp. ad quartum.

3 *Quod autem donatur, habet aptitudinem, vel habitudinem, & ad id, à quo datur, & ad id, cui datur.* Obſerua, quòd habitudo ad id, cui donum datur, ſemper includit diſtinctionem inter donum, & id cui fit ipſa donatio, ſi propriè loquamur; quoniam, ſi impropriè, ſolet etiam dici, Rex donauit reo vitam; eò quia, reus debebat vita priuari, & ex Regis benignitate ſuorum criminum accepit indulgentiam, fuitquè in vita relictus: attamen, habitudo doni ad donantem nõ ſemper includit diſtinctionem inter donum, perſonamquè donantem; Poteſt enim aliquis ſe ipſum alicui donare.

4 *Diuina perſona non poteſt haberi, niſi à rationali creatura Deo coniuncta.* Ex quo habetur; q̃ vt creatura rationalis dicatur, diuinam habere perſonam, ſibi dono datam; debet eſſe Deo coniuncta. Coniuncta quidem, non per ſolam proprij eſſe naturalis participationem, ac in ipſo eſſe conſeruationem, quoniam hoc modo omnis creatura de facto exiſtens, Deo dicitur eſſe coniuncta. Debet ergo eſſe coniuncta Deo; per gratiam, vel vnionis hypoſtaticæ, vel ſanctificantem animam. Vtroquè modo Sacratiſſima Chriſti Domini humanitas donum Dei accepit, quia fuit Deo vtroquè modo coniuncta; perſonaliter ſcilicet; quando vt Ioan. 1. dicitur, *Verbum Caro factum eſt*; & per ſanctificantem gratiam, iuxta illud etiam Ioannis 1. *Plenum gratiæ, & veritatis.* Aliæ verò rationales Ioan. 1.

creaturæ dicuntur habere diuinam perſonam, ſecundùm quòd ſunt coniunctæ Deo per ſanctificantem gratiam.

5 *Vt poſſit liberè Deum verè cognoſcere, & rectè amare.* Loquitur de ſimplici, ac pura creatura; quoniam antecedenter ad hunc amorem, rationalis natura, humanitas, ſcilicet, Chriſti habuit in ſe, vt dicebamus tanquàm præſtantiſſimũ Dei donum, perſonam Verbi diuini ſibi inamiſſibiliter coniunctam; licèt hoc nomen, donum, ſi perſonaliter accipiatur, magis accommodatè ſe extendat ad Spiritum ſanctum, vt articulo ſequenti patebit ad 1. tamen Filius etiam dicitur propriè donum, quia datus eſt ex parte amoris.

6 *Vnde oportet, quòd hoc ei deſuper detur.* Per hæc, & ſequentia verba declarat, aliam doni conditionem eſſentialem, videlicet, quòd donum non debet eſſe propriè, naturaliquè virtuti debitum, ſed ex ſola virtute, ac voluntate dantis.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Vtrum donum ſit proprium nomen Spiritus ſancti.

AD ſecũdum ſic proceditur, videtur quod donum non ſit propriũ nomen Spiritus ſancti: donũ enim dicitur ex eo, quod datur; ſed ſicut dicitur Iſaiæ 9. Filius datus eſt nobis: ergo eſſe donum conuenit Filio, ſicut Spirituiſancto.*

2 Præterea, Omne nomẽ propriũ alicuius perſonæ, ſignificat aliquam eius proprietatẽ; ſed hoc nomẽ donũ, nõ ſignificat proprietatẽ aliquam Spiritus ſancti: ergo donum non eſt proprium nomen Spiritus ſancti.

3 Præterea, Spiritus ſanctus poteſt dici ſpiritus alicuius hominis; ſed nõ poteſt dici donũ alicuius hominis; ſed ſolum donum Dei: ergo donum non eſt proprium nomen Spiritus ſancti.

Sed contra eſt, quod Auguſt. dicit in lib. 4. de Trinit. Sicut natum eſſe eſt Filio à Patre eſſe, ita Spiritum ſanctum donum Dei eſſe, eſt à Patre, & Filio procedere; ſed Spiritus ſanctus ſortitur propriũ nomen inquantũ procedit à Patre, & Filio: ergo & donum eſt proprium nomen Spiritus ſancti.

Reſpondeo dicendum, quod donum ſecundum quod perſonaliter ſumitur in diuinis, eſt proprium nomen Spiritus ſancti.

Ad cuius euidentiam ſciẽdum eſt, quod donum propriè eſt datio irreddibilis, ſecundum Philoſophum, ideſt, quod non datur intentione retributionis, & ſic importat gratuitã donationẽ. Ratio autem gratuitæ donationis, eſt amor; ideò enim damus gratis alicui aliquid, quia volumus ei bonum. Primum ergo, quod damus ei, eſt amor, quo volumus ei bonũ: vnde manifeſtũ eſt, quod amor habet rationẽ primi doni, per quod omnia dona gratuita donãtur: vnde cũ Spiritus ſanctus procedat, vt amor (ſicut iã dictũ eſt) procedit in ratione doni primi; vnde

FORMATIO ARTICVLI:

TRipartita eſt principalis corporis diſtributio. Primò enim ponit concluſionẽ. Secundò, aſſignat, & declarat rationẽ, ſeu definitionẽ doni propriè accepti. Tertio, concluſionem quam poſuerat, ratione probat; atquè authoritate declarat.

Quò ad primum, cõcluſio eſt iſta. *Donum, ſecundũ quòd perſonaliter ſumitur in diuinis, eſt proprium nomẽ Spiritus ſancti.*

Quò ad ſecũdum, tria facit, primò, ponit definitionẽ doni, ac declarationẽ eiuſdẽ. Secũdò, aſſignat rationem, ſeu radicẽ gratuitæ donationis; Et tertiò, duo corollaria deducit.

Quò ad horum primum, ſic definit donum. *Donum*, inquit, *propriè eſt datio irreddibilis, ſecundùm philoſophum.*

Explicatio eſt iſta. *Ideſt, quòd non datur intentione retributionis, & ſic importat gratuitam donationem.*

Quò ad horum ſecundum, ſic ait. *Ratio autem gratuitæ donationis, eſt amor. Ideò enim damus gratis alicui aliquid, quia volumus ei bonum.*

Quò ad horum tertium, primum corollariũ eſt iſtud. *Primum ergo*, inquit, *quod damus ei, eſt amor, quo volumus ei bonum.*

Secundum corollarium quod ex primo conſequitur, eſt iſtud. *Vnde manifeſtum eſt, quòd amor habet rationem primi doni, per quod omnia dona gratuita donantur.*

Quò ad tertium principale, ratio pro concluſione eſt iſta. *Spiritus sãctus procedit vt amor.* Ergo *procedit in ratione doni primi.* Ergo

Digitized by Google

Ergo *donum ſecundùm quod perſonaliter ſumitur in diuinis eſt propriũ nomen Spiritus ſancti.*

Confirmatio eſt ex authoritate Diui Auguſt. 15. de Trin. vbi ſic ait. *Per donũ, quod eſt Spiritus ſanctus, multa propria dona diuiduntur mẽbris Chriſti.*

Ad primum argumentum reſpondet, explicando maiorẽ, ſupponendo tamen quòd ſit ſermo de dono perſonaliter ſumpto. *Donum dicitur, ex eo, quòd datur*, & procedit vt amor, concedit maiorem. Et non procedit vt amor ſeu ex amore, negat maiorem. Similiter diſtinguenda eſt minor, & neganda eſt conſequentia.

Ad ſecundum argumentum reſpondet, concedendo maiorem, loquẽdo ſemper de dono perſonaliter accepto, & negando minorem; *Nam in nomine doni, importatur, quòd ſit dãtus per originem &c.*

Ad tertium argumentum reſpondet, explicando maiorẽ. *Spiritus ſanctus, poteſt dici ſpiritus alicuius hominis*, poſtquàm datus eſt illi homini, concedit maiorem. Antequàm ſit illi homini datus, negat maiorem. Similiter explicãda eſt minor, & neganda eſt conſequentia.

vnde dicit Auguſt. lib. 15. de Trinitate, quod per donum, quod eſt Spiritus ſanctus multa propria dona diuiduntur membris Chriſti.

Ad primum ergo dicendum, quod ſicut Filius, quia procedit per modum Verbi, quod de ratione ſua habet, quod ſit ſimilitudo ſui principij, dicitur propriè imago, licet etiam Spiritus ſanctus ſit ſimilis Patri; ita etiam Spiritus ſanctus, quia à Patre procedit, vt amor, dicitur propriè donum, licèt etiam Filius detur. Hoc enim ipſum, quod Filius datur, eſt ex Patris amore, ſecundum illud Ioan. 3. Sic Deus dilexit mundum, vt Filium ſuum vnigenitum daret.

Ad ſecundum dicendum, quod in nomine doni importatur, quod ſit dantis per originem; & ſic importatur proprietas originis Spiritus ſancti, quæ eſt proceſſio.

Ad tertium dicendum, quòd donum antequàm detur, eſt tantum dantis, ſed poſtquàm datur, eſt eius cui datur. Quia igitur donum non importat dationem in actu, non poteſt dici, quòd ſit donum hominis, ſed donum Dei dantis: cum autem iam datum eſt, tunc hominis eſt, vel Spiritus, vel datum.

SVPER ARTICVLVM COMMENTARIVM.

1 VTRVM *donum ſit proprium nomen Spiritus ſancti*, ſecundùm quòd, ſcilicet hoc nomen, *donum*, in diuinis accipitur perſonaliter.

2 *Donum propriè eſt datio irreddibilis.* Et meritò; quia in donatione in nobis omninò iura, ac dominia mutantur. Donans enim aliquid alicui, facit, vt donatarij ſit, quod ipſius donantis erat. Et hoc, loquendo de dono propriè, ſecundũ quòd Philoſophus loquitur, & iuxta explicationem, quam D. Thomas affert.

3 *Ideſt, quod non datur intentione retributionis.* Non dicit non datur intentione redamationis; quoniam donans donat, quia amat, & vt redametur amat. Recte ergo D. Thomas ait, quòd *non datur intentione retributionis*, quia ſenſus eſt, quòd non datur, vt iterum à donatario reſtituatur acceptum.

4 *Et ſic importat gratuitam donationem.* Verba hæc, præcedentia declarant, propriamquè doni naturam explanant. Et ſenſus eſt, quòd donum eſt *ratio irreddibilis*, ideſt, non propter aliquod intereſſe, vtilitatemquè donantis. Hæc dico, ad hoc, vt ratio doni ſaluetur, pro vt ad diuinam transfertur prędicationem. Quãdoquidem, ſiuè donũ in diuinis accipiatur per modum identitatis, eſſentialiter, aut per modum originis, quando donatur aliquid à Deo nobis, non ſic dicitur *datio irreddibilis*, quaſi ſint omninò iura mutata à Deo ad creaturas; quoniam ſemper Deus habet in ſua poteſtate, ſi velit, omnia ſupernaturalia, imò, & naturalia auferre, deſtruere, & annihilare. Semper enim Deus, Dominus dicitur, & nunquàm ſuæ poteſtatis ſupra creaturam iura dominiumquè perdit. Dicitur ergo, & ſaluatur ratio doni in Deo, per hoc, quòd Deus præbet ſe ipſum, vel aliquem eius effectum, non intentione retributionis, ſed ratione gratuitæ donationis.

5 *Et ſic importat gratuitam donationem.* Ex quibus verbis habes, quòd Filius in diuinis, quamuis quicquid habet acceperit à Patre, iuxta illud Matthæi 11. *Omnia mihi tradita ſunt à Patre meo.* Et ſimiliter Spiritus ſanctus, non propterea illa datio dicitur donum; quia eſt neceſſaria datio, non gratuita donatio. Matt. 11.

6 *Primum ergo quod damus.* Loquitur de exercitio doni, non de ratione formali doni, aliud enim eſt eſſe donum; & aliud

Digitized by Google

eſſe datum. Nam Spiritus ſanctus ab æterno vocatur propriè creaturæ rationalis donum; non tamen dicitur ab æterno creaturæ datus.

7 *Primum ergo quod damus ei, eſt amor. Amor*, non concupiſcentiæ, quia hic intentione retributionis; ſed amor amicitiæ, quo volumus alicui bonum, non alicuius retributionis cauſa datur.

8 *Primum ergo quod damus ei, eſt amor*; *Quod damus ei*, non ſubiectiuè, & formaliter, ſed motiuè, & cauſaliter; ideſt, *Primum quod damus ei, eſt amor*, quo mouemur ad præbendum aliquod rei amatæ bonum. Vnde littera ſubdit, *quo volumus ei bonum*.

9 *Vnde manifeſtum eſt, quòd amor habet rationem primi doni*. Subaudi, non ſubiectiuè, & formaliter, vt numero præcedēti dictum eſt, ſed motiuè, & cauſaliter.

10 *Vnde cum Spiritus ſanctus procedat vt amor*; ſubaudi, non formaliter, ſed terminatiuè, ideſt, vt terminus per amorem productus; ex quo rectè colligitur, quòd Spiritus ſanctus magis propriè dicitur donum, quàm Filius, qui adhùc propriè donum, loquendo de dono perſonaliter, nuncupatur. Vide reſponſionem ad primum.

DISPVTATIO CCIII.

VTRVM DONVM NOTIONALITER ACCEPTVM, Sit proprium nomen Spiritus ſancti.

In tria capita diſtributa.

CAPVT PRIMVM.

Explicatur titulus, & Doctorum opiniones referuntur.

1 SVpponimus donum eſſentialiter, & etiam notionaliter dici in diuinis, vt rectè D. Thomas probat in vtroque huius quæſtionis articulo, quærimus autem modo, ſuppoſito, quod donum etiam perſonaliter dicitur in diuinis, Vtrum ſecundùm quòd perſonaliter dicitur, ſit proprium nomen Spiritus ſancti.

2 Durand. Durandus, in 1. diſt. 18. tenet, hoc nomen, donum, in diuinis, neque eſſe propriè nomē eſſentiale, neque eſſe propriè nomen perſonale, ſed poſſe pro eſſentialibus, & pro perſonalibus accipi, & ait, quòd dicitur de Spiritu ſancto tantū appropriatè, nō quia Spirituiſancto appropriatur amor notionaliter acceptus, ex quo verè procedat, tāquàm per principium, vel tanquàm per actionem. Hoc enim, vt ſupra vidimus, à Durando omninò negatur; ſed per appropriationem, ex hoc capite ponit; quia ſcilicet, *Omnis ſpecialis communicatio, quæ ad donum exigitur, procedit ex radice amoris, qui eſt actus voluntatis; & ideo illi perſonæ conuenit appropriatè eſſe donum, quæ procedit, vt amor, vel per modum voluntatis*. Vbi per ly, *vt amor*, & per ly, *per modum voluntatis*, à Durando accipitur metaphoricè, & diſtrahendo à vera proceſſione per voluntatem, vt ſupra dictum eſt.

3 Ocham, apud Marſilium in 1. q. 21. art. 1. notatione 3. tenet, quòd donum dupliciter accipi poteſt; pro eo ſcilicet, quod gratis poteſt alicui donari; & pro eo, quod procedit ex vi amoris alicuius obiecti, non quia liberaliter alicui detur & ſic competere Spirituiſancto reſpectu Patris, & Filij, quia eſt vtriuſquè mutuus amor; & ex hac ſententia ſequitur, eſſentiam diuinam eſſe donum Patris in Filium, quia ſcilicet, eſſentia diuina ab æterno donatur à Patre Filio. Ocham.

4 Scotus, in 1. diſt. 18. q. vnica docet, quòd nō conuenit Spirituiſancto eſſe propriè donum; & quia propoſitio vt iacet, eſt expreſsè contra D. Auguſtinum, explicat ſe, dicens, quòd donum tripliciter accipi poteſt. Primò, pro eo, quod liberaliter procedit per actum amoris; ſecundò, pro vt dicit mutuum amorem duorum, vel plurium. & tertiò, pro eo, quod liberaliter datur, & docet, quòd Spiritus ſanctus eſt quidē donū primo modo, & ſecun- Scotus.

Digitized by Google

ſecundo. Lege Scotum §. *Reſpondeo*, & §. *Hic dicitur*.

5 Communiſſimè tamen Theologi cũ D. Thoma hìc, & in 1. diſt. 18. q. 1. ar. 4. tenent, Spiritum ſanctum ex vi ſuæ perſonalis proceſſionis eſſe verè, & propriè donum. D. Thom.

CAPVT SECVNDVM.

Determinatio veritatis.

6 PRO determinatione veritatis Dico primò. Eſſentia diuina communicata Filio, non poteſt dici verè, & propriè donum.

7 Probatur primò; quia de ratione doni eſt, vt liberaliter detur, ſeù liberè detur, cui datur: ſed eſſentia diuina non liberè, aut gratuitè Filio communicatur à Patre, ſed neceſſariò neceſſitate proueniente ex fœcunditate diuinæ naturę. Ergo eſſentia diuina non poteſt dici donum.

8 Probatur ſecundò; quia donum debet eſſe ſupra facultatem donatarij, aliàs donum non eſſet donum, ſed debitum: ſed diuina eſſentia non eſt ſupra vires Filij, aut Spiritus ſancti. Ergo diuina eſſentia vt communicata Filio, nõ poteſt dici donum. Et hoc, quod de diuina eſſentia dicimus, de omni attributo Dei tàm eſſentiali, quàm etiam notionali intelligendum eſt.

9 Dico ſecundò. Solus Spiritus ſanctus dicitur verè, & maximè propriè donum in diuinis, ſi donum accipiatur notionaliter ſeù perſonaliter.

10 Probatur primò ex D. Auguſtino tom. 3. de Trinit. lib. 15. cap. 19. vbi ex profeſſo quærens, *quomodo Spiritus ſanctus dicitur donum*, ſic ait. *Quò circa rectiſſimè Spiritus ſanctus cum ſit Deus, vocatur etiam donum*. Et ne quiſpiàm dicat, D. Auguſtinum impropriè, aut metaphoricè loqui, ſic immediatè fatur. *Quod donum propriè, quid niſi charitas intelligenda eſt, quæ perducit ad Deum; & ſine qua quodlibet aliud donum Dei non perducit ad Deum? An & hoc probandum eſt, Dei donum dictum eſſe in Sacris litteris Spiritum ſanctum?* D. Aug.

11 Nec ſolùm hoc teſtificatur ipſe, ſed ipſemet hoc idem eruditiſſimè ex Sacra ſcriptura probat. Cuius probatio conſiſtit in hoc; dicitur enim Ioannis 7. *Qui credit in me, flumina de ventre eius fluent aquę viuæ*, & idem Euangeliſta hanc propoſitionem ſic exponit. *Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eũ*: ſed donum Dei, quod eſt appellatum per aquam iſtam, eſt Spiritus ſanctus. Ergo. De minori ſic Auguſtinus ait. Ioan. 7.

Sed ſicut hìc inuenimus hanc aquam Spiritum ſanctum eſſe, ita inuenimus alibi in ipſo Euangelio, hanc aquam donum Dei appellatã. Idquè probat ex illo Ioannis 4. quando Chriſtus Dominus Samaritanæ dicebat, *Mulier da mihi bibere*, & reſponſioni negatiuæ reſpondit Ieſus, & dixit ei, *ſi ſcires donum Dei, & quis eſt, qui dicit tibi &c.* Et poſt multa, *Qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non ſitiet in æternum, ſed aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam*. Et concludit ſic Auguſtinus. *Quia ergò hæc aqua viua, ſicut Euangeliſta expoſuit, Spiritus eſt ſanctus, procul dubio Spiritus donum Dei eſt. De quo hic Dominus ait, ſi ſcires donum Dei.* Ioan. 4.

12 Hoc idem iterum probat D. Auguſtinus authoritate Sacræ ſcripturæ ex illo Pſal. 67. *Aſcendiſti in altum, cepiſti captiuitatẽ, accepiſti dona in hominibus*, ſed hoc intelligitur de Spiritu ſancto. Ergo. Minor eſt eiuſdem D. Auguſtini ſic dicentis. *Notiſſimum eſt autem Dominum Ieſum, cum poſt reſurrectionem à mortuis aſcendiſſet in cælum, dediſſe Spiritum ſanctum, quo impleti, qui crediderant, linguis omnium gentium loquabantur.* D. Aug. Pſal. 67.

13 Dicet aliquis, locum hunc non rectè de Spiritu ſancto intelligi. Eò quia, Spiritus ſanctus dicitur donum, non dona; Sacra autem ſcriptura dicit, accepit, & dedit dona, & non accepit, & dedit donũ.

14 Reſpondetur, vtrumquè eſſe verum, & quòd dedit dona, & dedit donum. Dona quidem in numero plurali, quia per donum, quod eſt Spiritus ſanctus, multa bona creata dedit. Ita D. Auguſtinus ibidem ſic dicens; *Porrò autem dona, ob hoc ambo dixerunt, & Propheta, & Apoſtolus, quia per donum, quod eſt Spiritus ſanctus, in commune omnibus membris Chriſti multa dona, quæ ſunt, quibuſquè propria, diuiduntur. Non enim ſinguli quiquè habent omnia, ſed hi illa, & alij alia; quamuis ipſum donum à quo cuiquè propria diuiduntur omnes habeant, idest, Spiritum ſanctum*. Et hoc idem etiã authoritate Sacræ ſcripturæ confirmat, & explanat, dum paucis interiectis, ſic ait. *Et hic cum dixiſſet, aſcendit in altum, captiuauit captiuitatem, dedit dona hominibus &c, & ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, quoſdam verò Euangeliſtas, quoſdam autem Paſtores, & Doctores. Ecce quare dicta ſunt dona.* D. Aug.

15 Probat etiam idipſum D. Auguſtinus ex illo Act. 2. vbi dicitur; *Agite pœnitentiam, & baptizetur vnuſquiſquè veſtrum in nomine Domini Ieſu Chriſti in remiſſionem peccatorum, & accipietis donum Spiritus ſancti*. Item, ex illo facto ab Apoſtolis, qui per impoſitionem manus dabant Spiritum ſanctum, & Simon Magus cupiens hanc

ipſe-

Digitized by Google

ipſe quoquè poteſtatem; pecuniam Apoſtolis dixit ſe velle dare, ſi ei præfatam communicaſſent poteſtatem. Et Petrus increpans Simonis ambitum, ſic ait. *Pecunia tua tecum ſit in perditionem, quia donum Dei æſtimaſti per pecunias poſſidere.*

16 Et Sancta Mater Eccleſia in hymno de Spiritu ſancto titulum doni, ſoli Spiritui ſancto aſcribit, dùm ad eum humiliter conuerſa ſic loquitur. *Donum Dei Altiſſimi, fons viuus, ignis charitas &c.*

17 Probatur ſecundò ratione D. Thomę, quam in formatione articuli formauimus, & in Commentario declarauimus. Quapropter, non oportet eam iterum replicare.

CAPVT TERTIVM.

Proponuntur argumenta in contrarium, & ſoluuntur.

18 SED contrà iſtam determinationē obijciet aliquis primò contra primum dictum; Nam D. Hilarius lib. 8. de Trinit. ait, quòd *eſſentia eſt donum, quod datur Filio à Patre.* Ergo. D.Hilar.

19 Reſpondetur, explicando antecedens. *Eſſentia eſt donum*, quantùm ad aliquam rationem, quæ neceſſariò requiritur ad rationem doni, concedo antecedens; & ſic intelligendus eſt D. Hilarius. *Eſſentia eſt donum*, quantùm ad omnem rationē, per ſe requiſitam ad rationem doni, nego antecedens, & ſic non intelligendus eſt D. Hilarius.

20 Reſponſio eſt D. Thomæ art. præcedenti ad 2. vbi ſic ait. *Eſſentia dicitur eſſe donum Patris, primo modo, quia eſſentia eſt Patris per modum identitatis.* Et hoc idem voluit dicere Durandus, in 1. diſt. 18. q. 1. ad 1. ſic dicens. *Donum ibi accipitur largè, pro eo, quod communicatur alteri, etiam ex neceſſitate naturæ &c. Nos autem non loquimur nunc de dono ita largè, ſed ſtrictè, ſcilicet, prout dicit aliquid alteri communicatum liberaliter, quod non conuenit alicui in diuinis reſpectu diuinorum.* D.Thom. Durand.

21 Si igitur ſermo ſit de dono, pro vt dicit id, quod eſt alicuius, per modum idētitatis, vel per modum originis, excludendo hoc, quod eſt eſſe liberè, dabile, ſeù datum; diuina, eſſentia poteſt dici donum, collatum Filio à Patre, vbi Filius diceretur donatarius, & Pater, donans. Et ſimiliter, Pater eſt donum collatum Filio; Quia Pater producendo Filium, præbet ſe ipſum illi obiectiuè, eſtq; eodem modo donum Spiritus ſancti; quia ſcilicet, producendo Spiritum ſanctum, eſt obiectiuè ei, Spiritus ſanctus eſt donum à Patre Filio collatum, hoc modo videlicet, quia Pater communicauit virtutem Filio, vt Spiritum ſanctū ſpiret. Non tamen poteſt dici, ꝙ Filius, aut Spiritus ſanctus donauerint aliquid Patri, licet quicquid habent Filius, & Spiritus ſanctus, habeat quoquè Pater; tamen nequè Filius, nequè Spiritus ſanctus communicant, ſeù tribuunt aliquid Patri, quod omninò requiritur ad fundandam rationem donatarij, & donantis. Donans enim dat, & donatarius accipit à donante.

22 Ex quo etiam ſequitur, quòd licèt Pater, & Filius diligant ſe Spiritu ſancto, & Spiritus ſanctus ſit nexus Patris, & Filij, & conſideretur tanquàm mutuus amor Patris, & Filij; non tamen poteſt dici, quòd Spiritus ſanctus ſit mutuū donum Patris, & Filij, eo quia, Filius non præbet aliqua ratione Spiritum ſanctum Patri: ſed quia, de dono largè, & ſecundùm aliquam eius dumtaxat rationem; non autem de dono propriè, & quantū ad completam doni rationē loquimur, idcirco de his hactenùs.

23 Obijciet ſecundò contra ſecundum dictum. Etiam Filio conuenit eſſe propriè donum. Ergo ſi donum accipiatur perſonaliter, non eſt proprium Spiritui ſancto eſſe donum. Antecedens patet ex illo Iſaiæ 9. *Filius datus eſt nobis.* Et ex illo Io. 3. *Sic Deus dilexit mundum, vt Filiū ſuum vnigenitum daret.* Iſaiæ 9. Ioan. 3.

24 Reſpondetur, diſtinguendo, ſeù potiùs explicando antecedens. Etiam Filio conuenit eſſe propriè donum, ſed magis propriè Spiritui ſācto, cōcedo antecedēs. Sed nō magis propriè, nego antecedens. Ergo &c. nego conſequentiā; vel ſimiliter diſtinguendum eſt conſequens. Nam hoc conuenit Spiritui ſancto ex vi ſuæ proceſſionis. Ita inſinuat D. Thomas hic ad 2. ſed clariùs in 1. diſt. 18. quæſt. vnica art. 4. Vbi ex profeſſo quærens, *Vtrum Spiritus ſanctus proceſſione ſua habeat eſſe donum*; & reſpondet hoc modo. *Dico igitur, quòd proceſſio poteſt dicere emanationem Spiritus ſancti, vel relationem, ſiue proprietatem eius. Si relationem, vel proprietatem, ſic Spiritus ſanctus proprietate ſua formaliter loquendo, eſt Spiritus ſanctus, & donum, & amor, non autem Deus &c.* Et in eodem 1. diſt. 18. ad Anibaldū vbi quærens. *An eodem Spiritus ſanctus ſit donum, & Deus,* ſic ait. *Si quæratur de identitate rationis, diſtinguendum eſt. Aut enim ablatiuus conſtruitur cum hoc verbo, ſit, in ratione formæ. Et ſic non eodem eſt Deus, quo donum; quia diuinitate Deus eſt, proprietate donum, &c.* D.Thom.

Sed

Digitized by Google

25 Sed contra. Sicut Filio conuenit eſſe donum, ita Spirituiſancto conuenit eſſe ſimilem Patri, & Filio; ſed Spiritus ſanctus ex eo quòd eſt ſimilis Patri, & Filio non dicitur Filius, neque æquè propriè, neque minùs propriè, ergo neque Filius dicitur propriè donum. Vel ſic formãdo minorem: ſed Filius dicitur propriè donum. Ergo Spiritus ſanctus dicitur propriè Filius.

26 Reſpondetur, admittendo maiorem, minorem, & negando conſequentiam. Et ratio negationis eſt, quia ad rationẽ proprie doni in diuinis, requiritur, & ſufficit; quòd ſit alicuius, per identitatem, aut per originem, & quòd liberaliter, ſeù liberè ſit alteri dabile, ſeù detur. At verò, ad rationem Filij requiritur ſimilitudo cum Patre, ex vi ſuæ formalis proceſſionis; quæ in Spiritu ſancto non inuenitur, vt ſupra vidimus.

27 Obijciet tertiò. In diuinis, quod importat reſpectum ad creaturas, eſt eſſentiale, non autem notionale; ſed Spiritum ſanctum eſſe donum, dicit reſpectum ad creaturam rationalem, cui eſt donabilis, ſeù datur. Ergo hoc non habet notionaliter, ſed eſſentialiter. Maior patet, quia actiones ad extra in diuinis ſunt indiuiſæ.

28 Reſpondetur, diſtinguendo, ſeù explicando maiorem. In diuinis, quod importat reſpectum ad creaturas vt principium effectiuum, vel vt actio effectiua, eſt eſſentiale, concedo maiorem. Vt terminus ſuppoſitans, vel vt dabile, ſeu, vt donum, nego maiorem. Ad minorem. Sed Spiritum ſanctum &c. diſtinguo minorem. Sed Spiritum ſanctum eſſe donum, dicit reſpectum ad creaturas, ſed vltra rationem principij effectiui, & actionis effectiuæ, dicit donabilem perſonam per modum impulſus, ſeù per modum amoris notionalis, concedo minorem. Sed vltra rationem principij effectiui, & actionis effectiuæ, non etiam dicit donabilem perſonam &c. nego minorem. Ergo &c. nego conſequentiam.

29 Argumentum hoc peccat in multis caſibus, quibus aduerſarij adhærere tenentur. Nan diuina eſſentia prout à beatis clarè videtur, ſecundùm quòd habet rationem doni, vel præmij, quatenùs ſcilicet, habet rationem puri obiecti, per ſe ipſam, tanquam per ſpeciem repræſentat ſe ipſam, quatenùs eſſentia eſt; & Verbum diuinum perſonat Sanctiſſimam Chriſti Domini humanitatem, non vt eſſentia eſt, ſed vt perſona Verbi dumtaxat eſt; & in hoc ſenſu perſona Verbi dicitur mundo data; quando *Verbum Caro factum eſt*. Et in caſu noſtro Spiritus ſanctus dicitur donum notionale, quia procedens per amorem notionaliter acceptum, datur creaturæ vt obiectum amatum. Datur, inquam, vt ſit creaturæ, non per modum dominij, & ſubiectiuè inſit ei; ſed vt eo fruatur obiectiuè. Et in hoc magis Spirituiſancto, quàm Filio conuenit notionaliter eſſe donum, quòd Spiritus ſanctus procedit vt amor notionalis, ſeù vt impulſus, primum autem donum, quod confertur alicui eſt amor, quod non conuenit Filio ex vi ſuæ formaliſſimæ proceſſionis.

QVÆSTIO XXXIX.

DE PERSONIS AD ESSENTIAM RELATIS.

IN OCTO ARTICVLOS DIVISA.

POST ea, quæ de perſonis diuinis abſolutè tractata ſunt, conſiderandũ reſtat de perſonis in comparatione ad eſſentiam, & ad proprietates, & ad actus notionales, & de comparatione ipſarum ad inuicem.

Quantum igitur ad primum horum, octo quæruntur.

¶ Primò, vtrum eſſentia in diuinis, ſit idem, quod perſona.

¶ Secundò, vtrum dicendum ſit, quod tres perſonæ ſunt vnius eſſentiæ.

¶ Tertiò, vtrum nomina eſſentialia prædicanda ſint de perſonis in plurali.

Digitized by Google

rali, vel in ſingulari.

¶ Quartò, vtrum adiectiua notionalia, aut verba, vel participia prædicari poſſint de notionibus eſſentialibus, concretiuè acceptis.

¶ Quintò, vtrum prædicari poſſint de nominibus eſſentialibus in abſtracto acceptis.

¶ Sextò, vtrum nomina perſonarum prædicari poſſint de nominibus eſſentialibus concretis.

¶ Septimò, vtrum eſſentialia attributa ſint approprianda perſonis.

¶ Octauò, quòd attributum cuique perſonæ debeat appropriari.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum in diuinis eſſentia ſit idem, quod perſona.

AD primum argumentum ſic proceditur, videtur quod in diuinis, eſſentia non ſit idem, quod perſona. In quibuſcunque enim eſſentia eſt idem, quod perſona, ſeù ſuppoſitum, oportet quod ſit tantum vnum ſuppoſitum vnius naturæ, vt patet in omnibus ſubſtãtiis ſeparatis. Eorum enim, quæ ſunt idem re, vnũ multiplicari non poteſt, quin multiplicetur, & reliquum; ſed in diuinis eſt vna eſſentia, & tres perſonæ, vt ex ſupra dictis patet: ergo eſſentia non eſt idem, quod perſona.

2 Præterea. Affirmatio, & negatio ſimul, & ſemel non verificantur de eodem; ſed affirmatio, & negatio verificantur de eſſentia, & perſona: nam perſona eſt diſtincta, eſſentia verò non eſt diſtincta: ergo perſona & eſſentia non ſunt idem.

3 Præterea. Nihil ſubiicitur ſibi ipſi, ſed perſona ſubiicitur eſſentiæ; vnde ſuppoſitum, vel hypoſtaſis nominatur: ergo perſona non eſt idem, quod eſſentia.

Sed contra eſt, quod Auguſt. dicit lib. 7. de Trinitate: Cum dicimus perſonam Patris, nõ aliud dicimus, quam ſubſtantiam Patris.

Reſpondeo dicendum, quod conſiderantibus diuinam ſimplicitatem, quæſtio iſta in manifeſto habet veritatem: oſtenſum eſt enim ſupra, quod diuina ſimplicitas hoc requirit, quod in Deo ſit idẽ eſſentia, & ſuppoſitum, quod in ſubſtantiis intellectualibus nihil eſt aliud, quam perſona; ſed difficultatem videtur ingerere, quia multiplicatis perſonis diuinis eſſentia retinet vnitatem; & quia vt Boet. dicit: Relatio multiplicat perſonarum Trinitatem, poſuerunt aliqui hoc modo in diuinis differre eſſentiam, & perſonam, quarum relationes dicebant eſſe aſſiſtentes, conſiderantes in relationibus ſolum, quod ad alterum ſunt, & non quod res ſunt, ſed (ſicut ſupra oſtenſum eſt) ſicut relationes in rebus creatis accidentaliter inſunt, ita in Deo ſunt ipſa eſſentia diuina: ex quo ſequitur, quod in Deo non ſit aliud eſſentia, quam perſona ſecundum rem, & tamen quod perſonæ realiter abinuicem diſtinguantur. Perſona enim (vt dictum eſt ſupra) ſignificat relationem, prout eſt ſubſiſtens in natura diuina; Relatio autem ad eſſen-

FORMATIO ARTICVLI.

TRipartita eſt principalis corporis diſtributio. Primò reſpõdet vnica concluſione affirmatiua, quæſito, eamquè probat. Secundò, ponit rationem difficultatis in hoc quæſito, refert quorumdã opinionem, eamquè refellit. Et tertiò, deducit concluſionem in principio poſitã, & inſuper ſuperaddit rationẽ difficultatis contra Trinitatis myſteriũ nõ militare.

Quò ad primum, concluſio eſt iſta. *In Deo eſt idem eſſentia, & ſuppoſitum, quod in ſubſtantiis intellectualibus nihil eſt aliud, quam perſona.*

Probatio eſt iſta; quia *conſiderãtibus diuinam ſimplicitatẽ, quæſtio iſta in manifeſto habet veritatem*, quod ita probat; *Oſtenſum eſt enim ſupra, quòd diuina ſimplicitas hoc requirit, quod in Deo ſit idem eſſentia, & ſuppoſitum &c.* Ergo.

Quò ad ſecũdum ſic ait. *Sed difficultatẽ videtur ingerere, quia multiplicatis perſonis diuinis, eſſentia retinet vnitatem &c.*

Opinio aliorum ſic ponitur. *Et qa &c. poſuerunt aliqui &c.* Lege litteram vſquè ad illa verba, *res ſunt.*

Opinionem relatam ſic impugnat. *Supra oſtenſum eſt, ſicut relationes in rebus creatis accidentaliter inſunt; Ita in Deo ſunt ipſa eſſentia diuina.* Ergo &c.

Quò ad tertium, concluſio eſt iſta. *Ex quo ſequitur, quod in Deo non ſit aliud eſſentia, quam perſonæ ſecundùm rem, & tamen, quòd perſonæ realiter ab inuicem diſtinguantur.*

Probatio autẽ eſt iſta quò ad vtramq; concluſionis partẽ. *Relatio ad eſſentiam comparata, non differt re, ſed ratione tantùm; cõparata autem ad oppoſitam relationem, habet virtute oppoſitionis, realem diſtinctionẽ.* Ergo *ſic remanet vna eſſentia, & tres perſonæ.* Probat conſequentiam; quia *perſona ſignificat relationem, prout eſt ſubſiſtens in natura diuina.*

Ad primum argumentum reſpondet, diſtinguendo maiorem. *In quibuſcumq; eſſentia eſt idem quod per-*

Digitized by Google

perſona, ſeù ſuppoſitum abſolutum, *oportet, quòd ſit tantùm vnum ſuppoſitum vnius naturæ*, concedit maiorē. *In quibuſcumquè eſſentia eſt idem quòd perſona, ſeù ſuppoſitum*, relatiuum, negat maiorem. Tunc conceſſa minori negat conſequentiam.

Ad ſecundum argumentum reſpondet, diſtinguendo, ſeù explicando maiorem. *Affirmatio, & negatio, ſimul & ſemel*, ſecundùm eamdem intelligentiæ rationem, nòn verificantur de eodem, concedit maiorem. Secundùm diuerſam intelligentiæ rationem, negat maiorē.

eſſentia comparata, non differt re, ſed ratione tantum. Comparata autem ad oppoſitam relationem habet virtute appoſitionis, realem diſtinctionem; & ſic remanet vna eſſentia, & tres perſonæ.

Ad primum ergo dicendum, quod in creaturis non poteſt eſſe diſtinctio ſuppoſitorum per relationes, ſed oportet, quod ſit per eſſentialia principia, quia relationes non ſunt ſubſiſtentes in creaturis: in diuinis autem relationes ſunt ſubſiſtentes: ideò ſecundum quod habent oppoſitionem adinuicem, poſſunt diſtinguere ſuppoſita, neque tamen diſtinguitur eſſentia, quia relationes ipſæ non diſtinguuntur abinuicem, ſecundum quod ſunt realiter idem cum eſſentia.

Ad ſecundum dicendum, quod inquantum eſſentia, & perſona in diuinis differunt, ſecundum intelligentiæ rationem, ſequitur quod aliud poſſit affirmari de vno, quod negatur de altero, & per conſequens, quod ſuppoſito vno, non ſupponatur alterum.

Ad tertium dicendum, quod rebus diuinis nomina imponimus ſecundum modum rerum creatarum, vt ſupra dictum eſt; & quia naturæ rerum creatarum, indiuiduantur per materiam, quæ ſubijcitur naturæ ſpeciei, inde eſt, quod indiuidua dicuntur ſubiecta, uel ſuppoſita, uel hypoſtaſes, & propter hoc etiam diuinæ perſonæ ſuppoſita, uel hypoſtaſes nominantur, non quod ibi ſit aliqua ſuppoſitio, uel ſubiectio ſecundum rem.

Similiter diſtinguenda eſt minor, & neganda eſt conſequētia.

Ad tertium argumentum reſpondet, concedendo maiorem; & diſtinguendo minorem. *Sed perſona* creata *ſubijcitur eſſentiæ*, concedit minorem. Sed perſona increata adhùc diſtinguit minorem. *Sed perſona* increata *ſubijcitur eſſentiæ*, quatenùs nominatur nominibus ſimilibus perſonarum creatarum, concedit minorem. *Sed perſona* increata, ſecundùm quòd eſt in ſe, negat minorē. Ergo &c. negat cōſequentiam.

SVPER ARTICVLVM COMMENTARIVM.

1 VTRVM *in diuinis eſſentia ſit idem quod perſona*. Poſſet prima facie quis D. Thomam ſuperfluitatis arguere. Etenim ſupra q. 3. art. 3. quærit, *Vtrum ſit idem Deus, quod ſua eſſentia, vel natura*; & ex profeſſo, eruditèquè probat, in Deo idem omninò eſſe ſuppoſitum, & naturam, quod nullatenùs attribuendum eſt omnium præſtantiſſimo Præceptori. Verùm, quia doctrina D. Thomæ breuis eſt, & clara, & ibi probauit ſuppoſitum, & naturam in Deo realiter non diſtingui, non mouens difficultatem, quę ſpecialiter oriri poſſet, non ratione ſuppoſiti, ſed ratione trium ſuppoſitorum, reſpectu vnius naturæ diuinæ, idcircò, hoc, quod eſt quærere, Vtrum ſtante Trinitate perſonarum in Deo, ſit idem eſſentia diuina, quod perſona, ad tractatum de Trinitate inueſtigandum reſeruauit. Vnde non ſuperflua, ſed neceſſaria fuit præſentis articuli formatio. Aliàs enim, ſi hoc idem ſupra diſquiſiſſet obſcuritatem pareret, nequè ſeruaſſet breuitatem.

2 *Vtrum in diuinis, eſſentia ſit idem*, identitate reali, non autem virtuali.

3 In reſp. ad 2. *In quantum eſſentia, & perſona in diuinis differunt, ſecundùm intelligentia rationem, ſequitur, quòd aliquid poſſit affirmari de vno, quod negetur ab altero.* Hinc habes, quòd vera affirmatio, & negatio, quæ contradictionem faciunt, non ſolū requiritur, vt ſit reſpectu vnius, & eiuſdem rei, ſed reſpectu vnius, & eiuſdem rei, eiuſdemquè rationis. Vnde iſta duo, Deus eſt intelligens; & Deus non eſt intelligens. Si varietur ratio in affirmatione, ab ea quę eſt in negatione, non habetur contradictio, ſed veritas ipſa explicatur V. G. ſi dicamus. Deus eſt intelligēs per intellectū, vt intellectus eſt; & Deus non eſt intelligens per voluntatē vt voluntas eſt, eſt vera propoſitio, non autē vera cōtradictio. Si verò dicamus, Deus eſt intelligens per intellectum, vt intellectus eſt, & Deus non eſt intelligens per intellectum, vt intellectus eſt, eſt falſa propoſitio & vera cōtradictio ſeruatur, quia eſſet affirmatio & negatio ſimul & ſemel reſpectu eiuſdem, ſecundùm vnā, eamdemquè intelligentiæ rationem.

Digitized by Google

ARTICVLVS SECVNDVS.

Vtrum ſit dicendum, tres perſonas eſſe vnius eſſentiæ.

A*D ſecundum ſic proceditur. Videtur quod non ſit dicẽdum tres perſonas eſſe vnius eſſentiæ: Dicit enim Hylarius in lib. de Synodis, quod Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus ſunt quidem per ſubſtantiam tria, per conſonantiam verò vnum; ſed ſubſtantia Dei eſt eius eſſentia: ergo tres perſonæ non ſunt vnius eſſentiæ.*

2. *Præterea. Non eſt affirmandum aliquid de diuinis, quod authoritate Scripturæ ſacræ non eſt expreſſum, vt patet per Dionyſ. 1. cap. de diuin. nomin. ſed nunquam in Scriptura ſacra exprimitur, quod Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus ſunt vnius eſſentiæ: ergo non eſt aſſerendum.*

3. *Præterea. Natura diuina eſt idem quod eſſentia, ſufficeret ergo dicere, quod tres perſonæ ſunt vnius naturæ.*

4. *Præterea. Non conſueuit dici, quod perſona ſit eſſentiæ; ſed magis quod eſſentia ſit perſonæ: ergo neque conuenienter videtur dici, quod tres perſonæ ſunt vnius eſſentiæ.*

5. *Præterea. Auguſt. dicit, quod non dicimus tres perſonas eſſe ex vna eſſentia, ne intelligatur in diuinis aliud eſſe eſſentia, & perſona; ſed ſicut propoſitiones ſunt tranſitiuæ, ita & obliquæ: ergo pari ratione non eſt dicendum, quod tres perſonæ ſunt vnius eſſentiæ.*

6. *Præterea. Id quod poteſt eſſe erroris occaſio, non eſt in diuinis dicendum; ſed cum dicuntur tres perſonæ vnius eſſentiæ, vel ſubſtantiæ datur erroris occaſio: quia vt Hilarius dicit in lib. de ſynodo, vna ſubſtantia Patris, & Filij prædicata, aut vnum, qui duas nuncupationes habet, ſubſiſtentem ſignificat, aut diuiſam vnam ſubſtantiam duas imperfectas feciſſe ſubſtantias, aut tertiam priorem ſubſtantiam, quæ à duobus, & vſurpata ſit, & aſſumpta: non eſt ergo dicendum tres perſonas eſſe vnius ſubſtantiæ.*

Sed contra eſt, quod Auguſt. dicit in libr. 3. contra Maximinum; quod hoc nomen Homouſion, quod in Concilio Niceno aduerſus Arrianos firmatum eſt, idem ſignificat, quod tres perſonas eſſe vnius eſſentiæ.

Reſpondendo dicendum, quod (ſicut ſupra dictum eſt) intellectus noſter res diuinas nominat, non ſecundum modum earum, quia ſic eas cognoſcere non poteſt; ſed ſecundum modum in rebus creatis inuentum; & quia in rebus ſenſibilibus, à quibus intellectus noſter ſcientiã capit, natura alicuius ſpeciei per materiã indiuiduatur, & ſic natura ſe habet, vt forma: indiuiduum autẽ, vt ſuppoſitũ formæ, propter hoc etiam in diuinis quantũ

ad

FORMATIO ARTICVLI.

COrporis diſtributio in vnica concluſione, & vnica eiuſdem probatione conſiſtit.

Cõcluſio eſt iſta. *Dicimus vnam eſſentiã eſſe trium perſonarum, & tres perſonas vnius eſſentiæ.*

Probatio eſt iſta; quia, *In diuinis multiplicatis perſonis, non multiplicatur eſſentia.* Ergo *dicimus vnam eſſentiam eſſe trium perſonarum, & tres perſonas vnius eſſentiæ.* Probat conſequentiam; quia *dicimus in rebus creatis formam quamcumquè eſſe eius, cuius eſt forma, ſicut ſanitatẽ, vel pulchritudinem hominis alicuius: Rem autem habentem formam, non dicimus eſſe formæ, niſi cum adiectione alicuius adiectiui, quod deſignat illam formam. Vt cũ dicimus, iſta mulier eſt egregiæ formæ, iſte homo eſt perfectæ virtutis.* Ergo *& ſimiliter, quia in diuinis &c.* Lege litterã vſquè ad finem corporis. Probat conſequentiam; quia *etiã in diuinis quantùm ad modum ſignificandi, eſſentia ſignificatur vt forma trium perſonarum; ſed dicimus in rebus creatis formam quamcunquè eſſe eius, cuius eſt forma, ſicut ſanitatem, vel pulchritudinem hominis alicuius.* Ergo *& ſimiliter &c.* Probat antecedens; quia *intellectus noſter res diuinas nominat &c* Lege litteram vſquè ad illa verba, *vt ſuppoſitum formæ*, incluſiuè. Ergo *propter hoc etiam in diuinis &c.*

Ad primum argumentum reſpondet, explicando maiorẽ, *Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus, ſunt quidem per ſubſtãtiam tria* accipiendo ſubſtantiam, *pro hypoſtaſi, & non pro eſſentia*, concedit maiorem, & in hoc ſenſu dicit, Hilarium fuiſſe locutũ. Accipiendo ſubſtantiam non *pro hypoſtaſi*, ſed *pro eſſentia*, negat maiorem in quo ſenſu dicit, non fuiſſe locutum Hilariũ. Similiter explicanda eſt minor, loquendo de identitate formali, & neganda eſt cõſequentia.

Ad ſecundum argumentum reſpondet, diſtinguendo, ſeù potiùs explicando maiorem. *Non eſt affirmandum aliquid de diuinis, quod authoritate Scripturæ Sacræ non eſt expreſſum*, quò ad verba, nequè quantùm ad ſenſum, concedit maiorem. *Quod authoritate Sacræ Scripturæ non eſt expreſſum*, per verba, inuenitur tamen quantùm ad ſenſum, negat maiorem. ſimiliter explicanda eſt minor, & neganda eſt conſequentia.

Ad

ad modum ſignificandi, eſſentia ſignificatur, vt forma trium perſonarum: dicimus autem in rebus creatis formam quamcumque eſſe eius, cuius eſt forma, ſicut ſanitatem, vel pulchritudinem hominis alicuius. Rem autem habentem formam non dicimus eſſe formæ, niſi cum adiectione alicuius adiectiui, quod deſignat illã formã; vt cũ dicimus, iſta mulier eſt egregiæ formæ, iſte homo eſt pfectæ virtutis, & ſimiliter quia in diuinis multiplicatis pſonis, nõ multiplicatur eſsẽtia, dicimus vnã eſſentiam eſſe trium perſonarum, & tres perſonas vnius eſſentiæ, vt intelligantur iſti genitiui conſtrui in deſignatione formæ.

Ad primum ergo dicendum, quod ſubſtantia ſumitur pro hypoſtaſi & non pro eſſentia.

Ad ſecundum dicendum, quod licèt tres perſonas eſſe vnius eſſentiæ, non inueniatur in Sacra ſcriptura per hæc verba: inuenitur tamen quantũ ad hunc ſenſum, ſicut ibi. Ego, & Pater vnum ſumus; & ego in Patre, & Pater in me eſt. Et per multa alia haberi poteſt idem.

Ad tertium dicendum, quod quia natura deſignat principium actus, eſſentia verò ab eſſendo dicitur, poſſunt dici aliqua vnius naturæ, quæ cõueniunt in aliquo actu, ſicut omnia calefacientia: ſed vnius eſſentiæ dici non poſſunt niſi quorum eſt vnum eſſe, & ideò magis exprimitur vnitas diuina per hoc, quod dicitur, q tres perſonæ ſunt vnius eſſentiæ, quam ſi diceretur, quod ſunt vnius naturæ.

Ad quartum dicendum, quod forma abſolutè accepta, conſueuit ſignificari, vt eius, cuius eſt forma, vt virtus Petri: è conuerſo autem res, habens formam aliquam, nõ conſueuit ſignificari, vt eius, niſi cum volumus determinare, ſiuè deſignare formam; & tunc requiruntur duo genitiui, quorum vnus ſignificet formam, & alius determinationẽ formæ, vt ſi dicatur: Petrus eſt magnæ virtutis; vel etiam requiritur vnus genitiuus habens vim duorum genitiuorum, vt cum dicitur: Vir ſanguinum eſt iſte, ideſt effuſor multi ſanguinis. Quia igitur eſſentia diuina ſignificatur, vt forma reſpectu perſonæ, conuenienter eſſentia perſonæ dicitur: non autem è conuerſo, niſi aliquid addatur ad deſignationem eſſentiæ, vt ſi dicatur, quod Pater eſt perſona diuinæ eſſentiæ, vel quod tres perſonæ ſunt vnius eſſentiæ.

Ad quintum dicendum, quod hæc præpoſitio, ex, vel de, non deſignat habitudinem cauſæ formalis: ſed magis habitudinem cauſæ efficientis, vel materialis; quæ quidem cauſæ in omnibus diſtinguuntur ab his, quorũ ſunt cauſæ. Nihil enim eſt ſua materia, neque aliquid eſt ſuum principiũ actiuum: aliquid tamen eſt ſua forma, vt patet in omnibus rebus immaterialibus; & ideò per hoc, quod dicimus, tres perſonas vnius eſſentiæ, nõ oſtẽditur aliud eſſe eſſentia, quam perſona; quod oſtẽderetur, ſi diceremus, tres perſonas ex eadem eſſentia.

Ad ſextum dicendum, quod ſicut Hilar. dicit in lib. de ſynod. Malè ſanctis rebus præiudicatur, ſi quia non ſanctæ à quibuſdam habentur, eſſe nõ debeant. Sic ſi malè intelligitur homouſion, quid ad me bene intelligentem? Sic ergo vna ſubſtantia ex vna geniti proprietate, non ſic autem ex proportione, aut ex vnione, aut ex communione.

Ad tertium argumentum reſpondet, explicando antecedens. *Natura diuina, eſt idem quod eſſentia*, ſecundũ rem, concedit antecedẽs. Quãtũ ad omnem modum expreſſionis, ſeù ſignificationis, negat antecedens. Ergo & cæt. adhùc diſtinguendum eſt conſequens. Ergo *ſufficeret dicere, quòd tres perſonæ ſunt vnius naturæ*, minùs exprimendo diuinam vnitatem, concedit conſequẽtiam. Magis, aut ſimiliter exprimendo diuinam vnitatem, negat conſequentiã. Et rationem negationis aſſignat. Quia *natura deſignat &c.* lege litteram.

Ad quartum argumentum reſpondet, concedendo antecedens, & negando conſequentiam & rationem diſparitatis aſſignat; quia *forma abſolutè accepta, conſueuit ſignificari &c.* Lege litteram.

Ad quintum argumentum reſpondet, concedẽdo maiorem, & minorem iuxta debitam diſtributionem, negando verò conſequentiã, & rationem diſparitatis aſſignat; quia *hæc prpoſitio, Ex, vel De &c.* Lege litterã.

Ad ſextum argumentum reſpondet, concedendo maiorem, & negando minorẽ. Ad cuius probationem explicat Hilarium, vt patet in littera.

SVPER ARTICVLVM COMMENTARIVM.

1 IN reſponſ. ad 3. *Quia natura deſignat principium actus, eſſentia verò ab eſſendo dicitur.* Non diſtinguit adæquatum conceptum obiectiuum naturæ, ab adæquato conceptu obiectiuo eſſentiæ, ſi accipiatur natura pro principio primo, & radicali alicuius actus: quoniam, vt ſupra in ſecundo tomo dicebamus, natura quatenùs eſt primum, & radicale principiũ operationis, ſunt vna formalitas in duos inadæquatos, partialeſquè conceptus diſtributa: ſed ſi ſermo ſit de natura hoc modo conſiderata, diſtinguitur à D. Thoma hic, quantùm ad

Digitized by Google

expreſſiorem, vel minùs expreſſam diuinæ vnitatis ſignificationem, & penès inadæquatos conceptus.

2 *Poſſunt dici aliqua vnius naturæ, quæ conueniũt in aliquo actu, ſicut omnia calefacientia.* Loquitur de natura, ſecundũ quòd partialiter ab eſſentia diſtinguitur, non quatenùs eſſentia eſt, ſed quatenùs ab eſſendo dicitur, vt idem D. Thomas per verba præcitata declarat, ponens diſtinctionem inter nomen naturæ, & eſſentiæ; *quia natura*, inquit, *deſignat principium actus, eſſentia verò ab eſſendo dicitur, idcircò poſſunt dici aliqua vnius naturæ &c.* Itaquè D. Thomas loquitur hìc de natura, pro vt ſtat ſub hac præciſione, quatenùs, ſcilicet, deſignat principium actus, & non aliter; & de eſſentia, quatenùs ſtat ſub hac præciſione, pro vt ſcilicet, dicitur ab eſſendo. Et non de natura ſecundùm quòd eſt in ſe. Et iuxta hanc præciſionem, quæ, vt dicebamus, fit per inadæquatos intellectus noſtri conceptus, valet dicere, quòd aliqua poſſũt dici vnius naturæ, non autem vnius eſſentiæ.

3 *Sed vnius eſſentiæ dici non poſſunt, niſi quorum eſt vnum eſſe*, loquitur de vnitate eſſentiæ totalis, & actualis, non autem de ratione eſſentiæ potentialis.

4 *Et ideo magis exprimitur vnitas diuina, per hoc, quod dicitur &c.* Nota ly, *magis*; quoniam non intelligitur aduerſatiuè, ſed comparatiuè. Vnde ſi quis diceret, tres perſonas diuinas eſſe vnius naturæ, non malè diceret, ſed benè loqueretur, non tamen exprimeret diuinam vnitatem ita expreſsè, ſicut ſi diceret, tres perſonas diuinas eſſe vnius eſſentiæ.

5 *Et ideo magis exprimitur vnitas diuina per hoc &c.* Supra q. 29. ar. 1. ad 4. dixit, quòd *conuenientius fuit, quòd in diffinitione perſonæ vteretur Boetius nomine naturæ, quàm eſſentiæ.* Nunc autem in præſenti ait, quòd expreſſiùs ſignificatur vnitas diuina, ſi dicamus tres perſonas diuinas eſſe vnius eſſentiæ, quàm ſi dicamus eſſe vnius naturæ. Et merito; qua hìc laborat ad ſaluandam propoſitionem D. Auguſtini lib. 3. contra Maximum &c. Vbi ait, quòd hoc nomen, *Homouſion, idem ſignificat, quod tres perſonas eſſe vnius eſſentiæ*, & intendit deſignare hanc veritatem, quæ magis deſignatur per nomen eſſentiæ, quàm per nomen naturæ pro vt explicat D. Thomas: at verò ibi intendit ſaluare dictum Boetij, aſſerentis, quòd per- Boetius.
ſona eſt *rationalis naturæ indiuidua ſubſtantia*, ad denotandum, quòd nomine naturæ ſignificatur determinatio indiuidui ſub ratione ſpecifica, quæ magis exprimitur per nomen naturæ, quàm per nomen eſſentiæ; quia eſſentia, ſecundùm quòd ab eſſendo dicitur, ſignificat, ſeù exprimit aliquid communiſſimum; natura verò ſignificat aliquid magis ſpecificum, ac determinatum.

6 In reſp. ad 4. *Et tunc requiruntur duo genitiui, quorum vnus ſignificet formã, & alius determinationem formæ.* Sic eſt in caſu propoſitionis, de cuius congruentia, & veritate in hoc articulo diſputatur; ſcilicet, tres perſonæ diuinæ ſunt vnius eſſentiæ. Non enim valet dicere conguẽter, tres perſonæ diuinæ ſunt eſſentiæ, in genitiuo, valet tamen dicere cum geminato genitiuo, tres perſonæ diuinæ ſunt vnius eſſentiæ. Et hanc regulam tutã, & pulchram, Boetius in diffinitione per- Boetius.
ſonæ obſeruauit, ſic dicens. *Perſona eſt rationalis naturæ indiuidua ſubſtantia.* Nõ dixit eſt naturæ *indiuidua ſubſtantia, ſed rationalis naturæ,* quia per primum prefatum genitiuum deſignatur determinatio naturæ, cuius perſona, eſt perſona; Per ſecundũ vero ſignificatur forma, ſeù natura, quæ determinatur.

7 Nota reſponſiones ad 5. & ad 6.

8 Hìc dubitari, & diſputari ſolet, vtrum, ſicut valet dicere, tres perſonæ diuinæ ſunt vnius eſſentiæ, ita ſint vnius definitionis. Et reſpondeò affirmatiuè, ſi propriè de diffinitione loquamur; ſi autem nomine definitionis intelligatur intrinſecum cuiuſcumquè formalitatis prædicatum, ſic poſſunt eſſe plures diffinitiones: ſed hoc modo accipitur definitio valde largè, & impropriè.

FORMATIO ARTICVLI.

TRipartita, eſt principalis corporis diſtributio. Primò, nominum eſſentialium ponit vnicam diſtinctionem. Secundò, ponit vnicam cõcluſionem bimembrẽ, iux-

ARTICVLVS TERTIVS.

Vtrum nomina eſſentialia prędicentur ſingulariter de tribus perſonis.

AD tertium ſic proceditur. *Videtur quod nomina eſſentialia (vt hoc nomen Deus) non prædicentur ſingulariter de tribus perſonis, ſed pluraliter. Sicut enim homo ſignificatur, vt habens humanitatem,* ita

Digitized by Google

iuxta duplex diſtinctionis membrum, quæſito reſponſiuã. Et tertiò, eam quò ad vtrumquè membrum probat.

Quò ad primum, diſtinctio eſt iſta. *Nominum eſſentialium, quædam ſignificant eſſentiam ſubſtãtiuè; quędam verò adiectiuè.*

Quò ad ſecũdum cõcluſio bimembris eſt iſta. *Ea, quæ ſubſtantiuè eſſentiam ſignificant, prædicantur de tribus perſonis ſingulariter tantùm, & nõ pluraliter, quæ verò adiectiuè eſſentiam ſignificant, prædicãtur de tribus perſonis in plurali.*

Quò ad tertium, pobatio eſt iſta. *Singularitas, vel pluralitas nominis ſubſtantiui attenditur ſecundum formam ſignificatam per nomen; & in adiectiuis attenditur ſingularitas, & pluralitas ſecundùm ſuppoſita.* Ergo *nomina ſignificantia diuinã eſſentiam ſubſtantiuè, ſingulariter, & non pluraliter de tribus perſonis prædicantur, ea verò, quæ ſignificant eſſentiam adiectiuè, prædicãtur pluraliter de tribus propter pluralitatẽ ſuppoſitorum.* Probat antecedens; quia *ſubſtãtia ſicut per ſe habet eſſe, ita per ſe habet vnitatem, vel multitudinẽ. Accidentia autem ſicut eſſe habent in ſubiecto, ita ex ſubiecto ſuſcipiũt vnitatem, & multitudinem.* Ergo *ſingularitas, vel pluralitas nominis ſubſtantiui attenditur ſecundùm formã ſignificatam per nomen; & in adiectiuis attenditur ſingularitas, & pluralitas ſecundùm ſuppoſita.* Probat conſequentiam, quia *nomina ſubſtãtiua ſignifi-*

ita Deus ſignificatur, vt habens deitatem; ſed tres perſonæ ſunt tres habentes deitatem: ergo tres perſonæ ſunt tres Dij.

2. Præterea. Geneſ. 1. vbi dicitur: In principio creauit Deus cælum, & terram, hæbraica veritas habet, Elohim, quod poteſt interpretari Dij, ſiuè Iudices: & hoc dicitur propter pluralitatem perſonarum: ergo tres perſonæ ſunt plures Dij, & non vnus Deus.

3. Præterea. Hoc nomen, Res, (cum abſolutè dicatur) videtur ad ſubſtantiam pertinere; ſed hoc nomen pluraliter prædicatur de tribus perſonis. Dicit enim Auguſtin. in lib. de doctrina chriſtiana. Res quibus fruendum eſt, ſunt Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus: ergo & alia nomina eſſẽtialia pluraliter prædicari poſſunt de tribus perſonis.

4. Præterea Sicut hoc nomen Deus, ſignificat habentem deitatem, ita hoc nomen perſona ſignificat ſubſiſtentem in natura aliqua intellectuali; ſed dicimus tres perſonas: ergo eadem ratione dicere poſſumus tres Deos.

Sed contra eſt, quod dicitur Deuter. 6. Audi Iſrael, Dominus Deus tuus, Deus vnus eſt.

Reſpondeo dicendum, quod nominum eſſentialium, quædam ſignificant eſſentiam ſubſtantiuè, quædam verò adiectiuè. Ea quidem, quæ ſubſtantiuè eſſentiam ſignificant, prædicantur de tribus perſonis ſingulariter tantum, & non pluraliter. Quæ verò adiectiuè eſſentiam ſignificant, prædicantur de tribus perſonis in plurali. Cuius ratio eſt, quia nomina ſubſtantiua ſignificant aliquid per modum ſubſtantiæ: nomina verò adiectiua ſignificant aliquid per modum accidentis, quod inhæret ſubiecto. Subſtantia autem ſicut per ſe habet eſſe; ita per ſe habet vnitatem, vel multitudinem: vnde & ſingularitas, vel pluralitas nominis ſubſtantiui, attenditur ſecundum formam ſignificatam per nomen. Accidentia autem ſicut eſſe habent in ſubiecto, ita ex ſubiecto ſuſcipiunt vnitatem, & multitudinem; & ideò in adiectiuis attenditur ſingularitas, & pluralitas ſecundum ſuppoſita. In creaturis autem, non inuenitur vna forma in pluribus ſuppoſitis niſi vnitate ordinis, vt forma multitudinis ordinatæ: vnde nomina ſignificantia talem formam ſi ſint ſubſtantiua, prædicantur de pluribus in ſingulari, non autem ſi ſint adiectiua. Dicimus enim, quod multi homines ſunt collegiũ, vel exercitus, aut populus: dicimus tamen, quod plures homines ſunt collegiati: In diuinis autem eſſentia diuina ſignificatur per modum formæ, vt dictum eſt. Quæ quidem ſimplex eſt, & maximè vna, ut ſupra oſtenſum eſt: vnde nomina ſignificantia diuinam eſſentiam ſubſtantiuè, ſingulariter & non pluraliter de tribus perſonis prædicantur. Hæc igitur eſt ratio, quare Socratem, & Platonẽ, & Ciceronem dicimus tres homines, Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum non dicimus tres Deos, ſed vnum Deum, quia in tribus ſuppoſitis humanæ naturæ ſunt tres humanitates: in tribus autem perſonis eſt vna diuina eſſentia. Ea verò, quæ ſignificant eſſentiam adiectiuè, prædicantur plu-

cant aliquid per modũ ſubſtantiæ, nomina verò adiectiua ſignificant aliquid per modum accidentis, quod inhæret ſubiecto.

Confirmatur hoc tripliciter, primò, quo ad vtramquè partem ſic; *In creaturis, non inuenitur vna forma in pluribus ſuppoſitis, niſi unitate ordinis, ut forma multitudinis ordinatæ.* Ergo *nomina ſignificantia talem formam, ſi ſint ſubſtantiua, prædicantur de pluribus in ſingulari, non autem ſi ſint adiectiua.* Probat iſtam conſequentiam. *Dicimus enim, quòd multi homines ſunt Collegiũ, vel exercitus, aut populus: dicimus tamẽ, quòd plures homines ſunt collegiati ſed in diuinis eſſentia diuina ſignificatur per modum formæ, quę quidem ſimplex eſt, & maximè vna.* Ergo *nomina ſignificantia diuinam eſſentiam ſubſtãtiuè &c.*

Confirmat ſecundò, quantùm ad primam partem tantũ. Quia *hæc eſt ratio, quare Socratem, & Platonem, & Ciceronem dicimus eſſe tres homines; Patrem autem & Filium, & Spiritum ſanctum non dicimus tres Deos, ſed vnum Deum, quia in tribus ſuppoſitis humanæ naturæ ſunt tres humanitates, in tribus autem perſonis eſt vna diuina eſſentia.*

Confirmat tertiò quò ad vtrumquè concluſionis membrum; quia, *dicimus tres exiſtentes &c.* Lege litteram vſquè ad finem corporis.

Ad primum argumentum reſpondet, concedendo maiorem, & minorem, & ac-

Digitized by Google

negando conſequẽtiam,& diſparitatem aſſignat ; quia *licet Deus &c.* Lege litteram.

Ad ſecundum argumentum reſpondet, explicando modum loquendi Hæbreorum quò ad illā particulam *Heloym* , quæ eſt dictio in numero plurali ſignificans, quòd numerus pluralis non denotat pluralitatem termini ſubſtātiui,puta, Dei, ſed pluralitatem perſonarum,quæ plures perſonæ ſunt vnus Deus . Vnde negat *Heloym* , poſſe interpretari *Dij* , *ſiuè Indices* , ſubſtantiuè loquendo.

Ad tertium argumentum reſpondet explicando maiorē. *Hoc nomen , res , cum abſolutè dicatur , videtur ad ſubſtantiam pertinere* . & quandoquè non abſolutè , ſed etiam relatiuè dicitur, concedit maiorem . Ita vt ſemper abſolutè dicatur , negat maiorem . Similiter explicāda eſt minor, & neganda eſt conſequentia .

Ad quartum argumentum reſpondet,concedendo maiorem,& explicando minorem . *Sed dicimus tres perſonas* propter tres perſonalitates, concedit minorem . *Sed dicimus tres perſonas* propter vnā perſonalitatem , negat minorem . Ergo &c. negat conſequētiam,& rationem diſparitatis aſſignat ; quia *forma ſignificata* &c. Lege litteram .

pluraliter de tribus propter pluralitatem ſuppoſitorum . Dicimus enim tres exiſtentes , vel tres ſapientes , aut tres æternos , & increatos , & immenſos , ſi adiectiuè ſumantur . Si verò ſubſtantiuè ſumantur, dicimus vnum increatum,immenſum, & æternum , vt Athanaſius dicit .

Ad primum ergo dicendum , quod licèt Deus ſignificet habentem deitatem, eſt tamen alius modus ſignificandi : nam Deus dicitur ſubſtantiuè , ſed habens deitatem dicitur adiectiue : vnde licèt ſint tres habentes deitatem, non tamen ſequitur , quod ſint tres dij .

Ad ſecundum dicendum , quod diuerſæ linguæ habent diuerſum modum loquendi : vnde ſicut propter pluralitatem ſuppoſitorum Græci dicunt tres hypoſtaſes , ita & in Hebræo dicitur pluraliter Eeloym . Nos autem non dicimus pluraliter, neque deos,neque ſubſtantias,ne pluralitas ad ſubſtantiam referatur .

Ad tertium dicendum, quod hoc nomen res,eſt de tranſcendentibus : vnde ſecundum quod pertinet ad relationem,pluraliter prędicatur in diuinis, ſecundum verò quod pertinet ad ſubſtantiam, ſingulariter prædicatur : vnde Auguſt. dicit ibidem, quod eadem Trinitas quædam ſumma res eſt .

Ad quartum dicendum , quod forma ſignificata per hoc nomen perſona,non eſt eſſentia , vel natura,ſed perſonalitas : vnde cum ſint tres perſonalitates, ideſt tres perſonales proprietates in Patre, & Filio, & Spiritu ſancto,non ſingulariter , ſed pluraliter prædicatur de tribus .

SVPER ARTICVLVM COMMENTARIVM.

1 VTRVM *nomina eſſentialia*, ſubaudi præſertim *in concreto* ; vt explicat initio articuli,dum ait ; *videtur , quòd nomina eſſentialia vt hoc nomen Deus &c.*

2 *Singularitas, vel pluralitas nominis ſubſtātiui attenditur ſecundùm formam ſignificatam per nomen* ; & ſubaudi , & etiam ſecundū ſuppoſita , quod quidem non poſitum eſt in littera , non propter diminutionis notam , ſed quia de nominibus ſubſtantiuis quatenùs ab adiectiuis differunt , loquitur ; At verò quantùm ad hoc à nominibus ſubſtantiuis non differunt adiectiua . Nec prætermiſit omninò hoc,imò inſinuauit ad pluralitatem termini ſubſtantiui requiri etiam pluralitatem ſuppoſitorum , dum paulò inferiùs ſicait . *Hæc igitur eſt ratio,quare Socratem, & Platonem dicimus tres homines . Patrem autem , & Filium , & Spiritum ſanctum non dicimus tres Deos,ſed vnum Deum ; quia* (nota) *in tribus ſuppoſitis humanæ naturæ ſunt tres humanitates* . Ecce igitur quomodo vt dicantur tres homines , vult vt requirantur tria ſuppoſita .

3 *In adiectiuis attenditur ſingularitas, & pluralitas ſecundùm ſuppoſita* . Quod adeò verum eſt ; vt ſi eſſet vna forma numero , puta vna albedo, in tribus ſuppoſitis, dicerentur tria ſuppoſita alba .

4 *Dicimus enim tres exiſtentes,vel tres ſapiētes, aut tres æternos, & increatos , & immenſos, ſi adiectiuè ſumantur* . Nec aduerſatur ſymbolo Athanaſij vbi dicitur. *Increatus Pater,Increatus Filius,Increatus Spiritus ſanctus . Immenſus Pater,Immenſus Filius,Immenſus Spiritus ſanctus . Æternus Pater , Æternus Filius, Æternus Spiritus ſanctus . Et tamen non tres Æterni , ſed vnus Æternus . Sicut non tres increati, nec tres immenſi, ſed vnus Increatus, & vnus Immenſus* , quia D. Athanaſius ſumpſit ſupradicta nomina ſubſtantiuè , vt idem D. Thomas hìc eleganter , breuiterquè explanat . Hinc patet Marſilium in 1. diſt. 5. art. 2. vanè, & cum magno ſui periculo hanc D.Tho-

D.Athā.

Marſilius.

D. Thomę doctrinam impugnaſſe; contendit enim poſſe concedi tres perſonas eſſe tres Deos, & ſi non conceditur à Sanctis, hoc eſt, ne præbeatur occaſio gentilibus irridendi fidem noſtram, quia fortaſsè arbitrarentur, à nobis pluralitatem concedi Deorum. Aduertatur Sacræ Scripturæ Exodi 3. vbi dicitur. *Audi Iſrael, Dominus Deus tuus. Deus vnus eſt*, & ad Epheſ. 4. *Vnus Deus, vna fides, vnum baptiſma*. Vide Bañes hìc.

Exod. 3. Epheſ. 4.

5 In reſp. ad 2. *Et in Hebræo dicitur pluraliter, Heloym*, ideſt, tres perſonæ & vnus Deus. Et quòd ita debeat intelligi, patet, quia Sacra ſcriptura dum ait, *in principio Deus creauit*, & Hebræi legunt *Heloym*, & ſequitur verbum creauit in numero ſingulari, non congruenter ſermocinaretur, quòd non eſt dicendum. Senſus ergo eſt, quòd tres perſonæ vnus Deus, Creauit cœlum: aliàs debuiſſet dicere creauerunt. Hæc eſt explicatio verior; licèt aliter aliqui dicant.

FORMATIO ARTICVLI.

QVatripartita eſt corporis diſtributio. Primò, refert quorumdã opinionem, & motiuũ eiuſdem opinionis affert. Secundò, eam impugnat. Tertiò, ponit aliam opinionem, quam præcedenti præfert; Et quartò, reſpondet quæſito vnica concluſione bimembri; eamquè quò ad vtramquè partem manifeſtat.

Quò ad primum ſic ait. *Quidam dixerunt, quod hoc nomen, Deus &c.* Lege litterã vſquè ad illa verba, *pro perſona*, incluſiuè.

Motiuum opinionis recitatæ ſic aſſignat. *Et hæc opinio proceſſiſſe videtur &c.* lege litteram vſquè ad illa verba, *quòd Deitas*.

Quò ad ſecũdum ſic eam impugnat. *In proprietatibus locutionum non tantùm attendenda eſt res ſignificata, ſed etiam modus ſignificandi.* Ergo.

Quò ad tertium ſic ait. *Et ideo quia hoc nomen, Deus, ſignificat diuinam eſſentiam, vt in habente ipſam, ſicut hoc nomen, homo humanitatem ſignificat in ſuppoſito. Alij meliùs dixerunt, quod hoc nomen Deus, ex modo ſignificandi habet, vt propriè poſſit ſupponere pro perſona, ſicut & hoc nomen, homo.*

Quò ad quartum, concluſio eſt iſta. *Quandoquè hoc nomen Deus, ſupponit pro eſſentia. Quandoquè verò pro perſona, vel vna tantùm, vel duabus, vel tribus.*

Manifeſtat quò ad primam partem; *vt cum dicitur, Deus creat, quia hoc prædicatum competit ſubiecto ratione formæ ſignificatæ, quæ eſt Deitas.*

Manifeſtat quò ad ſecundam partem; *vt cum dicitur, Deus generat.*

Manifeſtat quò ad tertiam, *vt cum dicitur, Deus ſpirat.*

Manifeſtat tandẽ, quo ad quartã partẽ, *vt cum dicitur, Regi ſæculorum, Immortali, Inui-*

ARTICVLVS QVARTVS.

Vtrum nomina eſſentialia cõcreta poſſint ſupponere pro perſona.

AD quartum ſic proceditur, videtur quod nomina eſſentialia concretiua non poſſunt ſupponere pro perſona, ita quod hæc ſit vera, Deus genuit Deum. Quia (vt ſophiſtæ dicunt) terminus ſingularis, idem ſignificat, & ſupponit; ſed hoc nomen Deus videtur eſſe terminus ſingularis, cum pluraliter prædicari non poſſit, vt dictum eſt: ergo cum ſignificet eſſentiam, videtur quod ſupponat pro eſſentia, & non pro perſona.

2 Præterea. Terminus in ſubiecto poſitus nõ reſtringitur per terminum poſitum in prædicato ratione ſignificationis, ſed ſolum ratione temporis conſignificati; ſed cum dico: Deus creat, hoc nomen Deus ſupponit pro eſſentia: ergo cum dicitur, Deus genuit, non poteſt iſte terminus, Deus, ratione prædicati notionalis, ſupponeret pro perſona.

3 Præterea. Si hæc eſt vera, Deus genuit, quia Pater generat, pari ratione hæc erit vera, Deus non generat, quia Filius nõ generat: ergo eſt Deus generans & Deus non generans; & ita videtur ſequi, quod ſint duo Dij.

4 Præterea, Si Deus genuit Deum, aut ſe Deum, aut alium Deum; ſed non ſe Deum, quia vt Auguſt. dicit in lib. de Trinitate: nulla res generat ſeipſam, neque alium Deum, quia non eſt niſi vnus Deus: ergo hæc eſt falſa, Deus genuit Deum.

5 Præterea. Si Deus genuit Deum, aut Deum, qui eſt Deus Pater aut Deum, qui non eſt Deus Pater; ſi Deum, qui eſt Deus Pater, ergo Deus Pater eſt genitus; Si Deum, qui non eſt Deus Pater. ergo Deus eſt, qui non eſt Deus Pater, quod eſt falſum: non ergo poteſt dici, quod Deus genuit Deum.

Sed contra eſt, quod in ſymbolo dicitur: Deum de Deo.

Reſpondeo dicendum, quod quidam dixerunt, quod hoc nomen Deus, & ſimilia, propriè ſecundũ ſuam

Inuiſibili, ſoli Deo &c. 1. *Timot.* 1.

Ad primum argumentum reſpondet, concedendo maiorem, & explicando minorem. *Sed hoc nomen, Deus, videtur eſſe ſingularis*, in hoc, quòd forma ſignificata non multiplicatur, concedit minorem. *Videtur eſſe terminus ſingularis*, omninò, negat minorē. Ergo &c. negat cōſequentiam. Nam *conuenit cum terminis communibus &c.* Lege litteram.

Ad ſecundum argumentum reſpondet, diſtinguendo, ſeù explicando maiorem. *Terminus in ſubiecto poſitus, non reſtringitur per terminum poſitum in prædicato ratione ſignificationis, ſed ſolùm ratione temporis conſignificati*, ſi terminus non habet naturalem ſuppoſitionē, vt poſſit ſupponere pro perſona, per terminum in prædicato poſitum *ratione ſignificationis &c.* concedit maiorem. Si habet naturalem ſuppoſitionem, vt poſſit, ſcilicet, ſupponere pro perſona, negat maiorem. Tunc conceſſa minori, negat conſequentiam.

Poteſt ſecūdò ſic formari reſponſio, concedēdo maiorē, & diſtinguendo ſeù potiùs explicādo minorem. *Sed cum dico, Deus creat, hoc nomen, Deus, ſupponit pro eſſentia*, & habet naturalem ſuppoſitionē pro perſona, ſi diceretur, Deus generat, concedit minorem. Et non habet naturalem ſuppoſitionē pro perſona, ſi diceretur, Deus generat, negat minorem. Ergo &c. negat conſequentiam; quia *obiectio illa procedit &c.* Lege litteram.

ſuam naturā ſupponunt pro eſſentia; ſed ex adiūcto notionali trahuntur ad ſupponendum pro perſona; & hæc opinio proceſſiſſe videtur ex conſideratione diuinæ ſimplicitatis, quæ requirit, quod in Deo idem ſit habens, & quod habetur: Et ſic habens deitatem, quod ſignificat hoc nomen Deus, eſt idem quod deitas; ſed in proprietatibus locutionū, non tantum attendenda eſt res ſignificata; ſed etiā modus ſignificandi: & ideò, quia hoc nomen Deus, ſignificat diuinam eſſentiam, vt in habente ipſam; ſicut hoc nomen homo, humanitatem ſignificat in ſuppoſito. Alij melius dixerunt, quod hoc nomē Deus ex modo ſignificandi habet, vt propriè poſſit ſupponere pro perſona, ſicut & hoc nomen homo. Quandoque ergo hoc nomen Deus, ſupponit pro eſſentia, vt cum dicitur: Deus creat, quia hoc prædicatū competit ſubiecto ratione formæ ſignificatæ, quæ eſt deitas: quandoque verò ſupponit pro perſona, vel vna tantum, vt cum dicitur: Deus generat: vel duabus, vt cum dicitur: Deus ſpirat: vel tribus, vt cum dicitur: Regi ſeculorū immortali, inuiſibili, ſoli Deo, &c. 1. Timoth. 1.

Ad primum ergo dicendum, quod hoc nomen Deus, licèt cōueniat cum terminis ſingularibus in hoc, quod forma ſignificata non multiplicatur: conuenit tamē cum terminis communibus in hoc, quod forma ſignificata inuenitur in pluribus ſuppoſitis: vnde non oportet, quod ſemper ſupponat pro eſſentia, quàm ſignificat.

Ad ſecundum dicendum, quod obiectio illa procedit contra illos, qui dicebant, quod hoc nomē Deus, nō habet naturalem ſuppoſitionem pro perſona.

Ad tertium dicendum, quod aliter ſe habet hoc nomen Deus, ad ſupponendum pro perſona, & hoc nomen, homo. Quia enim forma ſignificata per hoc nomen, homo, id eſt humanitas, realiter diuiditur in diuerſis ſuppoſitis, per ſe ſupponit pro perſona, etiam ſi nihil addatur, quod determinet ipſū ad perſonam, quæ eſt ſuppoſitum diſtinctum. Vnitas autem, ſiuè communitas humanæ naturæ, non eſt ſecundum rem; ſed ſolum ſecundum conſiderationem: vnde iſte terminus homo non ſupponit pro natura communi, niſi propter exigentiā alicuius additi, vt cum dicitur: homo eſt ſpecies; ſed forma ſignificata per hoc nomen Deus, ſcilicet eſſentia diuina, eſt vna, & communis ſecundum rem: vnde per ſe ſupponit pro natura communi; ſed ex adiuncto determinatur eius ſuppoſitio ad perſonam, vnde cum dicitur: Deus generat, ratione actus notionalis, ſupponit hoc nomen Deus, pro perſona Patris; ſed cum dicimus: Deus non generat, nihil additur, quod determinat hoc nomen ad perſonam Filij: vnde datur intelligi, quod generatio repugnet diuinæ naturæ; ſed ſi addatur aliquid pertinens ad perſonam Filij, vera erit locutio, vt ſi dicatur: Deus genitus non generat; vnde etiam non ſequitur, eſt Deus generans, & Deus non generans, niſi ponatur aliquid pertinens ad perſonas, vt puta, ſi dicamus: Pater eſt Deus generans, & Filius eſt Deus non generans; & ita non ſequitur, quod ſint plures dij, quia Pater, & Filius ſunt vnus Deus, vt dictum eſt.

Ad quartum dicendum, quod hæc eſt falſa, Pater genuit ſe Deum, quia ly ſe (cum ſit reciprocum) refert idem ſuppoſitum; neque eſt contrarium, quod Auguſt. dixit ad Maximinum, quod Deus Pater genuit alterum ſe, quia ly ſe, vel eſt caſus ablatiui, vt ſit ſenſus, genuit alterum à ſe, vel facit relationem ſimplicem, & ſic refert identitatem naturæ; ſed eſt impropria, vel emphatica locutio,

Ad tertium argumentum reſpondet, negando paritatem, & diſparitatem aſſignat, quia *hoc nomen, Deus, per ſe ſupponit pro natura &c.* Lege litteram.

Ad quartum argumentum reſpondens duo facit: primò, propriam ponit reſponſionem. Secundò, modum reſpondendi aliorum refert, ipſumquè cōfutat.

Quò ad horum primum, reſponſio eſt illa. *Neque genuit ſe Deum, neque genuit alium Deum, ſed genuit aliam perſonam, quæ eſt Deus.* Quò ad ſecundum, lege litteram.

Ad quintum argumentum reſpondet, affirmando ſecundam antecedentis partem; Ad cuius impugnationē, concedit antecedens, & negat conſequentiā. Lege litteram.

Digitized by Google

ſtatio, vt ſit ſenſus: genuit alterum ſimillimum ſibi. Similiter & hæc eſt falſa, genuit alium Deũ, quia licèt Filius ſit alius à Patre (vt ſupra dictũ eſt:) non tamen eſt dicendum, quod ſit alius Deus, quia intelligeretur, quod hoc adiectiuum alius, poneret rem ſuam circa ſubſtantiuum, quod eſt Deus; & ſic ſignificaretur diſtinctio deitatis. Quidam tamen concedunt iſtam, genuit alium Deum: ita quod ly alius, ſit ſubſtantiuum, & ly Deus, appoſitiuè conſtruatur cum eo; ſed hic eſt improprius modus loquendi, & euitandus, ne detur occaſio erroris.

Ad quintum dicendum, quod hæc eſt falſa, Deus genuit Deum, qui eſt Deus Pater, quia cum ly Pater, appoſitiuè conſtruatur, cum ly Deus, reſtringit ipſum ad ſtandum pro perſona Patris, vt ſit ſenſus, genuit Deum, qui eſt ipſe Pater; & ſic Pater eſſet genitus, quod eſt falſum: vnde negatiua eſt vera, genuit Deum, qui non eſt Deus Pater. Si tamen intelligeretur conſtructio non eſſe appoſitiua, ſed aliquid eſſe interponendum, tunc è conuerſo affirmatiua eſſet vera, & negatiua falſa, vt ſit ſenſus, genuit Deum, qui eſt Deus, qui eſt Pater; ſed hæc eſt extorta expoſitio: vnde melius eſt, quod ſimpliciter affirmatiua negetur, & negatiua concedatur. Præpoſitiuus tamen dixit, quod tàm negatiua, quàm affirmatiua eſt falſa, quia hoc relatiuum, qui, in affirmatiua poteſt referre ſuppoſitum; ſed in negatiua refert, & ſignificatum, & ſuppoſitum: vnde ſenſus affirmatiuæ eſt, quod eſſe Deum Patrem, conueniat perſonæ Filij. Negatiuæ verò ſenſus eſt, quod eſſe Deum Patrem, non tantum remoueatur à perſona Filij, ſed etiam à diuinitate eius; ſed hoc irrationabile videtur, cum ſecundum Philoſophum de eodem, de quo eſt affirmatio, poſſit etiam eſſe negatio.

SVPER ARTICVLVM COMMENTARIVM.

1 *VTRVM nomina eſſentialia concreta, poſſint ſupponere pro perſona.* Ideſt, *Vtrum adiectiua notionalia, aut verba, vel participia prædicari poſſint de nominibus eſſentialibus concretiuè acceptis, vt cum dico, Deus genuit Deum*, pro vt idem D. Thomas in huius quæſtionis præfatione in inſcriptione art. 4. & in toto hoc art. manifeſtè declarat.

2 *Quidam dixerunt*, & hi fuerũt Altiſiod. & Alenſis.

3 *Dixerunt, quòd hoc nomen Deus, & ſimilia, propriè ſecundùm ſuam naturam ſupponũt pro eſſentia, ſed ex adiuncto notionali trahuntur ad ſupponendum pro perſona*, volentes, quòd quando pro perſona ſupponunt, illa ſuppoſitio non ſit naturalis, ſed potiùs accidentalis, & ratione ſuperadditi.

4 *Alij meliùs dixerunt, quòd hoc nomen, Deus, ex modo ſignificandi habet, vt propriè poſſit ſupponere pro perſona.* Non dicit primò, ſed *propriè*, quoniam propriè, & primò, habet ſupponere pro natura; & propriè, ſed ſecundò, habet vt poſſit ſupponere pro perſona.

5 *Habet vt propriè poſſit ſuppone pro perſona*; ſuppoſitione ſcilicet, naturali; & hoc vt ex directo opponat ſe opinioni relatæ.

6 *Quandoquè ergo hoc nomen Deus ſupponit pro eſſentia*, & hoc conuenit ei primariò, & propriè abſolutè loquendo. Et præſertim cum dicitur, Deus creat, & rationem aſſignat; quia hoc prædicatũ competit ſubiecto ratione formæ ſignificatæ, quæ eſt Deitas.

7 *Quandoquè verò ſupponit pro perſona, vel vna tantùm, vel duabus*, & hoc adhùc propriè, ſed ſecundariò, quatenùs per prædicatum oſtenditur, quòd pro vna tãtùm perſona ſupponit; vel pro duabus. *Vt cum dicitur, Deus generat*, tũc ſupponit pro vna, nempè Patre, quia ſoli Patri conuenit generare. *Et cum dicitur Deus ſpirat*, ſupponit pro duabus, puta, pro Patre, & Filio dumtaxat, quibus tantùm conuenit ſpirare Spiritum ſanctũ; Vel ſupponit pro omnibus tribus perſonis, ſimul, *vt cum dicitur Regi ſæculorũ immortali &c.*

8 In reſponſ. ad 1. *Hoc nomen, Deus, licèt conueniat cũ terminis ſingularibus &c.* Hinc habes, quomodo hoc nomẽ, *Deus*, ſit terminus ſingularis, & quomodo non vndequaquè ſit ſingularis terminus. Dicitur enim terminus ſingularis, per hoc, quòd ſignificat naturam omninò indiuiſibilem. Non autem dicitur vndequaquè ſingularis, quia aliqualiter conuenit cum termino communi, qui eſt diſtinctus à ſingulari. Valet enim dicere, quòd Deus prædicatur de tribus perſonis tanquàm commune quid ſecundùm rem omnibus tribus perſonis.

9 In reſp. ad 3. *Iſte terminus, homo, non ſupponit pro natura communi, niſi propter exigentiã alicuius additi.* Loquitur de hoc termino, homo, reſpectu actionũ realiũ; vt cũ dico, homo generat, homo diſputat, homo diſcurrit &c. Huiuſmodi enim hominis actus, nõ exercẽtur ab homine in cõmuni, ſed à perſona humana; Si autẽ ſermo ſit de homine, quò ad quidditatiua eius prædicata, & ſecundũ quòd ſtat ſub intellectus abſtractione, ſupponit pro natura cõmuni; vt cũ dico, homo eſt animal rationale; homo eſt ſpecies &c. & etiam pro ſuppoſito, vt patet in exemplis allatis.

10 *Hoc nomen Deus,&c. per ſe ſupponit pro natura communi, ſed ex adiunсto determinatur eius ſuppoſitio ad perſonam.* Intellige iuxta nuper dicta, videlicet, ſupponit primariò pro natura communi, & ly, *ex adiuncto*, intellige ſecundariò, non quaſi extrahat à ratione propriæ ſuppoſitionis naturalis.

11 *Sed cum dicimus, Deus non generat, nihil additur, quod determinet hoc nomen ad perſonam Filij.* Et hoc rationabiliter aſſerit, quia ly, *Deus non generat*, debet accipi, pro vt eſt quid contradictoriè oppoſitum ad ly, *Deus generat*: ſed ly, *Deus generat*, accipitur pro perſona Patris. Ergo cum dicitur, *Deus non generat*, ſenſus eſt, quòd Deus Pater non generat; quod eſt hæreticum. Vnde optimè docet, falſam eſſe hanc propoſitionem abſolutè prolatam, nempè, *Deus non generat*.

12 *Sed ſi addatur aliquid pertinens ad perſonā Filij*, vera erit locutio, ſcilicet, Deus non generat, *ſi dicatur, Deus genitus* non generat; eò quia, in tantùm hæc locutio, *Deus non generat*, abſolutè prolata, non eſt vera, in quantùm nihil additur, quod determinet hoc nomen ad perſonam Filij, vel Spiritus ſancti. Ergo ſi addatur aliquid pertinens ad perſonam Filij, vera erit locutio.

13 In reſp. ad 4. *Hæc eſt falſa, Pater genuit ſe Deum.* Et meritò, quia ly, *ſe*, vt D. Thomas ait, *cum ſit reciprocum refert idem ſuppoſitum.*

14 *Neque eſt contrarium quod Auguſtinus dixit ad Maximinum, quòd Deus Pater genuit alterum ſe*; & rationem aſſignat; quia ly, *ſe*, accipitur in caſu ablatiuo, vt ſit ſenſus, *genuit alterum*, ſubaudi, ſuppoſitum diſtinctū ſuppoſitaliter, *ſe*, ideſt, *à ſe*. Vel ly, *ſe*, facit hunc ſenſum, ſe, ideſt, non per virtutem ab alio communicatam; eò modo quo Filius dicitur ſpirare Spiritū ſanctum, non à ſe, ideſt virtute ſpiratiua, quam habet à Patre ſibi communicatā.

15 *Vel facit relationem ſimplicem, & ſic refert identitatem naturæ, ſed eſt impropria, & emphatica locutio.* Et ſenſus eſt, genuit alterum ſe, ideſt, alterum ſuppoſitum ſic ſimile ſibi, vt ſit ſimilitudo ſui.

ARTICVLVS QVINTVS.

Vtrum nomina eſſentialia in abſtracto ſignificata, poſſint ſupponere pro perſona.

Ad quintum ſic proceditur, videtur quod nomina eſſentialia in abſtracto ſignificata poſſint ſupponere pro perſona, ita quod hæc ſit vera, eſſentia generat eſſentiam: dicit enim Auguſt. lib. 7. de Trinit. Pater & Filius ſunt vna ſapientia, quia vna eſſentia, & ſingillatim ſapientia de ſapientia, ſicut eſſentia de eſſentia.

2 *Præterea. Generatis nobis, vel corruptis, generantur vel corrumpūtur ea, quæ in nobis ſunt: ſed Filius generatur: ergo cum eſſentia diuina ſit in Filio, videtur quod eſſentia diuina generetur.*

3 *Præterea. Idem eſt Deus, & eſſentia diuina, vt ex ſupradictis patet; ſed hæc eſt vera, Deus generat Deum, ſicut dictum eſt: ergo hæc eſt vera, eſſentia generat eſſentiam.*

4 *Præterea. De quocunque prædicatur aliquid, poteſt ſupponere pro illo; ſed eſſentia diuina eſt Pater: ergo eſſentia poteſt ſupponere pro perſona Patris, & ſic eſſentia generat.*

5 *Præterea. Eſſentia eſt res generans, quia eſt Pater, qui eſt generans: ſi igitur eſſentia non ſit generans, erit eſſentia res generans, & non generans, quod eſt impoſſibile.*

6 *Præterea. Auguſt. dicit in lib. 4. de Trinit. Pater eſt principium totius deitatis, ſed non eſt principium niſi generando, vel ſpirando: ergo Pater generat, vel ſpirat deitatem.*

Sed

FORMATIO ARTICVLI.

Tripartita eſt corporis diſtributio. Primò, ponit opinionē Abbatis Ioachim, cum motiuo eiuſdem. Secundò, opinionē recitatam impugnat. Et tertiò, reſpondet quæſito vnica concluſione negatiua, eamquè probat.

Quò ad primū, ſic ait. *Circa hoc errauit Abbas Ioachim, aſſerēs quòd ſicut dicitur, Deus genuit Deum, ita poteſt dici, quòd eſſentia genuit eſſentiam.*

Motiuum Abbatis Ioachim eſt iſtud; *conſiderans*, inquit, D. Thomas, *quòd propter diuinam ſimplicitatem non eſt alius Deus, quàm diuina eſſentia.*

Quò ad ſecūdū, ſic errorē Abbatis Ioachim impugnat. *Sed in hoc deceptus fuit, quia ad veritatē &c.* Lege litterā vſquè ad illa verba, *vt formā abſtractam*, incluſiuè.

Quò ad tertiū concluſio eſt iſta. *Et ideò ea, quæ ſunt propria perſonarū, quibus ab inuicē diſtinguūtur, nō poſſunt eſſentiæ attribui.*

Probatio cōcluſionis eſt iſta; quia *ſignificaretur, ꝙ eſſet diſtinctio in eſſentia diuina, ſicut eſt diſtinctio in ſuppoſitis.*

Ad primū argumētū reſpōdet, explicādo authoritatē Aug. *Pater, & Filius &c. ſicut eſſētia de eſſētia*, ita vt ſit locutio exponēda, cōcedit. Ita vt ſit locutio extēdēda, negat. D. Aug. locutus eſt in primo, non in ſecundo ſenſu. Lege expoſitionem in littera.

Ad

Digitized by Google

Ad ſecundum argumentum reſpondet, concedendo maiorem, & explicando minorem, loquẽdo de Filio diuino. *Sed Filius generatur*, & accipit naturam eamdem numero, quam generans habet, cõcedit minorem. *Sed Filius generatur*, & aliam numero naturam habet, negat minorem. Ergo &c. ſimiliter explicandum eſt ſuppoſitum conſequentis, & neganda eſt conſequentia.

Ad tertium argumentum reſpondet, explicando maiorẽ. *Idem eſt Deus, & eſſẽtia diuina*, ſecundùm rem, & non ſecundũ modum ſignificandi, concedit maiorẽ. Secundùm rem, & ſecundùm modum ſignificandi, negat maiorem. Tunc cõceſſa minori, negat conſequentiam; & rationem diſparitatis aſſignat; quia *licèt Deus &c.* Lege litteram.

Ad quartum argumentum reſpondet, & reſponſio ſic in forma proponitur, diſtinguẽdo maiorem. *De quocumque prædicatur aliquid*, vt ſuperius de inferiori, ſeu per modum ſuperioris, reſpectu inferioris, *poteſt ſupponere pro illo*, concedit maiorem. *De quocũque prædicatur aliquid*, non per modum ſuperioris, ſed per modum identitatis, *poteſt ſupponere pro illo*, adhuc diſtinguit minorem. *De quocumq; prædicatur aliquid*, per modum identitatis, ſecundum rem, & ſecundùm modũ ſignificandi, *poteſt ſupponere pro illo*, concedit minorem. Per modum identitatis ſecundùm rem, & non ſecundùm modum ſignificandi, negat minorem. Ergo &c. negat conſequentiam.

Ad quintum argumentum reſpondet, & reſponſio ſic in forma proponitur, relictis aliorum formationibus, explicando antecedẽs, *Eſſentia eſt res generãs, ſi res ſupponat pro perſona, non autem ſi ſupponat pro eſſentia*, concedit antecedens. *Eſſentia eſt res generans*, ſi res ſupponat non pro perſona, ſed pro eſſentia, negat antecedẽs. Tunc concedit ſuppoſitũ conſequentis, & ſimiliter explicat conſequens, ſcilicet, *erit eſſentia res generãs*, pro vt res ſupponit pro perſona, non pro vt ſupponit pro eſſentia, *& non generans*; pro vt res ſupponit pro eſſentia, & non pro perſona, concedit conſequentiam, & negat hoc impoſſibile eſſe. Si res ſupponit pro eſſentia, cum dicitur *res generans*, & vt ſupponit pro perſona Patris, quando dicitur *non generans*, negat conſequentiam.

Ad ſextum argumentum reſpondet, explicando authoritatem D. Auguſtini dupliciter; primò. *Pater eſt principium totius Deitatis*, ideſt, inter omnes perſonas diuinas ipſe eſt principium omniũ aliarum, concedit. Eſt principiũ totius Deitatis reſpectu omniũ trium perſonarum, ne-

Sed contra eſt, quod Auguſt. dicit in 1. de Trinit. quod nulla res generat ſeipſam; ſed ſi eſſentia generat eſſentiam, non generat niſi ſeipſam, cum nihil ſit in Deo, quod diſtinguatur à diuina eſſentia: ergo eſſentia non generat eſſentiam.

Reſpondeo dicendum, quod circa hoc errauit Abbas Ioachim, aſſerens quod ſicut dicitur, Deus genuit Deum; ita poteſt dici, quod eſſentia genuit eſſentiam, conſiderans quod propter diuinam ſimplicitatem non eſt aliud Deus, quam diuina eſſentia; ſed in hoc deceptus fuit, quia ad veritatem locutionum, non ſolum oportet conſiderare res ſignificatas, ſed etiam modum ſignificandi, vt dictum eſt. Licèt autem ſecundum rem, ſit idem Deus, quod deitas, non tamen eſt idem modus ſignificandi vtrobique: nam hoc nomen, Deus, quia ſignificat diuinam eſſentiam, vt in habente, ex modo ſuæ ſignificationis naturaliter habet, quod poſſit ſupponere pro perſona; & ſic ea, quæ ſunt propria perſonarum, poſſunt prædicari de hoc nomine, Deus, vt dicatur, quod Deus eſt genitus, vel generans, ſicut dictum eſt; ſed hoc nomen, eſſentia, non habet ex modo ſuæ ſignificationis, quod ſupponat pro perſona, quia ſignificat eſſentiam, vt formam abſtractam; & ideò ea, quæ ſunt propria perſonarum, quibus ab inuicem diſtinguuntur, non poſſunt eſſentiæ attribui. Significaretur enim, quod eſſet diſtinctio in eſſentia diuina, ſicut eſt diſtinctio in ſuppoſitis.

Ad primum ergo dicendum, quod ad exprimẽdam vnitatem eſſentiæ, & perſonæ, ſancti doctores aliquando expreſſius locuti ſunt, quam proprietas locutionis patiatur: vnde huiuſmodi locutiones non ſunt extendendæ, ſed exponendæ, vt ſcilicet nomina abſtracta exponantur per concreta, vel etiam per nomina perſonalia, vt cum dicitur: eſſentia de eſſentia, vel ſapientia de ſapientia, ſit ſenſus. Filius qui eſt eſſentia, & ſapientia, eſt de Patre, qui eſt eſſentia, & ſapientia. In his tamen nominibus abſtractis eſt quidam ordo attẽdendus, quia ea, quæ pertinent ad actum, magis propinque ſe habent ad perſonas, quia actus ſunt ſuppoſitorum: vnde minus impropria eſt iſta, natura de natura, vel ſapientia de ſapientia, quam eſſentia de eſſentia.

Ad ſecundum dicendum, quod in creaturis, generatum non accipit naturam eandem numero, quam generans habet, ſed aliam numero, quæ incipit in eo eſſe per generationem de nouo, & deſinit eſſe per corruptionem; & ideò generatur, & corrumpitur per accidens; ſed Deus genitus eandem naturam numero accipit, quam generans habet; & ideò natura diuina in Filio non generatur, neque per ſe, neque per accidens.

Ad tertium dicendum, quod licèt Deus, & diuina eſſentia ſint idem ſecundum rem; tamen ratione alterius modi ſignificandi, oportet loqui diuerſimodè de vtroque.

Ad quartum dicendum, quod eſſentia diuina prædicatur de Patre per modum identitatis, propter diuinam ſimplicitatem; nec tamen ſequitur, quod poſſit ſupponere pro Patre, propter diuerſum

modum

negat. Tunc conceſſa minori, negat conſequentiam.

Secundò ſic. *Pater eſt principium totius Deitatis*, quia eam communicat totam generando, & ſpirando, concedit. *Eſt principium totius Deitatis*, eam generando, vel ſpirando, negat. D. autem Auguſtinus non locutus eſt in ſecundo, ſed in primo ſenſu.

modum ſignificandi. Ratio autem procederet in illis, quorum vnum prædicatur de altero, ſicut vniuerſale de particulari.

Ad quintum dicendum, quod hæc eſt differentia inter nomina ſubſtantiua, & adiectiua, quia nomina ſubſtantiua ferunt ſuum ſuppoſitum, adiectiua verò non, ſed rem ſignificatam ponunt circa ſubſtantiuum: vnde ſophiſtæ dicunt, quod nomina ſubſtantiua ſupponunt, adiectiua verò non ſupponunt, ſed copulant. Nomina igitur perſonalia ſubſtantiua poſſunt de eſſentia prædicari propter identitatem rei; neque ſequitur, quod proprietas perſonalis, diſtinctam determinet eſſentiam; ſed ponitur circa ſuppoſitum importatum per nomen ſubſtantiuum. Sed notionalia, & perſonalia adiectiua non poſſunt prædicari de eſſentia, niſi aliquo ſubſtantiuo adiuncto: vnde non poſſumus dicere, quod eſſentia eſt generans: poſſumus tamen dicere, quod eſſentia eſt res generans, vel Deus generans; ſi res, & Deus ſupponant pro perſona, non autem ſi ſupponant pro eſſentia: vnde non eſt contradictio, ſi dicatur, quod eſſentia eſt res generans, & res non generans: quia primò res tenetur pro perſona, ſecundò pro eſſentia.

Ad ſextum dicendum, quod deitas inquantum eſt vna in pluribus ſuppoſitis, habet quandam conuenientiam cum forma nominis collectiui: vnde cum dicitur, Pater eſt principium totius deitatis, poteſt ſumi pro vniuerſitate perſonarum; inquantum ſcilicet, in omnibus perſonis diuinis ipſe eſt principium: nec oportet, quod ſit principium ſui ipſius, ſicut aliquis de populo dicitur, Rector totius populi, non tamen ſui ipſius: vel poteſt dici, quod eſt principium totius deitatis, non quia eam generet, & ſpiret; ſed quia eam generando, & ſpirando communicat.

SVPER ARTICVLVM COMMENTARIVM.

1 VTRVM *nomina eſſentialia in abſtracto ſignificata, poſſint ſupponere pro perſona*. Explicat titulum in principio articuli immediatè ante primum argumentũ, hoc modo, *ita quod hæc ſit vera, eſſentia generat eſſentiam*.

Abbas Ioachim.

2 *Circa hoc errauit, Abbas Ioachim*, & error huius præclariſſimi Abbatis damnatur in Concilio Generali Lateranenſe, ſub Innocentio III. anno ſalutis 1215. celebrato, cap. 2. *Damnamus ergo*, inquit, Sacrum Concilium, *& reprobamus libellum, ſiuè tractatum, quem Abbas Ioachim edidit contra Magiſtrum Petrum Lombardum, de vnitate, ſeu eſſentia Trinitatis, appellans hæreticum, & inſanum, pro eo quod in ſuis dixit ſententijs, quomodo quædam ſumma res eſt Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus, & illa non eſt generans, neque genita, nec procedens &c.* & poſt multa. *Nos autem, Sacro, & vniuerſali Concilio approbante, credimus, & confitemur cum Petro, quòd vna quædam res eſt incomprehenſibilis quidem, & ineſtimabilis, quæ veraciter eſt Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus, tres ſimul perſonæ, ac ſingulatim quælibet earumdem; & ideo in Deo Trinitas eſt ſolummodo, non quaternitas; quia quælibet trium perſonarum eſt illa res, videlicet, ſubſtantia, eſſentia, ſiuè natura diuina, quæ ſola eſt vniuerſorum principium; præterquàm, aliud inueniri non poteſt (nota) & illa res non eſt generans, neque genita, nec procedens*. Vide diſp. immediatè ſequentem num. 4.

Conciliũ Lateran. Innoc. III

Petrus Lõbardus

3 Sed aduerte, quòd Concilium damnauit ſententiam relatam Abbatis, non Abbatem. Vnde in fine prædicti capitis ſic eum excuſat. *In nullo tamen pro hoc florenti Monaſterio, cuius ipſe Ioachim extitit inſtitutor, volumus derogari; quoniam regularis inſtitutio eſt, & obſeruantia ſalutaris, maximè cum idem Ioachim omnia ſcripta ſua nobis aſſignari mandauerit, Apoſtolicæ Sedis iudicio approbanda, ſeu etiam corrigenda, dictans Epiſtolam, cui propria manu ſubſcripſit. In qua firmiter confitetur, ſe illam fidem tenere, quam Romana tenet Eccleſia, quæ cunctorum fidelium diſponente Domino, Mater, & Magiſtra*. Ecce quomodo, & ſi ſententia damnatur, perſona ipſa ſummopere à Concilio laudatur. Ab. Ioac.

4 *Significaretur enim, quòd eſſet diſtinctio in eſſentia diuina, ſicut eſt diſtinctio in ſuppoſitis.* Ex quo habes, quòd apud Abbatem Ioachim contendentem hanc propoſitionem eſſe veram, nempè, eſſentia diuina generat, non eſt ſermo de principio quo radicali, vel proximo; quoniã potentia generatiua in diuinis, & potentia ſpiratiua habent rationem principij quo generationis, & proceſſionis, & tamen potentia generatiua, & potentia ſpi-

Digitized by Google

ſpiratiua, quantùm ad id, quod in recto dicant, non diſtinguuntur realiter à Filio genito, vel à Spiritu ſancto procedēte, licèt realiter diſtinguatur relatio, quā vtraquè potentia connotat, puta, relatio paternitatis à Filio, & relatio ſpirationis à Spiritu ſancto.

5 In reſp. ad primum. *Vnde huiuſmodi locutiones non ſunt extendendæ, ſed exponendæ.* Aduertant Prædicatores, qui ad formandos curioſos, inaneſquè conceptus, eos ſolent authoritatibus Sanctorum confirmare, extendentes eas, quas exponere tenerentur.

6 *Vnde minùs impropria eſt iſta. Natura de natura, vel ſapientia de ſapientia, quàm eſſentia de eſſentia* non dicit, quòd ſit propria, ſed *minùs impropria* ſupradicta locutio; & ratio eſt; quia vt D. Thomas ait, ea quæ pertinent ad actum, magis propriè ſe habent &c.

7 *Quàm eſſentia de eſſentia.* Obſerua, vt pauloante dicebamus, quòd non admittitur iſta propoſitio, eſſentia diuina generat, per hoc, quia, cum ſit aliquid abſtractum, nō poteſt ſupponere pro perſona, cui conuenit vt quod generare. Vide diſputationem ſequentem.

8 In reſp. ad quintum. *Nomina ſubſtantiua ſupponunt; adiectiua verò non ſupponunt.* Obſerua hoc pro ſummulis; & contra quoſdam ſummuliſtas aſſerentes adiectiua ſupponere.

9 *Vnde non poſſumus dicere, quòd eſſentia eſt generans. Poſſumus tamen dicere, quòd eſſentia eſt res generans.* Nec obſtat Concilium Lateranenſe, dum ait, *Et illa res, puta, eſſentia, non eſt generans, neque genita, neque procedens*; quoniam idem D. Thomas hoc idem rectè declarat, ſic dicens. *Si res, & Deus ſupponant pro perſona, non autem ſi ſupponant pro eſſentia; Vnde non eſt contradictio, ſi dicatur, quod eſſentia eſt res generans, & res non generans, quia primò, res tenetur pro perſona, ſecundò pro eſſentia.* Concilium ergo loquitur in hoc ſecundo ſenſu. Cōc. Lat. D. Thom.

DISPVTATIO CCIV.

VTRVM SINT VERÆ HÆ PROPOSITIONES; Eſſentia diuina generat, Eſſentia diuina generatur.

In tria capita diſtributa.

CAPVT PRIMVM.

Explicatur titulus, & opiniones referuntur.

1 DVplex poteſt eſſe præſentis diſputationis ſtatus; Vnus eſt de præciſo modo loquendi, & non de re; Alter verò, de re ipſa, ac de modo loquendi ſimul. Si primus, ſenſus erit iſte, vtrum ſit vera hæc propoſitio. Eſſentia diuina generat, ita vt eſſentia diuina in præfata propoſitione poſſit ex modo loquendi ſupponere, ſeù ſtare pro perſona Patris, cui tantùm in diuinis conuenit generare. Si ſecundus, ſenſus erit iſte, Vtrum eſſentia diuina, Patris v. g. generet eſſentiam Filij, vtroquè modo determinabitur.

2 Petrus Lombardus, per antonomaſiam dictus, Magiſter ſententiarum, in 1. diſt. 5. omninò negat veras eſſe propoſitiones in controuerſia poſitas, vt Magiſter. patet ex eius verbis in comment. articuli poſitis.

3 Abbas Ioachim tàm acriter hanc ſententiam Magiſtri impugnauit, & reiecit, vt appellauerit Magiſtrum ſententiarū hæreticum, & inſanum, vt refertur in Concilio Lateranenſe cap. 2. cuius verba in commentario art. num. 2. & 3. retulimus. Abbas Ioachim.

4 Communis tamen non ſolùm Theologorum, ſed etiam totius Eccleſiæ, ſententia eſt in fauorem Magiſtri contra Abbatem Ioachinum. Tenuit enim Abbas Ioachinus, quòd cum dicitur in diuinis vna eſſentia, ly, vna, non veram, & & propriam vnitatem, ſed quaſi collectiuam, & ſimilitudinariā eſſe quemadmodum dicuntur multi homines, vnus

populus,

populus, & multi fideles, vna Eccleſia ; ac proinde, exiſtimauit eſſentiam Patris eſſe diſtinctam ab eſſentia Filij, cum non niſi in vnitate ordinis eſſentia Patris, & eſſentia Filij vna dicantur eſſentia.

CAPVT SECVNDVM.

Determinatio veritatis.

5 PRO determinatione veritatis, Dico primò. Falſum, & Hæreticum eſt dicere, quòd eſſentia diuina generat, vel quòd eſſentia diuina generatur, ita vt ſenſus ſit, quòd eſſentia Patris ſit generans eſſentiam Filij, eo modo, quo locutus eſt Abbas Ioachinus contrà Magiſtrum.

6 Hoc dictum eſt expreſsè determinatũ in Concilio Lateranenſi, cuius verba in Comment. articuli ſunt relata. Ibi enim dicitur, quòd *illa res, videlicet, ſubſtantia, eſſentia, ſiuè natura diuina, non eſt generans, nequè genita, nec procedens, ſed eſt Pater, qui generat, Filius qui gignitur, & Spiritus ſanctus, qui procedit.* (Lateran.)

7 Habetur quoquè in Concilio Florentino collat. 15. §. *Declaraui*, Vbi ſic ex parte Latinorum Prouincialis, ſeù Ioannes Latinus ait. *Declaraui pridem, quòd non eſt poſſibile in diuinis, quòd eſſentia generet, quia actus ſunt ſuppoſitorum. Ergo ſequitur, quòd cauſa eſſe ipſius Spiritus, eſt perſona, non eſſentia.*

8 Probatur ſecundò ratione; quia ſi eſſentia diuina generaret, non eſſet vna, & eadem eſſentia diuina Patris, & Filij, imò eſſent duæ eſsẽtię realiter diſtinctæ: ſed hoc eſt hæreticum, & falſum. Ergo. Sequela patet; quia id, quod generat, realiter diſtinguitur ab eo, quod gignitur. Minor eſt de fide certa; & ſuppoſita fide, etiam probatur; quia Pater generans Filium, communicat ſuam eſſentiam illi. Ergo non eſt diſtincta eſſentia Patris generantis ab eſſentia Filij geniti.

9 Hæc ratio adeò valida, & conuincẽs eſt, vt Concilium Lateranenſe contra Abbatem Ioachinum determinans; hac ratione contra Ioachinum arguerit. Sic enim ait. *Sed eſt Pater, qui generat, Filius, qui gignitur, & Spiritus ſanctus, qui procedit, vt diſtinctiones ſint in perſonis, & vnitas in natura.*

10 Probatur tertiò; quia eſſentia diuina eſt quid abſtractum. Ergo non poteſt dici generans. Antecedens patet; conſequentia verò probatur; quia generare pertinet ad ſuppoſitum in concreto.

11 Hæc ratio eſt D. Thomæ in hoc articulo, quam Ochamus in 1. diſt. 5. q. 1. littera B. tanquàm non bonam impugnat, cum tamen amplectitur Conciliũ Florentinum collat. 16. §. *Nos dicimus*, vbi Prouincialis ex parte Latinorum ſic ait; *Modò, quia eſſentia eſt nomen abſtractum ſignificans eſſentiam, non ſuppoſitum, non poteſt illi competere actus generationis, & quia eſt vna numero, ſi generaret, oporteret, quòd eſſet diſtinctio eſſentiæ, & naturæ in diuinis; quia idem non generat ſe ipſum, ſed oportet, quòd aliam generet. Ergo concluditur, quod in diuinis eſſentia nec generat, nec generatur.* Vbi vides, quòd vtraquè ratio, præſens ſcilicet, & præcedens Concilio Florentino grata fuit. (Ocham.)

12 Imò communiter Theologi ad probandum preſentis concluſionis intentũ, hanc rationem amplexi ſunt, excepto Ochamo, relato, & ante ipſum Aureolo in 1. diſt. 5. q. 1. art. 2. propoſit. 4. Et præſertim Scotus in 1. diſt. 5. q. 1. §. *Reſpondeo*, vbi ſic diſcurrit. *Quandocunquè eſt ſubiectum abſtractum vltimata abſtractione, & prædicatum ex ratione ſua non poteſt prædicari niſi formaliter, non poteſt propoſitio eſſe vera, niſi ſit per ſe primo modo; ſubiectũ hoc eſt abſtractum vltimata abſtractione, & prædicatum hoc de ratione ſua non eſt natum prædicari, niſi formaliter. Ergo propoſitio non poſſet eſſe vera, niſi per ſe primo modo: ſic autem non eſt vera hæc, quia prædicatum non eſt de per ſe intellectu ſubiecti. Omne enim, quod dicitur ad aliquid, eſt aliquid præter relationẽ 7. de Trinit. 2. cap. ita quòd, relatio non eſt intra conceptum abſoluti.* (Ocham. Aureol. Scotus.)

13 Declarat autem quid intelligat per vltimatam abſtractionem dicens; *huius ſyllogiſmi maiorem declaro ſic. Abſtractio vltimata eſt; quando formalis ratio alicuius conſideratur ſecundùm ſe, præter quodlibet, quod non includitur per ſe in illa, & ideo, ſi ratio alicuius præciſiuè accipitur, nihil illi formaliter inerit, niſi quod per ſe includitur in illa ratione;* v. g. hoc nomen, humanitas eſt quid abſtractum vltimata abſtractione, quia ſcilicet, dicit humanam naturã præcisè, non ſolùm, vt non concernentem hunc, vel illum hominem in particulari, ſed nequè hominem in communi, & dicit puram, ac præciſam rationẽ humanitatis; ac per conſequens, humanitas non poteſt poni ſubiectum alicuius prædicati, quod eſt extrà rationem formalem humanitatis ſic abſtractæ. Hoc idem explicat in accidentibus; v. g. cauſa licèt dicat quid abſtractum ab hac, & illa cauſa, non tamen abſtrahit à fundamento, putà, ſi dicatur, potentia cauſandi; calor enim enim eſt potentia cauſandi calorem, non tamen ignis eſt potentia cauſandi illum; verùm non eſt

quid

quid abſtractum vltimata abſtractione; abſtractũ enim erit cauſalitas, ſeù quidditas cauſalitatis. Vltra enim hanc abſtractionem non poteſt dari alia abſtractio reſpectu huius nominis cauſa. Dicit ergo Scotus, quòd ideo non eſt verum dicere, quòd eſſentia diuina generat, quia hoc nomen, eſſentia diuina, dicit naturam diuinam ſecundùm puram, & præciſam naturæ diuinæ rationem. Ex quo infert, quòd nil aliud de eſſentia diuina ſic abſtracta formaliter prædicari poteſt, niſi illud, quod per ſe primo modo conuenit eſſentiæ diuinæ: ſed hoc quod eſt generare, aut generari, non cõuenit eſſentiæ diuinæ per ſe primo modo. Ergo. Subtilitas hæc Scotica paulò infra examinabitur.

Caiet.

14 Caietanus ſupra q. 32. art. 2. §. *Et ad obiectionem*, hoc documentum præbet, *quòd licèt omnibus abſtractis ex modo ſignificandi commune ſit, non congruere operationibus, inter abſtracta tamen eſt magna latitudo, ex parte ipſius rationis formalis ſignificatæ. Quorumdam enim ratio formalis ſecundùm ſe nullum habet ordinem ad opus, vt patet in relationibus. Quorumdam autem ſecundùm ſe habet ordinem ad opus, vt ſapientia ad ordinare, iuſtitia ad reddere vnicuique eius &c. Illa abſtracta, quæ ex re formaliter ſignificata opus reſpiciunt, congruam propoſitionem admittunt, vt in littera de ſapientia, & intellectu dicitur: Reliqua autem, vt paternitas, & reliquæ notiones, quia nec ex modo ſignificandi, nec ex propria ratione formali operis principia ſunt, congruas enunciationes habere non poſſunt circa operationes.*

Bañes.

15 Magiſter Bañes eadem quæſt. & art. §. *Pro ſolutione huius*, ſic ſpeculatur; *Aduertendum eſt, quòd veritas, aut falſitas propoſitionum, in quibus aliquæ actiones prædicantur de abſtractis in diuinis, non ſolùm conſideranda eſt ex modo ſignificandi ipſius abſtracti, ſed etiam ex propria ratione ipſius actionis. Pertinet enim ad rationem actionis, per quam aliquid procedit, quòd procedens ſit diſtinctum realiter ab eo, à quo ſignificatur procedere tanquàm à ſuppoſito, pro quo ſupponit ſubiectum propoſitionis.* Et ex hac radice dicit, quòd veræ ſunt iſtæ propoſitiones, Deus creat, Deitas creat, Deus generat; falſæ autẽ, & hæreticæ ſunt iſtæ, ſcilicet, Deitas generat, Deitas generatur. Quomodo autẽ re vera intelligatur D. Thom. & qualiter eius ratio, ad probandum, quòd falſa ſit iſta propoſitio, ſcilicet, Eſſentia generat, in ratione nominis abſtracti fundata, per ſequentes concluſiones explanabimus; Vnde,

16 Dico ſecundò. Hæc propoſitio, Paternitas generat, non eſt vera, ſi ly, paternitas, accipiatur in ratione notionis, aut ſecundùm quòd dicit purum ad.

17 Probatur quò ad primam partem; quia paternitas in ratione notionis, non dicit aliud, niſi puram rationem cognoſcendi perſonam Patris. Ergo ex modo ſignificandi in abſtracto, in ratione ſcilicet, notionis præcisè, non eſt vera iſta propoſitio, paternitas generat. Vide quæ diximus ſupra q. 32. art. 2. in comment. art.

18 Probatur quò ad ſecundam partem; quia paternitas, vt referens eſt, veluti ſupponit generationem ſecundùm noſtrum imperfectum, & inadæquatum concipiendi modum. Ergo in hoc ſenſu non eſt vera iſta propoſitio, Paternitas generat.

19 Dico tertiò. Vera eſt iſta propoſitio, licèt in rigore logico non propria, Paternitas generat, ſi paternitas accipiatur vt forma hypoſtatica, ſeù vt ſubſiſtentia relatiua.

20 Probatur quò ad primam partem; quia cum ſic dico, Paternitas generat, iuxta ſenſum concluſionis, verum eſt, quòd paternitas, ideſt, ſubſiſtentia relatiua Patris concurrit ad generationem Filij, non vt quod, ſed vt quo; & vt quo non in ratione principij formalis generationis; quia hoc eſt munus potentiæ generatiuæ, quæ eſt quid eſſentiale, & abſolutum, ſed concurrit vt quo, quatenùs eſt id, quo perſona Patris dicitur relatiuè ſubſiſtens. Ergo cum perſona Patris dicatur, & ſit re vera generans Filium, poteſt etiam verificari de ſubſiſtẽtia Patris in abſtracto, quòd concurrat ad generationem Filij, modo iam explicato.

21 Probatur quò ad ſecundam partem; quia in rigore logico id, quod propriè dicitur creans, debet eſſe ſubſiſtens, & concretum. Actiones enim ſunt ſuppoſitorum. Ergo in rigore logico non propriè dicitur paternitas generat.

22 Dico quartò. Deitas non poteſt ex ſuo formali modo ſignificandi pro aliqua perſona diuina ſupponere.

23 Hoc dictum patet ex primo, & probatur; quia nomen eſſentiale abſtractũ in diuinis nõ poteſt ſupponere pro perſona: ſed eſſentia, ſeù deitas, eſt quid eſſentiale abſtractum. Ergo non poteſt ſupponere pro perſona. Probatur maior; quia nomen eſſentiale, ſeù abſolutum in diuinis in abſtracto prolatum, eſſentialiter, & abſolutè debet ſupponere: ſed perſona diuina non eſt aliquid eſſentiale, ſeù abſolutum, eſſentialiter, ſeù abſolutè ſignificatum. Ergo.

24 Explicatur vis huius rationis, & mens D. Thomæ manifeſtiſſimè propalatur. D.Thom.

D.Tho-

Digitized by Google

D. Thomas in hoc articulo non intendit dicere, quòd nullum nomen abſtractum in diuinis poteſt ſupponere pro perſona, neque quòd hoc nomen, eſſētia diuina, ſeù deitas, non poſſit ſupponere pro Deo eſſentialiter, & abſolutè conſiderato. Nam ſupra q. 32. art. 2. concedit iſtam propoſitionem, quòd Sapientia creat, & licèt ibidē dicat, quòd *non poſſumus dicere, quòd paternitas generet, vel creet*; tamen ibi loquitur de paternitate, vt eſt notio præcisè, vel pro vt eſt dicens purum ordinem ad Filium, non autem de paternitate, pro vt dicit ſubſiſtentiam relatiuam, quemadmodum explicauimus hìc à num. 19. & loco citato in Commen. Loquitur igitur de nominibus diuinis, non quidem perſonalibus, ſed eſſentialibus in abſtracto ſignificatis, vt patet ex titulo articuli, & in corp. vbi ſic ait. *Sed hoc nomen, eſſentia, non habet ex modo ſuæ ſignificationis, quòd ſupponat pro perſona, quia ſignificat eſſentiam, vt formam abſtractam*; non dicit, quia ſignificat quid abſtractum, ſed *quia ſignificat eſſentiam, vt formam abſtractam*. Vide opuſc. 4. contra errores græcorum poſt medium. Ex hoc enim, quòd eſſentia diuina, quę formaliſſimè eſt quid abſolutū, ſignificatur in abſtracto, ſi eſſet vera iſta propoſitio, eſſentia diuina, ſeù deitas generat Filium, ſenſus eſſet, quòd eſſentia diuina ſecundùm rationem abſolutam generaret; & ſic eſſentia diuina eſſet realiter diſtincta à Filio genito, quod eſt falſum, imò hæreticum. *(marg.: D.Thom.)*

25 Dico quintò. Si quis dicens, ſeù formans hanc propoſitionē, ſcilicet, Deitas generat, & nomine Deitatis, intelligeret perſonam Patris, cum eſſentia diuina realiter, & formaliter formalitate rei identificatam, & vltra hoc ſe explicaret, non alium huius propoſitionis habere intellectum, eſſet quidem incongrua, & reprehendenda locutio, non tamen quò ad ſenſum eſſet propoſitio aliqua nota hæreſis, erroris, aut temeritatis aliquo modo cenſenda.

26 Probatur quò ad primam partem; Quia eſſet locutio contra communem conſenſum Theologorum, & Conciliorum, & regulas Logicorum, vt patet ex dictis. Ergo eſſet incongrua, exponēda, & non vſurpanda locutio.

27 Probatur quò ad ſecundam partem; quia quò ad ſenſum, nihil continet contra fidem, aut erroris &c.

28 Dico vltimò. Ratio, quatenùs eſt à Scoto formata circa maiorem propoſitionem, non eſt vera. Nam cum dico, deitas creat, ſubiectum eſt abſtractum abſtractione vltimata, & prædicatum prædicatur formaliter de ſubiecto; propoſitio etiam eſt vera, & nihilominùs ly, *creat*, non prædicatur de eſſentia diuina per ſe primo modo. Etenim creare, conſeruare, prædeſtinare, iuſtificare &c. conueniunt quidem Deo abſolutè conſiderato, nō tamen per ſe primo modo; non enim intelligitur deitas in ratione deitatis præcisè, conſtitui per creare de facto, imò neque per poſſe creare &c. Non eſt igitur tàm ſtrictē formāda maior propoſitio pro concluſione probanda, ſed potiùs ſic debet formari, & extēdi; Quandocumquè eſt ſubiectum abſtractum vltimata abſtractione, & prædicatum ex ratione ſua non poteſt de ſubiecto niſi formaliter prædicari, non poteſt propoſitio eſſe vera, niſi prædicatū conueniat ſubiecto per ſe primo modo, aut per ſe ſecundùm latitudinem adæquatam ſubiecti, ideſt, ſi ſubiectum eſt abſtractum abſtractione vltimata, & ratione huius abſtractionis vltimatæ, eſt quid abſolutum, prædicatum eius non poteſt eſſe niſi aliquod abſolutum, quādo ſcilicet, prædicatum non poteſt de ſubiecto niſi formaliter prædicari.

29 Tranſeunter obſerua, quòd Scotus loco citato §. *Circa aliū* explicans *illum terminū* puta, maiorem ſuæ rationis, ſcilicet, *quòd prædicatum de quocumquè dicitur, de neceſſitate formaliter prædicatur*, ſic ait; *Notandum eſt, quòd ſubſtantiua poſſunt dupliciter prædicari in diuinis, quandoquè formaliter, quandoquè per identitatem, ſed adiectiua, ſi prædicantur, de neceſſitate formaliter prædicantur; & hoc, quia ſunt adiectiua. Nam ex hoc, quòd ſunt adiectiua, ſignificant formam per modum informantis, & ideò de nullo dicuntur verè, niſi ad quod ſe habent per modum informantis*. Tenetur Scotus explicare quid intelligat per ly, *per modum informātis*. Nam forma per modum informantis tunc eſt in aliquo, quando illud cui ineſt, ſe habet reſpectu illius formæ per modum informabilis, ſeù informati, v.g. cum dicitur, Deus creans, ly, creans, eſt adiectiuū, & dicitur de Deo abſolutè cōſiderato; & ſic iuxta verba Scoti ſēſus eſſet, quòd creatio, ſeù actio creatiua, pro vt eſt aliquid Dei, debet eſſe in Deo per modum formæ, ſeù actus actuantis, & Deus ſe haberet per modum ſubiecti actuabilis, ſeù actuati, ac proinde, ſe haberet Deus, vt potentia paſſiua, & creatio vt forma; quod eſt diuinæ perfectioni, ac maieſtati prorſus indignum. Si igitur Scotus velit dicere, quòd adiectiua ſic ſignificant formam per modum informantis in Deo, quòd prædicatum nō ratione ſuppoſiti, ſed ratione formalitatis importatæ per dictionem adiectiuam *(marg.: Scotus.)*

dicuntur

Digitized by Google

dicitur de Deo, non informatiuè, quaſi formalitas prędicati ſit informatiua formalitatis poſitæ in ſubiecto, ita, vt cum dicitur, Deus eſt creans, ſenſus ſit iſte, actio creatiua, quæ ratione, ſeù virtualiter, aut, vt Scoto placet, ex natura rei diſtinguitur à Deo, eſt identicè Deus, (ꝙ tamen ſaluare nõ poteſt,) vel nobiſcũ dicat, quòd in diuinis vnum prædicatum ineſt per modum formæ informantis, ex noſtro imperfecto modo concipiendi, & non ex parte formalitatis obiectæ. Sed de hac re vide quæ ſupra tom. 2. q. 13. art. 12. in comment. diximus.

CAPVT TERTIVM.

Proponuntur argumenta in contrarium, & ſoluuntur.

30 SED contra iſtam determinationẽ obijciet aliquis primò, præſertim contra primum dictum, pluribus Sanctorum Patrum authoritatibus, quas ex profeſſo adducit D. Thomas opuſc. 1. contra errores Græcorum cap. 4. & 5. Nam D. Athanaſius ſerm. 3. geſtorum Nicenæ Synodi ex perſona Filij loquens, ſic ait; *Tuum ſpiritum in diuina eſſentia à te genita ipſis hominibus compenſo*. Et parùm poſt, *ex tua*, inquit, *eſſentia, quam in me genuiſti Spiritum ſanctum, do eis*. Et Epiſt. ad Serapionem, *eſſentiã*, inquit, *ſuam in ſe, ipſe genitor retinens, totam in Filio ſuo inenarrabiliter genuit*. Et iterum. *Sicut Pater habet vitam in ſe ipſo, ideſt, naturam viuam ſpirantem, ſic dedit, & Filio vitã habere in ſemetipſo, hoc eſt, eamdem naturam genuit in Filio ſpirantem Spiritum vnum*. Et infra, *Patris*, inquit, *& Filij vnam eſſe Deitatem naturaliter ſpirantem, vnum Spiritũ ſanctum*. Ergo ex D. Athanaſio, valet dicere, quòd eſſentia diuina eſt genita, & ſpirans. Ergo valet quoquè dicere, quòd eſſentia diuina in Patre eſt generans.

D.Thom. D.Athan.

31 Et D. Cyrillus in lib. theſaurorum; *Virtus*, inquit, *increata, & genita in Filio, Filij eſt per omnem modum naturæ paternæ*. Et iterum. *Pater*, inquit, *Filio dedit vitam, ideſt, vitam ſuam naturalem genuit in Filio*. Et D. Baſilius; *Ipſe*, inquit, *Filius, quem dat nobis Pater, eſt Deus de Deo, eſſentialiter genitus, habens in ſe totam eſſentiam Patris genitam*. Et Cyrillus, qui ſupra; *Quomodo ergo*, inquit, *Ieſus Filius paternæ eſſentiæ erit creatura?*

D. Cyrill.

32 Solent quoquè nonnulli alij Sancti Patres ad hoc idem probandum adduci, præſertim Nazianzenus, orat. de dogmate, & conſtit. Epiſcop. Et Sanctus Fulgentius, de fide ad Petrum cap. 2. Et Sanctus Anſelmus, in Monologio cap. 47. Affertur quoquè Riccardus 6. de Trinit. cap. 22. qui teſte Scoto loco cit. videtur expreſsè loqui contra Magiſtrum ſentent. & modum loquendi Magiſtri ſententiarum periculoſum, & contra Sanctorũ authoritates appellat.

Nazianz. Fulgent. Anſelm.

33 Reſpondetur tamen, ad omnes authoritates Sanctorum cum D. Thoma hìc ad 1. vb. ponit modum loquendi D. Auguſtini in fauorem Abbatis Ioachini. Et opuſc. 4. cit. quòd à Sanctis interdum propter idẽtitatem inter Deum, & Deitatem, eſſentiam diuinam & Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum, *vnum pro alio ponitur, vt ſic dicatur, quod eſſentia diuina generat; quia Pater, qui eſt eſſentia diuina, generat; & eſſentia eſt de eſſentia; quia Filius, qui eſt eſſentia, eſt de Patre, qui eſt eadem eſſentia diuina*. Et dicit hanc expoſitionem eſſe Cyrilli in lib. theſaur. Et cum dicitur, quòd *Pater genuit naturam ſuam in Filio, exponendum eſt*, inquit, *quòd per generationem ſuam, naturã Filio dedit*. Et ſimiliter, exponit vltimã authoritatẽ Cyrilli, ſic enim cap. 5. ait. *Non enim dicitur Filius eſſẽtiæ paternæ, quaſi à paterna eſſẽtia genitus, ſed quaſi paternitatẽ eſſẽtiã per generationẽ accipiens*.

D.Thom. D. Cyrill.

34 Ad illud verò ꝙ de Riccardo dr̃ placet reſpõſio Scoti loc. cit. §. *Ad dictũ Riccardi* ſic enim ait. *Si intẽdit reprehẽdere Magiſtrũ, cũ doctrina Magiſtri, & præcipuè iſta, authẽticetur ꝑ Cõciliũ Generale, nego Riccardũ, tenẽdo Magiſtrũ*. Et quãtũ ad hoc, ꝙ dicit *Magiſtrũ adducere multas authoritates contra ſe, Magiſter benè exponit eas; nullã autẽ habet pro ſe authoritatẽ, ſed habet illam vniuerſalis Eccleſiæ, quæ maxima eſt; quia dicit Auguſt. in libello cõtra Epiſt. fundamẽti Manichæi; Euãgelio nõ crederẽ, niſi Eccleſiæ catholicæ crederẽ*. Imitatus eſt Scotus D. Th. opuſc. 1. cap. 4. contra errores Græcorũ, qui poſtquã nõnullas authoritates in fauorẽ Abbatis Ioachini adduxit, reprehendit dogma Ioachim, & doctrinã Magiſtri ſentẽtiarũ extollit, ſic dicẽs; *Hic autẽ modus loquẽdi*, (ideſt ꝙ eſſẽtia generat, aut generatur) *calumnioſus eſt; & in Sacro Lateranẽſi Cõcilio reprobatũ eſt dogma Ioachim, qui hunc modũ loquẽdi cõtra Magiſtrũ Petrũ Lõbardũ reprehẽdere ꝑſũſit*. Vnde multis interiectis ait, ꝙ *eſſẽtia de eſſẽtia magis inconueniẽter* dr̃, quã cũ dicitur *Filius Sapiẽtia de ſapiẽtia*.

Scotus. Riccard. D.Thom.

35 Obijciet ſecundò; quia eſſẽtia diuina, pro vt eſt quid cõmune Patri, & Filio, & Spiritui ſãcto nõ eſt vna ſumma res omninò indiuiſa, ſed quaſi collectiua, & ſimilitudinaria tantũ, quemadmodũ dicũtur multi homines vnus populus, & multi fideles, vna Eccleſia, iuxta illud Actuũ 4. *Multitudinis credẽtiũ erat cor vnũ, & anima vna*. Et 1. corint. 6. *Qui adhæret Deo, vnus ſpiritus eſt &c*. Et 3. Reg. 12. *Populus meus, &*

Act 4. 1 Cor. 6. 3 Reg. 12.

Digitized by Google

& populus tuus vnũ sũt. Ergo verũ eſt, ꝙ eſsẽtia diuina Patris generat, & eſsentia diuina Filij generatur. Probatur antecedẽs ex illo Io. 17. *Volo Pater, vt ſint vnũ in nobis, ſicut & nos vnũ ſumus.* Non enim ait vt fideles Chriſti ſint vnũ, ideſt, vna quędã res, quæ cõmunis ſit omnibus, ſed tãtũ *vt ſint vnũ*, ideſt, vna Eccleſia propter catholicę fidei vnitatẽ, & tãdẽ vnũ regnũ propter vnionẽ indiſſolubilis charitatis. (Ioan. 17.)

36 Reſpondetur, negãdo antecedẽs. Ad cuius probationẽ explico authoritatem Ioannis. *Volo Pater, vt ſint vnũ in nobis, ſicut & nos vnũ ſumus*, ita vt ly, *ſicut*, accipiatur ſecundũ proportionẽ Deo Patri, & Filio ex vna parte, & fidelibus in Chriſto ex altera cõuenientẽ, ſeù ſecundũ diſtributionẽ accommodã, concedo; & in hoc ſenſu intelligitur locus præfatus Sacræ Scripturæ; Ita vt ly, *ſicut*, dicat omnimodã paritatẽ, ideſt, æqualiter vnitatẽ, nego, & in hoc ſenſu nõ intelligitur locus præfatus Sacræ ſcripturæ. Ergo &c. nego conſequentiam.

37 Reſponſio eſt Sacri Concilij Lateranenſis loco cit. vbi hæc habentur verba. *Cum ergo veritas pro fidelibus ſuis ad Patrem orat; Volo, inquiẽs, vt ipſi ſint vnũ in nobis, ſicut & nos vnũ ſumus; hoc nomẽ, vnũ, pro fidelibus quidem accipitur, vt intelligatur vnio charitatis in gratia; pro perſonis verò diuinis, vt attẽdatur idẽtitatis in natura vnitas, quemadmodũ veritas alibi ait Eſtote perfecti, ſicut & Pater veſter Cæleſtis perfectus eſt, perfectione naturæ, vtiquè, videlicet, ſuo modo; quia inter creatorem, & creaturam non poteſt tanta ſimilitudo notari, quin inter eos maior ſit diſſimilitudo notanda.* (Lateran.)

38 Obijciet tertiò; Quia eſsẽtia diuina eſt principiũ quo generationis. Ergo vera eſt iſta propoſitio, vel ad minùs nõ tanquã hæretica damnanda, eſſentia diuina generat. Patet conſequentia; quia ideo valet iſta propoſitio, ſapientia diuina creat, quia eſt principium quo creationis. Ergo.

39 Reſpondetur, explicando antecedẽs. Eſſentia diuina eſt principiũ quo generationis pro vt eſt in Patre, concedo antecedens. Pro vt abſolutè cõſideratur, nego antecedẽs. Ergo &c. nego conſequentiã. Ad cuius probationẽ, ſimiliter diſtinguo antecedẽs. Ideo valet iſta propoſitio, ſapientia diuina creat, quia eſt principiũ quo creationis abſolutè, cõcedo antecedens. Quia eſt principiũ quo, pro vt eſt in vna, vel in altera perſona, nego antecedẽs, Ergo &c. nego conſequentiã. Si igitur dicatur, quod eſſentia abſtractè, & abſolutè ſumpta generat, falſa eſt propoſitio; ſi verò dicatur, quòd eſsẽtia diuina nõ abſolutè, ſed pro vt eſt in Patre tantũ, eſt principiũ quo generationis, vera eſt propoſitio, nõ tamẽ contra Magiſtrũ ſentẽtiarũ, nequè cõtra ea, quę in diſcurſu pręſẽtis diſput. diximus.

40 Obijciet tertio. Valet iſta propoſitio; Omnis Pater generat: eſſentia diuina eſt Pater. Ergo eſsẽtia diuina generat. Item. Valet iſta propoſitio; Pater eſt Pater Filij; ſed eſſentia diuina eſt Pater. Ergo eſſentia eſt Pater Filij. Ergo benè ſequitur, quòd eſſentia diuina generat. Itẽ. Valet iſta propoſitio; Eſsẽtia diuina eſt Filius: ſed Filius eſt genitus. Ergo valet dicere, quod eſſentia diuina eſt genita.

41 Reſpõdetur, quòd hęc, & plurima alia argumẽta, ſunt vnũ & idem argumentũ ſecundũ diuerſa capita; ſeù hoc argumẽtum, & multa alia contra catholicã concluſionem, eodem claudicant pede, ſeù eadem errandi occaſione procedunt; Vnde breuiter, & in forma.

42 Reſpondetur ad primũ argumentãdi modum, concedẽdo maiorẽ, minorẽ & negando conſequẽtiã; & ratio negationis eſt; quia cum dico, eſſentia diuina eſt Pater, eſt ſenſus idẽticus, non autem formalis. Cum verò dico, eſſentia diuina generat, eſt ſẽſus formalis. Facit enim hũc ſenſum, nẽpè, eſſentia diuina exercet munus generationis. Et huius ratio eſt, quia generare eſt terminus adiectiuus, qui nõ prædicatur de ſubiecto, niſi in ſenſu formali, vt docẽt ſummuliſtę, & rectè obſeruat D. Thomas in hoc art. ad 5. Vnde eſſentia diuina licèt prædicetur de Patre, & è contra, Pater prædicetur de eſſentia diuina, *propter diuinã ſimplicitatẽ, non tamen ſequitur, quòd eſſentia diuina poſſit ſupponere pro Patre*, aut Pater poſſit ſupponere pro eſſentia diuina. Committitur igitur fallacia in argumento, quia ſumũtur præmiſſæ, quatenùs ſunt veræ in ſenſu identico tantùm, & in conſequenti fit tranſitus à ſenſu identico ad formalem. (D. Thom.)

43 Reſpondetur ad ſecundum argumentandi modum ſimiliter, concedendo maiorem, minorem, & negando conſequẽtiam; & ratio negationis eſt eadem, quę ſupra; quia ſcilicet, tranſit argumentum à præmiſſis, quæ pro vt proferuntur, & aſſumuntur ſunt veræ, quia ſenſũ identicum dumtaxat faciunt, ad conſequens, in ſenſu formali conſideratum. Licèt enim à propoſitione vera in ſenſu formali rectè inferatur propoſitio in ſenſu identico, non tamen poteſt formaliter inferri veritas alicuius propoſitionis in ſenſu formali, ex veritate præmiſſarum in ſenſu identico tantùm. Sic eſt in caſu noſtro; Quia minor propoſitio eſt vera in ſenſu identico, non verò in ſenſu formali, quare &c.

Reſpon-

Digitized by Google

44 Reſpondetur ad tertium argumentũ, eodem modum, concedendo maiorem, minorem, & negando conſequentiam propter eamdem omnino rationem.

45 Obijciet quartò. Valet dicere, quòd eſſentia diuina eſt res generans. Ergo valet dicere, quòd eſſentia generat. Probatur conſequentia ex antecedenti. Antecedens verò probatur ex Concilio Lateranenſe.

46 Reſpondetur, explicando antecedens. Valet dicere, quòd eſſentia diuina eſt res generans, ſi ly, res, accipiatur pro perſona Patris, & in ſenſu identico, concedo antecedens. Si ly, res, accipiatur pro prędicato abſoluto, & eſſentiali, nego antecedens. Ergo &c. nego conſequentiam. Vide Commentarium articuli in reſpõſ. ad 5.

47 Obijciet quintò. Si non eſt verum dicere, quòd eſſentia generat; erit verum dicere, quòd eſſentia diuina non generat: ſed hoc eſt falſum. Ergo. Sequela patet; quia inter duo contradictoria non datur medium: ſed generare, & non generare; generari, & non generari, ſunt duo termini contradictoriè oppoſiti. Ergo ſi de eſſentia diuina non verificatur, quòd ſit generans, neceſſariò verificari debet, quòd ſit non generans. Probatur igitur minor; quia ſi de eſſentia diuina verificaretur, quòd ſit non generans, ſeù non ſit generans, ſequeretur, quòd realiter diſtingueretur à Filio. Hoc eſt hæreticum. Ergo. Probatur ſequela; quia magis diſtinguuntur ea, quæ opponuntur contradictoriè, quàm ea, quæ opponuntur relatiuè: ſed propter oppoſitionem relatiuam in diuinis datur realis diſtinctio inter perſonas. Ergo propter oppoſitionem contradictoriam inter diuinam eſſentiam, quę non eſt generans, neque genita, & Patrem, qui nõ eſt genitus, ſed generans, & Filium, qui eſt genitus, non autem generans, eſſet realis diſtinctio, magis quàm inter Patrem, & Filium. Maior patet, quia oppoſitiò cõtradictoria eſt maxima inter omnes oppoſitiones. Minor eſt certa; & conſequentia deducitur ex præmiſſis.

48 Reſpondetur, concedendo ſequelam, & negando minorem. Ad cuius probationem nego ſequelam. Ad cuius probationem concedo maiorem, & minorem, & nego ſuppoſitum conſequentis. Iſta enim duo, eſſentia diuina non generat & Pater generat; eſſentia diuina non eſt genita, & Filius eſt genitus, non opponuntur contradictoriè; quia quamuis Pater, & Filius, & eſſentia diuina ſint diſtincta formalitates virtualiter, & ratione actualiter, tamen ſunt vna res, & generare, & non generare; generari, & non generari conueniunt in diuinis vni, eidemquè entitati reali; prædicãtur verò ſecundùm diuerſas formalitates, ac proinde, non ſunt verè, & propriè duo contradictoria; quia licèt generare, & non generare; generari, & non generari abſolutè, & ſimpliciter, contradictoriè ad inuicem opponantur, nihilominùs Patrem generare, & eſſentiam non generare, Filium generari, & eſſentiam non generari, non ſunt duo contradictoriè oppoſita; quia ſunt vna, eademquè res ſecundùm diſtinctam formalitatem virtualiter, ratione cuius diſtinctionis virtualis habet, quòd vnum dicatur generans, alterum genitum &c. Contradictoriè opponuntur iſta. Pater vt Pater generat, & Pater vt Pater non generat. Filius vt Filius eſt genitus, & Filius vt Filius non eſt genitus. Eſſentia diuina vt eſſentia diuina generat; & eſſentia diuina vt eſſentia diuina non generat. Quia ſunt reſpectu vnius eiuſdemquè formalitatis omninò, & ſub hac formalitate, negatiuæ ſunt veræ, puta, eſſentia non generat, non ſpirat &c. & affirmatiuæ falſæ.

FORMATIO ARTICVLI.

ARTICVLVS SEXTVS.

Vtrum perſonæ poſſint prædicari de nominibus eſſentialibus.

Tripartita eſt corporis diſtributio. Primò, ponit cõcluſionẽ bimembrem, eamquè quò ad primam partem

AD ſextum ſic proceditur, videtur quod perſonæ non poſſint prædicari de nominibus eſſentialibus cõcretis, vt dicatur, Deus eſt tres pſonę, vel

Digitized by Google

relinquit vt ſupra probatam, & quò ad ſecundam probat. Secundò, eamdem concluſionem quò ad ſecundum eius membrum ampliat. Et tandem tertiò, eã extendit ad nomina eſſentialia, non ſolũ in concreto, ſed etiã in abſtracto ſignificata.

Quò ad primum, concluſio eſt iſta. *Licèt nomina perſonalia, vel notionalia adiectiua non poſſint prædicari de eſſentia, tamen ſubſtantiua poſſunt.*

Probatio quò ad ſecũdam partem eſt iſta. *Propter realem identitatem eſſentiæ, & perſonæ.*

Quò ad ſecundũ, ponit concluſionis extenſionem, & probat. Extenſio concluſionis eſt iſta. *Et vna perſona, & duæ, & tres, poſſunt de eſſentia prædicari. Vt ſi dicamus, eſſentia eſt Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus.*

Probat autem ſic; *Eſſentia diuina non ſolũ idem eſt realiter cum vna perſona, ſed cum tribus.* Ergo *& vna perſona &c.*

Quò ad tertium, ſic ait. *Sicut hæc eſt vera, eſſentia eſt tres perſonæ, ita hæc eſt vera, vel eſt Trinitas. Hæc enim eſt falſa, homo eſt omnis homo, quia pro nullo ſuppoſitorum verificari poteſt: neque enim Sortes eſt omnis homo, neque Plato, neque aliquis alius, ſed ſimiliter eſt, Deus eſt Trinitas, pro nullo ſuppoſitorum naturæ diuinæ verificari poteſt. Neque enim Pater eſt Trinitas, neque Filius, neque Spiritus ſanctus: ergo hæc eſt falſa, Deus eſt Trinitas.*

2 *Præterea. Inferiora non prædicantur de ſuis ſuperioribus, niſi accidentali prædicatione, vt cum dico, animal eſt homo: accidit enim animali eſſe hominem; ſed hoc nomen, Deus, ſe habet ad tres perſonas, ſicut commune ad inferiora, vt Damaſcenus dicit: ergo videtur, quod nomina perſonarum non poſſint prædicari de hoc nomine, Deus, niſi accidentaliter.*

Sed contra eſt, quod Auguſt. dicit in lib. de fide ad Petr. Credimus vnum Deum, vnam eſſe diuini nominis Trinitatem.

Reſpondeo dicendum, quod (ſicut iam dictum, eſt,) licèt nomina perſonalia, vel notionalia adiectiua, non poſſunt prædicari de eſſentia: tamen ſubſtantiua poſſunt, propter realem identitatem eſſentiæ, & perſonæ. Eſſentia autem diuina non ſolum idem eſt realiter cum vna perſona, ſed cum tribus: vnde & vna perſona, & duæ, & tres, poſſunt de eſſentia prædicari: vt ſi dicamus, eſſentia eſt Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus; & quia hoc nomen Deus, per ſe habet, quod ſupponat pro eſſentia (vt dictum eſt) ideò ſicut hæc eſt vera, eſſentia eſt tres perſonæ, ita hæc eſt vera, Deus eſt tres perſonæ.

Ad primum ergo dicendum, quod (ſicut ſupra dictum eſt.) hoc nomen, homo, per ſe habet ſupponere pro perſona: ſed ex adiuncto habet, quod ſtet pro natura communi; & ideò hæc eſt falſa, homo eſt omnis homo, quia pro nullo ſuppoſito verificari poteſt; ſed hoc nomen, Deus, per ſe habet, quod ſtet pro eſſentia: vnde licèt pro nullo ſuppoſitorum diuinæ naturæ, hæc ſit vera, Deus eſt Trinitas, eſt tamen vera pro eſſentia, quod non attendens Porretanus, eam negauit.

Ad ſecundum dicendum, quod cum dicitur, Deus, vel diuina eſſentia eſt Pater, eſt prædicatio per identitatem, non autem ſicut inferioris de ſuperiori, quia in diuinis nõ eſt vniuerſale, & ſingulare: vnde ſicut eſt per ſe iſta, Pater eſt Deus, ita & iſta, Deus eſt Pater, & nullo modo per accidẽs.

Deus eſt tres perſonæ.

Probat autem ſic; *Quia hoc nomen, Deus, per ſe habet, quòd ſupponat pro eſſentia.* Ergo *ſicut hæc eſt vera &c.*

Ad primum argumentum reſpondet, concedendo maiorem, & minorem, & negando conſequẽtiam, & rationem diſparitatis aſſignat; quia *hoc nomen, homo, per ſe habet ſupponere pro perſona &c.* Lege litteram.

Ad ſecundum argumentum reſpondet, concedendo maiorem, & explicando minorem, propter authoritatem Damaſceni. *Sed hoc nomen, Deus, ſe habet ad tres perſonas, ſicut commune ad inferiora*, quantùm ad aliqua, ſcilicet, quantum ad idẽtitatem inferioris cũ ſuperiori, concedit minorem, In quo ſenſu interpretandus eſt Sanctus Damaſcenus. Quantùm ad omnia, id eſt quãtùm ad diuiſionem communis in ſuis inferioribus, negat minorem; in quo ſenſu non locutus eſt Damaſcenus. Ergo &c. negat conſequentiam.

SVPER ARTICVLVM. COMMENTARIVM.

1 VTRVM *perſonæ poſſint prædicari de nominibus eſſentialibus*, ſubaudi, concretis, *vt dicatur Deus eſt tres perſonæ, vel Trinitas*, vt idẽ D. Thomas exponit in principio artic.

2 In reſp. ad primum. *Hoc nomen, homo, per ſe habet ſupponere pro perſona &c. ſed hoc nomen, Deus, per ſe habet, quod ſtet pro eſſentia*. Ex quo rectè deducit rationem, quare ſcilicet, valeat dicere, Deus eſt Trinitas, non tamen valeat dicere, Pater eſt Trinitas, quia nimirùm ly, *Deus*, & ſi ſupponat propriè ſecundùm ſuppoſitionẽ naturalem pro perſona; tamen hoc eſt

ſecunda-

Digitized by Google

ſecundariò, quoniam primariò, ſupponit pro natura; Quapropter, niſi addatur aliquod prædicatum, quod verificari poſſit de ſubiecto, accipitur tantùm pro natura. Vnde ſequitur, quòd valet dicere, Deus eſt Trinitas, non tamen valet dicere, Pater eſt Trinitas, Filius eſt Trinitas &c.

3 In reſp. ad ſecundum. *Vnde ſicut eſt per ſe iſta, Pater eſt Deus, ita & iſta, Deus eſt Pater; & nullo modo per accidens*. Loquitur de perſeitate, quæ eſt inter prædicata diuina ex identitate proueniens, non autem loquitur de perſeitate logica; quaſi Pater ſit de intrinſeco conceptu Deitatis. Et cùm ait, quòd nullo modo eſt per accidens, loquitur de illa prædicatione per accidens, quæ eſt quando inferiùs prædicatur de ſuperiori, vt ſi dicerem; Homo eſt Petrus, vt patet ex ipſo argumento in contrarium poſito. Vnde non ſibi contradicit per ea, quæ in q. 3. de pot. Dei ar. 2, ad 6. docet, non eſſe prædicationem per ſe, cum dicitur, eſſentia eſt Pater.

ARTICVLVS SEPTIMVS.

Vtrum nomina eſſentialia ſint approprianda perſonis.

AD ſeptimum ſic proceditur, videtur quod nomina eſſentialia nõ ſint appropriãda perſonis; quod enim poteſt vergere in errorem fidei, vitandum eſt in diuinis, quia vt Hieronym. dicit, ex verbis inordinatè prolatis incurritur hæreſis; ſed ea, quæ ſunt communia tribus perſonis appropriare alicui, poteſt vergere in errorem fidei, quia poteſt intelligi, quod vel illi tantum perſonæ conueniant, cui approprientur, vel quod magis conueniant ei, quam alijs: ergo eſſentialia attributa non ſunt appropriãda perſonis.

2 Præterea. Eſſentialia attributa in abſtracto ſignificata, ſignificant per modum formæ; ſed vna perſona non ſe habet ad aliam, vt forma, cum ab eo, cuius eſt forma, ſuppoſito non diſtinguatur: ergo eſſentialia attributa maximè in abſtracto ſignificata, non debent appropriari perſonis.

3 Præterea. Proprium prius eſt appropriato; proprium enim eſt de ratione appropriati; ſed eſſentialia attributa ſecundum modum intelligendi ſunt priora perſonis, ſicut commune eſt prius proprio; ergo eſſentialia attributa non debent eſſe appropriata.

Sed contra eſt, quod Apoſtolus dicit 1. Corinth. 1. Chriſtum Dei virtutem, & Dei ſapientiam.

Reſpondeo dicendum, quod ad manifeſtationẽ fidei, conueniens fuit eſſentialia attributa perſonis appropriari; licèt enim Trinitas perſonarum demonſtratione probari non poſſit (vt ſupra dictum eſt) conuenit tamen, vt per aliqua magis manifeſta declaretur. Eſſentialia verò attributa ſunt nobis magis manifeſta ſecundum rationem, quam propria perſonarum, quia ex creaturis, ex quibus cognitionem accipimus, poſſumus per certitudinẽ deuenire in cognitionem eſſentialium attributorũ, non autem in cognitionem perſonalium proprietatum, vt ſupra dictum eſt. Sicut igitur ſimilitudine veſtigij, vel imaginis in creaturis inuenta

vtimur

FORMATIO ARTICVLI.

BIpartita eſt corporis diſtributio. Primò, reſpondet quæſito vnica cõcluſione affirmatiua, eamquè probat, & confirmat. Secundò, aſſignat quot modis id contingere poſſit.

Quò ad primum, concluſio eſt iſta. *Ad manifeſtationem fidei, conueniens fuit eſſentialia attributa perſonis appropriari.*

Probatio eſt iſta. Quia, *licèt Trinitas perſonarum demonſtratione probari non poſſit, conuenit tamen, vt per aliqua magis manifeſta declaretur*. Ergo *ad manifeſtationẽ fidei conueniens fuit &c.* Antecedens patet. Probat conſequentiã; quia, *eſſentialia attributa ſũt nobis magis manifeſta ſm rationẽ, quã propria perſonarum*. Ergo *ad manifeſtationem fidei conueniens fuit &c.* Probat conſequenquentiam, quia, *hæc manifeſtatio perſonarũ per eſſentialia attributa, appropriatio nominatur.*

Probat antecedens; quia, *ex creaturis ex quibus cognitionem accipimus, poſſumus per certitudinem deuenire in cognitionem eſſentialium attributorum, non autem in cognitionem perſonalium proprietatum*. Ergo.

Confirmatiò eſt iſta; Quia *ſimilitudine veſtigij, vel imaginis in creaturis inuenta, vtimur ad manifeſtationẽ diuinarum perſonarum*; Ergo *ita, & eſſentialibus attributis.*

Quò ad ſecũdùm ſic ait. *Poſſunt autem manifeſtari perſonæ diuinæ &c.* Lege litteram vſquè ad finem corporis.

Ad primum argumentum reſpondet, concedendo maiorem, & negando minorem; & rationem aſſignat; quia, *eſſentialia attributa, non ſic approprian tur perſonis &c.* Lege litteram.

Ad ſecundum argumentum reſpondet, explicando maiorem. *Eſſentialia attributa in abſtracto ſignificata, ſignificant per*

mo-

modum formæ, quando ſunt propria, concedit maiorem. Quādo ſunt appropriata, & non propria, negat maiorem. Tunc conceſſa minori, negat conſequentiam.

Ad tertium argumentum reſpondet, explicando maiorē. *Proprium*, vt proprium, *prius eſt appropriato*, vt appropriatum eſt, concedit maiorem. *Proprium prius eſt appropriato*, quò ad formalitatē ſignificatam per appropriatum, negat maiorem. Similiter diſtinguenda, ſeu explicāda eſt minor, & neganda eſt conſequentia.

vtimur ad manifeſtationem diuinarum perſonarum, ita & eſſentialibus attributis; & hæc manifeſtatio perſonarum per eſſentialia attributa, appropriatio nominatur. Poſſunt autem manifeſtari perſonæ diuinæ per eſſentialia attributa dupliciter, vno modo per viam ſimilitudinis, ſicut ea, quæ pertinent ad intellectum, appropriantur Filio, qui procedit per modum intellectus, vt verbū, alio modo per modum diſſimilitudinis, ſicut potentia appropriatur Patri, (vt Auguſt. dicit,) quia apud nos, Patres ſolent eſſe propter ſenectutē infirmi: ne tale aliquid ſuſpicemur in Deo.

Ad primum ergo dicendum, quod eſſentialia attributa, non ſic appropriantur perſonis, vt eis eſſe propria aſſerantur, ſed ad manifeſtandū perſonas per viam ſimilitudinis, vel diſſimilitudinis, vt dictum eſt: vnde nullus error fidei ſequitur, ſed magis manifeſtatio veritatis.

Ad ſecundum dicendum, quod ſi ſic appropriarentur eſſentialia attributa perſonis, quod eſſent eis propria, ſequeretur quod vna perſona ſe haberet ad aliam in habitudine formæ; quod excludit Auguſt. lib. 6. de Trinitate, oſtendens quod Pater non eſt ſapientia quam genuit, quaſi ſolus Filius ſit ſapientia, vt ſic Pater, & Filius ſimul, tantum poſſint dici ſapientia, non autem Pater ſine Filio; ſed Filius dicitur ſapientia Patris, quia eſt ſapientia de Patre ſapientia: vterque enim per ſe eſt ſapientia, & ſimul ambo vna ſapientia: vnde Pater non eſt ſapiens ſapientia quam genuit, ſed ſapientia, quæ eſt ſua eſſentia.

Ad tertium dicendum, quod licèt eſſentiale attributum ſecūdùm rationem propriam ſit prius quam perſona ſecundum modum intelligendi: tamen inquantum habet rationem appropriati, nihil prohibet proprium perſonæ, eſſe prius quam appropriatum; ſicut color poſterior eſt corpore, inquantum eſt corpus, prius tamen eſt naturaliter corpore albo, inquantum eſt album.

SVPER ARTICVLVM COMMENTARIVM.

1 VTRVM *nomina eſſentialia ſint appropriãda perſonis*, ideſt, Vtrū poſſint attribui, & applicari ad manifeſtationem perſonarum, nō vtrum ex communibus poſſint fieri propria; quoniam in diuinis nulla formalitas eſſentialis euadit propria alicuius, vel aliquarum dumtaxat, & non omnium perſonarum.

2 *Ad manifeſtationem fidei*, ideſt, ad manifeſtationem Trinitatis perſonarum, quę eſt maximum fidei Chriſtianæ Sacramentum.

3 *Licèt Trinitas perſonarum demonſtratione probari non poſſit, conuenit tamen, vt per aliqua magis manifeſta declaretur*; non ad cōuincendum aduerſarios, ſed ad inſtruendum catholicos.

4 *Sicut igitur ſimilitudine veſtigij, vel imaginis in creaturis inuenta, vtimur ad manifeſtationem diuinarum perſonarum, ita & eſſentialibus attributis*. Ly, *ſicut*, & ly, *ita* non dicit omnimodam paritatem, ſeù non eſt argumentum à paritate, vt verba ſonare videntur, ſed potiùs eſt argumentum per locum à fortiori. Et ſenſus eſt; ſi ſimilitudine veſtigij, vel imaginis in creaturis inuenta, vtimur ad manifeſtationem diuinarum perſonarum, quæ ad inuicem multùm diſtant. Ergo à fortiori poſſumus vti, ad huiuſmodi diuinarū perſonarum manifeſtationem, eſſentialibus attributis.

5 *Alio modo per modum diſſimilitudinis, ſicut potentia appropriatur Patri; quia apud nos, Patres ſolent eſſe propter ſenectutem infirmi, ne tale aliquid ſuſpicemur in Deo*. Pulchra quidem explicatio & bona; ſed nō malè diceretur, ſi potentia attribuitur Patri etiam per modum ſimilitudinis, quia ſcilicet, ſicut potentiæ couenit eſſe principiū meritò Patri æterno, qui eſt principium de non principio attribuitur potentia. Idem poteſt dici de ſapientia, quę appropriatur Filio per modum ſimilitudinis, vt docet D. Thomas hìc; quia ſcilicet, Filius procedit *per modum intellectus, vt Verbum*; poſſet quoquè dici, quòd appropriatur Filio etiam per modum diſſimilitudinis; ſolent enim Filij eſſe ſcioli, & neſcientes; ne tale igitur aliquid ſuſpicemur in Deo, Filius Dei dicitur intellectus, vel ſapientia etiam per modum diſſimilitudinis &c.

FORMATIO ARTICVLI.

Corporis diſtributio, nõ aliter eſt formanda, quàm eſt à Sanctiſſimo Præceptore partita; Nec audeo Eminentiſſimo Caietano cuius nõ ſum dignus diſcipulus, me præferre; Et quia Caietanus in huius articuli commentario ſic ait; *In corpore nihil habendum puto; quoniam diſtinctus, ordinatus, formatus, facileque intelligibilis ex ſe eſt. Vnde lectione potiùs, quàm expoſitione eget*; ideo eius monitioni acquieſcere oportet.

ARTICVLVS OCTAVVS.

Vtrum conueniẽter à Sanctis Doctoribus ſint eſſentialia perſonis attributa.

AD octauum ſic proceditur, videtur quod inconuenienter à ſacris doctoribus ſint eſſentialia perſonis attributa: dicit enim Hilar. in 2. de Trinit. Æternitas eſt in Patre, ſpecies in imagine, vſus in munere. In quibus verbis ponit tria nomina propria perſonarum, ſcilicet nomen Patris, & nomen imaginis, quod eſt proprium Filio (vt ſupra dictum eſt) & nomen muneris, ſiuè donum, quod eſt proprium Spiritus ſancti, (vt ſupra habitum eſt.) Ponit etiam tria appropriata, nam æternitatem appropriat Patri, ſpeciem Filio, vſum Spirituiſancto; & videtur quod irrationabiliter; nam æternitas importat durationem eſſendi: ſpecies verò eſt eſſendi principium; vſus verò ad operationem pertinere videtur; ſed eſſentia, & operatio nulli perſonæ appropriari inueniuntur: ergo inconuenienter videntur iſta appropriata perſonis.

2 Præterea. Auguſt. in 1. de doctr. Chriſt. ſic dicit; In Patre eſt vnitas, in Filio æqualitas, in Spiritu ſancto æqualitatis, vnitatiſque concordia; & videtur, quod inconuenienter, quia vna perſona non denominatur formaliter per id, quod appropriatur alteri: non enim eſt ſapiens Pater ſapientia genita, vt dictum eſt; ſed ſicut ibidem ſubditur, tria hæc vnum omnia ſunt propter Patrem, æqualia omnia propter Filium, connexa omnia propter Spiritum ſanctum. Non ergo conuenienter appropriantur perſonis: item ſecundum Auguſt. Patri attribuitur potentia, Filio ſapientia, Spirituiſancto bonitas; & videtur hoc eſſe inconueniens: nam virtus ad potentiam pertinet. Virtus autem inuenitur appropriari Filio, ſecundum illud 1. ad Corinth. 1. Chriſtum Dei virtutem, & etiam Spipituiſancto, ſecundum illud Luc. 6. Virtus de illo exibat, & ſanabat omnes: non ergo potentia Patri eſt approprianda.

3 Item. Auguſt. in lib. de Trinit. dicit: Non confusè accipiendum eſt, quod ait Apoſtolus: Ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo; ex ipſo dicens, propter Patrem; per ipſum propter Filiũ; in ipſo, propter Spiritum ſanctum; ſed videtur, quod inconuenienter, quia per hoc, quod dicit in ipſo, videtur importari habitudo cauſæ finalis, quæ eſt prima cauſarum: ergo iſta habitudo cauſæ deberet appropriari Patri, qui eſt principium non de principio,

4 Item. Inuenitur veritas appropriari Filio. ſecundum illud Ioan. 14. Ego ſum via veritas, & vita; & ſimiliter liber vitæ, ſecundũ illud Pſal. 39. in capite lib. ſcriptum eſt de me gloſ. 1. apud Patrem, qui eſt caput meum, & ſimiliter hoc, quod dico, qui eſt: quia ſuper illud Iſa. 65. Ecce ego ad gentes: dicit gloſ. Filius loquitur, qui dixit Moyſi: Ego ſum, qui ſum, ſed videtur, quod propria ſint Filij, & non appropriata: nam veritas ſecundum Auguſt. in lib. de vera religione, eſt ſumma ſimilitudo principij abſque omni diſſimilitudine; & ſic videtur, quod propriè conueniat Filio, qui habet principium. Liber etiam vitæ videtur proprium aliquid eſſe, quia ſignificat ens ab alio. Omnis enim liber ab aliquo ſcribitur; hoc etiam ipſum, qui eſt, videtur eſſe proprium Filio. Quia ſi cum Moyſi dicitur: Ego ſum, qui ſum, loquitur Trinitas: ergo Moyſes poterat dicere, ille qui eſt Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus miſit me ad vos. Ergo & vlterius dicere poterat, ille qui eſt Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus miſit me ad vos, demonſtrando certam perſonam. Hoc autem eſt falſum, quia nulla perſona eſt Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus: non ergo poteſt eſſe commune Trinitati, ſed eſt proprium Filij.

Reſpondeo dicendum, quod intellectus noſter, qui ex creaturis in Dei cognitionem manuducitur, oportet quod Deum conſideret ſecundum modum, quem ex creaturis aſſumit. In conſideratione autem alicuius creaturæ, quatuor per ordinem nobis occurrunt: nam primo conſideratur res ipſa abſolutè, inquantùm eſt ens quoddam: ſecunda autem conſideratio rei eſt inquantum eſt vna: tertia conſideratio rei eſt, ſecundum quod ineſt ei virtus ad operandum, & ad cauſandum: quarta autem conſideratio rei eſt, ſecundum habitudinem, quam habet ad cauſata, vnde hæc etiam quadruplex conſideratio circa Deum nobis occurrit. Secundum igitur primam conſiderationem, qua conſideratur abſolutè Deus ſecundum eſſe ſuum, ſic ſumitur appropriatio Hilar. ſecundum quam, æternitas appropriatur Patri, ſpecies Filio, vſus Spirituiſancto. Æternitas enim inquantum ſignificat eſſe non principiatum, ſimilitudinem habet cum proprio Patris, qui eſt principium non de principio; ſpe-

ſpecies autem ſiuè pulchritudo habet ſimilitudinẽ cum proprijs Filij: nam ad pulchritudinem tria requiruntur. Primo quidem integritas, ſiuè perfectio: quæ cum diminuta ſunt, hoc ipſo turpia ſunt; & debita proportio, ſiuè conſonantia; & iterum claritas: vnde quæ habent colorem nitidũ, pulchra eſſe dicuntur.

Quãtum igitur ad primum, ſimilitudinem habet cum proprio Filij, inquantum eſt Filius habens in ſe verè, & perfectè naturam Patris: vnde ad hoc innuendum Auguſt. in ſua expoſitione dicit: vbi, ſcilicet in Filio, ſumma, & perfecta vita eſt, &c.

Quantum verò ad ſecundum, conuenit cum proprio Filij, inquantum eſt imago expreſſa Patris; vnde videmus, quod aliqua imago dicitur eſſe pulchra, ſi perfectè repræſentat rem, quamuis turpem; & hoc tetigit Auguſt. cum dicit: Vbi eſt tanta conuenientia, & prima æqualitas, &c.

Quantum verò ad tertium, conuenit cum proprio Filij, inquantum eſt verbum, quod quidem lux eſt, & ſplendor intellectus, vt Damaſcen. dicit, & hoc tangit Auguſt. cum dicit: Tanquam verbum perfectum, cui non deſit aliquid, & ars quædam omnipotentis Dei, &c. Vſus autem habet ſimilitudinem cum proprijs Spiritus ſancti, largo modo accipiendo uſum, ſecundum quod uti, comprehendit ſub ſe etiam frui, prout uti, eſt aſſumere aliquid in facultatem uoluntatis, & frui, eſt cum gaudio uti, ut Auguſt. lib. 10. de Trinit. dicit: Vſus ergo quo Pater, & Filius ſe inuicem fruuntur, conuenit cum proprio Spiritus ſancti, inquantum eſt amor; & hoc eſt, quod Auguſt. dicit, illa dilectio, delectatio felicitas, vel beatitudo, vſus ab illo appellatus eſt. vſus verò, quo nos fruimur, ſimilitudinem habet cum proprio Spiritus ſancti inquantum eſt donum; & hoc oſtendit Auguſt. cum dicit: Eſt in Trinitate Spiritus ſanctus, genitoris, genitique ſuauitas, ingenti largitate, atque vbertate nos, vel creaturas perfundens; & ſic patet, quare æternitas, ſpecies, & vſus perſonis attribuantur, vel approprientur, non autem eſſentia, vel operatio, quia in ratione horum propter ſui communitatem, non inuenitur aliquid ſimilitudinem habens cum proprijs perſonarum. Secunda verò conſideratio Dei eſt, inquantum conſideratur vt vnus; & ſic Auguſt. Patri appropriat vnitatem, Filio æqualitatem, Spiritui ſancto cõcordiam, ſiuè connexionem. Quæ quidem tria vnitatem importare manifeſtum eſt, ſed differenter: nam vnitas dicitur abſolutè, non præſupponẽs aliquid aliud; & ideò appropriatur Patri, qui nõ præſupponit aliquam perſonam, cum ſit principiũ non de principio; æqualitas autem importat vnitatem in reſpectu ad alterum: nam æquale eſt, quod habet vnam quantitatem cum alio; & ideò, æqualitas appropriatur Filio, qui eſt principium de principio. Connexio autem importat vnitatem aliquorum duorum: vnde appropriatur Spiritu ſancto, inquantum eſt à duobus, ex quo ſenſu etiã intelligi poteſt, quod dicit Auguſt. tria eſſe vnum propter Patrem, æqualia propter Filium, connexa propter Spiritum ſanctum. Manifeſtum eſt enim quod illi attribuitur vnumquodque, in quo primo inuenitur, ſicut omnia inferiora dicuntur viuere propter animam vegetabilem, in qua primo inuenitur ratio vitæ in iſtis inferioribus: vnitas autem ſtatim inuenitur in perſona Patris, etiam per impoſſibile remotis alijs perſonis; & ideò aliæ perſonæ à Patre habent vnitatem, ſed remotis alijs perſonis, non inuenitur æqualitas in Patre; ſed ſtatim poſito Filio inuenitur æqualitas; & ideò dicũtur omnia æqualia propter Filium, non quod Filius ſit principium æqualitatis Patri, ſed quia niſi eſſet Patri æqualis Filius, Pater æqualis non poſſet dici: æqualitas enim eius primo conſideratur ad Filium. Hoc enim ipſum, quod Spiritus ſanctus Patri æqualis eſt, à Filio habet. Similiter excluſo Spiritu ſancto qui eſt duorum nexus, non poſſet intelligi vnitas connexionis inter Patrem, & Filium, & ideò dicuntur omnia eſſe connexa propter Spiritum ſanctum. Quia poſito Spiritu ſancto, inuenitur ratio connexionis in diuinis perſonis: vnde Pater, & Filius poſſunt dici connexi.

Secundum verò tertiam conſiderationem, qua in Deo ſufficiens virtus conſideratur ad cauſandũ, dicitur ſumi tertia appropriatio, ſcilicet potentiæ ſapientiæ, & bonitatis. Quæ quidem appropriatio ſit, & ſecundum rationem ſimilitudinis, ſi cõſideretur, quod in diuinis perſonis eſt, & ſecundum rationem diſſimilitudinis, ſi conſideretur, quod in creaturis eſt. Potentia enim habet rationem principij: vnde habet ſimilitudinem cum Patre cæleſti, qui eſt principium totius diuinitatis. Deficit autem interdum Patri terreno propter ſenectutẽ: ſapientia verò ſimilitudinem habet cum Filio cæleſti, inquantum eſt verbum, quod nihil aliud eſt, quam conceptus ſapientiæ. Deficit autem interdum Filio terreno propter temporis paucitatem: bonitas autem cum ſit ratio, & obiectum amoris, habet ſimilitudinem cum ſpiritu diuino, qui eſt amor, ſed repugnantiam habere uidetur ad ſpiritũ terrenum, ſecundum quod importat uiolentiam quandam, & impulſionem, prout dicitur. Iſaiæ 26. Spiritus robuſtorum quaſi turbo impellens parietem: uirtus autem appropriatur Filio, & Spirituiſancto, non ſecundum quod uirtus dicitur ipſa potentia rei, ſed ſecundum quod interdum uirtus dicitur id, quod à potentia rei procedit, prout dicimus aliquod uirtuoſum factum, eſſe uirtutem alicuius agentis. Secundum uerò quartam conſiderationem, prout conſideratur Deus in habitudine ad ſuos effectus, ſumitur illa appropriatio ex quo, per quem, & in quo. Hæc enim præpoſitio, ex, importat habitudinem quandam cauſæ materialis, quæ locum non habet in diuinis. Aliquando uerò habitudinem cauſæ efficientis; quæ quidẽ competit Deo ratione potentiæ actiuæ: unde & appropriatur Patri, ſicut & potentia. Hæc uerò præpoſitio, per, deſignat quidem quandoque cauſam mediam, ſicut dicimus, quod faber operatur per martellum; & ſic ly, per, quandoque non eſt appropriatum, ſed proprium Filij, ſecundum illud

Ioann. 1.

Ioan. 1. Omnia per ipſum facta ſunt, non quia Filius ſit inſtrumentum, ſed quia ipſe eſt principium de principio. Quandoque verò deſignat habitudinem formæ, per quam agens operatur, ſicut dicimus, quod artifex operatur per artem: vnde ſicut ſapientia, & ars appropriantur Filio, ita & ly per quem. Hæc verò præpoſitio, in, denotat propriè habitudinem continentis: continet, autem Deus res dupliciter. vno modo ſecundum ſuas ſimilitudines, prout ſcilicet, res dicuntur eſſe in Deo inquantum ſunt in eius ſcientia; & ſic hoc, quod dico in ipſo, eſſet appropriatum Filio, alio verò modo continentur res à Deo, inquantum Deus ſub bonitate eas conſeruat, & gubernat, ad finem conuenientem adducendo: & ſic ly, in quo, appropriatur Spiritui ſancto, ſicut & bonitas: nec oportet, quod habitudo cauſæ finalis (quamuis ſit prima cauſarum) approprietur Patri, qui eſt principium non de principio, quia perſonæ diuinæ quarum Pater eſt principium non procedunt, vt ad finem (cũ quælibet illarum ſit vltimus finis) ſed naturali proceſſione, quæ magis ad rationem naturalis potentiæ pertinere videtur.

Ad illud verò, quod de aliis, quæritur dicendũ, quod cum veritas pertineat ad intellectum (vt ſupra dictum eſt) appropriatur Filio, non tamen eſt proprium eius. Quia veritas vt ſupra dictum eſt, conſiderari poteſt, prout eſt in intellectu, vel prout eſt in re, ſicut igitur intellectus & res, eſſentialiter ſumpta ſunt eſſentialia, & non perſonalia, ita & veritas. Diffinitio autem Auguſt. inducta datur de veritate ſecundum quod appropriatur Filio. Liber autem vitæ in recto quidem importat notitiam, ſed in obliquo vitam. Eſt enim vt ſupra dictum eſt, notitia Dei de his, qui habituri ſunt vitam æternam: vnde appropriatur Filio, licèt vita approprietur Spiritui ſancto, inquantum importat quendam interiorem motum, & ſic conuenit eum proprio Spiritus ſancti inquantũ eſt amor. Eſſe autem ſcriptum ab alio, non eſt de ratione libri inquantum eſt liber, ſed inquantum eſt quoddam artificiatum: vnde non importat originem, neque eſt perſonale, ſed appropriatur perſonæ: ipſum autem nomen, qui eſt, appropriatum perſonæ Filii, non ſecundum propriam rationem, ſed ratione adiuncti: inquantum ſcilicet, in locutione Dei ad Moyſen, præfigurabatur liberatio humani generis; quæ facta eſt per Filium; ſed tamen ſecundum quod ly, qui, ſumitur relatiuè, poſſet referri interdum ad perſonam Filii; & ſic ſumeretur perſonaliter, vtputa ſi dicat, Filius eſt genitus, qui eſt, ſicut & Deus genitus perſonale eſt; ſed infinitè ſumptum, eſt eſſentiale; & licèt hoc pronomen, iſte, grammaticè loquendo, ad aliquam certam perſonam videatur pertinere: tamen quælibet res demonſtrabilis, grammaticè loquendo, perſona dici poteſt, licèt ſecundum rei naturam non ſit perſona, dicimus enim iſte lapis, & iſte aſinus: vnde & grammaticè loquendo, eſſentia diuina ſecundum quod ſignificatur, & ſupponitur per hoc nomen Deus, poteſt demonſtrari hoc pronomine iſte, ſecundum illud Exod. 15. Iſte Deus meus, & glorificabo eum.

QVÆSTIO XL.

DE PERSONIS IN COMPARATIONE AD RELATIONES.

IN QVATVOR ARTICVLOS DIVISA.

Deinde quæritur de perſonis in comparatione ad relationes, ſiuè proprietates.

Et quæruntur quatuor.

¶ Primò, vtrum relatio ſit idem, quòd perſona.

¶ Secundò, vtrum relationes diſtinguãt. & conſtituant perſonas.

¶ Tertiò, vtrum abſtractis per intellectũ relationibus à perſonis, remaneant hypoſtaſes diſtinctæ.

¶ Quartò, vtrum relationes ſecundum intellectum, præſupponant actus perſonarum, vel è conuerſo.

FORMATIO ARTICVLI.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum relatio ſit idem, quod perſona.

Quatripartita eſt corporis diſtributio. Primò, ponit quorumdam opinionem, eorumque motiuum; Se-

Ad primum ſic proceditur, videtur quod in diuinis non ſit idem relatio, quod perſona. Quæcũque enim ſunt idẽ, multiplicato vno eorũ, multi-

cundò, eam impugnat, ex cuius impugnatione deducit cõcluſionem reſponſiuam quæſito. Et tertiò refert aliorum opinionem, quam repellit, & tãdẽ quartò, deducit corollarium, ſeruiens ad cõpletam quæſiti deciſionem.

Quò ad primum ſic ait. *Quidam enim dixerunt, proprietates, neque eſſe perſonas, neque in perſonis.*

Motiuum ſic aſſignat, dicens. *Qui fuerunt moti ex modo ſignificandi relationum &c.* Lege litteram vſquè ad illa verba, *expoſitum eſt*, incluſiuè.

Quò ad ſecundum, impugnatio eſt iſta. *Relatio ſecundùm quòd eſt quædam res in diuinis, eſt ipſa eſſentia. Eſſentia autem idem eſt quòd perſona.*

Concluſio reſponſiua quæſito, quam ex verbis immediatè relatis infert, eſt iſta. *Oportet, quòd relatio ſit idem, quòd perſona.*

Quò ad tertium, refert opinionem circa identitatem relationis cum perſona, ſic dicens. *Hanc igitur identitatem alij conſiderantes, dixerunt, proprietates quidem eſſe perſonas, non autem in perſonis.*

Motiuum huius dicendi modi, ſic aſſignat, dicens; *Quia non ponebant proprietates in diuinis niſi ſecundùm modum loquendi.*

Impugnat autem hanc opinionem ſic. *Neceſſe eſt autem ponere proprietates in diuinis, vt ſupra oſtendimus, quæ quidem ſignificantur in abſtracto, vt quædam formæ perſonarum.* Ergo.

Quò ad quartum, corollariũ eſt illud. *Vnde cum de ratione formæ ſit &c.* Lege litteram vſquè ad finem corporis.

multiplicatur & aliud; ſed cõtingit in vna perſona eſſe plures relationes, ſicut in perſona Patris eſt paternitas, & communis ſpiratio; & iterũ vnã relationẽ in duabus perſonis eſſe, ſicut cõmunis ſpiratio eſt in Patre, & Filio: ergo relatio non eſt idem quod perſona.

2 Præterea. Nihil eſt in ſeipſo ſecundum Philoſophum in 4. phyſic. ſed relatio eſt in perſona; nec poteſt dici, quod ratione identitatis, quia ſic eſſet etiam in eſſentia: ergo relatio, ſiuè proprietas, & perſona non ſunt idem in diuinis.

3 Præt. Quæcũquè ſunt idẽ, ita ſe habẽt, quod quicquid prædicatur de vno, prædicatur & de alio: nõ autẽ quicquid prædicatur de perſona, prædicatur de proprietate. Dicimus enim, quod Pater generat, ſed nõ dicimus, quod paternitas ſit generãs: ergo proprietas nõ eſt idem, quod perſona in diuinis.

Sed contra, in diuinis non differunt, quod eſt, & quo eſt, vt habetur à Boet. in lib. de hebdom. ſed Pater paternitate eſt Pater; ergo Pater idem eſt, quod paternitas, & eadem ratione aliæ proprietates idem ſunt cum perſonis.

Reſpondeo dicendum, quod circa hoc aliqui diuerſimodè opinati ſunt: quidam enim dixerunt proprietates, neque eſſe perſonas neque in perſonis. Qui fuerunt moti ex modo ſignificandi relationũ, quæ quidem non ſignificant, vt in aliquo, ſed magis, vt ad aliquid: vnde dixerunt relationes eſſe aſſiſtentes, ſicut ſupra expoſitum eſt; ſed quia relatio ſecundum quod eſt quædam res in diuinis, eſt ipſa eſſentia: eſſentia autem idem eſt, quod perſona (vt ex dictis patet) oportet, quod tunc relatio ſit idem, quod perſona. Hanc igitur identitatem alij conſiderantes, dixerunt proprietates quidem eſſe perſonas; non autem in perſonis, quia non ponebant proprietates in diuinis, niſi ſecundum modum loquendi, vt ſupra dictum eſt; neceſſe eſt autem ponere proprietates in diuinis, vt ſupra oſtendimus. Quæ quidem ſignificantur in abſtracto, vt quædam formæ perſonarum: vnde cum de ratione formæ ſit, quod ſit in eo, cuius eſt forma, oportet dicere proprietates eſſe in perſonis, & eas tamen eſſe perſonas, ſicut eſſentiam eſſe in Deo dicimus, quæ tamen eſt Deus.

Ad primũ ergo dicendũ, quod perſona, & proprietas ſunt idem re, differunt tamen ſecundũ rationem: vnde non oportet, quod multiplicato vno multiplicetur reliquum. Conſiderandum tamen eſt, quod propter diuinam ſimplicitatem conſideratur duplex realis identitas in diuinis, eorum quæ differunt in rebus creatis. Quia enim diuina ſimplicitas excludit compoſitionem formæ, & materiæ, ſequitur quod in diuinis idem eſt abſtractũ, & concretum, vt deitas, quod Deus: quia verò diuina ſimplicitas excludit compoſitionem ſubiecti, & accidentis, ſequitur quod quicquid attribuitur Deo, eſt eius eſſentia; & propter hoc ſapientia, & virtus idem ſunt in Deo, quia ambo ſunt in diuina eſſentia; & ſecundum hanc duplicem rationem identitatis, proprietas in diuinis eſt idem cũ perſona: nã proprietates perſonales ſunt idẽ cum perſonis, ea ratione qua abſtractum eſt idem cum concreto.

Sunt

Ad primum argumentum reſpondet, diſtinguendo, ſeù potiùs explicando maiorem. *Quæcumquè ſunt idem* re, & ratione, *multiplicato vno eorum, multiplicatur & aliud*, concedit maiorem. *Quæcumquè ſunt idem re, differunt tamen ratione, multiplicato vno eorum, multiplicatur & aliud*, negat maiorem. Tunc conceſſa minori, negat conſequentiam. Lege litteram.

Ad ſecundum argumentum reſpondet, diſtinguendo, ſeù potiùs explicando maiorem. *Nihil eſt in ſe ipſo*, vt diſtinctum à ſe, concedit maiorem; vt idem ſibi, ſeù per modum identitatis, negat maiorem. Similiter diſtinguenda, ſeù potiùs explicanda eſt minor, & neganda eſt conſequentia. Et ad impugnationem, diſtinguit, ſeù explicat antecedens; Sic eſſet in eſſentia, per modum identitatis tantùm, in perſonis autem per modum identitatis, ſecundùm rem, & ſecundùm modum ſignificandi, concedit antecedens. Vtrobiquè eodem modo, negat antecedens. Ergo &c. negat cõſequentiam; *quia proprietates dicũtur eſſe in diuinis &c.*

Ad

Sunt enim ipſæ perſonæ ſubſiſtentes, vt paternitas eſt ipſe Pater & filiatio Filius, & proceſſio, Spiritus ſanctus. Proprietates autem non perſonales ſunt idem cum perſonis, ſecundum aliam rationem identitatis, quia illud, quod attribuitur Deo, eſt eius eſſentia. Sic igitur communis ſpiratio, eſt idem cum perſona Patris, & cum perſona Filij, non quod ſit vna perſona per ſe ſubſiſtens; ſed ſicut vna eſſentia eſt in duabus perſonis, ita & vna proprietas, vt ſupra dictum eſt.

Ad ſecundum dicendum, quod proprietates dicuntur eſſe in eſſentia, per modum identitatis tantum: in perſonis autem dicuntur eſſe per modum identitatis, non quidem ſecundum rem tantum, ſed quantum ad modum ſignificandi, ſicut forma in ſuppoſito; & ideò proprietates determinant, & diſtinguunt perſonas, non autem eſſentiam.

Ad tertium dicendum, quod participia, & verba notionalia, ſignificant actus notionales: actus autem ſuppoſitorum ſunt; proprietates autem non ſignificant vt ſuppoſita, ſed vt formæ ſuppoſitorum; & ideò modus ſignificandi repugnat, vt participia, & verba notionalia de proprietatibus prædicentur.

Ad tertium argumentum reſpondet, diſtinguēdo, ſeù explicando maiorem. *Quæcumquè ſunt idem* ſecundùm rem, & ſecundùm modum ſignificandi, *ita ſe habent, quòd quidquid prædicatur de vno, prædicatur & de alio,* concedit maiorē. *Quæcumquè ſunt idem,* ſecundùm rem, & nō ſecundùm modum ſignificandi, *ita ſe habent &c.* negat maiorem. Tunc conceſſa minori, negat conſequentiam.

SVPER ARTICVLVM COMMENTARIVM.

1 QVIDAM *enim dixerunt, proprietates nequè eſſe perſonas, nequè in perſonis.* Huius opinionis author fuit Porretanus, quæ opinio ſi non ſupponit perſonam eſſe identificatam eſſentiæ, debet referri hoc modo. Relatio eſt perſona, non autem eſſentia. Si autem ſupponat perſonam eſſe eſſentiæ diuinæ identificatam, debet referri, hoc modo, videlicet, relatio non eſt perſona. Vnde D. Thomas hìc refert Porretani opinionē hoc ſecundo modo; quia ſupponit iam ex quæſt. præced. art. 1. probatū, quòd perſona diuina, & eſſentia identificantur: in eadem autem quæſt. & art. cir. refert Porritani opinionem primo modo; quia ibi quærit, & non ſupponit, ſed probat perſonam diuinam, & eſſentiam eſſe idem ſecundùm rem. Vide Caietanum hìc. Caiet.

2 *Alij dixerunt, proprietates quidem eſſe perſonas, non autem in perſonis.* Huius opinionis author fuit Præpoſitiuus, nolens admittere terminos abſtractos in diuinis, ſed tantummodo concretos.

Oportet dicere proprietates eſſe in perſonis. Explica cum Caietano ly, *in*, non *intranſitiuè*, quia ſenſum faceret, quòd proprietates ſunt perſonæ, non autem, quòd ſunt in perſonis; ſed *tranſitiuè*, non tranſitione ſecundùm rem, quia abſtractum, & contretum in diuinis nulla reali diſtinctione diſtinguuntur, ſed *tranſitiuè*, ſecundùm rationem, & adde, non ſecundùm diuerſam formalitatem obiectiuam, ſed ſecundùm diuerſum eiuſdē formalitatis ſignificandi modum. Caiet.

FORMATIO ARTICVLI.

QVatripartita eſt corporis diſtributio. Primò, prælibat duo, quę ſtatū diſputationis explicāt. Secūdò, refet quorūdā opinionem cū motiuo ipſorum. Tertiò, relatam opinionē duplici ratione impugnat. Ex quarū prima, infert cōcluſionē reſpōſiuā quęſito abſolutè;

ARTICVLVS SECVNDVS.

Vtrum perſonæ diſtinguantur per relationes.

AD ſecundum ſic proceditur, videtur quod perſonę non diſtinguantur per relationes: ſimplicia enim ſeipſis diſtinguūtur; ſed perſonæ ſunt maximè ſimplices: ergo diſtinguūtur ſeipſis, & nō relationibus.

2 Præterea. Nulla forma diſtinguitur, niſi ſecundū ſuū genus: nō enim album à nigro diſtinguitur niſi ſecundum qualitatem: ſed hypoſtaſis ſignificat

ex quarum ſecunda, infert concluſionem comparatiuè ad præcedentem opinionẽ. Et quarto, infert corollarium.

Quò ad primum præmittit primò motiuum quæſiti, & ſic ait. *In quibuſcumquè pluribus inuenitur aliquid commune &c.* Lege litteram vſque ad illa verba, *quod plures ſunt*, incluſiuè.

Secundò, præmittit duo eſſe in diuinis, ſecundùm quæ habetur diſtinctio realis, & inter ea diſcrimen ponit; & explanat, ſic dicens. *Inueniuntur autem in diuinis perſonis duo &c.* Lege litterã, vſquè ad illa verba, *vt paternitas*.

Quò ad ſecundũ, ſic ait. *Quidam igitur attendentes, quòd relatio &c.* Lege litterã vſquè ad illa verba, *per materialia principia*, incluſiuè.

Quò ad tertium, expellit præcedentẽ opinionem dicens, *ſed hoc non poteſt ſtare propter* duo.

Prima ratio cõtra præfatam opinionẽ eſt iſta. *Primò quidẽ*, inquit, *quia ad hoc, quod aliqua duo &c.* Lege litterã, vſquè ad illa verba, *vnde cum in eſſentia conueniant*, incluſiuè.

Concluſio abſolutè reſponſiua quæſito, ex prima ratione deducta, eſt iſta. *Relinquitur, quòd per relationes, perſonæ ab inuicem diſtinguantur.*

Secunda ratio eſt iſta. *Contra rationem originis eſt, quòd conſtituant hypoſtaſim, vel perſonam.* Ergo *hoc nõ poteſt ſtare.* Probat antecedens; quia origo

ſignificat indiuiduum in genere ſubſtantiæ; non ergo relationibus hypoſtaſes diſtingui poſſunt.

3 *Præterea. Abſolutum eſt prius quam relatiuum, ſed prima diſtinctio eſt diſtinctio diuinarũ perſonarum: ergo diuinæ perſonæ non diſtinguuntur relationibus.*

4 *Præterea. Id, quod præſupponit diſtinctionem, non poteſt eſſe primum diſtinctionis principium; ſed relatio præſupponit diſtinctionem, cum in eius diffinitione ponatur: eſſe enim relatiui eſt ad aliud ſe habere: ergo primum principium diſtinctiuum in diuinis non poteſt eſſe relatio.*

Sed contra eſt, quod Boet. dicit in lib. de Trinitate, quod ſola relatio multiplicat Trinitatem diuinarum perſonarum.

Reſpondeo dicendum, quod in quibuſcunque pluribus inuenitur aliquid commune, oportet quærere aliquid diſtinctiuum: vnde cum tres perſonæ conueniant ſecundum eſſentiæ vnitatem, neceſſe eſt quærere aliquid, quo diſtinguantur ad hoc, quod plures ſint. Inueniuntur autem in diuinis perſonis duo, ſecundum quæ differunt, ſcilicet origo, & relatio. Quæ quidem quamuis re non differant, differunt tamen ſecundum modum ſignificandi: nam origo ſignificatur per modum actus, vt generatio; relatio verò per modum formæ, vt paternitas. Quidam igitur attendentes, quod relatio conſequitur actum, dixerunt quod hypoſtaſes in diuinis diſtinguuntur per originem, vt dicamus, quod Pater diſtinguitur à Filio, inquantum ille generat, & hic eſt genitus. Relationes autem ſiuè proprietates manifeſtant conſequenter hypoſtaſim, ſiuè perſonarum diſtinctiones, ſicut & in creaturis proprietates manifeſtant diſtinctiones indiuiduorum, quæ fiunt per materialia principia; ſed hoc non poteſt ſtare propter duo. Primo quidem, quia ad hoc, quod aliqua duo diſtincta intelligantur, neceſſe eſt eorum diſtinctionem intelligi per aliquid intrinſecum vtrique, ſicut in rebus creatis, vel per materiam, vel per formam. Origo autem alicuius rei non ſignificatur, vt aliquid intrinſecum, ſed vt via quædam à re, vel ad rem: ſicut generatio ſignificatur, vt via quædam ad rẽ genitam, & vt progrediens à generante: vnde nõ poteſt eſſe, quod res genita, & generans diſtinguantur ſola generatione: ſed oportet intelligere tam in generante, quam in genito, ea quibus abinuicem diſtinguuntur. In perſona autem diuina non eſt aliud intelligere, niſi eſſentiam, & relationem, ſiuè proprietatem; vnde cum in eſſentia conueniant, relinquitur quod per relationes perſonæ abinuicem diſtinguãtur. Secundo, quia diſtinctio in diuinis perſonis non eſt ſic intelligenda, quaſi aliquid commune diuidatur, quia eſſentia communis remanet indiuiſa, ſed oportet quod ipſa diſtinguentia conſtituant res diſtinctas. Sic autem relationes, vel proprietates diſtinguunt, vel conſtituunt hypoſtaſes, vel perſonas, inquantum ſunt ipſæ perſonæ ſubſiſtentes, ſicut paternitas eſt Pater, & filiatio eſt Filius, eo quod in diuinis non differunt abſtractum, & concretum; ſed contra rationem originis eſt, quod conſtituat hypoſtaſim, vel perſonam. Quia

actiuè ſignificata, ſignificatur, vt progrediens à perſona ſubſiſtente. Vnde præſupponit eam. Origo autem paſſiuè ſignificata (vt natiuitas) ſignificatur vt via ad perſonam ſubſiſtentem, & nondùm, vt eam cõſtituens. Ergo *contra rationẽ originis eſt &c.* Probat conſequentiam; quia *ſic relationes, vel proprietates diſtinguunt, vel conſtituũt hypoſtaſes, vel perſonas, inquantùm ſunt ipſæ perſonæ ſubſiſtentes.* Lege litteram vſquè ad ly, *& concretum*; Ergo bona eſt conſequentia. Probat antecedens; quia *diſtinctio in diuinis perſonis non eſt ſic intelligenda, quaſi aliquid cõmune diuidatur, quia eſſentia communis remanet indiuiſa, ſed oportet quòd ipſa diſtinguentia, conſtituant res diſtinctas* Ergo.

Concluſio comparatiuè ad præcitatam opinionem reſponſiuam quæſito, eſt iſta. *Vnde meliùs dicitur, quòd perſonæ, ſeù hypoſtaſes diſtinguãtur relationibus, quàm per originem.*

Et probat ſic; quia, *Licèt diſtinguantur vtroquè modo, tamen prius, & principaliùs per relationes ſecundùm modum intelligendi.*

Quò ad quartum, ponit corollarium, illudquè probat.

Corollarium eſt iſtud. *Vnde hoc nomẽ, Pater, non ſolùm ſignificat proprietatem, ſed etiam hypoſtaſim; ſed hoc nomen, Genitor, vel generans, ſignificat tantùm proprietatem.* Probat autẽ ſic; *Quia hoc nomen, Pater, &c.* Lege litteram vſquè ad finem corporis.

Ad

Digitized by Google

Quia origo actiuè ſignificata, ſignificatur vt progrediens à perſona ſubſiſtente, vnde præſupponit eam. Origo autem paſſiuè ſignificata (vt natiuitas) ſignificatur vt via ad perſonam ſubſiſtentem, & nondum vt eam conſtituens: vnde melius dicitur, quod perſonæ, ſeù hypoſtaſes diſtinguantur relationibus, quam per originem. Licèt enim diſtinguantur vtroque modo, tamen prius, & principalius per relationes ſecundum modum intelligendi: vnde hoc nomen Pater, non ſolum ſignificat proprietatem, ſed etiam hypoſtaſim; ſed hoc nomen genitor, vel generans, ſignificat tantum proprietatem: quia hoc nomen Pater, ſignificat relationem, quæ eſt diſtinctiua, & conſtitutiua hypoſtaſis. Hoc autem nomen generans, vel genitus, ſignificat originem, quæ non eſt diſtinctiua, & conſtitutiua hypoſtaſis.

Ad primum ergo dicendum, quod perſonæ ſunt ipſæ relationes ſubſiſtentes: vnde non repugnat ſimplicitati diuinarum perſonarum, quod relationibus diſtinguantur.

Ad ſecundum dicendum, quod perſonæ diuinæ non diſtinguuntur in eſſe, in quo ſubſiſtunt, neque in aliquo abſoluto, ſed ſolum ſecundum id, quod ad aliquid dicuntur: vnde ad earum diſtinctionem ſufficit relatio.

Ad tertium dicendum, quod quanto diſtinctio prior eſt, tanto propinquior eſt vnitati; & ideò debet eſſe minima; & ideò diſtinctio perſonarum non debet eſſe niſi per id, quod minimum diſtinguit, ſcilicet per relationem.

Ad quartum dicendum, quod relatio præſupponit diſtinctionem ſuppoſitorum, quando eſt accidens; ſed ſi relatio ſit ſubſiſtens, non præſupponit, ſed ſecum fert diſtinctionem. Cum enim dicitur, quod relatiui eſſe, eſt ad aliud ſe habere, per ly aliud, intelligitur correlatiuum, quod non eſt prius, ſed ſimul natura.

Ad primum argumentum reſpondet, diſtinguendo, ſeù explicando maiorem. *Simplicia ſeipſis*, ideſt, non aliquo alio à ſe realiter diſtincto *diſtinguuntur*, concedit maiorem. *Se ipſis*, vt cõcretè ſignificatis, & non vt abſtractè, *diſtinguuntur*, negat maiorem. Tunc cõceſſa minori, negat conſequentiã. Vel ſimiliter diſtinguendum eſt conſequens.

Ad ſecundum argumentum reſpondet, & reſponſio in hac forma proponitur, concedendo maiorem, & diſtinguẽdo, ſeù potiùs explicando minorem. *Sed hypoſtaſis* (loquimur de hypoſtaſi diuina) *ſignificat indiuiduum* relatiuum *in genere ſubſtantiæ*, concedit minorem. *Significat indiuiduum* abſolutum *in genere ſubſtãtiæ*, negat minorem. Ergo &c. negat conſequentiam; & rationem negationis aſſignat; quia *perſonæ diuinę non diſtinguũtu in eſſe &c.* Legę litteram.

Ad tertiũ argumẽtũ reſpõdet, & reſpõſio in hac forma proponitur, diſtinguẽdo maiorẽ. *Abſolutũ eſt prius, quã relatiuũ*, quò ad rationẽ eſſẽdi, cõcedit maiorem. Quò ad rationẽ diſtinguẽdi, negat maiorẽ. Ad minorẽ, *ſed prima diſtinctio &c.* adhùc diſtinguit minorẽ. *Sed prima diſtinctio* ideſt, diſtinctio ꝓpinquior vnitati quę eſt minima diſtinctio, *eſt diſtinctio diuinarũ perſonarũ*, cõcedit maiorẽ. *Sed prima diſtinctio*, ideſt, maior diſtinctio, magiſquè à prima vnitate recedens, quę dicitur maxima diſtinctio, *eſt diſtinctio diuinarũ perſonarũ*, negat minorẽ. Ergo &c. negat cõſequẽtiã. Et rationem aſſignat; cò quia *quanto diſtinctio prior eſt &c.* Lege litteram.

Ad quartũ argumẽtũ reſpõdet, cõcedẽdo maiorẽ, & diſtinguẽdo, ſeù explicãdo minorem. *Sed relatio, quãdo eſt accidens, præſupponit diſtinctionem*, cõcedit minorẽ. *Sed relatio*, quãdo eſt ſubſiſtens, *præſupponit diſtinctionẽ*, negat minorẽ; Ergo &c. negat cõſequẽtiam. Et per idem patet ad minoris probationem.

SVPER ARTICVLVM COMMENTARIVM.

1 *INueniuntur in diuinis perſonis duo, ſecundùm quæ differunt, ſcilicet, origo, & relatio. Origo, & relatio in diuinis perſonis, ſunt duo*, non entitatiuè; ſed quò ad modum ſignificandi, ideſt, origo ſignificata vt origo; & relatio diuina ſignificata vt relatio, non ſecundùm præciſam rationem ad, ſed quatenùs cõcipitur vt forma hypoſtatica. Vnde D. Thomas ſubdit ſic. *Quæ quidem, quamuis re non differant, differunt tamen ſecundum modum ſignificandi.*

2 *Nam origo ſignificatur per modum actus*, ideſt, actionis, *vt generatio. Relatio verò per modum formæ*, non dicit, relatio verò eſt forma; quia ſi relatio eſſet verè, & propriè forma relatiua, eſſet verè, & propriè actus relatiuus; ac proinde, eſſet in via D. Thomæ iam decisa illa controuerſia, Vtrum ſcilicet, relatio in diuinis dicat perfectionem. Omnis enim

actus

Digitized by Google

actus eſt perfectio; ac perconſequens, ſi relatio eſt propriè forma, eſſet ex ſe propriè perfectio relatiua, ſed dicit per modum formæ, vt paternitas, ſeù per modum abſtracti.

3 *Quidam igitur attendentes, quòd relatio conſequitur actum, dixerunt &c. attendentes*, ideſt, non ad aliud attendentes, niſi ad hoc, quòd relatio ſecundùm aliquod eius munus conſequitur actum, non autem omnia eius munera attentè conſiderantes; quoniam ſi percepiſſent relationem perſonalem in diuinis eſſe veluti formam hypoſtaticam, vtiquè non dixiſſent perſonas diſtingui per origines, ſed per relationes.

4 *Neceſſe eſt eorum diſtinctionem intelligi per aliquid intrinſecum vtriquè*. Ly, *intrinſecum*, dupliciter verificari debet; primò quidē, vt dicatur intrinſecum conceptibiliter, ideſt, vt ſit de intrinſeco rei conſtitutæ conceptu. Secundò verò, vt idem ſit intrinſecum, ac fixum, ſeù permanens, pro vt diſtinguitur à formalitate viali, ſeù per modum viæ, & tendentiæ. Patet hoc, exemplo à D. Thoma poſito, *ſicut*, inquit, *in rebus creatis, vel per materiam, vel per formam*: in rebus autem creatis, tàm materia, quàm forma, vtroquè modo reſpectu rei per ipſas conſtitutæ dicuntur intrinſecæ.

5 *Origo autem alicuius rei, non ſignificatur vt aliquid intrinſecum, ſed vt via quædam à re, vel ad rem*. Verba hæc præcedentem manifeſtant expoſitionem. Nam generatio v.g. nequè eſt intrinſeca perſonæ generanti, quaſi ſit illius perſonæ conſtitutiua, cum ſit via generantis ad rem genitam; nequè vt forma in generante permanens, ſed vt manēs in generante, quaſi via ipſum ad rem genitam ducens.

6 *In perſona autem diuina non eſt aliud intelligere, niſi eſſentiam, & relationem, ſiuè proprietatem*. Subaudi, ſuppoſita originis excluſione à ratione intrinſecè diſtinctiui.

7 *Diſtinctio in diuinis perſonis, non eſt ſic intelligenda, quaſi aliquid commune diuidatur, quia eſſentia communis remanet indiuiſa, ſed oportet, quòd ipſa diſtinguentia conſtituant res diſtinctas*. Mira res; Ineffabile Trinitatis myſterium pro captu humanæ mentis, ne dicam Angelicæ, mirabiliter, ac eleganter explanat. Diſtinctio realis eſt inter diuinas perſonas; & omnes tres perſonæ ſunt vnius eſſentiæ, imò vna ſecundùm rem eſſentia communis; Quomodo ergo adueniunt membra diſtinguentia? Reſpondet, quòd non debent diuina, humana ratione rimari; in rebus creatis ita res ſe habet, quòd aduenit differentia generi, & diuidēdo genus, conſtituit naturas ſpecificè differentes. Et ratio indiuidualis diuidit ſpeciē athomam, & conſtituit plura numero differentia ſub ea: at verò, non ſic, non ſic in Deitate diſcurritur; eſt enim vna communis eſſentia diuina, adueniunt membra diſtinguentia perſonas, & ipſa ſemper remanet indiſtincta, & indiuiſa. Eò quia, vt verba D. Thomæ monent, *diſtinctio in diuinis perſonis non eſt ſic intelligenda, quaſi aliquid commune diuidatur; quia eſſentia communis remanet indiuiſa; ſed oportet, quòd ipſa diſtinguentia conſtituant res diſtinctas*.

8 *Sed oportet quòd ipſa diſtinguentia conſtituant res diſtinctas*. Ex hoc habes, quòd hæc particula, res, non ſolùm dicit aliquid abſolutum, verum etiam aliquid relatiuum; per hoc, quod docet dari in diuinis tres res. Hoc idem admonuit ſupra, quæſt. 39. art. 3. ad 3. & art. 5. ad. 5.

9 *Sed oportet, quòd ipſa diſtinguentia conſtituant res diſtinctas*. Ly, *diſtinctas*, non debet intelligi præſuppoſitiuè, quaſi res præſupponantur eſſe diſtinctæ, ſed conſtitutiuè. Et ſenſus eſt, quòd ipſa diſtinguentia conſtituunt diſtinctionem.

10 *Sic autem relationes, vel proprietates diſtinguunt, vel conſtituunt*. Ly, *vel conſtituunt*, non accipitur diſiunctiuè omninò, ſed explicatiuè, quaſi diceret, per quod res conſtituuntur, per id ab alijs quibus relatiuè opponuntur, diſtinguuntur.

11 *Sic autem relationes, vel proprietates diſtinguunt, vel conſtituunt hypoſtaſes, vel perſonas, in quantùm ſunt ipſæ perſonæ ſubſiſtentes*. Hanc propoſitionē ſic intelligenda eſt. Sic autem relationes, vel proprietates diſtinguunt, vel conſtituunt hypoſtaſes, non quaſi intendat aſſumere, quòd relationes, ſeù proprietates conſtituant hypoſtaſes, vel perſonas; & ex hoc ſic abſolutè aſſumpto hanc inferat concluſionem, nimirum, ergo relationes diſtinguunt, vel conſtituunt hypoſtaſes; quoniam peteret principium; aſſumeretquè probandum: ſed ſic, videlicet, relationes, vel proprietates non attenduntur vt præcedentis opinionis putabant authores, taliter quòd conſequantur actum dumtaxat; ſed ſic etiam ſe habent vt diſtinguant, vel conſtituant hypoſtaſes, vt prima probauerat ratio, in quantùm ſunt ipſæ perſonæ ſubſiſtentes: origo autem non ſic, ſed vt via quędam à re, vel ad rem; ac proinde contra rationem originis eſt, quòd conſtituat hypoſtaſim, vel perſonam. *Vnde melius dicitur*, facta inter originem, & relationes comparatione, *quòd perſona, ſeu hypoſtaſes diſtinguātur relationibus, quā per originē*.

Licet

12 *Licèt enim diſtinguantur vtroquè modo, tamen priùs, & principaliùs per relationes ſecundùm modum intelligendi*. Verba hæc præcedentem expoſitionem in manifeſto ponunt. Et per ea inſinuat vtrumquè diſtinguendi modum, originis ſcilicet, & relationum, & præfert modum diſtinguendi, qui eſt per relationem, ſecũdùm quòd ſcilicet, conſideratur per modum formæ hypoſtaticæ, ei qui eſt per originem.

13 In reſponſ. ad 2. *Perſonæ diuinæ non diſtinguuntur in eſſe in quo ſubſiſtunt*. Ideſt, in eſſe eſſentiæ, in quo ſubſiſtunt per vnicam ſubſiſtentiam abſolutam; ſed non per hoc excluduntur ſubſiſtentiæ relatiuæ; quoniam etiam verum eſt dicere, cum ſubſiſtentiæ relatiuę, non ſint tantum affixæ, ſed etiam identificatæ cum eſſentia diuina, non diſtinguuntur in eſſe eſſentiæ diuinæ in quo ſubſiſtunt.

14 In reſp. ad 3. *Quanto diſtinctio prior eſt, tantò propinquior eſt vnitati. Et ideo debet eſſe minima diſtinctio diuinarum perſonarum*. Dicitur prior, nõ ſecundùm illam regulam, ideſt, *primum in vnoquoque genere eſt cauſa cæterorum*; quoniam illa intelligitur de eo, quod eſt primum ac magis tale in illo genere. Sicut Deus v. g. dicitur primum ens, quia dicitur magis ens, cum ſit ens per eſſentiam quàm cæteræ creaturæ, cum ſint entia per participationẽ. Et ſic verum eſt, quod primum in vno quoque genere eſt cauſa cæterorum. Et ſic de ſingulis ſimilibus diſcurrendo. Dicitur ergo prior, prioritate exiſtentiæ, & nobilitatis, non maioritate diſtinctionis; quoniam, quantùm ad hoc, non ſolùm non eſt maxima, ſeù maior, ſed potiùs eſt omnium diſtinctionum minima; cum ſit maximę vnitati vicinior.

ARTICVLVS TERTIVS.

Vtrum abſtractis per intellectum relationibus à perſonis, adhùc remaneant hypoſtaſes.

FORMATIO ARTICVLI.

QVatripartita eſt corporis diſtributio. Primò, ponit duplicem intellectus abſtractionem, & inter vtramquè aſſignat diſcrimen. Secundò, præmittit vnũ pro quęſiti deciſione. Tertiò, reſpondet quæſito duplici concluſione, eamquè probat. Et quartò, quorumdam refert opinionem eum fundamento eiuſdem, & eam dupliciter impugnat.

Quò ad primũ diſtinctio eſt iſta. *Duplex eſt abſtractio per intellectum. Vna quidem &c.*

Diſcrimen inter vtrãquè ſic aſſignat. *Inter has autem abſtractiones hęc eſt differẽtia.*

AD tertium ſic proceditur, *videtur quod abſtractis per intellectum proprietatibus, ſeù relationibus à perſonis, adhuc remanent hypoſtaſes. Id enim ad quod aliquid ſe habet ex additione, poteſt intelligi remoto eo, quod ſibi additur. Sicut homo ſe habet ad animal ex additione, & poteſt intelligi animal remoto rationali; ſed perſona ſe habet ex additione ad hypoſtaſim. Eſt enim perſona hypoſtaſis proprietate diſtincta ad dignitatem pertinens: ergo remota proprietate perſonali à perſona, intelligitur hypoſtaſis.*

2 *Præterea. Pater non ab eodem habet, quod ſit Pater, & quod ſit aliquis: cum enim paternitate ſit Pater, ſi paternitate eſſet aliquis: ſequeretur, quod Filius in quo non eſt paternitas, non eſſet aliquis. Remota ergo per intellectum paternitate à Patre, adhùc remanet, quod ſit aliquis, quod eſt eſſe hypoſtaſis: ergo remota proprietate à perſona remanet hypoſtaſis.*

3 *Præterea. Auguſt. dicit lib. 5. de Trinitate. Non hoc eſt dicere ingenitum, quod eſt dicere Patrem: quia ſi Filium non genuiſſet, nihil prohiberet eum dicere ingenitum, ſed ſi Filium non genuiſſet, non ineſſet ei paternitas: ergo remota paternitate adhuc remanet hypoſtaſis Patris, vt ingenita.*

Sed contra eſt, quod Hilar. dicit lib. 4. de Trinit. Nihil habet Filius niſi natum: natiuitate autem eſt Filius: ergo remota filiatione non remanet hypo-

Lege litteram vſquè ad illa verba, *& intellectus æris*, incluſiuè.

Quò ad ſecundũ, ſic ait. *Quamuis autẽ in diuinis non ſit vniuerſale &c.* Lege litterã vſquè ad illa verba *particulare verò hypoſtaſis*, incluſiuè.

Quò ad tertium prima concluſio eſt iſta. *Si igitur loquamur de abſtractione, quę ſit ſecundùm vniuerſale, & particulare, remotis proprietatibus remanet in intellectu eſſentia communis, non autẽ hypoſtaſis Patris, quæ eſt quaſi particulare.*

Secunda concluſio eſt bimembris, & eſt iſta. *Si loquamur ſecundùm modum abſtractionis formæ à materia, remotis proprietatibus non perſonalibus, remanet intellectus hypo-*

poſtaſum, & perſonarũ, ſed remota proprietate perſonali per intellectũ, tollitur intellectus hypoſtaſis.

Primam concluſionem relinquit ex ipſa ratione terminorum notam.

Secundam quò ad primum membrum, ſic ſuadet. *Sicut remoto per intellectum à Patre, quòd ſit ingenitus, vel ſpirans, remanet hypoſtaſis, vel perſona Patris.*

Secundum verò cõcluſionis membrum ſic probat. *Non enim proprietates perſonales ſic intelliguntur aduenire &c.* Lege litterã vſquè ad illa verba, *non remaneant hypoſtaſes*, incluſiuè.

Quò ad quartum, ſic opinionẽ refert. *Sed aliqui dicunt quòd hypoſtaſes in diuinis non diſtinguuntur per relationes, ſed per ſolam originem.*

Motiuum, ſeù explanatio huius opinionis eſt propter hoc, *vt intelligatur Patrem eſſe &c.* Lege litteram vſquè ad illa verba, *ſed non perſonæ*, incluſiuè.

Impugnat autem dupliciter hanc opinionem ſic dicens. *Sed hoc non poteſt eſſe propter duo. Primò, quia relationes &c.* Lege litteram vſquè ad finem corporis.

hypoſtaſis Filij; & eadem ratio eſt de alijs perſonis.

Reſpondeo dicẽdum, quod duplex ſit abſtractio per intellectum, vna quidem ſecundum quod vniuerſale abſtrahitur à particulari, vt animal ab homine: alia verò ſecundum quod forma abſtrahitur à materia. Sicut forma circuli abſtrahitur per intellectum ab omni materia ſenſibili.

Inter has autem abſtractiones hæc eſt differentia, quod in abſtractione, quæ fit ſecundum vniuerſale, & particulare non remanet id, à quo fit abſtractio. Remota enim ab homine differentia rationali, non remanet in intellectu homo, ſed ſolum animal.

In abſtractione verò quæ attenditur ſecundum formam à materia, vtrumque manet in intellectu: abſtrahendo enim formam circuli ab ære, remanet ſeorſum in intellectu noſtro, & intellectus circuli, & intellectus æris: quamuis autem in diuinis non ſit vniuerſale, neque particulare, nec forma, & materia ſecundum rem, tamen ſecundum modum ſignificandi inuenitur aliqua ſimilitudo horum in diuinis, ſecundum quem modum Damaſcenus dicit, quod commune eſt ſubſtantia, particulare verò hypoſtaſis. Si igitur loquamur de abſtractione, quæ fit ſecundum vniuerſale, & particulare, remotis proprietatibus, remanet in intellectu eſſentia communis, non autem hypoſtaſis Patris, quæ eſt quaſi particulare. Si verò loquamur ſecundum modum abſtractionis formæ à materia, remotis proprietatibus non perſonalibus remanet intellectus hypoſtaſum, & perſonarum. (Sicut remoto per intellectum à Patre, quod ſit ingenitus, vel ſpirans, remanet hypoſtaſis, vel perſona Patris;) ſed remota proprietate perſonali per intellectum, tollitur intellectus hypoſtaſis. Non enim proprietates perſonales, ſic intelliguntur aduenire hypoſtaſibus diuinis, ſicut forma ſubiecto præexiſtenti, ſed ferunt ſecum ſua ſuppoſita, inquantum ſunt ipſæ perſonæ ſubſiſtentes, ſicut paternitas eſt ipſe Pater. Hypoſtaſis enim ſignificat aliquid diſtinctum in diuinis, cum hypoſtaſis ſit ſubſtantia indiuidua. Cum igitur relatio ſit, quæ diſtinguit hypoſtaſes, & conſtituit (vt dictum eſt) relinquitur quod relationibus perſonalibus remotis per intellectum, non remaneant hypoſtaſes; ſed (ſicut dictum eſt) aliqui dicunt, quod hypoſtaſes in diuinis non diſtinguuntur per relationes, ſed per ſolam originem, vt intelligatur Pater eſſe hypoſtaſis quædã per hoc, quod non eſt ab alio: Filius autem per

Ad primum argumentum reſpondet, concedẽdo maiorẽ, & negando minorẽ. Ad cuius probationem, concedit antecedens, & negat cõſequẽtiam; eò quia, *perſona non addit ſupra hypoſtaſim &c.* Lege litteram.

Ad ſecundum argumentum reſpondet, negando antecedens. Ad cuius probationem, negat ſequelam. Nam *paternitate Pater &c.* Lege litteram.

Ad tertium argumentum reſpondet, explicando maiorẽ, ſeu authoritatem D. Auguſtini; *Si Filium non genuiſſet, nihil prohiberet eum dicere Ingenitum*; quia ſcilicet, remaneret hypoſtaſis diuina, vt diſtinguitur a creaturis, ſicut Iudæi intelligũt, concedit maiorem; & in hoc ſenſu locutus eſt Auguſtinus. *Si Filium non genuiſſet, nihil prohibet eum dicere Ingenitum*, & aliàs remaneret hypoſtaſis Patris, vt diſtinguitur ab alijs perſonis, negat maiorem, & in hoc ſenſu non locutus eſt Auguſtinus. Tunc conceſſa minori, negat conſequentiam. Vel ſimiliter diſtinguendũ eſt conſequens.

hoc, quod eſt ab alio per generationem; ſed relationes aduenientes quaſi proprietates ad dignitatem pertinentes conſtituunt rationem perſonæ: vnde & perſonales dicuntur, vnde remotis huiuſmodi relationibus per intellectum, remanent quidẽ hypoſtaſes, ſed non perſonæ; ſed hoc non poteſt eſſe propter duo. Primò, quia relationes diſtinguunt, & conſtituunt hypoſtaſes, vt oſtenſum eſt. Secundo, quia omnis hypoſtaſis naturæ rationalis eſt perſona, vt patet per diffinitionem Boet. dicentis, quod perſona eſt rationalis naturæ indiuidua ſubſtantia: vnde ad hoc, quod eſſet hypoſtaſis, & non perſona oporteret abſtrahi ex parte naturæ rationalitatem, non autem ex parte perſonæ proprietatem.

Ad primum ergo dicendum, quod perſona non addit ſupra hypoſtaſim proprietatem diſtinguẽtem abſolutè, ſed proprietatem diſtinguẽtem ad dignitatem pertinẽtem. Totum enim hoc eſt accipiendũ, loco vnius differẽtiæ: ad dignitatem autem pertinet proprietas diſtinguens, ſecundum quod intelligitur ſubſiſtẽs in natura rationali: vnde remota proprietate diſtinguente à perſona, non remanet hypoſtaſis; ſed remaneret, ſi tolleretur rationalitas naturæ. Tàm enim perſona, quàm hypoſtaſis, eſt ſub-

Digitized by Google

ſubſtantia indiuidua : vnde in diuinis de ratione vtriuſque eſt relatio diſtinguens.

Ad ſecundum dicendum, quod paternitate Pater non ſolum eſt Pater, ſed eſt perſona; & eſt quis, ſiuè hypoſtaſis. Nec tamen ſequitur, quod non ſit perſona.

Ad tertium dicendum, quod intentio Auguſtin. non fuit dicere, quod hypoſtaſis Patris remaneat ingenita, remota paternitate, quaſi innaſcibilitas conſtituat, & diſtinguat hypoſtaſim Patris. Hoc enim eſſe non poteſt, cum ingenitum nihil ponat, ſed negatiuè dicatur, vt ipſemet dicit; ſed loquitur in communi, quia non omne ingenitum eſt Pater. Remota ergo paternitate, non remanet in diuinis hypoſtaſis Patris, vt diſtinguitur ab alijs perſonis, ſed vt diſtinguitur à creaturis, ſicut Iudæi intelligunt.

SVPER ARTICVLVM COMMENTARIVM.

1 VTRVM *abſtractis per intellectum relationibus*, ſubaudi, perſonalibus, ſeù proprietatibus perſonalibus, quod colligitur ex eodem D. Thoma in principio art. ſic dicente. *Ad 3. ſic proceditur. Videtur, quòd abſtractis per intellectum proprietatibus, ſeù relationibus à perſonis, adhùc remaneant hypoſtaſes.* Idem quoquè patet ex omnibus tribus argumentis in contrarium poſitis, quæ de relationibus, quæ ſunt proprietates perſonales militant. & tandem, idem manifeſtè colligitur ex toto diſcurſu corporis, & reſponſionibus ad argumenta.

2 *Duplex ſit abſtractio per intellectum*. Diligenter nota hanc duplicem abſtractionem, quoniam maximè neceſſaria eſt, nedùm ad logicalia, & metaphyſicalia capeſſenda, verumetiam theologicalia, & præſertim de ijs, quæ in præſenti diſquiruntur articulo.

3 *Si verò loquamur ſecundùm modum abſtractionis, formæ à materia, remotis proprietatibus non perſonalibus, remanet intellectus hypoſtaſum, & perſonarum*. Non dicit remanet omnis, & idem omninò conceptus hypoſtaſum, & perſonarum; ſed quòd *remanet intellectus hypoſtaſum, & perſonarum*; eò quia, remotis proprietatibus non perſonalibus, v. g. remota ſpiratione actiua à Patre, & non remota proprietate perſonali, puta, paternitate, remaneret quidem hypoſtaſis, ſeù perſona Patris; ſed quia, non eſſet eadem paternitas, quæ modo eſt, non eſſet eadem perſona, ſi eſſet abſtractio cum excluſione ſpirationis actiuæ à paternitate, ideo, non remaneret eadem perſona Patris. Si autem eſſet abſtractio ſine mendacio, ſeù non cum excluſione ſpirationis actiuæ à paternitate, ſed præciſiua tantùm, conſiderando, ſcilicet, paternitatem non conſiderando ſpirationem actiuam, remaneret eadem paternitas, eademquè perſona: littera autem videtur loqui in primo, non autem in hoc ſecundo ſenſu. Quod explicare videntur verba ſequentia, dum ſic ait. *Sicut remoto per intellectum à Patre, quòd ſit ingenitus, vel ſpirans, remanet hypoſtaſis, vel perſona Patris*. Vbi duos aduerte terminos; Ly, *remoto*, ſcilicet; & ly, *remanet hypoſtaſis, vel perſona Patris*. Per primum enim non ſignificatur pura, & ſine mendacio intellectus noſtri præciſio. Per ſecundum verò, aduerte, quòd ait, *remanet hypoſtaſis, vel perſona Patris*, non autem ait ſic. Remanet eadem hypoſtaſis, aut eadem perſona Patris. Et vult dicere, quòd ſi per impoſſibile à Patre remoueretur, quòd ſit Ingenitus, ſed eſſet ab alio Patre natus; eò ipſo, quòd haberet paternitatem, diceretur vtiquè Pater.

Digitized by Google

FORMATIO ARTICVLI.

TRipartita eſt corporis diſtributio, Primò ponit quid dicẽdum eſt ſecundùm eos, qui dicunt perſonas non cõſtitui relationibus, & probat. Secundò, reſpondet duplici concluſione, ſuppoſita opinione, quam ſequitur, eamquè probat. Et tertiò, diſtinguit proprietatem perſonalem Patris, & iuxta duplex diſtinctionis membrum ponit duplicem ſubconcluſionem.

Quò ad primum, ſic ait. *Secundùm illos, qui dicunt, quòd proprietates non diſtinguunt &c.* Lege litteram vſquè ad illa verba, *eſt Pater*, incluſiuè.

Quò ad ſecũdum, tria facit; primò ſtatuit id, quod ſupponendum eſt; ſecundò, diſtinguit originem, & vtrumquè diſtinctionis membrum explanat. Et tertiò, duplicem concluſionem ponit.

Quò ad horum primum, ſic ait. *Sed ſupponendo, quòd relationes diſtinguant, & conſtituant perſonas in diuinis, oportet diſtinctione vti.*

Quò ad horum ſecundum, ſic ait. *Origo ſignificatur in diuinis actiuè, & paſſiuè.*

ARTICVLVS QVARTVS.

Vtrum actus notionales præintelligantur proprietatibus.

AD quartum ſic proceditur. Videtur quod actus notionales præintelligantur proprietatibus: dicit enim Magiſter 27. diſtin. 1. ſentent. quod Pater ſemper eſt, quia genuit Filium; & ita videtur quod generatio ſecundum intellectum præcedat paternitatem.

2 Præterea. Omnis relatio præſupponit in intellectu id, ſupra quod fundatur, ſicut æqualitas quantitatem; ſed paternitas eſt relatio fundata ſuper actione, quæ eſt generatio: ergo paternitas præſupponit generationem.

3 Præterea. Sicut ſe habet generatio actiua ad paternitatem, ita ſe habet natiuitas ad filiationem; ſed filiatio præſupponit natiuitatem: ideò enim Filius eſt, quia natiuitas eſt: ergo & paternitas præſupponit generationem.

Sed contra. Generatio eſt operatio perſonæ Patris: ſed Paternitas conſtituit perſonam Patris: ergo prius eſt ſecundum intellectum paternitas, quàm generatio.

Reſpondeo dicendum, quod ſecundum illos, qui dicunt, quòd proprietates non diſtinguunt, & conſtituunt hypoſtaſes; ſed manifeſtant hypoſtaſes diſtinctas, & conſtitutas, abſolutè dicendum eſt, quod relationes ſecundum modum intelligendi, conſequuntur actus notionales, vt dici poſſit ſimpliciter, quod quia generat, eſt Pater; ſed ſupponendo quod relationes diſtinguant, & conſtituant hypoſtaſes in diuinis oportet diſtinctione vti. Quia origo ſignificatur in diuinis actiuè, & paſſiuè: actiuè quidem ſicut generatio attribuitur Patri, & ſpiratio ſumpta pro actu notionali attribuitur Patri, & Filio: paſſiuè autem ſicut natiuitas attribuitur Filio, & proceſſio Spiritui ſancto. Origines enim paſſiuè ſignificatæ ſimpliciter præcedunt ſecundum intellectum proprietates perſonarum procedentium etiam perſonales. Quia origo paſſiuè ſignificata, ſignificatur vt via ad perſonam proprietate conſtitutam. Similiter & origo actiuè ſignificata prior eſt ſecundum intellectum, quam relatio perſonæ originantis, quæ nõ eſt perſonalis. Sicut actus notionalis ſpirationis, ſecundũ intellectũ præcedit proprietatẽ relatiuam innominatã cõmunem Patri, & Filio; ſed proprietas perſonalis Patris poteſt conſiderari dupliciter. Vno modo vt eſt relatio, & ſic iterũ, ſecundũ intellectũ præſupponit actũ notionalẽ. Quia relatio inquãtum huiuſmodi fundatur ſuper actũ. Alio modo, ſecundum quod eſt cõſtitutiua perſonæ, & ſic oportet, quod præintelligatur relatio actui notionali, ſicut perſona agens præintelligitur actioni.

Ad

Explicat autem ſic. *Actiuè quidem, ſicut generatio attribuitur Patri, & ſpiratio ſumpta pro actu notionali attribuitur Patri, & Filio. Paſſiuè autem, ſicut natiuitas attribuitur Filio, & proceſſio Spiritui ſancto.*

Quò ad horum tertium, prima concluſio eſt iſta. *Origines paſſiuè ſignificatæ ſimpliciter præcedunt ſecundùm intellectum proprietates perſonarum procedentium, etiam perſonales.*

Probatio eſt iſta. *quia origo paſſiuè ſignificata ſignificatur, vt via ad perſonam proprietate conſtitutam.*

Secunda concluſio eſt iſta. *Origo actiuè ſignificata prior eſt ſecundùm intellectum, quàm relatio perſonæ originantis, quæ non eſt perſonalis.*

Probatio eſt iſta, quia *actus notionalis ſpirationis, ſecundùm intellectũ præcedit proprietatem relatiuam innominatam communem Patri, & Filio.*

Quò ad tertium, diſtinctio eſt iſta. *Proprietas perſonalis Patris poteſt conſiderari dupliciter. Vno modo, vt eſt relatio;* ecce primum diſtinctionis membrum.

Prima ſubconcluſio eſt iſta. *Et ſic iterum ſecundùm intellectum, præſupponit actũ notionalem.*

Pro-

Ad primum ergo dicendum, quod cum Magiſter dicit, quod quia generat eſt Pater, accipitur nomen Patris, ſecundum quod deſignat relationem tantum, non autem ſecundum quod ſignificat perſonam ſubſiſtentem: ſic enim oportet è conuerſo dicere, quod quia Pater eſt, generat.

Ad ſecundum dicendum, quod obiectio illa procedit de paternitate, ſecundum quod eſt relatio, & non ſecundum quod eſt conſtitutiua perſonæ.

Ad tertium dicendum, quod natiuitas eſt via ad perſonam Filij; & ideò ſecundum intellectum præcedit filiationem, etiam ſecundum quod eſt conſtitutiua perſonæ Filij; ſed generatio actiua ſignificatur vt progrediens à Perſona Patris; & ideò præſupponit proprietatem perſonalem Patris.

Probatio eſt iſta. *Quia relatio in quantũ huiuſmodi, fundatur ſuper actum.*

Alio modo, ſecundùm quòd eſt conſtitutiua perſonæ. Ecce ſecũdum diſtinctionis membrum.

Secunda ſubconcluſio eſt iſta. *Et ſic oportet, quòd præintelligatur relatio actui notionali.*

Probatio eſt iſta; quia *perſona agens præintelligitur actioni.*

Ad primum argumentum reſpondet, explicando antecedens, ſeù authoritatem Magiſtri. *Pater ſemper eſt, quia genuit Filium*, accipiendo nomen Patris, ſecundùm quòd deſignat relationem tantùm, concedit, & in hoc ſenſu intelligendus eſt Magiſter ſententiarum. Pater, ſi accipiatur ſecundùm quòd ſignificat perſonam ſubſiſtentem, ſemper eſt, quia genuit Filium, negat, & in hoc ſenſu non intelligendus eſt Magiſter.

Ad ſecundum argumentum reſpondet, diſtinguendo, ſeù explicando maiorem. *Omnis relatio, vt relatio, præſupponit in intellectu id, ſupra quod fundatur*, concedit maiorem. *Omnis relatio, vt conſtitutiua pſonæ præſupponit &c.* negat maiorem. Similiter diſtinguenda, ſeù explicãda eſt minor, & neganda eſt conſequentia.

Ad tertium argumentum reſpondet, & reſponſio in hac forma proponitur. *Sicut ſe habet generatio actiua ad paternitatem, ita ſe habet natiuitas ad filiationem*, quantùm ad aliqua, quæ non faceſſunt ad difficultatem argumenti, concedit maiorem. Quantùm ad ea, quæ difficultatem faceſſunt argumenti, negat maiorem. Tunc conceſſa minori, negat conſequentiam; & rationem aſſignat; quia *natiuitas eſt via &c.* lege litteram.

SVPER ARTICVLVM COMMENTARIVM.

1 VTRVM *actus notionales*, puta, generare, & ſpirare, *præintelligantur proprietatibus*, perſonalibus, ſiuè non perſonalibus.

2 *Secundùm illos, qui dicunt &c. abſolutè dicendum eſt, quòd relationes ſecundùm modum intelligendi conſequuntur actus notionales. Abſolutè*, ideſt, non oportet diſtinctione vti de duplici origine actiuè & paſſiuè accepta, ſicut oportet ea diſtinctione vti, ſuppoſito, quòd relationes diſtinguant, conſtituantquè perſonas.

3 In reſponſ. ad ſecundũ. *Obiectio illa procedit de paternitate, ſecundùm quòd eſt relatio, non ſecundùm quòd eſt conſtitutiua perſonæ.* Quaſi diceret, ſi loquamur de relatione in diuinis, ſecundùm quòd eſt referens tantùm, ſic poteſt de ea inueſtigari fundamentum, ſeù actio in qua fundetur. Si verò ſermo ſit de relatione in diuinis, ſecundùm quòd eſt conſtitutiua perſonæ, ſic præter eſſentiam diuinam, noli relationis diuinæ quærere fundamentum, quod ſit actio, ſeù ſe habeat per modum actionis.

Digitized by Google

DISPVTATIO CCV.

VTRVM IN PERSONIS DIVINIS SINT PONENDÆ proprietates, quibus perſonæ conſtituantur.

Per vnicum caput expedita.

CAPVT VNICVM.

Doctorum opiniones referuntur, & veritas ſtabilitur.

Præpoſit. Porrett. Gregor. D. Thom. 1 NEgat Præpoſitiuus, vt refert D. Thomas hic art. 1. & Gilbertus Porretanus, quos ſequutus eſt Gregorius in 1. diſt. 26. & 27. quæſt. 1. art. 2.

2 Affirmat autem D. Thomas loco citato, & cum eo communiſſimè Theologi. Vnde,

Pro determinatione veritatis, Dico breuiter. In diuinis ſunt ponendæ proprietates, quibus conſtituantur, ac diſtinguantur diuinæ perſonæ.

Torres. Bañes. Zumel. 3 Hoc dictum eſt adeò verum, vt oppoſitam ſententiam Torres dicat eſſe *errorē*. Bañes ait, quòd *vel eſt error in fide, vel proxima errori*. Zumel. ait ſic. *Quo circa, falsò, & periculosè dicitur, imò erroneè dicitur, quòd non ſit in perſona aliqua proprietas*. Et Franciſcus Suarez, dicit eam eſſe *temerariam*. Suarez. Gonzal. Herrera. Gonzalez, adhæret cenſuræ Torres, & Suarez. Et tandem, Herrera ſic ait. *Mihi autem videtur hæc ſententia certa de fide, & oppoſitam eſſe hæreſim.*

Cô. Rem. 4 Probatur autem concluſio primò; Quia in Concilio Rhemēſi ſub Eugenio II. damnatur modus dicendi, ſeu ſententia Porretani, quapropter cum Porretanus eſſet Catholicus, & in eodem Concilio præſens, ibi ſuam ſententiam retractauit. Lateran. Et in Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. celebrato, in cap. *Firmiter*, ſic dicitur. *Hæc Sancta Trinitas ſecundum eſſentiam vna, & ſecundùm proprietates diſcreta*. Sophron. Item Sophronius in Epiſt. quæ habetur in 6. Synodo generali act. 2. ſic dicit. *Sicut eſſe Deum vnaquæquè inconuertibiliter poſſidet, ita & proprietatem per quam ipſa perſona figuratur*, ideſt, conſtituitur, *immutabilem, & immobilē obtinet, quæ eidem ſoli eſt inſita, & ab alijs perſonis eam diſcernit*. Tolet. II. Item in Concilio Toletano II. ſic dicitur; *Eſt tamen vnicuiquè perſonæ ſua proprietas.*

Florent. 5 Et tandem, in Concilio Florentino collat. 16. mihi fol. 21?. vbi hîc habetur inter Latinos & Græcos diſcurſus. Prouin. Prouincialis, ideſt, Ioannes Latinus, aliàs Ioannes de Monte nigro Ordinis noſtri. *Vellem, vt meliùs intelligeretur hæc propoſitio de proprietate, & eſſentia. Facitis aliquam diſtinctionem inter proprietatem, & eſſentiam?*

6 Epheſinus, qui dicebatur D. Marcus Archiepiſcopus Epheſinus, ex parte Græcorum; hic enim fuit ita callidus, & in ſua opinione obſtinatus, vt omnibus determinationi Concilij Florentini conſentientibus, ſolus ipſe noluerit ſubſcribere, ſed receſſerit. Reſpōdit ſic. *Maximā.*

Prouincialis. *Quæ eſt, realis, vel ſecundùm rationem?*

Epheſinus. *Secundùm rem, vel ſuppoſitum, idem ſunt, ſed diſtinguuntur ratione.*

Prouincialis. *Modò in perſona Patris eſt paternitas, & eſſentia, quæ eſt communis tribus; perſona ergo Patris non diſtinguitur à paternitate, & eſſentia, niſi ſecundum rationem; eſt ſic?*

Epheſinus. *Sic.*

Prouincialis. *Benè dicitis, cum ergo in Patre nō ſit niſi paternitas, &c.*

7 Ecce quomodo ex conſenſu Latinorum, & Græcorum in Concilio Florentino aſſeritur, quod perſona Patris, & paternitas non diſtinguuntur realiter, ſed tantùm ratione, & ſimiliter Pater & paternitas ab eſſentia. Et hoc etiam militat contra Scotum, aſſerentem ex natura rei iſta diſtingui; ſi tamen hæc fuit ſententia Scoti. Habetur quoquè, quòd dantur in diuinis perſonis proprietates, & iſtæ ſunt cum perſonis idem ſecūdùm rem. Et tandem, quòd in perſona Patris eſt paternitas. Ex quibus teſtimonijs ſic deducitur concluſionis noſtræ probatio.

Digitized by Google

tio, vt non poſſim ab aliqua ex ſupradictis cenſuris Præpoſitiui ſententiam excuſare.

8 Confirmatur; quia Sancta Mater Eccleſia in Præfatione de Sanctiſſima Trinitate, ſic ait. *Et in perſonis proprietas, & in eſſentia vnitas, & in Maieſtate adoretur æqualitas.* (Pr. Miſſæ.)

9 Confirmatio hæc tantæ efficacitatis, & impreſſionis eſt, vt ea vſus fuerit Magiſter in 1. diſt. 33. qui indicat noſtram concluſionem neminem negare poſſe, quia ſcilicet, *apertè clamat authoritas*, & eſt ea, quam iam adduximus. (Magiſter.)

10 Probatur ſecundò; quia ſic Sancti Patres loquuntur. Nam Damaſcenus lib. 3. fidei cap. 5. & 6. ait ſic. *Non differunt ad inuicem hypoſtaſes ſecundùm ſubſtantiam, ſed ſecundùm idiomata*, ideſt, determinatiuas proprietates. Et Nazianzenus, orat. de dogmate, & conſtit. Epiſcop. ſic ait. *Neceſſe eſt tres fateri ſubſtantias, ſiuè tres perſonas, & vnamquamquè cum ſua proprietate.* Et orat. quam habuit ad 150. Epiſcopos ſic ait. *Quid vobis hypoſtaſes volunt, aut perſonæ? nimirum tria eſſe, quæ diuiduntur, non naturis, ſed proprietatibus.* Idem docet S. Baſilius Epiſt. 43. Et D. Nyſſenus, lib. de differentia eſſentiæ, & hypoſtaſeos ante medium. Et Anaſtaſius Synaita lib. 1. de rectæ fidei dogmatibus, ait, *tres eſſe proprietates perſonarum ſignificamus.* Et D. Hieronymus in expoſit. fidei dicit ſic. *Sabellij hæreſim declinantes, tres perſonas expreſſas ſub proprietatibus diſtinguimus.* Et Sanctus Auguſtinus, lib. 3. contra Maximinum cap. 50. ſic ait. *Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus, & propter indiuiduam deitatem vnus Deus eſt; & propter vniuſcuiuſquè proprietatem, tres perſonæ ſunt.* Et ſerm. 38. de temp. ſic ait. *Sed hæc tria verè, & eſſentialiter tria ſunt, habentia proprietates ſuas.* Et Sanctus Fulgentius de fide ad Petrum cap. 1. ſic ait. *Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus, perſonarum ſunt ab inuicem proprietate diſtincti.* Idem docet in reſp. ad 1. obiectionem Arrianorum. (D. Dam. — Nazianz. — D. Baſil. — Nyſſenus. — A. Syn. l. — D. Hiero. — D. Aug. — D. Fulg.)

11 Probatur tertiò ratione D. Thomæ; quia perſonæ diuinæ conueniunt in eſſentia, & diſtinguuntur in perſonis. Ergo debet dari id, per quod conueniunt, & id, per quod diſtinguuntur. Sed id, per quod conueniunt eſt eſſentia. Ergo id, per quod diſtinguuntur eſt proprietas in abſtracto. Patet conſequentia; quia, *in quibuſcunquè pluribus inuenitur aliquid commune, oportet quærere aliquid diſtinctiuum.*

12 Confirmatur primò; Valet dicere, imò neceſſariò dicitur, quòd in Deo eſt deitas, & quòd Deus conſtituitur deitate. Ergo valet etiam dicere; imò neceſſe eſt dicere, quòd Pater eſt Pater paternitate.

13 Confirmatur ſecundò; Quia nullo intellectu cogitante Pater eſt Pater, & Filius eſt Filius &c. Ergo nullo intellectu cogitante datur in Patre paternitas, in Filio filiatio &c. Probatur conſequentia à ſimili, imò à fortiori. Valet ſic arguere. Datur paries albus à parte rei. Ergo paries albus albedine eſt albus. Quia impoſſibile eſt eſſe album, & non per albedinem. Ergo à ſimili, imò à fortiori, valet iſte. Datur à parte rei in diuinis perſona Patris. Ergo paternitate eſt Pater.

14 Si pro oppoſita ſententia dicatur; Diſparem eſſe in vno, & in altero caſu rationem. Etenim in primo, albedo realiter diſtinguitur à pariete v. g. qui per ipſam denominatur albus: at verò paternitas non diſtinguitur à Patre.

15 Contra. Hoc magis premit reſpondentem. Ergo. Probo antecedens; Quia quando abſtractum, & concretum realiter diſtinguuntur, concretum conſtituitur per abſtractum imperfectè, puta per informationem ſubiecti denominati. Quando verò abſtractum, & concretum ſunt vnum, & idem, & non differunt, niſi ſecundùm intelligentiæ rationem, abſtractum denominat concretum perfectè, ſimpliciter, & non compoſitè; & à parte rei eſt idem omninò quo eſt, & quod eſt. Ergo à fortiori &c.

16 Confirmatur primò. Si albedo eſſet ſubſiſtens, eſſet alba, & albedo; ac proinde eſſet ſimul, & ſemel à parte rei id quo, & id quod. Id quo, quia à parte rei eſt albedo, ſeù forma, qua album eſt album. Eſſet quoquè id quod, quia à parte rei eſſet ſubſiſtens, ac per conſequens, eſſet alba. Vnde ſi quis diceret, quòd ſi albedo, à parte rei eſſet ſubſiſtens, & eſſet alba, non verò eſſet albedo, falsò, & irrationabiliter loqueretur. Ergo, quia à parte rei datur paternitas ſubſiſtens in diuinis; illa paternitas eſſet id quo, & id quod. Id quo, quia eſt quid abſtractum; id quod, quia eſt quid ſubſiſtens. Ergo dicere, quòd à parte rei in diuinis datur perſona Patris, ſeù Pater vt quod, & quòd non datur paternitas, vt quo, falſum diceret, & irrationabiliter loqueretur.

17 Confirmatur ſecundò; Quia à parte rei datur paternitas, puta, relatio paternitatis, qua generans denominatur Pater, ſeù dicitur relatiuè ad Filium. Ergo multò fortiùs, ac perfectiùs datur in perſona diuina Patris relatio paternitatis, & Pater. Differenter tamen, quia in creatis, paternitas, & Pater, denominans, & deno-

Digitized by Google

denominatum, quo, & quod, realiter diſtinguuntur; at verò in perſona diuina Patris hæc omnia ſimpliciter, & abſquè vlla prorſus compoſitione inueniuntur.

18 Sed contra iſtam determinationem obijciet aliquis primò ex Gregorio. Quia *Quælibet perſona Diuina eſt ſimplex omninò. Ergo nulla perſona diuina per aliquid in ſuo eſſe conſtituitur.* Antecedens debet ab omnibus omninò concedi. Probatur igitur conſequentia; quia *ſi perſona Patris v.g. conſtitueretur per paternitatem, intelligeretur perſona Patris compoſita, aut ſecundùm rem, aut ſecundùm rationem. Vtrumquè diuinæ ſimplicitati repugnat.* Ergo.

Gregor.

19 Reſpondetur, concedendo antecedens, & negando conſequentiam. Ad cuius probationem, nego maiorem. Nam non eſſet compoſita neque ſecundũ rem, quia relatio paternitatis v. g. nõ diſtinguitur ſecundùm rem à Patre; neque ſecundùm rationem; quia Pater nõ ſic conſtituitur per paternitatem, quaſi ſit alia, & alia obiectiuè formalitas paternitas, & Pater. Sunt enim vnum, & idem, & non differunt, niſi ſecundùm abſtractum, & concretum, & quantùm ad modũ ſignificandi euiſdẽ p̃dicati, ſeù formalitatis, dicentis, ſeù habentis vtrũquè, vt quod ſcilicet, & vt quo. Vnde ſi aliqua compoſitio interuenit, eſt compoſitio propoſitionis, explicantis vnam, eamdemquè rationem ſecundùm diuerſum modum ſignificandi quantùm ad vtrumquè quod habet à parte rei. Vnde non eſt compoſitio inter paternitatem, & Patrem. Hoc autem magis clarè declarabo diſputatione ſequenti.

20 Obijciet ſecundò ex eodem. *Non minùs eſt ſimplex perſona diuina, quàm eſt eſſentia diuina, aut aliqua proprietas perſonalis: ſed eſſentia, & proprietas ob ſimplicitatem non conſtituuntur per aliquid.* Ergo nec perſona.

21 Fallaciter proponitur argumentum. Et ſimile eſt huic. Non minùs eſt ſimplex Deus, quàm rationalitas: ſed rationalitas nullo conſtituitur. Ergo neque etiam Deus. Fallax autem eſt hic argumentandi modus; eo quia tranſit à concreto ad abſtractum. Abſtractum enim, vt abſtractum, non eſt quid conſtitutum, ſed conſtituens. Vnde rationalitas non eſt aliquo cõſtituta, ſed ipſa eſt hominis conſtitutiua; Deus autem eſt quid concretum, ac per conſequens, licèt ſit magis ſimplex quàm rationalitas, eſt tamen deitate conſtitutus. Ita in caſu noſtro, fit tranſitus à Gregorio Ariminenſi, cuius eſt argumentum, à concreto ad abſtractum. Perſona enim diuina, v. g. Pater eſt quid concretum; eſſentia verò diuina eſt terminus abſtractus, ac proinde perſona diuina poteſt habere conſtitutiuum ſui, nõ quidem diſtinctum à ſe, ſed omninò realiter indiſtinctum; Eſſentia verò diuina, cum ſit quid abſtractum, non eſt conſtituta, ſed potiùs eſt conſtitutiua Dei in concreto.

22 Reſpondetur igitur ad argumentum, explicando maiorem. Non minùs eſt ſimplex perſona diuina, quàm eſt eſſentia diuina, eſt tamen perſona diuina quid concretum, eſſentia verò diuina, quid abſtractum, concedo maiorem. Et vtraquè eſt quid concretum, nego maiorem. Tunc conceſſa minori, negatur conſequentia. Seù ſimiliter explicanda eſt minor. Sed eſſentia &c. ob ſimplicitatem abſtractè ſignificatam, conceſſo minorem. Ob ſimplicitatem concretè ſignificatam, nego minorem. Ergo &c. nego conſequentiam. Vel,

23 Reſpondetur ſecundo, ſuppoſita tamen explicatione iam facta, & negando cauſalitatẽ minoris. Non enim eſſentia diuina dicitur à nullo conſtitui propter ſimplicitatem eius, ſed propter abſtractionem eius, quia ſcilicet repugnat abſtracto, vt abſtractum eſt, aliquo conſtitui. Itaque arguens in minori propoſitione, accipit non cauſam, vt cauſam.

24 Obijciet tertio ex eodem Gregorio. *Si perſona conſtitueretur per proprietatem aliquam, conſtitueretur etiam per eſſentiam, & eſſentia conſtitueret perſonam, v. g. Patrem, & per conſequens, eſſentia non eſſet Pater, quod eſt contra determinationem Eccleſiæ in cap. Damnamus.*

25 Reſpondetur, explicando maiorem. Si perſona conſtitueretur &c. conſtitueretur etiam per eſſentiam, veluti in obliquo, concedo maiorem. Conſtitueretur etiam per eſſentiam, veluti in recto, nego maiorem. Similiter diſtinguenda, & explicanda eſt minor; & neganda eſt conſequentia. Reſponſio hæc magis patebit ex dicendis infra.

26 Obijciet quarto ex eodem. Si perſona cõſtitueretur aliqua proprietate, ſequeretur, quòd Pater eſſet aliquo modo cauſatus, & principiatus. Hoc non eſt dicendum. Ergo. Probat ſequelam. Nam quodlibet conſtitutiuum eſt quodãmodo cauſa, & principium ſui conſtituti. Ergo.

27 Confirmatur ex eodem; quia hæc vocabula, conſtitutiuum, conſtitutio, conſtitutum, & ſimilia, non inueniuntur apud Auguſtinum, & alios Patres. Ergo.

28 Reſpondetur, negando ſequelam. Ad cuius probationem diſtinguo, ſeù explico antecedens; Quodlibet conſtitutiuum

per

Digitized by Google

per informationem, eſt quodammodo cauſa, & principium ſui conſtituti, concedo antecedens. Quodlibet conſtitutiuum per modum ſimplicitatis, eſt quodammodo cauſa &c. nego antecedens. Ergo &c. nego conſequentiam.

29 Ad confirmationem reſpondetur, diſtinguendo, ſeù potiùs explicando antecedens. Hæc vocabula, conſtitutiuum &c. non inueniuntur quantùm ad voces apud Auguſtinum, & alios Patres, tranſeat antecedens; Quantùm ad ſenſum, nego antecedens. Idquè patet ex authoritatibus adductis pro noſtræ concluſionis probatione.

30 Obijciet quintò. Sancti Patres dicunt, quòd Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus, ſubſtantia vnum ſunt, perſonis diſtinguuntur; & perſonæ ſe ipſis differunt. Ergo.

31 Reſpondetur, explicando antecedens quo ad vltimam eius partem. Et perſonæ ſe ipſis, ideſt, non aliquo alio ſuperueniente, ſed pro ut ad inuicem relatiuè opponuntur, differunt, concedo, & in hoc ſenſu intelligendi ſunt Patres. Et perſonæ ſe ipſis, in concreto conſideratis, non verò in abſtracto, differunt, nego, & in hoc ſenſu nō locuti ſunt Patres. In tantùm enim Pater, & Filius relatiuè ad inuicem opponuntur, in quātùm Pater Paternitate conſtituitur, & Filius filiatione; Paternitas autem, & filiatio cū ſint relationes, ſeù rationes oppoſitę referentes, ſunt quibus Pater, & Filius, differunt.

DISPVTATIO CCVI.

VTRVM PROPRIETATES PERSONALES CONSTITVANT perſonas ad modum formæ partis, an potiùs ad modum formæ totius.

In duo capita diſtributa.

CAPVT PRIMVM.

Doctorum opiniones referuntur, & veritas ſtabilitur.

1 Quidam dicūt, proprietates perſonales conſtituere perſonas ad modum formæ partis. Ita Molina in hac quæſt. artic. 2. diſp. 2. §. *Sententia hæc.* Molina.

2 Quidam verò dicunt, proprietates cōtinere perſonas ad modum formæ totius. Ita Caietanus, in hac quæſt. art. 2. §. *Ad hæc.* Ferrarienſis 4. contra gent. cap. 26. §. *Conſiderandum ſecundo.* Et omnes ferè Thomiſtæ. Quid autem ſit conſtituere ad modum formæ totius, & quid ad modum formæ partis, ex philoſophicis diſciplinis habes. Forma enim partis dicitur anima rationalis reſpectu hominis, qui conſtituitur ex anima rationali, & ex corpore, tanquàm ex partibus phyſicis & eſſentialibus; humanitas verò dicitur forma totius, quia totus homo dicitur humanitate homo. Caiet. Ferrar.

3 Pro determinatione ergo veritatis, Dico primò. Perſona diuina perſonalitate conſtituitur ad modum formæ totius, non verò ad modum formæ partis.

4 Probatur; quia perſona diuina, vt perſona diuina, quicquid habet, habet à perſonalitate. Ergo perſonalitas conſtituit perſonam ad modum formæ totius.

5 Confirmatur primò; Quia Deus conſtituitur Deitate ad modum formæ totius. Ergo perſona diuina etiam conſtituitur perſonalitate diuina ad modum formæ totius. Antecedens patet; Probatur autem conſequentia; Quia ſicuti Deus dicitur Deus deitate, ita perſona perſonalitate. Ergo.

6 Confirmatur ſecundò; Quia in humanis perſona conſtituitur perſonalitate, Gabriel Gabrielitate, &c. Ergo in diuinis, perſona conſtituitur perſonalitate ad modum formæ totius. Patet conſequentia; quia ideo Gabriel conſtituitur Gabrielitate, quia Gabrielitas ſe habet vt quo. Ergo &c.

7 Quòd ſi dicas, perſonam diuinam dicere eſſentiam, & relationem; perſonalitatem verò relationem dumtaxat; quare patet diſparitas.

Con-

Digitized by Google

8 Contra. Quia dato, modo tamen infra explicando, quòd perſona diuina dicat eſſentiam, & relationem, etiam perſonalitas deberet dicere eſſentiam, & relationem, vt abſtractum adæquatè correſpondeat ſuo concreto. Ergo nulla diſparitas. Et iuxta hunc dicendi modum, nequè etiam perſonalitas ſolummodò diceret relationem.

9 Dico ſecundò. Relatio perſonalis conſtituit perſonam diuinam ad modũ formæ totius, ſi perſona diuina accipiatur in ratione perſonæ, quantùm ad id, quod de ſua intrinſeca ratione dicit in recto.

10 Probatur primò authoritate D. Thomæ. Nam D. Thomas, ſupra q. 29. ar. 4. in corp. ſic ait. *Perſona igitur diuina ſignificat relationem vt ſubſiſtentem.* Et in hac quæſt. art. 1. ad 1. ſic ait. *Nam proprietates perſonales ſunt idem cum perſonis; ea ratione, qua abſtractum eſt idem cum concreto. Sunt enim ipſæ perſonæ ſubſiſtentes, vt paternitas eſt ipſe Pater &c.* Vbi manifeſtè præſentem probat concluſionem. Nam vt ex præcedenti conſtat concluſione, perſonalitas conſtituit perſonam diuinam ad modum formæ totius, eò quia ſe habet vt abſtractum, & perſona ſe habet vt concretum: ſed D. Thomas ait, quòd proprietates perſonales ſunt idem cum perſonis, ea ratione, qua abſtractum eſt idem cum concreto. Ergo ex mente D. Thomæ proprietates perſonales cōſtituunt perſonas ad modum formæ totius. *D.Thom.*

11 Et art. ſeq. in corp. ſic ait. *Sic autem relationes, vel proprietates diſtinguunt, vel conſtituunt hypoſtaſes, vel perſonas, in quantũ ſunt ipſæ perſonæ ſubſiſtentes, ſicut paternitas eſt Pater, & filiatio eſt Filius, eò quod in diuinis non differunt abſtractum, & concretum.* Ergo.

12 Probatur ſecundò; quia in diuinis, perſona, vt perſona abſolutè loquendo, pluraliter dicitur. Etenim abſquè vllo prorſus addito Eccleſia confitetur Trinitatem perſonarum, & vnitatem earumdem in eſſentia. Ergo perſona, vt perſona in diuinis conſtituitur proprietate perſonali, ad modum formæ totius. Patet iſta conſequentia; quia aliàs, ſi perſona, vt perſona rigoroſè, & præciſiuè loquendo, diceret in recto eſſentiã, non poſſet abſolutè in numero plurali proferri, ſed cum diſtinctione, ideſt, perſona quantùm ad proprietatem plurificatur; quantùm verò ad eſſentiam, quã dicit, non item. Sed hoc, concluſione immediatè ſequenti magis enucleabitur.

13 Probatur tertiò; Quia vt ex ſupradictis conſtat, nequè perſona eſt de intrinſeco conceptu eſſentiæ, nequè è contra. Ergo perſona vt perſona, ſola perſonalitate conſtituitur &c.

14 Dico tertio. Si perſona diuina accipiatur quantùm ad omne illud, quod dicit, in recto, .ſ. & in obliquo, conſtituitur ꝓprietate ad modũ formę partis.

15 Probatur primò; Quia vt docent Cōcilia, & Sancti Patres, & præſertim Cōcilium Florentinum collat. 16. §. *Attende*, fol. mihi 209. ſic per Ioannem Latinum dicitur. *Nomen Patris dicit eſſentiam, & dicit relationem.* Et D. Thomas in hac queſt. art. 2. in corp. ſic ait. *In perſona autem diuina non eſt aliud intelligere, niſi eſſentiam, & relationem, ſiuè proprietatem.* Ergo perſona diuina, ſecundùm quòd dicit iſta duo, non conſtituitur proprietate ad modum formę totius, ſed ad modum formæ partis. *Florent.* *D.Thom.*

16 Probatur ſecundò; Quia perſona diuina hoc modo conſiderata, dicit duo, vnum in quo, & per quod omnes perſonæ diuinæ conueniunt. Et alterum in quo, & per quod vna perſona diuina eſt ab alia realiter diſtincta: ſed proprietates perſonales ſunt tantummodo rationes diſtinguendi perſonas, non autem identificandi; aliàs non eſſent proprietates. Ergo perſona diuina conſtituitur proprietate perſonali, iuxta hunc ſenſũ, ad modum formæ partis, & non ad modum formæ totius.

17 Dico quartò. Perſona diuina nunquàm conſtituitur per modum compoſitionis, ſed per modum ſimplicitatis, aut per modum diſtributionis.

18 Concluſio hæc videtur eſſe contra Caietanum, Ferrarienſem, & nonnullos alios Thomiſtas, aſſerentes, perſonam conſtitui per modum compoſitionis. Verũ nec eſt contra Thomiſtas, in ſenſu iam explicando, nequè contra D. Thomam, ſed eſt, ad mentem D. Thomæ, Thomiſtarum, rationiquè conformis.

19 Priùs illam declaro; & deinde probabo. Eſt doctrina D. Thomæ & Thomiſtarum, quòd Deus eſt omninò ſimplex, omniſquè compoſitionis expers, non ſolùm realis, ſed etiam metaphiſicæ, & rationis. Cum ſit & in eſſe reali, & in eſſe rationis, ſimpliciſſimus actus, nullam includens potentialitatem. Verùm, quia Deus pro vt à nobis concipitur, & pro captu noſtro in diuerſos conceptus diſtribuitur, & explicatur, non poteſt concipi, niſi per modum compoſitionis, quando ſcilicet, aliquid de ipſo affirmatiuè prædicamus. Per modum, inquam, compoſitionis, modalitate ſe

Digitized by Google

ſe tenente ex parte imperfecti noſtri modi concipiendi, non verò ex parte formalitatis obiectæ, vt pluriès, prætertim tom. 2. q. 13. in Comment. ſuper art. vlt. explicuimus.

20 Quando ergo perſona diuina concipitur vt conſtituta perſonalitate, ſeù relatione perſonali, tunc concipitur perſonalitas vt quo, & perſona vt quod, per modum ſimplicitatis ex parte formalitatis obiectæ. Quia perſonalitas non concipitur ad modum formæ actuantis, nec perſona ad modum ſubiecti actuati, ſed accipitur, vt dicit rationem formæ in abſtracto, identificatæ cum ſe ipſa in concreto,

21 Quando etiam concipitur perſona diuina, vt conſtituta eſſentia, & relatione, tunc conſideratur vt vna res per modum diſtributionis, ideſt, in duos conceptus inadæquatos diſtributa, quorum vnus eſt eſſentia, relatio alter; Vnde non conſtituitur eſſentia & relatione compoſitiuè, ſed contentiuè, quia ſcilicet, continet eſſentiam, & relationem, non quidem ex æquo, ſed eſſentiam in obliquo, & in recto relationem. Vnde Concilium Florentinum ſapienter loco citato, non dixit, quòd Pater componitur ex eſſentia, & relatione, ſed *quòd dicit eſſentiam, & quòd dicit relationem*. Quaſi diceret; Pater conſtituitur eſſentia, & relatione, non compoſitiuè, ſed contentiuè per identitatem; & per modum diſtributionis.

Florent.

22 Probatur igitur concluſio. Eſſentia & relatio non conſiderantur, nec conſiderari poſſunt, vt duæ formalitates ſic vnitæ, vt vna reſpectu alterius ſe habeat vt actualis, vt potentialis altera. Ergo perſona diuina nunquam conſtituitur per modum compoſitionis modo iam explicato. Antecedens patet quò ad vtrumquè caſum. Nam ſi conſtituitur relatione ad modum formæ totius, relatio nō ſe habet vt forma actuās perſonam, nec perſona ſe habet, vt actuata, & potentialis; vt conſtat, & probatur, quia ſi perſona conſtituta ſe haberet vt actuata, præſupponeretur relationi in aliquo genere veluti cauſæ materialis, & per conſequens, non conſtitueretur perſona per relationem. Prætérquamquòd, eſſet potentialis, & imperfecta. Si verò conſtitueretur eſſentia, & relatione, ſimiliter; Nam vel eſſentia ſe haberet vt actualis, & potentialis reſpectu proprietatis, ſeù relationis, & relatio ſe haberet vt forma, & act⁹ eiuſdē eſſentiæ; aut è contra. Vtrumquè eſt falſum. Ergo. Maior patet; & minor ſanè de deitate ſentienti eſt manifeſta.

CAPVT SECVNDVM.

Proponuntur argumenta in contrarium: & ſoluuntur.

23 SED contra iſtam determinationē obijciet aliquis primò, prætertim contra ſecundum dictum. Ex Cō- Florent.
cilio Florentino loco nu. 15. citato, perſona Patris *dicit eſſentiam, & dicit relationem*. Ergo non conſtituitur relatione ad modum formæ totius. Patet conſequentia, quia conſtitutiuum ad modum formæ totius dicit totum, quod eſt in conſtituto: ſed relatio non dicit totum, quod dicit perſona. Ergo.

24 Reſpondetur, explicādo authoritatē Cōcilij vt ſupra; Perſona Patris dicit eſſētiā, & dicit relationē relationē 1. in recto, & eſsētiā in obliquo, cōcedo antecedēs Vtrūq; in recto, nego antecedēs. Ergo &c. nego cōſequētiā. Etenim Cōciliū loquitur in primo ſenſu, & nō in ſecūdò. Idq; ex eiuſdē Cōcilij verbis manifeſtè detegitur. Sic enim ibi dicitur. *Nomen Patris dicit eſſentiā, & dicit relationē, ſm quā hoc ſuppoſitū diſtinguitur ab alio: Hæc eſſentia cōmunis eſt in Patre, illa eſt, quæ cōmunicatur Filio per generationē, & hoc eſt principiū, quo Pater generat, & producit Filiū, ſed hæc eſſentia nō cōmunicatur Filio, ſm eſſe, quod habet in Patre &c.* Vbi apertè dicit, ꝙ eſſentia cōcurrit vt quo ad generationē; Perſona verò Patris ratione relationis, vt ꝙ, quod eſt dicere, eſſentia cōcurrit in obliquo, ꝑſona autē ratione relationis in recto.

25 Obijciet ſecūdò cōtra tertiū dictū. Perſona in diuinis multiplicatur. Ergo nō dicit niſi relationem perſonalem. Ergo.

26 Reſpōdetur, cōcedēdo antecedēs, & diſtinguēdo cōſequens. Ergo nō dicit niſi relationē ꝑſonalē, in recto, cōcedo cōſequentiā. In recto, & in obliquo ſimul, nego conſequentiam.

27 Obijciet tertiò cōtra quartū dictū. Relatio vt cōſtitutiua ꝑſonæ ad modū formæ totius, ſe habet vt forma reſpectu perſonæ conſtitutę. Ergo per modum compoſitionis.

28 Reſpōdetur, explicādo antecedēs. Relatio vt cōſtitutiua ꝑſonę &c. ſe habet vt forma, per modū ſimplicitatis, & idētitatis, reſpectu ꝑſonę cuius eſt formę, cōcedo antecedēs. Per modū cōpoſitionis, nego antecedēs. Ergo &c. nego cōſequētiā.

29 Cōtra. Se habet vt forma trāſitiuè, nō intrāſitiuè. Ergo ꝑ modū cōpoſitionis, & nō per modū ſimplicitatis, & idētitatis &c. Probatur antecedens, quia ſic ſe ha-

 bet

Digitized by Google

bet vt forma, vt ſit id, quo cōſtituitur pſona. Ergo tranſitiuè. Probatur autē cōſequētia; quia huiuſmodi trāſit* eſt vt ly, quo, vniatur cū ly, ꝙ; Ergo cōpoſitiuè.

30 Reſpōdetur, explicando antecedēs. Se habet vt forma trāſitiuè, per modū ſimplicitatis, & idētitatis, cōcedo antecedēs. Per modū cōpoſitionis, nego antecedēs.

31 Vel ſub alijs verbis. Se habet vt forma tranſitiuè à ſe ipſa cōcepta, vt quo, ad ſe ipsā cōſideratā, vt quod, cōcedo. Trāſitiuè à ſe ipſa vt quo, ad ſubiectū aliud à ſe, & per ipſam actuabile, nego.

32 Vel ſub alijs verbis. Se habet vt forma trāſitiuè, vt vnum, & idē aliter, & aliter acceptū, cōcedo. Vt vnū ad aliud, nego antecedēs. Ergo &c. nego cōſequentiā. Elige quā vis, quoniā omnes tēdunt ad idem, & altera per alterā explicatur.

33 Obijciet quartò. Si perſona accipiatur, vt dicit eſſentiā & relationē, cōſtituitur per relationē ad modū formæ partis, vt diximus, & probauimus in 3. dicto. Ergo in hoc ſenſu perſona diuina cōſtituitur per modū cōpoſitionis. Antecedēs patet; probatur autē cōſequētia. Quia vbi datur forma partis, vel aliquid ad modū formæ partis, ibi datur cōpoſitio, vel aliquid ad modum compoſitionis.

34 Cōfirmatur; Quia obſtat titulus dicere, ꝙ relatio cōſtituit perſonā ad modū formæ partis, & dicere nō per modū cōpoſitionis. Ergo relatio cōſtitueret pſonā per modū cōpoſitionis. Probatur antecedēs; quia forma partis, ideò dicitur forma partis, quia reſpicit ſuā compartē, v. g. anima intellectiua dicitur forma partis in homine, quia reſpicit corpus tanquā ſuā compartē. Ergo cōſtituere per modū formę partis reſpicit aliud habēs rationē cōpartis, ſeù modū cōpartis.

35 Reſpōdetur ad argumentū, explicando antecedēs; Si perſona accipiatur &c. relatio cōſtituit perſonā ad modū formæ partis, aliqualiter, cōcedo antecedēs. Ad modū formæ partis, omninò, & totaliter, nego antecedēs. Ergo &c. nego cōſequētiā. Et per idē patet ad probationē.

36 Ad cōfirmationē reſpondetur, explicādo ſimiliter antecedēs. Obſtat titulus dicere, ꝙ relatio conſtituit pſonā ad modū formæ partis, omninò, & totaliter, & dicere, ꝙ nō per modū compoſitionis, cōcedo antecedens. Obſtat titulus dicere, quòd relatio cōſtituit pſonā ad modum formæ partis, aliqualiter, & dicere, quòd non per modū compoſitionis, nego antecedēs. Ergo &c. nego conſequentiā.

37 Explico hoc. Cùm cōcedimus pſonam conſtitui per relationē ad modū formæ partis, nolumus aſſerere, quòd relatio cō currat ad modū actuantis, & eſſentia ad modū actuabilis, ſeù actuati; quoniā vt iam probauimus, hoc diuinæ puritati repugnat; ſed volumus dumtaxat dicere, quod ſi perſona accipitur, pro vt includit eſſentiam, & relationē, relatio ſic cōſtituit perſonam, vt nō dicat totū, quod eſt, ſeù quod dicit ipſa perſona.

38 Obijciet quintò. Relationes sūt in perſonis diuinis, & nō ſolū ſunt perſonę diuinæ: ſed non ſunt, vt materia. Ergo sūt vt forma. Ergo per modū cōpoſitionis.

39 Reſpondetur, explicando antecedēs. Relationes ſunt in perſonis per modum ſimplicitatis & identitatis, cōcedo antecedens. Per modum compoſitionis, nego antecedens. Ergo &c. diſtinguo primum conſequens. Ergo ſunt vt formæ, per modum ſimplicitatis, & identitatis, concedo conſequentiam. Per modum compoſitionis, nego conſequētiam. Ergo &c. nego ſecundam conſequentiam. Iam enim explicauimus, quod relatio in diuinis eſt in perſona, non vt forma informans reſpectu ſubiecti informati, & actuati, ſed vt abſtractum eſt in concreto, vt intrinſece conſtitutiuum in conſtituto.

40 Obijciet ſextò. Relatio in abſtracto, & perſona conſtituta diſtinguuntur ratione. Ergo relatio in abſtracto & perſona conſtituta faciūt cōpoſitionē ſecundùm rationē. Patet conſequentia, quia quæ diſtinguūtur ſecundū rationem, nō poſſunt ſecundùm rationē vniri, niſi per cōpoſitionē ſecundū rationē. Ergo.

41 Reſpondetur, explicando antecedēs. Relatio in abſtracto, & perſona conſtituta diſtinguuntur ſecundum rationem, ſicut abſtractum, & concretum, concedo antecedens. Diſtinguuntur ſecundùm rationem, tanquàm duæ formalitates, quarum vna ſit actualis, & altera potentialis, nego antecedens. Ergo &c. nego conſequentiam. Ad cuius probationem, diſtinguo antecedens. Quæ diſtinguuntur ſecundùm rationem, tanquàm duæ formalitates, quarum vna eſt actualis, & altera potentialis, non poſſunt ſecundùm rationem vniri, niſi per compoſitionem ſecundùm rationem, concedo antecedens. Quæ diſtinguuntur ſecundùm rationem, vt abſtractum, & concretum, non poſſunt &c. nego antecedens. Ergo &c. nego conſequentiam.

42 Petet aliquis, Vtrum huiuſmodi conſtitutio perſonæ per proprietatem ſit realis, an rationis?

43 Vide quæ diximus ſupra tom. 2. diſp. 112. cap. 1. & vltra ea, quæ ibi dicta ſunt, dico, quòd poteſt dici conſtitutio realis, & poteſt dici rationis.

Dicitur

Digitized by Google

Dicitur quidē cōſtitutio realis, per hoc, ꝙ realiter datur relatio in abſtracto, & in cōcreto. Perſona enim diuina, v. g. Pater, nō ſolū eſt Pater in cōcreto, ſed etiā à parte rei eſt paternitas. Dicitur etiā cōſtitutio rationis, quatenꝰ ſignificatur nomine Patris, & quatenùs ſignificatur nomine paternitatis. Quòd .n. eadē pſona Patris, quæ à parte rei habet vtrūq; abſtractū .ſ. & cōcretū, duplici nomine nominetur, ita vt per vnū ſignificetur id, ꝙ eſt abſtractū; Et per alterū, ſignificetur id, ꝙ eſt cōcretū hoc ſupponit diſtinctionem rationis ex intellectus noſtri opere pueniēte; ac pinde, cōſtitutio diuinę pſonę, pro vt nomine relationis, & nomine pſonę explicatur, dr̄ cōſtitutio rationis, id eſt, nō cōſideratur à nobis huiuſmodi cōſtitutio, niſi interueniēte diſtinctione rationis inter ꝓprietatē vt cōſtituentē, & pſonā, vt conſtitutam.

DISPVTATIO CCVII.

VTRVM PROPRIETATES PERSONARVM DIVINARVM conſtitutiuæ, ſint abſolutæ.

In duo capita diſtributa.

CAPVT PRIMVM.

Explicatur titulus, opiniones referuntur, & veritas ſtabilitur.

1 SVppoſita fidei catholicæ veritate de tribus in deitate perſonis, & ſuppoſito, quòd dentur proprietates perſonarum conſtitutiuæ, ſtatimatquè difficultas animum pulſat, vtrum huiuſmodi proprietates ſint de ſuo intrinſeco, ac formali conceptu aliquid abſolutū, an potiùs ſint relationes.

2 Quidam dixerunt, proprietates conſtituentes diuinas perſonas eſſe quid formaliter, & intrinſecè abſolutum, habens tamen annexam relationem veluti conſecutiuè. Vnde dicunt, quòd perſona Patris, v. g. eſt quid ſubſiſtens in ſe, & abſolutum, conuenit tamen ei relatio paternitatis, ratione cuius denominatur Pater. Ita Ioannes à Ripa, apud Scotum in 1. diſt. 26. Et Scotus ipſe, etiam hanc opinionem ſecutus eſt, probabiliter tamen eam defendens, probans, & in contrariū argumenta ſoluens. *Io. à Ripa Scotus.*

3 Communiter Theologi cum Diuo Thoma exclamant, dicentes, proprietates perſonales eſſe relatiuas, non autem abſolutas. Et propter magnum Doctorum numerum, antiquorum, & modernorum, non oportet eos nominatim adducere, eò, vel maximè, quia ſupra, illos ex parte retulimus. Vnde pro determinatione veritatis,

4 Dico breuiter. Proprietates, diuinas perſonas cōſtituentes, nō ſunt abſolutæ.

5 Hoc dictū ſupra, cū diſputauimus, Vtrū perſona ſignificet relationē, an aliquod abſolutum ex profeſſo probauimus.

6 Probatur igitur modo breuiter, primò ex Concilio Florentino. Nam Concilium Florentinum collat. 16. §. *Attende*, fol. mihi 209. docet, quod perſona Patris duo dicit, eſſentiam ſcilicet, & relationem. Et ibidem fol. 110. docet, quòd ſola relatio diſtinguit perſonas in diuinis. Ergo proprietas conſtitutiua Patris, eſt ipſa relatio ex Concilio Florentino. Probo conſequentiam; quia aliàs Concilium Florentinum fuiſſet valdè diminutum, & in materia tam graui ineruditum. Quandoquidem, numerans ea, quæ nomen Patris dicit, eſſentiam, & relationem affert. Ergo ſi proprietas conſtitutiua Patris non eſſet relatio; cum neque ſit eſſentia, ſi eſſet aliquid abſolutum, iam Concilium omiſit tertium, quod eſſet magis perſonæ Patris intrinſecum. Quid enim magis intrinſecū eſt alicui, quàm conſtitutiuū eius? Ergo iam fuiſſet diminutū. *Florent.*

7 Item. Si per Concilium ſola relatio diſtinguit perſonas diuinas, ſequitur, quod etiam relatio perſonas conſtituat.

8 Et quamuis hæc ſequela à quibuſdam poſſet aliqua probabilitatis ſpecie negari, eò quia, tenent, non ſemper eſſe idem conſtitutiuum, & diſtinctiuum in diuinis, à Scoto tamen, & Scotiſtis debet neceſſariò fateri; quia Scotus habet hoc axioma tanquam veriſſimum, nimirùm, idem eſt principium conſtitutiuum, & diſtinctiuum. Ergo ſi per Concilium Florentinum diſtinctio in diuinis eſt per ſolam relationem, etiam conſtitutio perſonæ eſt per ſolam relationem, ſeu per proprietatem relatiuam, & non per proprietatem abſolutā.

Digitized by Google

9 Propter authoritates ſatis apertas Conciliorum, & Patrum; Durandus, [Durand.] in 1. diſt. 26. quæſt. 1. num. 10. contrariam vocat, expreſsè *contra inuentionem Sanctorum, & contra determinationem Eccleſiæ*. [Torres.] Torres, exiſtimat eam, *errori quàm proximam; ne ſimpliciter*, inquit, *dicamus errorem*. [Molina.] Molina, in hac quæſt. artic. 2. diſputat. 2. membro 1. vocat, *temerariam, & parùm in fide tutam*. [Bañes.] Bañes, art. 1. dub. 1. § *Pro ſolutione*, ait quòd, negare perſonas diuinas diſtingui relationibus, *eſt manifeſta hæreſis*. Sed §. *Secunda pars*, ait, quòd negare perſonas diuinas conſtitui relationibus, *eſt error in fide, vel errori proximum*. Et hoc propter eos qui dicunt, perſonas diuinas, diſtingui quidem relationibus, ſed conſtitui abſolutis proprietatibus. [Zumel.] Zumel, art. 2. diſp. 1. concl. 1. ſic ait. *Erroneum eſt, & fortè hæreticum affirmare diuinas perſonas diſtingui realiter proprietatibus abſolutis*. Et poſt adductas quaſdam expoſitiones ad authoritates Theologorum, Sanctorũ, & Conciliorum, ſic de illis expoſitionibus ait. *Temerarium, & erroneum eſt, has expoſitiones admittere in defenſionem ſententiæ citatæ, & ponere in Deo aliquod abſolutum incommunicabile*. [Vaſquez.] Vaſquez, diſp. 158. num. 14. dicit Ripam, & Scotum quantùm ad diſtinctionem, *manifeſtè lapſos fuiſſe*; quantùm verò ad conſtitutionem *non ita planè damnari poſſe*. Sed Vaſquez, quantùm ad hoc, non loquitur conſequenter. Quoniam apud Scotum, idem eſt principium conſtitutiuum, ac diſtinctiuum, ac per conſequens, eadem eſſet notandus ratione conſtitutionis, qua notatur ratione diſtinctionis. [Arrubal.] Arrubal, diſp. 111. c. 5. ait, *eſſe temerarium, & errori quàm proximum*. [Nazarius.] Nazarius, art. 4. controuerſia vnica §. 2. *non ſolùm temerariũ, ſed errorem in fide* appellat. [Ruiz.] Didacus Ruiz, de Trinit. diſp. 87. ſect. 1. cui ſubſcribit [Amicus.] Amicus, diſp. 20. ſect. 2. num. 32. *ad minimum errori proximam*. [Gonzal.] Gonzalez, diſp. 13. ſect. 2. num. 22. ſic ait. *Hanc concluſionem communiter docent Theologi eſſe adeò certam, vt oppoſita ſit error, vel ſaltem proxima errori, & valde temeraria*. [Arriaga.] Et Arriaga, diſp. 51. ſect. 3. ſubſect. 2. ait, quòd *oppoſita ſententia, ab omnibus reijcitur, à nonnullis vt erronea, ab alijs vt proxima errori*.

10 Probatur ratione; Quod in diuinis dicitur abſolutè, non multiplicatur, ſeù non dicitur pluraliter: ſed proprietates in diuinis realiter multiplicantur, & realiter pluraliter dicuntur. Ergo proprietates diuinarum perſonarum conſtitutiuæ non ſunt entitates abſolutæ, ſed intrinſecè relatiuæ. Patet conſequentia ex antecedenti. Probatur antecedens; Nam ideò eſſentia diuina eſt communis pluribus perſonis, quia ipſa eſt aliquid abſolutum. Item. Ideò eſſentia diuina eſt vna, quia eſt quid abſolutum. Vndè Sacra Concilia, & Sancti Patres, & communiter Theologi, ijs, dumtaxat, exceptis, cum quibus diſputamus, illud probatiſſimum formarunt axioma, in diuinis, ſcilicet, omnia ſunt vnum, vbi non obuiat relationis oppoſitio, quia vbi non obuiat relationis oppoſitio, ibi datur formalitas abſoluta, quæ in diuinis debet eſſe ratio vnitatis, & non pluralitatis.

11 Magis hæc veritas exageratur, & probatur. Sacra Concilia, Sancti Patres, probatiſſimique Theologi, hoc axioma formantes, non ſunt irrationabiliter ſermocinantes, ſed in aliqua ratione fundati: ſed alia prædictæ propoſitionis fundamentalis ratio nec eſſe, nequè imaginari poteſt, niſi iſta, quod implicat in diuinis multiplicari abſolutum, ſeù quia abſolutum in diuinis eſt ratio vnitatis, non verò diſtinctionis, & pluralitatis; & ſola relatio, ſeù ſola relatiua oppoſitio eſt multiplicitatis ratio.

12 Probatur tertiò; Quia abſolutum, quod diſtinguitur ab aliquo alio abſoluto eſt ſimpliciter limitatum, & finitum. Ergo proprietates conſtitutiuæ perſonarum non ſunt ſimpliciter abſolutæ. Conſequentia patet, quia implicat perſonam diuinam dici abſolutè, & ſimpliciter limitatam, & finitam. Probatur autem antecedens; quia diſtinctio realis inter abſoluta, eſt cauſa limitationis, & finitatis. Nam ideo datur vnus tantummodo Deus, quia Deus eſt aliquid abſolutum abſolutè, & ſimpliciter illimitatum, & infinitum. Ergo.

CAPVT SECVNDVM.

Proponuntur argumenta in contrarium, & ſoluuntur.

13 SED contra iſtam determinationẽ obijciet aliquis primò. Perſonæ diuinæ ſunt per propriam ſubſiſtentiam ſubſiſtentes. Ergo ſunt proprietates abſolutæ. Antecedens ſupponitur ex ſupra probatis. Probatur autem conſequentia; Quia ſubſiſtere eſt ad ſe eſſe. Ergo non ad aliud.

14 Reſpondetur, explicando antecedẽs. Perſonæ diuinæ ſunt per propriam ſubſiſtentiam relatiuam ſubſiſtentes, concedo antecedens. Sunt per propriam ſubſiſtentiam abſolutam ſubſiſtentes, nego

Digitized by Google

nego antecedens. Ergo &c. nego conſequentiam. Ad cuius probationem, diſtinguo, ſeù explico antecedens. Subſiſtere eſt ad ſe eſſe, per excluſionem inhærentiæ, concedo antecedens. Subſiſtere eſt ad ſe eſſe, adhùc explico antecedens. Eſt ad ſe eſſe, tranſitiuè (loquēdo de ſubſiſtentia relatiua) concedo antecedens. Subſiſtere eſt ad ſe eſſe, intranſitiuè, nego antecedens. Ergo &c. nego conſequentiam.

15 Obijciet ſecundò. Quia relatio aliquid refert: ſed non refert ſe ipſam. Ergo aliud à ſe ipſa. Tunc vltra. Sed perſona diuina eſt illa, quæ refertur, relatio verò illa, quæ refert. Ergo relatio diuina diſtinguitur à perſona diuina.

16 Reſpondetur, loquendo de relatione diuina, explicando maiorem. Relatio aliquid indiſtinctum à ſe refert, concedo maiorem. Relatio aliquid diſtinctum à ſe, in ratione quo, & quod, concedo maiorem. Aliquid diſtinctum à ſe, vt præſuppoſitum, & non conſtitutum à ſe, nego maiorem. Ad minorem. Sed non refert ſe ipſam. Similiter diſtinguo minorem. Sed non refert ſe ipſam, prout eſt id quo, concedo minorem. Sed non refert ſe ipſam, pro vt eſt id quod, nego minorem. Ergo &c. nego conſequentiam. Ad ſubſumptionem minoris adhùc diſtinguo minorem; Sed perſona diuina eſt illa, quæ refertur vt quod, per ſe ipſam, ideſt, per relationem, quæ eſt vt quo, ipſa perſona refertur, concedo minorem. Sed perſona diuina eſt illa, quæ refertur per relationem, quaſi ſit alia formalitas à ſe, nego minorem. Ergo &c. nego conſequentiam. In diuinis igitur perſona, quæ refertur, & relatio qua perſona refertur, non aliter diſtinguuntur, niſi ſecundùm abſtractum, & concretum, vt quo, & vt quod.

17 Obijciet tertiò. Omnis relatio terminatur ad aliquod abſolutum. Ergo proprietas conſtitutiua perſonæ diuinæ, debet eſſe formalitas abſoluta. Probatur conſequentia; quia terminus relationis non poteſt eſſe eſſentia diuina. Ergo altera perſona. Ergo ſi terminus eſt abſolutus, etiam proprietas conſtitutiua perſonæ, & ipſa perſona ſunt aliquid abſolutum.

18 Reſpondetur, negando antecedens, quod quamuis ab arguente ſupponatur verum; à nobis tamen tanquàm falſum omnino negatur, & præſertim in diuinis.

19 Obijciet quartò. Perſona diuina Patris, eſt prior origine, vel ad minus eſt prior ſecundùm rationem, quam generatio Filij, & ſpiratio actiua Spiritus ſancti. Ergo priùs ſupponitur conſtituta in ratione perſonæ, quàm dicat relationem. Antecedens videtur eſſe verum. Probatur autem conſequentia; quia non poteſt intelligi Pater generans Filium, & ſpirans Spiritum ſanctum, niſi præintelligatur conſtitutus in ratione perſonæ. Ergo.

20 Reſpondetur, concedendo antecedens; & diſtinguendo conſequens. Ergo priùs intelligitur conſtituta in ratione perſonæ, quàm quòd dicat relationem, pro vt dicit ad, & actionem, ſeù originem, concedo conſequentiam. Pro vt relatio dicit formam hypoſtaticam, nego conſequentiam.

21 Obijciet quintò. Conſtitutiuum perſonæ diuinæ debet eſſe incommunicabile, ſicut incommunicabilis eſt perſona conſtituta: ſed non eſt de ratione relationis incommunicabilitas. Ergo. Maior apud omnes patet. Probatur minor; quia relatio ſpirationis actiuæ eſt relatio diuina: ſed huiuſmodi relatio non eſt incommunicabilis; cum ſit Patri, Filioquè communis. Ergo.

22 Reſpondetur, concedendo maiorem, & diſtinguendo, ſeù explicando minorem. Sed non eſt de ratione relationis perſonarum, incommunicabilitas, concedo minorem. Sed non eſt de ratione relationis perſonalis, incommunicabilitas, nego minorem. Ergo &c. nego conſequentiam. Eò quia, in doctrina Diui Thomæ, & ſequacium eius, relatio perſonalis eſt conſtitutiua perſonæ; relatio verò perſonarum, veluti conſequitur perſonas conſtitutas.

DISPVTA-

Digitized by Google

DISPVTATIO CCVIII.

VTRVM CONSTITVTIVVM, AC DISTINCTIVVM perſonæ diuinæ ſit proprietas relatiua ſub ratione abſoluta, ſeù modo abſoluto, an potiùs ſub ratione, & modalitate etiam relatiua.

Per vnicum caput expedita.

CAPVT VNICVM.

Determinatio veritatis.

1 QVAMVIS quidam ex noſtris videantur dicere, perſonas diuinas conſtitui per proprietatem relatiuam ſub ratione, ſeù modo abſoluto, eo modo, quo ſupra diſp. 16. retulimus, & explicauimus; nihilominùs relictis aliorũ dicendi modis, quid mihi in hac diſp. dicendũ occurrit, breuiter proponã. Vnde,

2 Pro determinatione veritatis, Dico breuiter. Proprietas conſtitutiua perſonæ diuinæ eſt relatio, ſeù formalitas relatiua, ſub ratione, ſeù ſub modo relatiuo.

3 Explico priùs concluſionem, deinde probabo. Per proprietatem relatiuam ſub ratione relatiua, ſeù modo relatiuo, non intelligo relationem, pro vt exprimit ipſum, ad, inadæquatè diſtinctum ab eadem relatione, pro vt concipitur ſubſiſtens; quoniam clarum eſt, quòd proprietas relatiua concepta, vt ſubſiſtens, ſeù vt faciens ſubſiſtere, præſcindendo ſecundùm noſtrum intelligendi modum ab ipſo, ad, non dicit proprietatem relatiuam modo relatiuo; ideoquè, ſi per rationem abſolutam, ſeù modum abſolutum proprietatis relatiuę intelligatur præciſio per inadæquatum intellectus noſtri conceptum, ab ipſo conceptu, ad, conſideratur ſub ratione abſoluta, & modo abſoluto. Intelligo igitur per proprietatem relatiuam ſub ratione relatiua, ſeù modo relatiuo, ipſam proprietatem relatiuam ſecundùm modum ſibi intrinſecè conuenientem, & dico, proprietatem relatiuam, ſub quocumquè inadæquato conceptu concipiatur, ſemper habere modum conuenientem intrinſecè relationi perfectiſſimæ competentem.

4 Item, vt ſupra diſp. 164. obſeruauimus, relatio dupliciter conſiderari poteſt. Primò; pro vt in omnium philoſophorum, ac logicorum ore verſatur. Secundò, quatenùs per fidem eleuati cognoſcimus eam in diuinis reperiri. Et quidem, ſi primo modo, dicendum eſt, quòd relatio, vt relatio, & relatio modo relatiuo, idem ſonat, ac relatio ſecundùm quòd exprimit, ſeù dicit ad. Et in hoc ſenſu pluriès, & quaſi ſemper à D. Thoma accipitur, cum dicitur relatio, vt relatio. Si ſecundo modo, dicendum eſt, quòd relatio ſecundùm propriam, ac intrinſecam eius rationẽ, dicit ſubſiſtentiam propriam, & conſecutionem ad originem, actiuè, vel paſſiuè; & ordinem ad aliam perſonam. Et omnia hæc conueniunt relationi diuinæ ſecundùm proprium conceptum relationis perfectiſſimæ. Eò quia, omnia hæc conueniunt relationi diuinæ, pro vt virtualiter diſtinctæ ab eſſentia, omnibuſquè abſolutis prædicatis eius. His igitur breuiter obſeruatis,

5 Probatur breuiter vnica ratione, quæ me conuincit, ſic. Formalitas relatiua, vt formalitas relatiua, virtualiter diſtinguitur ab eſſentia diuina, vt eſſentia eſt, & ab omnibus abſolutis prædicatis eiuſdem. Ergo non conuenit ei intrinſecè modus abſolutus, ſeù ratio abſoluta. Ergo modus intrinſecus eius, ſemper debet eſſe ratio relatiua, & modus relatiuus. Hæc ſecunda conſequentia patet ex prima. Prima conſequentia eſt euidens, & ſic manifeſtatur. Formalitati abſolutæ, vt formalitas abſoluta eſt, pro vt. ſ. virtualiter diſtinguitur à formalitate

Digitized by Google

litate reſpectiua, conuenit modus abſolutus, ſeù ratio abſoluta. Ergo formalitati, ſeù proprietati relatiuæ non poteſt intrinſecè conuenire modus abſolutus, ſeù ratio abſoluta, ſed modus eius intrinſecus debet eſſe relatiuus, ſeù ratio relatiua.

6 Quò ſi quis in contrarium obijciat primò; multorum Thomiſtarum authoritates in contrarium, præſertim Capreoli, Caietani, & Ferrarienſis.

7 Reſpondetur, ſicut reſponſum eſt ſupra diſp. 165. cap. 3. vbi horum Doctorum teſtimonia explicauimus à numero 40. vſquè ad vltimum.

8 Si quis obijciat ſecundò; Quia quando concipimus perſonam diuinam, vt ſubſiſtentem ſubſiſtentia propria, præſcindendo ab ipſo, ad, non concipimus eam ſub ratione relatiua, ſeù modo relatiuo. Ergo ſub ratione abſoluta, ſeù modo abſoluto.

9 Reſpondetur, concedendo antecedēs, loquendo de inadæquato relationis diuinæ conceptu, prout noſtro captui correſpondet. Ergo &c. diſtinguo conſequens. Sub ratione abſoluta, ſeù modo abſoluto, extrinſecè, per præciſionem ab ipſo, ad, concedo conſequentiam. Sub ratione abſoluta, ſeù modo abſoluto, intrinſecè, nego conſequentiam. Quoniam, vt dicebamus, de ratione perfectiſſimæ relationis eſt, non ſolùm dicere, ad, verumetiam originem actiuè, vel paſſiuè, & propriam ſubſiſtentiam, quæ licèt non concipiatur cum ipſo, ad, tamen ex parte formalitatis obiectæ, ſemper retinet modum perfectiſſimæ relationis, qui conſiſtit in hoc, vt ſubſiſtat tranſitiuè, non autem intranſitiuè. Vnde præciſio ab ipſo, ad, eſt ſecundùm præciſionem intelligentiæ noſtræ propter noſtram in intelligendo diuina, intrinſecam imperfectionem. Vide quæ ſupra diſp. 164. à principio vſquè ad finem diximus.

DISPVTATIO CCIX.

VTRVM PERSONÆ DIVINÆ CONSTITVANTVR relationibus, ſecundùm quòd dicuntur origines, an potiùs ſecundùm quòd nomine relationis nuncupantur.

Per vnicum caput expedita.

CAPVT VNICVM.

Explicatur titulus, opiniones referuntur, & veritas ſtabilitur.

1 IN diuinis conſideratur proceſſio vnius perſonæ ab alia; vnde ſacra Concilia, Sancti Patres, & communiſſimè Theologi dicunt, quòd ordo, qui inter diuinas perſonas reperitur, eſt à quo alius, & qui ab alio; per quæ verba, relatio inter diuinas perſonas ſecundùm rationem originis explicatur. Quærimus igitur in præſenti, Vtrùm Pater v.g. in ratione perſonæ Patris, conſtituatur per hoc, quod eſt generans; & à Filio diſtinguatur per hoc idem, quod Pater eſt generans. Et ſimiliter Filius, vtrùm conſtituitur in ratione perſonæ Filij, per hoc, quod dicitur generari, & per hoc idem à Patre diſtinguatur, quia ſcilicet, Pater eſt generans & Filius generatur. An potiùs, perſona Patris dicatur conſtituta per relationem paternitatis prout conceptui ſubiacet relationis.

2 D. Bonauentura in 1. diſt. 26. q. 3. tenet, perſonas diuinas conſtitui, & diſtingui originibus, ſecundùm quòd origines ſunt. D Bonau.

3 D. Thomas autem in hac quæſt. art. 2. & alibi pluriès putat meliùs dici, quòd perſonæ diuinæ conſtituuntur relationibus, quàm originibus. Hoc idem ſuſtinent communiter Thomiſtæ. Vnde,

4 Pro determinatione veritatis, Dico primò. Perſona diuina in ratione ſubſiſtentis conſtituitur per relationem, ſecundùm quòd relatio conſideratur, vt forma hypoſtatica, non verò per relationem,

Digitized by Google

tionem, vt origo eſt, ſeù vt dicit ad.

5 Probatur primò authoritate D. Thomæ ſupra q. 29. art. 4. in corp. vbi ait, quòd *perſona diuina ſignificat relationem vt ſubſiſtentem*. Et infra q. 40. ar. 4. in corp. vbi ſic ait. *Sed proprietas perſonalis Patris poteſt conſiderari dupliciter. Vno modo, vt eſt relatio; & ſic iterum ſecundùm intellectum, præſupponit actum notionalem. Quia relatio in quantùm huiuſmodi fundatur ſuper actum. Alio modo, ſecundùm quòd eſt conſtitutiua perſonæ, & ſic oportet, quòd præintelligatur relatio actui notionali, ſicut perſona agens præintelligitur actioni.*

6 Quę Angelici Præceptoris verba ſunt ponderatione digna. Etenim eadem proprietas, quæ eſt conſtitutiua Patris in ratione perſonæ, eo modo, quo intelligitur perſona à D. Thoma in loco pręallegato, & eadem, *vt eſt relatio*, ſemper à D. Thoma relatio nuncupatur, vt patet in præcitatis verbis. Ideoquè quando in primo diſtinctionis membro dicit, quòd poteſt conſiderari *vno modo, vt eſt relatio*, ly, *vt eſt relatio*, non ſic reſtringit proprietatem ad propriam relationis rationem, vt ſecundum membrum diſtrahat ab ea. Aliàs, non rectè, nec formaliter in ſecundo diſtinctionis membro diceret, quòd *alio modo, conſiderari poteſt, ſecundùm quòd eſt conſtitutiua perſonæ, & ſic oportet, quòd præintelligatur relatio actui notionali*. Debet ergo intelligi, ſicuti ſupra diſp. 165. per totam, præſertim num. 36. diximus. Nam nomine relationis, vt relatio eſt, intelligit proprietatem relatiuã, quatenùs eſt in vſu philoſophorum, ac logicorum hoc nomen relatio, quod idem eſt, ac dicere, quòd proprietas dupliciter conſiderari poteſt, vno modo, vt eſt actu referens; alio modo vt conſtitutiua perſonæ in ratione hypoſtaſis, ſeù in ratione ſubſiſtentis.

7 Probatur ſecundò ratione; Quia origo dupliciter conſiderari poteſt, actiuè ſcilicet, & paſſiuè: ſed neutro modo perſona in ratione ſubſiſtentis poteſt originibus conſtitui. Ergo perſonæ diuinæ non conſtituuntur originibus. Maior patet. Probatur minor; quia ſi conſideretur actiuè ex parte Patris nimirum, cui tribuitur origo actiua reſpectu Filij, conſideratur, vt via, ſeù vt tendentia ad producendum Filium. Ergo non cõſtituit perſonam Patris. Antecedens ex ipſa nominis ęthymologia patet. Probatur autem conſequentia; quia perſona Patris vt perſona ſubſiſtens, non intelligitur vt in via. Item actio, vt actio, ſecundùm intellectum pręſupponit perſonam agentem, ſed origo actiuè in diuinis, ſe habet vt actio. Ergo præſupponit perſonam in ratione ſubſiſtentis cõſtitutam.

8 Et hæc ſecunda probatio vehementer militat contra doctrinam D. Bonauenturæ. Ideò enim ex doctrina illius, perſonæ diuinæ non conſtituuntur relationibus, quia relationes ſecundùm intellectum præſupponunt origines. Ergo ſi origo actiuè ſumpta perſonæ Patris, præſupponit perſonam Patris in ratione ſubſiſtentis, non poteſt intelligi, nec rectè dici, quòd ſit conſtitutiua perſonæ Patris in ratione ſubſiſtentis.

9 Et magis vrget ratio; quia ſuppoſito, quòd origo præſupponat perſonam Patris, in ratione ſubſiſtentis, peto, per quid conſtituitur in ratione perſonæ vt ſubſiſtentis? Si dicatur, quòd per aliquã formalitatem diſtinctam à formalitate relatiua. Contra. Ergo eſſet aliqua formalitas abſoluta, & eſſet incidere in opinionem pluribus cenſuris à Theologis refutatam, vt iam vidimus. Si dicatur eſſe relationem, ſeù formalitatem relatiuam, ſecundùm quòd conſideratur quaſi forma hypoſtatica. Benè quidem, ſed hoc eſt ad noſtram recurrere opinionem. Ergo &c.

10 Si ſermo ſit de origine paſſiuè accepta, nequè etiam dici poteſt, quòd perſona diuina conſtituitur per originem. Patet hoc; quia origo paſſiua v. g. Filij, eſt veluti via, qua producitur Filius. Ergo non eſt conſtitutiua Filij formaliter loquendo de Filio in ratione perſonæ, vt ſubſiſtentis.

11 Dico ſecundò. Perſona diuina adæquatè conſiderata, conſtituitur per relationem, ſeù per proprietatem relatiuã, quatenùs proprietas relatiua, ſeù relatio perſonalis includit, & eſt quaſi forma hypoſtatica, & vt dicit referentiam ad aliam perſonam.

12 Probatur breuiter primò. Quia perſona diuina debet conſtitui per proprietatem, ſeù per relationem perſonalem adæquatè conſideratam, intra formalitatem, ſeù lineam relationis. Ergo perſona diuina conſtituitur per relationem quantùm ad omnia munera recitata. Probatur antecedens; quia perſona diuina adæquatè conſiderata, eſt aliquid completum. Ergo debet conſtitui per aliquam formalitatem completè conſideratam. Ac per conſequens, debet cõſtitui per omne illud, quod per ſe, intrinſecè, & formaliter pertinet ad lineam formalitatis illius.

13 Explicatur hoc in multis caſibus. Album enim, vt album formaliter, conſtituitur per albedinem, quantũ ad omnia, quæ

quæ pertinent ad albedinem, vt albedo eſt; & homo humanitate. Et ne à diuinis recedamus, Deus conſtituitur deitate; conſtituitur per intelligere per eſſentiam, quantùm ad omne illud, quod per ſe, & intrinſecè reperitur in deitate, & in intelligere per eſſentiam. Conſtituitur volens, ſeù volitiuus volitione, ſeù voluntate, quãtùm ad omne illud, quod per ſe, intrinſecè, & formaliter reperitur in linea volitionis, & voluntatis. Ergo ſimiliter, perſona diuina in ratione perſonæ adæquatè conſideratæ, conſtituitur per relationem perſonalem, quantũ ad omne illud, quod per ſe, intrinſecè, & formaliter reperitur in formalitate, ſeù in linea relationis perſonalis. Vnde fateor, à me concipi non poſſe, quod perſona Patris v. g. dicatur adæquatè conſtitui paternitate inadæquatè intellecta. Ideoquè ſi ſemel admittatur, quòd perſona Patris conſtituitur paternitate adęquatè conſiderata, negari non poteſt, quòd perſona Patris conſtituatur relatione, vt eſt quaſi forma hypoſtatica, ſeù vt eſt ſubſiſtentia relatiua, & vt eſt referens. Etenim adæquatè formalitas paternitatis ratio omnia iſta intrinſecè, formaliter, & per ſe includit, & dicit. Et quidem quo ad vltimum, eſt adeò apud aduerſarios certum, vt ideò negauerint perſonas diuinas conſtitui relationibus, quia relationes formaliter dicunt ad. Imò D. Thomas ipſe paulò ante præallegatis verbis, teſtificatus eſt, dicens, quòd proprietas perſonalis dupliciter conſiderari poteſt, vno modo, vt eſt relatio & cæt. Ergo cum de primò nulla ſit inter Thomiſtas difficultas, dicendum eſt quòd paternitas v. g. eſt conſtitutiua perſonæ Patris, ſecundùm quòd omnia duo recitata exercet munera.

14 Probatur ſecundò; Quia perſona diuina eſt relatiua per ſe, in primo modo dicendi per ſe. Ergo debet conſtitui per relationem, quantùm ad omnia quæ conueniunt ei in primo modo dicendi per ſe. Sed relationi diuinæ dicere ad, conuęnit in primo modo dicendi per ſe. Ergo perſona diuina conſtituitur per relationem, etiam, vt dicit ad.

15 Obijciet autem aliquis, contra primũ dictum. Relatio, vt relatio, conſequitur actionem. Ergo non conſtituit perſonam in ratione ſubſiſtentis.

16 Reſpondetur, explicando antecedẽs. Relatio, vt relatio, ideſt, vt dicit ad, conſequitur actionem, concedo antecedẽs. Relatio, vt relatio, ideſt, vt eſt quaſi forma hypoſtatica, nego antecedẽs. Ergo &c. ſimiliter diſtinguẽdũ eſt cõſequens.

17 Obijciet ſecundò contra ſecundum dictum ex D. Thoma. Relatio, vt eſt quaſi forma hypoſtatica eſt conſtitutiua perſonæ, non autem vt relatio eſt, ideſt, non autem vt dicit ad; Ergo perſona diuina adæquatè conſtituitur per relationem perſonalem inadæquatè acceptam, non autem adæquatè conſideratam.

18 Reſpondetur, explicando antecedens. Ex D. Thoma, relatio, vt eſt quaſi forma hypoſtatica eſt cõſtitutiua perſonę, in ratione ſubſiſtentis incommunicabiliter, concedo antecedens, & in hoc ſenſu locutus eſt D. Thomas. Eſt conſtitutiua perſonæ diuinæ adæquatè conſideratæ, nego antecedens, & in hoc ſenſu non locutus eſt D. Thomas; Ergo &c. Similiter diſtinguendum eſt conſequẽs.

19 Obijciet tertiò. De fide certum eſt, quod Filius producitur à perſona Patris, iuxta illud Ioannis 7. *Ego ex Deo proceſſi*. Et illud Athanaſij in Symbolo. *Filius à Patre ſolo eſt*. Tunc ſic proponitur argumentum. Vel Filius procedit à perſona Patris inadæquatè conſiderata; vel à perſona Patris adæquatè accepta. Non ſecundum; quia nulla perſona poteſt intelligi operans, ſeù producens, quin prę-intelligatur completè in ratione perſonæ conſtituta. Si primum. Ergo perſona diuina non conſtituitur in ratione perſonæ adæquatè conſideratæ, per relationem perſonalem adæquatè acceptam. Probatur conſequentia. Quia in illo ſigno in quo cõſideratur Pater v. g. producens, iam præintelligitur completè perſona. Ioan. 7. Athanaſ.

20 Argumentum hoc, ideo aliqualem apparentiam habet; quia concipimus diuinas perſonas ad modum perſonarũ creatarum, quæ in ſe ipſis ſunt aliquid abſolutum; & non habemus exempla in nobis de perſonis intrinſecè relatiuis. Suppoſito igitur, quòd perſonæ diuinæ ſunt formaliter, & intrinſecè relatiuæ, faciliori negotio intelligitur reſponſio, & non erit pro hoc argumento ſoluẽndo nimioperè laborandum.

21 Reſpondetur itaquè, cõcedendo ſuppoſitum, & ad petitionem argumenti, dico, quòd ſi loquamur de Filio, & Patre ſecũdùm adæquatam rationem perſonarum, ſeù præſcindendo à præciſione noſtri intellectus, non datur aliquod ſignum, nequè etiam virtualiter, in quo perſona Patris intelligatur producere Filium, ante rationem relationis, vt referentis. Si verò loquamur ſuppoſita noſtri intellectus imperfectione, non valentis vnico cõceptu cõcipere perſonã Patris v. g. quantùm ad conceptum adæ-

adæquatum eius, ſic dico, quod Filius intelligitur procedere à Patre, vt conſtitutus in ratione perſonæ adæquatè in ratione ſubſiſtentis, non autem adæquatè in ratione perſonæ diuinæ. Poſtquàm enim intellectus conſiderauit Patrem in ratione ſubſiſtentis, ſubſiſtentia ſibi propria, conſiderauit eamdem perſonam Patris vt producentem Filium, & deinde conſiderauit Filium productum, & tandem, paternitatem, vt referentem perſonam Patris ad Filium, ſimulatquè filiationem referentem perſonam Filij ad Patrem.

22 Si quis diceret, hoc eſſe valde difficile captu.

23 Credat, & firmiter teneat, perſonas diuinas eſſe relatiuas, & ſuppoſita hac adhæſione, facilis erit præſentis doctrinæ intelligentia. Vnde admiratio ſit de ratione perſonarum relatiuarum, non de ſententia. Et quis poterit aliter intelligere, ſuppoſito, quòd tres perſonæ diuinæ ſunt tres ſubſiſtentiæ intrinſecè relatiuę?

QVÆSTIO XLI.

DE PERSONIS IN COMPARATIONE AD ACTVS NOTIONALES.

IN SEX ARTICVLOS DIVISA.

DEinde conſiderandum eſt de perſonis in cōparatione ad actus notionales. Et circa hoc quæruntur ſex.

¶ Primò, vtrum actus notionales ſint attribuendi perſonis.

¶ Secundò, vtrum huiuſmodi actus ſint neceſſarij, vel voluntarij.

¶ Tertiò, vtrum ſecundum huiuſmodi actus, perſona procedat de nihilo, vel de aliquo.

¶ Quartò, vtrum in diuinis ſit ponere potentiam, reſpectu actuum notionalium.

¶ Quintò, quid ſignificet huiuſmodi potentia.

¶ Sextò, vtrum actus notionales, ad plures perſonas terminari poſſint.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum actus notionales ſint attribuendi perſonis.

AD primum ſic proceditur, videtur quod actus notionales nō ſint perſonis attribuēdi: dicit enim Boet. in lib. de Trin. quod omnia genera cū quis in diuinam vertit prædicationem, in diuinam mutantur ſubſtantiam, exceptis relatiuis; ſed actio eſt vnum de decem generibus. Si igitur actio aliqua Deo attribuitur, ad eius eſſentiam pertinebit, & non ad notionem.

2 Præterea. Auguſt. dicit lib. 5. de Trinit. ꝙ omne, quod de Deo dicitur, aut dicitur ſecundum ſubſtantiā, aut ſecundum relationem; ſed ea, quæ ad ſubſtantiam pertinent, ſignificantur per eſſentialia attributa: quæ verò ad relationem, per nomina perſonarum, & per nomina proprietatum.

Non

FORMATIO ARTICVLI.

COrporis diſtributio in vnica concluſione reſponſiua quæſito, & in vna eiuſdem probatione conſiſtit.

Cōcluſio eſt iſta. *Ad ſignificandum originis ordinem in diuinis perſonis, neceſſariū fuit attribuere perſonis actus notionales.*

Probatio eſt iſta. *In diuinis perſonis attēditur diſtinctio ſecundū originem.* Ergo *ad ſignificandum originis ordinem in diuinis perſonis, neceſſariū fuit &c.* Probat conſequentiam. Quia *origo conuenienter deſignari non poteſt, niſi ꝑ aliquos actus.*

Ad primum argumentum reſpondet, explicando maiorē. *Omnia genera, cum quis in diuinam vertit*

præ-

prædicationem, in diuinam mutantur ſubſtantiam, exceptis relatiuis, includendo ſub relatiuis etiam actus notionales, concedit maiorem. Non includendo etiam actus notionales, negat maiorem. Tunc conceſſa minori, negat conſequentiam, loquendo de actione notionali.

Poteſt ſecūdò ſic reſponſio formari, concedo maiorem iuxta poſitam explicationem, & minorem & diſtinguendo ſuppoſitum conſequentis. *Si igitur actio aliqua Deo attribuitur,* ſecundùm quā creatura ab eo progreditur, *ad eius eſſentiam pertinebit*, & non ad notionem, concedit ſuppoſitum conſequentis, & conſequentiam. *Si igitur actio aliqua Deo attribuitur*, ſecūdùm quā deſignatur ordo originis, ſecundū proceſſionem perſonæ à perſona, *ad eius eſſentiam pertinebit*, & non ad notionem, negat conſequentiā.

Ad ſecundum argumentum reſpondet, explicando maiorem. *Omne, quod de Deo dicitur, aut dicitur ſecundùm ſubſtantiam, aut ſecundùm relationē* intelligendo per relationem, non ſolū ipſum, ad, verum etiam origines ipſas, ipſaſq; perſonas ſubſiſtentes, concedit maiorem. Intelligendo per relationem ſolùm ipſum, ad, negat maiorem. D. autem Auguſtinus exponendus eſt in primo, non in ſecundo ſenſu. Ad minorem. *Sed ea, quæ &c.* explicat minorem quò ad ſecundā partem. *Quæ verò ad relationem, per nomina perſonarum, & per nomina proprietatum*, & etiam per nomina actuum notionaliū, concedit ſecundam partem minoris. Et non etiam per nomina actuum notionalium, negat ſecundam partem minoris. Ergo &c. negat conſequentiam.

Ad tertium argumentum reſpondet, diſtinguendo maiorem. *Proprium actionis ſecundùm quòd importat originem motus eſt ex ſe paſſionem inferre*, concedit maiorē. *Proprium actionis*, ſecundùm quòd importat ordinem originis, eſt ex ſe paſſionem inferre, negat maiorem. Tunc cōceſſa minori, negatur conſequentia.

Non ſunt ergo præter hæc, attribuendi perſonis notionales actus.

3 Præterea. Proprium actionis eſt ex ſe paſſionem inferre; ſed in diuinis non ponimus paſſiones: ergo neque actus notionales ibi ponendi ſunt.

Sed contra eſt, quod Auguſt. dicit in lib. de fide ad Petrum: proprium quidem Patris eſt, quod Filium genuit: ſed generatio actus quidam eſt: ergo actus notionales ponendi ſunt in diuinis.

Reſpondeo dicendum, quod in diuinis perſonis attenditur diſtinctio ſecundum originem: origo autem conuenienter deſignari non poteſt niſi per aliquos actus. Ad ſignificandum igitur originis ordinem in diuinis perſonis, neceſſarium fuit attribuere perſonis actus notionales.

Ad primum ergo dicendum, quod omnis origo deſignatur per aliquem actum; duplex autem ordo originis attribui Deo poteſt. Vnus quidem, ſecundum quod creatura ab eo progreditur, & hoc commune eſt tribus perſonis; & ideò actiones, quę attribuuntur Deo ad deſignādum proceſſum creaturarum ab ipſo, ad eſſentiam pertinent. Alius autem ordo originis in diuinis attenditur, ſecundū proceſſionem perſonę à perſona: vnde actus deſignantes huius originis ordinem, notionales dicuntur, quia notiones perſonarum ſunt perſonarum habitudines adinuicem, vt ex dictis patet.

Ad ſecundum dicendum, quod actus notionales ſecundum modum ſignificandi tantum, differunt à relationibus perſonarum, ſed re ſunt omninò idem, vnde Magiſter dicit in 1. ſentent. diſtinct. 26. quod generatio, & natiuitas alijs nominibus dicuntur paternitas, & filiatio.

Ad cuius euidentiam attendendum eſt, quod primo oportet cognoſcere originem alicuius ab alio ex motu: quia enim aliqua res à ſua diſpoſitione remoueretur per motum, manifeſtum fuit hoc ab aliqua cauſa accidere; & ideò actio ſecundum primam nominis impoſitionem importat originem motus. Sicut enim motus, prout eſt in mobili ab aliquo, dicitur paſſio, ita origo ipſius motus ſecundum quod incipit ab alio, & terminatur in id, quod mouetur, vocatur actio. Remoto igitur motu, actio nihil aliud importat, quam ordinem originis, ſecundum quod à cauſa aliqua, vel principio procedit in id, quod eſt à principio: vnde cum in diuinis non ſit motus, actio perſonalis producentis perſonam, nihil aliud eſt quam habitudo principij ad perſonam, quæ eſt à principio. Quæ quidem habitudines ſunt ipſæ relationes, vel notiones: quæ tamen de diuinis, & intelligibilibus rebus loqui non poſſumus, niſi ſecundum modum rerum ſenſibilium, à quibus cognitionem accipimus, & in quibus actiones, & paſſiones in quantum motum implicant, aliud ſunt à relationibus, quæ ex actionibus, & paſſionibus conſequuntur: oportuit ſeorſum ſignificari habitudines perſonarum per modum actus, & ſeorſum per modum relationum; & ſic patet, quod ſunt idem ſecundum rē, ſed differunt ſolum ſecundum modum ſignificandi.

Ad tertium dicendum, quod actio ſecundum quod importat originem motus, infert ex ſe paſſionem: ſic autem non ponitur actio in diuinis perſonis: vnde non ponuntur ibi paſſiones, niſi grammaticè loquendo, quantum ad modum ſignificandi, ſicut Patri attribuimus generare, & Filio generari.

Digitized by Google

SVPER ARTICVLVM COMMENTARIVM.

1 VTRVM *actus notionales*. Actus notionales ſunt. Producere, generare, ſpirare; procedere generari. ſpirari, produci. Primi, dicuntur actiuè. Sequentes, paſſiuè.

2 *Vtrum actus notionales*. Dantur in Deo actus eſſentiales, & notionales. Notionales iam explicati ſunt. Eſſentiales ſunt, ſicuti intelligere, velle, creare &c. In præſenti loquitur de actibus notionalibus, qui ſunt proprij alicuius, vel aliquarum perſonarum; non autem de eſſentialibus, qui ſunt communes.

3 *Vtrum actus notionales ſint attribuendi perſonis. Attribuendi*, ideſt ponendi in perſonis.

4 *In diuinis perſonis attenditur diſtinctio ſecundùm originem.* Dubium occurrit. Quia quæſt. præced. art. 2. per extenſum, ac ex profeſſo probauit, perſonas diuinas diſtingui per relationes, per origines verò manifeſtari tantùm, & non quòd diſtinctio attendatur ſecũdùm originem. Ergo non cohærenter dicit hìc, quòd *in diuinis perſonis attenditur diſtinctio ſecundùm originem*.

5 Reſpondetur primò, concedendo antecedens, & negando conſequentiam; & ratio negationis eſt; quia hìc non dicit, quòd in diuinis perſonis ratio primaria perſonarum diſtinctiua ſit per origines, ſed tantùm, quòd *in diuinis perſonis attenditur diſtinctio ſecundùm originem*; & hoc verum eſt; Etiamſi à poſteriori, & aliquo modo à priori, pro vt præcedenti diſputatione dictum eſt, ad diſtinctionem perſonarum origines ipſæ concurrant.

6 In reſp. ad primum. *Alius autem ordo originis in diuinis attenditur ſecundùm proceſſionem perſonæ à perſona. Et actus deſignantes huius originis ordinem, notionales dicuntur.* Et ſenſus eſt, quòd non pertinent ad eſſentiam, vt eſſentia eſt, ſed ad perſonas, duntaxat.

7 In reſp. ad ſecundùm. *Actus notionales ſecundùm modum ſignificandi tantùm*, differunt à relationibus perſonarum. Secundùm modum ſignificandi pro vt dicunt, ad, & etiam pro vt dicunt hypoſtaſin. Eò quia, pro vt dicunt ad, præſupponunt actus notionales, veluti fundamentum proximum. Et actus notionales, vt actus notionales explicant, præſupponuntur relationi, vt eſt referens, præſupponunt verò relationem, vt hypoſtaſis eſt.

8 Nota doctrinam de ratione formali actionis in eadem reſp. ad 2. & reſp. ad 3. vbi concedit in Deo rationem actionis, negat verò rationem paſſionis. Non obſtante, quòd art. 4. præced. quæſt. cõceſſerit in diuinis origines actiuè ſignificatas, & paſſiuè; eò quia, per origines paſſiuè ſignificatas, non intendit nomina propriè ſignificantia paſſionem, ſicut ſpiratum, actum, effectum &c. ſed intelligit nomina ſignificantia proceſſionem ab alio abſquè paſſione, vt ſunt, natiuitas, quæ attribuitur Filio, & proceſſio, quæ attribuitur Spirituiſancto. Quapropter, D. Thomas hìc in reſp. ad 3. ſic ait. *Vnde non ponuntur ibi paſſiones, niſi grammaticè loquendo, quantùm ad modũ ſignificandi, ſicut Patri attribuitur generare, & Filio generari.* D.Thom.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Vtrum notionales actus ſint voluntarij.

AD ſecũdum ſic proceditur, *videtur quod actus notionales ſint voluntarij: dicit enim Hilar. lib. 1. de ſynod. Non naturali neceſſitate ductus, Pater genuit Filium.*

2. *Præterea. Apoſt. Col. 1. Tranſtulit nos in regnum Filij dilectionis ſuæ: dilectio autem volun-*

FORMATIO ARTICVLI.

Bipartita eſt corporis diſtributio. Primò, dicit, quòd aliquid fieri voluntate, dupliciter poteſt intelligi; ponit primum diſtinctionis membrum; illud explicat; ſub illo ponit primam cõcluſionem reſponſiuam quaſito, eamq; probat. Secundò, po-

ponit ſecūdum mēbrum; explicationē eiuſdem; & immediatè poſt, ponit ſecundam concluſionem, eamquè authoritate, & ratione probat, corollariumquè deducit.

Quò ad primum, ſic ait. *Cum dicitur aliquid eſſe, vel fieri voluntate, dupliciter poteſt intelligi. Vno modo, vt ablatiuus deſignet concomitantiam tantùm.* Ecce primum diſtinctionis membrum.

Explicatio eſt iſta. *Sicut poſſum dicere, quòd ego sū homo mea voluntate, quia ſcilicet, volo me eſſe hominem.*

Prima concluſio iuxta præfatum mēbrum diſtinctionis eſt iſta. *Hoc modo poteſt dici, quòd Pater genuit Filium voluntate.*

Probatio eſt iſta. *Hoc modo poteſt dici, quòd eſt volūtate Deus.* Ergo *hoc modo poteſt dici, quòd Pater genuit Filium voluntate.* Antecedens ſupponitur vt verum. Probat cōſequentiam. Quia *vult ſe eſſe Deum, & vult ſe generare Filium.* Ergo *poteſt dici, quòd Pater genuit Filium voluntate, ſicut & eſt voluntate Deus.*

Quò ad ſecūdum ſic ait. *Alio modo ſic, quod ablatiuus importet habitudinem principij.* Ecce ſecundum diſtinctionis membrum.

Declaratio eſt iſta. *Sicut dicitur, quòd artifex operatur voluntate, quia voluntas eſt principium operis.*

Secunda concluſio iuxta hoc ſecundum diſtinctionis membrum, eſt bimembris, & eſt iſta. *Secundùm hunc modum, dicendum* [illegible]

luntatis eſt; ergo Filius genitus eſt à Patre voluntate.

3 *Præterea. Nihil magis eſt voluntarium, quam amor, ſed Spiritus ſanctus procedit à Patre, & Filio, vt amor: ergo procedit voluntariè.*

4 *Præterea. Filius procedit per modum intellectus vt verbum, ſed omne verbum procedit à dicente per voluntatem: ergo Filius procedit à Patre per voluntatem, & non per naturam.*

5 *Præterea. Quod non eſt voluntarium, eſt neceſſarium. ſi igitur Pater genuit Filium non voluntate, videtur ſequi, quod neceſſitate genuerit; quod eſt contra Auguſt. in lib. ad Oroſium.*

Sed contra eſt, quod Auguſt. dicit in eodem libro, quod neque voluntate genuit Pater Filium, neque neceſſitate.

Reſpondeo dicendum, quod cum dicitur aliquid eſſe, vel fieri voluntate, dupliciter poteſt intelligi. Vno modo, vt ablatiuus deſignet concomitantiā tantum, ſicut poſſum dicere, quod ego ſum homo mea voluntate, quia ſcilicet, volo me eſſe hominē; & hoc modo poteſt dici, quod Pater genuit Filiū voluntate, ſicut & eſt voluntate Deus, quia vult ſe eſſe Deum, & vult ſe generare Filium. Alio modo ſic, quod ablatiuus importet habitudinem principij. Sicut dicitur, quod artifex operatur voluntate, quia voluntas eſt principium operis; & ſecundum hunc modum dicendum eſt, quod Deus Pater non genuit Filium voluntate, ſed voluntate produxit creaturam: vnde in lib. de Synod. dicitur, quod ſi quis voluntate Dei tanquam vnū aliquid de creaturis Filium factum dicat, anathema ſit: & huius ratio eſt quia voluntas & natura ſecundum hoc differunt in cauſando, quia natura determinata eſt ad vnum; ſed voluntas non eſt determinata ad vnum: cuius ratio eſt, quia effectus aſſimilatur formæ agentis per quam agit. Manifeſtum eſt autem, quod vnius rei non eſt niſi vna forma naturalis, per quam res habet eſſe: vnde quale ipſum eſt, tale facit; ſed forma per quā voluntas agit, non eſt vna tantum, ſed ſunt plures, ſecundum quod ſunt plures rationes intellectæ: vnde quod voluntate agitur, non eſt tale, quale eſt agens, ſed quale vult, & illud intelligit eſſe agens. Eorum igitur voluntas principium eſt, quæ poſſunt ſic, vel aliter eſſe: eorum autem, quæ non poſſunt niſi ſic eſſe, principium natura eſt. Quod autem poteſt ſic, vel aliter eſſe, longè eſt à natura diuina, ſed hoc pertinet ad rationem creaturæ, quia Deus eſt per ſe neceſſe eſſe, creatura autem eſt facta ex nihilo; & ideò Arriani volentes ad hoc deducere, quod Filius ſit creatura, dixerunt, quod Pater genuit Filium voluntate, ſecundum quod voluntas deſignat principium. Nobis autem dicendum eſt, quod Pater genuit Filium non voluntate, ſed natura: vnde Hilar. dicit in lib. de ſynod. Omnibus creaturis ſubſtantiam Dei voluntas attulit, ſed naturam dedit Filio ex impaſſibili, ac non data ſubſtantia perfecta natiuitas. Talia enim cuncta creata ſunt, qualia Deus eſſe voluit: Filius autem natus ex Deo, talis ſubſiſtit, [illegible] *qualis* [illegible]

eſt, quod Deus Pater nō genuit Filium voluntate, ſed voluntate produxit creaturas.

Probatio ex authoritate eſt iſta; *Quia in libro de Synodis* inter opera Hilarij circa mediū in Symbolo Firmienſi *dicitur, quòd ſi quis voluntate Dei tanquàm vnū aliquid de creaturis Filium factum dicat, anathema ſit.*

Probatio ex ratione eſt iſta; *Eorum voluntas principiū eſt, quæ poſſunt ſic, vel aliter eſſe. Eorum autem, quæ non poſſunt, niſi ſic eſſe, principium natura eſt: ſed quod poteſt ſic, vel aliter eſſe, longè eſt à natura diuina, ſed hoc pertinet &c.* Lege litterā vſquè ad ly, *ex nihilo.* Ergo *ſecundum hunc modum, dicendū eſt &c.* Probat antecedens. Quia *voluntas, & natura ſecundùm hoc differunt in cauſando, quia natura determinata eſt ad vnum, ſed voluntas non eſt determinata ad vnum.* Ergo *Deus Pater non genuit Filium volūtate &c.* Probat antecedens; Quia *manifeſtum eſt, quòd vnius rei non eſt niſi vna forma naturalis, per quam res habet eſſe.* Ergo *quale ipſum eſt, tale facit.* Item; *forma per quam voluntas agit, non eſt vna tantùm, ſed ſunt plures, ſecundùm quòd ſunt plures rationes intellectæ.* Ergo *quod voluntate agitur, non eſt tale, quale eſt agens, ſed quale vult, & illud intelligit eſſe agens.* Probat conſequentiam; quia *effectus aſſimilatur formæ agentis, per quam agit.*

Corollarium eſt iſtud. *Et ideò Arriani volentes &c.* Lege lit-

qualis & Deus eſt.

Ad primum ergo dicendum, quod auctoritas inducitur contra illos, qui à generatione Filij, etiā concomitantiam paternæ voluntatis remouebant, dicentes, ſic eum natura genuiſſe Filium, vt tamē voluntas generandi ei non adeſſet, ſicut & nos multa naturali neceſſitate contra voluntatem patimur, vt mortem, ſenectutem, & huiuſmodi defectus; & hoc patet per præcedentia, & ſubſequētia: ſic enim ibi dicitur: Non enim nolente Patre, vel coactus Pater, vel naturali neceſſitate inductus, genuit Filium.

Ad ſecundum dicendum, quod Apoſtolus nominat Chriſtum Filium dilectionis Dei, inquantū eſt à Deo ſuper abundanter dilectus, non quod dilectio ſit principium generationis Filij.

Ad tertium dicendum, quod etiam voluntas inquantum eſt natura quædam aliquid naturaliter vult, ſicut voluntas hominis naturaliter tendit ad beatitudinem; & ſimiliter Deus naturaliter vult, & amat ſeipſum: ſed circa alia à ſe voluntas Dei ſe habet ad vtrumque quodammodo, vt dictum eſt. Spiritus autem ſanctus procedit vt amor, inquantum Deus amat ſeipſum: vnde naturaliter procedit, quamuis per modum voluntatis procedat.

Ad quartum dicendum, quod etiam in conceptionibus intellectualibus fit reductio ad prima, quæ naturaliter intelliguntur. Deus autem naturaliter intelligit ſeipſum, & ſecundum hoc conceptio verbi diuini eſt naturalis.

Ad quintum dicendum, quod neceſſarium dicitur aliquid per ſe, & per aliud; per aliud quidem dupliciter. Vno modo ſicut per cauſam agentem, & cogentem, & ſic neceſſarium dicitur, quod eſt violentum. Alio modo ſicut per cauſam finalem, ſicut dicitur aliquid eſſe neceſſarium in his, quæ ſunt ad finem, inquantum ſine hoc non poteſt eſſe finis, vel bene eſſe; & neutro iſtorum modorum diuina generatio eſt neceſſaria, quia Deus non eſt propter finem, neque coactio cadit in ipſum. Per ſe autem dicitur aliquid neceſſarium, quod non poteſt non eſſe, & ſic Deum eſſe eſt neceſſarium; & hoc modo Patrem generare Filium, eſt neceſſarium.

litteram vſquè ad finem corporis.

Ad primum argumentum reſpondet, explicando authoritatem Hilarij. *Non naturali neceſſitate ductus*, id eſt, non nolens *Pater genuit Filiū*, concedit, & in hoc ſenſu locutus eſt Hilarius. *Non naturali neceſſitate ductus*, ſed liberè, ſeù voluntate liberè principiante, *Pater genuit Filium*, negat, & in hoc ſenſu non locutus eſt Hilarius. Lege litteram.

Ad ſecundum argumentum reſpondet, explicando maiorem. *Tranſtulit nos in regnum Filij dilectionis ſuæ*, id eſt, Filij à Deo ſuperabundanter dilecti, concedit maiorem; & in hoc ſenſu loquitur Sacra ſcriptura. *Tranſtulit nos in regnum Filij dilectionis ſuæ*, quaſi dilectio ſit principium generationis Filij, negat maiorem; & in hoc ſenſu non loquitur Sacra ſcriptura. Tunc conceſſa minori, negat conſequentiam.

Ad tertium argumentum reſpondet, explicando maiorē. *Nihil magis eſt voluntarium, quàm amor*, loquendo de voluntario, ſeù de voluntate vt naturaliter, aut liberè amante, concedit maiorem. Loquendo de voluntate quatenùs liberè amante tantùm, negat maiorē. Similiter explicanda eſt minor, & neganda eſt conſequentia, ſeù ſimiliter diſtinguendum eſt conſequens.

Sub alijs verbis, ſic poteſt reſponſio formari, diſtinguendo, ſeù explicando maiorem. *Nihil magis eſt voluntarium* liberè, vel neceſſariò, *quàm amor*, concedit maiorem. *Nihil magis eſt voluntarium*, liberè tātùm, quàm amor, negat maiorem. Ad minorem. *Seu Spiritus ſanctus &c.* explicat minorem. *Sed Spiritus ſanctus procedit à Patre, & Filio vt amor*, naturaliter, ſeù neceſſariò, concedit minorem. Liberè, negat minorem. Ergo &c. ſimiliter diſtinguendum eſt conſequens.

Ad quartum argumentum reſpondet, & reſponſio in hac forma proponitur, concedendo maiorem, & diſtinguendo minorem, *ſed omne verbum procedit à dicente per voluntatem*, reſpectu eorum, quæ non inteliguntur neceſſariò, concedit minorem. Reſpectu eorum, quæ intelliguntur neceſſariò, negat minorem. Ergo &c. negat conſequentiam; Quia *etiam in conceptionibus &c.* Lege litteram.

Ad quintum argumentum reſpondet, concedendo antecedens, & diſtinguendo ſequelam. *Si igitur Pater genuit Filium nō voluntate, videtur ſequi, quòd neceſſitate genuerit*; neceſſitate per ſe conſiderata, concedit conſequentiam, & negat minorem ſubſumptam. Neceſſitate per cauſam agentem, negat ſequelam.

SVPER ARTICVLVM COMMENTARIVM.

1 VTRVM *notionales actus*. Non dicit notionalis, ſed notionales; quia loquitur de omnibus actibus notionalibus: actus autem notionales ſunt veluti generare, & ſpirare &c. vt dictum eſt.

2 *Sint voluntarij*. Non dicit, ſint liberi, ſed voluntarij; Et ſenſus eſt, Vtrum actus notionales ſint voluntate, ſiuè vt

natura

Digitized by Google

natura agente, ſiuè vt libera. Et hoc in principio corporis explicatur.

3 *Vno modo vt ablatiuus deſignet concomitantiam tantùm.* Per *concomitantiam*, intendit excludere voluntatem, in ratione principij effectus, aut termini producti. Et patet exemplo ab eodem poſito, cū ait; *Sicut poſſum dicere, quòd ego ſum homo mea voluntate, quia ſcilicet, volo me eſſe hominem.* Vbi non eſt neceſſe, quòd in eodem ſigno in quo homo eſt, ſit etiam actus voluntatis, vt homo ſit, vel, vt homo ſit homo; imò experientia conſtat, quòd iſte voluntatis actus puta, cōplacentia hominis, quòd ſit homo, eſt poſt hominem ipſum. Dicitur igitur per concomitantiam, quia voluntas hominis reſpicit ipſum hominem tanquàm obiectum, non tanquàm effectum ab hominis voluntate productum. Idem dicendum eſt, ſi actus voluntatis antecedat obiectum, dummodo voluntas reſpiciat illud, vt obiectum, & non vt effectum, ſeù terminum productum per ipſum. Vide num. 5. ſequentem.

4 *Et hoc modo poteſt dici, quòd Pater genuit Filium voluntate,* ſcilicet eſſentiali, quod verba ſequentia exponunt, dum ſic ait. *Sicut & eſt voluntate Deus; quia vult ſe eſſe Deum.*

5 *Alio modo ſic, quòd ablatiuus importet habitudinem principij,* ratione cuius ſcilicet, res, puta effectus, ſeù perſona habeat eſſe. Vnde dicentes cum Scoto, & Caietano, quòd priùs conſideratur Deus volens Filij generationem, quàm conſideretur generatio, ſeù eiuſdem Filij natiuitas, non tenentur dicere, quòd proceſſio Verbi ſit per voluntatem diuinam in ratione principij; quia proceſſio Verbi diuini eſſet obiectum voluntatis diuinæ, & non ab ipſa voluntate progrediens, & ſic dicerent vtiquè, quòd actus notionalis generationis æternę eſſet voluntarius voluntate per concomitantiam, non autem voluntate in ratione principij.

6 *Voluntas, & natura ſecundùm hoc differūt in cauſando, quia natura determinata eſt ad vnum, ſed voluntas non eſt determinata ad vnum.* Et paucis interiectis, *eorum igitur voluntas principium eſt, quę poſſunt ſic, vel aliter eſſe. Eorum autem quæ non poſſunt niſi ſic eſſe, principium natura eſt.* Faſolus ſuper hunc articulum dubit. 3. num. 10. in principio, poſt ſupradictorum verborū relationem, ſic ait. *Vbi obiter prudentem lectorem monere iuuat, vt animaduertat quantùm ab hac doctrina aberrent noui Thomiſtæ, qui vt liberam voluntatem contradiſtinctam à natura conſtituant cauſam in actu primo proximè completam ad operandum, eam prædeterminant ad vnum. Hoc planè deſtruit differentiam in hoc articulo traditam, quam voluntas, & natura habent in cauſando. Si enim voluntas cauſat vt prædeterminata ad vnum. Ergo cauſat vt natura; quia natura in cauſando determinata eſt ad vnum, vt expreſſis verbis clariſſimè docet Sanctus Thomas. Ergo etiam voluntas cauſat non vt voluntas, ſed oppoſito prorſus modo; quia idem, inquit, voluntas in cauſando non eſt determinata ad vnum. Qua confuſione voluntatis cum natura in ratione cauſandi, niſi ſe videns eſt omnem in cauſando libertatem de medio tolli.*

Faſolus.

7 Monere quoquè iuuat Faſolum, vt animaduertat, quantùm à vera doctrina Thomiſtarum, eius captus aberret. Noui enim, antiquiores, vtriquè Thomiſtæ non dicunt, voluntatem vt ſic, agere vt prædeterminatam ad vnum. Etenim diuina voluntas à nullo eſt ad agendum ad extra, ſed à ſe ſola determinata. Nequè abſolutè dicunt, voluntatem creatam velle, ſeù agere, vt prædeterminatā ad vnum, vt ipſe falsò Thomiſtis imponit. Sed Thomiſtæ dicunt, quòd voluntas creata, quia operatur vt cauſa ſecūda, & nō vt cauſa prima, vt aliquid operetur, depēdet à prima; & cauſa prima eſt cauſa efficax, vt cauſa ſecunda libera liberè ad bonū ſe determinet; & iſte influxus Dei in cauſas ſecūdas liberas eſt id, quo Deus facit, vt cauſa ſecunda libera ad actum liberum liberè exeat. Et hic idem influxus dicitur prædeterminatio à Thomiſtis; quæ prædeterminatio non eſt ad vnum abſolutè, vt non rectè Faſolus cum ſuis percipere volunt; quandoquidem, illa eſt determinatio ad naturam pertinens, quæ eſt eorum, quæ non poſſunt niſi ſic eſſe. Eſt igitur huiuſmodi prædeterminatio, non per modum naturæ, ſed per modum voluntatis creatæ. Ac proinde, non datur ad poſſe, quoniam poſſe remanet in ſua indifferentia, ſed datur ad actualiter operari, non qualitercumquè, ideſt, non violenter, nequè neceſſariò, ſed liberè. Et hæc eſt vera intelligentia doctrinæ D. Thomæ, vt videri poteſt ſupra, q. 22. art. 4. Et q. 23. art. 1. in corp. & præſertim ad primum, vbi non obſcurè docet, non omnem prędeterminationem tollere libertatem, ſed eam, quæ imponit neceſſitatem. Prædeterminatio cauſæ ſecundę liberæ à Deo, quam Thomiſtæ tradunt, non eſt prædeterminatio formalis, vt Faſolus, & quidam alij aduerſarij putant, ſed prædeterminatio cauſalis, vt ſupra tom. 2. diſp. 123. declarauimus.

8 *Vnius rei non eſt niſi vna forma naturalis, per quam res habet eſſe. Vna forma naturalis;* quia re vera in compoſito non ſunt plures formæ ſubſtātiales. Verùm, admiſſis in

in vno compoſito ſubſtantiali pluribus ſubſtantialibus formis,etiam propoſitio D. Thomæ vera eſt, quantùm ad pręſens pertinet inſtitutum; quoniam omnes illæ formæ ſubſtantiales iuxta ponētes eas,ordinantur ad conſtitutionem vnius compoſiti ſubſtantialis per ſe.

9 *Sed forma per quam voluntas agit, non eſt vna tantùm,ſed ſunt plures, ſecundùm quòd ſunt plures rationes intellectæ. Rationes intellectæ* dicuntur formæ, ſeù obiecta plura ab intellectu cum indifferēti iudicio voluntati præſentata, vt voluntas liberè eligat,quod illi placuerit.

10 *Eorum autem,quæ non poſſunt niſi ſic eſſe, principium natura eſt*. Si ſermo ſit de principio proximo, dicendum eſt, quòd nomine naturæ, non intelligitur natura, quæ eſt forma ſpecifica. Ipſa enim non eſt proximum alicuius operationis, vel effectus principium, ſed radicale, & primum. Nomine ergo naturæ,intelligitur potentia naturalis, pro vt à potentia libera contradiſtinguitur. Sicut lignū calefit ab igne per calorem.

11 In reſp. ad 3. *Etiam voluntas in quantùm eſt natura quædam, aliquid naturaliter vult*. Voluntas duplicem modum habet operandi; liberum ſcilicet,& naturalem,ſeù neceſſarium, quidquid Scotus in contrarium dicat; ſemper tamen eſt voluntas,& concurrit vt principium vitale reſpectu ſcilicet, amoris liberi, & neceſſarij. Reſpectu primi, dicitur voluntas vt libera; reſpectu verò ſecundi,dicitur voluntas vt natura, ſeù vt potentia naturalis animæ.

12 *Vnde naturaliter procedit*, (ideſt Spiritus ſanctus) *quamuis per modum voluntatis procedat*. Naturaliter procedere; & procedere per modum voluntatis,vidētur eſſe duo modi oppoſiti, & D. Thomas, ponit ly, *per modum voluntatis*, vt quid modificans, ly, *naturaliter*; rectè tamen, ac diligenter Angelicum Doctorem contemplanti, nihil repugnans, diſſonumquè reperiet. Etenim per ly, *naturaliter*, intelligit idem, ac neceſſariò; & per ly, *per modum voluntatis*, non accipitur, quaſi eſſet idem, ac per modum libertatis, ſed accipitur ſic. *Per modum voluntatis*, ideſt, voluntate vitaliter concurrente, & vult dicere, quòd Spiritus ſanctus procedit voluntate neceſſariò volente, ſeù Spiritus ſanctus procedit *naturaliter*, ſeù neceſſariò, naturalitate, ac neceſſitate, quæ conuenit voluntati reſpectu ſummi ſcilicet, & infiniti boni.

13 In reſp. ad 4. *Etiam in conceptionibus intellectualibus fit reductio ad prima, quæ naturaliter intelliguntur*. Senſus eſt,quòd non ſemper etiam in nobis producitur Verbum, aut aliquid intelligitur dependenter à voluntate principiante; quoniam reſpectu eorum, quæ neceſſario cognoſcuntur, ſicuti ſunt prima principia, ſtatimatquè de illis formatur Verbum, & intellectio abſquè dependentia ab actu præcedente per voluntatem.

14 In reſp. ad quintum. Nota diſtinctionem neceſſarij.

ARTICVLVS TERTIVS.

Vtrum actus notionales ſint de aliquo.

FORMATIO. ARTICVLI.

Corporis diſtributio in vna cōcluſione bimēbri, eiuſquè probatione conſiſtit.

Concluſio eſt iſta. *Filius non eſt genitus de nihilo, ſed de ſubſtantia Patris.*

Probatio quò ad primam partet, eſt iſta. *Paternitas, & Filiatio, & natiuitas, verè, & propriè eſt in diuinis*. Ergo *Filius non eſt genitus de nihilo*. Probat conſequentiam; primò. Quia *ſi Filius Dei procederet à Patre, quaſi exiſtens ex nihilo, non eſſet verè, & propriè Filius*, quod eſt contra præſuppoſitum antecedens; & *cuius contrarium dicitur primæ Ioannis vltimo,vt ſimus in vero Filio eius Ieſu Chriſto*. Ergo *Filius Dei verus, non eſt ex nihilo factus, ſed tantùm genitus*. Pro-

Ad tertium ſic proceditur, videtur quod actus notionales non ſint de aliquo; quia ſi Pater generat Filium de aliquo, aut de ſeipſo, aut de aliquo alio. Si de aliquo alio,cum id de quo aliquid generatur, ſit in eo quod generatur, ſequitur, quod aliquid alienum à Patre ſit in Filio; quod eſt cōtra Hilar. lib. 7. de Trinit. vbi dicit: Nihil in his diuerſum eſt,vel alienum. Si autem Filium generat Pater de ſeipſo, id autem de quo aliquid generatur, ſi ſit permanens,recipit eius prædicationem, quod generatur,ſicut dicimus, q̄ homo eſt albus,quia homo permanet,cum de non albo fit albus. Sequitur igitur,quod Pater,vel nō permaneat genito Filio, vel quod Pater ſit Filius,quod eſt falſum: nō ergo Pater generat Filium de aliquo, ſed de nihilo.

2 Præ-

Probat conſequẽtiam ſecũdò quo ad primam partem cõpletè, & quò ad ſecũdam initiatiuè ſic. *Hoc intereſt inter generationem veram, per quam aliquis procedit vt Filius; & factionẽ; quod faciens &c.* Lege litteram vſquè ad illa verba, *alio præſuppòſito*, incluſiuè. Ergo *ſi Filius procederet à Patre, vt de nihilo exiſtens, hoc modo ſe haberet ad Patrem &c.* Legè litteram vſquè ad illam particulam, *ſimilitudinem*, incluſiuè.

Probans cõſequẽtiam quò ad ſecundã concluſionis partem tria facit. Primò, explicat diſcrimẽ inter Filium naturalem Dei, & Filios ſecundùm ſimilitudinem. Secundò, deducit illationẽ pro ſecunda parte concluſionis. Et tertiò, ponit diſcrimen inter Filium Patris in diuinis, & Filium Patris in humanis.

Quò ad horũ primum ſic ait. *Vnde in quantùm ſolus eſt verus, & naturalis Dei Filius, dicitur Vnigenitus, ſecundùm illud Ioannis 1. Vnigenitus qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarrauit; In quantùm verò per aſſimilationem ad ipſum alij dicuntur Filij ad optiui, quaſi metaphorice &c.* Lege litteram vſquè ad illa verba, *in multis fratribus*; incluſiuè.

Quò ad horum ſecundum, ſic ait. *Relinquitur ergo, quòd Dei Filius ſit genitus de ſubſtantia Patris.*

Quò ad horũ tertium, ſic ait. *Aliter tamen, quàm Filius hominis. Pari enim ſubſtantiæ &c.* Lege litteram vſque ad finẽ corporis.

Ad primum argumentum reſpondet, concedendo maiorem, & minorem quò ad primam partem, negando verò minorem quò ad ſecũdam eius partem. Ad cuius probationem diſtinguit, ſeù explicat antecedens. *Id, de quo aliquid generatur, recipit eius prædicationem, quod generatur.* Si *id, de quo aliquid generatur* ſe habet vt materia, vel vt tranſmutabile, concedit antecedẽs. Si *id, de quo*, ſignificat principium generans conſubſtantiale, nõ autem principium materiale, negat antecedens. Sequitur igitur &c. negat vtramquè cõſequentiam.

Ad ſecundum argumentum duo facit. Primò, refert reſponſionem Magiſtri ſent.; eamquè tanquàm inſufficiẽtem impugnat. Secũdò, propriam ponit reſponſionem.

Quò ad primum ſic ait. *Cum dicitur Filius genitus de eſſentia Patris, ſecundùm expoſitionem Magiſtri ſentẽtiarum diſt. 1. deſignat habitudinem principij quaſi actiui &c.* Lege litteram vſquè ad illa verba, *de Patris eſſentia*; incluſiuè.

Impugnat autem ſic dicens. *Sed hoc non videtur ſufficere ad ſenſum huiuſmodi locutionis. Poſſumus enim dicere, quòd creatura eſt ex Deo eſſentia; non tamen quòd ſit ex eſſentia Dei.*

Quò ad ſecundũ, reſpondet ad argumẽ-

2 Præterea. Id de quo aliquid generatur, eſt principium eius, quod generatur: ſi ergo Pater generat Filium de eſſentia, vel natura ſua, ſequitur quod eſſentia, vel natura Patris ſit principium Filij; ſed non principium materiale, quia materia locum in diuinis non habet: ergo eſt principium quaſi actiuum, ſicut generans eſt principium geniti; & ita ſequitur, quod eſſentia generet, quod ſupra improbatum eſt.

3 Præterea. Auguſt. dicit, quod tres perſonę non ſunt ex eadem eſſentia, quia nõ eſt aliud eſſentia, & perſona; ſed perſona Filij non eſt aliud ab eſſentia: ergo Filius non eſt de eſſentia Patris.

4 Præterea. Omnis creatura eſt ex nihilo: ſed Filius in ſcripturis dicitur creatura: dicitur enim Eccl. 24. ex ore ſapientiæ genitæ. Ego ex ore altiſſimi prodij, primogenita ante omnem creaturã; & poſtea ex ore eiuſdem ſapientiæ dicitur: Ab initio, & ante ſęcula creata ſum: ergo Filius non eſt genitus ex aliquo, ſed ex nihilo; & ſimiliter poteſt obijci de Spiritu ſancto, propter hoc, quod dicitur Zachar. 12. Dixit Dominus extendens, cœlum, & fundans terram, & creans ſpiritum hominis in eo; & Amos 4. ſecundum aliam litterã: Ego formans nontes, & creans ſpiritum.

Sed contra eſt, quod Auguſt. dicit in lib. de fide ad Petrum: Pater Deus ſolus eſt de ſua natura, ſine initio genuit Filium ſibi æqualem.

Reſpondeo dicendum, quod Filius non eſt genitus de nihilo, ſed de ſubſtantia Patris. Oſtenſum eſt enim ſupra, quod paternitas, & filiatio, & natiuitas, verè & propriè eſt in diuinis: hoc autem intereſt inter generationem veram, per quam aliquis procedit vt Filius, & factionem; quod faciẽs facit aliquid de exteriori materia, ſicut ſcamnum facit artifex de ligno: homo autem generat filium de ſeipſo. Sicut autem artifex creatus facit aliquid ex materia, ita Deus facit ex nihilo (vt infra oſtenditur) non quod nihilum cedat in ſubſtantiã rei; ſed quia ab ipſo tota ſubſtantia rei producitur, nullo alio præſuppoſito. Si ergo Filius procederet à Patre, vt de nihilo exiſtens, hoc modo ſe haberet ad Patrem, vt artificiatum ad artificem, quod manifeſtum eſt nomen filiationis propriè habere non poſſe; ſed ſolum ſecundum aliquam ſimilitudinẽ: vnde relinquitur, quod ſi Filius Dei procederet à Patre, quaſi exiſtens ex nihilo, non eſſet verè, & propriè filius: cuius contrarium dicitur 1. Ioan. vltimo, vt ſimus in vero Filio eius Ieſu Chriſto: Filius igitur Dei verus, non eſt ex nihilo, nec fact⁹; ſed tantum genitus. Si qui autem ex nihilo à Deo facti Filij Dei dicantur, hoc erit metaphoricè ſecũdum aliqualem aſſimilationem ad eum, qui verè filius eſt: vnde inquantum ſolus eſt verus, & naturalis Dei filius, dicitur vnigenitus, ſecundum illud Ioan. 1. Vnigenitus qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarrauit, inquantum vero per aſſimilationem ad ipſum alij dicuntur filij adoptiui, quaſi metaphoricè dicitur eſſe primo genitus, ſecundum illud Roman. 8. Quos præſciuit, & prædeſtinauit fieri conformes imaginis filij ſui, vt ſit ipſe primogenitus in multis fratribus. Relinquitur ergo, quod

Dei

mentum, & reſponſio in hac forma proponitur, diſtinguendo antecedens. *Id de quo aliquid generatur*, eſt principium materiale, effectiuũ, aut conſubſtantiale, concedit antecedẽs. Semper effectiuum, aut materiale, negat antecedens. Et ſimiliter diſtinguendum eſt conſequens, minoremquè ſubſumptam, & negat eius conſequentiam, ac ſequelam immediatè poſtpoſitam; Et rationem negationis aſſignat; quia *hæc præpoſitio, de &c.* Lege litteram.

Ad tertium argumentum reſpondet, concedendo maiorem & minorem negando tamen conſequentiam, & rationẽ diſparitatis aſſignat; *quia cum dicitur, Filius eſt genitus de eſſentia Patris &c.* Lege litteram.

Ad quartum argumentum reſpondet, concedendo maiorem, & negando minorem. Ad cuius probationem, explicat loca Sacræ ſcripturæ. Explicationes videantur in littera, quoniam elegantes ſunt, & claræ.

Dei filius ſit genitus de ſubſtantia Patris, aliter tamen, quam filius hominis. Pars enim ſubſtantiæ hominis generantis tranſit in ſubſtantiam geniti; ſed diuina natura impartibilis eſt: vnde neceſſe eſt, quod Pater generando filium, non partem naturæ in ipſum transfuderit; ſed totam naturam ei communicauerit, remanente diſtinctione ſolum ſecundum originem, vt ex dictis patet.

Ad primum ergo dicendum, quod cum filius dicitur natus de Patre, hæc præpoſitio, de, ſignificat principium generans conſubſtantiale, non autẽ principium materiale. Quod enim producitur de materia, fit per tranſmutationem illius, de quo producitur, in aliquam formam. Diuina autem eſſentia non eſt tranſmutabilis, neque alterius formæ ſuſceptiua.

Ad ſecundum dicendum, quod cum dicitur Filius genitus de eſſentia Patris, ſecundum expoſitionem Magiſtri 5. diſtinct. 1. *ſententiarum, deſignat habitudinem principij quaſi actiui, vbi ſic exponit: Filius eſt genitus de eſſentia Patris, id eſt de Patre eſſentia, propter hoc, quod Auguſt. lib. de Trinit. dicit: Tale eſt, quod dico de Patre eſſentia, ac ſi expreſſius dicerem de Patris eſſentia; ſed hoc non videtur ſufficere ad ſenſum huiuſmodi locutionis. Poſſumus enim dicere, quod creatura eſt ex Deo eſſentia: non tamen, quod ſit ex eſſentia Dei: vnde aliter dici poteſt, quod hæc præpoſitio, de, ſemper denotat conſubſtantialitatem: vnde non dicimus, quod domus ſit de ædificatore, cum non ſit cauſa conſubſtantialis. Poſſumus autem dicere, quod aliquid ſit de aliquo, quocunque modo illud ſignificetur, vt principium conſubſtantiale, ſiuè illud ſignificetur, vt principium conſubſtantiale, ſiuè illud ſit principium actiuum, ſicut Filius dicitur eſſe de Patre, ſiuè ſit principium materiale, ſicut cultellus dicitur eſſe de ferro, ſiuè ſit principium formale in his dumtaxat, in quibus ipſæ formæ ſunt ſubſiſtentes, & non aduenientes alteri. Poſſumus enim dicere, quod Angelus aliquis eſt de natura intellectuali; & per hunc modum dicimus, quod Filius eſt genitus de eſſentia Patris, inquantum eſſentia Patris, Filio per generationem communicata, in eo ſubſiſtit.*

Ad tertium dicendum, quod cum dicitur, Filius eſt genitus de eſſentia Patris, additur, reſpectu cuius poteſt ſaluari diſtinctio; ſed cum dicitur, quod tres perſonæ ſunt de eſſentia diuina, non ponitur aliquid, reſpectu cuius poſſit importari diſtinctio per præpoſitionem ſignificatam; & ideò non eſt ſimile.

Ad quartum dicendum, quod cum dicitur: Sapientia eſt creata, poteſt intelligi, non de ſapientia, quæ eſt filius Dei; ſed de ſapientia creata, quam Deus indidit creaturis. Dicitur enim Eccleſ. 1. *Ipſe creauit eam, ſcilicet, ſapientiam Spiritu ſancto, & effudit illam ſuper omnia opera ſua. Neque eſt inconueniens, quod in vno contextu locutionis loquatur ſcriptura de ſapientia genita, & creata, quia ſapientia creata eſt participatio quædam ſapientiæ increatæ: vel poteſt referri ad naturam creatam aſſumptam à Filio, vt ſit ſenſus: Ab initio, & ante ſecula creata ſum, id eſt præuiſa ſum creaturæ vniri: vel per hoc, quod ſapientia creata, & genita nuncupatur, modus diuinæ generationis nobis inſinuatur. In generatione enim, quod generatur, accipit naturam generantis, quod perfectionis eſt. In creatione verò, creans non mutatur, ſed creatum non recipit naturam creantis. Dicitur ergo filius ſimul creatus, & genitus, vt ex creatione vnitas naturæ in Patre, & Filio; & ſic exponitur intellectus huius ſcripturæ ab Hilar. lib. de ſynodis. Auctoritates autem inductæ non loquuntur de Spiritu ſancto; ſed de ſpiritu creato, qui quandoque dicitur ventus, quandoque aer, quandoque flatus hominis, quandoque etiam anima, vel quæcunque ſubſtantia inuiſibilis.*

SVPER ARTICVLVM COMMENTARIVM.

1 VTrũ *actus notionales &c.* ſubaudi, ratione terminorum ſuorum ſicuti ſunt, generare, & ſpirare. Et quamuis in articulo fiat mentio de ſola Filij generatione, non propterea excluditur ratio ſpirationis; quia eo ipſo, quòd probatur Verbum diuinum non eſſe ex nihilo productum, ſed de ſubſtantia Patris, non partita, ſeù diuiſa, ſed totaliter ei communicata, id ipſum de Spiritu ſancto, cui à Patre, Filioquè per ſpirationem tota ſubſtantia Patris, & Filij communicatur, remanet quoquè manifeſtè probatum. Senſus ergo quæſiti eſt, vtrum actus notionales ratione terminorum ſuorum, ſeù vtrum termini actuum notionaliũ, Filius ſcilicet, & Spiritus ſanctus ſint de aliquo.

2 Di-

Digitized by Google

2 *Dicendum, quòd Filius non eſt genitus de nihilo, ſed de ſubſtantia Patris.* Filius non eſt actus notionalis, eſt tamen per generationem, quæ eſt actus notionalis. Vnde dicens, quòd Filius non eſt genitus de nihilo, ſed de ſubſtantia Patris, dicit actum notionalem, non quidem ratione ſui, vt iam diximus, quia cum ipſi non procedāt, non ſunt de aliquo, ſed ratione terminorum ſuorum, qui procedunt.

3 *Hoc autem intereſt inter generationem veram, per quam aliquis procedit vt Filius, & factionem; quod faciens facit aliquid de exteriori materia.* Ex quibus verbis habes primò, diſcrimen inter actionem & factionem; Quia generatio eſt verè, & propriè actio, non tamen poteſt dici propriè factio. Et hoc ètiam in creatis. Etenim quàndo homo generat hominem, non ex exteriori materia, ſed de ſubſtantia ſua generat illum: at verò quando faber ſcamnum facit, non ex ſubſtantia ſua, ſed ex aliena materia componit illud, puta ex ligno &c.

4 Habes ſecundò, verborum Symboli intelligentiam cum de Verbo diuino dicitur, *genitum, non factum*. Sermo enim eſt ad inſtructionem Catholicorum, & ad damnationem Arianorum. Dicebant enim, vt ſupra, quæſt. 27. art. 1. ſuper articulum Commentarium declarauimus, cum Ario; Verbum Dei non eſſe de ſubſtantia Patris, ideſt, conſubſtantiale Patri, ſed ex nihilo à Deo creatum, ac proinde eſſe genitum, ac primogenitum ſecundùm ſimilitudinem, factum verò ſecundùm ſermonis proprietatem, ad quam dirimendam impietatem dixit Sacrum Concilium, *genitum, non factum*, quaſi diceret, verè genitū; ac p cōſequēs, conſubſtantiale Patri; & conſequenter, *nō factum*, quia quod eſt propriè factum, ſi eſt ex artifice creato, eſt ex aliena materia formatum; ſi à Deo, ex nihilo, quod omninò repugnat ei, quod vt conſubſtantiale producenti procedit.

5 *Vnde in quantùm ſolus eſt verus, & naturalis Dei Filius, dicitur vnigenitus, ſecundum illud Ioannis 1. Vnigenitus, qui eſt in ſinu Patris &c.* Vbi habes germanam eruditamquè duorum locorum Sacræ Scripturæ expoſitionem. Dicitur enim aliquando Dei Filius, *Vnigenitus*, vt patet loco iam adducto; dicitur quoquè *Primogenitus*, vt patet ex illo Rom. 8. *vt ſit ipſe primogenitus in multis fratribus.* Ioan. 1. Rom. 8.

6 *Dicitur igitur Vnigenitus, in quantùm ſolus eſt verus, & naturalis Filius Dei.* Dicitur autem *Primogenitus*, in quantùm per aſſimilationem ad ipſum alij dicuntur Filij adoptiui. Vnde propriè dicitur vnigenitus; Primogenitus verò metaphoricè, & ſimilitudinariè. Poteſt quoquè dici, quòd dicitur vnigenitus negatiuè, quia ſcilicet, ante ipſum nō eſt alius filius genitus, non quòd poſt ipſum ſit alius ſecundus genitus.

Vide omninò reſponſiones ad argumēta, & expoſitionem Caietani.

ARTICVLVS QVARTVS.

Vtrum in diuinis ſit potentia reſpectu actūm notionalium.

AD quartum ſic proceditur, videtur quod in diuinis non ſit potentia reſpectu actuum notionalium: omnis enim potētia eſt, vel actiua, vel paſſiua; ſed neutra hic competere poteſt. Potentia enim paſſiua in Deo non eſt, vt ſupra oſtenſum eſt: potentia vero actiua non competit vni perſonæ reſpectu alterius, cum perſonæ diuinæ non ſint factæ, vt oſtenſum eſt: ergo in diuinis non eſt potentia ad actus notionales.

2 *Præterea. Potentia dicitur ad poſſibile, ſed diuinæ perſonę non ſunt de numero poſſibilium, ſed de numero neceſſariorum: ergo reſpectu actuum notionalium, quibus diuinæ perſonæ procedunt, nō debet poni potentia in diuinis.*

3 *Præterea. Filius procedit vt verbum, quod eſt conceptio intellectus; Spiritus autem ſanctus procedit*

FORMATIO ARTICVLI.

COrporis diſtributio in vnica concluſione cōſiſtit, quam vnica ratione probat, dupliciterquè confirmat.

Concluſio eſt iſta. *Neceſſe eſt in diuinis ponere potentiam reſpectu actuum notionalium.*

Probatio eſt iſta. *Ponuntur actus notionales in diuinis.* Ergo *neceſſe eſt ibi ponere potentiam reſpectu huiuſmodi actuum.* Probat conſequētiam; *Quia potentia nihil aliud ſignificat, quàm principiū alicuius actus.*

Confirmatio prima eſt iſta; *Quia Patrem intelligimus, vt principium ſpirationis, & Patrem, & Filium, vt principiū ſpirationis.* Ergo *neceſſe eſt, quòd Patri attribuamus potentiam generandi, & Patri, & Filio potentiam ſpirandi.*

Confirmatio ſecunda eſt iſta. *Quia omne generans generat aliquo*. Ergo *in omni generatione oportet ponere potentiam generãdi, & in ſpirante potentiam ſpirandi*. Probat conſequentiã, *Quia potentia generandi ſignificat id, quo generans generat.*

Ad primum argumentum reſpondet, concedẽdo maiorẽ, & negando minorẽ quo ad primam partem. Ad cuius probationem, negat antecedens. Ad cuius probationem concedit antecedens, & negat conſequentiã, & rationem negationis aſſignat; quia *ſicut ſecundum actus notionales &c.* Lege litteram.

Ad ſecundum argumentũ reſpõdet, explicando maiorẽ. *Potentia dicitur ad poſſibile, ſecundùm quòd poſſibile neceſſario opponitur*; vel ſecundùm quòd *continetur ſub neceſſario*, concedit maiorem. *Potentia dicitur ad poſſibile* ſecundùm quòd ſolũ neceſſario opponitur, negat maiorem. Similiter diſtinguenda, ſeu explicanda eſt minor; & neganda eſt conſequentia. Lege litteram.

Ad tertium argumentum reſpondet, concedendo maiorem, & diſtinguendo, ſeu explicando minorem. *Sed potentia in Deo dicitur per comparationem ad effectus*, ad actus notionales, ad perſonas productas, & etiam ad ipſum intelligere, & velle, debita diſtributione ſeruata, cõcedit minorem: *ſed potentia in Deo dicitur, per comparationem ad effectus* tãtùm, negat minorem. Ergo &c. negat conſequentiã. Lege litteram.

procedit vt amor, qui pertinet ad voluntatem; ſed potentia in Deo dicitur per comparationem ad effectus: non autem per comparationem ad intelligere, & velle, vt ſupra habitum eſt: ergo in diuinis non debet dici potentia per comparationem ad actus notionales.

Sed contra eſt, quod dicit Auguſt. contra Maxim. hæreticum: Si Deus Pater non potuit generare Filium ſibi æqualem, vbi eſt omnipotentia Dei Patris? eſt ergo in diuinis potentia reſpectu actuum notionalium.

Reſpondeo dicendum, quod ſicut ponũtur actus notionales in diuinis, ita neceſſe eſt ibi ponere potẽtiam reſpectu huiuſmodi actuum, cum potentia nihil aliud ſignificet, quam principium alicuius actus: vnde cum Patrem intelligamus, vt principium generationis, & Patrem, & Filium, vt principium ſpirationis, neceſſe eſt, quod Patri attribuamus potentiam generandi, & Patri, & Filio potentiam ſpirandi; quia potentia generandi ſignificat id, quo generans generat: omne autem generans generat aliquo; vnde in omni generatione oportet ponere potentiam generandi, & in ſpirante potentiam ſpirandi.

Ad primum ergo dicendum, quod ſicut ſecundum actus notionales non procedit aliqua perſona, vt facta, ita neque potentia ad actus notionales dicitur in diuinis per reſpectum ad aliquam perſonã factam; ſed ſolum per reſpectum ad procedentem perſonam.

Ad ſecundum dicendum, quod poſſibile ſecundum quod neceſſario opponitur, ſequitur potentiã paſſiuam, quæ non eſt in diuinis: vnde neque in diuinis eſt aliquid poſſibile per modum iſtum; ſed ſolum ſecundum quod poſſibile continetur ſub neceſſario. Sic autem dici poteſt, quod ſicut Deum eſſe eſt poſſibile, ſic Filium generari eſt poſſibile.

Ad tertium dicendum, quod potentia ſignificat principium: principium autem diſtinctionem importat ab eo cuius eſt principium. Conſideratur autem duplex diſtinctio in his, quæ dicuntur de Deo: vna ſecundum rem, alia ſecundum rationẽ tantum: ſecundum rem quidem Deus diſtinguitur per eſſentiam à rebus, quarum eſt per creationem principium, ſicut vna perſona diſtinguitur ab alia, cuius eſt principium ſecundum actum notionalem; ſed actio ab agente non diſtinguitur in Deo, niſi ſecundum rationem tantum, alioquin actio eſſet accidens in Deo; & ideò reſpectu illarũ actionum, ſecundum quas aliquæ res procedunt diſtinctæ à Deo, vel eſſentialiter, vel perſonaliter, poteſt Deo attribui potentia ſecundum propriam rationem principij; & ideò ſicut potentiam ponimus creandi in Deo, ita poſſumus ponere potentiã generandi, vel ſpirandi, ſed intelligere, & velle non ſunt tales actus, qui deſignent proceſſionem alicuius rei à Deo diſtinctæ, vel eſſentialiter: vnde reſpectu horum actum, non poteſt ſaluari ratio potentiæ in Deo, niſi ſecundum modum intelligendi, & ſignificandi tantum, prout diuerſimodè ſignificatur in Deo intellectus, & intelligere, cum tamen ipſum intelligere Dei ſit eius eſſentia, non habens principium.

SVPER ARTICVLVM COMMENTARIVM.

1 VTRVM *in diuinis ſit potentia reſpectu actuum notionalium;* Non quos producat, ſed per quos perſonæ producantur, & ſenſus eſt; Vtrum ſicut in Deo neceſſe eſt ponere actus notionales, ita quoquè ſit neceſſe ponere potentiam, quæ per actus notionales dicatur producere perſonas.

2 *Ita neceſſe eſt ibi ponere potentiam reſpectu huiuſmodi actuum, cum potentia nihil aliud ſignificet, quàm principium alicuius actus*

Potentia

Potentia (de potentia actiua loquimur) ex ſuo intrinſeco, ac eſſentiali conceptu habet, vt ſit principium realiter diſtinctum ab eo, quod realiter principiat, ſiuè ſit principium principians actionem, & effectum ſimul; ſiuè ſit principium realiter principians effectum, aut terminum, non vero actionem. Quando Ergo cum D. Thoma dicimus, quòd in Deo datur potentia reſpectu actuum notionalium, vt diximus; Quoniam actus notionales in vera via Diui Thomæ, & Thomiſtarum non diſtinguuntur ab ipſa potentia productiua, ſed ſenſus eſt, vt in titulo dicebamus, quòd in Deo datur potentia productiua perſonarum per actus notionales, ſeù in Deo datur potentia reſpectu actuum notionalium, non ratione ſui, ſed ratione terminorum ſuorum.

3 *Vnde cum Patrem intelligamus, vt principium generationis*, ideſt, vt principium producens Filium per generationem, principio, ſeù potentiæ generandi identificatam; & adhoc inſinuandum, tota doctrina articuli eſt intenta, vt patet legenti.

4 In reſp. ad ſecundum. *Poſſibile ſecundũ quòd neceſſario opponitur &c. Vnde neque in diuinis eſt aliquid poſſibile per modum iſtum*. Doctrina hæc expreſsè confirmat ea, quæ tom. 2. diſp. 118. num. 19. quæſt. 25. art. 3. num. 4. diximus, videlicet, quod Deus propriè loquendo, nõ dicitur poſſibilis; quia poſſibile propriè loquendo, accipitur à philoſophis, pro vt opponitur neceſſariò; & idem ſonat poſſibile hoc modo ſumptum, quòd poſſe eſſe, & poſſe non eſſe, quod Deo omninò repugnat; cum ſit ipſum eſſe per eſſentiam, quod ita eſt, vt per ſe, & ex ſe ſit neceſſe eſſe.

5 *Sed ſolum ſecundùm quòd poſſibile continetur ſub neceſſario*; nota, ly, *ſolum ſecundùm quòd &c.* quoniam poſſibile pro vt ſub neceſſario ponitur, eſt minùs propriè poſſibile. Ac proinde, Deus, hoc modo, abſolutè non debet dici poſſibilis; & ſi aliquando poſſibilis nominatur, debet iuxta hunc dicendi modum explicari, & non ſic abſolutè proferri. Et hoc loquẽdo de poſſibili, quatenùs eſt obiectum potentiæ Dei naturaliter cogniti, ſeù vt vnus eſt; quoniam ſi ſermo ſit de potẽtia Dei, etiam pro vt eſt trinus, Theologizandum eſt vt infra, quæſt. ſequenti diſputatione illa, qua quærimus, vtrum potentia generatiua, & potentia ſpiratiua, ſint eadem potentia, ac ipſamet omnipotentia, in quo ſenſu, & ſi eſſentia diuina & Pater non debent dici poſſibiles poſſunt tamen Filius, & Spiritus ſanctus dici poſſibiles, ideſt producibiles.

6 In reſp. ad 3. *Potentia ſignificat principium*. Nihil aliud addit, aut explicat, ex quo confirmãtur ea, quæ diximus, quòd potentia dicit principium ſiuè actionis, ſiuè effectus, ſiuè perſonæ &c. Vnde, in Deo reſpectu ad creaturas datur potentia productiua non actionis ex parte Dei ſe tenentis, ſed datur potentia creatiua, ſeù productiua effectuum tantùm. Et hæc potentia eſt toti Trinitati communis. Ad intra verò datur potentia tantummodo generandi, & ſpirandi. Prima eſt in ſolo Patre; Secunda in Patre, & Filio. Loquimur de potentia in ratione potentiæ, ſecundùm quòd ſcilicet, eſt intrinſecè includens relationem. Et ſic potentia generandi eſt principium realiter productiuum perſonæ Filij; non tamen eſt principium productiuum actus notionalis, puta, generationis. Similiter dicendum eſt de potentia ſpiratiua. Potentia igitur generatiua; ſi comparetur ad actum notionalem, diſtinguitur ratione ab eo, & dicitur propriè potentia, ſicuti actus notionalis dicitur propriè actus notionalis. Non tamen niſi ſecundùm imperfectum noſtrum intelligendi modum dici debet principium generationis intranſitiuè. Vide in commentario ſequentis articuli num. vltimo.

ARTICVLVS QVINTVS.

Vtrum potentia generandi ſignificet relationem, & non eſſentiam.

Ad quintum ſic proceditur, videtur quod potentia generandi, vel ſpirandi, ſignificet relationem, & non eſſentiam. Potentia enim ſignificat principium, vt ex eius diffinitione patet: dicitur enim potentia actiua eſſe principium agendi, vt patet in 5. metaphyſ. Sed principiũ in diuinis reſpectu pſonæ dicitur

FORMATIO ARTICVLI.

Bipartita eſt corporis diſtributio. Primò, refert quorumdã opinionem, eamquè refellit. Secundò, refert ſecundam opiniõẽ, eam approbãdo, explicationem eiuſdẽ concluſionis, ac in diuerſos modos dicendi diuiſionem ponit, quorum vnum ini-

impugnat, & alterũ conſequitur; ex quo completam quæſiti deducit concluſionem.

Quò ad primũ ſic ait. *Quidam dixerunt, quòd potentia generandi ſignificat relationem in diuinis.*

Impugnat autem ſic dicens. *Sed hoc eſſe non poteſt*, & impugnatio eſt iſta. *Illud eſt potentia generatiua in aliquo generante, in quo genitum ſimilatur generãti: ſed Filius Dei ſimilatur Patri gignenti in natura diuina.* Ergo *natura diuina in Patre eſt potentia generandi in ipſo*. Probat maiorem. *Nam illud propriè dicitur potentia in quocumquè agente, quo agens agit: ſed omne producens aliquid per ſuam actionem, producit ſibi ſimile quantùm ad formam qua agit. Sicut homo genitus eſt ſimilis generanti in natura humana, cuius virtute Pater poteſt generare hominem.* Ergo *illud eſt potentia generatiua &c.*

Cõfirmat hoc authoritate Hilarij, ſic dicens. *Vnde Hilarius dicit in 2. de Trinit. Natiuitas Dei &c.* Lege litteram.

Quò ad ſecũdum, opinionem, quam ſequitur, aſſignat dicens; *Sic igitur dicendum eſt, quòd potentia generandi, principaliter ſignificat diuinam eſſentiam, vt Magiſter dicit 7. diſt. 1. ſent.*

Diuiſio opinionis in plures dicendi modos, ac explicatio ſic aſſignatur: *Non autẽ tantum relationem. Nec etiam eſſentiam, in quãtùm eſt idem relationi, vt ſignificet ex æquo vtrumquè.*

dicitur notionaliter: ergo potentia in diuinis non ſignificat eſſentiam, ſed relationem.

2 Præterea. In diuinis non differt poſſe, & agere, ſed generatio in diuinis ſignificat relationẽ: ergo & potentia generandi.

3 Præterea. Ea, quæ ſignificant eſſentiam in diuinis, communia ſunt tribus perſonis; ſed potentia generandi non eſt communis tribus perſonis; ſed propria Patri; ergo non ſignificat eſſentiam.

Sed contra eſt, quod ſicut Deus poteſt generare Filium, ita & vult; ſed voluntas generandi ſignificat eſſentiam: ergo & potentia generandi.

Reſpondeo dicendum, quod quidam dixerunt, quod potentia generandi ſignificat relationem in diuinis; ſed hoc eſſe non poteſt: nam illud propriè dicitur potentia in quocunque agente, quo agens agit. Omne autem producens aliquid per ſuam actionem, producit ſibi ſimile quantum ad formã, qua agit. Sicut homo genitus eſt ſimilis generanti in natura humana, cuius virtute Pater poteſt generare hominem: illud ergo eſt potentia generatiua in aliquo generante, in quo genitum ſimilatur generanti. Filius autem Dei ſimilatur Patri gignenti in natura diuina: vnde natura diuina in Patre eſt potentia generandi in ipſo; vnde Hilar. dicit in 2. de Trinit. Natiuitas Dei non poteſt eam ex qua perfecta eſt, non tenere naturam: nec enim aliud, quam Deus ſubſiſtit, quod non aliũde, quàm de Deo ſubſiſtit.

Sic igitur dicendum eſt, quod potentia generandi principaliter ſignificat diuinam eſſentiam, vt Magiſter dicit 7. diſtinct. 1. ſentent. non autem tantum relationem. Nec etiam eſſentiam inquãtum eſt idem relationi, vt ſignificet ex æquo vtrũque: licèt enim paternitas, vt forma Patris ſignificetur; eſt tamen proprietas perſonalis habens ſe ad perſonam Patris, vt forma indiuidualis ad aliquod indiuiduum creatum. Forma autem indiuidualis in rebus creatis, conſtituit perſonam generantem, non autem eſt, quo generans generat, alioquin Sortes generaret Sortem: vnde neque paternitas poteſt intelligi, vt quo Pater generat: ſed vt conſtituens perſonam generantis, alioquin Pater generaret patrem; ſed id quo Pater generat, eſt natura diuina, in qua ſibi Filius aſſimilatur; & ſecundum hoc Damaſcen. dicit, quod generatio eſt opus naturæ, non ſicut generantis, ſed ſicut eius, quo generans generat; & ideò potentia generandi ſignificat in recto naturam diuinam, ſed in obliquo relationem.

Ad primum ergo dicendum, quod potentia non ſignificat ipſam relationem principij, alioquin eſſet in genere relationis, ſed ſignificat id quod eſt principium: non quidem ſicut agens dicitur principium; ſed ſicut id quo agens agit, dicitur principium. Agens autem diſtinguitur à facto, & generans à generato; ſed id quo generans generat, eſt commune genito, & generanti, & tanto perfectius, quanto perfectior fuerit generatio: vnde cum diuina generatio ſit perfectiſſima, id quo generans generat, eſt commune genito, & generanti, & idem numero non ſolum ſpecie, ſicut in rebus creatis.

Probat autem horum membrorũ negationem ſic: *Quia forma indiuidualis in rebus creatis conſtituit perſonam generantem, non autem eſt quo generans generat.* Ergo *nequè paternitas poteſt intelligi, vt quo Pater generet, ſed vt conſtituens perſonam generantis, alioquin Pater generaret Patrem.* Probat conſequẽtiam, quia *licèt paternitas, vt forma Patris ſignificetur, eſt tamẽ proprietas perſonalis habens ſe ad perſonam Patris, vt forma indiuidualis ad aliquod indiuiduum creatum.*

Concluſio quæſito reſpõſiua eſt iſta. *Et ideo potentia generandi ſignificat in recto naturam diuinam, ſed in obliquo relationem.*

Probatio eſt iſta. *Id, quo Pater generat eſt natura diuina, in qua ſibi Filius aſſimilatur.* Ergo *potentia generandi ſignificat in recto naturam diuinam, ſed in obliquo relationem.*

Confirmat ſic dicens. *Et ſecundùm hoc Damaſcenus dicit, quòd generatio eſt opus naturæ, non ſicut generantis, ſed ſicut eius quo generans generat.*

Ad primum argumentum reſpondet, diſtinguẽdo, ſeù potiùs explicando maiorem. *Potentia ſignificat principium, ſicut id, quo agens* agit, concedit maiorem. *Potentia ſignificat principium*, id eſt ipſam relationem principij, vel ſicut agens dicitur principium, negat maiorem. Et per idem patet ad probationem. Tunc conceſſa minori, negat conſequentiam.

Ad ſecundum argu-

creatis. Per hoc ergo, quod dicimus, quod eſſentia diuina eſt principium, quo generans generat, non ſequitur, quod eſſentia diuina diſtinguatur, ſicut ſequeretur, ſi diceretur, quod eſſentia diuina generat.

Ad ſecundum dicendum, quod ſicut eſt idem in diuinis potentia generandi cum generatione, ita eſſentia diuina cum generatione, & paternitate eſt idem re, ſed non ratione.

Ad tertium dicendum, quod cum dico potentiã generandi, potentia ſignificatur in recto, & generatio in obliquo, ſicut ſi dicerem eſſentiam Patris: vnde quantum ad eſſentiam, quæ ſignificatur potentia generandi communis eſt tribus perſonis, quantum autem ad notionem, quæ connotatur, propria eſt perſonæ Patris.

gumentum reſpondet, diſtinguẽdo, ſeù potiùs explicãdo maiorem. *In diuinis non differt* realiter *poſſe, & agere* concedit maiorem. *Non differt* ratione, negat maiorẽ. Tunc admiſſa minori, negat conſequentiam.

Ad tertium argumentum reſpondet, explicando maiorẽ. *Ea, quæ ſignificant eſſentiam in diuinis, communia ſunt tribus perſonis*, quantùm ad eſſentiam, quæ ſignificatur, concedit maiorem. Quantùm ad notionem, quæ connotatur, negat maiorem. Tunc conceſſa minori, ſeù ſimiliter explicando minorem, negat conſequentiam.

SVPER ARTICVLVM COMMENTARIVM.

1 VTRVM *potentia generandi ſignificet relationem, & non eſſentiam. Eſſentiam* accipit non in ratione formali eſſentiæ, ſuppoſito, quòd eſſentia diuina ab intellectu, eiuſquè voluntate diſtinctione virtuali diſtinguitur; Quoniam, vt euidenter cõſtat, proceſſiones in diuinis ſecundùm Sanctum Thomam ſunt immediatè per facultates intellectus, & voluntatis. Accipit igitur eſſentiam, pro vt à relatione ratione ratiocinata diſtinguitur, & non pro vt diſtinguitur ab intellectu, & voluntate. Vnde per eſſentiam intelligit intellectum, & voluntatem.

2 *Licèt paternitas vt forma Patris ſignificetur, eſt tamen proprietas perſonalis &c.* Vnde neque paternitas poteſt intelligi, vt quo Pater generat. Concedit ergo quòd paternitas in diuinis eſt id, quo Pater conſtituitur perſona; negat vero quod paternitas eſt id, quo Pater conſtituitur generans. Et ratio in manifeſto habetur; quia id, quo generans generat, eſt id, quo generans ſimilat ſibi genitum: ſed genitum non aſſimilatur generanti quò ad rationem indiuidualem, benè tamen, quò ad naturam. Ergo ſi paternitas in diuinis eſt id, quo Pater eſt perſona, non tamen eſt id, quo Pater generat. Patet conſequentia; quia id, quo Pater eſt perſona, diſtinguit Patrem ab alia perſona genita. Ergo non eſt id, quo Pater generat.

3 *Per hoc ergo quod dicimus, quòd eſſentia diuina eſt principium quo generans generat, nõ ſequitur, quòd eſſentia diuina diſtinguatur.* Hoc non rectè intelligitur à quibuſdam. Eſt tamen apud ſanè conſiderantes, verum. Nam eſſentia diuina, ſeù intellectus, & voluntas diuina, non eſt id, quod generat, ſeù ſpirat, ſed eſt id, quo Pater producit perſonam ei communicando naturam indiuiſibiliter, & totaliter; ac per conſequens, non eſt diſtincta à perſona genita, vel ſpirata, niſi ratione relationis quam connotat.

4 In reſp. ad tertium. *Quantùm ad eſſentiam, quæ ſignificatur, potentia generandi communis eſt tribus perſonis.* Non dicit, quòd potentia generandi communis eſt tribus perſonis; quoniam dicere hoc, eſt dicere totum, quod ipſa potentia dicit; Sed potentia generandi dicit indiſpenſabiliter duo, eſſentiam ſcilicet, & relationem, quam connotat, ſeù eſſentiam vt connotantem relationem. Vnde eſſentia diuina, ſi conſideretur, vt non connotans relationem paternitatis, non debet dici potentia generandi. Sicuti decretũ Dei dicit voluntatem diuinam vt connotantem rei futuritionem, tamen antecedenter ad talem connotationem, non dicitur decretum Dei. Ita ergo dicimus, quòd potentia generatiua in diuinis, dicit duo, vnum in recto, & alterum in obliquo. Vnde quando conſideratur illud præcisè, quòd dicit in recto, remoto eo, quod dicit in obliquo, non debet nominari potentia; quia vt diximus, hoc nomen potentia, ſignificat iſta duo, eſſentiam, & relationem. Eſſentiam in recto, & relationem in obliquo. Et hoc modo intelligẽdum puto D. Thomam, quidquid alij dicant.

5 In reſponſione ad primum. *Potentia non ſignificat ipſam relationem principij, alioquin*

alioquin eſſet in genere relationis, ſed ſignificat id, quod eſt principium, non quidem ſicut agens dicitur principium; ſed ſicut id, quo agens agit, dicitur principium. Agens autem diſtinguitur à facto, & generans à generato. Sed id, quo agens generat, eſt commune genito, & generanti. Verba hæc videntur eſſe contraria doctrinæ eiuſdem D. Thomæ articulo præcedenti ad tertium, vbi ſic ait. *Potentia ſignificat principium. Principium autem, diſtinctionem importat ab eo, cuius eſt principium.* Ergo potentia generatiua in diuinis ſecundum quòd eſt principium perſonæ genitæ debet eſſe diſtincta à perſona genita; cuius oppoſitum in verbis iam prællegatis in præſenti articulo docet.

D.Thom.

6 Verùm verba hìc prolata non ſolùm præcedentibus non aduerſantur, ſed ipſa declarant. Illud enim principium eſt realiter diſtinctum ab eo cuius eſt principium, quod *ſicut agens dicitur principium*; quod autem ſicut *id, quo agens agit dicitur principium*, non diſtinguitur in diuinis ab eo cuius eſt principium. Articulo igitur præcedenti, locutus eſt de principio primo modo, non autem ſecundo. Et hoc, loquendo de potentia generatiua, ſecundùm id, quod præcisè dicit in recto, quoniam ſi loquamur de potentia generatiua ſecundùm quòd intrinſecè cōnotat relationem perſonæ generantis, puta, Patris, ſic etiam in diuinis potentia generatiua realiter à genita perſona diſtinguitur, ratione ſcilicet, relationis, quam connotat. Potentia igitur generatiua propriè ponitur in Deo, ſicuti propriè ponitur actus generationis, & dicitur principium generationis intranſitiuè, vt articulo præcedenti num. 6. diximus; & ſenſus eſt, quod potentia generatiua non eſt principium tranſiens ad productionem generationis; cum generatio, & potentia generatiua in diuinis ſint vnum, & idem realiter, ſed eſt principium quo per actum omnino improductum generationis producitur, ſeù generatur Filius. Eſt autem, & verè dicitur potentia tranſitiuè reſpectu perſonæ genitæ, ſecundùm quòd perſona Patris per ipſam tanquàm per principium quo producit perſonā Filij, vt communicet ei naturam diuinam.

ARTICVLVS SEXTVS.

Vtrum actus notionalis ad plures perſonas terminari poſſit.

AD ſextum ſic proceditur, videtur quod actus notionalis ad plures perſonas terminari poſſit, ita quod ſint plures perſonæ genitæ, vel ſpiratæ in diuinis. Cuicunque enim ineſt potentia generandi, poteſt generare; ſed Filio ineſt potentia generandi: ergo poteſt generare, non autem ſeipſum, ergo alium filiū, ergo poſſunt eſſe plures filij in diuinis.

2 Præterea. Auguſt. dicit contra Maximin. Filius non genuit Creatorem, neque enim non potuit, ſed non oportuit.

3 Præterea. Deus Pater eſt potentior ad generandum quam Pater creatus; ſed vnus homo poteſt generare plures filios; ergo & Deus, præcipuè cum potentia Patris vno filio generato non diminuatur.

Sed contra eſt, quod in diuinis non differt eſſe, & poſſe: ſi igitur in diuinis poſſent eſſe plures filij, eſſent plures filij; & ita eſſent plures perſonæ quàm tres in diuinis, quod eſt hæreticum.

Reſpondeo dicendum, quod ſicut Athanaſ. dicit: In diuinis eſt tantum vnus Pater, vnus Filius, vnus Spiritus ſanctus: cuius quidem ratio quadruplex aſſignari poteſt. Prima quidem ex parte relationum, quibus ſolum perſonæ diſtinguuntur: cum

FORMATIO ARTICVLI.

COrporis diſtributio cōſiſtit in vna cōcluſione reſponſiua quæſito, quamquè ratione qua duplici probat.

Cōcluſio eſt iſta. *Sicut Athanaſius dicit. In diuinis eſt tantùm vnus Pater, vnus Filius, vnus Spiritus ſanctus.*

Probationes ponit ſic dicens. *Cuius quidem ratio quadruplex aſſignari poteſt. Prima quidē &c.* Lege litteram vſquè ad finem corporis.

Ad primum argumentum reſpondet, concedendo maiorem, & negando minorem; quam non probat argumentū.

Ad ſecundum argumentum reſpondet, explicando authoritatem Auguſtini. *Filius non genuit creatorem, neque enim non potuit; ſed non oportuit*, ideſt, non eſt ex impetētia Filij; quod non generet, concedit; ideſt, Filius poteſt generare Filium, & non generat quia *non oportuit*, negat. D. Auguſtinus locutus eſt in primo, & non in ſecundo ſenſu.

Ad tertium argumentum reſpondet, concedēdo maiorē, & minorem, negando tamen conſequētiam; & rationē negationis aſſignat; *quia immaterialitas, &c.* Lege litteram,

SV-

cùm enim perſonæ diuinæ ſint ipſæ relationes ſubſiſtentes, non poſſent eſſe plures Patres, vel plures Filij in diuinis, niſi eſſent plures paternitates, & plures filiationes. Quòd quidem eſſe non poſſet, niſi ſecundum materialem rerum diſtinctionem: formæ enim vnius ſpeciei non multiplicantur niſi ſecundum materiam, quæ in diuinis non eſt; vnde in diuinis non poteſt eſſe niſi vna tantum filiatio ſubſiſtens, ſicut & albedo ſubſiſtens non poteſt eſſe niſi vna. Secunda verò ex modo proceſſionum, quia Deus omnia intelligit, & vult vno, & ſimplici actu; vnde non poteſt eſſe niſi vna perſona procedēs per modum verbi, quæ eſt filius, & vna tantum per modum amoris, quæ eſt Spiritus ſanctus. Tertia verò ſumitur ex modo procedendi, quia perſonæ ipſæ procedunt naturaliter, vt dictum eſt: natura autem determinatur ad vnum. Quarta ex perfectione diuinarum perſonarum: ex hoc enim eſt perfectus filius, quod tota filiatio diuina in eo continetur, & quod eſt tantum vnus filius, & ſimiliter dicendum eſt de alijs perſonis.

Ad primum ergo dicendum, quòd quamuis ſimpliciter concedendum ſit quod potentiam, quā habet Pater, habeat Filius, non tamen concedendum eſt, quòd Filius habeat potentiam generandi, ſi generandi ſit gerundiuum verbi actiui, vt ſit ſenſus; quod filius habeat potentiam ad generandum. Sicut licèt idem eſſe ſit Patris, & Filij, nō tamen conuenit Filio eſſe Patrem propter notionale adiunctum. Si tamen hoc, quod dico generandi, ſit gerundiuum verbi paſſiui, potentia generandi eſt in Filio, ideſt, vt generetur; & ſimiliter ſi ſit gerundiuum verbi impersonalis, vt ſit ſenſus: potentia generandi, ideſt, qua ab aliqua perſona generatur.

Ad ſecundum dicendum, quòd Auguſt. in verbis illis non intendit dicere, quod filius poſſet generare filium; ſed quod hoc non eſt ex impotentia filij, quòd non generet, vt infra patebit.

Ad tertium dicendum, quod immaterialitas, & perfectio diuina requiritur, vt non poſſint eſſe plures filij in diuinis, ſicut dictum eſt: vnde quod non ſint plures filij, non eſt ex impotentia Patris ad generandum.

SVPER ARTICVLVM COMMENTARIVM.

1 VTRVM *actus notionalis ad plures perſonas terminari poſſit*. Non oportet pro explicatione huius tituli laborare, quoniam D. Thomas ſeipſum ex principio articuli manifeſtè declarat; ſic dicens. *Ad ſextum ſic proceditur. Videtur, quòd actus notionalis ad plures perſonas terminari poſſit; Ita quòd* (nota) *ſint plures perſonæ genitæ, vel ſpiratæ in diuinis*. Imo concluſio ipſa reſponſiua quæſito, hoc idem exponit, dū quæſito poſito ſic reſpondet. *In diuinis eſt tantùm vnus Pater, vnus Filius, vnus Spiritus ſanctus*.

2 In reſponſione ad primum. *Non tamen concedendum eſt, quòd Filius habeat potētiam generandi, ſi generandi, ſit gerundium verbi actiui*. Nota verba hæc, quoniam ea quæ articulo præcedēti n. 4. diximus, manifeſtè confirmant. Lege totam reſponſionem in textu.

DISPVTATIO CCX.

VTRVM ACTVS NOTIONALES CONSITANT IN SOLA, & pura relatione.

Per vnicum caput expedita.

CAPVT VNICVM.

Explicatur titulus, Doctorum opiniones referuntur, & veritas ſtabilitur.

1 PRæſupponimus in præſenti, dari in diuinis actus notionales cū D. Thoma, in 1. huius q. art. quem ſequūtur omnes Theologi, quibuſdā paucis exceptis, negātibus in Deo eſſe actus notionales, & ſi eos admittūt, nomine actuum notionaliū intelligunt perſonas ipſas dūtaxat; & diſputamus, Vtrum actus notionales, v. g. generare, ſpirare, generari, & ſpirari, dicāt purā relationem de ſuo formali, ac primario ſignificato, an potiùs aliquid abſolutum.

2 Quidam tenent, actus notionales in ſola, ac pura relatione conſiſtere. Ita Scotus, in 1. diſt. 27. q. 3. & quodlib. 4. Durandus, diſt. 26. quæſt. 1. num. 12. & alibi pluriès, & Molina, ſupra qu. 27. art. 1. diſp. vlt.

Scotus. Durand. Molina.

D.Thom. 3 D. Thomas autem, & cum eo omnes antiquiores, recentioreſque Theologi tenēt, actus notionales dicere aliquid abſolutum & cōnotare relationem. Vnde pro determinatione veritatis, Dico breuiter; Actus notionales dicunt aliquod abſolutum, & non relationem tantùm.

4 Probatur primò ex D. Thoma de pot. q. 2. art. 5. in corp. circa finem, vbi ſic ait. *Similiter ergo dicendum eſt de actione, & potentia. Nam generatio ſignificat actionem cum aliquo reſpectu; & potentia generandi ſignificat potentiam cum reſpectu; vnde ipſa generatio eſt D. i ctio, ſed pr. ut Patris tantum.* Idem docet in 1. diſt. 27. quæſt. 1. artic. 1. ad 2. & 3.

5 Probatur ſecundò ratione; quia actus notionalis, puta, generare, eſt actus productiuus perſonæ Filij, & communicatiuus naturæ Patris. Ergo generare non dicit ſolam & puram relationem. Antecedens patet; quia quod procedit vt genitum, accipit naturam ſimilem generātis, vt in creatis, vel eādem omninò naturam communicatam à generante, vt in diuinis. Ergo per actum notionalem habet hoc. Conſequentia verò probatur; quia relationi non conuenit actio communicatiua.

6 Confirmatur, Generare eſt aſſimilare genitum generanti. Ergo eſt actio generantis mediante natura, & forma generantis. Ergo non eſt ſola relatio.

7 Probatur tertiò. Potētia generatiua in diuinis, non conſiſtit in pura relatione. Ergo neque etiam actus notionalis eiuſdem potentiæ, puta, generare. Antecedens probatum eſt à D. Thoma ar. 5. huius quæſtionis; Et iterum infra manifeſtabitur. Probatur autem conſequentia; quia generare eſt actus generātis media potentia generatiua. Ergo ſi potētia generatiua non eſt pura relatio, neque etiā actus notionalis eius.

D.Thom. 8 Sed contra iſtam determinationem obijciet aliquis primò quibuſdam D. Thomæ authoritatibus. Etenim D. Thomas ar. 1. huius quæſtionis ad 2. oppoſitā ſententiam expreſsè docet; nam ſic ait. *Remoto igitur motu, actio nihil aliud importat, quàm ordinem originis.* Et paucis interiectis ſic ait; *quia tamen de diuinis, & intelligibilibus rebus loqui non poſſumus, niſi ſecūdum modum rerum ſenſibilium, à quibus cognitionē accipimus, & in quibus actiones, & paſſiones in quantum motum implicant, aliud ſunt à relationibus, quæ ex actionibus, & paſſionibus conſequuntur, oportuit ſeorſum ſignificari habitudines perſonarum per modum actus, & ſeorſum per modum relationum.* Ergo ex hoc teſtimonio rectè cōcluditur, quòd actus notionales in diuinis non ſignificant aliud, niſi puras relationes. Patet, quia in diuinis non datur motus. Ergo remanet ſola relatio. Et art. 6. quæſt. ſequen. ad 3. ſic ait. *Generatio ſignificat relationem in diuinis.* Et de pot. q. 9. art. 9. ad 3. ſic ait. *Potentia abſolutum quiddam eſt; & ideo non diſtinguitur in diuinis, ſicut nec bonitas, nec aliquid ſic dictum. Generare verò, & generari in diuinis non ſignificant aliquid abſolutum, ſed ſolam relationem in diuinis.* Idem docet in 1. diſt. 27. quæſt. 1. artic. 1. ad quintum.

9 Reſpondetur, explicando teſtimonia in contrarium ex D. Thoma iam adducta.

10 Et ad primum circa quod nimioperè quidam aduerſarij fundari videntur; mihi videtur eſſe pro noſtra opinionē clariſſimum, & nullatenus oppoſitæ fauere ſententiæ. Sic enim Diuum Thomam explico. *Remoto igitur motu, actio nil aliud importat, quàm ordinem originis,* id eſt, *nil aliud importat, quàm* puram rationem actionis ſine admixta imperfectione motus, quæ alijs verbis ſolet explicari, nil aliud importat, quàm *à quo alius, & qui ab alio.* Ac proinde, actus notionalis in diuinis dicit actionem ad quam conſequitur relatio, ſeu meliùs, dicit actionem, vt connotantem relationem.

11 Et hoc eſt, quod volunt alij Thomiſtæ dicere, quòd ex his, *quæ reperiuntur in actione prædicamentali, ſola relatio ſecundùm eſſe reperitur in actione notionali. Non enim negat ibi rationem actionis diuinæ, eo modo, quo actio diuina à nobis concipitur diuerſo conceptu à relatione.* Ita præſertim Gonzalez diſp. 14. ſect. 1. nu. 7. Gonzal.

12 Ad ſecundum teſtimonium reſpondetur, ſic explicando Diuum Thomam. *Potentia*, ſecundum conceptum abſolutum potentiæ, *abſolutum quoddam eſt*. *Potentia* generatiua, abſolutum *quoddam eſt*, ſed connotans relationē; *generare, verò, & generari in diuinis non ſignificant aliquid abſolutum* abſolutè & ratione alicuius abſoluti, *ſed ſolùm relationē*, & ſi nō in recto ad minùs in obliquo. Item. Ly, *ſed ſolùm relationē*, poteſt ſic explicari, *ſed ſolū relationē* motiuè ſeù ratione notionalitatis, id eſt, motiuū quare datur generare in diuinis, eſt relatio paternitatis ad Filiū; Ad differentiā potētiæ, quæ ponitur in Deo abſolutè loquendo ex ratione eſſentiæ. Et per idem patet ad aliud teſtimonium.

Et

Digitized by Google

13 Et quia nonnulli Thomiſtæ dicunt, quòd loca prædicta D. Thomæ intelliguntur de relationibus, quia relationes principaliter per actus notionales importantur. Quæ doctrina non ſatis cohærere videtur, cum ijs, quæ diximus, & latiùs infra dicemus. Nam actus notionales ſignificant actiones eſſentiales in recto, vt connotantes relationes in obliquo, & in hoc ſenſu dicuntur actus notionales: ſed id, quod in recto importatur, magis principaliter importatur, quã id, quod in obliquo. Quomodo ergo dicitur, aut dici poteſt, quòd actus notionales magis principaliter important relationes, ſi eas dicunt in obliquo, & connotatiuè? Ideo dico quòd.

14 Satis conſideratè locuti ſunt, ſed ſic debent intelligi, & explicari. Actus notionales magis principaliter important relationes, ſi vtamur nominibus, quibus magis ſignificatur connotatum, quàm ſignificatum in recto. Explico hoc. Generare, v. g. ſi ratione relationis, quam includit, & connotat, ſic explicetur, eſt habitudo, ſeù ordo originis Patris generantis ad Filium genitum. Vel ſic, v. g. ſi quis ſic diceret; Generare eſt origo Filij à Patre, ad quam ſequitur relatio Filij ad Patrem, & è contra, Patris ad Filium. In priori ſenſu, rectè diceret, quòd actus notionales magis principaliter important relationes, in ſecundo verò, debet dici, quòd magis principaliter importãt actiones eſſentiales. Et D. Thomas in prællegatis locis in priori ſenſu videtur eſſe locutus. Sed vide aliam expoſitionem diſp. ſequenti à num. 19.

15 Obijciet ſecundò. Actus notionales pertinent ad conſtitutiuum adæquatum perſonæ. Ergo dicit ſolam relationem.

16 Reſpondetur, explicando antecedẽs. Actus notionales, quantùm ad relationes, quas connotant, pertinent &c. cõcedo antecedens. Quantùm ad abſolutum, quod in recto dicunt, nego antecedens. Ergo &c. ſimiliter diſtinguendum eſt conſequens.

17 Obijciet tertiò. Generare realiter diſtinguitur à generari. Ergo generare, & generari dicunt ſolam relationem. Patet conſequentia: quia in diuinis nulla datur diſtinctio realis, niſi per ſolam relationem. Probatur antecedens. Quia generari eſt à generare. Generari eſt proprium Filij; & generare eſt propriũ Patris. Ergo.

18 Reſpondetur, diſtinguendo, ſeù potiùs explicando antecedens. Generare realiter diſtinguitur à generari, quantũ ad id, quod vtrumquè relationem importat, concedo antecedens. Quantùm ad id, quòd vtrumquè dicit in recto, nego antecedens. Ergo &c. nego conſequentiam. Vel ſimiliter diſtinguendum eſt conſequens.

19 Obijciet quartò. Generare, & generari, ſe totis realiter diſtinguuntur. Ergo dicunt ſolas relationes.

20 Reſpondetur, negando ſimpliciter antecedens. Vel diſtinguendo, ſeù explicando, vt ſupra. Generare, & generari, quantùm ad relationes, quas important, ſe totis diſtinguuntur, concedo antecedens. Generare, & generari, quãtùm ad abſolutum, quod dicunt, ſe totis diſtinguuntur, nego antecedens. Ergo &c. nego conſequentiam; vel ſimiliter diſtinguendum eſt conſequens.

DISPVTATIO CCXI.

VTRVM ACTVS NOTIONALES DICANT IN RECTO abſolutum, & relationem in obliquo, an potiùs vtrumquè in recto.

Per vnicum caput expedita.

CAPVT VNICVM.

Doctorum opiniones referuntur, & veritas ſtabilitur.

1 OMNES Doctores primæ ſententię diſput. præced. citati ſic affirmant actus notionales dicere relationem in recto, vt omninò negent importare in recto aliquid abſolutum. Sunt autem quidam ex nobiſcum ſentientibus, nimirùm, quòd dicant aliquid abſolutum in recto, qui tenent, importare quoquè in

Digitized by Google

Arrubal. Faſolus. recto relationem. Ita præſertim Arrubal. diſp. 140. à num. 8. & Faſolus, art. 1. huius quæſt. dub. 1. concl. 2. nu. 10.

2 Communiter tamen fideliores diſcipuli D. Thomæ dicunt, actus notionales neceſſariò duo importare, actionem ſcilicet, eſſentialem, & relationem: aſſerunt enim quòd generare v.g. dicit intellectionem diuinam Patris, pro vt Patris eſt, ſeù pro vt quaſi per paternitatē modificatā, quæ proprio nomine, dictio vocatur, & actionem eſſentialem dicit in recto, relationem verò in obliquo. Ita magis communiter Doctores. Vnde,

3 Pro determinatione veritatis, Dico breuiter. Quilibet actus notionalis dicit actum eſſentialem in recto, relationem verò, vt quid connotatum, & in obliquo tantùm.

4 Probatur primò, quia potentia generatiua in diuinis, dicit in recto eſſentiale, ſeù aliquod eſſentiale, puta, intellectum, vt connotantem relationem Patris, ſeu paternitatis vt ſubſiſtentis. Ergo ſimiliter, generare dicit actum intelligendi eſſentialem, pro vt connotat relationē paternitatis. Antecedens eſt D. Thomæ in hac quæſt. art. 5. Conſequentia verò patet à paritate. Ergo.

D.Thom.

5 Probatur ſecundo; Quia ſi actus notionalis diceret in recto relationem, non autem in obliquo, ideo eſſet, quia implicat, vt actus eſſentialis, puta, intellectio abſoluta Dei dicatur actus notionalis: ſed hoc nō eſt. Ergo. Maior patet. Probatur minor; quia abſolutum, v. g. intellectio, pro vt eſt in Patre, ſeù quatenùs connotat perſonam Patris, non eſt in Filio. Ergo ſic conſiderata, eſt eſſentialis notionaliter, non autem eſſentialiter accepta.

6 Probatur tertiò ad hominem contra Scotum; Quia intellectus diuinus ſecundùm ſe conſideratus, eſt aliquid eſſentiale, ac toti Trinitati commune. Pater enim eſt intellectus diuinus, & ſimiliter, Filius, & Spiritus ſanctus, tamen quatenùs eſt in Patre, ſeù quatenùs connotat relationem paternitatis, eſt aliquid abſolutum non præciſè, & abſolutè, ſeù amplè, ſed reſtrictè, & notionaliter. Ergo ſimiliter poteſt dici de actu intelligēdi. Conſequentia patet, & antecedens non poteſt a Scoto negari. Scotus enim, vt diſp. ſequenti videbimus, tenet, quòd generare eſt actus notionalis, qui eſt actus intellectus diuini. Ergo aſſerere cogitur, quòd, intellectus diuinus eſt aliquid abſolutum, & eſſentiale, & nihilo ſeciùs, quatenùs conſideratur, vt eſt in Patre æterno, conſideratur vt aliquod notionale, ſeù notionaliter.

Scotus.

7 Confirmatur primò; Quia ſecundùm omnes, excepto Durando, Pater æternus producit Filium per intellectum, vt fœcundum: ſed intellectus diuinus non eſt fœcundus, ſeù fœcunditatem non exercet, niſi ſecundùm quod eſt in Patre. Ergo intellectus, vt eſt in Patre eſt id, quo producitur, ſeù generatur Verbum. Ergo non implicat, vt aliquod abſolutum accipiatur notionaliter, & ſit principium quo productiuum, pro vt non abſolutè, ſed notionaliter accipitur. Tunc vltra. Non implicat, vt intellectus, qui eſt aliquod abſolutum, quatenùs eſt in Patre ſit principium quo productiuum, ſeù generatiuum Verbi. Ergo neque etiam implicat, vt intellectio, quatenùs eſt in Patre, ſit productio, ſeù Verbi diuini generatio.

8 Confirmatur ſecundo; Quia ſi implicaret, vt intellectio eſſentialis, & abſoluta pro vt connotat perſonam Patris, ſit actualis productio Verbi; vel hoc eſſet, quia eſt actio eſſentialis, ac toti Trinitati communis, vel quia eſt contra rationem actionis immanentis producere terminum. Neutrum militat. Ergo. Maior patet &c. Probatur verò minor; quia etiam intellectus diuinus eſt quid abſolutum; & abſolutè conſideratus eſt toti Trinitati cōmunis, & nihiloſeciùs, vt dicebamus, & aduerſarij admittunt, intellectus diuinus pro vt eſt in Patre, eſt fœcundus, & eſt id, quo Pater generat Filium. Ergo prima ratio non militat. Quod verò neque ſecunda, per idē quoque patet; quia ob fœcunditatem naturæ diuinæ, intellectus, vt in Patre, eſt id, quo generatur Filius, licèt hoc non habeat, pro vt eſt in Filio, neque pro vt eſt in Spiritu ſancto. Ergo ſimiliter dicendum eſt de intellectione eſſentiali.

9 Sed contra iſtam determinationem obijciet aliquis primò. Actus notionalis v. g. generare, eſt productio perſonæ Filij. Ergo ſignificat in recto relationē paternitatis, ſi productio identificatur cum Patre, vel relationem Filij, ſi identificatur cum Filio. Antecedens iam patet. Probatur autem conſequentia; quia productio, ſi eſt in producente, realiter diſtinguitur à perſona producta, & ſi eſt in perſona producta, realiter diſtinguitur à perſona producente. Ergo dicit in recto relationem. Conſequentia patet; quia nihil eſt in deitate diſtinctum, niſi vna relatio ab alia correlatione ſibi correlatiuè oppoſita. Ergo. Probatur antecedens; quia perſona producens eſt realiter diſtincta à perſona producta, vt fides ipſa docet. Ergo productio, qua perſona producitur, etiam eſt realiter diſtincta

Digitized by Google

ſtincta à perſona producta &c.

10 Reſpondetur, concedendo antecedēs, modo iam iam explicando, & negando conſequentiam. Ad cuius probationem diſtinguo antecedens. Productio ſi eſt in producente, realiter diſtinguitur à perſona producta &c. quantùm ad relationem, quam connotat, & importat, concedo antecedens. Quantùm ad abſolutum quod in recto dicit, adhùc diſtinguo antecedens. Diſtinguitur realiter modaliter, concedo antecedens. Diſtinguitur realiter formaliter, nego antecedens. Ergo &c. nego conſequentiam. Ad probationem, concedo antecedens, & diſtinguo conſequens, vt diſtinxi.

11 Contra. Ex hac doctrina ſequitur, quòd eſſet alia eſſentia diuina ad minùs virtualiter, quæ eſt in Patre, & alia eſſentia diuina, quæ eſt in Filio. Hoc eſt hæreticum. Ergo. Minor patet, probatur ſequela; quia ſi eſſet eadem eſſentia, vt in Patre, & eadem vt in Filio; & ſimiliter, ſi eſſet eadem intellectio vt in Patre, & vt in Filio, idem munus, quod exercet, vt in Patre, exerceret vt eſt in Filio. Ergo quia exercet aliud munus, vt eſt in Patre, & aliud vt eſt in Filio, eſſet alia eſſentia, vt eſt in Patre, & alia vt eſt in Filio.

12 Reſpondetur, negando ſequelam. Ad cuius probationem, explico antecedens. Si eſſet eadem eſſentia formaliter, realiter, & modaliter &c. idem munus, quod exercet vt in Patre, exerceret, vt eſt in Filio, concedo antecedens. Si eſſet eadem realiter, & formaliter, non verò modaliter &c. nego antecedens. Ergo &c. nego conſequentiam.

13 Dices. Ergo eſſentia diuina eſt vna formaliter, & multiplicatur modaliter. Ergo plures eſſentiæ diuinæ.

14 Reſpondetur, explicando ſequelam. Ergo eſſentia diuina eſt vna formaliter, & multiplicatur modaliter, vt idem omninò, aliter, & aliter ſe habens, concedo ſequelam. Multiplicatur modaliter, vt aliud, & aliud, nego ſequelam. Ergo &c. nego conſequentiam.

15 Explico hoc. Eſſentia diuina, & ſimiliter, intellectus, intellectio diuina, voluntas, & volitio, ſi præcisè conſiderentur, ſecundùm munera, ſcilicet, & prædicata, quæ conueniunt eis, vt quid abſolutum, ac eſſentiale dicunt, ſic nec realiter formaliter, nec modaliter, neque virtualiter diſtinguuntur. Si verò conſiderentur, ſecundùm quòd perſonarum relationes connotant, & ad actus notionales perſonarum exercendos applicantur, ſic aliqualem diſtinctionem habent, non quidem in formalitate abſoluta, abſolutè accepta, ſed in modalitate. Dicimus ergo, quòd intellectus diuinus pro vt connotat paternitatem, taliter, quod Pater æternus per intellectū generat, eſt virtus generatiua Filij, & ſic virtualiter diſtinguitur à ſe ipſo, pro vt eſt in Filio, & pro vt eſt in Spiritu ſancto, quò ad actus ſcilicet, notionales exercendos. Non enim in Filio, & in Spiritu ſancto intellectus habet rationem potentiæ generatiuæ; ac proinde, intellectus diuinus pro vt eſt in Patre, quò ad actus notionales, diſtinguitur à ſe ipſo, pro vt eſt in Filio virtualiter, cum diſtinguatur modaliter. Virtualiter, inquam, non quaſi intellectus vt in Patre, & intellectus vt in Filio, ſe habeant vt alius, & alius intellectus, ſed potiùs vt idem aliter vt in Patre in ordine ad actus notionales, & aliter vt in Filio, & in Spiritu ſancto.

16 Obijciet ſecundò. Actus notionalis, dicitur notionalis ex hoc, quòd includit relationem. Ergo actus notionalis dicit in recto relationem. Antecedens patet; quia præſcindendo actum eſſentialem à relatione, remanet actus eſſentialis in pura, & præciſa ratione eſſentialitatis, & abſoluti. Probatur autem conſequentia. Quia illud, quod eſt ratio cōſtituendi aliquid in aliquo ſtatu, ſeu eſſe, ſignificatur in recto. Ergo.

17 Terminùs concretus dicitur concretus, quia concernit ſubiectum; & nullatenùs concretus diceretur, niſi adeſſet ſubiectum, quod connotaret, & nihilominùs terminus concretus in recto ſignificat formam, & pro connotato, & in obliquo dicit ſubiectum. Ergo non eſt omninò verum, quòd ſi actus notionalis ponitur in eſſe notionalitatis per relationem, quòd relatio ſignificetur in recto. Item. Decretum Dei, vt communiter Theologi docent, dicit in recto actum diuinæ voluntatis, & in obliquo connotat creaturam, & nihilominùs nō diceretur decretum, niſi adeſſet connotatio creaturæ. Et hoc idem patet in ſexcentis caſibus. Vide quæ diximus diſput. 154. num. 31.

18 Reſpondetur igitur ad argumentum, concedendo antecedens, & negando cōſequentiam. Ad cuius probationem diſtinguo antecedens. Illud, quod eſt totalis, & adæquata ratio conſtituendi aliquid in aliquo ſtatu &c. concedo antecedens. Illud, quod non eſt totalis, & adæquata ratio &c. nego antecedens. Sic eſt in caſu noſtro; Actus enim notionalis dicit actum cum relatione, & non tantummodo relationem.

Vnde,

Digitized by Google

19 Vnde, vt meliùs iſta doctrina intelligatur, dico, quòd relatio immediatè, & in recto ſignificatur in ratione notionalitatis, vt ſic, & præcisè; actus verò notionalis, in recto dicit actum eſſentialē, vt connotantem relationem.

20 Dices. Secundùm Thomiſtas, relatio principaliter importatur in actibus notionalibus: Ergo in recto.

21 Reſpondetur, explicando antecedēs. Secundùm Thomiſtas, relatio principaliter importatur in actibus notionalibus, ratione notionalitatis, concedo antecedens. Ratione recti, formaliſquè ſignificati, nego antecedens. Ergo &c. nego conſequentiam. Vide aliam explicationem diſp. præced. num. 14.

22 Obijciet tertiò. Si eſſentia diuina, ſeù aliquod eſſentiale eſſet id, quo aliqua perſona diuina producit, aut producitur, etiam eſſentia diuina in concreto, aut aliquod eſſentiale ſimiliter in concreto, eſſet id, quod producit, aut id, quod producitur. Hoc nefas eſt dicere. Ergo. Minor patet, quia impium eſt dicere, quod Deus, quatenùs eſt quid abſolutum producit ad intra, vel producitur. Probatur verò ſequela; quia, quod eſt id quo in diuinis, eſt etiam id quod. Quod expreſsè docet D. Thomas ſupra q. 14. art. 2. vbi docet, quod in Deo intellectus, res intellecta, ſeù id, quod intelligitur, & ſpecies intelligibilis, ſeù id, quo res intelligitur, ſunt omnibus modis idem; & ratione probatur; quia in tantùm id quo, diſtinguitur ab eo, quod eſt id quod, in quantùm, id quod, eſt potentiale, & imperfectionem dicens, vel includens. Ergo quia in Deo nulla dicitur, aut includitur imperfectio, dicendum eſt, idem eſſe omninò id quo producit, & id quod producit &c.

23 Reſpondetur, negando ſequelam. Ad cuius primam probationem explico antecedens. Quod eſt id quo, in ordine ad actus eſſentiales, eſſentialiter acceptos in diuinis, eſt id quod, concedo antecedens. Quod eſt id quo, in ordine ad actus notionales, eſt id quod, nego antecedens. Ad cuius primam probationē, explico D. Thomam de, id quo, & id quod, in ordine ad actus eſſentiales eſſentialiter acceptos, non verò de eo quod eſt id quo in ordine ad actus notionales, ſeù ad actus perſonales, ſeù perſonarū. Ad ſecundam probationem, explico antecedens. In tantum id quo, diſtinguitur realiter ab eo, quod eſt id quod, in quantùm id quod, eſt potentiale, & imperfectionem dicens, ſeù includens; cōcedo antecedens. In tantùm id quo, diſtinguitur ratione ab eo, quod eſt id quod, in quantùm &cæt. nego antecedens. Nam in creatis, potentia generatiua, quæ eſt id quo, Pater generat, diſtinguitur realiter à Patre, qui eſt id quod generat. Et hoc propter potentialitatem generantis: at verò in diuinis, vbi nulla datur potentialitas, ſed ſola actualitatis puritas, id quo, & id quod, etiam in ordine ad actus notionales nulla reali diſtinctione diſtinguuntur, ſed ratione tantùm.

24 Pro maiori tamen huius intelligentia eſt obſeruandum, quòd eſſentia diuina, & quodcumquè abſolutum, aliter eſt id quo, in ordine ad actus eſſentiales eſſentialiter acceptos; & aliter eſt id quo, in ordine ad actus eſſentiales notionaliter conſideratos. Etenim primo modo, eſſentia diuina eſt id quo, ſecundùm communiſſimam eius rationem; ſecundo verò modo, eſt id quo, ſecundùm ſtrictiorem conſiderationem, quatenùs in Patre. Quandoquidem, eſſentia diuina, quatenus eſt id, quo Deus eſt, ſeù intellectus diuinus prout eſt id, quo Deus intelligit, eſt æqualis ambitus ly, id quo, cum ly, id quod & non differūt, aliqua diſtinctione virtuali, niſi ſecundū abſtractum, & concretum; attamen, eſſentia diuina, ſeù intellectus diuinus, ſecundum quod eſt id, quo Pater generat, non accipitur eſſentia diuina, ſeù intellectus diuinus ſecundùm ſuum totum ambitum, ſed tantummodò, vt reſtringitur, vt ſit id, quo vna perſona, puta, Pater generat. Et propterea, non valet in caſu noſtro dicere, ſi eſſentia diuina eſt id, quo fit generatio, ſeù alicuius perſonæ productio, quòd ſit etiam id quod.

25 Doctrina hæc habetur expreſſa in Concilio Florentino collat. §. *Nos dicimus*. folio mihi 206. vbi ſic Ioannes ex parte latinorum ait, *Iſtud ſuppoſitum*, ideſt Pater, *eſt id, quod generat, quia generare eſt actio notionalis, & ſolum competit ſuppoſito, modò ſubſtantia Patris eſt principium quo Pater generat*. Florent.

DISPV-

DISPVTATIO CCXII.

VTRVM ACTVS NOTIONALES SINT EX NATVRA REI diſtincti ab actibus intelligendi, & volendi.

Per vnicum caput expedita.

CAPVT VNICVM.

Explicatur titulus, Doctorum opiniones referuntur, & veritas ſtabilitur.

1 PRobauimus ſupra diſp. 155. contra Durandum, actus notionales, ſeù diuinas proceſſiones eſſe per intellectum, & voluntatem, proceſſionem, ſcilicet, Verbi per actum intellectus, & proceſſionem Spiritus ſancti per actum voluntatis; ac proinde, generare, eſſe actum intellectus paterni; ſpirare verò, actum voluntatis, Patris, & Filij. In præſenti autem diſcutiendum reſtat, Vtrum generare ſit actus intellectus, qui eſt ipſum intelligere Patris, quod propriori nomine, dicere nuncupatur, an potiùs ipſum dicere ſit aliquis actus, ſeù actio intellectus ex natura rei diſtincta ab ipſo intelligere.

Scotus. 2 Et quidem Scotus in 1. diſt. 2. q. 7. §. *Reſponſio*, & diſt. 27. §. *Ad rationem concedo*, concedit vtiquè cum D. Thoma, dicere, eſſe actum intellectus paterni, negat tamen eſſe ipſum intelligere. Tenet enim, quòd intellectus Patris æterni duos habet actus, intelligere, ſcilicet, quod eſt quid eſſentiale, & dicere, quod eſt quid notionale, ſeù ſola relatio.

3 Quidam dixerunt, dicere eſſe quidem intelligere, non tamen intelligere abſolutum, ſed notionale. Diſtinguunt enim duos actus intelligendi in intellectu Patris, ſeù duo intelligere; Primum, eſt eſſentiale, & abſolutum. Secundum, eſt notionale, & merè relatiuum; & hanc opinionem videtur ſequi Vaſquez, diſp.
Vaſquez. Gonzal. Suarez. 112. cap. 3. apud Gonzalez ſupra, q. 27. art. 1. diſp. 1. ſect. 3. Et eam ſolent referre Doctores, præſertim Suarez lib. 1. de Trinit. cap. 6. quam ex profeſſo impugnat,
Faſolus. Scotus. Faſolus, ſupra q. 34. art. 3. dubit. 2. qui num. 8. eam tribuit Scoto in 1. diſt. 2. q. 7. §. *Obijcitur contra*. Sed pro
Molina. intelligentia opinionis Scoti, vide infra, à num. 22. Et Molina, ſupra q. 27. ar. 1. diſp. 8. memb. 2. poſt medium in §. *Verumtamen*. Sequitur opinionem Scoti.

4 Communior tamen Theologorum opinio eſt, quòd actio, ſeù dictio, qua producitur Verbum, non differt ab ipſo intelligere Patris tanquàm vnus actus ab alio actu, ſed dictio, ſeù dicere, eſt idē actus, ac intelligere, & ſupra ipſum nil aliud addit niſi hoc, quod eſt intelligere exprimendo, & producendo, & idem dicunt de ſpirare; Vnde,

5 Pro determinatione veritatis, Dico primò. Actus notionalis, puta, dicere, ſeù generare, non eſt intelligere notionale ex natura rei, imò nec ratione ratiocinata diſtinctum ab intelligere eſſentiali, tanquàm vnus actus ab alio actu.

6 Probatur primò; Quia ex doctrina D. Thomæ ſupra q. 34. art. 1. ad 3. *Dicere importat principaliter habitudinem ad Verbum conceptum, nihil enim eſt aliud dicere, quàm proferre Verbum*. Et q. 37. ar. 2. D.Thom.
in corp. circa finem ſic ait. *Secundùm verò quòd notionaliter ſumitur; ſic diligere nihil eſt aliud, quàm ſpirare amorem, ſicut dicere, & producere Verbum*. Et in reſp. ad 1. ſic ait. *Diligere ſumitur non ſolùm eſſentialiter, ſed etiam notionaliter*. Ergo ex D. Thoma conſtat, quòd actus notionales ſicuti ſunt producere Verbum, & ſpirare Spiritum ſanctum, ſicut intelligere, & velle, non tanquàm actus diſtincti ab intelligere eſſentiali, & à diligere ſimiliter eſſentiali. Aliàs non dixiſſet, quòd diligere in diuinis accipitur notionaliter, aduerbialiter, ſed dixiſſet, diligere notionale eſſe diſtinctum à diligere eſſentiali.

7 Probatur ſecundò ratione. Quia intelligere notionale dicit actum intelligendi, vt eſt productio perſonæ. Ergo non diſtinguitur in ratione actus ab intelligere

telligere

Digitized by Google

telligere eſſentiali. Antecedens patet; probatur autem conſequentia, primò, quia intellectus Patris, poteſt dupliciter cõſiderari, abſolutè, & notionaliter, abſquè eò, quòd diſtinguatur duplex intellectus, eſſentialis ſcilicet, & notionalis. Ergo ſimiliter; intelligere Patris abſolutè conſideratum, & notionaliter acceptum, non ſunt duo intelligere, vnum abſolutum, & alterùm notionale. Secundò, quia intelligere eſſentiale, prout cõnotat relationem Patris, poteſt exercere, quod fingitur fieri per intelligere notionale diſtinctum ab intelligere eſſentiali. Ergo. Antecedens patet ex præcedenti probatione, & ex iſs, quæ diſp. præcedenti ſunt dicta.

8 Probatur tertiò; quia Pater æternus communicauit Filio, & Spiritui ſancto omnem intelligentiam, & ſolummodo relationem perſonæ productæ relatiuè oppoſitam, non communicauit. Ergo in Patre æterno non dãtur duo intelligere, vnum abſolutum, & alterum relatiuum. Probatur conſequentia, quia nullum intelligere, ſecundum quod eſt intelligere, opponitur relatiuè alicui perſonæ diuinæ. Nam taliter intelligere, oppoſitionem relatiuam includit, intelligere verò nequaquàm, taliter autem intelligere, non dicit aliud intelligere.

9 Probatur quartò, quia in nobis intelligere, & dicere, non ſunt duo intelligere. Ergo etiam in intellectu Patris. Antecedens patet, & conſequentia eſt à fortiori.

10 Dico ſecundò. Actus notionalis non eſt omnibus modis idem cum actu eſſẽtiali v. g. dicere Verbum, ſeù generare Verbum, non eſt omnibus modis idem cum intelligere præciſè accepto.

11 Probatur primò; quia dicere, & intelligere, aliquo modo differunt. Ergo nõ ſunt omnibus modis idem. Antecedẽs patet, illudquè expreſsè docet D. Thomas ſupra q. 34. art. 1. ad 3. vbi conferens dicere, & intelligere, ſic ait; *Quæ tamen differunt. Nam intelligere importat ſolam habitudinem intelligentis ad rem intellectam, in qua nulla ratio originis importatur, ſed ſolùm informatio quædam in intellectu noſtro, prout intellectus noſter fit in actu per formam rei intellectæ.* Et ſic immediatè ſubdit. *In Deo autem importat omnimodam idẽtitatem &c. Sed dicere importat principaliter habitudinem ad Verbum conceptum.* Ergo dicere, & intelligere, ex D. Thoma differunt. Ergo non ſunt omnibus modis idem. D.Thom.

12 Dico tertiò. Actus notionalis, puta, dicere, ſeù generare, nõ eſt aliquis actus diſtinctus ab ipſo intelligere.

13 Probatur primò. Eſt actus intellectus. Ergo debet eſſe intelligere, ſeù intellectio. Antecedens conceditur à Scoto, contra quem militat concluſio. Probatur conſequentia; quia vni potentiæ adæquatè conſideratæ, debet vnus actus adæquatus correſpondere: ſed intellectus eſt vna potentia. Ergo debet ei correſpondere vnus actus adæquatus: ſed non poteſt alius aſſignari, niſi ipſum intelligere. Ergo. Omnis actus intellectus debet eſſe intellectio, ſeù ipſum intelligere.

14 Confirmatur hoc, & explicatur. Potentia viſiua habet vnum actum adæquatè ſibi correſpondentem in ratione potentiæ viſiuæ, & nihil aliud eſt, niſi videre. Similiter potentia auditiua habet pro ſuo actu adæquato audire. Et ſic de ſingulis potentijs tàm externis, quàm internis diſcurrendo. Ergo ſimiliter, omnis actus intellectus debet eſſe intelligere, ſiuè ſit productiuus, ſiuè non.

15 Probatur ſecundo. Deus producit res ad extra per voluntatem, & per volitionem in via Scoti in 1. diſt. 37. §. *Si igitur,* vbi ſic ait. *Si omnipotentia eſt voluntas, ad cuius velle ſequitur rem eſſe* &c. Ergo etiã producit ad intra Spiritum ſanctum per volitionem, & Filium per intellectum, & per intellectionem. Patet conſequẽtia; quia aliàs debet aſſignari diſparitas, quare per volitionem efficacem producit res ad extra, & non etiam per volitionem producit Spiritum ſanctum ad intra. Scotus.

16 Si dicatur, quòd ad extra eadem volitio Dei eſſentialis habet, vt ſit productio, ſimulatquè volitio, ſemper tamen, intra rationem volitionis eſſentialis verſatur; at verò ad intra, hoc eſſe non poteſt quia volitio eſt aliquid eſſentiale, nõ autem notionale.

17 Contra primò. Non implicat, vt voluntas, quæ eſt aliquod abſolutum, habeat actum notionalem pro vt eſt in Patre, & Filio, vt Scotus ipſe fatetur. Ergo neque etiam implicat, actui volitionis, vt ſit notionaliter acceptus.

18 Secundò; Quia, dicere in tantùm non poteſt eſſe intelligere, & ſpirare non poteſt eſſe ipſum velle, in quantùm repugnat ipſum velle eſſe productionem: ſed Scotus iam admittit velle, eſſe producere res ad extra; Ergo multò fortius hoc poteſt contingere ad intra.

19 Probatur tertiò. Actus, quo producitur Verbum, prouenit ex memoria fœcunda Patris ad mentem Scoti. Ergo eſt actus qui dicitur intelligere. Probatur conſequentia; quia actus memoriæ, vt memoria eſt, eſt ipſum intelligere.

Si

Digitized by Google

20 Si dicatur, quòd dicere per quod producitur Verbum, non eſt actus memoriæ, vt memoria eſt, ſed eſt actus prouenięns à memoria, vt fœcunda eſt.

21 Contra. Si dicere, eſt à memoria Patris, ergo opponitur relatiuè memoriæ Patris. Ac per conſequens, realiter ſicuti res à re diſtinguitur à memoria Patris. Hoc non eſt dicendum. Ergo.

22 Sed pro fideli relatione doctrinæ Scoti, eſt obſeruandum, quòd Scotus tenet, Patrem æternum habere duos actus ex natura rei diſtinctos, quorum vnus eſt intelligere abſolutum, alter verò dicere, ſeù ſpirare Verbum. Et inter iſtos duos actus, nullum ordinem originis ad inuicem aſſignat. Primus, eſt eſſentialis, & omninò abſolutus; Secundus, eſt notionalis, eſtquè ſola relatio. Et primum, dicit eſſe *quaſi* productum à memoria fœcunda Patris; dicit *quaſi*, quoniam, vt ipſe ſemetipſum explicat, huiuſmodi actus non eſt re vera productus. Ita dicit in 1. diſt. 2. q. 7. §. *Ad 2. dubium*, vbi ſic ait. *Ita in propoſito, ad eumdem actum primum, qui eſt memoria Patris, ordinem quemdam intelliguntur habere intelligere, quod eſt operatio Patris; & dicere, quod eſt producere Patris reſpectu notitiæ genitæ, non talem tamen ordinem, quod intelligere Patris ſit cauſa, vel principium elicitiuum dicere Verbi, ſed quòd, immediatiùs intelligere* (nota) *ſit quaſi productum à memoria Patris, quàm dicere, vel quàm Verbum ſit productum ab eodem. Non igitur eſt ibi &c. Sed tantùm ordo prior, quaſi producti ad productum, reſpectu eiuſdem principij communis, ad quaſi productum, & verè productum.* Vtrum autem dicere, quod eſt actus intellectus paterni, ſit re vera productū, videtur ad partem affirmatiuam inclinare, per hoc, quòd eadē quæſtione §. *Ad quartum inſtantiam* ponēs differentiam inter intelligere, & dicere, docet, quòd Pater per intelligere, dicitur operari; Per dicere, Pater dicitur producere, & ſic loquitur; *Ita dico, quòd iſta eſt per ſe, operatio in quantùm operatiò, eſt non productiua, quia operationes, vt operationes, ſunt fines, & perfectiones operantis. Productio autem, vt productio eſt, non eſt perfectio producentis, ſed habens terminum productum extra eſſentiam producentis.* Sed quicquid ſit &c.

Scotus.

23 Propria opinio Scoti circa hanc materiam, conſiſtit in hoc, quòd memoria fęcunda Patris habet hoc, vt intelligat, & vt dicat, ſeù producat Verbum. Et Verbū eſt intelligere notionale, & ipſum intelligere Patris quo intelligit eſt abſolutū; ac proinde, Scotus dat quidem duo intelligere in diuinis, vnum abſolutum; relatiuum alterum, non tamen dicit, quod Pater æternus intelligit per ipſum intelligere à ſe productum; cum huiuſmodi intelligere ſit ipſum Verbum. Et hoc etiam manifeſtè dicit loco citato §. *Ad primum dico*, & §. *Intelligit igitur*.

24 Sic igitur fideliter poſita, & expoſita ſententia Scoti, argumentor contra reſponſionem. Verbum diuinum procedit ſecundùm Scotum, ex memoria fœcunda Patris; & Patris memoria eſt principium productiuum Verbi, non quia intelligit, ſed quia dicit Pater per memoriam fœcundam eius. Ergo iſta dictio habet pro principio aliquid formaliter abſolutum, vt connotans relationem Patris. Ergo etiam huiuſmodi dictio, ſeù productio, eſt aliquid abſolutum, vt connotans relationem. Patet iſta ſecunda conſequentia ex prima. Nam ſi principium eſt aliquid abſolutum, & connotat relationem, quare & eius actio non ſic ſe debet habere? Prima autem conſequentia patet ex ſuo antecedenti. Antecedens verò eſt Scoti.

25 Sed contra iſtam determinationem obijciet aliquis primò contra ſecundum dictum; quia, quod in diuinis eſt abſolutum, eſt toti Trinitati commune: ſed intelligere eſt aliquod abſolutum. Ergo eſt toti Trinitati commune. Tunc vltra, ſed actio, qua producitur Verbum, eſt actio notionalis, quæ eſt tantū Patris, vt cōmuniter Theologi docent, & expreſsè habetur in Concilio Florentino collat. XVI. §. *Nos dicimus* fol. mihi 206. vbi ſic dicitur. *Iſtud ſuppoſitum*, ideſt, Pater, *eſt id, quod generat, quia generare eſt actio notionalis, & ſolùm competit ſuppoſito.* Ergo productio, & ſimiliter, quilibet alius actus notionalis, ſunt actus adæquatè diſtincti ab intelligere; & velle. Florent.

26 Retorqueo contra Scotum argumētum. Intellectus in diuinis eſt aliquid abſolutum. Ergo eſt quid toti Trinitati commune. Tunc vltra; ſed ſoli Patri conuenit eſſe principium productiuum Filij. Ergo eſſe principium productiuum Filii non conuenit intellectui Patris.

27 Si reſpondebit Scotus, vel aliquis pro eo, quòd intellectus diuinus dupliciter conſiderari poteſt, ſecundùm ſe ſcilicet, & præciſè; & quatenùs eſt in Patre, ſeù connotat relationem Patris. Primo modo, non poteſt dici principium quo generatur Verbum; ſecundo tamen modo, vtiquè.

 Bona

28 Bona quidem reſponſio, nec aliter poteſt ſatisfieri argumento; ſed hanc eãdem reſponſionem argumento Scotico adhibere, quid obeſt? Quò ad Florentinum, eſt pro nobis, vt ex eiuſdem verbis conſtat, vide diſput. ſequen. à num. 5.

29 Obijciet ſecundò. Quia intelligere non poteſt eſſe productio ex ratione ſua; eo quia actualis intellectio, vt verbis Scoti vtar, in 1. diſt. 27. quæſt. 3. §. *Ad tertium concedo, non eſt actio de genere actionis, ſed eſt qualitas nata terminare talem actionem, quæ ſignificatur per hoc, quod eſt dicere*. Ergo productio Verbi eſt actus notionalis omnino diſtinctus ab ipſo intelligere, ſeù ab intellectione. Scotus.

30 Retorqueo contra Scotum argumentum. Velle, ſeù volitio cum ſit actus voluntatis, non poteſt eſſe ex ſua natura productio. Ergo Deus non producit res ad extra per ſuum velle. Ergo non rectè dixit Scotus, in 1. diſt. 37. §. *Si igitur*, circa medium, cuius verba ſupra num. 15. inſinuauimus, dum docet, quòd Deus producit res ad extra per velle.

31 Reſpondetur igitur ad argumentum, explicando antecedens. Intelligere intellectus non fœcundi, non poteſt eſſe productio &c. concedo antecedens. Intelligere intellectus, vt fœcundi, non poteſt eſſe productio &c. nego antecedens. Reſponſio hæc patet ex ijs, quæ ſupra tom. 1. per multas diſputationes diximus à diſp. 34.

32 Obijciet tertiò. Intelligere, & dicere diſtinguuntur formaliter, ſeù ratione ratiocinata, vt communiter Thomiſtæ affirmare videntur. Ergo dicere nõ eſt intelligere formaliter. Ergo eſt aliquis actus formaliter diſtinctus ab intelligere. At per conſequens intelligere, & dicere ſe habent ſicut duo attributa; & ſic controuerſia inter Scotũ, & Thomiſtas ſolũ conſiſteret in hoc, vtrum ſcilicet intelligere, & dicere ſint duo actus ex natura rei diſtincti, an ſolũ ratione ratiocinata; quod nõ videtur à Thomiſtis eſſe admittendum. Nam Thomiſtæ cũ D. Thoma volunt, dicere, & intelligere nõ diſtingui, ſed quod formaliter, & non ſolum materialiter ſit vera iſta propoſitio, nimirùm, dicere per quod Pater æternus producit Verbum, eſt intelligere; quicquid nonnulli dicant.

33 Reſpondetur diſtinguendo, ſeù potiùs explicando antecedens. Intelligere, & dicere diſtinguũtur formaliter modalitèr, concedo antecedens. Diſtinguũtur formaliter formaliter, ſeù formaliter præciſè, nego antecedens. Ergo &c. nego conſequentias.

Sẽſus eſt, quòd dicere, & intelligere in Deo diſtinguuntur quidem formaliter, ſeù ratione ratiocinata nõ tanquàm duæ formalitates, ſeù duæ actiones omninò diſtinctæ, ſed vt vna formalitas diuerſimodè conſiderata. Vnde intelligere accipitur abſolutè; dicere verò eſt ipſumet intelligere abſolutum non abſolutè, ſed notionaliter acceptum. Et in hoc ſenſu debent interpretari Thomiſtæ.

DISPVTATIO CCXIII.

VTRVM POTENTIA GENERATIVA IN DIVINIS dicat in recto aliquid abſolutum, an potiùs relationem.

Per vnicum caput expedita.

CAPVT VNICVM.

Quædam Doctorum opiniones referuntur, & veritas ſtabilitur.

1 DIVVS Thomas plures dicendi modos in quinto huius quæſtionis articulo refert, ſicut & alibi, eas què examinat; ſolùm igitur in præſenti referam opinionem Scoti, vt eam explicem.

2 Scotus igitur in 1. diſt. 7. §. *Alio modo*, tenere videtur, quòd potentia generatiua eſſentialiter dicit relationem, de connotato verò, dicit aliquod abſolutum, ſic enim ait. Scotus.

Hic

Hic autem tantummodò quæritur de potentia agendi; & tunc diſtinguitur, quòd hoc nomen, potentia, poteſt ſumi, vel pro eo, quod per ſe ſignificat, vel pro eo, quod connotat, quod eſt proximum fundamentum talis relationis. Et determinatè respondens, iſta ſubiungit; *Primo modo accipiendo, dico, quòd potentia ſignificat relationem, ſicut potentialitas vel principiatio; & hoc modo, quæſtio non habet difficultatem; quia potentia generandi in diuinis, dicit eſſentialiter relationem*. Et §. *Loquendo*, ſic ait. *Loquendo tunc de potentia, ideſt, de proximo fundamento iſtius relationis, præcisè ſumpto; dico, quòd potentia generandi Patris non eſt relatio, ſed aliquid abſolutum*. Sed quomodo ſit intelligenda hæc opinio Scoti, vide à num. 15.

3 D. Thomas verò tenet, quòd potentia generatiua dicit eſſentiam, ideſt, aliquod eſſentiale. & abſolutum in recto, relationem verò in obliquo, vnde,

4 Pro determinatione veritatis, Dico breuiter. Potentia generatiua in diuinis dicit eſſentiam in recto, & relationem paternitatis in obliquo. Hoc idem, quod de potentia generatiua dicimus, de potentia quoquè ſpiratiua intelligendum eſt.

5 Probatur primò (omiſſis Sanctorum authoritatibus, quæ videri poſſunt apud D. Thomę expoſitores) authoritate Cōcilij Florentini collat. 16. §. *Nos dicimus* pluriès adducto, fol. 206. vbi ſic à Ioanne Latino ex parte eccleſiæ latinæ dicitur. *Nos dicimus, quòd Iſaac, vt ſuppoſitū generat Iacob de perſona ſua, modò natura Iſaac non eſt illa, quæ genuit Iacob, ſed natura ipſius Iſaac eſt principium quo, Iſaac produxit illum Filium; & eſt idem, quòd communicatur; modò dico, quòd Iacob ſit de natura Iſaac, non poteſt, niſi hoc modo intelligi. De Iſaac, ideſt, de ſuppoſito agentis, quia actiones ſunt ſuppoſitorum; & de natura Iſaac, tanquàm de principio, quod eſt communicatum; modo ſi poſſibile eſſet, quòd natura Iſaac, & Iacob eſſent idem; cum tamen ſint duo numero, exemplum eſſet bonum. Modò, quia generatio in diuinis eſt infinitæ perfectionis, ita dicimus, quia Pater, quod eſt hypoſtaſis, & ſubſiſtentia, iſtud ſuppoſitum eſt id, quod generat, quia generare eſt actio notionalis, & ſolùm competit ſuppoſito; modò, ſubſtantia Patris eſt principiū quo Pater generat, & eſt id, quod datur Filio, & quod communicatur Filio per generationem &c.* Florent.

6 Et ibidem §. *Non ſequitur*, fol. 207. ſic dicitur. *Hoc nomen, homo, ſignificat id, quod ſubſiſtit, hoc ſuppoſitum producit aliud humanitate. Ergo hoc ſuppoſitum eſt productum ab humanitate, non valet conſequentia*. Et ibidem. *Illa ergo eſſentia eſt in Patre, & idem eſt realiter, quod Pater, & nomen Patris, dicit eſſentiam, & dicit relationem*. Et paucis interiectis. *Hæc eſſentia communis eſt cū Patre, illa eſt, quæ communicatur Filio per generationem, & hæc eſt principium, quo Pater generat, & producit Filium*. Et §. fol. 290. *Iſta eſſentia ſic abſolutè, pro vt potentia generandi, illa eſt principium quo, & eſt id, quod communicatur, & datur à Patre ipſi Filio*. Ergo ex Concilio Florentino potentia generatiua dicit in recto aliquid abſolutum.

7 Scio quoſdam dicere, Concilium Florentinum non loqui determinando, ſed diſputatiuè; ita præſertim ex noſtris, Magiſter Ioannes à S. Thoma diſp. 16. art. ſuo 3. num. 1. & alibi pluriès. Io. à S. T.

8 Verùm non mihi placet hic dicendi modus; aliud enim eſt dicere, quòd Cōcilium loquitur diſputatiuè; & aliud, quòd loquitur diſputando ex parte totius Eccleſiæ Latinæ propter Græcorū, inſtructionem. Primum, videtur inſinuare ſermonem eſſe probabiliter procedendo; Secundum, aſſertiuè. Concilium autem Florentinum, vt Græcos de veritate catholica inſtrueret, loquebatur ſecundo modo, non autem primo. Idquè eius loquendi modus oſtendit. Quandoquidem, ſic Ioannes Latinus in §. præcitato exorditur. *Nos dicimus*. Nō dicit. Ego opinor, nequè, nos opinamur, ſed dixit, *Nos dicimus*, quaſi diceret, Eccleſia Latina dicit. Et fortaſſe Ioannes à S. Thoma hoc idem voluit intelligere. Io. Latin.

8 Probatur ſecundò ratione. *Aliquid abſolutum eſt ratio formalis, qua agens agit*. Ergo illud eſt potentia generatiua. Ergo potentia generatiua dicit in recto aliquid abſolutum, vt connotans relationem. Hæc vltima conſequentia patet ex prima. Prima deducitur ex antecedēti. Antecedens in primis eſt Scoti in 1. diſt. 7. q. 1. §. *Secundo probo idem ſic*; Et inſuper probatur; quia potentia generatiua eſt potentia communicatiua, & aſſimilatiua: ſed id, quod eſt aſſimilatiuum in diuinis, non eſt relatio in recto, ſed aliquod abſolutum. Ergo. Scotus.

9 Explicatur hoc. In qualibet generatione concurrunt neceſſariò duo, diſtinctio ſcilicet, & conuenientia, ſeù ſimilitudo, magis tamen eſt generationi intrinſecum, vt genitum aſſimiletur generanti, quàm vt genitum ſit à genitore diſtinctum. Fit enim generatio, non vt fiat diſtinctio, quaſi aſſimilatio ſit propter diſtinctionem, ſed intercedit diſtinctio propter conuenientiam, & aſſimilationem; Idquè experientia patet; Nam quò generatio eſt imperfectior, eò minor eſt conueniētia inter generantē,

& genitum, minorquè aſſimilatio, & maior inter vtrumquè diſtinctio; quò verò eſt generatio perfectior, cò eſt inter genitorem, & genitum minor diſtinctio, & in natura maior conuenientia, & aſſimilatio; Diſcurre per ſingula generationis membra, & præſertim mentis obtutum ad diuinam generationem eleua, & veritas omnibus erit manifeſta. Etenim in generatione diuina, genitus à genitore diſtinguitur, & cum eodem identificatur, diſtinguitur in perſona, identificatur in natura. Producitur Filius à Patre, & communicatur Filio à Patre natura, non vt producatur Filius, ſed potiùs vt communicetur natura, producitur Filius. Vnde D. Thomas de potentia, quæſt. 2. ar. 1. in corp. ait, quod *natura cuiuſlibet actus eſt, quòd ſe communicet, quantùm poſſibile eſt. Vnde vnum quodquè agens agit, ſecundùm quòd in actu eſt. Agere verò nihil aliud eſt, quàm communicare illud, per quod agens eſt actu.*

D.Thom.

10 Confirmatur primò ad hominē contra eos Scotiſtas, qui contendunt, Scotū aſſerere potentiam generandi non dicere in recto aliquid abſolutum, & ſic argumentor. Illud dicit in recto potentia generatiua, quod eſt ratio formalis potentiæ generatiuę: ſed ſecundùm Scotū ratio formalis potentiæ generatiuæ eſt aliquid abſolutum. Ergo potentia generatiua ad mentem Scoti, dicit in recto aliquid abſolutum. Maior patet ex ipſis terminis. Minor eſt Scoti loco citato. Hæc enim ſunt eius verba. *Aliquid abſolutum eſt terminus formalis generationis. Ergo aliquid abſolutum eſt ratio formalis, qua agens agit.* Hæc ille.

Scotus.

11 Confirmatur ſecundò. Quia ex Scoto eodem loco §. *Ad aliud cum dicitur*, vera eſt iſta propoſitio, *Forma eſt principium agendi, in quantùm eſt in hoc*, & ſubdit immediatè ſic; *Concludit pro me, quia illud abſolutum* (nota) *quod eſt Patri potentia generandi, non eſt potentia generandi Filio.* Ergo ad mentem Scoti potentia generandi dicit in recto aliquid abſolutum, & in obliquo relationem. Patet iſta conſequentia, ex modo loquendi Scoti; Nam Scotus ponit abſolutum in recto, dum ait. *Illud abſolutum, quod eſt Patri potentia generandi*; & ponit relationem in obliquo, dum admittit iſtam, *forma eſt principium agendi in quantùm eſt in hoc*, nota ly, *in hoc*, quod ponitur in obliquo, & ly, *in hoc*, eſt ipſa perſona relatiua Patris.

Scotus.

12 Confirmatur tertiò ex eodem Scoto eodem loco §. *Ad propoſitum dico*, vbi examinans hunc argumentandi modū; *Propria forma dat eſſe. Ergo dat agere*, reſpōdet, ſic dicens, *nego conſequentiam. Multæ enim ſunt formæ dantes eſſe, quæ non ſunt actiuæ, & ita nullo modo dant actum ſecundum* (nota) *& talis eſt paternitas, ſicut & filiatio.* Ergo potentia generatiua ſecundū Scotum dicit in recto abſolutum, & in obliquo dumtaxat, relationem, taliter, quòd relatio non pertinet ad rationem formalem potentiæ generatiuæ, niſi aliquàm conditio, quæ neceſſariò per potentiam generatiuam connotatur. Probo iſtam conſequentiam. Quia ex Scoto potentia generatiua eſt ratio formalis, qua agens agit, & qua generans communicat naturam genito. Ergo ſi ex Scoto relatio non eſt qua Pater agit, licèt ſit qua Pater conſtituitur, nequè ſit qua Pater communicat Filio naturam, & tantummodò hoc formalitati abſolutæ ab eodem Scoto tribuitur, potentia generatiua debet dicere in recto formalitatem abſolutam, non verò formalitatem relatiuam, niſi connotatiuè.

Scotus.

13 Solùm pro Scotiſtis poſſet adduci, quia Scotus ibidem §. *Alio modo dicitur*, ait, quòd *potentia ſignificat relationem, ſicut, potentialitas, vel principiū*, & quòd *potentia generandi in diuinis dicit eſſentialiter relationem*. Et pro eo, quod connotat, dicit aliquid abſolutum. Ergo dicet Scotiſta, quòd ſecundùm Scotum potentia generatiua eſſentialiter dicit relationem, & connotatiuè abſolutum.

14 Si hæc verba pro Scotiſtarum modo loquendi ſubſiſterent, non poſſet Scotus à contradictione ſaluari. Quomodo enim iſta ſaluantur; aliquid abſolutum eſt ratio formalis qua agens agit, & illud abſolutum eſt Patri potentia generandi, & forma eſt principium agendi in quantùm eſt in hoc. Et potentia generandi dicit abſolutum in obliquo, & tanquàm connotatum?

15 Poſſet, ni fallor, ſic Scotus explicari. Potentia generatiua ſignificat relationem, dicit eſſentialiter relationem &c. ratione notionalitatis, non tamen ratione formalitatis potentiæ generatiuæ. Et ſenſus eſt, quod potentia generatiua, habet quòd dicatur notionalis, ratione notionalitatis, ideſt, ratione relationis, quam neceſſariò includit. Et ſic dicit in obliquo formalitatem abſolutam, in qua formaliter conſiſtit ratio potentiæ generatiuæ. Vnde à Scoto vocatur fundamentum relationis. Non enim dicit Scotus, quod illud abſolutum eſt fundamentum potentiæ generatiuæ, ſed eſt fundamentum relationis. Itaquè Scotus quantùm ad hoc, ſequitur ſententiā D. Thomæ, quidquid nonnulli Scotiſtæ dicant, & non eſt differentia, niſi de modo loquendi, ſeu de ſola voce.

Di-

Digitized by Google

26 Diſcrepare tamen videtur Scotus à doctrina D. Thomæ circa hanc quæſtionem, quia imaginatus eſt, quòd D. Thomas dixerit, eſſentiam diuinam in ratione eſſentiæ, eſſe potẽtiam generatiuam; in ratione, inquam, eſſentiæ, pro ut antecedit intellectum & voluntatem.

17 Sed hoc in primis non dicit Scotus. Referens enim ſententiam D. Thomæ eadem quæſt. §. *Hic eſt opinio*, ſic ait. *Hic eſt opinio talis, quòd illud, quo Pater generat, eſt eſſentia, propter hanc rationem, quia generans aſſimilat ſibi genitum in forma, qua agit; Filius autem aſſimilatur Patri in eſſentia, non in proprietate. Ergo.*

Scotus.

18 Verumtamen D. Thomas nomine eſſentiæ intellexit aliquod prædicatum eſſentiale, ratione cuius communicatur eſſentia in ratione eſſentiæ. Vel ſi nomine eſſentiæ intelligit eſſentiam in ratione eſſentiæ, dicendum eſt, quod fuit illius probabiliſſimæ opinionis, videlicet, quod conſtitutiuum naturæ diuinæ eſt intelligere per eſſentiam.

19 Quod verò nunquam potuit ſic loqui D. Thomas, cæci etiam vident; nonne proceſſiones diuinarum perſonarum dicit eſſe per intellectum, & voluntatem; incipe à quæſt. 27. & deinceps per totum de ſanctiſſima Trinitate tractatum, & ſic inuenies.

20 Vulpes diſp. 49. art. 3. num. 8. ponit hanc concluſionem; *Dicimus ſecundo, eſſentiam diuinam in ſe, abſolutè in ſua formali quidditate conſideratam, ſecundùm quam à parte rei præſcindit ab omni perfectione ſimpliciter, quæ eſt extra eius formalem rationem, nequaquam rationabiliter appellari abſolutum per potentiam generandi in Patre.* Et ſubdit ſic. *Aduerſatur concluſio Sancto Thomæ 1. p. q. 41. art. 5.* Vbi contendere videtur, quòd D. Thomas aſſerat, potentiam generatiuam in diuinis eſſe diuinam eſſentiam, prout præſcindit ab intellectu, & voluntate. Si hoc vult dicere, blaterat, & quod argumentis præſtare non poteſt, loquacitate compenſat. Dicendum eſt igitur, ſicut iam diximus, & ſicut omnes Doctores, D. Thomam exponentes intellexerunt. Concilium Florentinum vtitur nomine eſſentiæ, ad ſignificandam potentiam generatiuam, eo modo, quo locutus eſt D. Thomas. Ac proinde, loquens contra D. Thomam, loquitur cõtra Concilium. Verba Concilij iam relata ſunt.

Vulpes.

21 Sed contra iſtam determinationem obijciet aliquis primò. Si potentia generatiua diceret aliquod abſolutum, illud abſolutum communicaretur Filio à Patre. Hoc non eſt dicendum. Ergo. Probatur ſequela. Quia omne abſolutum, quod eſt in Patre, communicatur Filio. Probatur minor, quia ſi Filio communicaretur potentia generatiua, Filius diceretur potens generare, quod eſt falſum. Ergo.

22 Reſpondetur, negando ſequelam. Ad cuius probationem, explico antecedens. Omne abſolutum, præcisè ſumptum, quod eſt in Patre, communicatur Filio, concedo antecedens. Omne abſolutum, quod eſt in Patre, quatenùs eſt in Patre, ſecundùm eſſe ſcilicet, quod habet in Patre, communicatur Filio, nego antecedens. Ergo & cæt. nego conſequentiam.

23 Reſponſio hæc eſt doctrina Concilij Florentini, ſic enim ibi dicitur. *Sed hæc eſſentia non communicatur Filio ſecundùm eſſe, quod habet in Patre, & in hoc eſt deceptio tu*, (loquitur contra Epheſinum doctorem ex parte Græcorum) *quia non intelligis, quòd cum dicimus, quòd eſſentia Patris communicatur Filio, non dicimus, ſecundùm eſſe, quod habet in Patre, quia ſequeretur, quòd generaret &c.*

Florent.

24 Obijciet ſecundò. Si potentia generatiua eſſet eſſentia diuina, eſſentia diuina generaret. Dicere hoc, eſt hæreticũ. Ergo. Minor patet ex ſupradictis. Probatur ſequela; quia eſſentia diuina ſubſiſtit, & nõ ſolùm eſt id quo, verumetiam id quod. Ergo.

25 Reſpondetur, negando ſequelam. Ad cuius probationem diſtinguo, ſeù potiùs explico antecedens. Eſſentia diuina ſubſiſtit communicabiliter, concedo antecedens. Vt ſuppoſitum, ſeù incommunicabiliter, nego antecedens. Ergo & cæt. nego conſequentiam. Ad hoc enim vt aliquod dicatur generare, inter alia requiſita, debet ſubſiſtere, vt ſuppoſitum; generare enim eſt actus notionalis. Vide quæ ſupra diximus, quomodo ſcilicet, eſſentia diuina eſt id quo, reſpectu actuũ eſſentialium, & quomodo reſpectu actuum notionalium.

26 Obijciet tertiò; quia ſi aliquod abſolotum eſſet potentia generatiua, vt in Patre, vel diceretur modificatum ratione paternitatis, vel non modificatum. Non primum; quia modificari eſt ab aliquo determinari, ac per conſequens, dicit rationem potentiæ paſſiuæ, quæ Deo repugnat, etiam ſecundùm rationem. Si ſecundum, eſt contra ſuperius dicta. Ergo.

27 Reſpondetur, aſſerendo primum, ſed cum debita modificatione. Diceretur enim vt modificatum per modum ſimplicitatis, non per modum compoſitionis; & ſenſus eſt, quòd eſſentia diuina, pro vt eſt in principio de non principio, habet

Digitized by Google

Caiet. generationem, quam opinionem ſequutus eſt Caietanus eodem ar. 2. huius quæſt. tanquàm cõſonam Sancto Thomæ; ſed aduerte, quòd Caietanus amplectitur hanc ſententiam Scoti, non tamen acceptat, ſed reijcit, & confutat explicationem, & rationem, qua à Scoto exponitur. & defenditur. Etenim Scotus dare videtur prioritatem originis, & naturæ, inter perſonas diuinas ad inuicē, & inter prædicata abſoluta, & relatiua, præſertim inter intellectum, & voluntatem ex vna parte, & proceſſiones ad intra ex altera; Caietanus autem omnē prioritatem originis inter perſonas, & prioritatem naturæ inter eſſentiam, & perſonas impugnat, & tantummodò prioritatem ſecundùm diuerſos inadæquatos conceptus, ſeù ſecundùm diuerſum concipiendi modum admittit, & defendit, vt habetur q. 42. ſequenti ar. 3. eamdem Caietani ſententiam Bañes, loco citato admittit, vt probabilem. Herrera, eodem art. dubit. 1. Ioannes à S. Thoma, diſp. 16. art. ſuo 2. à nu. 7. Ferro, ſuper eumdem art. dub 1. & alij.

Bañes. Herrera. Io. à S. T. Ferro.

4 Quidam tandem tenent, voluntatem Dei eſſe concomitantem, non antecedenter, nec ſimul, ſed conſequenter, idest, ſtatimatquè poſtquàm poſita eſt generatio Verbi, Deus ſua voluntate complacet ſibi in ea. Ita Vaſquez, diſp. 160. Et quidam alij ex recentioribus; ſed.

Vaſquez.

5 Pro determinatione veritatis, Dico primò. Si loquamur nullo intellectu conſiderante, ſed ſecundùm rem, Deus vult generationem voluntate eſſentiali concomitanter, pro vt excluditur volũtas antecedenter, & accedenter, ſeù cõſequenter.

6 Probatur breuiter; quia in diuinis nulla datur realis prioritas, neque durationis, neque naturæ, neque originis, intelligendo prioritatem in quo. Ergo Deus vult Patrem generare Filium voluntate concomitante, pro vt excludit voluntatem antecedentem, & voluntatem accedentem. Antecedens ſupponitur pro nunc, præterquamquòd ex ſupradictis aliqualiter patet, & probabitur infra, quæſt. ſequenti. Conſequentia verò ſequitur ex ſuo antecedenti.

7 Dico ſecundò. Voluntas eſſentialis Dei, neque ſecundùm intellectum, conceptu quaſi totali concipientem; antecedenter ſe habet, ad generationem Filij.

8 Dico tertiò. Voluntas eſſentialis, ſecundùm intellectum per inadæquatos conceptus procedentem, intelligitur antecedẽter terminari ad generationẽ Filij.

9 Explicatur præſens, precedenſquè dictum, ex cuius explicatione vtriuſque probatio deprehenditur. Intellectus noſter ob ſui imperfectionem non valens diuina vnica attentione, vnicaquè conceptione intelligere, plures de eis conatur formare conceptus, eoſquè de facto format, vt eruditè docet Caietanus, q. ſeq. in comment. 3. art. & ſic datur ordo prioris, & poſterioris in diuinis, quæ prioritas, & poſterioritas eſt ſecundùm ordinem præciſionis ab intellectu formatæ cum aliquo fundamento in re. Poſtquàm autem intellectus aduertit per plures conceptus concepiſſe diuina, iam intelligit, prioritatem, & poſterioritatem eſſe propter conceptus inadæquatè formatos, ſed adhùc iudicat, quòd omnes iſti conceptus ſi reducerentur in vnum, neque etiam daretur in diuinis prioritas, & poſterioritas ſecundùm intellectum prædicto modo iudicantem. Eſt etiam alia prioritas ſecundùm intellectum in Deo, reſpectu actuum æternorum, qui ſignificantur ad creaturas terminari, ſicuti diſpoſitio, prædeſtinatio, & huiuſmodi. Sed iſta eſt prioritas in ratione principiandi; quæ ſic dicitur antecedens, vt non dicatur propriè cõcomitans, formaliter loquendo. Vide D. Thomam de pot. q. 2. ar. 3. ad 2.

Caiet.

10 Diximus igitur in præced. concluſione, quòd ſi loquamur de prioritate ſecũdùm intellectum, iuxta hanc ſecundam acceptionem, voluntas Dei eſſentialis non antecedit generationem Filij, benè tamen, ſi loquamur iuxta priorem acceptionem. Et fortaſsè poſſent per hãc diſtinctionem Capreoli, & Caietani ſententia concordari.

11 Probatur igitur ſecundum dictum; Quia tota prioritas ſecundùm intellectum, quæ eſt inter diuina, eſt prioritas præciſionis, non verò prioritas formalitatum obiectarum: ſed omnes conceptus per modum vnius conſiderati, non dicunt aliquam prioritatem, etiam ſecũdùm intellectum. Ergo.

12 Probatur tertium dictum. Quia in quocumquè ſigno conſideratur intellectus diuinus, correſpondet neceſſariò diuina voluntas. Sed intellectus noſter poteſt priùs intelligere Deum vt cognoſcentem Patrem generare, quàm quòd intelligatur Pater generare. Ergo in eodem ſigno illa generatio intelligitur obiectum eſſentialis amoris. Ergo ſecũdùm intellectum per conceptus inadæquatos gradientem, voluntas eſſentialis antecedit Filij generationem.

13 Confirmatur. Voluntas Dei eſſentialis cõcipitur ab intellectu noſtro priùs [illegible] quàm

quàm concipiatur Pater generare. Ergo concipitur vt terminata adæquatè ad omne illud, ad quod eſt neceſſariò terminabilis; ſed eſt terminabilis ad abſoluta, & ad omnes actus notionales. Ergo intelligitur vt terminata ad eoſdem actus notionales tanquàm ad obiecta.

14 Sed contra iſtam determinationem obijciet aliquis primò. Implicat intelligere voluntatem eſſentialem terminari ad generationem Filij, antequam ſit eiuſdem Filij generatio. Ergo implicat dicere, quòd voluntas Dei eſſentialis ſecundùm intellectum noſtrum prius terminatur ad generationem Verbi.

15 Reſpondetur, diſtinguendo, ſeù potiùs explicando antecedens. Implicat intelligere ſecundùm rem, & penes conceptum quaſi adæquatum, voluntatem eſſentialem terminari &c. concedo antecedens. Implicat intelligere penès conceptum inadæquatum, & præciſiuum, voluntatem eſſentialem &c. nego antecedens. Ergo &c. nego conſequentiam. Argumentum enim probat de prioritate ſecundùm rem, & ſecundùm omnes conceptus inadæquatos, vt vnum; concluſio verò loquitur de prioritate præciſionis penès inadæquatos concipiendi modos.

16 Obijciet ſecundò. Si voluntas eſſentialis eſſet ſecundùm modum intelligendi prior ipſa generatione actuali, ſequeretur, quòd iſte amor, quo Deus generationem amaret, eſſet deſiderium. Sed hoc non eſt admittendum. Ergo. Minor patet; quia deſiderium eſt de re non habita, ſeù nondùm poſſeſſa. Deus autem omnia ſua ab æterno perfectiſſimè poſſidet. Ergo. Sequela probatur; quia in illo priori generatio Filij non habetur.

17 Reſpondetur, negando ſequelam. Ad cuius probationem, nego antecedēs. Aliud enim eſt dicere, in illo priori generatio Filij non habetur, ſeù non eſt; & aliud eſt dicere, in illo priori ſignò generatio Filij intelligitur non eſſe; & aliud tandem eſt dicere, in illo priori ſigno generatio Filij non intelligitur. Duo enim prima, falſa ſunt. In quocumquè ſi quidem ſigno intelligitur diuina voluntas tendere ad generationem Filij tanquàm ad obiectum amatum, valet dicere, quòd iam habetur, & iam eſt generatio Filij. Item, falſum omninò eſt dicere, quòd in illo primo ſigno, in quo intelligitur diuina voluntas terminari ad generationem Filij, intelligitur quoquè generationis Filij negatio. Solummodo tertium veritatem habet, & eſt pro nobis non contra nos, quia ſermo eſt de prioritate ſecundùm præciſionē, non verò de prioritate reali, aut formalitatum ex natura rei.

18 Obijciet tertiò; Voluntas, qua Deus diligit Patrem generare, ſeù Filij generationem, eſt concomitans. Ergò nullatenus eſt prior.

19 Reſpondetur, explicando antecedēs. Voluntas, qua &c. eſt concomitans, id eſt, non principians, concedo antecedens. Eſt concomitans, id eſt, nequè ſecundùm intellectum inadæquatè concipientem, eſt antecedens, nego antecedens. Ergo &c. nego conſequentiam.

20 Obijciet quartò; Quia D. Thomas de potentia quæſt. 2. art. 3. ad 2. ait quod generationis Filij, *non eſt voluntas præcedens, nec tempore, nec intellectu, ſed ſolùm voluntas concomitans*. Ergo. D.Thom.

21 Reſpondetur, explicando D. Thomam ſic. *Reſpectu &c. non eſt voluntas præcedens*, vt principians, concedo. *Non eſt voluntas, vt præcedens*, non vt principians, nequè vt præciſè amans, nego antecedens. D. Thomas loquitur in priori acceptione, vt ipſum legenti conſtabit.

DISPVTATIO CCXV.

VTRVM SPIRITVS SANCTVS Procedat liberè à Patre, & Filio.

Per vnicum caput expedita.

CAPVT VNICVM.

Doctorū opiniones referuntur, & diſput. reſolutio ponitur, ac defenditur.

1 EX diſputationis deciſione titulus explicabitur. Scotus igitur in 1. diſt. 10. quæſt. vnica, & alibi affirmat Spiritum ſanctum liberè procedere à Patre, & Filio. Scotus D.Thom.

2 D. Thomas in hac quæſt. art. 2. & alibi

alibi pluriès omninò negat: D. Thomã ſequuntur communiter Theologi, ſed pro intelligentia ſtatus huius controuerſiæ, ac reſolutionis eius.

3 Dico primò; Spiritus ſanctus neceſſariò procedit.

Probatur. Spiritus ſanctus non poteſt non procedere. Ergo neceſſariò procedit. Patet antecedens. Nam Spiritus ſanctus non poteſt non eſſe; cum ſit Deus. Ergo non poteſt non procedere. Patet iſta conſequentia; quia Spiritus ſanctus intantùm eſt, inquantùm procedit. Conſequentia verò probatur; quia neceſſarium non conſiſtit, niſi in non poſſe nõ eſſe.

4 Hoc dictum apud omnes eſt de fide certum; Vnde Vulpes diſp. 53. ar. 6. nu. 8. de hoc dicto loquens ſic ait. *Concluſio tanquàm de fide certa ab omnibus recipitur*; Ideoquè ſi quis ſic Spiritum ſanctum liberè procedere affirmaret, vt negaret neceſſariò procedere, hæreſim diceret.

Vulpes.

5 Dico ſecundò; Spiritus ſancti proceſſio non eſt libera quò ad exercitium.

Hoc dictum eſt adeò verũ, vt grauiſſimos Doctores D. Thomam in hac materia ſectantes, ommittam, Vulpes, diſp. 53. art. 6. nu. 7. ſic laborauerit, vt Scotum àb hac liberaret opinione, vt hæc verba protulerit. *Quapropter*, inquit, *vehementer ſunt allucinati, qui ſunt cum Caietano 1. p. q. 41. art. 2. arbitrati, ſtatum controuerſiæ in eo conſiſtere, vt alij* (ſcilicet Scotiſtæ) *indicauerint, Patrem, & Filium, in ſpirando Spiritum ſanctum liberos eſſe, libertate reſpiciente de facto exercitiũ actus: Alij* (ſcilicet Thomiſtæ) *è contrario dixerint, quoniam eſt manifeſtus in fide error, ſic opinari, Spiritum ſanctum liberè ſpirari*, Et immediatè contra quoſdam ex Scotiſtis, ſic inuehitur. *Hinc quoquè patet, grauiter erraſſe Scotiſtas nonnullos, qui ſtatum controuerſiæ tenentes, quem Caietanus pro ſuo libito ſtatuit, conantur ſubinde ſaluare, proceſſionem Spiritus ſancti eſſe liberã reſpectu exercitij actus, quatenùs eſt à voluntate diuina, non vt ſic, ſed præſcindendo ab eius infinitate, fingentes ad id perſuadendum &c.* Et paucis interiectis ſic ſubdit. *Porrò, ſi qui ſunt Scotiſtæ tales, non modò ſtatum controuerſiæ non attingunt (cum Spiritum ſanctum Pater, & Filius, per voluntatem producant, quatenùs illa diuina, formaliterquè infinita eſt; Ergo iuxta prædictorum fictionem, illum re vera, non liberè producerent à parte rei, vel ſecũdùm rem, ſicquè conſequenter, omnis cõtrouerſia periret) verùm, & in manifeſtum labuntur errorem priore peiorem, quia &c.* Et poſt nonnulla ſic ait. *Idcirco non tantùm ſuperuacaneus, infructuoſuſquè eſt in hac re Scotiſtarum labor, ſed in fide ſatis periculoſus, ducens ſcilicet, intellectum, in errorem.*

6 Ex quibus verbis habes ad minùs duo, quorum primum eſt, quòd etiã nonnulli Scotiſtæ ſenſerunt concluſionem poſitam eſſe contra Scotum. Secundũ eſt, quòd Vulpes ipſe affirmat, oppoſitum dicere, eſſe errorem in fide. Ergo valet ſic arguere. Si ſententia Scoti eſt contra iam poſitam concluſionem, eſſet hęretica, vel periculoſa.

7 Probatur igitur concluſio ratione. Quod procedit liberè quò ad exercitiũ, ſic procedit, vt poſſit eſſe & poſſit non eſſe: ſed hoc proceſſioni Spiritus ſancti repugnat. Ergo. Maior patet apud omnes. Minor debet eſſe de fide certa, ſicuti de fide certum eſt, quod Spiritus ſanctus eſt Deus, ac per conſequens, nõ poteſt non eſſe, ſicuti non poteſt non eſſe ipſe Deus.

8 Dico tertiò. Procedere neceſſariò, & procedere liberè, non poſſunt in vnum, & idem conuenire, ſed ſunt duo modi oppoſiti volendi, ac producendi.

9 Probatur primò. De ratione libertatis eſt indifferentia: ſed neceſſitas, vt neceſſitas opponitur indifferentiæ. Ergo.

10 Reſpondent Scotiſtæ nonnulli, diſtinguendo maiorem. De ratione libertatis accidẽtalis, eſt indifferẽtia, cõcedunt maiorẽ. De ratione libertatis eſſentialis, eſt indifferentia, negãt maiorẽ. Tunc cõceſſa minori, ſimiliter diſtinguunt conſequens.

11 Nomine libertatis accidẽtalis, intelligunt potentiã habentẽ dominium ſupra actus ſuos, vel in ordine ad obiecta ad quæ ſe determinat; nomine verò libertatis eſſentialis, intelligũt volũtatẽ ſe determinantẽ, ſe inquiunt, ab intrinſeco, & nõ à natura, ſeù ab inſtinctu naturæ. Et ſic dicunt, quod voluntas diuina pro vt in Patre, & in Filio ſe determinat ad producendum Spiritum ſanctum ex ſe ipſa, & non à natura diuina.

12 Sed ſic dicere, diſputatio ex bona parte reducitur ad controuerſiam de nomine, quia hoc modo, quod nos Thomiſtæ cum D. Thoma dicimus eſſe neceſſariũ, nõ verò liberũ, iſti cum Scoto dicũt, eſſe liberũ libertate eſſentiali, ſimulatq; neceſſariũ, Vnde fruſtra Scotus nimiopere laborauit, arguens contra D. Thomã aſſerentẽ proceſſionẽ Spiritus ſancti non eſſe liberam, ſed neceſſariam.

13 Et inſuper, contra hanc reſponſionẽ, & doctrinam ſic argumentor. Voluntas diuina pro vt in Patre, & in Filio, in ordine ad productionẽ Spiritus ſancti ſe determinat ex duplici præſuppoſitione.

Digitized by Google

quæ etiam libertati eſſentiali ab his ficta, omninò repugnat. Ergo neque etiam ſaluatur libertas eſſentialis. Conſequentia eſt euidens. Probo antecedens; Quia præſupponit primò naturam diuinam intrinſecè determinatam ad proceſſiones ad intra. Ergo ex hoc capite, diuina voluntas ſic ſe determinat ad ſpirãdum Spiritum ſanctũ, vt huiuſmodi determinatio ſit ex inſtinctu naturę diuinę, vt natura eſt. Vnde proceſſio Spiritus ſancti, quamuis ſit à voluntate, ſeù per voluntatem, ideoquè meritò ſoleat dici, & nũcupari proceſſio per modum voluntatis, non tamen propter hoc tollitur, quin dicatur proceſſio neceſſaria, & à voluntate, per modum naturæ, taliter quòd etiam ipſa ſit naturalis.

Vulpes. 14 Si dicatur cum Vulpes diſp. 54. art. 4. nu. vlt. negando, quod proceſſio iſta ſit naturalis, eò quia, alioquin à generatione non differret.

15 Contra primò; Quia in primis, generatio diſtinguitur à proceſſione Spiritus ſancti (loquor de diſtinctione veluti ſpecifica, & formali). Quia generatio eſt per intellectum, proceſſio verò per voluntatem.

16 Secundò; Quia proceſſio Spiritus ſãcti quòd non dicatur naturalis dupliciter intelligi poteſt; primò; quia ſcilicet, nõ eſt immediatè per naturam, pro vt natura eſt virtualitèr à voluntate diſtincta. Secundò; quia non eſt ex voluntate, vt naturaliter agens. Primum, verum eſt, ſed nihil ad propoſitum, eò quia, ſecundùm opinantes quòd natura diuina etiã ab intellectu diſtinctione virtuali diſtinguitur, Scotus ipſe diceret, quòd neque etiam generatio eſt naturalis; ſecundo verò modo, falſum omninò eſt, quòd proceſſio Spiritus ſancti, non ſit naturalis, quemadmodum etiam naturalis eſt proceſſio Verbi diuini. Et hoc negare eſt expreſsè loqui contra Concilium Florentinum. Etenim Concilium Florentinum collat. 18 § *Ego dico*, ſic ait. *Et dico, quòd ſi eſt ordo ſecundùm naturam, quod eſt ordo naturæ, modo talis ordo præſupponit à principio, hoc eſt à perſona, à qua eſt alia, relatione principij, & ſic ſi habet relationẽ principij, communicat ſibi hanc naturam, quia iſtæ productiones* (nota) *ſunt naturales*. Ita Concilium loco cit. ex ore Ioannis Latini fol. mihi 232.

Florent.

17 Ex quibus Concilij verbis ſic iterum argumentor. Per huiuſmodi determinationem diuinæ voluntatis communicatur Spiritui ſancto natura diuina. Ergo ex neceſſitate voluntas diuina ſe determinat, tanquàm principium quo productionis Spiritus ſancti, quæ ex diuina natura redundat in voluntatem, quatenùs voluntas eſt potentia naturæ diuinæ, vt natura eſt. Ergo eſt neceſſitas naturalis.

18 Probatur ſecundò; Si velle neceſſariò dicit libertatem eſſentialem, ſequeretur, quòd etiam in brutis in appetitu ſenſitiuo, & in omnibus actibus noſtræ voluntatis primo primis daretur libertas eſſentialis. Hoc non eſt dicendum. Ergo. Minor patet, probatur ſequela; quia quælibet potentia volitiua, & ſenſitiua appetitiua tendit ad obiectum per intrinſecam ſui determinationem, iuxta modum loquendi aduerſariorum.

19 Probatur tertiò; Quia Sacra Concilia quotiès loquuntur de libero arbitrio, nunquàm mentionem fecerunt de hac libertate eſſentiali, eſſentialiter cum neceſſitate coniuncta, imò aſſignant neceſſitatem, tanquàm membrum oppoſitum libertati. Et Caluinum tanquàm hæreticum damnant, quia dicebat, voluntatem noſtram ſpontaneè agere, nõ verò liberè. Ergo vel Caluinus negabat libertatem dumtaxat, vel vtramque infringebat. Si primum. Ergo non debebat condemnari, quia negauit omninò libertatem, ſed quia hanc dumtaxat, puta, libertatem accidentalem. Si ſecundum; Contra. Illa ſpontaneitas erat per intrinſecam determinationem voluntatis. Ergo.

20 Dico quartò. Proceſſio Spiritus ſancti eſt omninò neceſſaria, & nullo modo libera, ſi propriè loqui velimus.

Patet hoc dictum ex ſupra dictis. Nam proceſſio Spiritus ſancti eſt per voluntatem intrinſecè, & neceſſariò determinatam ad vnum per modum naturæ. Ergo eſt ſic neceſſaria, vt non ſit libera. Patet conſequentia, & ſimiliter antecedens; nam ex ſupradictis, voluntas diuina ſe determinat ad productionem Spiritus ſancti ex vi determinationis naturæ diuinæ, & tanquàm potentia naturæ diuinæ, vt natura eſt. Ergo. Pondera hoc, quoniam conuincens eſt.

21 Sed contra iſtam determinationem obijcies aliquis primo. Proceſſio Spiritus ſancti eſt per voluntatem. Sed de ratione voluntatis vt ſic, eſt vt ſit libera. Ergo proceſſio Spiritus ſancti eſt libera.

22 Reſpondetur, explicando maiorem. Proceſſio Spiritus ſancti eſt per voluntatem, vt natura eſt, concedo maiorem. Eſt per voluntatem, vt libera eſt, nego maiorem. Similiter explicanda eſt minor; & neganda eſt conſequentia.

Contra.

Digitized by Google

23 Contra. Implicat in terminis iſta diſtinctio. Ergo. Probatur antecedens. Quia natura contradiſtinguitur à volũtate. Ergo agere per modum naturæ, repugnat voluntati.

24 Magis repugnat libertati neceſſitas, & agenti liberè, agere neceſſariò, quàm voluntati natura, & agenti per voluntatem, agere per modum naturæ; cum voluntas ipſa ſit quædam natura, & potentia eſſentiæ, ſeù naturę intellectualis. Vnde argumentum militat contra Scotum potiùs, quàm contra nos; & nihilominùs.

25 Reſpondetur, negando antecedens. Ad cuius probationem, explico antecedens. Natura contradiſtinguitur à voluntate, vt eſſentia à ſua potentia, concedo antecedens. Natura præcisè, contradiſtinguitur à voluntate, adhùc iterũ concedo antecedens. Natura intranea voluntati, diſtinguitur à voluntate, nego antecedens. Ergo &c. nego conſequentiam.

26 Obijciet ſecundò; Agere liberè, & agere neceſſariò non repugnant ad inuicem. Ergo non obſtante, quòd Spiritus ſanctus procedat neceſſariò per voluntatem, adhùc procedit liberè. Conſequentia patet. Probatur antecedens. Quia libertas eſſentialis conſiſtit in hoc, vt voluntas ſe determinet. Sed hoc ſaluatur in velle neceſſariò. Ergo.

27 Reſpondetur, negando antecedens. Ad cuius probationem, explico maiorẽ. Libertas eſſentialis conſiſtit in hoc, vt voluntas ſe determinet, cum ſit indifferens, concedo maiorem. Vt ſe determinet, ideſt, vt per principium intrinſecum non coactè, nec violẽter operetur, nego maiorem. Similiter explicanda eſt minor, & neganda eſt conſequentia.

28 Vel ſic, concedendo maiorem, & negando minorem; quod enim agit neceſſariò, agit vt determinatum, & non vt ſe determinans. Vide commentariũ art. 2. à num. 6.

29 Obijciet tertiò; Quia D. Thomas ipſe docet, Spiritum ſanctum procedere liberè; & quòd procedere neceſſario, libertati non repugnat. Ergo. Probatur antecedens, quia de potentia quæſt. 10. art. 2. ad 5. ſic ait. *Naturalis neceſſitas, ſecundùm quam voluntas aliquid ex neceſſitate velle dicitur, vel fælicitatem, libertati voluntatis non repugnat*; & paucis interiectis ſic ſubdit. *Vnde voluntas liberè appetit fælicitatem, licèt neceſſariò appetat illam.* Et deducit han conſequentiam. *Liberè ergo Spiritus ſanctus procedit à Patre; Non tamen poſſibiliter, ſed ex neceſſitate.* Ergo D. Thomas vtrumquè tenet, quod agere neceſſariò, & agere liberè non opponuntur; & quòd Spiritus ſanctus liberè procedit à Patre. D.Thom.

30 Reſpondetur, negando antecedens. Ad cuius probationem, explico D. Thomam de libertate à coactione, & violentia, non autem de libertate propriè. Quod manifeſtum eſt, dum probans, quòd *libertati voluntatis non repugnat velle aliquid ex neceſſitate*; ſic ait, *vt Auguſtinus docet in 5. de ciuit. Dei. Libertas enim voluntatis, violentiæ, vel coactioni opponitur.* Et deinde, dum ait, *Sic autem & Deus ſua voluntate amat ſe ipſum, licèt de neceſſitate amet ſe ipſum.*

DISPVTATIO CCXVI.

QVINAM SIT TERMINVS GENERATIONIS, & proceſſionis.

Per vnicum caput expedita.

CAPVT VNICVM.

Explicatur titulus, Doctorum opiniones referuntur, & veritas ſtabilitur, & defenditur.

1 TRiplex terminus in generatione creata inuenitur, materialis, ſcilicet, formalis, & totalis. Materialis, eſt materia in qua recipitur forma; Formalis, eſt id, quod introducitur in materia, ſeù rei productæ communicatur, totalis verò, eſt totum compoſitum, quod producitur.

Digitized by Google

2 In præſenti non diſputo de termino materiali generationis diuinæ; quia nullus huiuſmodi terminus in generatione diuina eſt, imò neque cum fundamento in re imaginari poteſt. Etenim terminus materialis eſt potentialis formalitas, ſeù actuabilitas, quæ Deo omninò repugnat; cum ſit actus omninò purus. Diſputatio igitur eſt ad inueſtigandum terminum totalem, & formalem.

3 Durandus in 1. diſt. 7. q. 2. à num. 19. contendit, terminum formalem productionis Verbi eſſe relationem. Idem tenet Aureolus in 1. diſt. 5. quæſt. vnica.

Durand.
Aureol.
D. Thom.

4 D. Thomas verò tenet, terminum totalē productionis Verbi, eſſe perſonā, terminum verò formalem eſſe diuinam eſſentiam, & ſic communiter Theologi locuti ſunt; Vnde,

5 Pro determinatione veritatis, Dico primò. Eſſentia diuina eſt formalis terminus productionis Verbi.

Probatur. Eſſentia diuina per productionem Verbi communicatur eidem. Ergo ipſa eſt terminus formalis huiuſmodi productionis. Antecedens eſt omninò certum. Probatur conſequentia; quia ille dicitur terminus formalis alicuius productionis, qui rei productæ communicatur. Ergo.

6 Dico ſecundò. Id, quod producitur in diuinis etiam dicitur terminus formalis productionis.

Probatur. Id, quod ſpectat ad primariam intentionem producentis, eſt terminus formalis illius. Ergo id, quod producitur in diuinis eſt terminus formalis productionis, & producentis. Ergo.

7 Explicatur vtrumquè dictum. Duplex eſt terminus formalis; vnus, qui per ſe, & immediatè producitur; & alter, qui per ſe, & immediatè communicatur. Diuina igitur eſſentia eſt terminus formalis, non qui producitur, ſed qui rei productæ communicatur; perſona verò diuina Filij, quantùm ad id, quod in recto dicit, eſt terminus formalis, qui per ſe, & immediatè producitur.

8 Dico tertiò. Terminus totalis diuinæ productionis, eſt perſona diuina, vt includens eſſentiam.

Probatur. Ille eſt terminus totalis productionis diuinæ, qui includit, & dicit terminum, qui per ſe producitur, & terminum, qui per ſe communicatur. Sic ſe habet perſona diuina Filij v.g. vt diuinam includens eſſentiam. Ergo perſona diuina ſic conſiderata, eſt terminus totalis diuinæ productionis.

9 Dico tandem. Actio, qua producitur perſona diuina, & actio, qua eidem perſonæ communicatur natura diuina non ſunt duæ actiones, neque ex natura rei, neque ratione ratiocinata diſtinctæ; ſed ſunt vna, & eadem actio.

10 Probatur. Generatio, vt generatio, formaliſſimè loquendo, eſt productio ſuppoſiti, & communicatio naturæ in diuinis. Ergo generatio, vt productio, & generatio vt communicatio ſunt vna ſimpliciſſima actio. Antecedens patet, ex ratione formali generationis. Generatio enim, præſertim quæ eſt propria viuentium, eſt origo viuentis à viuente coniuncto in ſimilitudinem naturæ, ex vitalis proceſſionis. Ergo ex vi actionis generatiuæ, formaliſſime loquendo habetur vtraquè formalitas, ſcilicet, productionis, & communicationis. Pater enim producendo Filium, communicat eidem diuinam naturam, & communicando naturam Filio, eumdem producit. Et in hoc ſolùm iſta duo differunt, quia, vt dicebamus, non communicat, vt producat perſonam diſtinctam, ſed producit diſtinctam perſonam, vt communicet eamdem omnino naturam.

11 Sed contra iſtam determinationem obijciet aliquis contra primum dictum ex Aureolo apud Capreolum in 1. diſt. 5. q. 1. art. 2. Ratio formalis termini in hoc conſiſtit, quod capit quòd ſit, & ſua realitas accipit, quod realiter ſit per productionem: ſed conſtat, quòd eſſentia per generationem non capit eſſe, nec quod realiter ſit. Ergo diuina eſſentia non eſt terminus formalis generationis.

Aureol.
Capreol.

12 Reſpondetur, negando omninò maiorem, cuius falſitatem eruditè, & per extenſum oſtendit Capreolus loco cit. art. 3. ad 1. vt ex ijs quæ iam de duplici termino diximus, patet.

13 Obijciet ſecundo ex eodem, eſtquè tertium in ordine apud Capreolum. Formalis terminus cuiuſcumquè productionis eſt illud, quo formaliter totum compoſitum capit eſſe, & habet quòd producatur. Ergo diuina eſſentia non eſt terminus formalis productionis. Antecedens patet. Probatur conſequentia ex regula logicali, *Propter quod vnūquodquè tale, & illud magis*. Ergo ſi terminus formalis productionis eſt quo aliquid producitur eſt etiam id, quo aliquid diſtinguitur: ſed diuina eſſentia non eſt id, quo vna perſona ab alia diſtinguitur, ſed potiùs id, quo vna cum altera identificatur. Ergo.

14 Reſpondetur, concedendo antecedens, & negando conſequentiam. Ad cuius probationem, explico antecedēs. *Propter quod, vnumquodquè tale, & illud magis*, quando illud, eſt etiam tale vt-

quod,

quod, & non ſolùm vt quo, concedo. Quando illud non eſt tale vt quod, ſed tantùm vt quo, nego. Species enim intelligibilis eſt propter quod, cognoſcitur res ad extra, non tamen ipſa magis cognoſcitur, &c. Vide multa alia argumēta cum ſuis reſpōſionibus apud Capreolum 1. diſt. 5. q. 1. art. 2. & 3. Capreol.

Durand. 15 Obijciet tertiò ex Durando. *Principium, & principiatum realiter differunt; Sed eſſentia diuina eſt principium quò productionis Filij. Ergo eſſentia diuina non eſt formalis terminus productionis.*

16 Reſpondetur, explicando maiorem. Principium, vt quod, & principiatum vt quod, realiter differunt, concedo maiorem. Principium vt quo, & principiatū vt quod, realiter differunt, nego maiorē vniuerſaliter, nempè in diuinis. Tunc conceſſa minori, nego conſequentiam.

17 Dices cum Durando. Principiū quo, eſt verius principium, quàm principium, quod; Sed principium quod, diſtinguitur realiter ab eo cuius eſt principium. Ergo.

18 Reſpondetur primò; concedendo maiorem, minorem, & negando conſequentiam; & ratio eſt; quia principium quod, non diſtinguitur realiter ab eo, cuius eſt principium, ex eo, quia habet rationem veri principij; ſed ex eo, quia eſt id quod; & huius ratio eſt; quia principium vt quod, reſpicit productum tanquam, vt quid id quod verè ab ipſo procedens, at principium quo, non reſpicit productum, vt aliquid ab ipſo dimanans.

19 Reſpondetur ſecundò, explicando maiorem. Principium quo, eſt verius principium, & non tamen veriùs opponitur rei productæ, quàm principium quod, concedo maiorem. Eſt verius principium, & veriùs opponitur rei productæ, quàm principium quod, nego maiorem. Tunc conceſſa minori, nego conſequentiam. Et ratio eſt; quia principium quo, eſt ratio, qua agens, ſeu generans agit, ſiuè generat, ac proinde, principium quo, eſt ratio principiandi, & ſic eſt veriùs principium, quàm principium quod: at vero, id, quod eſt agēs & generans, eſt principium quod, & hoc opponitur relatiuè rei productæ, non autem principium quo. Vide D. Thomam in hac quæſt. art. 4. ad 3. Vbi iam docet, quòd *principium diſtinctionem importat ab eo, cuius eſt principium*, quoniam ibi loquitur de principio à quo aliquid tanquam ab agente re vera dimanat. Vide commentarium art. 4. num. vltimo. D.Thom.

20 Obijciet quartò ex eodem Durando. Illud, quod in Filio eſt ſolùm productū, eſt illud, quo productio Filij terminatur: ſed in Filio nihil eſt productum, niſi ſola relatio filiationis, non eſſentia, quæ nullo modo eſt producta. Ergo ſola relatio eſt terminus productionis.

21 Reſpondetur, negando maiorem, quā arguens non probat, ſed falſo ſupponit.

22 Vbi ex Capreolo ibidem ad ſecundū argumentum Durandi etiam aduerte, quòd in diuinis relatio non propriè producitur, eò quia id, quod propriè producitur à Patre, eſt Filius, & id, quod propriè à Patre, & Filio procedit, eſt Spiritus ſanctus, non vero relatio filiationis, ſeù filiatio, aut proceſſio. Dico hoc, non quia filiatio, ſeù proceſſio ſit terminus formalis, qui communicatur; quoniam filiatio etiam producitur, & ſi non vt quod, ad minùs vt quo, ſed quia relatio vt in abſtracto ſignificata, eſt id, quo perſona conſtituitur; & quod propriè producitur in diuinis eſt perſona; Vnde patet, quòd in Patre v. g. aliter relatio paternitatis ſe habet vt quo; & aliter ſe habet vt quo potentia generatiua, ſeù intellectus, pro vt in Patre, qui eſt potentia generatiua; Nam relatio paternitatis concurrit vt quo perſona conſtituitur, & refertur; Potentia verò generatiua, conſideratur vt quo Pater producit Filium, & producendo communicat eſſentiam illi. Hoc idem dicimus de filiatione reſpectu Filij. Capreol.

QVAESTIO

QVÆSTIO XLII.

DE ÆQVALITATE ET SIMILITVDINE DIVINARVM PERSONARVM AD INVICEM.

IN SEX ARTICVLOS DIVISA.

DEinde conſiderandum eſt de comparatione perſonarum ad inuicem. Et primò, quantùm ad æqualitatem, & ſimilitudinem. Secundò, quantùm ad miſſionem.

Circa primum quæruntur ſex.

¶ Primò, vtrum æqualitas locum habeat in diuinis perſonis.

¶ Secundò, vtrum perſona procedēs ſit æqualis ei, à qua procedit, ſecundum æternitatem.

¶ Tertiò, vtrum ſit aliquis ordo in diuinis perſonis.

¶ Quartò, vtrum perſonę diuinæ ſint æquales ſecundum magnitudinē.

¶ Quintò, vtrum vna earum ſit in alia.

¶ Sextò, vtrum ſint æquales ſecundum potentiam.

FORMATIO ARTICVLI.

COrporis diſtributio in vnica concluſione in principio corporis poſita, & in fine eiuſdem corporis replicata, nec non in eiuſdē probatione, authoritatibus, ac ratione conſiſtit.

Cōcluſio eſt iſta. *Neceſſe eſt ponere æqualitatem in diuinis perſonis*, & in fine corporis. *Oportet æqualitatē ponere in diuinis perſonis*.

Probatio ex authoritatibus eſt iſta. *Quia ſecundùm Philoſophum in 9. metaphyſ. Æquale dicitur &c.* Lege litteram vſquè ad illa verba, *in pluralitatem deducunt*, incluſiuè.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum æqualitas habeat locum in diuinis.

AD primum ſic proceditur, videtur quod æqualitas non competat diuinis perſonis; æqualitas enim attenditur ſecundum vnum in quantitate, vt patet per Philoſophum 5. metaphyſ. In diuinis autem perſonis non inuenitur, neque quantitas continua intrinſeca, quæ dicitur magnitudo, neque quantitas continua extrinſeca, quæ dicitur locus, & tempus, neque ſecundum quantitatem diſcretam inuenitur in eis æqualitas, quia duæ perſonæ ſunt plures quā vna: ergo diuinis perſonis non conuenit æqualitas.

2 *Præterea. Diuinæ perſonæ ſunt vnius eſſētiæ, vt ſupra dictum eſt: eſſentia autem ſignificatur per modum formæ. Conuenientia autem in forma non facit æqualitatem, ſed ſimilitudinem: ergo in diuinis perſonis eſt dicenda ſimilitudo & non æqualitas.*

3 *Præterea. In quibuſcumque inuenitur æqualitas, illa ſunt ſibi inuicem æqualia, quia æquale dicitur æquali æquale; ſed diuinæ perſonæ non poſſunt ſibi inuicem dici æquales; quia vt Auguſt. dicit lib. 6. de Trinitate: Imago ſi perfectē implet illud, cuius eſt imago, ipſa coæquatur ei, non illud imagini ſuæ. Imago autem Patris eſt Filius, & ſic Pater non eſt æqualis Filio: non ergo in diuinis perſonis inuenitur æqualitas.*

4 Præ-

Probatio ex ratione eſt iſta. *Si eſſet inæqualitas in diuinis perſonis, non eſſet in eis vna eſſentia, & ſic non eſſēt tres perſonæ vnus Deus. Quod eſt impoſſibile.* Ergo *oportet æqualitatem ponere in diuinis perſonis*. Probat conſequentiam; *Quia inæqualium non poteſt eſſe vna quantitas numero*. Probat autem antecedens. *Quia quantitas in diuinis non eſt aliud quàm eius eſſentia.* Ergo *ſi eſſet inæqualitas &c.*

Ad primum argumentum reſpondet, diſtinguendo maiorem. *Æqualitas attenditur ſecundùm vnū in quātitate*, molis, vel virtutis, concedit maiorem. *Secundùm vnū*

in

in quantitate molis tãtùm, negat maiorẽ. Tunc conceſſa minori, negat conſequentiam.

Ad ſecundum argumentum reſpondet, concedendo maiorem, & diſtinguẽdo minorem; *Conuenientia in forma*, quæ non eſt æquè *perfectè in vtroquè, non facit æqualitatem ſed ſimilitudinem*, concedit minorem. *Conuenientia in forma*, quę eſt ęquè perfectè in vtroquè, *non facit æqualitatem, ſed ſimilitudinem*, negat minorem. Ergo &c. negat conſequẽtiam.

Ad tertium argumentum reſpondet, concedendo maiorem, & negando minorem. Ad cuius probationem, concedit antecedens, & vtramque negat cõſequentiam, & rationem negationis aſſignat; quia *æqualitas, vel ſimilitudo dupliciter poteſt ſignificari in diuinis, &c.* Lege litteram.

Ad quartum argumentum reſpondet, explicando maiorem (loquendo de æqualitate in diuinis). *Æqualitas relatio quædam eſt*, ideſt, in ſuo intellectu includit, & relationes diſtinguẽtes perſonas, & eſſentię vnitatem, concedit maiorem. *Æqualitas relatio quędam eſt*, ideſt, eſt relatio realis diſtincta à relationibus perſonalibus, negat maiorem. Tunc conceſſa minori, negat conſequentiam.

4 *Præterea. Æqualitas relatio quædam eſt, ſed nulla relatio eſt communis omnibus perſonis, cum ſecundum relationes perſonæ ab inuicem diſtinguantur: non ergo æqualitas diuinis perſonis conuenit.*

Sed contra eſt, quod Athanaſ. dicit, quod tres perſonæ coæternæ ſibi ſunt, & coæquales.

Reſpondeo dicendum, quod neceſſe eſt ponere æqualitatem in diuinis perſonis; quia ſecundum Philoſophum in 9. metaphyſ. Æquale dicitur quaſi per negationem minoris, & maioris, non autem poſſumus in diuinis perſonis ponere aliquid maius, & minus; quia vt Boet. dicit in lib. de Trinitate: eos differentia, ſcilicet deitatis comitatur, qui vel augent, vel minuunt, vt Arriani, qui gradibus numerorum Trinitatem variantes diſtrahunt; atque in pluralitatem deducunt. Cuius ratio eſt, quia inæqualium non poteſt eſſe vna quantitas numero: quantitas autem in diuinis non eſt aliud quàm eius eſſentia: vnde relinquitur, quod ſi eſſet aliqua inæqualitas in diuinis perſonis, quod non eſſet in eis vna eſſentia; & ſic non eſſent tres perſonæ vnus Deus, quod eſt impoſſibile. Oportet igitur æqualitatem ponere in diuinis perſonis.

Ad primum ergo dicendum, quod duplex eſt quantitas: vna ſcilicet, quæ dicitur quantitas molis, vel quantitas dimenſiua, quæ in ſolis rebus corporalibus eſt: vnde in diuinis locum non habet; ſed alia eſt quantitas virtutis, quæ attenditur ſecundum perfectionem alicuius naturæ, vel formæ. Quæ quidem quantitas deſignatur, ſecundũ quod dicitur aliquid magis, vel minus calidum, inquãtum eſt perfectius, vel minus perfectum in tali caliditate. Huiuſmodi autem quantitas virtualis, attenditur primo quidem in radice, ideſt in ipſa perfectione formæ, vel naturæ; & ſic dicitur magnitudo ſpiritualis, ſicut dicitur magnus calor propter ſuam intenſionem, & perfectionem. Et ideò dicit Auguſt. lib. 6. de Trinitate, quod in his, quæ non mole magna ſunt, hoc eſt maius eſſe, quod eſt melius eſſe: nam melius dicitur, quod perfectius eſt. Secundo autem attenditur quantitas virtualis in effectibus formæ: primus autem effectus formæ eſt eſſe, nam omnis res habet eſſe ſecundum ſuam formam: ſecundus autem effectus eſt operatio: nam omne agens agit per ſuam formam. Attenditur igitur quantitas virtualis, & ſecundum eſſe, & ſecundum operationem. Secundum eſſe quidem, in quantum ea, quæ ſunt perfectioris naturæ, ſunt maioris durationis. Secundum operationem verò, inquantum ea, quæ ſunt perfectioris naturæ, ſunt magis potentia ad agendum, Sic igitur, vt Auguſt. dicit in lib. de fide ad Petr. Æqualitas intelligitur in Patre, & Filio, & Spiritu ſancto, inquantum nullus horum, aut præcedit æternitate, aut excedit magnitudine, aut ſuperat poteſtate.

Ad ſecundum dicendum, quod vbi attenditur æqualitas ſecundum quantitatem virtualem, æqualitas includit in ſe ſimilitudinem, & aliquid plus, quia excludit exceſſum: quæcunque enim communicant in vna forma poſſunt dici ſimilia, etiam ſi inæqualiter illam formam participent, ſicut ſi dicatur, aer eſſe ſimilis igni in calore; ſed non poſſunt dici æqualia, ſi vnum altero perfectius formam illam participet; & quia non ſolum vna eſt natura Patris, & Filij, ſed etiam æquè perfectè eſt in vtroque, ideò non ſolum dicimus Filium eſſe ſimilem Patri, vt excludatur error Eunomij; ſed etiam dicimus æqualem, vt excludatur error Arrij.

Ad tertium dicendum, quod æqualitas, vel ſimilitudo dupliciter poteſt ſignificari in diuinis, ſcilicet per nomina, & per verba. Secundum quidẽ, quod ſignificatur per nomina, mutua æqualitas dicitur in diuinis perſonis, & ſimilitudo. Filius enim eſt æqualis, & ſimilis Patri, & è conuerſo; & hoc ideò, quia eſſentia diuina, non magis eſt Patris, quam Filij: vnde ſicut Filius habet magnitudinem Patris, quod eſt eſſe eum æqualem Patri, ita Pater habet magnitudinem Filij quod eſt eſſe eum æqualem Filio; ſed quantum ad creaturas, (vt Dionyſ. dicit 9. cap. de diuin. nominib.) non recipitur conuerſio æqualitatis, & ſimilitudinis. Dicuntur enim cauſata ſimilia cauſis, inquantum habent formam cauſarum; ſed non è conuerſo, quia forma principaliter eſt in cauſa, & ſecundario in cauſato: ſed verba ſignificant æqualitatem cum motu, & licèt motus non ſit in diuinis, eſt tamen ibi accipere. Quia igitur Filius accipit à Patre, vnde eſt æqualis ei, & non è conuerſo, propter hoc dicimus, quod Filius coæquatur Patri, & non è conuerſo.

Ad

Digitized by Google

Ad quartum dicendum, quod in diuinis perſonis nihil eſt conſiderare niſi eſſentiam, in qua communicant, & relationes in quibus diſtinguuntur; æqualitas autem vtrunque importat, ſcilicet, diſtinctionem perſonarum, (quia nihil ſibi ipſi dicitur æquale,) & vnitatem eſſentiæ, quia ex hoc perſonæ ſunt ſibi inuicem æquales, quod ſunt vnius magnitudinis, & eſſentiæ. Manifeſtum eſt autem, quod idem ad ſeipſum non refertur aliqua relatione reali. Nec iterum vna relatio refertur ad aliam, per aliquam aliam relationem: cum enim dicimus, quod paternitas opponitur filiationi, oppoſitio non eſt relatio media inter paternitatem, & filiationem. Quia vtroque modo relatio multiplicaretur in infinitum; & ideo æqualitas, & ſimilitudo in diuinis perſonis, non eſt aliqua realis relatio diſtincta à relationibus perſonalibus; ſed in ſuo intellectu includit, & relationes diſtinguẽtes perſonas, & eſſentiæ vnitatem; & propterea Magiſt. dicit in 31. diſt. 1. ſent. quod in his appellatio tantum eſt relatiua.

SVPER ARTICVLVM COMMENTARIVM.

1 VTRVM *æqualitas locum habeat in diuinis*. Non dicit, vtrum æqualitas in magnitudine, in duratione &c. ſed vtrum æqualitas indeterminatè, vt rectè Caietanus obſeruat; quoniam de æqualitate in ſpeciali in alijs ſequentibus tractat articulis. Caietan.

2 *Æquale dicitur quaſi per negationem minoris, & maioris*. Ly, *quaſi*, non accipitur perfectiuè, ſed diminutiuè, & ſenſus eſt, quòd vt aliqua duo ſint æqualia; debent habere hoc, vt vnum non ſit minus, vel maius altero; ſed hoc non ſufficit. Quandoquidem, linea bipalmaris v. g. non dicitur æqualis Angelo, neque puncto; eò quia licet linea neque ſit lõgior, nec minùs longa Angelo, aut puncto, tamen, non poſſunt ad inuicem æqualitatem habere; cum non habeant in quantitate vnitatem. Debet ergo præfata Ariſtotelica propoſitio, in qua dicitur æquale dici, quaſi per negationẽ minoris, & maioris, interpretari declaratiuè, ſeu manifeſtatiuè, non autẽ quidditatiuè. Vnde æqualitas in diuinis perſonis eſt in eſſentia diuina, quæ non eſt aliquod negatiuum. Vnde æquale eſſentialiter dicitur per parem conuenientiã in aliqua quantitate, ad quam deinde conuenientiam ſequitur negatio minoris, & maioris.

3 In reſp. ad tertium. *Quia igitur Filius accipit à Patre, vnde eſt æqualis ei, & non è cõuerſo, propter hoc dicimus, quòd Filius coæquatur Patri, & non è conuerſo*. Aureolus apud Capreolum, in 1. diſt. 10. impugnat prædictum loquendi D. Thomæ modum, & vult, quòd ſicut valet dicere, quòd Filius coæquatur Patri, ita quoq; valeat, quòd Pater coæquatur Filio. Et Faſolus, tom. 2. q. 16. art. 1. dubit. 6. n. 56. impugnans Durandum; qui in 1. diſt. 48. q. 1. ad 2. concedit, Deum eſſe conformem creaturis, non tamen conformari creaturis, quia conformari eſt fieri quaſi ad alterius formam, *ſed eſſe conformem, dicit abſolutè participationem, vel proportionem plurium in vno*, contra quem loquens, ſic ait: *Verùm in hac proprietate vocabulorum ſtandum eſt vſui, qui videtur in contrarium, cum quidquid dicitur conforme, & ſimile alteri, non minùs propriè dicatur cõformari, & aſſimilari eidem*, & paucis interiectis ſic ait. *Conformari igitur, & aſſimilari non ſolùm importat ex communi vſu loquendi fieri conforme, & fieri ſimile, ſed etiã eſſe conforme, & eſſe ſimile. Quò circa ſi dici nequit, Deus conformari creaturis, neque etiam dici poterit, conformis creaturis.* Aureol. Capreol. Faſolus. Durand.

4 Aureolus voluntariè loquitur; Nam, vt D. Thomas ait, *verba ſignificant æqualitatem cum motu, & licet, motus non ſit in diuinis, eſt tamen ibi accipere*. Ergo *quia Filius accipit à Patre, Filius coæquatur Patri, & nõ è conuerſo*. Patet conſequentia; quia ex hoc, quòd Filius accipit à Patre, Filius intelligitur veluti moueri, & quaſi ſi ſic fas eſt fari, menſuratur à forma, quam accipit à Patre, & non Pater à Filio. Aureol.

5 Et Faſolus tom. 3. hic nu. 6. circa finem, mutauit ſententiam, ſic dicens. *Eademquè ratione, vt ex eodem S. Thoma extendit Torres hic, 2. p. comment. colum. 6. initio, licebit dicere, Filius aſſimilatur Patri, non autem Pater aſſimilatur Filio. Quæ diſtinctio nunc probabilior mihi videtur, maximè propter authoritatem S. Thomæ, quamuis tomo 2. q. 16. art. 1. nu. 56. aliter ſenſerim contra Durandum.* Faſolus.

6 In reſp. ad 4. *Æqualitas autem vtrumquè importat, ſcilicet, diſtinctionem perſonarũ. Quia nihil ſibi ipſi dicitur æquale; & vnitatẽ eſſentiæ; quia ex hoc perſonæ ſunt ſibi inuicem æquales, quòd ſunt vnius magnitudinis, & eſſentiæ*. Non poteſt æqualitas in diuinis elegantiùs, & clariùs explicari, impugnatio-

gnationeſquè aduerſariorum manifeſtè diſſoluuntur. Si quis.n. peteret, hãc æqualitatẽ in diuinis eſſe aliquid abſolutũ, an aliquid relatiuũ? Reſpõdẽdũ eſt vtrũq; includere, abſolutũ .ſ. & relatiuũ, ideſt, eſſẽtiã, & pſonas. Eſſẽtia eſt quid abſolutũ & pſonæ sũt relatiuę. Aequalitas igitur dicit pſonas diuinas relatiuè ſibi inuicẽ oppoſitas, vt pariter idẽtificatas in vna forma, ideſt, in eſſentia diuina.

DISPVTATIO CCXVII.

VTRVM ÆQVALITAS inter diuinas perſonas ſit relatio realis.

Per vnicum caput expedita

CAPVT VNICVM.

DD. opiniones referũtur, veritas ſtabilitur, & ab impugnãtib. vindicatur.

1 SVppono Patrẽ, & Filiũ & Spiritũ ſãctũ eſſe omninò æquales; tãquã de fide certũ, iuxta illud Athanaſij, *Coæterna ſibi ſunt, & coæquales. Et æqualis Patri ſecundùm diuinitatem.* Athanaſ.

2 Suppono inſuper ꝙ Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus realiter ad inuicẽ referũtur, ſm̃ ordinẽ originis inter eos. illud igitur ꝙ in præsẽti cõtrouerſia diſquiritur eſt, Vtrũ iſta tria relatiua ſm̃ ꝙ in deitate, duratione, perfectione, ac potẽtia dicuntur æqualia, ita ſe habeant, vt huiuſmodi inter ea ęqualitas, ſit relatio realis.

3 Scotus in 1. diſt. 31. q. 2. affirmatiuè reſpõdet. D. Thomas negatiuè, vt patet in hoc ar. ad 4. Et cõmũter DD. cũ eo. Vnde, Scotus.

4 Pro determinatione veritatis. Dico breuiter. Relatio ęqualitatis inter diuinas pſonas nõ eſt relatio realis, ſed rõnis tãtũ.

5 Probatur primò. Ad hoc, vt relatio æqualitatis inter diuinas pſonas ſit realis, neceſſe eſt, ꝙ pſonę diuinę in ratione fũdandi æqualitatẽ realiter referantur: ſed hoc nõ ſaluatur in diuinis. Ergo. Probo maiorẽ; quia ad hoc, vt hic paries albus, v. g. in ratione albi, ad aliũ parietẽ albũ realiter referatur vt ſimilis illi, ſeu vt ſit reali relatione ſimilitudinis relat⁹, neceſſe eſt, vt alia numero ſit albedo in hoc pariete, & alia in altero. Alias ſi per impoſſibile vna, eadẽq; numero vtriq; ineſſet albedo, vnus nõ referretur realiter ad alterũ in ratione albi; quia eſſet relatio eiuſdẽ ad ſe ipsũ, quæ nullatenus poteſt eſſe realis. Vnde etiã ſi hic paries albus alio ex capite ad alterũ parietẽ realiter referretur, relatione tamẽ ſimilitudinis, nõ eſſet reali relatione relatus. Minor verò eſt euidẽs; quia Pater, & Filius, & Spiritus ſãctus in deitate, pfectione, duratione potentia &c. nulla reali diſtinctione diſtinguũtur, cũ omnimodè realiter in ſupradictis rationibus ſint identicè idem.

6 Probatur ſecũdò. Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus referũtur realiter ad inuicẽ ſm̃ ꝙ realiter ad inuicẽ relatiuè opponũtur: ſed ſm̃ ꝙ ſunt æquales, vltra relationes originis ad inuicẽ coppoſitas nullatenùs relatiuè opponũtur, quatenùs dicũtur ęquales. Ergo relatio ęqualitatis in diuinis, vt relatio æqualitatis eſt, non poteſt dici realis. Maior patet, quia relatio, quæ reperitur in diuinis, eſt relatio originis, quæ eſt per cõppoſitas relatiões pcedẽtis à producẽte, geniti à generãte. Probatur minor; quia Pater & Filius, & Spirit⁹ ſãctus ſm̃ ꝙ numericè cõueniũt, ſeu ſm̃ ꝙ in vna numero natura, duratione pfectione & potẽtia cõueniũt, relatiuè nõ opponũtur. Etenim pſonę diuinæ, quatenùs relatiuè ad inuicẽ opponũtur, ad inuicẽ nõ cõueniunt; & è contra, quatenùs ad inuicem conueniunt, ad inuicem relatiuè nõ opponuntur.

7 Probatur tertiò, ſeu pręcedẽs ratio cõfirmatur. Vna relatio nõ poteſt eſſe fundamẽtũ alterius relationis. Ergo in diuinis non datur, niſi ſola relatio originis, ideſt, à quo alius & qui ab alio. Ergo relatio ęqualitatis nõ eſt realis vltra .ſ. realitatẽ relationis originis prędictę. Antecedẽs patet; quia relatio cũ ſit minimæ entitatis (in creatis loquor) depẽdet à trib⁹, à termino, quę nõ eſt proprè depẽdẽtia; à ſubiecto, & à fundamẽto. Ergo ſi ipſa indiget fũdamẽto ob ſui magnã debilitatẽ, nõ poteſt eſſe alterius relationis fũdamẽtũ. Prima cõſequẽtia patet ex antecedẽti; ſecũda verò ex prima. Quia relatio ęqualitatis non eſt formaliter relatio originis, ſed ipſi aduenit.

8 Sed cõtra iſtã determinationẽ obijciet aliquis primò. Pater, & Filius, & Spiritus ſãctus nullo intellectu cogitãte, & à parte rei sũt formaliter ęquales. Ergo à parte rei sũt formaliter in ratione ęqualitatis relatę. Ergo relatio ęqualitatis inter diuinas perſonas eſt realis.

9 Reſpõdetur, explicãdo antecedẽs. Pater, & Filius, & Spiritus ſãct⁹ nullo intellectu cogitãte, & à parte rei sũt formaliter formalitate perfectionis, ſeu formalitate ęqualitatis, cõcedo antecedẽs. Formalitate relationis, nego antecedẽs. Ergo &c. nego vtramquè conſequentiam.

10 Itaq; admitto, ꝙ tres pſonæ diuinę ſunt formaliter à parte rei ſimiles, & ęquales, per hoc ꝙ à parte rei formaliter conueniũt in vna natura diuina, in vna eſſẽtia, potẽtia &c. Et quia ad huiuſmodi côueniẽtiã ſequitur relatio, quę eſt realis, quã do ratio fũdãdi eſt non omninò eadẽ inter extrema relata; idcircò ſtat, vt detur formaliter à parte rei æqualitas, & relatio non niſi fundamentaliter.

11 Obijciet ſecũdò. Tũc eſt relatio realis, quãdo extrema ſũt realia, & ad inuicem realiter referũtur, & fũdamẽtũ eſt reale. Sic eſt in caſu noſtro. Ergo. Maior patet. Probatur minor; & quidẽ, ꝙ Pater, & Filius, & Spiritus ſãct⁹ ſint extrema realia, realiter ad inuicẽ relata, ac ꝓinde, diſtincta, realiter inter ſe, de fide certum eſt. Quòd verò fũdamẽtũ, ſeù ratio fundãdi, ſit etiã reale, etiã eſt omninò certũ. Nam fũdamẽtũ æqualitatis, ſeù ratio fũdãdi ęqualitatẽ, eſt natura diuina, duratio, pfectio, potẽtia &c. quę realiſſima ſũt. Ergo.

12 Reſpõdetur, explicãdo maiorẽ. Tũc eſt relatio realis, quãdo extrema ſũt realia, & ad inuicẽ realiter referũtur, quãtùm ad id, in quo reſpicitur ratio fũdãdi, côcedo maiorẽ. Et ad inuicem realiter referũtur, qualitercũq; nego maiorẽ. Itẽ, quò ad aliud menbrũ, adhuc diſtinguo maiorẽ & fũdamẽtũ, ꝙ eſt ꝓxima ratio fũdãdi, eſt reale, & nõ omninò cũ extremis relatis idẽtificatũ, côcedo maiorẽ. Et omninò cũ extremis relatis, idẽtificatũ, nego maiorẽ. Sic explicata maiori, nego minorẽ; vel ſimiliter explicãda eſt minor, & negãda eſt côſequẽtia. Etenim Pater, & Fili⁹, & Spirit⁹ ſãct⁹, vt in ratione, in qua côueniũt, dicãtur relatione reali æquales, neceſſe eſt, vt formaliter ſub illa ratione ad inuicẽ referantur, ac proinde, ſub illa ratione aliqualiter diſtinguãtur. Quare &c.

13 Obijciet tertiò. Si Pater, & Filius, & Spiritus ſãct⁹ nõ eſſẽt ad inuicẽ ęquales, vt Arriani blaſphemãtes aſſerebãt, dicerentur reali inęqualitatis relatione relati; Ergo, quia ſũt ęquales, debẽt dici reali ęqualitatis relatione relati.

14 Reſpõdetur, côcedẽdo antecedẽs, & negãdo côſequẽtiã; & ratio diſparitatis eſt, quia in priori caſu eſſet diuerſa ratio fũdandi; at verò in poſteriori, ideſt, in caſu nro, eſt eadẽ omninò vna ratio fũdãdi.

15 Obijciet quartò. Probabiliter ſuſtinuim⁹ ſupra, ꝙ pſonalitates diuinę, ſeù relationes diuinę dicũt ꝓprias pfectiones relatiuas. Ergo iuxta hãc opinionẽ tres pſonę diuinę ſũt realiter relatę ad inuicẽ in ratione æqualitatis.

16 Reſpõdetur, côcedẽdo antecedẽs, & negãdo côſequẽtiã. Et ratio negationis eſt, quia relationes diuinę etiã ſi dicãt relatiuã pfectionẽ, & hoc, ꝙ dicuntur ęquales in natura diuina, sẽper eſſet eadẽ numero ratio fundãdi, & extrema relata vt ſic formaliter relata, nõ poſſũt eſſe realiter diſtincta. Quapropter, nõ in côſequẽter locut⁹ eſt Scotus, qui ſuſtinuit relationes diuinas nullã dicere pfectionẽ, aut impfectionẽ, & inſuper, ꝙ relatio æqualitatis ſit realis, quia ſiuè relatio dicat pfectionẽ, ſiuè nõ, sẽper ęqualitatis relatio attẽditur penès extrema realiter diſtincta, pro vt participant rationẽ fundandi.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Vtrum perſona procedens, ſit coæterna principio, vt Filius Patri.

AD ſecundũ ſic proceditur, videtur ꝙ perſona procedẽs nõ ſit coęterna ſuo principio, vt Filius Patri. Arrius .n. duodecim modos generationis aſſignat. Primus modus eſt, iuxta fluxũ lineæ à pũcto, vbi deeſt æqualitas ſimplicitatis. Secũdus modus eſt, iuxta emiſſionẽ radiorũ à ſole, vbi deeſt æqualitas naturæ. Tertius modus eſt, iuxta characterẽ, ſeu impreſſionẽ à ſigillo, vbi deeſt côſubſtantialitas, & potẽtiæ efficiẽtia. Quartus modus eſt, iuxta immiſſionẽ bonæ volũtatis à Deo, vbi etiam deeſt côſubſtãtialitas. Quintus modus eſt, iuxta exitũ accidẽtis à ſubſtãtia, ſed accidẽti deeſt ſubſiſtẽtia. Sextus modus eſt, iuxta abſtractionẽ ſpeciei à materia, ſicut ſẽſus accipit ſpeciem à re ſẽſibili, vbi deeſt ęqualitas ſimplicitatis ſpiritualis. Septimus modus eſt, iuxta excitationẽ volũtatis à cogitatione, quę quidẽ excitatio tẽporalis eſt. Octauus modus eſt, iuxta trãsfigurationẽ, vt ex ære fit imago, quæ materialis eſt. Nonus modus eſt, mot⁹ à mouente, & hic etiam ponitur effectus, & cauſa. Decimus modus eſt, iuxta eductionem ſpecierum à genere, qui non competit in diuinis, quia Pater non prædicatur de Filio, ſicut genus de ſpecie.

FORMATIO ARTICVLI.

TRipartita eſt corporis diſtributio. Primò, ponit côcluſionẽ affirmatiuã in principio corporis, quãq; in fine repetit. Secũdò, ſtatuit diſtinctionẽ, & primi mẽbri diſtinctionis ſubdiſtinctionẽ. Et tertiò, ꝓbat côcluſionẽ.

Quò ad primũ, côcluſio eſt iſta. *Neceſſe eſt dicere Filiũ eſſe coæternũ Patri*. Et in fine corporis. *Filius eſt coæternus Patri, & ſimiliter Spiritus ſanctus*.

Quò ad ſecũdũ, diſtinctio eſt iſta. *Aliquid ex principio exiſtẽs poſterius eſſe ſuo principio, poteſt côtingere ex duobus. Vno modo ex parte agentis: alio modo ex parte actionis.*

Sub diuiſionẽ primi mẽbri ponẽs duo facit; primò, ponit ſubdiuiſionẽ in duo mẽbra partitã. Secũdò, aſſignat diuerſitatis cauſam inter vtrũquè ſubdiuiſionis membrum.

Quò ad horum primum, ſubdiuiſio eſt iſta. *Ex parte agẽtis quidẽ, aliter in agẽtibus volũtarijs, aliter in agẽtib⁹ naturalibus.*

Quò ad horũ 2. rationẽ diſcriminis ſic aſſignat, *In agẽtib⁹ quidẽ volũtarijs &c.* lege litterã vſque ad illa verba, *generare poteſt.*

Ex-

Explicat ſecundū diſtinctionis principalis membrum, ſic dicens. *Ex parte actionis impeditur &c.*

Quò ad tertium principale, probat cōcluſionem ſic. *Filius fuit quandocumquè fuit Pater*. Ergo *Filius eſt coæternus Patri, & ſimiliter Spiritus ſanctus vtriquè*. Probat antecedens; quia *manifeſtum eſt ſecundùm præmiſſa, quòd Pater non generat Filium voluntate, ſed natura &c.* lege litteram vſquè ad illa verba, *quod eſt impoſſibile,* incluſiuè.

Ad primum argumentum reſpondet, diſtinguendo antecedens. Ita vt alius modus præter duodecim ab Ario nominatos debeat aſſignari alius præſtantior, cuius nō ſit perfecta repræſentatio in creaturis, concedit antecedens. Ita vt illi duodecim modi adæquent modū proceſſionis in diuinis, negat antecedens. Ergo &c. negat conſequentiam. *Quia nullus modus proceſſionis alicuis &c.* Lege litteram.

Ad ſecundū argumentum reſpondet, diſtinguendo maiorem. *Omne, quod eſt ex altero, habet principiū* durationis, aut originis, concedit maiorē. Semper durationis, negat maiorē. Similiter explicāda eſt minor, & negāda eſt cōſequentia, & rationē negationis aſſignat. Quia ęternitas exclu dit &c. lege litteram.

Ad tertium argumentū reſpōdet, cōcedēdo antecedens, & diſtinguendo cōſequens. Ergo *omne, quod generatur* per mutationē, incipit eſſe, cōcedit cōſequētiā. Ergo *omne, quod generatur*, generatione diuina, quæ eſt abſquè omni tranſmutatione, incipit eſſe, negat cōſequētiā. Similiter explicāda eſt minor ſubsūpta, & negāda illius cōſequentia.

Ad quartū argumētū reſpōdet, cōcedēdo maiorē, & diſtinguēdo minorē. *Si ſēper generatur* in tēpore noſtro *eſt imperfectū*, cōcedit minorē. *Si ſēper generatur* in æternitate, negat minorem. Ergo &c. negat conſequentiam.

Vndecimus modus eſt, iuxta ideationem, vt arca exterior, ab ea, quæ eſt in mēte. Duodecimus modus eſt, iuxta naſcētia, vt homo eſt à Patre, vbi eſt prius, & poſterius ſecundū tēpus. Patet ergo quod in omni modo, quo aliquid eſt ex altero, deeſt ęqualitas naturæ, aut æqualitas durationis. Si igitur Filius eſt à Patre, oportet dicere, vel eum eſſe minorē Patre, aut poſteriorem, aut vtrunque.

2 Præterea. Omne, quod eſt ex altero, habet principiū, ſed nullum æternū habet principiū; ergo Filius non eſt æternus, neque Spiritus ſanctus.

3 Præterea. Omne, quod corrūpitur deſinit eſſe; ergo omne, quod generatur, incipit eſſe: ad hoc enim generatur, vt ſit; ſed Filius eſt genitus à Patre: ergo incipit eſſe, & non eſt coæternus Patri.

4 Præterea. Si Filius genitus eſt à Patre, aut ſemper generatur, aut eſt dare aliquod inſtans ſuæ generationis. Si ſemper generatur (dum autē aliquid eſt in generari, eſt imperfectū, ſicut patet in ſuceſſiuis, quæ ſunt ſemper in fieri, vt tempus, & motus,) ſequitur, quod Filius ſemper ſit imperfectus, quod eſt inconueniens: eſt ergo dare aliquod inſtans generationis Filij: ante illud ergo iſtans Filius non erat.

Sed contra eſt, quod Athanaſius dicit, quod totę tres perſonæ coæternæ ſibi ſunt.

Reſpondeo dicendum, quod neceſſe eſt dicere, Filium eſſe coæternum Patri.

Ad cuius euidentiam conſiderandum eſt, quod aliquid ex principio exiſtens, poſterius eſſe ſuo principio, poteſt contingere ex duobus. Vno modo ex parte agentis, alio modo ex parte actionis. Ex parte agentis quidem, aliter in agentibus voluntarijs, aliter in agentibus naturalibus: In agentibus quidem voluntarijs propter electionem temporis. Sicut enim in agentis voluntarij poteſtate eſt, eligere formam, quàm effectui conferat, vt ſupra dictum eſt, ita in eius poteſtate eſt eligere tempus in quo effectum producat. In agentibus autem naturalibus hoc contingit, quia agens aliquid non à principio habet perfectionem virtutis naturalis ad agendum; ſed ei aduenit poſt aliquod tempus, ſicut homo non à principio generare poteſt. Ex parte actionis impeditur, ne id, quod eſt à principio, ſimul ſit cum ſuo principio, propter hoc, quod actio eſt ſucceſſiua: vnde dato quod aliquod agens talis actione agere inciperet, ſtatim cum eſt, non ſtatim eodem inſtanti eſſet effectus, ſed in inſtanti, ad quod terminatur actio. Manifeſtum eſt autem ſecundū præmiſſa, quod Pater non generat Filium voluntate, ſed natura; & iterum, quod natura Patris ab æterno perfecta fuit; & iterum, quod actio, qua Pater producit Filium, non eſt ſucceſſiua, quia ſic Filius Dei ſucceſſiuè generatus eſſet, & eius generatio materialis, & cum motu eſſet, quod eſt impoſſibile. Relinquitur ergo, quod Filius fuit quandocunque fuit Pater; & ſic Filius eſt coæternus Patri, & ſimiliter Spiritus ſanctus vtrique.

Ad primum ergo dicēdum, quod ſicut Auguſt. dicit in lib. de verbis Domini: Nullus modus proceſſionis alicuius creaturæ perfectè repreſentat diuinam generationem: vnde oportet ex multis modis colligere ſimilitudinem, vt quod deeſt ex vno, aliqualiter ſuppleatur ex altero; & propter hoc dicitur in Synodo Epheſina, coexiſtere ſemper coæternum Patri Filium ſplendor tibi denunciet; impaſſibilitatem natiuitatis, oſtendat verbum; conſubſtantialitatem, Filij nomen inſinuet. Inter omnia tamen expreſſiùs repræſentat proceſſio Verbi ab intellectu. Quod quidem non eſt poſterius eo, à quo procedit, niſi ſit talis intellectus, qui exeat de potentia in actum, quod in Deo dici non poteſt.

Ad ſecundum dicendum, quod ęternitas excludit principium durationis, ſed non principium originis.

Ad tertiū dicēdū, quod omnis corruptio eſt mutatio quædā; & ideò omne, quod corrūpitur incipit nō eſſe, & deſinit eſſe; ſed generatio diuina non eſt tranſmutatio, vt dictum eſt ſupra: vnde Filius ſemper generatur, & Pater ſemper generat.

Ad quartum dicendum, quod in tempore aliud eſt, quod eſt indiuiſibile, ſcilicet inſtans, & aliud eſt, quod eſt durans, ſcilicet tempus; ſed in æternitate ipſum nunc indiuiſibile eſt, & ſemper ſtans, vt ſupra dictum eſt. Generatio verò Filij non eſt in nunc temporis, aut in tempore, ſed in æternitate; & ideò ad ſignificandum præſentialitatem, & permanentiam æternitatis, poteſt dici, quod ſemper naſcitur, vt Origines dixit: Sed (vt Gregor. & Auguſt. dicunt:) melius eſt quod dicatur ſemper natus vt ly ſemper, deſignet permanentiam æternitatis, & ly natus, perfectionem geniti. Sic ergo Filius non imperfectus eſt, neque erat, quando non erat, vt Arrianus dixit.

SVPER ARTICVLVM COMMENTARIVM.

1 VNDE *dato, quòd aliquod agens tali actione agere inciperet, ſtatim cũ eſt, non ſtatim in eodem inſtanti eſſet effectus.* Non dicit, non ſtatim in eodem iſtanti eſſet aliquis effectus; quoniam ſemper actio poſita in eſſe cum reſpiciat terminum, producit aliquid; non enim datur actio, quæ eſt productio, ſine aliquo termino producto, ſed dicit, quòd non ſtatim eſſet effectus ab agente intentus, v.g. poſito igne apud lignum, quamuis non ſtatim ſequatur ignefactio, ſeù ignis in ligno productio, tamen, ſtatim atquè ponitur ignis, lignum incipit aliqua diſpoſitione ad vltimatum effectum ignis diſponi, ſeù præparari.

2 Nota diligenter terminos in reſp. ad primum argumentum poſitos.

In reſp. ad 4. Nota, quòd melius eſt, quòd dicatur Filius ſemper natus; quàm quòd dicatur, Filius ſemper naſcitur, licet, vtrumquè habeat veritatem, & rationem aſſignat; quia ly, *ſemper*, deſignat permanentiam æternitatis, & ly, natus, perfectionem geniti.

ARTICVLVS TERTIVS.

Vtrum in diuinis perſonis ſit ordo naturæ.

A*D tertium ſic proceditur, videtur quod in diuinis perſonis non ſit ordo naturę. Quicquid enim in diuinis eſt, vel eſt eſſentia, vel perſona, vel notio; ſed ordo naturæ non ſignificat eſſentiam, neque eſt aliqua perſonarum, aut notionum: ergo ordo naturæ non eſt in diuinis.*

2 *Præterea. In quibuscunque eſt ordo naturæ, vnum eſt prius altero, ſaltem ſecundum naturam, & intellectũ, ſed in diuinis perſonis nihil eſt prius, & poſterius, vt Athanaſ. dicit: ergo in diuinis perſonis non eſt ordo naturæ.*

3 *Præterea. Quicquid ordinatur diſtinguitur: ſed natura in diuinis non diſtinguitur, ergo non ordinatur, ergo non eſt ibi ordo naturæ.*

4 *Præterea. Natura diuina eſt eius eſſentia, ſed non dicitur in diuinis ordo eſſentiæ, ergo neque ordo nature.*

Sed contra, vbicunque eſt pluralitas ſine ordine, ibi eſt confuſio, ſed in diuinis perſonis non eſt confuſio, vt Athanaſ. dicit: ergo eſt ibi ordo.

Reſpondeo dicendum, quod ordo ſemper dicitur per comparatione ad aliquod principium: vnde ſicut dicitur princ. ... multipliciter, ſcilicet, ſecun-

FORMATIO ARTICVLI.

BIpartita eſt corporis diſtributio. Primò, ponit in fine corporis cõcluſionem reſpõſiuam, ſed explicatiùs quàm ſit quæſiti petitio. Secundò, eam probat.

Quò ad primum, concluſio eſt iſta. In diuinis perſonis *eſt ordo naturæ; non quo alter ſit priùs altero, ſed alter ex altero.*

Probatio eſt iſta. *Oportet ibi eſſe ordinem ſecundùm originem abſquè prioritate.* Ergo *eſt ordo naturæ, non quo &c.* Probat conſequentiam. Quia *hic, vocatur ordo natu a ſecundùm Auguſtinum &c.* Probat antecedens, quò ad primã partem, (quoniam, quò ad ſecundã partem ſupponit ex dictis ſupra probatũ.) Quia *ordo ſemper dicitur &c.* Lege litterã vſquè ad illa verba, *dicitur ordo*, incluſiuè.

Ad primum argumentum reſpondet, explicando maiorẽ. *Quicquid in diuinis eſt, vel eſt eſſentia, vel perſona, vel notio originis* in communi, aut in ſpeciali, concedit maiorem. *Vel notio originis* tantùm in ſpeciali, negat maiorem. Similiter diſtinguit minorem, quò ad vltimã

timam partem, & negat conſequentiā.

Ad ſecundum argumentum reſpondet, diſtinguēdo maiorem. *In quibuſcunquè creatis eſt ordo, naturæ vnum eſt prius altero*, eo tamen modo, quo exponit in littera, concedit maiorem. *In quibuſcunquè* etiam in diuinis, *eſt ordo naturæ &c.* negat maiorem. Tunc conceſſa minori, negat conſequentiam.

Ad tertium argumentum reſpondet, & reſponſio ſic proponitur, conceden- maiorem, minorē, & primam cōſequētiam, negando verò ſecundam. Et rationem negationis aſſignat, quia, *ordo natura dicitur &c.* Lege litteram.

Ad quartum argumentum reſpondet, & reſponſio in hac forma proponitur, diſtinguendo, ſeù explicando maiorem. *Natura diuina eſt eius eſſentia*, & quatenùs, importatur nomine naturę quodammodo importat magis clarè rationē principij quàm ſecūdum quòd importatur nomine eſſentiæ, concedit maiorem; & quatenùs importatur nomine naturę quodammodo nō importet magis clarè rationem principij &c. negat maiorem. Tunc conceſſa minori, negat conſequentiam.

cundum ſitum, vt punctus; ſecundum intellectū, vt principium demonſtrationis, & ſecundum cauſas ſingulas, ita etiam dicitur ordo. In diuinis autem dicitur principium ſecundum originem abſque prioritate, vt ſupra dictum eſt: vnde oportet ibi eſſe ordinem ſecundum originem abſque prioritate; & hic vocatur ordo naturæ ſecundum Auguſt. non quo alter ſit prius altero, ſed alter eſt ex altero.

Ad primum ergo dicendum, quod ordo naturæ ſignificat notionem originis in communi, non autem in ſpeciali.

Ad ſecundum dicendum, quod in rebus creatis, etiam cum id, quod eſt à principio, ſit ſuo principio coæuum ſecundum durationem, tamen principium eſt prius ſecundum naturam, & intellectum, ſi conſideretur id, quod eſt principium; ſed ſi conſiderentur ipſæ relationes cauſæ, & cauſati, & principij, & principiati, manifeſtum eſt, quod relatiua ſunt ſimul natura, & intellectu, inquantum vnum eſt in diffinitione alterius; ſed in diuinis ipſæ relationes ſunt ſubſiſtentes perſonæ in vna natura: vnde neque ex parte naturæ, neque ex parte relationum, vna perſona poteſt eſſe prior alia, neque etiam ſecundum naturam, & intellectum.

Ad tertium dicendum, quod ordo naturæ dicitur, non quod ipſa natura ordinetur, ſed quod ordo in diuinis perſonis attenditur ſecundum naturalē originem.

Ad quartum dicendum, quod natura quodammodo importat rationem principij, non autem eſſentia; & ideò ordo originis melius nominatur ordo naturæ, quàm ordo eſſentiæ.

SVPER ARTICVLVM COMMENTARIVM.

1 V*trum in diuinis perſonis ſit ordo naturæ*. Nomine ordinis naturę non intelligitur, quòd ipſa natura ordinetur, ſed quæritur, Vtrum in diuinis perſonis attendatur ordo ſecundùm naturalem originem, vt idem D. Thomas declarat in reſp. ad 3.

D.Thom. 2 *In diuinis autē dicitur principiū ſecundū originem abſque prioritate*. Hinc illius diſputationis, vtrum ſcilicet, cōmune ſit omni principio eſſe aliquo modo prius principiato, habetur manifeſta pro parte negatiua deciſio. Et modus loquendi Diui Thomæ cautus eſt, & ſecurus, vt Suarez in metaph. tom. 1. diſp. 12. num. 2 . teſtatur, qui tamen ſententiam Scoti ſequitur, & non modum loquendi Diui Thomæ, quem vocat cautum, & ſecurum. Sed in diſp. de hac re reliqua examinabuntur.

Suarez.

3 In reſp. ad 1. *Ordo naturæ ſignificat notionem originis in communi, non autem in ſpeciali*. Non dicit ſignificat notionem in communi, ſed *notionem originis in communi*, neque dicit, quòd notio originis in cōmuni, ſit vna ex quinquè notionibus; neque quòd origo in communi ſit verè, & propriè notio. Supra enim q. 32. ar. 2. & 3. docuit, quòd notio *dicitur id, quod eſt propria, ideſt ſpecialis ratio cognoſcendi diuinam perſonam*. Nomine ergo notionis originis in communi, intelligit notionē veluti in abſtracto, ſecundùm quòd eſt quid commune ad quemcunquè ordinē originis in diuinis.

4 In reſp. ad 2. *Tamen principium eſt prius ſecundùm naturam, & intellectum*. In rebus ergo creatis, etiam ſi principium, & id quod à principio procedit ſint duratione ſimul; nihilominùs ſemper natura principij præintelligitur cauſalitate, aut intellectu, vt prior principiato. Quod in diuinis nefas eſt fari. Etenim Pater, qui eſt principium productiuum Filij, non habet naturam, natura Filij priorem, cum vtriquè ſit vna, eademque

natur

Digitized by Google

natura communis ſecundùm rem.

5 *Sed ſi conſiderentur ipſæ relationes cauſæ, & cauſati, & principij, & principiati, manifeſtum eſt, quòd relatiua ſunt ſimul natura, & intellectu*. Principium igitur entitatiuè conſideratum in creatis, licèt ſit prius principiato, non tamen eſt prius principiato relatiuè. Et hoc magis apparet in ipſo prioris conceptu. Prius enim vt prius, eſt antecedens poſterius. Cum ſit prius. Si tamen prius accipiatur relatiuè, quatenus ſcilicet, reſpectu poſterioris eſt prius, non eſt ipſo conceptu poſterioris prius, ſed prius, & poſterius relatiuè ſunt ſimul natura, & intellectu.

6 In reſp. ad 4. *Natura quodammodo importat rationem principij, non autem eſſentia*. Loquitur de natura, & eſſentia ſecundùm quod his nominibus nominantur, non autem de natura, & eſſentia quantùm ad formalitatem, quam adæquatè ſignificant; quoniam ſi adæquatè formalitas naturæ conſideretur, ſeù accipiatur, eſſentia, & natura non differunt, & differunt ſolùm ſecundùm inadæquatam vnius formalitatis conceptionem, vt pluriès diximus.

ARTICVLVS QVARTVS.

Vtrum Filius ſit æqualis Patri ſecundùm magnitudinem.

Ad quartum ſic proceditur, videtur quod Filius non ſit æqualis Patri in magnitudine: dicit enim ipſe Ioan. 14. *Pater maior me eſt, & Apoſtol.* 1. *Corinth.* 15. *Ipſe Filius ſubiectus erit illi, qui ſibi ſubiecit omnia.*

2 *Præterea. Paternitas pertinet ad dignitatẽ Patris, ſed paternitas non conuenit Filio: ergo non quicquid dignitatis habet Pater, habet Filius, ergo non eſt æqualis Patri in magnitudine.*

3 *Præterea. Vbicunque eſt totum, & pars, plures partes ſunt aliquid maius, quam vna tantum, vel pauciores, ſicut tres homines ſunt aliquid maius, quam duo, vel vnus; ſed in diuinis videtur eſſe totum vniuerſale, & pars: nam ſub relatione, vel notione plures notione continentur, cum igitur in Patre ſint tres notiones, in Filio autem tantum duæ, videtur quod Filius non ſit æqualis Patri.*

Sed contra eſt, quod dicitur Philip. 2. *Non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo.*

Reſpondeo dicendum, quod neceſſe eſt dicere, Filium eſſe æqualem Patri in magnitudine: magnitudo enim Dei non eſt aliud, quam perfectio naturæ ipſius. Hoc autem eſt de ratione paternitatis, & filiationis, quod Filius per generationem pertingat ad habendam perfectionem naturæ, quæ eſt in Patre, ſicut & Pater; ſed quia in hominibus generatio eſt tranſmutatio quædam, exeuntis de potentia in actum, non ſtatim à principio homo Filius eſt æqualis Patri generanti; ſed per debitum incrementum ad æqualitatem perducitur, niſi aliter eueniat propter defectum principij generationis. Manifeſtum eſt autem ex dictis, quod in diuinis eſt proprie, & verè paternitas, & filiatio: nec poteſt dici, quod virtus Dei Patris fuerit defectiua in generando, neque quod Dei Filius ſucceſſiuè, & per tranſmutationem ad perfectionem perueniat; ſed neceſſe eſt dicere, quòd ab æterno fuerit Patri æqualis in magnitudine.

FORMATIO ARTICVLI.

Bipartita eſt corporis diſtributio. Primò, ponit vnam concluſionem reſponſiuam quæſito abſolutè, eamquè probat. Secũdò ponit aliam concluſionem magis explicatiuam primæ, eamquè ratione probat, & authoritate confirmat.

Quò ad primum, prima concluſio eſt iſta. *Neceſſe eſt dicere, Filium eſſe æqualem Patri in magnitudine*. Probatio eſt iſta. *Hoc eſt de ratione paternitatis, & filiationis, quòd Filius per generationem pertingat ad habendam perfectionem naturæ, quæ eſt in Patre, ſicut & Pater*. Ergo *neceſſe eſt dicere, Filium eſſe æqualem Patri in magnitudine*. Probat cõſequentiam; Quia *magnitudo Dei, non eſt aliud, quàm perfectio naturæ ipſius*.

Quò ad ſecundũ, ſecunda concluſio magis explicans primam, eſt iſta. *Neceſſe eſt dicere, quòd ab æterno fuerit Patri æqualis in magnitudine*.

Probatio eſt iſta. *Manifeſtũ eſt ex dictis, quòd in diuinis eſt propriè, & verè paternitas, & filiatio. Nec poteſt dici, quod virtus Dei Patris fuerit defectiua in generãdo, neque quod Dei Filius ſucceſſiuè, & per tranſmutationem ad perfectionem peruenerit*. Ergo *neceſſe eſt dicere &c.* Probat antecedens, quò adſpoẽs partes ei⁹ excluſiuas. Quia *in hominibus generatio &c.* Lege litteram vſquè ad illã particulam, *generationis*, incluſiuè.

Cõfirmat autem authoritate ſic dicẽs. *Vnde & Hilarius dicit &c.* Lege litteram vſquè ad finem corporis.

Ad primum argumentum reſpondet, explicando vtramq; Sacræ ſcripturæ authoritatem, de Chriſto ſecũdùm humanam naturã, in qua minor eſt Patre, & ei ſubiectus, nõ autem de

de Christo ſecundũ diuinam naturam.

Sed quia Hilarius in 9. lib. de Trinit. interpretatur locum Chriſti Dñi Ioannis 11. de Chriſto ſecũdùm, quòd eſt Filius Dei, ideo.

Reſpondet ſecundò cum eodem Hilario, lege litteram.

Ad ſecundum argumentum reſpondet, diſtinguẽdo, ſeù explicando maiorẽ. *Paternitas* ratione eſſentiæ *pertinet ad dignitatem Patris*, concedit maiorem. *Paternitas* pro vt virtualiter diſtinguitur à ratione eſſentiæ, *pertinet ad dignitatem Patris*, negat maiorem. Tunc conceſſa minori, negat vtramq; conſequentiam.

Ad tertium argumentum reſpondet, concedendo maiorem, & negando minorẽ; Ad cuius probationem diſtinguit, ſeù explicat antecedens. *Sub relatione, vel notione plures notiones conueniunt*, & ſunt vnum ſecundum eſſentiam, & eſſe, concedit antecedens. Et ſecundum eſſentiã, & eſſe diſtinguuntur, negat antecedens. Et negat conſequentiam.

peruenerit: vnde neceſſe eſt dicere, quod ab æterno fuerit Patri æqualis in magnitudine: vnde & Hilar. dicit in lib. de ſynod. Tolle corporum infirmitates, tolle conceptus initium, tolle dolores, & omnem humanam neceſſitatem: omnis Filius ſecundum naturalem natiuitatem æqualitas Patris eſt, quia eſt & ſimilitudo naturæ.

Ad primum ergo dicendum, quod verba illa intelliguntur dicta de Chriſto ſecundum humanã naturam, in qua minor eſt Patre, & et ſubiectus; ſed ſecundum naturam diuinam, æqualis eſt Patri, & hoc eſt, quod Athanaſ. dicit: Æqualis Patri ſecundum diuinitatem, minor Patre ſecundum humanitatem; ſed ſecundum Hilar. in 9. lib. de Trinit. Donantis authoritate Pater maior eſt, ſed minor non eſt, cui vnum eſſe donatur; & in lib. de ſynod. dicit, quod ſubiectio Filij, naturæ pietas eſt, ideſt recognitio auctoritatis paternæ: ſubiectio autem cæterorum, creationis infirmitas.

Ad ſecundum dicendum, quod æqualitas attẽditur ſecundum magnitudinem: magnitudo autẽ in diuinis ſignificat perfectionem naturæ (vt dictum eſt) & ad eſſentiam pertinet; & ideò æqualitas in diuinis, & ſimilitudo, ſecundum eſſentialia attenditur, nec poteſt ſecundum diſtinctionem relationum inæqualitas, vel diſſimilitudo dici: vnde Auguſt. dicit contra Maximinum: Originis quæſtio eſt, quid de quo ſit: æqualitatis autem, qualis, aut quantus ſit. Paternitas igitur eſt dignitas Patris, ſicut & eſſentia Patris: nam dignitas eſt abſoluta, & ad eſſentiam pertinet. Sicut igitur eadem eſſentia, quæ in Patre, eſt paternitas, in Filio eſt filiatio, ita eadem dignitas, quæ in Patre eſt paternitas, in Filio eſt filiatio. Verè ergo dicitur, quod quicquid dignitatis habet Pater, habet Filius, nec ſequitur, paternitatem habet Pater, ergo paternitatem habet Filius. Mutatur enim quid in ad aliquid: eadem enim eſt eſſentia, & dignitas Patris, & Filij; ſed in Patre eſt ſecundum relationẽ dantis, in Filio ſecundũ relationẽ accipientis.

Ad tertium dicendum, quod relatio in diuinis non eſt totum vniuerſale, quamuis de ſimilibus relationibus prædicetur, quia omnes relationes ſunt vnum ſecundum eſſentiam, & eſſe; quod repugnat rationi vniuerſalis, cuius partes ſecundum eſſe diſtinguuntur, & ſimiliter perſona (vt ſupra dictũ eſt) non eſt vniuerſale in diuinis: vnde neque omnes relationes ſunt maius aliquid, quam vna tantum, nec omnes perſonæ maius aliquid, quam vna tantum, quia tota perfectio diuinæ naturæ eſt in qualibet perſonarum.

SVPER ARTICVLVM COMMENTARIVM.

1 IN reſp. ad primum. *Donantis authoritate Pater maior eſt, ſed minor non eſt, cui vnum eſſe donatur.* Senſus eſt, quòd cum Chriſtus dixit *Pater maior me eſt*, ly, *maior*, ſuppoſita diui Hilarij expoſitione, quòd ſcilicet, vera etiam ſit locutio de Filio ſecundùm quod eſt perſona diuina, non accipitur propriè, ſed impropriè, pro vt idem ſonat, ac dicere Pater me produxit, & omnia ad Deitatẽ pertinentia mihi dedit. Vnde idem D. Thomas ſubdit *Hilarius in lib. de Synodis dicit, quòd ſubiectio Filij, naturæ pietas eſt, ideſt, recognitio authoritatis paternæ: ſubiectio autem cæterorum creationis infirmitas.* D. Thom.

2 In reſp. ad 2. *Verè ergo dicitur, quòd quidquid dignitatis habet Pater, habet Filius; nec ſequitur, paternitatem habet Pater, Ergo paternitatem habet Filius.* Ex quibus verbis habes, quòd dignitas in diuinis non eſt aliquod notionale, ſeù perſonale, pro vt virtualiter ab eſſentiali diſtinguitur, ſed eſt aliquid abſolutum, & eſſentiale. Imò ipſa eſſentia diuina. Quod manifeſtè in hac eadem reſponſione declarat; dum ſic ait. *Eadem enim eſt eſſentia, & dignitas Patris, & Filij. Sed in Patre eſt ſecundùm relationem dantis, in Filio ſecundum relationem accipientis.*

3 In reſp. ad 3. Vide quæ diximus ſupra quæſt. 30. artic. 4. ad 3. in comment. artic.

ARTI-

FORMATIO ARTICVLI.

CORporis diſtributio in vnica diſtinctione,& cōcluſione trimembri conſiſtit, quamquè quantùm ad omnē eius partem probat.

Diſtinctio trimēbris eſt iſta. *In Patre, & Filio tria eſt conſiderare, ſcilicet eſſentiam, & relationem, & originem.*

Concluſio trimēbris eſt iſta. *Secundùm quodlibet iſtorum, Filius eſt in Patre, & è conuerſo.*

Probat autem ſic. *Secundùm eſſentiam enim &c.* Lege litterā vſquè ad finē corp.

Ad primum argumentum reſpondet, concedēdo maiorē, & minorem, negando verò conſequentiam; quia *ea, quæ in creaturis ſunt &c.* Lege litteram.

Ad ſecundum argumentum reſpondet, & reſponſio ſic in forma proponitur; diſtinguēdo maiorem. *Nihil quod exiuit ab aliquo* exitu locali, exteriori ſecundùm diſtinctionem eſſentialem &c. *eſt in eo*, concedit maiorē. *Nihil quod exiuit ab aliquo* proceſſione interiori, cum vnitate eſſentiæ, & ſola diſtinctione relationum, *eſt in eo*, negat maiorem. Similiter diſtinguenda eſt minor, & neganda eſt conſequentia.

Ad tertium argumentum reſpondet, & reſponſio in hac forma proponitur, diſtinguendo maiorem. *Vnum oppoſitorum* ſecundùm eſſentiam, *non eſt in altero*, concedit maiorem. *Vnum oppoſitorum* nō ſecundùm eſſentiam ſed relatiuè tantùm, *non eſt in altero*, negat maiorem. Tunc cōceſſa minori, negat conſequentiam.

ARTICVLVS QVINTVS.

Vtrum Filius ſit in Patre, & è conuerſo.

AD quintum ſic proceditur, videtur quod Filius non ſit in Patre, & è conuerſo. Philoſophus enim in 4. phyſicor. ponit octo modos eſſendi aliquid in aliquo, & ſecundum nullum horum Filius eſt in Patre, aut è conuerſo, vt patet diſcurrenti per ſingulos modos: ergo Filius non eſt in Patre, nec è conuerſo.

2 Præterea. Nihil, quod exiuit ab aliquo, eſt in eo: ſed Filius ab æterno exiuit à Patre, ſecundū illud Micheæ 5. Egreſſus eius ab initio; à diebus æternitatis: ergo Filius non eſt in Patre.

3 Præterea. Vnum oppoſitorum non eſt in altero; ſed Filius, & Pater opponuntur relatiuè: ergo vnus non poteſt eſſe in alio.

Sed contra eſt, quod dicitur Ioan. 14. *Ego in Patre, & Pater in me eſt.*

Reſpondeo dicendum, quod in Patre, & Filio tria eſt conſiderare, ſcilicet eſſentiam, & relationem, & originem, & ſecūdum quodlibet iſtorum, Filius eſt in Patre, & è conuerſo; Secundum eſſētiam enim Pater eſt in Filio, quia Pater eſt ſua eſſentia, & communicat ſuam eſſentiam Filio, non per aliquam ſuam tranſmutationem: vnde ſequitur, quod cum eſſentia Patris ſit in Filio, quod in Filio ſit Pater; & ſimiliter, cum Filius ſit ſua eſſentia, ſequitur quod ſit in Patre, in quo eſt eius eſſentia; & hoc eſt, quod Hilar. dicit lib. 5. de Trinit. Naturam ſuam (vt ita dicam) ſequitur immutabilis Deus, immutabilem giguēs, Deum ſubſiſtentem: ergo in eo Dei naturam intelligimus, cum in Deo Deus inſit. Secundum etiam relationes manifeſtum eſt, quod vnum oppoſitorum relatiue eſt in altero ſecundum intellectum. Secundū originem etiam manifeſtum eſt, quod proceſſio Verbi intelligibilis, non eſt aliquid extra, ſed manet in dicente. Id etiam, quod Verbo dicitur, in Verbo cōtinetur, & eadē ratio eſt de Spiritu ſancto.

Ad primum ergo dicendum, quod ea, quæ in creaturis ſunt, non ſufficienter repreſentant ea, quę Dei ſunt; & ideò ſecundum nullum eorum modorum, quos Philoſophus enumerat, Filius eſt in Patre, aut è conuerſo: accedit tamen magis ad hoc modus ille, ſecundum quem aliquid dicitur eſſe in principio originante, niſi quod deeſt vnitas eſſentiæ in rebus creatis inter principium, & id, quod eſt à principio.

Ad ſecundum dicendum, quod exitus Filij à Patre eſt ſecundum modum proceſſionis interioris, prout Verbum exit à corde, & manet in eo: vnde exitus iſte in diuinis eſt ſecundum ſolam diſtinctionem relationū, non ſm̄ eſſentialē aliquā diſtantiā.

Ad tertium dicendum quod Pater, & Filius opponūtur ſecundū relationes, non autē ſecundum eſſentiam, & tamen oppoſitorum relatiouè, vnum eſt in altero, vt dictum eſt.

SVPER ARTICVLVM COMMENTARIVM.

1 *SEcundùm eſſentiam enim Pater eſt in Filio; quia Pater eſt ſua eſſentia, & communicat ſuam eſſentiam Filio, non per aliquam ſuam tranſmutationem.* Probat Patrem eſſe in Filio, non ex eo præcisè, quia Pater eſt ſua eſſentia tantùm, ſed vltra hoc, quia Pater communicat ſuam eſſentiam Filio, quaſi diceret, quòd ratio Patri eſſendi in Filio, non eſt eſſentia, in ratione eſſentię,

eſſentiæ, ſed eſſentia vt in pluribus, neque ex his duobus tantùm, ſed etiam quia communicat eam nõ per aliquam ſuam tranſmutationem. Vt igitur Pater dicatur eſſe in Filio ſecundùm eſſentiam, tria debent interuenire. Primum, quòd Pater ſit idem cum ſua eſſentia. Secundum, quòd ſuam eſſentiam communicet Filio; & tertium, quòd ſequitur ex primo, quòd Pater communicans ſuam eſſentiam Filio, nullam patiatur in ſe ipſo mutationem.

2 *Vnde ſequitur, quòd cùm eſſentia Patris ſit in Filio, quòd in Filio ſit Pater*. *Dicit quòd cũ eſſentia Patris ſit in Filio*, & non è contra; idest, quòd Pater ſit in eſſentia. Et meritò, quia eſſentia reſpectu perſonæ ſe habet vt forma; & non è conuerſo.

3 *Vnde ſequitur, quòd cùm eſſentia Patris ſit in Filio, quòd in Filio ſit Pater*; Arguit quòd Pater ſit in Filio, quia *Patris eſſentia eſt in Filio*, & non ſub hac formalitate, ſcilicet, quia, Patris eſſentia eſt Filius, eò quia Patris eſſentia ſic eſt identificata Filio, vt ſe habeat veluti forma, vt diximus, reſpectu perſonæ.

4 *Cum eſſentia Patris ſit in Filio*. Hinc doctrinam, quam quæſt. 39. art. 4. ad 1. accipe confirmatam. Ibi enim docet, quòd hoc nomen, Deus, & ſi conueniat in aliquo cum terminis ſingularibus; in aliquo verò ab eis recedit, & ad terminos communes accedit, ac per conſequens, hoc nomen, Deus, non eſt propriè terminus ſingularis, pro vt in eiuſdem articuli commentario num. 8. obſeruauimus. Nam eò ipſo, quòd eſſentia diuina Patris, eſt in Filio, conuenit cũ termino communi, & elongatur à termino ſingulari. Singulari enim vt ſingulare eſt, pluribus communicari repugnat. Et hoc D. Auguſtinus tom. 4. in D. Aug. quæſtionibus ex vtroquè teſtamento par. 1. circa medium elegantiſſime obſeruauit, ſic dicens; *Vnus quidem eſt Deus, ſed non ſingularis eſt Deus*. Obſeruent igitur aſſerentes, Deum ſeu eſſentiam diuinam eſſe propriè terminum ſingularẽ, quoniam locuntur contra regulas ſummuliſticas, & contra D. Thomam, & Auguſtinum.

5 *Vnde ſequitur, quòd cum eſſentia Patris ſit in Filio, quòd in Filio ſit Pater*. Non ſic intelligas, quaſi Pater ſit in Filio, vt forma in ſuppoſito, quemadmodum eſſentia intelligitur eſſe in Filio. Sed ſenſus, eſt iſte; cum eſſentia Patris ſit identicè in Filio; ipſa pro vt eſt eadem in Patre, & Filio, eſt ratio, vt Pater ſit in Filio.

6 *Secundùm relationes etiam manifeſtum eſt, quòd vnum oppoſitorum relatiuè eſt in altero ſecundùm intellectum*. Ex hoc enim quòd de ratione vnius relatiui ſit ad aliud, euidenter ac neceſſariò ſequitur, quòd vnum oppoſitorum relatiuè eſt in altero ſecundùm intellectum. Non enim intelligitur vnum relatiuum niſi ſimul cũ ipſo, & in ipſo intelligatur alterum relatiuè oppoſitum.

7 *Secundum originem etiam manifeſtum eſt, quòd proceſſio verbi intelligibilis nõ eſt aliquid extra, ſed manet in dicente*. Et in Deo Patre non ſolùm non dicitur eſſe extra, quaſi trãſiens extra ipſum, quod eſt omni verbo commune, ſed nequè eſt extra quò ad eſſe, nec quò ad modum eſſendi, imo Pater etiam eſt intra verbum, cum Verbum diuinum ſit ſubſiſtens & intelligens. Hæc omnia quæ de Patre, & Filio dicta ſunt, intelligi debent de Patre, & Filio in ordine ad Spiritum Sanctum. Vide Caietanum, & Iauellum ſuper hũc articulum.

FORMATIO ARTICVLI.

Corporis diſtributio in vnica concluſione affirmatiua immediatè reſponſiua quæſito conſiſtit, quam ponit in principio corporis, & in fine repetit; eamquè vnica ratione probat.

Cõcluſio eſt iſta, *Neceſſe eſt dicere, quòd Filius eſt æqualis Patri in poteſtate*: Et in fine corporis, eadem verba repetit.

Probatio eſt iſta. Ip-

ARTICVLVS SEXTVS.

Vtrum Filius ſit æqualis Patri ſecundùm potentiam.

AD ſextum ſic proceditur, videtur quod Filius non ſit æqualis Patri ſecundum potentiam: dicitur enim Ioan. 5. Non poteſt Filius à ſe facere quicquã, niſi quod viderit Patrem facientem. Pater autem à ſe poteſt facere, ergo Pater maior eſt Filio ſecundum potentiam.

2 *Præterea. Maior eſt potentia eius, qui præcipit, & docet, quam eius, qui obedit, & audit; ſed*

Ipſa ratio diuinæ paternitatis, & filiationis exigit, quòd Filius ſit æqualis Patri in magnitudine, ideſt, in perfectione naturæ. Ergo relinquitur, *quòd Filius ſit æqualis Patri in poteſtate; & eadem ratio eſt de Spiritu ſancto reſpectu vtriuſquè.* Probat conſequentiam; Quia *potentia agendi conſequitur perfectionem naturæ.* Ergo *ſi Filius eſt æqualis Patri in magnitudine, relinquitur, quòd Filius ſit æqualis Patri in poteſtate.* Probat huius cõſequentię antecedẽs: quia *videmus in creaturis, quòd quanto aliquis babet perfectiorem naturam, tanto eſt maioris virtutis in agendo.*

Ad primum argumentum reſpondet, explicando authoritatem Sacræ ſcripturæ, *Non poteſt Filius à ſe facere quicquam.* Ideſt, Filius habet poteſtatem à Patre, à quo habet naturã, concedit, & in hoc ſenſu interpretanda eſt Sacra ſcriptura. *Non poteſt Filius à ſe facere quicquam,* ideſt, Filio ſubtrahitur aliqua poteſtas, inferior poteſtate Patris, negat, & in hoc ſenſu non interpretanda eſt Sacra ſcriptura. Tunc conceſsa minori, negat conſequentiam.

Ad ſecundum argumentum reſpondet dupliciter, & reſponſio in hac forma proponitur diſtinguendo maiorẽ; *Maior eſt potentia eius,*

ſed Pater mandat Filio, ſecundum illud Ioan. 14. Sicut mandatum dedit mihi Pater, ſic facio. Pater etiam docet Filium ſecundum illud Ioan. 5. cap. Pater diligit Filium, & omnia demoſtrat ei, quæ ipſe facit. Similiter & Filius audit, ſecundũ illud Ioan. 5. Sicut audio, iudico, ergo Pater eſt maioris potentiæ, quam Filius.

3 Præterea. Ad omnipotentiam Patris pertinet, quod poſſit Filium generare ſibi æqualem: dicit enim Auguſt. in lib. contra Maximinum. Si non potuit generare ſibi æqualem, vbi eſt omnipotentia Dei Patris? ſed Filius non poteſt generare Filium, vt ſupra oſtenſum eſt. Non ergo quicquid pertinet ad omnipotentiam Patris, poteſt Filius; & ita non eſt ei in poteſtate æqualis.

Sed contra eſt, quod dicitur Ioan. 5. Quæcunque Pater facit, hæc & Filius ſimiliter facit.

Reſpondeo dicendum, quod neceſſe eſt dicere, quod Filius eſt æqualis Patri in poteſtate: potentia enim agendi conſequitur perfectionem naturæ: videmus enim in creaturis, quod quando alius habet perfectiorem naturam, tanto eſt maioris virtutis in agendo: oſtenſum eſt autem ſupra, quod ipſa ratio diuinæ paternitatis, & filiationis exigit, quod Filius ſit æqualis Patri in magnitudine, ideſt in perfectione naturæ: vnde relinquitur; quod Filius ſit æqualis Patri in poteſtate; & eadem ratio eſt de Spiritu ſancto, reſpectu vtriuſque.

Ad primum ergo dicendum, quod in hoc, quod dicitur: Filius non poteſt à ſe facere quicquam, non ſubtrahitur Filio aliqua poteſtas, quam habeat Pater, cum ſtatim ſubdatur, quod quæcunque Pater facit, Filius ſimiliter facit; ſed oſtenditur, quod Filius habet poteſtatem à Patre, à quo habet naturam: vnde dicit Hilar. lib. 9. de Trinitate. Naturæ diuinæ hæc vnitas eſt, vt ita per ſe agat Filius, quod non à ſe agat.

Ad ſecundum dicendum, quod in demonſtratione Patris, & auditione Filij, non intelligitur niſi quod Pater communicat ſcientiam Filio, ſicut & eſſentiam; & ad idem poteſt referri mandatum Patris, per hoc, quod ab æterno dedit ei ſcientiam, & voluntatem agendorum, eum generando: vel potius referendum eſt ad Chriſtum, ſecundum humanam naturam.

Ad tertium dicendum, quod ſicut eadem eſſentia, quæ in Patre eſt paternitas, in Filio eſt filiatio: ita eadem eſt potentia, qua Pater generat, & qua Filius generatur: vnde manifeſtum eſt, quod quicquid poteſt Pater, poteſt Filius: non tamen ſequitur, quod poſſit generare, ſed mutatur quid in ad aliquid: nam generatio ſignificat relationem in diuinis; habet ergo Filius eamdem potentiam quam Pater, ſed cum alia relatione: quia Pater habet eam, vt dans, & hoc ſignificatur, cum dicitur, quod poteſt generare. Filius autem habet eam, vt accipiens, & hoc ſignificatur, cum dicitur, quod poteſt generari.

qui præcipit, & docet; præcepto, & doctrina propriè loquendo, *quàm eius qui obedit, & audit,* concedit maiorem. *Maior eſt potentia eius, qui pręcipit, & docet,* ideſt, communicando ſciẽtiam eamdem Filio, ſicut & eſſentiam, *quàm eius, qui obedit, & audit,* ideſt, accipit, negat maiorem. Similiter explicãda eſt minor, & neganda eſt conſequentiam.

Reſpondet ſecundò, concedendo maiorem, & vtramquè Sacræ ſcripturæ authoritatem in minori poſitam explicando de Chriſto ſecundùm humanam naturam.

Ad tertium argumentum reſpondet, diſtinguẽdo, ſeù explicando maiorem. *Ad omnipotentiam Patris pertinet, quòd poſſit Filium generare ſibi æqualem,* loquendo de potentia cum tali relatione, puta, dantis, concedit maiorem. Loquendo de omnipotentia abſoluta ab huiuſmodi relatione, negat maiorem. Ad minorem. *Sed Filius nõ poteſt &c.* explicat minorem. *Sed Filius non poteſt generare Filium,* poteſt tamẽ generari propter relationem aliam adiunctam potentię, concedit minorem. *Sed Filius non poteſt generare Filium* ob defectum potentiæ, negat minorem, & vtramquè conſequẽtiam.

SVPER

SVPER ARTICVLVM COMMENTARIVM.

1 VTRVM *Filius ſit æqualis Patri ſecundùm potentiam*. Differt quæſitum hoc à quarto eiuſdem quæſtionis articulo; quia hìc quæritur de æqualitate ſecundùm potẽtiam, ibi de æqualitate ſecundùm magnitudinem, pro vt dicit perfectionem eſsẽtiæ. Ac proinde, potentia hìc ſe habet vt conſequens ad magnitudinem, vt explicat D. Thomas hìc dum ſic ait. *Potentia enim agẽdi conſequitur perfectionẽ naturæ.* D. Thom.

2 In reſp. ad 3. *Eadem eſt potentia, qua Pater generat, & qua Filius generatur. Vnde &c.* Nota celebrẽ hãc, veramquè doctrinam. Ex hac enim doctrina ſequitur, quòd cum dico, Potentiã generatiuam, non dico potentiam abſolutè, ſed potẽtiam cum tali relatione in diuinis, puta, cum relatione principij in ratione dantis; & cum dico potentiam generandi paſſiuè, ſimiliter dico potentiam Dei cũ relatione geniti. Vnde rectè concluditur, quòd & ſi Pater non poſſit generari, nequè Filius poſſit generare, tamen quidquid poteſt Pater, poteſt Filius, abſolutè loquendo, ſed huiuſmodi potentia abſolutè accepta, non eſt in Deo in ordine ad aliquem terminum ad intra; quoniam potentia Dei ſecundùm quòd reſpicit aliquem terminum intra Deum, non eſt omninò abſoluta, ſed neceſſariò debet eſſe coniuncta, aut quaſi modificata cum aliqua relatione Patris ſcilicet, Filij, aut Spiritus ſancti, ac proinde, eſt reſpectu vnius, vel duarum perſonarum, & non toti Trinitati communis; ſolùm ergo omnipotentia Dei abſolutè accepta ſaluatur per ordinem ad extra, ſcilicet, ad creaturas, & ſic ſaluatur quòd ſit toti Trinitati communis, & hoc modo quidquid poteſt facere Pater, poteſt facere Filius; & ſimiliter Spiritus ſanctus indiuiſim.

3 *Eadem eſt potentia, qua Pater generat, & qua Filius generatur*. Dubium occurit: Potentia qua Pater generat, eſt potentia actiua; potentia verò qua Filius generatur, ſecundùm quod ſe tenet ex parte Filij, non eſt potentia actiua. Quomodo ergo intelligitur, quòd *eadem eſt potentia, qua Pater generat, & qua Filius generatur*.

4 Non ſic intelligendus eſt D. Thomas, ſicut dubitatio proponit, ſed ſenſus eſt iſte. Per potentiam, qua Pater generat Filium, Filius accipit omnem potentiã à Patre, ſicut accipit quoquè eſſentiam; ac proinde, eadem potentia, quæ eſt in Patre in ratione potentiæ, eſt etiam in Filio, per hoc, quod à Patre procedit. Nã ex propoſitione poſita, ſic ſubdit Diuus Thomas. *Vnde manifeſtum eſt, quòd quidquid poteſt Pater, poteſt Filius*. Et paucis interiectis ſic ait. *Habet ergo Filius eamdem potentiam, quam Pater, ſed cum alia relatione, quia Pater habet eam vt dans, & hoc* (nota) *ſignificatur, cum dicitur, quod poteſt generare. Filius autem habet eam vt accipiens, & hoc* (nota) *ſignificatur, cum dicitur, quod poteſt generari*. Itaquè, cum D. Thomas ait, quod *potentia qua Pater generat, eſt potentia, qua Filius generatur*, non eſt ſenſus, quòd potentia, qua Filius generatur, & ſecundùm quòd ex parte Filij ſe tenet, eſt potentia actiua, ſed ſenſus eſt, quem diximus, nempè, quòd potentia, qua Pater generat, eſt etiam in Filio in ratione potentiæ, per hoc quòd Filius generatur. Nam per generationem totum poſſe Patris communicatur Filio.

DISPVTATIO CCXVIII.

VTRVM IN DIVINIS DETVR ALIQVA PRIORITAS, ET poſterioritas naturæ, ſcilicet, originis, aut rationis.

Per vnicum caput expedita.

CAPVT VNICVM.

Doctorum opiniones referuntur. & veritas ſtabilitur.

1 SCOTVS præſertim 2. diſt. 1. q. 1. §. *Quantùm ad hoc igitur*, admittit prioritatem, & poſterioritatem naturæ, & prioritatem, ac poſterioritatem originis in Deo; ita videlicèt, quòd in primo inſtanti naturæ ſunt iſta, eſſentia diuina, vt in ſe eſt, intellectus, & voluntas, quatenùs reſpiciunt tanquàm obiectum Scotus.

proprium, ac primum, eſſentiam diuinã ſecundùm ſe acceptam; perſona Patris, vt perfectè conſtituta, & habens in ſe ex vi eſſentiæ diuinæ memoriam fœcundã, ratione cuius Pater producit Verbum, ſeù Filium, & Filio communicat voluntatem adhùc fœcundam; & ſic Pater, & Filius perfectè conſtituti producũt Spiritum ſanctum. Et in hoc primo inſtanti naturæ ſecundùm Scotum datur prioritas originis inter perſonas diuinas, taliter, quòd ſecundùm ipſum, Pater eſt prior origine Filio. Pater, & Filius ſunt priores origine Spiritu ſancto, non tamen inter has perſonas aſſignat prioritatem naturę, cum in eodem inſtanti naturæ compleatur totus originis ordo inter diuinas perſonas ad mentem Scoti.

2 In ſecundo verò inſtanti naturæ, conſideratur eſſentia, non ſecundùm quod eſt in ſe præciſè, ſed ſecundùm quòd virtute illius, intellectus diuinus conſideratur in ordine ad obiecta ſecundaria, quæ ad mentem eius producuntur in quodã eſſe diminuto &c. Et ſic in hoc ſecundo inſtanti naturæ aſſignat ordinem originis creaturarum à Deo &c.

3 Et quia vidi quoſdam Doctores referentes ſentẽtiam Scoti aliter quàm Scotus ſenſerit, inter quos eſt Pater Amicus diſp. 22. ſect. 1. à nu. 5. & præſertim nu. 9. vbi ait, quòd Scotus ita ordinem naturæ, & *originis combinat, vt in primo ordine naturæ nullus ſit ordo originis; in ſecundo verò ordine naturæ ſit totus prior ordo originis, quo Pater gignit, & Filius gignitur, & quo vterquè ſpirat, & Spiritus ſanctus ſpiratur*; ideo Scoti referamus verba loco enim citato ſic ait. *Simpliciter tamen in diuinis ordo naturæ primus eſt, ita quòd ſimpliciter procedendo, in primo inſtanti naturæ debet aſſignari totus primus ordo originis; & ſi in ſecundo inſtanti naturæ aſſignetur ordo originis, non eſt primus ordo originis, ſed ſecundus.* Et poſt nonnulla ſic ait. *In primo igitur inſtanti naturæ ſtando in illo, habetur perſona perfecta habens memoriam perfectam eſſentiæ diuinæ, ideſt, habens intellectum &c.* & §. immediatè ſequenti, *ſtando igitur*, inquit, *præciſè in primo inſtanti naturæ, comparando eſſentiam diuinam ad intellectum, & voluntatem, habetur totus ordo originis primus, quia ſcilicet, duæ perſonæ perfectæ originantur, & tota perfectio diuinarum perſonarum ad intra in intellectu diuino, & voluntate, habetur in primo inſtanti naturæ.* Ecce igitur quomodo Scotus in primo inſtanti naturæ ponit totum ordinem originis inter perſonas diuinas, & non in ſecundo.

Scotus.
Amicus.

4 Vtrum autem per prioritatem originis Scotus intellexerit prioritatem realem, quàm potiùs prioritatem rationis, nonnulli Scotiſtæ defendunt Scotum, ac ſi dixiſſet prioritatem, & poſterioritatẽ originis inter diuinas perſonas eſſe verã, & realem. Verùm, niſi dicant, Scotum fuiſſe in hac re problematicum, vel mutaſſe ſententiam, aut ſibimet contradixiſſe, ſunt Scoti loca, quibus nullam veram, realemquè inter diuinas perſonas prioritatem aſſignat, ita præſertim in 1. diſt. 2. q. 7. §. *Reſponſio quod non neceſſariò*, & §. immediatè ſequenti. *Cum autem infers*, cuius verba vide ſupra diſp. 149. à numero 19. vbi Scotus reſolutè affirmat, quòd neque etiam per intellectum poteſt vna perſona diuina concipi, altera non concepta, niſi per conceptionem abſtractiuam, ſine mendacio, non verò cum mendacio. Et in 2. diſt. 1. q. 1. cit. §. *Intelligere*, aut, *quòd priùs origine, non tantũ dicit à ſe, vel non ab alio, ſed à quo alterum*. Et §. *Reſpondeo, Pater &c.* ſic ait, *Pater producit lapidem priùs origine quàm Filius, hoc eſt à ſe, & Filius non à ſe, & tamen Filius eadem productione producit lapidem, & in eodem inſtanti naturæ &c.* Vbi Scotus per prioritatem originis intelligit id, quod D. Thomas intendit per ordinem originis abſquè prioritate, qui conſiſtit, à quo alius, & qui ab alio. Vnde,

Scotus.

5 Pro determinatione veritatis; Dico breuiter. In diuinis nulla datur prioritas realis naturæ, aut originis, ſed tantummodo prioritas, & poſterioritas ſecundùm intellectum inadæquatè concipiẽtem.

6 Prima pars probatur primò. quia prioritas naturæ æternitati repugnat: ſed q̃libet pſona diuina eſt ab intrinſeco æterna. Ergo. Maior patet ex illo Athanaſij in ſymbolo; *Et in hac Trinitate nihil prius, aut poſterius*. Minor eſt ſimiliter certa, vt patet ex eodem Athanaſio; *Æternus Pater, æternus Filius, æternus Spiritus ſanctus*. Item. *Sed totæ tres perſonæ coæternæ ſibi ſunt*.

Athanaſ.

7 Probatur ſecundò; quia quæ habent vnam naturam ſibi omninò identificatam, ita ſe habent, quod vnum non eſt priùs natura, quàm alterum: Sic ſunt perſonæ diuinæ. Ergo.

8 Probatur tertiò. Perſonæ diuinæ ſunt formaliter relatiuæ. Ergo vna non eſt altera prior ſecundùm prioritatem naturæ. Antecedens ſupponitur ex præmiſſis ſupra. Et conſequentia eſt etiam ex Philoſophicis manifeſta. Quandoquidem relatiua ſunt ſimul natura.

9 Secunda pars etiam patet; quia in nullo ſigno reali eſt Pater, in quo non ſit Filius; neque Pater, & Filius in quo non ſit Spiritus ſanctus. Ergo neque etiam datur prio-

Digitized by Google

prioritas originis, quæ ſit vera, & realis prioritas. Conſequentia patet; quia prioritas, quæ eſt vera, & realis, eſt prioritas in quo, ideſt, in aliquo ſigno in quo vna res intelligitur eſſe, & altera intelligitur non eſſe in eodem ſigno. Antecedens verò etiam eſt manifeſtum; quia in illo ſigno, in quo intelligeretur Pater v. g. exiſtens, & intelligeretur non eſſe Filius, perſona Patris aut eſſet perſona abſoluta, aut eſſet perſona realiter, & actualiter relatiua. Si primum, hoc eſt falſum, vt probauimus ſupra. Si ſecundum. Cōtra. Ergo falſum eſt, quòd perſona Patris ſit in aliquo ſigno, & in eodē ſigno reali non ſit perſona Filij, quia in quocumq; ſigno concipitur aliquod actualiter; & realiter relatiuum, debet coexiſtere terminus.

10 Probatur tertia pars; quia intellectus noſter cum fundamento in re prius concipit perſonam Patris in ratione ſubſiſtentis, deinde in ratione generantis, & tertiò in ratione relati ad Filium genitū, quæ prioritas eſt ſecundum prioritatem præciſiuam intellectus noſtri inadæquatè perſonam Patris æterni concipientis, non autem completè.

11 Sed contra iſtam determinationem obijciet aliquis primò. A multis dicitur, & dici ſolet, quod Pater eſt prior origine Filio. Ergo in diuinis admittēda eſt prioritas originis.

12 Reſpondetur, explicando antecedens. A multis, ſuppoſito, quod rectè locuti fuerint, dicitur, & dici ſolet, quòd Pater eſt prior origine Filio, prioritate à quo, concedo. Prioritate in quo, nego. Ideſt, quatenùs dicit à quo alius, & qui ab alio, concedo &c.

13 Obijciet ſecundò. Inter diuinas perſonas datur ordo originis. Ergo datur prioritas originis. Antecedēs patet. Probatur conſequentia; quia non datur ordo ſine prioritate.

14 Reſpondetur, cōcedendo antecedens, & diſtinguendo, ſeù explicando conſequens. Ergo datur prioritas à quo, concedo conſequentiam; In quo, nego conſequentiam. Ad probationem ſimiliter diſtinguo antecedens. Non datur ordo ſine prioritate à quo, concedo. Non datur ordo ſine prioritate in quo, nego. Vnde D. Auguſtinus hanc prioritatem à quo, expreſſit lib. 3. contra Maximinū cap. 14. vbi dixit ſic. *Verum hic non eſt inæqualitas ſubſtantiæ, ſed ordo naturæ, non quòd alter prior eſſet altero, ſed quod alter eſſet ex altero.* D.Aug.

15 Obijciet tertiò. Pater eſt principium Filij. Ergo eſt prior Filio. Antecedens patet cum ſit de fide certum. Probatur conſequentia, quia de ratione principij eſt dicere prioritatem.

16 Reſpondetur, cōcedendo antecedens, & negando conſequentiam, ſeù diſtinguendo conſequens. Ergo eſt prior prioritate à quo, concedo conſequentiam; Prioritate in quo, nego conſequentiam. Ad cuius probationem Pater Suarez in metaphyſica diſp. 12. ſect. 1. nu. 10. tenet, Suarez. quòd de ratione principij eſt dicere prioritatem, quapropter ſuſtinet etiam Patrem in diuinis eſſe priorem origine Filio, & nihilominus etiam affirmat, quod tutior eſt modus, quo dicitur non dari prioritatem originis in diuinis, & ſic reiiecto modo tutiori, oppoſitum ſuſtinuit vt meliorem. Reſpondetur igitur ad probationem, negando antecedens, vel explicando. De ratione principij eſt dicere prioritatem à quo, concedo, ſemper in quo, nego.

17 Obijciet quartò. Vbi datur primum, ſecundum, & tertium; ibi datur prius, & poſterius: ſed in diuinis perſonis datur prima ſecunda, & tertia perſona. Ergo inter diuinas perſonas datur prioritas & poſterioritas.

18 Reſpondetur, explicando maiorem. Vbi datur primum, ſecūdum, & tertium ſecundū durationem, aut perfectionem, ibi datur prius & poſterius, concedo maiorem. Vbi datur primum, ſecundum, & tertium, ſecundùm originem puram, ibi datur prius, & poſterius, nego maiorem. Similiter explicanda eſt minor, & negāda eſt conſequentia.

19 Dices. Quare igitur vna perſona dicitur prima, altera ſecunda, & alia tertia? Fortaſsè enumeratione? Cōtra hoc eſt; quia poteſt quis diuinas perſonas enumerans incipere à perſona Spiritus ſancti, deinde proſequens Filium, & tertiò Patrem. Ergo.

20 Dico Patrem primam perſonam, Filium, ſecundam, & Spiritum ſanctum, tertiam, enumeratione, non quidem arbitraria, ſed in proceſſionis modo fundata. Pater enim dicitur prima perſona, quia à nulla alia eſt, & omnes duæ ſequētes à Patris perſona procedunt. Filius, dicitur ſecunda perſona, quia eſt ab vna tantum, ideſt à Patre, & eſt ſimul cum Patre ſpirans Spiritum ſanctum: Spiritus ſanctus vero numeratur, vt tertia perſona, quia procedit à duabus.

21 Obijciet quintò. Relatiua ſunt ſimul natura & cognitione. Ergo falſum eſt, quod diximus in tertia parte concluſionis, nempè, quòd in diuinis datur prioritas, & poſterioritas ſecundùm intellectum.

22 Reſpondetur, explicando antecedens.

Reli-

Digitized by Google

Relatiua ſunt ſimul natura, & cognitione intuitiua, & completa, concedo antecedens; cognitione præciſiua, & incompleta, nego. Ergo &c. nego conſequentiam; quia locuti ſumus de prioritate ſecundùm intellectum præciſiuè, & incõplete cognoſcentem, non autem de intellectu cognoſcente intuitiuè, & completè.

DISPVTATIO CCXIX.

VTRVM POTENTIA GENERATIVA, ET POTENTIA ſpiratiua ſint eadem potentia, ac ipſamet omnipotentia.

Per vnicum caput expedita.

CAPVT VNICVM.

Determinatio Veritatis.

1 SVppono potentiam generatiuam in diuinis, non conſiſtere in pura non repugnantia terminorum, ſed in aliquo poſitiuo, quod eſt verè principium, quo Pater generat; & idem ſuppono, & dico de potentia ſpiratiua; Similiter potentia creatiua, & omnipotentia, dicendum eſt, quòd non cõſiſtat in ſola non repugnantia creandi, producendi, conſeruandi, &c. ſed in aliquo poſitiuo, quo Deus eſt principium proximè creans, producens, &c. & quærimus in præſenti, Vtrum potentia generandi, potentia ſpirandi, creandi, producendi, conſeruandi, &cęt. ſint vna potentia, quæ in Deo dicitur omnipotentia; Vnde,

2 Pro determinatione veritatis, Dico primò. Potentia generatiua, & potentia ſpiratiua ſunt duæ potentiæ notionaliter, diſtinctæ inter ſe formaliter, ſeù ſpecificè.

3 Probatur. Potentia generatiua conſiſtit in intellectu fœcundo Patris, & reſpicit perſonam Filij tãquàm terminum ſibi adæquatè correſpondentem; potentia verò ſpiratiua conſiſtit in voluntate fœcunda Patris, & Filij, & reſpicit tanquàm terminum ſibi adæquatum, Spiritum ſanctum, realiter in ratione termini diſtinctum à Filio. Ergo potentia generatiua, & potentia ſpiratiua ratione notionalitatis diſtinguuntur formaliter, ſeù quaſi ſpecificè tanquàm duæ potentiæ. Antecedens ſupponitur ex dictis ſuprà probatum. Conſequentia neceſſario ex antecedenti deducitur; eò quia, vbi ſunt facultates formaliter (loquor de formalitate obiectiue, aut virtualiter diſtincta) diſtinctæ, & termini realiter, ac formaliter, adæquatèquè diſtincti, ibi ſunt diſtinctæ potentiæ formaliter. Ergo.

4 Dico ſecundò. Potentia generandi, & potentia creandi diſtinguuntur ſicut includens, & incluſum, ſeu quantùm ad aliquã formalitatem ſunt idem, & quantùm ad aliquam diſtinguuntur; vel ſub alijs terminis, diſtinguuntur partialiter, non totaliter.

5 Explico concluſionem. Potentia creãdi, conſeruandi, &c. dicit vim conſiſtentem in intellectu, & in voluntate Dei ſimul, ſecundùm quòd Deus dicitur agẽs per intellectum, & voluntatem, & ſecũdùm quod ſuprà tom. 2. q. 25. diſp. 140. dicimus, & probauimus, quod potentia executiua in Deo conſiſtit in intellectu, ſimulatquè in voluntate Dei; at verò potentia generatiua in diuinis conſiſtit in ſolo intellectu, vt in Patre. Dicimus itaquè, quòd plures formalitates dicit potentia Dei ad extrà, quam potentia generatiua ad intra; quia potentia Dei ad extra conſiſtit in intellectu, & in voluntate tanquàm principiantibus, ſeù comprincipiantibus res ad extra; potentia verò generatiua conſiſtit in ſolo intellectu fœcundo Patris, ita quod diuina voluntas, & ſi concurrat ad productionẽ Filij concomitanter, non tamen concurrit principianter.

6 Probatur igitur concluſio. Potentia creandi, conſeruandi, &c. dicit intellectũ ſimul cum voluntate, tanquàm vnum com-

completum rei creatæ, vel conſeruatæ principium; potentia autem generatiua in ratione potentiæ generatiuæ, dicit tãtummodò intellectum tanquàm principium quo adæquatè Pater generat Filium. Ergo potentia generatiua, & potentia creatiua &c. diſtinguuntur ſicut includens, & incluſum quantùm ad aliquid, ſeù partialiter, & non totaliter. Patet cõſequentia; Et quidẽ ꝙ nõ totaliter, probatur, quia potentia generatiua dicit intellectum, quem etiam dicit, & includit potentia creatiua. Quòd verò partialiter, patet, quia potentia generatiua non dicit voluntatem; potentia vero creatiua vtiquè.

7 Dico tertiò. Potentia generatiua eſt in Filio, & in Spiritu ſancto, in ratione formali potentiæ, non autem in ratione formali generatiuæ.

8 Probatur prima pars; quia potentia generatiua dicit rationem formalem potentiæ, abſolutè loquendo; Ergo eſt in Patre, in Filio, & in Spiritu ſancto. Antecedens patet; quia potentia generatiua non poſſet dici potentia generatiua, niſi eſſet potentia. Nam ly, generatiua, addit aliquam rationem cõnotatiue ſupra potentiam. Ergo potentia generatiua eſt potentia. Conſequentia verò eſt euidẽs; quia potentia abſolutè accepta, dicit perfectionem abſolutam. Ergo eſt in omnibus tribus perſonis. Vnde in Symbolo Athanaſij dicitur, *Omnipotens Pater, omnipotens Filius, omnipotens Spiritus ſanctus.* D. Athan.

9 Secunda verò pars etiam probatur; quia potentia Dei dicitur generatiua in diuinis, prout eſt in principio de non principio, ideſt, fœcunditatem exercet, prout eſt in perſona Patris; quatenùs autem eſt in perſona Filij, & Spiritus ſancti, fœcunditatem naturæ diuinæ non exercet generando. Ergo in ratione generatiuæ eſt in ſolo Patre, & nõ in Filio, neque in Spiritu ſancto.

10 Idem dicendum eſt de potentia ſpiratiua, nimirùm, quòd eſt in Patre, & in Filio, & in Spiritu ſancto in ratione potentiæ, in ratione verò ſpiratiuæ, tantummodò in Patre, & in Filio, & non in Spiritu ſancto.

11 Dico quartò. Potentia generatiua, ſpiratiua, creatiua & productiua, nõ ſunt plures potentiæ Dei ſpecies, quaſi ſint partes ſubiectiuæ reſpectu vnius potentiæ veluti generice communis, ſed ſunt vna numero omnipotentia, ſecundùm diuerſa connotata, diuerſoſquè terminos.

12 Probatur; quia Deus dicitur formaliter potens per intellectum, & voluntatem, quatenùs ſunt facultates fœcundæ; quòd verò dicatur creans, ſeù eius potẽtia denominetur creatiua; hoc prouenit ratione modi producendi, quia ſcilicet, id, quod producitur ex omni nihilo, ponitur in eſſe, & in ſuo eſſe eſt ſubſiſtens; denominatur verò generatiua; quia per intellectum fœcundum Patris producitur Verbum, non ex nihilo, ſed de ſubſtãtia Dei, non tanquàm de materia, ſed vt conſubſtantiale, ſeù vt idem cum eſſentia Patris, & vt imaginem, & ſimilitudinem eiuſdem. Denominatur quoquè potentia ſpiratiua, quia Pater, & Filius per voluntatem fœcundam producunt Spiritum ſanctum non ex nihilo, vt de Verbo diximus, ſed vt conſubſtantialem Patri, & Filio per modum impulſus &c. Ergo iam habetur, quòd Deus dicitur formaliter potẽs per intellectum, & voluntatem, quatenùs fœcunditatem habent, & diuerſa eiuſdem potentiæ denominatio oritur non ex ratione formali potentiæ, ſed ex diſtinctis connotatis, & terminis, à quibus, & ad quos.

13 Sed contra iſtam determinationem obijciet aliquis primò contra primum dictum. Si potentia generatiua, & potẽtia ſpiratiua formaliter, ſeù quaſi ſpecificè diſtinguuntur. Ergo tres perſonæ diuinæ non eſſent æquales ſecundùm potentiam. Hoc nefas eſt dicere. Ergo. Probatur ſequela; quia potentia generatiua eſt in ſolo Patre; Potentia ſpiratiua eſt tantùm in Patre & Filio; & in Spiritu ſancto nulla harum potentiarum inuenitur. Etenim Spiritus ſanctus neque dicitur potens generare, neque potens ſpirare. Ergo non ſunt æquales ſecundũ potentiam.

14 Reſpondetur ad hoc argumentum, relictis aliorum dicendi modis, explicando ſuppoſitum antecedentis. Potentia generatiua, & potentia ſpiratiua formaliter, ſeù quaſi ſpecificè ratione denominationis generatiuæ ſcilicet, & ſpiratiuæ diſtinguuntur, concedo ſuppoſitum antecedentis. Formaliter, ſeù quaſi ſpecificè in ratione formali potentiæ diſtinguuntur, nego ſuppoſitum antecedentis. Ergo &c. nego conſequentiam. Et ratio negationis eſt; quia in Filio, vt iam dicebamus, & in Spiritu ſancto, licèt non ſit potentia generatiua ſecundùm denominationem generatiuæ, eſt tamen ſecundùm rationem formalem potentiæ; & ſimiliter in Spiritu ſancto, licèt, non ſit potentia generatiua, neque potentia ſpiratiua in ratione generatiuæ, & ſpiratiuæ, eſt tamen in ratione potentiæ. Et hoc eſt, quod D. Thomas in hac quæſt. art. 6. vbi quærit, *Vtrum Filius ſit æqualis Patri ſecundùm potentiam*, docet in reſpõſ. D. Thom.

ad

ad 3. ſic dicens. *Sicut eadem eſſentia, quæ in Patre eſt paternitas, in Filio eſt filiatio, ita eadem eſt potentia, qua Pater generat, & qua Filius generatur. Vnde manifeſtũ eſt, quòd quidquid poteſt Pater, poteſt Filius, non tamen ſequitur, quòd poſſit generare, ſed mutatur quid in ad aliquid. Nam generatio ſignificat relationem in diuinis. Habet ergo Filius eamdem potentiam, quàm Pater, ſed cum alia relatione, quia Pater habet eam vt dans, & hoc ſignificatur, cum dicitur, quòd poteſt generare; Filius autem habet eam, vt accipiens, & hoc ſignificatur, cum dicitur, quòd poteſt generari.* Sed huius profundi ſermonis intelligentiam vide in Cõmẽtario eiuſdẽ articuli.

15 Obijciet ſecundò contra quartum dictum. Omnipotentia habet pro obiecto ſibi adæquato, poſſibile, vt docet D. Thomas ſupra, q. 25. art. 3. & nos in Commẽtario eiuſdẽ articuli diximus, quòd poſſibile quatenùs eſt adæquatus omnipotẽtię terminus, idem ſonat, ac factibile, vnde diximus, quòd in hoc ſenſu Deus nõ eſt poſſibilis, ſed potiùs impoſſibilis, ideſt, infactibilis: ſed obiectum potẽtiæ generatiuę, & potentię ſpiratiuæ non eſt poſſibile in hac acceptione. Ergo potẽtia generatiua, & potentia ſpiratiua, veluti ſpecificè diſtinguuntur ab omnipotentia.

16 Reſpondetur, negando maiorẽ; & ad eius probationẽ dico, D. Thomã eo loci locutũ fuiſſe de omnipotentia, quatenùs cõuenit Deo, vt vnus eſt, non autẽ quatenùs cõuenit Deo, vt vnus, atque etiam Trinus eſt. Vnde tractatus de potentia Dei poſitus eſt ante 27. qu. vbi omnes quæſtiones ſunt de Deo vt vno, quapropter, à prima quæſtione huius primæ partis vſquè ad 26. incluſiuè, vocatur tractatus de abſolutis.

17 Dices. Quinam ergo erit terminus adæquatus omnipotẽtiæ Dei ſecundùm quòd eſt vnus, & trinus?

18 Dico, eſſe producibile; quoniam ſub hoc termino continetur omne factibile, ſeù contingens, & omne neceſſarium.

19 Dices. D. Thomas ſupra, quæſt. 27. ar. 5. ad 1. ait, quòd potentia eſt principiũ agendi in aliud. Vnde ſecundũ potentiã accipitur actio ad extra; Et ſic ſecundũ attributum potentiæ non accipitur proceſſio diuinæ perſonę, ſed ſolũ proceſſio creaturarũ. Ergo potentia generatiua, & potentia ſpiratiua nõ ſunt omnino idem in ratione potentię. Probatur conſequẽtia; quia D. Thomas ſic locutus eſt, in quæſt. 27. vbi iam ex profeſſo tractat de Deo Trino. D. Thom.

20 Dico; D. Thomã etiã in q. 27. art. 5. ad 1. nomine potentiæ, intelligere potẽtiã, pro vt eſt attributũ Dei vt vnus eſt, quoniã vbicunquè nominat potẽtiã abſolutè, intelligit potentiã, ſecundũ quòd conuenit Deo abſolutè. Etenim potentia ſine vllo addito prolata, eſt de numero abſolutorum; quando verò dicitur potentia generatiua, aut potentia ſpiratiua, eſt de numero mixtorum; quia quamuis vtraquè potentia in recto dicat aliquod abſolutùm, tamen, vtraque cõnotat relationem.

DISPVTATIO CCXX.

VTRVM VERVM SIT, QVOD VNA PERSONA DIVINA ſit in alia ſecundùm eſſentiam, relationem, & originem.

Per vnicum caput expedita.

CAPVT VNICVM.

Breuis Determinatio Veritatis.

1 DIVVS Thomas in corp. art. 5. huius quæſt. explicauit, & affirmauit ſecũdùm tres prę fatos modos, vnam perſonã diuinam eſſe in alia, & Theologi varijs nominibus inexiſtentiam vnius perſonæ in alia circumlocuti ſunt; vnde quidam vocant circuminceſſionem, eò quia, vna perſona ſic eſt in alia, vt in ipſa maneat cum quiete; & quia, tunc ſolemus dicere aliquem alicubi cum quiete manere, quando ſedet; idcirco dũ ſic, vna perſona dũ eſt in alia, ille eſsẽdi modus dicitur ſeſſio. Et quoniã, etiam è cõtra illa pſona, D.Thom.

in qua

Digitized by Google

in qua eſt vna, eſt etiam in illa vna; & propterea, modus eſſendi vnius perſonæ in alia, vocatur circuminſeſſio, quia videlicèt, ſeſſio eſt per circuitum, ſeù per circulum vnius ſcilicet, in altera, & alterius in vna. Vocant quoque circumincesſionem, ideſt, circularem ambulationem, propter hoc, quia ab exiſtẽtia vnius perſonæ in alia, fit reditus alterius in vnã. Et propter eamdem rationem alij vocãt reciprocam inexiſtẽtiam, circuitionẽ, & circulationẽ. Et poſtquã D. Th. aſſignat tres modos huius circuminſeſſionis.

Aureol. 2 Aureolus in 1. diſt. 19. artic. 1. omnes tres præfatos D. Thomæ modos impugnauit. Communiter tamen Theologi D. Thomam ſequuntur, vnde,

3 Pro determinatione veritatis, Dico primò. Vna perſona diuina eſt in alia ſecundùm eſſentiam, ideſt, ſecundùm primum eſſendi modum à D. Thoma aſſignatũ.

4 Probatur ratione D. Thom. hìc poſita, D. Thom. & in 1. diſt. 19. q. 3. artic. 2. ſubtiliter, vbertimquè aſſignata; & ſic proponitur. Vna perſona diuina eſt per ſe ſubſiſtens, realiter ab alia diſtincta in ratione perſonæ; & eſt conſubſtantialis alteri ratione vnius eſſentiæ diuinæ communis omnibus perſonis. Ergo vna perſona diuina eſt in alia conſubſtantialiter, ſicut vnum conſubſtantiale ſubſiſtens, eſt in alio conſubſtantiali ſubſiſtente. Antecedens apud omnes debet eſſe verum. Probatur conſequentia; quia, quòd vna perſona ſit realiter ab alia diſtincta, hoc eſt ex ratione relatiuæ oppoſitionis; quòd verò vna ſit conſubſtantialis alteri, hoc eſt ex ratione vnius eſſentiæ communis, omnibuſquè identificatæ. Tunc vltra. Sed hoc intelligit D. Thomas per modum eſſendi vnius perſonæ in alia ſecundùm eſſentiam. Ergo bonus, ac firmus eſt modus primus eſſendi vnius perſonæ in alia, bene, firmiterquè à D. Th. probatus.

5 Dico ſecundò. Vna perſona diuina eſt in alia ſecundùm relationem; & eſt ſecũdus modus à D. Thoma poſitus.

Probatur. Quamuis relatiua ad inuicem relatiuè opponantur, tamen recta, & præſertim intuitiua, & comprehenſiua relatiuorum cognitio eſt ſimul cum cognitione alterius correlatiui. Ergo vna perſona diuina eſt in alia ſecundum relationem. Antecedens non ſolùm ex Philoſophicis patet, verum etiam (de diuinis enim loquimur) ipſa Sacra Scriptura teſtatur. Hoc enim voluit omnium Magiſter, & Dominus inſinuare, dùm Philippum de myſterio Trinitatis inſtruens, ſic locutus eſt. *Qui videt me, videt & Patrem*. Ioan. 14. Quaſi diceret, non poteſt intuitiuè vna perſona relatiua videri, niſi ſimul altera perſona ad quam refertur, videatur. Probatur autem conſequentia; quia hoc intelligit Diuus Thomas, cum docet, vnam perſonam eſſe in alia ſecundùm relationem, ideſt, vnam perſonam eſſe in alia ſecundùm cognitionem, quia vna videtur in alia, & alia in vna. Vnde cum dixit, quòd *vnum oppoſitorum relatiuè eſt in altero ſecundùm intellectum*, ly, *ſecundùm intellectum*, non debet accipi quaſi actiuè, ita vt ſenſus ſit, quòd vna perſona eſt in alia relatiuè ſecundùm intellectum, ideſt, ſecundùm fictionem intellectus; hoc enim non ſaluat circuminceſſionem de qua Chriſtus Dominus à nobis petit fidem; vult enim vt fide teneamus vnam perſonam in alia. Quandoquidem ſic locutus eſt Ioannis 14. *Non credis, quia ego in Patre, & Pater in me eſt*. Ioan. 14. Accipitur igitur ly, *ſecundùm intellectum*, quaſi paſſiuè, ita vt ſenſus ſit, quòd relatiuè oppoſita, vnum eſt in altero ſecundùm vtriuſquè intelligibilitatem.

6 Dico tertio. Vna perſona diuina eſt in altera ſecundũ originem, ideſt, ſecũdũ ꝙ vna perſona producta eſt in perſona ꝓducente tanquã in principio, vel perſona producens eſt in perſona producta, ſicut principiũ in ſuo termino intraneo. & hic eſt tertius modus à D. Thoma poſitus.

7 Probatur; quia perſona producta in diuinis nõ producitur per actionẽ trãſeũtẽ in exteriorem materiã, ſed per actionem immanentẽ, vt perſona eiuſdẽ naturę cũ perſona producente. Ergo perſona ꝓducẽs eſt in producta vt principium in ſuo termino; Et perſona producta, vt terminus in ſuo principio.

8 Confirmariq; poteſt, ex illo Io. 1. *In principio erat Verbũ, & Verbũ erat apud Deũ*. Ioan. 1. Ecce ſeſſio Filij in Patre. *In principio*, ideſt, in Patre, qui eſt principiũ Verbi, ꝙ eſt terminus ꝓductus à Patre, *Erat Verbũ*, ideſt, Verbũ, ꝙ eſt terminus ꝓductus à Patre, erat in Patre, vt ĩ pricipio ſuo. Quare &c.

8 Sed cõtra iſtã determinationẽ ſũt argumẽta Aureoli. Vnde obijciet aliqs cõtra Aureol. primũ modũ à D. Th. poſitũ ex Aureolo. Diſcurſus D. Th. nullus eſt. Ergo. Probatẽ antecedẽs; quia diſcurſus D. Th. eſt iſte. Pater eſt eſsẽtia; eſsẽtia Patris eſt in Filio. Ergo Pater eſt in Filio: ſed iſte diſcurſus nõ eſt bonꝰ. Ergo. ꝓbatur minor primò; quia eſsẽtia Patris nõ eſt ĩ Filio vt pſona ſubſiſtẽs in alia pſona ſubſiſtẽte. Ergo nõ benè cõcludit D. Th. ex hoc, ꝙ eſsẽtia Patris eſt in Filio, Pater eſt in Filio, ſicut ſubſiſtẽs ĩ alio ſubſiſtẽte. Añs pater; qa eſsẽtia diuina eſt ĩ Filio ſicut nta ĩ ſuppoſito.

10 Secundò probatur eadem minor: & etiam militat contra concluſionem: Si

eſſet bonus præfatus D. Thomæ diſcurſus, ſequeretur, quòd etiam eſſet verum dicere, quod Filius eſt in ſe ipſo per circuminſeſſionem, & quod Filius eſt in eſſentia; hoc non eſt dicendum: Ergo. Probatur ſequela, quia eſſentia eſt in Filio ; Filius eſt ſua eſſentia. Ergo Filius eſt in ſe ipſo. Vel Filius eſt eſſentia; Ergo Filius eſt in eſſentia.

11 Reſpondetur, diſcurſum D. Thomæ eſſe rectum, & Aureolum non rectè diſcurrere, atque ab intelligentia D. Thomæ manifeſtè deficere. Non enim ille eſt D. Thomæ diſcurſus, quem formauit Aureolus, ſed eſt iſte. Pater eſt ſua eſſentia, quæ quidem eſſentia eſt vna communis identicè tribus diuinis perſonis; ideoque Pater communicans eſſentiam ſuam Filio, ab eſſentia ſua nullatenus ſeparatur. Ergo quia Pater eſt perſona realiter diſtincta à Filio, dum communicat eſſentiã ſuam Filio, eſt in Filio, vt ſubſiſtens, in alio ſubſiſtente per conſubſtantialitatem, ſeu conſubſtantialiter.

12 Reſpondetur igitur ad argumentum, negando antecedens. Ad cuius primam probationem reſpondetur primò, negãdo maiorem. Nõ enim diſcurſus D. Thomæ eſt ille, quem Aureolus format, ſed quẽ D. Thomas exprimit, vt iã nu. præc. declarauimus. Reſpõdetur ſecundo, ſuppoſito diſcurſu ſincero D. Thomæ, concedendo maiorem, & negando minorẽ. Ad cuius primam probationem, explico antecedens. Eſſentia diuina non eſt in Filio, vt perſona ſubſiſtens in alia perſona ſubſiſtente, eſt tamen vt vna numero natura cõmunis tribus perſonis, ac proinde, tanquàm principium, ſeu ratio cõſubſtantializans vnam perſonam in alia, concedo antecedens. Non vt vna numero natura communis tribus perſonis, ac proinde, neque vt principium, ſeu ratio conſubſtantializans vnam perſonam in alia, nego antecedens. Ergo &c. nego conſequentiam.

13 Ad ſecundam eiuſdem minoris probationem reſpondetur, negando ſequelam quò ad vtramque partem. Etenim diſcurſus D. Thomæ, dicit, & includit neceſſariò duo, nempè vnam numero eſſẽtiam diuinam communem tribus perſonis, ſeu ſuppoſitis; & trium perſonarum, ſeu trium ſuppoſitorum ad inuicem realem diſtinctionem. Vnde licèt, ſequatur ex identitate vnius naturæ diuinæ tribus ſuppoſitis communis, quòd Filius ſit in ſe ipſo, & eſſentia in Filio, atque è regione, Filius in eſſentia per identitatem, non tamen inde ex diſcurſu D. Thomæ infertur, quòd Filius eſſet in ſe ipſo, aut in eſſentia per circuminſeſſionem; quoniam ad hũc eſſendi modũ ſpectat identitas vnius naturę diuinę, & plurium perſonarum diſtinctio realis.

14 Dices. D. Thomas probat Patrem eſſe in Filio quia in Filio eſt eſſentia Patris. Ergo eſſentia eſt in Filio per circuminſeſſionem, & ſic etiam Filius erit in eſſentia. Probatur conſequentia; quia D. Thomas ideo probat, quòd Pater eſt in Filio per circuminſeſſionem ſecundùm eſſentiam, quia eſſentia eſt in Filio.

15 Reſpondetur, explicando antecedens. D. Thomas probat, quod Pater eſt in Filio conſubſtantialiter, quia in Filio eſt eſſentia Patris, vt ratio conſubſtantializãs, concedo antecedens. Vt ſubſiſtens in ſubſiſtente, nego antecedens. Ergo &c. nego conſequentiam. Non enim valet ſic arguere. Eſſentia diuina, vt in Patre eſt ratio, qua Pater generat. Ergo eſſentia generat. Sicuti neque valet ſic arguere. Eſſentia diuina prout eſt in Patre eſt id, quo Pater generat. Ergo Pater non eſt id, quod per potentiam generatiuam generat; eo quia, fit tranſitus a ratione agendi, ſeu à principio quo, ad agens, & ad principium quod. Ita ſimiliter in caſu noſtro, D. Th. deducit, quòd Pater eſt in Filio conſubſtantialiter, eò quia eſſentia Patris vna numero &c. cõmunicatur Filio, ſeu eſt in Filio, non vt id, quod eſt per circuminſeſſionem conſubſtantialiter, cum alio ſubſiſtente conſubſtantiali, ſed vt ratio eſſendi; quia, vt diximus, diuina eſſentia eſt ratio conſubſtantializãs omnes tres diuinas perſonas ad inuicem.

16 Dices. Ex hac doctrina ſequitur, quòd Pater eſt in Filio per identitatem, ſeu ꝙ Pater, & Filius ſunt vnum in eſſentia, nõ autem, ꝙ Pater eſt in Filio. Item. Eſſentia vt conſubſtantializãs eſt Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus. Ergo debet dici, quòd eſſentia Patris non eſt Filius, non autem; quòd eſſẽtiã Patris ſit in Filio.

17 Reſpondetur, negando ſecũdam partẽ vtriuſque ſequelę. Etenim per hoc, quod eſſentia diuina eſt ratio conſubſtantializationis, vtrumq; colligitur; & quod ſit Filius; & quod ſit in Filio. Primum, ratione ſimplicis identitatis. Secundum, ratione formalitatis. Quandoquidem, ſi formaliter loqui velimus, Filius prout hoc nomine, Filius, nominatur, iam conſideratur vt ſuppoſitum, & eſſentia diuina, quatenùs nomine eſſentiæ nuncupatur, iam habet cõceptum naturæ; & ſic, quia natura formaliter non eſt ſuppoſitum, licèt realiter ſit ſuppoſitum; idcirco, in theologica formalitate ſiſtendo, formaliùs dicitur, quòd eſſentia eſt in Filio in caſu noſtro, quàm quòd eſſentia eſt Filius.

Obij-

Digitized by Google

18 Obijciet ſecundò contra ſecundum dictum. Relatiuum, vt relatiuum, eſt ad aliud, id eſt, ad ſuum terminum, ſed perſona Patris eſt relatiua ad Filium. Ergo perſona Patris non eſt in Filio ſecūdùm relationem. Maior & minor claræ ſunt. Probatur iſta conſequentia; quia eſſe ad aliud, non eſt eſſe in illo. Ergo ſi perſona Patris eſt ad Filium, non eſt in Filio.

19 Confirmatur. Pater, & Filius opponuntur relatiuè. Ergo neuter eſt in alterò ſecundùm relationem. Patet conſequentia, quia quæ opponuntur ad inuicem, ab eodem ſe excludunt.

20 Reſpondetur ad argumentum, concedendo maiorem, & minorem, negando verò conſequētiam. Ad cuius probationem, diſtinguo, ſeù explico antecedens. Eſſe ad aliud, non eſt eſſe in illo, ſubiectiuè, concedo antecedens. Non eſt eſſe in illo terminatiuè, & ſecundùm ſimultaneam intelligibilitatem, nego antecedēs. Ergo &c. nego conſequentiam. Vel ſimiliter diſtinguendum eſt conſequens.

21 Ad confirmationem reſpondetur cōcedendo antecedens, & diſtinguendo conſequens. Ergo neuter eſt in altero, ſubiectiuè, concedo conſequentiam. Per circuminceſſionem ſecundùm relationem, ſeu terminatiuè; & ſecundùm ſimultaneam intelligibilitatem, nego conſequentiam.

22 Obijciet tertiò cōtra tertium dictū. Filius eſt à Patre procedēs, & Pater nō eſt procedens. Ergo neuter eſt in altero per circuminceſſionem ſecūdùm originem.

23 Reſpondetur, concedendo antecedēs, & negando conſequentiam, & ratio negationis eſt, quia eſſe per circuminceſſionem ſecūdum originem ſic intelligitur, ſecundùm orginem actiuè; & paſſiuè. Actiuè, ex parte perſonæ producentis in perſona producta; paſſiuè autē, ex parte perſonæ ꝓductæ, in perſona producēte.

QVÆSTIO XLIII.

DE MISSIONE DIVINARVM PERSONARVM.

IN OCTO ARTICVLOS DIVISA.

DEinde conſiderandum de miſſione diuinarum perſonarum.

Et circa hoc quæruntur octo.

¶ Primò, vtrum alicui diuinæ perſonæ conueniat mitti.

¶ Secundò, vtrum miſſio ſit æterna, vel temporalis tantùm.

¶ Tertiò, ſecundùm quid diuina perſona inuiſibiliter mittatur.

¶ Quartò, vtrum cuilibet perſonæ conueniat mitti.

¶ Quintò, vtrum inuiſibiliter mittatur, tàm Filius, quàm Spiritus ſanctus.

¶ Sextò, ad quos fiat miſſio inuiſibilis.

¶ Septimò, de miſſione viſibili.

¶ Octauò, vtrum aliqua perſona mittat ſeipſam viſibiliter, aut inuiſibiliter.

FORMATIO ARTICVLI.

BIpartita eſt corporis diſtributio. Primò, explicat quot requiſitur in ratione miſſionis, & ea explicat. Secūdò, reſpondet vnica cōcluſione bimembri, quam ex preſup-

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum alicui perſonæ diuinæ conueniat mitti.

AD *primum ſic proceditur, videtur quod perſona diuina non conueniat mitti: miſſus enim minor eſt mittente; ſed vna perſona diuina non eſt minor alia: ergo vna perſona non mittitur ab alia.*

2 Præ-

poſito ſupponit probatam, iterumquè declarat.

Quò ad primum ſic ait. *In ratione miſſionis duo importantur. Quorum vnum eſt habitudo miſſi ad eum, à quo mittitur &c.* Lege litteram vſquè ad illa verba, *priùs nō erat*, incluſiuè.

Quò ad ſecūdum, cōcluſio bimembris eſt iſta. *Miſſio, diuinæ perſonæ cōuenire poteſt, ſecundùm quòd importat ex vna parte proceſſionem originis à mittēte, & ſecundùm quòd importat ex alia parte nouum modum exiſtendi in alio.*

Declaratio eſt iſta. *Sicut Filius eſt miſſus à Patre &c.* Lege litteram vſquè ad finem corporis.

Ad primum argumentum reſpondet, diſtinguendo maiorem. *Miſſus ſecundùm imperium, aut ſecundū cōſilium, minor eſt mittente*, concedit maiorem. *Miſſus*, ſecundū quòd miſſio importat proceſſionē originis, quæ eſt ſecundùm æqualitatem, *minor eſt mittente*, negat maiorem. Tunc conceſſa minori, negat conſequentiam.

Ad ſecundum argumentum reſpondet, diſtinguēdo maiorem. *Omne quod ſic mittitur*, vt incipiat eſſe vbi priùs nullò modo erat, *ſeparatur à mittente*, concedit maiorem. *Omne quòd ſic mittitur*, vt non incipiat eſſe vbi priùs non fuerat, nec deſinat eſſe, vbi fuerat, *ſeparatur à mittente*, negat maiorē. Tunc conceſſa minori, negat conſequentiam.

Ad tertium argumentum reſpondet, diſtinguendo maiorem. *Quicunquè mittitur* ſecundùm motum localem, *ab aliquo loco diſcedit*, concedit maiorem. *Quicunquè mittitur* ſecundùm originem, quæ eſt ad intra, & ſecundùm æqualitatem, *ab aliquo loco diſcedit*, negat maiorē. Tunc conceſſa minori, negat conſequentiam.

2 Præterea. Omne, quod mittitur ſeparatur à mittente: vnde Hieron. dicit ſuper Ezech. Quod coniunctum eſt, & in corpore vno copulatum, mitti non poteſt; ſed in diuinis perſonis nihil eſt ſeparabile, vt Hilar. dicit: ergo vna perſona non mittitur ab alia.

3 Præterea. Quicunque mittitur, ab aliquo loco diſcendit, & ad aliquem locum de nouo vadit; hoc autem diuinæ perſonæ non conuenit, cum vbique ſit: ergo diuinæ perſonæ non conuenit mitti.

Sed contra eſt, quod dicitur Ioan. 8. Non ſum ego ſolus, ſed ego, & qui miſit me Pater.

Reſpondeo dicendum, quod in ratione miſſionis duo importātur, quorum vnum eſt habitudo miſſi ad eum, à quo mittitur; aliud eſt habitudo miſſi ad terminum, ad quem mittitur: per hoc autem, quod aliquis mittitur, oſtenditur proceſſio quædā miſſi à mittente: vel ſecundum imperium, ſicut Dominus mittit ſeruum: vel ſecundum conſilium, vt ſi Conſiliarius mittere dicatur Regem ad bellandum: vel ſecundum originem, vt ſi dicatur, quod flos emittitur ab arbore. Oſtenditur etiam habitudo ad terminum ad quem mittitur, vt aliquo modo ibi eſſe incipiat, vel quia incipit ibi aliquo modo eſſe, quo prius non erat. Miſſio igitur diuinæ perſonæ conuenire poteſt ſecundum quod importat ex vna parte proceſſionem originis à mittente, & ſecundum quod importat ex alia parte nouum modum exiſtendi in alio. Sicut Filius dicitur eſſe miſſus à Patre in mundum, ſecundum quod incæpit in mundo eſſe per carnem aſſūptam, & tamen ante in mundo erat, vt dicitur Ioan. 1.

Ad primum ergo dicendum, quod miſſio importat minorationem in eo, qui mittitur, ſecūdum quod importat proceſſionem à principio mittente, aut ſecundum imperium, aut ſecūdum conſilium, quia imperans eſt maior, & conſilians eſt ſapientior, ſed in diuinis non importat niſi proceſſionem originis, quæ eſt ſecundum æqualitatem, vt ſupra dictum eſt.

Ad ſecundum dicendum, quod illud, quod ſic mittitur, vt incipiat eſſe, vbi prius nullo modo erat, ſua miſſione localiter mouetur: vnde oportet, quod loco ſeparetur à mittente; ſed hoc non accidit in miſſione diuinæ perſonæ, quia perſona diuina miſſa, ſicut non incipit eſſe, vbi prius non fuerat, ita nec deſinit eſſe, vbi fuerat: vnde talis miſſio eſt ſine ſeparatione; ſed habet ſolam diſtinctionem originis.

Ad tertium dicendum, quod obiectio illa procedit de miſſione, quæ fit ſecundum motum localem, quæ non habet locum in diuinis.

SVPER ARTICVLVM COMMENTARIVM.

1 IN *ratione miſſionis*, ſubaudi propriè, aut magis propriè acceptæ, duo importantur, ideſt, duo eſſentialiter explicantur.

2 *Vnum, eſt habitudo miſſi ad eum, à quo mittitur*; & infra, *Miſſio igitur diuinæ perſonæ conuenire poteſt, ſecundùm quòd importat ex vna parte proceſſionem originis à mittente.* Vbi aduerte D. Thomam non eſſe ſibi contrarium, per hoc, quòd in octauo huius quæſtionis articulo, vbi quærit, *Vtrum aliqua perſona diuina mittatur, niſi ab ea, à qua procedit æternaliter*, & referens duas doctorum opiniones, affirmatiuā vnam, negatiuam alteram, reſpondet, vtram-

vtramquè habere aliquo modo veritatem; ac per conſequens, ſi eſt aliquo modo verum, quòd aliqua perſona diuina dicitur miſſa ab alia, à qua non procedit, non videretur verum, eſſe de ratione miſſionis habitudinem perſonæ miſſę à perſona mittente, ſecundùm quod miſſio importat proceſſionem originis à mittente. Non inquam, dicendum eſt, D. Thomam ſibi aduerſarij; eò quia hic & in omnibus articulis eiuſdem quęſtionis vſquè ad ſeptimum incluſiuè, loquitur de miſſione propriè, ſeù magis propriè accepta; & in articulo octauo dum affirmantem ſaluat opinionem, loquitur de miſſione impropriè, ſeù minus propriè accepta. Vide commentarium articuli octaui; ac ſpecialem de hac re diſputationem in fine.

3 Quid igitur ſit miſſio; ex ijs, quæ D. Thomas in tota hac quæſtione docet, manifeſtè colligitur; ſicquè miſſio deſcribi, ſeù definiri poteſt. *Eſt proceſſio, ſeù exitus alicuius perſonæ diuinæ ab alia, vel à qua procedit, cum nouo modo eſſendi in rationali creatura*. *Miſſio* accipitur paſſiuè; & propterea ponitur ly, *proceſſio*, ſeù, *exitus*. Ponitur ly, *alicuius perſonæ diuinæ*, ad excludendam eſſentiam diuinam, quæ non procedit; Ponitur ly, *alicuius perſonæ diuinæ*; & non dicitur omnium perſonarum, ſed alicuius, aut aliquarum, ad excludẽdam perſonã Patris, quę licèt ſit perſona diuina, tñ Patri non conuenit mitti, quia à nulla alia pſona ꝓcedit. Ponitur ly, *ab alia*, ſi ſermo ſit de miſſione communiter dicta, pro vt ſcilicet, ſe extendit ad miſſionem propriè, & impropriè, aut magis propriè & minùs propriè acceptam. Ponitur ly, *vel à qua procedit*, ſi ſermo ſit de miſſione propriè, ſeù magis propriè conſiderata. Ponitur ly, *cum nouo modo eſſendi in rationali creatura*, ad oſtẽdendum, quòd miſſio non in ſola proceſſione ad intra ſiſtit, ſed etiam in temporali exitu tota miſſionis ratio completur. Vide ſequentis articuli commentarium num. 3.

FORMATIO ARTICVLI.

Bipartita eſt corporis diſtributio. Primò, prẹmittit diſtinctionem trimembrem; Secundò, iuxta trimembrẽ diſtinctionem, trimembrem quoquè ponit concluſionẽ, & probat.

Quò ad primum ſic ait. *In his quæ important originem diuinarum perſonarum, eſt quædam differentia attendenda: Quædam enim &c.* Lege litterã vſquè ad illa verba, *quòd habeatur*, incluſiuè.

Quò ad ſecundũ, prima concluſio eſt iſta: *Miſſio, & datio in diuinis dicuntur temporaliter tantùm*.

Probatio eſt iſta. Quia *perſonam diuinã haberi ab aliqua creatura, vel eſſe nouo modo exiſtendi in ea, eſt quodam modo temporale*. Ergo *miſſio & datio & cæt.*

Secunda concluſio eſt iſta. *Generatio, & ſpiratio ſolùm ab æterno.* Patet ex prẹſuppoſitis in diſtĩctione.

Tertia concluſio eſt iſta. *Proceſſio, & exitus dicuntur in diuinis, & æternaliter, & temporaliter.*

Probatio eſt iſta; & quidem quò ad primam partem; Quia *Filius proceſſit vt ſit Deus*. Ergo. Quò ad ſecundam verò partem. Quia *Filius proceſſit temporaliter, vt ſit homo ſecundùm miſſionem viſibilem, vel etiam vt ſit in homine ſecundùm inuiſibilem miſ-*

ARTICVLVS SECVNDVS.

Vtrum miſſio ſit æterna, an temporalis tantùm.

AD ſecundum ſic proceditur, videtur quòd miſſio poſſit eſſe æterna: dicit enim Gregor. eo mittitur Filius, quo generatur, ſed generatio Filij eſt æterna: ergo & miſſio.

2 Præterea. Cuicunque conuenit aliquid temporaliter, illud mutatur; ſed perſona diuina non mutatur: ergo miſſio diuinæ perſonæ non eſt temporalis, ſed æterna.

3 Præterea. Miſſio proceſſionem importat; ſed proceſſio diuinarum perſonarum eſt æterna: ergo & miſſio.

Sed contra eſt, quod dicitur Galat. 4. Cum venit plenitudo temporis miſit Deus Filium ſuum.

Reſpondeo dicendum, quod in his, quæ important originem diuinarum perſonarum, eſt quædam differentia attendenda. Quædam enim in ſui ſignificatione important ſolam habitudinem ad principium, vt proceſſio, & exitus. Quædam verò cũ habitudine ad principium determinant proceſſionis terminum. Quorum quædam determinant terminum æternum, ſicut generatio & ſpiratio: nam generatio eſt proceſſio diuinæ perſonæ in naturam diuinam; & ſpiratio paſſiuè accepta importat proceſſionem amoris ſubſiſtentis. Quædam verò cum habitudine ad principium importãt terminum temporalem, ſicut miſſio, & datio. Mittitur enim aliquid ad hoc, vt ſit in aliquo, & datur

miſſionem.

Ad primum argumentum reſpondet primò, explicando authoritatem Gregorij. *Eo mittitur Filius, quo generatur* generatione temporali, cõcedit, & in hoc sẽſu locutus eſt Gregorius. *Eo mittitur Filius, quo generatur;* generatione æterna, negat, & in hoc ſenſu non locutus eſt Gregorius.

Secundò; *Eo mittitur Filius &c.* ideſt, *Eo hoc ipſo Filius habet, quòd poſſit mitti, quòd eſt ab æterno genitus;* concedit. Ex hoc ipſo Filius habet, vt mittatur, quòd eſt ab æterno genitus, negat. D. Gregorius interpretandus eſt in primo, non in ſecundo ſenſu.

Ad ſecundùm argumentum reſpondet, diſtinguẽdo maiorem. *Cuicunquè cõuenit aliquid temporaliter*, illud, vel aliud per ipſum *mutatur*, concedit maiorem. *Illud*, ſemper mutatur, negat maiorem; Tunc conceſſa minori, negat conſequentiam.

Ad tertium argumentum reſpondet, diſtinguendo maiorem. *Miſſio proceſſionẽ* à mittente, & terminum ad quẽ fit miſſio *importat*, concedit maiorem. *Miſſio proceſſionem* à mittente, & non plus vltra *importat*, negat maiorem. Tunc conceſſa minori, negat conſequentiam. Vel diſtinguit conſequens. Ratione proceſſionis, cõcedit conſequentiam. Ratione termini, negat conſequentiam.

datur ad hoc, quod habeatur; perſonam autem diuinam haberi ab aliqua creatura, vel eſſe nouo modo exiſtendi in ea, eſt quoddam temporale: vnde miſſio & datio in diuinis, dicuntur temporaliter tantum. Generatio autem, & ſpiratio ſolum ab æterno: proceſſio autem, & exitus dicuntur in diuinis, & æternaliter, & temporaliter: nam Filius ab æterno proceſſit, vt ſit Deus: temporaliter autem, vt etiam ſit homo ſecundum miſſionẽ viſibilem, vel etiam vt ſit in homine ſecundum inuiſibilem miſſionem.

Ad primum ergo dicendum, quod Gregor. loquitur de generatione temporalis Filij, non à Patre, ſed à Matre; vel quia ex hoc ipſo Filius habet, quod poſſit mitti, quod eſt ab æterno genitus.

Ad ſecundum dicendum, quod diuinam perſonam eſſe nouo modo in aliquo, vel ab aliquo haberi temporaliter, non eſt propter mutationem diuinæ perſonæ, ſed propter mutationem creaturæ, ſicut & Deus temporaliter dicitur Dominus propter mutationem creaturæ.

Ad tertium dicendum, quod miſſio non ſolum importat proceſſionem à principio, ſed determinat proceſſionis terminum temporalem, vnde miſſio ſolum eſt temporalis: vel miſſio includit proceſſionem æternam, & aliquid addit, ſcilicet temporalem effectum. Habitudo enim diuinæ perſonę ad ſuum principium non eſt niſi ab æterno: vnde gemina dicitur proceſſio, æterna ſcilicet & temporalis, non propter hoc, quod habitudo ad principium geminetur, ſed geminatio eſt ex parte termini temporalis, & æterni.

SVPER ARTICVLVM COMMENTARIVM.

1 M*ittitur enim aliquid ad hoc, vt ſit in aliquo, & datur ad hoc, quòd habeatur:* Ex quibus verbis habes, quòd quamuis ea, quæ important originem diuinarum perſonarum, cum habitudine ad principium ad terminum temporalem, ſicut miſſio, & datio, dicant ratione principij æternitatem, & ratione termini, temporeitatem, tamen, abſolutè loquendo, huiuſmodi miſſio debet dici temporalis, ſeù creata, & ratio eſt; quia ad hunc finem fit, vt recipiatur, & habeatur ab aliquo, ſed hoc non eſt niſi in tempore. Ergo.

2 *Proceſſio autem, & exitus dicuntur in diuinis, & æternaliter, & temporaliter.* Patet hoc. Et quidem, quòd æternaliter, patet ex illo Ioannis 7. *Ego ex Deo proceſsi.* Ioan. 7. Quòd vero, etiam temporaliter, patet ex illo ad Galat. 4. *Exiui à Patre, & veni in mundum.* Galat. 4.

3 In reſp. ad 3. *Miſſio non ſolùm importat proceſſionem à principio, ſed determinat proceſſionis terminum temporalem. Vnde miſsio ſolùm eſt temporalis.* Per hæc verba confirmat primò, quòd miſſio quamuis præſupponat æternam perſonæ miſſæ proceſſionem, tamen eſt abſolutè temporalis, quia ad hoc fit miſſio perſonæ æternaliter procedentis, vt detur alicui, vel habeatur ab aliquo, quod abſolutè dicendum eſt eſſe temporaneum. Confirmat quoquè, quòd immediatè antea dicebamus, quòd proceſsio non dicit cõpletam rationem miſsionis.

Digitized by Google

ARTICVLVS TERTIVS.

Vtrum miſſio inuiſibilis diuinę perſonæ ſit ſolùm ſecundùm donum gratiæ gratum facientis.

AD tertium ſic proceditur, videtur quod miſſio inuiſibilis diuinæ perſonæ, non ſit ſolum ſecundum donum gratiæ gratum facientis: diuinam enim perſonã mitti, eſt ipſam donari. Si igitur diuina perſona mittitur ſolum ſecundum dona gratiæ gratum facientis, non donabitur ipſa perſona diuina; ſed ſolum dona eius; quod eſt error, dicentium Spiritum ſanctum non dari, ſed eius dona.

2 Præterea. Hæc præpoſitio (ſecundum) denotat habitudinem alicuius cauſæ; ſed perſona diuina eſt cauſa, quod habeatur donum gratiæ gratũ facientis, & non è conuerſo, ſecundum illud Roman. 5. Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis: ergo inconuenienter dicitur, quod perſona diuina ſecundũ dona gratiæ gratum facientis mittatur.

3 Præterea. Auguſt. dicit lib. 4. de Trinitate, quod Filius cum ex tempore mente percipitur, mitti dicitur; ſed Filius cognoſcitur non ſolum per gratiam gratum facientem, ſed etiam per gratiã gratis datam, ſicut per fidem, & per ſcientiam: non ergo perſona diuina mittitur ſecundum ſolam gratiam gratum facientem.

4 Præterea. Rabanus dicit, quod Spiritus ſanctus datus eſt Apoſtolis ad operationem miraculorum: hoc autem non eſt donum gratiæ gratum facientis; ſed gratiæ gratis datæ: ergo perſona diuina non ſolum datur ſecundum gratiam gratũ facientem.

Sed contra eſt, quod Auguſt. dicit lib. 3. de Trinit. quod Spiritus ſanctus procedit temporaliter ad ſanctificandam creaturam; miſſio autem eſt temporalis proceſſio. Cum igitur ſanctificatio creaturæ non ſit niſi per gratiam gratum facientẽ, ſequitur quod miſſio diuinæ perſonæ non ſit niſi per gratiam gratum facientem.

Reſpondeo dicendum, quod diuinæ perſonæ conuenit mitti, ſecundum quod nouo modo exiſtit in aliquo: dari autem ſecundum quod habetur ab aliquo. Neutrum autem horum eſt niſi ſecundum gratiam gratum facientem: eſt enim communis modus, quo Deus eſt in omnibus rebus per eſſentiã, potentiam, & præſentiam, ſicut cauſa in effectibus participantibus bonitatem ipſius. Super iſtum modum autem communem, eſt vnus ſpecialis, qui conuenit naturæ rationali, in qua Deus dicitur eſſe, ſicut cognitum in cognoſcente, & amatum in amante; & quia cognoſcendo, & amando, creatura rationalis ſua operatione attingit ad ipſum Deum, ſecundum iſtum ſpecialem modum Deus non ſolum dicitur eſſe in creatura rationali; ſed etiam

FORMATIO ARTICVLI.

BIpartita eſt corporis diſtributio. Primò, ſtatuit vnam concluſionẽ immediatè reſponſiuam quæſito, eamquè probat. Secundò, ponit duas alias concluſiones, primam concluſionem poſitam declarãtes, & conſequentes, eaſquè probat.

Quò ad primum, concluſio principalis quæſito reſponſiua eſt iſta; *Secundùm ſolam gratiam gratum facientem mittitur, & procedit temporaliter perſona diuina.*

Probatio eſt iſta; quia *diuinę perſonæ cõuenit mitti, ſecundùm quòd nouo modo exiſtit in aliquo; dari autem, ſecundùm quòd habetur ab aliquo: neutrum autem horum eſt, niſi ſecũdùm gratiam gratum facientem.* Ergo *ſecũdùm ſolam gratiam gratum facientẽ &c.* Maiorem ſupponit ex ſupradictis notam. Probat verò minorem. Quia *eſt communis modus quo Deus eſt in omnibus rebus &c.* Lege litteram vſque ad illa verba, *& amatum in amante.* Ergo *ſecundùm ſolam gratiã gratum facientem &c.* Probat conſequentiam. Quia *ſic nullus alius effectus poteſt eſſe ratio, quòd diuina perſona ſit nouo modo in rationali creatura, niſi gratia gratum faciens.* Ergo *ſecundùm ſolam gratiam &c.* Probat antecedens. Quia *ſecundùm iſtum ſpecialem modum Deus non ſolùm dicitur eſſe in creatura rationali, ſed etiam habitare in ea ſicut in templo ſuo.* Ergo *ſic nullus alius effectus poteſt eſſe ratio &c.* Probat antecedens; Nam *cognoſcendo, & amando, creatura rationalis ſua operatione attingit ad ipſum Deum.* Ergo *ſecundùm iſtum ſpecialẽ modum &c.* 2

Quò ad ſecundũ, ſecunda concluſio eſt iſta. Perſona diuina *in ipſo dono gratiæ gratum facientis habetur, & inhabitat hominem.*

Probatio eſt iſta; quia *habere poteſtatem fauendi diuina perſona, eſt ſolùm ſecundum gratiam gratum faciẽtem.* Ergo *in ipſo dono gratiæ gratum faciẽtis &c.* Probat conſequentiam; quia *illud ſolùm habere dicimur, quo liberè poſſumus vti, vel frui.* Ergo &c.

Tertia concluſio eſt iſta. *Ipſemet Spiritus ſanctus datur, & mittitur.* Probatio eſt ex præcedenti concluſione.

Ad primum argumentum reſpondet, concedendo antecedens, & negando cõſequentiam. Et rationem negationis aſſignat; quia *per donũ gratiæ gratũ faciẽtis &c.* Lege litteram.

Ad

Digitized by Google

Ad ſecundum argumentum reſpondet, diſtinguēdo, ſeù explicando maiorē, hoc modo. *Hæc præpoſitio, ſecundùm, denotat habitudinem alicuius cauſæ* effectiuæ, aut diſpoſitiuæ, concedit maiorem. Semper effectiuæ, negat maiorem. Similiter diſtinguenda, ſeù explicanda eſt minor, & neganda eſt conſequentia; vel ſimiliter diſtinguendum eſt conſequens.

Ad tertium argumentum reſpondet, explicando maiorē, & explicatio in hac forma proponitur. *Filius cum ex tempore mente percipitur*, perceptione, qua nos inhabitat, & etiam habetur à nobis, *mitti dicitur*, concedit maiorem. Perceptione, qua Deus nos non inhabitat, neque etiam habetur à nobis, negat maiorem. D. autē Auguſtinus locutus eſt in primo, non autem in ſecundo ſenſu. Similiter explicāda eſt minor, & neganda eſt conſequentia.

Ad quartum argumentum reſpondet, explicando maiorem *Spiritus ſanctus datus eſt Apoſtolis ad operationem miraculorum*, quia data eſt eis gratia gratum faciēs cum ſigno manifeſtante, concedit maiorem. *Ad operationē miraculorum* tantùm, negat maiorem; Rabanus autem locutus eſt in primo, non autem in ſecundo ſenſu. Similiter explicāda eſt minor, & neganda eſt conſequentia.

etiam habitare in ea ſicut in templo ſuo. Sic igitur nullus alius effectus poteſt eſſe ratio, quo diuina perſona ſit nouo modo in rationali creatura, niſi gratia gratum faciens: vnde ſecundum ſolā gratiam gratum facientem mittitur, & procedit temporaliter perſona diuina. Similiter illud ſolū habere dicimur, quo liberè poſſumus vti, vel frui. Habere autem poteſtatem fruendi diuina perſona, eſt ſolum ſecundum gratiam gratum facientem; ſed tamen in ipſo dono gratiæ gratum facientis, Spiritus ſanctus habetur, & inhabitat hominem: vnde ipſemet Spiritus ſanctus datur, & mittitur.

Ad primum ergo dicendum, quod per donum gratiæ gratum facientis perficitur creatura rationalis, ad hoc, quod liberè nō ſolum ipſo dono creato vtatur; ſed vt ipſa diuina perſona fruatur; & ideò miſſio inuiſibilis fit ſecundum donum gratiæ gratum facientis, & tamen ipſa perſona diuina datur.

Ad ſecundum dicendum, quod gratia gratum faciens diſponit animam ad habendam diuinam perſonam, & ſignificatur hoc cum dicitur, quod Spiritus ſanctus datur ſecundum donum gratiæ; ſed tamen ipſum donum gratiæ eſt à Spiritu ſancto; & hoc ſignificatur, cum dicitur, quod charitas Dei diffunditur in cordibus noſtris per Spiritū ſanctum.

Ad tertium dicendum, quod licèt per aliquos effectus, Filius cognoſci poſſit à nobis, non tamen per aliquos effectus nos inhabitat, vel etiam habetur à nobis.

Ad quartum dicendum, quod operatio miraculorum eſt manifeſtatiua gratiæ gratum facientis, ſicut & donum prophetiæ, & qualibet gratia gratis data: vnde 1. Corinth. 12. Gratia gratis data nominatur manifeſtatio Spiritus, Sic igitur Apoſtolis dicitur datur Spiritus ſanctus ad operationem miraculorum, quia data eſt eis gratia gratum faciens cum ſigno manifeſtante. Si autem daretur ſolum ſignum gratiæ gratum facientis ſine gratia, non diceretur dari ſimpliciter Spiritus ſanctus; niſi fortè cum aliqua determinatione, ſecundum quod dicitur, quod alicui datur ſpiritus propheticus, vel miraculorum, inquantum à Spiritu ſancto habet virtutem prophetandi, vel miracula faciendi.

SVPER ARTICVLVM COMMENTARIVM.

1 VTRVM *miſſio inuiſibilis diuinæ perſonæ*. Ly, *inuiſibilis*, non ſe tenet ex parte perſonæ, quaſi perſona diuina, quæ mittitur ſit in ſe ipſa inuiſibilis, & viſibilis; cum perſona diuina ſit omninò inuiſibilis viſione corporea. Item, ly, *inuiſibilis*, accipitur, pro vt dicit miſſionem diuinæ perſonæ abſquè aliquo effectu, vel ſigno ſenſu ipſo perceptibili.

2 *Secundùm ſolam gratiam gratum facientē mittitur*. Ly, *ſolam* excludit gratias gratis datas extra gratiæ gratum facientis ſtatum, non verò excludit effectus gratiam gratum facientem conſequentes. Vide num. 7.

3 *Diuinæ perſonæ conuenit mitti, ſecundùm quòd nouo modo exiſtit in aliquo. Nouo modo*, nouitate ſcilicet, non ſubiectiuè, ſed cauſatiuè ex parte perſonæ miſſæ. Quia cū perſona diuina ſit omninò immutabilis, non ſolùm intrinſecè per generationem ſcilicet, aut corruptionem, ſed etiam localiter. Vnde non poteſt in āliquo, nouo modo exiſtere nouitate in ipſa perſona diuina recepta.

4 *Super iſtum autem modum communem eſt vnus ſpecialis*. Non dicit præter tres modos communes eſſendi vbiquè, ſcilicet, per potentiam, eſſentiam, & præſentiā, datur alius contradiſtinctus ab iſtis; ſed

dicit

Digitized by Google

dicit *ſuper iſtum modum*. Quaſi diceret, quod Deum eſſe in aliquo per ſanctificantem gratiam, etiam eſt per potentiam ſuam, propter virtutem, quam habet, gratiam conferendi, propter præſentiam, quia eſt in conſpectu illius gratia ſanctificans, quæ confertur. Et per eſſentiam, quia cum gratia ſanctificans ſit opus Dei, Deus eſt intimè preſens ei. Dicitur igitur ſupra tres modos præfatos; quia hic eſſendi modus Dei in aliquo, conuenit tantùm creaturæ rationali, & non ſolùm Deus concurrit vt cauſa, verumetiam vt obiectum ſuper omnia amatum, & per fidem charitate informatam cognitum, vel in termino, per lumen gloriæ viſum; Vnde ſubiungit dicens, *eſt vnus ſpecialis, qui conuenit naturæ rationali*.

5 *Secundùm iſtum ſpecialem modum Deus non ſolùm dicitur eſſe in creatura rationali; ſed etiam habitare in ea ſicut in templo ſuo*. Nota, quòd Deus per ſanctificantem gratiam dicitur habitare in anima; eò quia, gratia ſanctificans facit creaturam rationalem conſortem diuinæ naturæ. Dicitur etiam habitare; quia habitare non eſt aliud, niſi quieſcere in domo ſua. Cũ autẽ creatura rationalis habet in ſe ſanctificantem gratiam, nõ eſt niſi domus propria Dei; & nihil oppoſitum Deo poteſt manente gratia gratum faciente habitare in ea iuxta illud. *Qui manet in me, & ego in eo*.

6 *Sed etiam habitare in ea ſicut in templo ſuo*. Templum Dei ideo dicitur; quia eſt locus Deo dicatus; Cum ergo creatura rationalis habet in ſe ſanctificantem gratiam, iam eſt Deo dicata, & domus Dei meritò nuncupatur. Etenim in domo Dei non ſunt niſi bona Dei, & Deus cum eis.

7 *Nullus alius effectus poteſt eſſe ratio quòd diuina perſona ſit nouo modo in rationali creatura, niſi gratia gratum faciens*. Subaudi, eſſentialiter, vel conſequenter. Nam charitas non eſt formaliter gratia gratum faciens, eſt tamen donum conſequens ipſam, tanquam radicem. Vide art. 5. ad 3.

8 *Vnde ipſemet Spiritus ſanctus datur, & mittitur*. Et in reſponſione ad primum. *Et tamen ipſa perſona diuina datur*. Nota, & firmiter tene, quòd non ſolùm donum gratiæ gratum facientis creaturæ rationali datur, ſed etiam ipſa perſona diuina datur. Et quamuis oppoſitum huius quidam dicere videantur, niſi velis in errorem incidere, cum D. Thoma tene, quoniam in primo argumento aſſerit, quòd dicere ſolùm dona Spiritus ſancti, non verò ipſam perſonam diuinam donari, *eſt error*. Dicitur autem perſona mitti, aut haberi no bis, non per vnionem hypoſtaticam, ſed per vnionem, quæ eſt ſecundum realem præſentiam, quæ fit per collationem illius doni, quod perſonæ ſolet attribui.

9 In reſponſione ad ſecundum. *Gratia gratum faciens diſponit animam ad habendam diuinam perſonam. Diſponit animam*; Ad habendam diuinam perſonam hypoſtaticè vnitam, non requiritur gratia gratum faciens, vt diſponens animam; requiritur autem ad habendam diuinam perſonam in caſu præſentis articuli; & ratio eſt; Quia perſona primo modo vnita, datur ad eſſe ſimpliciter primò, & per ſe; At vero in caſu præſentis doctrinæ datur, vt habeatur in poteſtate accipientis, vt ſcilicet creatura rationalis poſſit liberè ea vti, aut frui, quod dicit operationem.

10 *Diſponit animam ad habendam diuinam perſonam. Diſponit*, non qualitercunquè, ſed conſtituendo ſimpliciter animam templum Dei, ſine qua templum Dei eſſe non poteſt. Eo modo quo lumen gloriæ diſponit intellectum conſtituendo illum ſimpliciter potentem ad eliciendam viſionem claram Dei, vt diximus tom. 1.

11 In reſponſione ad tertium. *Licèt per aliquos effectus Filius cognoſci poſſit à nobis, non tamen per aliquos effectus nos inhabitat, vel etiam habetur à nobis*. Et tunc contingit Filium per aliquos effectus hoc modo cognoſci, quando per fidem Trinitatis cognoſcitur, non tamen ſi per fidem cognoſcitur, per charitatem ſuper omnia creata amatur, quod contingit in homine fideli, exiſtente tamen in peccato mortali. Et hoc exprimit in reſponſione ad quartum; dum ait ſic. *Si autem daretur ſolùm ſignum gratiæ gratum facientis ſine gratia, non diceretur dari ſimpliciter Spiritum ſanctum, niſi fortè cum aliqua determinatione*, ideſt limitatione, ſeù ſecundùm quid. Vide Caietanum.

Digitized by Google

ARTICVLVS QVARTVS.

Vtrum Patri conueniat mitti.

AD quartum ſic proceditur, videtur quod Patri etiam conueniat mitti: mitti enim diuinam perſonam eſt ipſam dari, ſed Pater dat ſeipſum (cum haberi nõ poſſit niſi ſeipſo donante) ergo poteſt dici, quod Pater mittat ſeipſum.

2 Præterea. Perſona diuina mittitur ſecundũ inhabitationem gratiæ; ſed per gratiam tota Trinitas inhabitat in nobis, ſecundum illud Ioan. 14. *Ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus: ergo qualibet diuinarum perſonarum mittitur.*

3 Præterea. Quicquid conuenit alicui perſonæ, cõuenit omnibus, præter notiones, & perſonas; ſed miſſio non ſignificat aliquam perſonam; neque etiam notionem, cum ſint tantum quinque notiones, vt ſupra dictum eſt: ergo cuilibet perſonæ diuinæ conuenit mitti.

Sed contra eſt, quod Auguſt. dicit in 2. lib. de Trinitat. quod ſolus Pater numquam legitur miſſus.

Reſpondeo dicendum, quod miſſio in ſui ratione importat proceſſionem ab alio, & in diuinis ſecundum originem, vt ſupra dictum eſt: vnde cum Pater non ſit ab alio, nullo modo conuenit ſibi mitti, ſed ſolùm Filio & Spirituiſancto, quibus conuenit eſſe ab alio.

Ad primum ergo dicendum, quod ſi dare importet liberalem communicationem alicuius, ſic Pater dat ſeipſum, in quantum ſe liberaliter communicat creaturæ ad fruendum. Si verò importet auctoritatem dantis reſpectu eius, quod datur, ſic non conuenit dari in diuinis, niſi perſonæ, quæ eſt ab alio, ſicut nec mitti.

Ad ſecundum dicendum, quod licet effectus gratiæ, ſit etiam à Patre, qui inhabitat per gratiã, ſicut & Filius, & Spiritus ſanctus, quia tamen non eſt ab alio, non dicitur mitti; & hoc eſt, quod dicit Auguſt. lib. 4. de Trinitate, quod Pater cum in tempore à quoquam cognoſcitur, non dicitur miſſus: non enim habet de quo ſit, aut ex quo procedat.

Ad tertium dicendum, quod miſſio inquantum importat proceſſionem à mittente, includit in ſui ſignificatione notionem, non quidem in ſpeciali, ſed in generali, prout eſſe ab alio, eſt commune duabus notionibus.

FORMATIO ARTICVLI.

CORporis diſtributio in vnica concluſione bimembri conſiſtit, quamquè vnica etiã ratione probat.

Concluſio eſt iſta. *Patri nullo modo conuenit ſibi mitti, ſed ſolũ Filio, & Spirituiſancto.*

Probatio quò ad primam partem eſt iſta. *Pater non eſt ab alio.* Ergo *Patri nullo modo cõuenit ſibi mitti.* Antecedens eſt certum. Probat conſequentiam. Quia *miſſio in ſui ratione importat proceſſionem ab alio, & in diuinis ſecundùm originem.* Ergo.

Probatio quò ad ſecũdam partem eſt iſta. Quia *Filio, & Spirituiſancto conuenit eſſe ab alio.*

Ad primum argumentum reſpondet, diſtinguendo maiorem. *Mitti diuinam perſonam eſt ipſam dari*, ab alia, concedit maiorem. *Eſt ipſam dari*, ideſt, eſt ipſam liberaliter alteri communicari, negat maiorem. Tunc conceſſa minori, negat conſequentiam.

Ad ſecundum argumentum reſpondet, diſtinguẽdo, ſeù potiùs explicando maiorem. *Perſona diuina mittitur ſecundùm inhabitationem gratiæ*, & ipſa ab alia perſona procedit, concedit maiorem. Et ipſa non procedit ab alia perſona, negat maiorem. Tunc conceſſa minori, negat conſequentiam.

Ad tertium argumentum reſpondet, concedendo maiorem, & diſtinguendo minorem quo ad ſecundam illius partẽ, *neque etiam notionem*, *ſpeciali*, *ſed in generali*, concedit minorem; *Neque etiã notionem in ſpeciali*, & in generali, negat minorem. Ergo &c. negat conſequentiam.

SVPER ARTICVLVM COMMENTARIVM.

1 VNDE *cum Pater non ſit ab alio, nullo modo conuenit ſibi mitti.* Subaudi, nullo modo propriè, quoniã aliquo modo habet aliquid de ijs quæ requiruntur ad rationẽ miſſionis. Nam Pater æternus ab aliquo cognoſcitur, non tamen dicitur miſſus. Quicquid dicat Antonius Corduba in ſuo quæſtionario lib. 1. q. 41. punct. 1. ad 3. vbi ſic ait. *Fortè rectè, & catholicè concederetur, quòd Pater mittitur à ſe ipſo, ſicut & datur à ſe ipſo, ſicut & in actiua ſignificatione Pater dat, mittitquè ſe ipſum temporaliter ad nos.* Corduba.

Hic

2 Hic enim dicendi modus concedi non poteſt, & tãquàm inauditum, & abſurdiſſimum reijciendus. Vnde D. Auguſtinus vt refert D. Thomas hìc in argumento, *ſed contra*; ait quòd *ſolus Pater nunquàm legitur miſſus*. Ecce quomodo eſt inauditum hoc; & idem D. Auguſtinus lib. 4. cap. 20. tom. 3. poſt medium vt refert D. Thomas hìc ad 2. ſic ait. *Pater cum in tempore à quoquàm cognoſcitur, non dicitur miſſus. Non enim habet de quo ſit, aut ex quo procedat*; & cap. 21. ait *abſurdiſſimè miſſus diceretur*. Ecce abſurditas.

3 In reſponſione ad 3. *Includit in ſui ſignificatione notionem, non quidem in ſpeciali, ſed in generali, prout eſſe ab alio, eſt commune duabus notionibus*. Hìc magis plenè explicat, quod quæſt. 42. art. 3. ad 1. breuiter dixerat; nempè quòd ordo naturæ ſignificat notionem originis in communi, non autem in ſpeciali, & ea, quæ nos ibidem ſuper commentarium eiuſdem articuli diximus, his verbis conformantur.

ARTICVLVS QVINTVS.

Vtrum Filio conueniat inuiſibiliter mitti.

AD quintum ſic proceditur, *videtur quod Filio non conueniat inuiſibiliter mitti: miſſio enim inuiſibilis diuinæ perſonæ attenditur, ſecundum dona gratiæ; ſed omnia dona gratiæ pertinent ad Spiritum ſanctū, ſecundum illud 1. Corinth. 12. Omnia operatur vnus, atque idem ſpiritus: ergo inuiſibiliter non mittitur, niſi Spiritus ſanctus.*

2 Præterea. Miſſio diuinæ perſonæ fit ſecundum gratiam gratum facientem; ſed dona, quæ pertinent ad perfectionem intellectus, non ſunt dona gratiæ gratum facientis, cum ſine charitate poſſint haberi, ſecundum illud 1. ad Corinth. 13. Si habuero prophetiam, & nouerim myſteria omnia, & omnem ſcientiam, & ſi habuero omnem fidem, ita vt montes transferam: charitatem autē non habeam, nihil ſum. Cum ergo Filius procedat, vt Verbum intellectus videtur, quod non conueniat ſibi inuiſibiliter mitti.

3 Præterea. Miſſio diuinæ perſonæ eſt quædam proceſſio, vt dictum eſt; ſed alia eſt proceſſio Filij, alia Spiritus ſancti: ergo & alia miſſio ſi vterque mittitur; & ſic altera earum ſuperflueret, cum vna ſit ſufficiens ad ſanctificandam creaturam.

Sed contra eſt, quod Sapient. 9. dicitur de diuina ſapientia: Mitte illam de cœlis ſanctis tuis, & à ſede magnitudinis tuæ.

Reſpondeo dicendum, quod per gratiam gratū facientem, tota Trinitas inhabitat mentem, & ſecundum illud Ioan. 14. Ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus. Mitti autem perſonam diuinam ad aliquem per inuiſibilem gratiam, ſignificat nouum modum inhabitandi illius perſonæ, & originem eius ab alia: vnde, cum tàm Filio, quàm Spiritui ſancto conueniat, & inhabitare per gratiam, & ab alio eſſe, vtrique, conuenit inuiſibiliter mitti. Patri autem licèt conueniat inhabitare per gratiam, non tamen ſibi conuenit ab alio eſſe, & per conſequens, nec mitti.

Ad primum ergo dicendum, quod licèt, omnia dona

FORMATIO ARTICVLI.

COrporis diſtributio cō ſiſtit in vnica concluſione bimembri ſuperabundanter, reſponſiua quæſito, eamquè quò ad omnes eius partes probat.

Concluſio eſt iſta. *Vtriquè*, ideſt Filio, & Spirituiſancto *conuenit inuiſibiliter mitti, Patri autem non ſibi cōuenit mitti*.

Probatio quò ad primam partem eſt iſta. Quia *tàm Filio, quàm Spirituiſancto cōuenit, & inhabitare per gratiam, & ab alio eſſe*. Ergo *vtriquè conuenit inuiſibiliter mitti*. Probat conſequentiam. Quia *per gratiam gratum facientem tota Trinitas &c.* Lege litteram vſquè ad illa verba, *eius ab alia*, incluſiuè.

Probatio quò ad ſecūdam partem eſt iſta. Quia *Patri licèt conueniat inhabitare per gratiam, non tamen ſibi conuenit ab alio eſſe*.

Ad primum argumentum reſpondet, concedendo maiorem, & explicando minorem. ſed *omnia dona gratiæ pertinēt ad Spiritum ſanctum*, inquantùm dona ſunt, concedit minorem. Inquantùm pertinēt ad intellectum, negat minorem. Ergo &c. negat conſequētiam.

Ad ſecundum argumentum reſpondet, concedendo maiorem, & diſtinguendo ſeù explicādo minorem. Sed *dona quæ pertinent ad perfectionē intellectus*, non quā prorumpat in affectum amoris, *non ſunt dona gratiæ gratum facientis*, concedit minorem. Sed *dona quæ pertinent ad perfectionē intellectus*, qua prorumpat in affectum amoris, *non ſunt dona gratiæ &c.* Adhùc diſtinguit minorem. *Non ſunt dona gratiæ gratum facientis* radicaliter, & formaliter, concedit minorem. Incluſiuè, & vt effectus gratiæ gratum facientis, negat minorem. Ergo &c. negat conſequentiam.

Digitized by Google

Ad tertium argumentum reſpondet, concedendo maiorem modo ſupra explicato, minorem, & primam conſequentiam, & negando vltimam, & rationem negationis aſſignat. quia *ſi loquamur de miſſione quantùm ad effectum gratiæ &c.* Lege litteram.

dona inquantum dona ſunt, attribuantur Spiritui ſancto, (quia habet rationem primi doni, ſecundum quod eſt amor, vt ſupra dictum eſt,) aliqua tamen dona ſecundum proprias rationes attribuũtur per quandam appropriationem Filio, ſcilicet illa, quæ pertineat ad intellectum; & ſecundum illa dona attenditur miſſio Filij: vnde Auguſt. dicit lib. 4. de Trinit. quod tunc inuiſibiliter Filius, cuiquam mittitur, cum à quoquam cognoſcitur, atque percipitur.

Ad ſecundum dicendum, quod anima per gratiam conformatur Deo: vnde ad hoc, quod aliqua perſona diuina mittatur ad aliquem per gratiam, oportet quod fiat aſſimilatio illius ad diuinam perſonam, quæ mittitur per aliquod gratiæ donum; & quia Spiritus ſanctus eſt amor, per donum charitatis anima Spirituiſancto aſſimilatur: vnde ſecundum modum charitatis attenditur miſſio Spiritus ſancti. Filius autem eſt verbum, non qualecunque, ſed ſpirans amorem: vnde Auguſt. dicit in 9. lib. de Trinit. verbum autem, quod inſinuare intendimus, cum amore notitia eſt. Non igitur ſecundum quamlibet perfectionem, intellectus, mittitur Filius, ſed ſecundum talem inſtitutionem, vel inſtructionem intellectus, qua prorumpat in affectum amoris, vt dicitur Ioan. 6. Omnis, qui audiuit à Patre, & didicit, venit ad me, & in Pſam. In meditatione mea exardeſcet ignis; & ideò ſignanter dicit Auguſtinus, quod Filius mittitur, cum à quoquam cognoſcitur, atque percipitur. Perceptio autem experimentalē quandam notitiam ſignificat; & hæc propriè dicitur ſapientia quaſi ſapida ſcientia, ſecundum illud Eccleſ. 6. Sapientia doctrinæ ſecundum nomē eius eſt.

Ad tertium dicendum, quod cum miſſio importet originem perſonæ miſſæ, & inhabitationem per gratiam (vt ſupra dictum eſt,) ſi loquamur de miſſione quantum ad originem, ſic miſſio Filij diſtinguitur à miſſione Spiritus ſancti, ſicut & generatio à proceſſione. Si autem quantum ad effectum gratiæ, ſic communicant duæ miſſiones in radice gratiæ, ſed diſtinguuntur in effectibus gratiæ, qui ſunt illuminatio intellectus, & inflammatio affectus; & ſic manifeſtum eſt, quod vna non poteſt eſſe ſine alia, quia neutra eſt ſine gratia gratum faciente, nec vna perſona ſeparatur ab alia.

SVPER ARTICVLVM COMMENTARIVM.

1 P*ER gratiam gratum facientem tota Trinitas inhabitat mentem.* Non tamen tota Trinitas mittitur; Quia non tota Trinitas procedit.

2 *Vnde cum tam Filio, quàm Spirituiſancto conueniat, & inhabitare per gratiam, & ab alio eſſe, vtriquè conuenit inuiſibiliter mitti.* Hinc collige, quòd quotieſcunque creatura rationalis recipit in ſe ſanctificantē gratiam, ad eam inuiſibiliter mittitur vtraquè perſona, Filius ſcilicet, & Spiritus ſanctus.

3 Quòd ſi per poſſibile, vel impoſſibile, Deus creaturæ rationali conferret ſanctificantem gratiam, non autem illuminaret illius intellectum, neque eiuſdem voluntatis affectum inflammaret, diceretur vtraquè perſona Filij ſcilicet, & Spiritus ſancti ad animam illā miſſa; licèt, perſona Spiritus ſancti magis ſtrictè doni rationem haberet. Et ſimiliter, ſi per poſſibile, vel impoſſibile, Deus alicui creaturæ rationali donum ſanctificantis gratiæ infunderet, auferret autē ab ea intellectum, & voluntatem, vtraquè perſona miſſa diceretur.

4 Quod ſi per poſſibile, vel impoſſibile, alicui rationali creaturæ donum gratiæ ſanctificantis infunderet, & intellectum dumtaxat de diuinis illuſtraret, ratione collationis ſanctificantis gratiæ, vtraquè perſona miſſa diceretur, vt iam docuimus, tamen magis principaliter diceretur miſſus Filius, quam Spiritus ſanctus; quemadmodum, ſi non illuſtraret intellectum, inflammaret autem voluntatis affectum, diceretur ſpecialiori titulo miſſus ſpiritus ſanctus, non verò Filius.

6 *Si autem quantùm ad effectum gratiæ ſic communicant duæ miſſiones in radice gratiæ, ſed diſtinguuntur in effectibus gratiæ; qui ſunt illuminatio intellectus, & inflammatio affectus.* Et quia, poſita in eſſentia animæ gratia gratum faciente, ponitur illuminatio intellectus, & inflammatio affectus, propterea, quotieſcumquè aliquis recipit donum ſanctificantis gratiæ, in eo neceſſariò duæ miſſiones, duarum perſonarum, Filij, ſcilicet, & Spiritus ſāncti fiunt.

7 Et quia, aliquando magis relucet in quibuſdam, illuminatio intellectus, quā

imflam-

Digitized by Google

imflammatio affectus, ideo, ſolet dici, quod miſſa eſt perſona Filij ad talem creaturam rationalem. Et in quibuſdã alijs, magis ſplendet inflammatio affectus, quàm illuminatio intellectus, idcircò ſolet dici ad huiuſmodi creaturam, eſſe miſſam perſonam Spiritus ſancti, non quòd non ſit vtraquè miſſio vtriuſquè perſonæ ad vtramquè rationalem creaturam. Et loquor de actibus internis, & de miſſione inuiſibili; quoniam de miſſione viſibili ſtat, vt mittatur perſona Spiritus ſancti, abſquè eo, quòd mittatur perſona Filij, vt patet in Sacro die Penthecoſtes, quando Spiritus ſanctus per ſigna viſibilia ad Apoſtolos miſſus eſt.

8 In reſponſione ad 3. *Sed diſtinguuntur in effectibus gratiæ; qui ſunt illuminatio intellectus*. Hæc illuminatio non neceſſariò accipienda eſt, quò ad ſpeculationes, ſed quò ad ea, quæ pertinent ad ſalutem animæ procurandam.

FORMATIO ARTICVLI.

Corporis diſtributio in vnica concluſione reſpõſiua quæſito cõſiſtit; quam vnica ratione probat.

Concluſio eſt iſta. *Ad omnes fit miſſio inuiſibilis, in quibus hæc duo inueniuntur*, ſcilicet, inhabitatio gratiæ, & innouatio quędam per gratiam.

Probatio eſt iſta. *In eo ad quem fit miſſio, oportet duo conſiderare, ſcilicet, inhabitationem gratiæ, & innouationẽ quamdam per gratiam.* Ergo *ad omnes fit miſſio inuiſibilis, in quibus hæc duo inueniuntur*. Probat antecedens. Quia *miſſio de ſui ratione importat, quòd ille qui mittitur, vel incipiat eſſe, vbi prius non fuit (ſicut accidit in rebus creatis) vel incipiat eſſe vbi prius fuit, ſed quodam modo nouo, ſecundùm quòd miſſio attribuitur diuinis perſonis*. Ergo *ſic in eo ad quem fit miſſio, oportet duo conſiderare &c.*

Ad primum argumentum reſpondet, concedendo maiorem, & negando minorem. Ad cuius probationem reſpõdet, explicando authoritatẽ Sacrę ſcripturæ. *Non dum erat Spiritus datus*, datione cum ſigno viſibili, quæ facta eſt in die Pẽthecoſtes, *quia non dum erat Ieſus glorificatus*, concedit. *Non dum erat Spiritus datus*, inuiſibiliter, negat; Sacra ſcriptura verò interpretanda eſt in primo, & non in ſecundo ſenſu.

Ad ſecundum argumentum reſpondet, concedendo maiorem, & negando minorem. Et per idẽ patet ad probationẽ.

Ad tertium argumentum reſpondet, concedendo maiorem, & negando minorẽ. Ad cuius probationem, concedit maiorem, & minorem; negat verò cõſequentiam, & rationẽ negationis aſſignat; quia *ad Beatos eſt facta miſſio inuiſibilis &c.*

Ad quartum argumentum reſpondet, explicãdo primã an-

ARTICVLVS SEXTVS.

Vtrum miſſio inuiſibilis fiat ad omnes, qui ſunt participes gratiæ.

AD ſextum ſic proceditur, videtur quod miſſio inuiſibilis non fiat ad omnes, qui ſunt participes gratiæ. Patres enim veteris teſtamenti gratiæ participes fuerunt; ſed ad illos non videtur fuiſſe facta miſſio inuiſibilis: dicitur enim Ioan. 7. Nondum erat ſpiritus datus, quia nondũ erat Ieſus glorificatus: ergo miſſio inuiſibilis non fit ad omnes, qui ſunt participes gratiæ.

2 *Præterea. Profectus in virtute non eſt niſi per gratiam; ſed miſſio inuiſibilis non videtur attendi ſecundum profectum virtutis, quia profectus virtutis videtur eſſe continuus, cum charitas ſemper, aut proficiat, aut deficiat; & ſic miſſio eſſet continua: ergo miſſio inuiſibilis non fit ad omnes participes gratiæ.*

3 *Præterea. Chriſtus, & Beati pleniſſimè habent gratiam; ſed ad eos non videtur fieri miſſio, quia miſſio fit ad aliquid diſtans. Chriſtus autem ſecundum quod homo, & omnes Beati, perfectè ſunt vniti Deo: non ergo ad omnes participes gratiæ, fit miſſio inuiſibilis.*

4 *Præterea. Sacramenta nouæ legis continẽt gratiam, nec tamen ad ea dicitur fieri miſſio inuiſibilis: non ergo ad omnia, quæ habent gratiam, fit miſſio inuiſibilis.*

Sed contra eſt, quod ſecundum Auguſt. miſſio inuiſibilis fit ad ſanctificandam creaturam; omnis autem creatura habens gratiam ſanctificatur: ergo ad omnem creaturam huiuſmodi fit miſſio inuiſibilis.

Reſpondeo dicendum, quod (ſicut ſupra dictũ eſt) miſſio de ſui ratione importat, quod ille, qui mittitur, vel incipiat eſſe, vbi prius non fuit (ſicut accidit in rebus creatis) vel incipiat eſſe, vbi prius fuit, ſed quodam modo nouo, ſecundum quod miſſio attribuitur diuinis perſonis. Sic ergo in eo ad quẽ fit miſſio, oportet duo cõſiderare, ſ. inhabitationẽ gratię, & innouationẽ quãdã per gratiã. Ad oẽs ergo fit miſſio inuiſibilis, in quib⁹ hæc duo inueniũtur.

Ad

antecedẽtis partem. *Sacramenta nouæ legis continent gratiam*, inſtrumentaliter, concedit antecedens. In ratione ſubiecti ſuſcipientis gratiam, negat primam antecedentis partem. Tunc conceſſa ſecũda parte antecedentis, negat conſequẽtiam.

Ad primum ergo dicendum, quod miſſio inuiſibilis eſt facta ad Patres veteris teſtamenti; vnde dicit Auguſt. lib. 5. de Trinit. quod ſecundum quod Filius mittitur inuiſibiliter, fit in hominibus, aut cum hominibus: hoc autem antea factum eſt in Patribus, & prophetis, cum ergo dicitur. Nondum erat datus ſpiritus, intelligimus de illa datione, cũ ſigno viſibili, quæ facta eſt in die Pẽtecoſtes.

Ad ſecundum dicendum, quod etiam ſecundũ profectum virtutis, aut augmentum gratiæ fit miſſio inuiſibilis: vnde Auguſt. dicit lib. 4. de Trinit. quod tunc cuiquam mittitur Filius, cum à quoquam cognoſcitur, atque percipitur, quantum cognoſci & percipi poteſt pro captu, vel proficientis animæ in Deum, vel perfectæ animæ rationalis in Deo; ſed tamen ſecundum illud augmentum gratiæ præcipuè miſſio inuiſibilis attenditur, quando aliquis proficit in aliquem nouum actum, vel nouum ſtatum gratiæ, vtputa, cum aliquis proficit in gratiam miraculorum, aut prophetiæ, vel in hoc, quod ex feruore charitatis exponit ſe martyrio, aut abrenunciat his, quæ poſſidet, aut quodcũque opus arduum aggreditur.

Ad tertium dicendum, quod ad beatos eſt facta miſſio inuiſibilis in ipſo principio beatitudinis. Poſtmodum autem ad eos fit miſſio inuiſibilis, non ſecundum intenſionem gratiæ; ſed ſecundum quod aliqua myſteria eis reuelantur de nouo. Quod eſt vſque ad diem iudicij, quod quidem augmentum attenditur ſecundum extenſionem gratiæ ad plura ſe extendentis. Ad Chriſtum autem fuit facta inuiſibilis miſſio in principio ſuæ conceptionis; non autem poſtea, cum à principio ſuæ conceptionis fuerit plenus omni ſapientia, & gratia.

Ad quartum dicendum, quod gratia eſt in ſacramentis nouæ legis inſtrumentaliter, ſicut forma artificiati eſt in inſtrumentis artis, ſecundum quendam diſcurſum ab agente in patiens. Miſſio autem non dicitur fieri niſi reſpectu termini: vnde miſſio diuinæ perſonæ non fit ad ſacramenta, ſed ad eos, qui per ſacramenta gratiam ſuſcipiunt.

SVPER ARTICVLVM COMMENTARIVM.

1 IN reſp. ad 2. *Etiam ſecundùm profectum virtutis, aut augmentum gratiæ fit miſſio inuiſibilis*. Non eſt ſenſus, quòd quando gratia in aliquo minuitur, mittitur ad eum aliqua perſona ex cuius miſſione diminuatur gratia, ſed ſenſus eſt, quòd quando in aliquo, gratia eſt in augmento, quę priùs minùs intenſa inerat illi, tunc ad illud augmentum mittitur perſona diuina.

2 *Sed tamen ſecundùm illud augmentum gratiæ, præcipuè miſſio inuiſibilis attenditur, quãdo aliquis proficit in aliquem nouum actum, vel nouum ſtatum gratiæ*. Senſus eſt, quòd tunc fit perſonæ diuinæ miſſio noua, quando habens donum ſanctificantis gratiæ, illuminationem intellectus, & inflammationem affectus, prorumpit in nouum ſtatum, ideſt, perfectiorem, & dicitur noua miſſio, non quia, de nouo incipiat eſſe perſona per ſanctificantem gratiam, quaſi priùs per eam, non fuerit in ea; ſed quia, nouiter, & nouo quodam titulo eſt miſſa perſona diuina.

3 In reſp. ad tertium. *Ad Beatos eſt facta miſſio inuiſibilis in ipſo principio beatitudinis*. Et hoc intellige, vt D. Thomas explicat, quantùm ad infuſionem ſanctificãtis gratiæ viſionem claram Dei, & amorem, ſeu fruitionem beatam; quoniam, quantùm ad hęc non poſſunt Beati proficere.

4 *Poſtmodùm autem ad eos fit miſſio inuiſibilis, non ſecundùm intenſionem gratiæ, ſed ſecundùm quòd aliqua myſteria eis reuelantur de nouo*. Et huiuſmodi miſſio, vt propriè miſſio dicatur, debet in ipſa gratia priùs collata fundari, & cum non poſſit intẽdi, pertinet ad eamdem gratiam extenſiuè.

5 *Quod eſt vſquè ad diem iudicij*. Nam myſteria quæ Angelis, & animabus beatis à Deo nouiter reuelantur, ſunt in ordine ad vniuerſum, quantùm ad ea, ſcilicet, quæ fiunt in hominibus, aut fient à Deo, quæ, die iudicij adueniente, omnino ceſſabunt, aç proinde, nulla alia myſteria erunt futura.

6 *Ad Chriſtum autem fuit facta inuiſibilis miſſio in principio ſuæ conceptionis, non autem poſtea*. Et ratio eſt; quia in eodem ſuæ conceptionis principio cognouit omnia myſteria præterita, præſentia, & futura. Vnde nouæ miſſionis locus in eo non remanſit.

ARTICV-

FORMATIO ARTICVLI.

TRipartita eſt corporis diſtributio. Primò, ponit concluſionẽ abũdantiùs reſponſiuã, quàm ſit quæſitum, eamque probat. Secundò, inter viſibilẽ Filij, & viſibilem Spiritus ſancti miſſionem, diſcrimen aſſignat. Et tertiò, deducit corollarium.

Quò ad primum, concluſio eſt iſta. *Conueniens fuit, vt etiã inuiſibiles miſsiones diuinarum perſonarũ ſecundùm aliquas viſibiles creaturas manifeſtarentur.*

Probatio eſt iſta. *Se ipſum Deus, & proceſsiones æternas perſonarum per creaturas viſibiles, ſecundùm aliqua indicia hominibus quodammodo demõſtrauit.* Ergo *conueniens fuit &c.* Probat conſequentiam à pari. *Sicut ſeipſum Deus &c. Ita conueniẽs &c.* Probat antecedens. Quia *inuiſibilia Dei oportuit homini per viſibilia manifeſtari.* Ergo *ſe ipſum Deus &c.* Probat antecedens. *Deus prouidet omnibus ſecundùm vnius cuiuſquè modum.* Ergo *inuiſibilia Dei oportuit &c.* Probat cõſequentiam. Quia *eſt modus connaturalis hominis, vt per viſibilia ad inuiſibilia manu ducatur.*

Quò ad ſecũdum, diſcrimen eſt iſtud. *Aliter tamen Filius, & Spiritus ſanctus. Nam Spiritui ſancto in quantùm procedit vt amor, competit eſſe ſanctificationis donum, Filio autem, in quantùm eſt Spiritus ſancti principium, competit eſſe ſanctificationis huius authorem.*

Quò ad tertium, corollariũ eſt iſtud. *Et ideò Filius viſibiliter miſſus eſt tanquàm ſanctificationis author, ſed Spiritus ſanctus tanquã ſanctificationis indicium.*

Ad primum argumentum reſpondet, concedẽdo maiorẽ, minorem, & negando conſequentiam, & rationẽ negationis, ſeù diſparitatis aſſignat; quia *Filius creaturam viſibilẽ &c.* Lege litteram.

Ad ſecundum argumentum reſpondet, concedendo maiorem, & negando minorem, cum ijs quæ in argumento ſequuntur, & rationem negationis aſſignat. Quia *Spiritus ſanctus viſibiliter dicitur eſſe miſſus, in quantùm &c.* Lege litteram.

Ad tertium argumentum reſpondet, & reſponſio ſic formatur, diſtinguẽdo, ſeù explicando antecedens. *Quælibet creatura viſibilis eſt effectus demonſtrans totã Trinitatem*, vt cauſã, & cum intentione demonſtrãdi ſpecialiter hanc, vel illam per-

ARTICVLVS SEPTIMVS.

Vtrum Spiritui ſancto conueniat viſibiliter mitti.

AD ſeptimum ſic proceditur, videtur quod Spiritui ſancto non conueniat viſibiliter mitti: Filius enim ſecundum quod viſibiliter miſſus eſt in mundo, dicitur eſſe minor Patre; ſed nunquam legitur Spiritus ſanctus minor Patre: ergo Spiritui ſancto non conuenit viſibiliter mitti.

2 *Præterea. Miſſio viſibilis attenditur ſecundum aliquam creaturam viſibilem aſſumptam, ſicut miſſio Filij ſecundum carnem; ſed Spiritus ſanctus non aſſumpſit aliquam creaturam viſibilem: vnde non poteſt dici, quod in aliquibus creaturis viſibilibus ſit alio modo quã in alijs, niſi fortè ſicut in ſigno, ſicut eſt etiam in ſacramentis, & in omnibus figuris legalibus. Non ergo Spiritus ſanctus viſibiliter mittitur, vel oportet dicere, quod ſecundum omnia huiuſmodi, eius miſſio viſibilis attenditur.*

3 *Præterea. Quælibet creatura viſibilis eſt effectus demonſtrans totam Trinitatem. Non ergo per illas creaturas viſibiles magis mittitur Spiritus ſanctus, quam alia perſona.*

4 *Præterea. Filius viſibiliter eſt miſſus ſecundum digniſſimam viſibilium creaturarum, ſcilicet, ſecundum naturam humanam. Si igitur Spiritus ſanctus viſibiliter mittitur, debuit mitti ſecundum aliquas creaturas rationales.*

5 *Præterea. Quæ viſibiliter fiunt diuinitus, diſpenſantur per miniſterium Angelorum, vt Auguſt. dicit lib. 3. de Trinitate. Si ergo aliquæ ſpecies viſibiles apparuerunt, hoc factum fuit per Angelos, & ſic ipſi Angeli mittitur, & non Spiritus ſanctus.*

6 *Præterea. Si Spiritus ſanctus viſibiliter mittatur, hoc non eſt niſi ad manifeſtandum inuiſibilem miſſionem, quia inuiſibilia per viſibilia manifeſtantur: ergo ad quem miſſio inuiſibilis facta non fuit, nec miſſio viſibilis fieri debuit; & ad omnes, ad quos fit miſſio inuiſibilis, ſiuè in nouo, ſiuè in veteri teſtamento, miſſio viſibilis fieri debet. Quod patet eſſe falſum, non ergo Spiritus ſanctus viſibiliter mittitus.*

Sed contra eſt, quod dicitur Matth. 3. quod Spiritus ſanctus deſcendit ſuper Dominum baptizatum in ſpecie columbæ.

Reſpondeo dicendum, quod Deus prouidet omnibus ſecundum vniuſcuiuſque modum; eſt autẽ modus connaturalis hominis, vt per viſibilia ad inuiſibilia manu ducatur, (vt ex ſupradictis patet;) & ideò inuiſibilia Dei oportuit homini per viſibilia manifeſtari. Sicut igitur ſeipſum Deus, & proceſſiones æternas perſonarum per creaturas viſi-

perſonam, concedit antecedens, & nunquam cum intentione demonſtrãdi hãc, vel illam perſonam, negat antecedens. Ergo &c. negat conſequentiam, vel ſimiliter diſtinguendum eſt conſequens.

Ad quartum argumentum reſpondet, concedendo antecedens, & negando cõſequentiam, & rationem negationis aſſignat. Quia *perſonã Filij declarari oportuit &c.* Lege litteram.

Ad quintum argumentum reſpondet, concedendo antecedens, & primam conſequentiam, negando verò ſecundam, & rationem negationis aſſignat; Quia *illæ creaturæ viſibiles &c.* Lege litteram.

Ad ſextum argumentum reſpondet, explicando antecedens. *Si Spiritus ſanctus viſibiliter mittatur, hoc non eſt niſi ad manifeſtandum inuiſibilem miſſionem*, non propter neceſſitatẽ inuiſibilis miſſionis, ſed propter aliquam eccleſiæ, aut aliorũ vtilitatem, concedit antecedens. Propter neceſſitatem inuiſibilis miſſionis, negat antecedens. Ergo &c. negat ſecundam conſequentis partẽ.

Ad cõſequẽs quoquè reſpondet, explicando primam partem. Ergo &c. diſtinguit primam conſequentis partem. *Ergo ad quem miſſio inuiſibilis aliquando facta non fuit, nec miſſio viſibilis fieri debuit*, concedit conſequentiã. *Ergo ad quem miſſio inuiſibilis &c.* aliquando facta fuit, nec miſſio &c. negat conſequentiam, & ſimiliter ſecundam. Lege litteram.

viſibilis, ſecundum aliqua indicia hominibus quodammodo demonſtrauit: ita conueniens fuit, vt etiam inuiſibiles miſſiones diuinarũ perſonarum ſecundum aliquas viſibiles creaturas manifeſtarentur. Aliter tamen Filius, & Spiritus ſanctus, nam Spiritui ſancto inquantum procedit vt amor, competit eſſe ſanctificationis donum, Filio autem inquantum eſt Spiritus ſancti principium, competit eſſe ſanctificationis huius auctorem; & ideò Filius viſibiliter miſſus eſt, tanquam ſanctificationis auctor, ſed Spiritus ſanctus tanquam ſanctificationis indicium.

Ad primum ergo dicendum, quod Filius creaturam viſibilem, in qua apparuit, in vnitatem perſonæ aſſumpſit, ſic, vt quod de illa creatura dicitur, de filio Dei dici poſſit; & ſic ratione naturæ aſſumptæ, filius dicitur minor Patre; ſed Spiritus ſanctus non aſſumpſit creaturam viſibilem, in qua apparuit in vnitatem perſonæ, vt quod illi conuenit, de illo prædicetur: vnde non poteſt dici minor, Patre, propter viſibilem creaturam.

Ad ſecundum dicendum, quod miſſio viſibilis Spiritus ſancti, non attenditur ſecundum viſionẽ imaginariam, quæ eſt viſio prophetica; quia vt Auguſtin. dicit lib. 2. de Trinitate, viſio prophetica non eſt exhibita corporeis oculis per formas corporeas, ſed in ſpiritu per ſpirituales corporum imagines. Columbam verò illam, & ignem oculis viderunt, quicunque viderunt; neque iterum ſic ſe habuit Spiritus ſanctus ad huiuſmodi ſpecies, ſicut filius ad petram, quia dicitur, petra erat Chriſtus. Illa enim petra, iam erat in creatura, & per actionis modum nuncupata eſt nomine Chriſti, quem ſignificabat; ſed illa columba, & ignis, ad hæc tantum ſignificanda repente extiterunt: ſed videntur eſſe ſimilia flammæ illi, quæ in rubo apparuit Moyſi, & illi columbæ, quam populus in eremo ſequebatur, & fulgoribus, ac tonitruis, quæ fiebant cum lex daretur in monte. Ad hoc enim rerum illarum corporalis extitit ſpecies, vt aliquid ſignificaret, atque prædiceret. Sic igitur apparet, quod miſſio viſibilis, neque attenditur ſecundum viſiones propheticas, quæ fuerunt imaginariæ, & non corporales, neque ſecundum ſigna ſacramentalia veteris, & noui teſtamenti, in quibus quædam res præexiſtentes aſſumuntur ad aliquid ſignificandum; ſed Spiritus ſanctus viſibiliter dicitur eſſe miſſus, inquantum fuit monſtratus in quibuſdam creaturis, ſicut in ſignis ad hoc ſpecialiter factis.

Ad tertium dicendum, quod licet, illas creaturas viſibiles tota Trinitas operata ſit, tamen factę ſunt ad demonſtrandum ſpecialiter hanc, vel illã perſonam. Sicut enim diuerſis nominibus ſignificatur Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus, ita etiam diuerſis rebus ſignificari potuerũt, quamuis inter eos nulla ſit ſeparatio, aut diuerſitas.

Ad quartum dicendum, quòd perſonam filij declarari oportuit, vt ſanctificationis auctorem, vt dictum eſt; & ideò oportuit, quod miſſio viſibilis filij fieret ſecundum naturam rationalem, cuius eſt agere, & cui poteſt competere ſanctificari. Indicium autem ſanctificationis eſſe potuit quæcunque alia creatura. Neque oportuit, quod creatura viſibilis ad hoc formata, eſſet aſſumpta à Spiritu ſancto in vnitatem perſonæ, cum non aſſumeretur ad aliquid agendum, ſed ad indicandum tantum, & propter hoc etiam, non oportuit, quod duraret, niſi quandiù perageret officium ſuum.

Ad quintum dicendum, quod illæ creaturæ viſibiles formatæ ſunt miniſterio Angelorum: non tamen ad ſignificandum perſonam Angeli, ſed ad ſignificandam perſonam Spiritus ſancti. Quia igitur Spiritus ſanctus erat in illis creaturis viſibilibus, ſicut ſignatum in ſigno, propter hoc ſecũdum eas Spiritus ſanctus viſibiliter mitti dicitur, & non Angelus.

Ad ſextum dicendum, quod non eſt de neceſſitate inuiſibilis miſſionis, vt ſemper manifeſtetur per aliquod ſignum viſibile exterius, ſed ſicut dicitur 1. Corinth. 12. Manifeſtatio ſpiritus datur alicui, ad vtilitatem ſcilicet Eccleſiæ. Quæ quidem vtilitas eſt, vt per huiuſmodi viſibilia ſigna fides confirmetur, & propagetur. Quod quidem principaliter factum eſt per Chriſtum, & per Apoſtolos, ſecundum illud Hebr. 2. Cum initium accepiſſet enarrari per Dominum ab iis, qui audierunt in nos confirmata eſt; & ideò ſpecialiter debuit fieri miſſio viſibilis Spiritus ſancti ad Chriſtũ,

& ad

Digitized by Google

& ad Apoſtolos, & ad aliquos primitiuos Sanctos, in quibus quodammodo Eccleſia fundabatur; ita tamen, quod viſibilis miſſio facta ad Chriſtum, demonſtraret miſſionem inuiſibilem; non tunc, ſed in principio ſuæ conceptionis ad eum factam. Facta autem eſt miſſio viſibilis ad Chriſtũ, in baptiſmo quidem, ſub ſpecie columbæ, quod eſt animal fœcundum, ad oſtendendum in Chriſto auctoritatem donandi gratiam per ſpiritualem regenerationem (vnde vox Patris in omnis; Hic eſt Filius meus dilectus,) vt ad ſimilitudinem vnigeniti, alij regenerarentur. In transfiguratione verò ſub ſpecie nubis lucidæ, ad oſtendendam exuberantiam doctrinæ: vnde dictum eſt, ipſum audite. Ad Apoſtolos autem ſub ſpecie flatus, ad oſtendẽdam poteſtatem miniſterij in diſpenſatione ſacramentorum; vnde dictum eſt eis: Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis. Sed ſub linguis igneis ad oſtendendum officium doctrinæ: vnde dicitur, quod cœperunt loqui varijs linguis. Ad patres autem veteris teſtamenti, miſſio viſibilis Spiritus ſancti fieri non debuit, quia prius debuit perfici miſſio viſibilis filij, quàm Spiritus ſancti, cum Spiritus ſanctus manifeſtet filium, ſicut filius Patrem. Fuerunt autem factæ viſibiles apparitiones diuinarum perſonarum patribus veteris teſtamenti. Quæ quidem miſſiones viſibiles dici non poſſũt, quia non fuerunt factæ (ſecundum Auguſtin.) ad deſignandum inhabitationem diuinæ perſonæ, per gratiam, ſed ad aliquid aliud manifeſtandum

SVPER ARTICVLVLVM COMMENTARIVM.

1 VTRVM *Spiritui ſancto conueniat viſibiliter mitti.* De Spiritu ſancto quærit, & in vnum de Spiritu ſancto, Filioquè reſpondet; Nec mirum. Quia articulo quinto, etiam quærit, *Vtrum Filio conueniat inuiſibiliter mitti*; & ſimiliter, vnica concluſione claudente Filium, & Spiritum ſanctũ ſic reſpõdet, *vtriquè* ſcilicet, Filio, & Spirituiſancto *conuenit inuiſibiliter mitti*, & merito. Quia eadem ratio militat de vtroquè; & potuit ſimul in vnũ de vtroquè etiam formare quæſitum. Placuit fortaſſe ibi formare quæſitum de inuiſibili miſſione Filij, quia inuiſibilis miſſio magis apertè conſtat de Spiritu ſancto, quàm de Filio; & hìc magis apparet viſibilis miſſio Filij, quàm Spiritus ſancti.

2 *Deus prouidet omnibus ſecundùm vniuſcuiuſquè modum*, ideſt capacitatem.

3 *Eſt autẽ modus connaturalis hominis*, ideſt, proportionatus naturæ illius.

4 *Sicut igitur ſe ipſum Deus, & proceſſiones æternas perſonarum per creaturas viſibiles, ſecundùm aliqua inditia hominibus quodammodo demonſtrauit. Demonſtrauit*, loquendo de proceſſionibus æternis, non ante ipſarũ reuelationẽ, quaſi per ipſas viſibiles creaturas peruenire poſſimus ad cognitionẽ proceſſionũ diuinarũ, ſed ſuppoſita ipſarum reuelatione. *Demonſtrauit*, ideſt, indicauit, vnde non dixit abſolutè *demonſtrauit*, ſed *quodammodo*.

5 *Spirituiſancto inquãtũ procedit vt amor, cõpetit eſſe ſanctificationis donum; Filio autẽ in quantũ eſt Spiritus ſancti principiũ, cõpetit eſſe ſanctificationis huius authorem*, ideſt principium notionale, principium ſcilicet, de principio; non principiũ de nõ pricipio, quod conuenit Patri, cui non conuenit mitti. Per *Authorem* ergo intelligit illam perſonam, cui conuenit eſſe miſſam.

6 *Et ideò Filius viſibiliter miſſus eſt, tanquã ſanctificationis author*, ideſt, terminatiuè, quatenùs perſonans naturam humanã Chriſti Domini. Quoniam author effectiuus ſanctificationis eſt Deus, vt Deus eſt abſolutè.

7 In reſp. ad 1. *Et ſic ratione naturæ aſſumptæ, Filius dicitur minor Patre.* Nota optimam diſparitatis rationem, quare de Spiritu ſancto qui colũbæ ſpeciæ repræſentabatur, non dictum eſt, quòd minor ſit Patre, vel quod Pater ſit Spiritu ſancto maior. Quia ſcilicet, Filius aſſumpſit creaturam viſibilem hypoſtaticè ſibi vnitam, ac proinde, propter communicationem idiomatum, quicquid de illa creatura dicitur, dici quoquè de Filio Dei neceſſe eſt; ac per conſequens, nè detur erroris occaſi, neceſſe fuit exprimere, ꝙ Pater ſit maior Filio quantũ ad humanã naturã. Quòd verò errandi periculũ in Spiritu ſancto in forma columbæ abfuit, cõſtat; quia colũba non fuit hypoſtaticè à Spiritu ſancto aſſũpta, vnde ceſſat iſta neceſſitas. Hoc idẽ docet D. Auguſt. lib. 2. de Trin. cap. 6. ſic dicens. *Ideo autẽ nuſquã ſcriptũ eſt, quòd Deus Pater maior ſit Spiritu ſancto, vel Spiritus ſanctus minor Deo Patre, quia nõ ſic eſt aſſũpta creatura, in qua appareret Spiritus ſanctus, ſicut aſſũptus eſt Filius hominis, in qua forma ipſius Verbi Dei perſona præſẽtaretur.* Et poſt multa. *Non tamen ita poſſumus dicere Spiritũ ſanctũ, & Deũ, & columbã; aut & Deum, & ignẽ; ſicut dicimus Filiũ, & Deũ, & hominẽ; Nec ſicut dicimus Filiũ agnũ Dei, nõ ſolũ Ioanne Baptiſta dicẽte, Ecce agnus Dei, ſed etiã Ioanne Euãgeliſta vidẽte agnũ occiſũ in Apocalipſi &c.* & multis ibidẽ interiectis, *Nõ tamẽ*, inquit, *minor Patre dict⁹ eſt, ſicut Filius propter formã ſerui: quia illa forma ſerui inhæſit ad vnitatẽ perſonæ: illæ verò corporales ſpecies ad demonſtrãdũ, quòd opus fuit, ad tẽpus apparuerunt, & eſſe poſtea deſtiterunt.* D.Aug.

Digitized by Google

FORMATIO ARTICVLI.

BIpartita eſt corporis diſtributio. Primò, recitat duas Doctorum opiniones. Secundò, vtrumquè dicēdi modum rectè conciliat.

Quò ad primum, tria facit. Primò, refert primam opinionem. Secundo, explicat quomodo intelligatur, cum dicitur Filius à Spiritu ſancto miſſus. Et tertiò, refert ſecundam opinionem, quę eſt Diui Auguſtini.

Quò ad horum primum, ſic ait. *Circa hoc inueniuntur aliqui diuerſimodè locuti eſſe; Secundùm quoſdam enim perſona diuina non mittitur, niſi ab eo, à quo eſt æternaliter*. Ecce prima opinio.

Quò ad horum ſecundum, ſic ait. *Et ſecundùm hoc, cum dicitur, Filius Dei miſſus à Spiritu ſancto, referendum eſt hoc ad humanam naturam, ſecundum quam miſſus eſt ad prædicandum à Spiritu ſancto*.

Quò ad horum tertium, ſic ait. *Auguſtinus autem dicit 2. de Trinitate, quòd Filius mittitur, & à ſe, & à Spiritu ſancto, & Spiritus ſanctus etiam mittitur, & à ſe, & à Filio, vt ſic mitti in diuinis non conueniat cuilibet perſonæ, ſed ſolùm perſonæ ab alio exiſtenti; mittere autem conueniat cuilibet perſonæ*.

Quò ad ſecūdum principale, tria facit. Primò, dicit vtrumquè habere aliquo modo veritatē; Ponens diſtinctionem; & ſub primo eius membro pro prima opinione vnam cōcluſionem. Secundo, ſub alio diſtinctionis membro, alteram pro ſecunda opinione ponit concluſionem. Et tertiò tacitæ reſpondet obiectioni.

Quo ad horum primum, ſic ait. *Vtrumquè autem habet aliquo modo veritatem;* & ponit hoc modo diſtinctionem; quia *cum dicitur aliqua perſona mitti, deſignatur, & ipſa perſona ab alio exiſtens; Et effectus viſibilis, aut inuiſibilis, ſecundùm quē miſſio diuinæ perſonę attenditur*. Ecce diſtinctio.

Concluſio autem pro prima opinione eſt iſta. *Si igitur*, inquit, *mittens deſignetur vt principium perſonæ, quæ mittitur, ſic nō quęlibet perſona mittitur, ſed ſolùm illa, cui conuenit eſſe principium illius perſonæ. Et ſic Filius mittitur tantùm à Patre, Spiritus ſanctus autem à Patre, & Filio*.

Quò ad horum ſecundum, ſecundā concluſionem pro ſecunda opinione hoc modo ponit. *Si verò perſona mittens intel-*

ARTICVLVS OCTAVVS.

Vtrum aliqua perſona diuina mittatur, niſi ab ea, à qua procedit æternaliter.

AD octauum ſic proceditur, videtur, quod nulla perſona diuina mittatur, niſi ab ea, à qua procedit æternaliter. Quia ſicut dicit Auguſt. lib. 4. de Trinit. Pater à nullo mittitur, quia à nullo eſt. Si ergo aliqua perſona diuina mittitur ab alia, oportet quod ſit ab illa.

2 Præterea. Mittens habet auctoritatem reſpectu miſſi, ſed reſpectu diuinæ perſonæ non poteſt haberi auctoritas, niſi ſecundum originem: ergo oportet, quod diuina perſona, quæ mittitur, ſit à perſona mittente.

3 Præterea. Si perſona diuina poteſt mitti ab eo, à quo non eſt, nihil prohibebit dicere, quod Spiritus ſanctus detur ab homine, quamuis non ſit ab eo; quod eſt contra Auguſt. lib. 3. de Trinitate: ergo diuina perſona non mittitur, niſi ab ea, à qua eſt.

Sed contra eſt, quod Filius mittitur à Spiritu ſancto, ſecundum illud Iſaiæ 48. Nunc miſit me Dominus Deus, & Spiritus eius: Filius autem nō eſt à Spiritu ſancto: ergo perſona diuina mittitur ab ea, à qua non eſt.

Reſpondeo dicendum, quod circa hoc inueniū tur aliqui diuerſimodè locuti eſſe. Secundum quoſdam enim perſona diuina non mittitur niſi ab eo, à quo eſt æternaliter; & ſecundum hoc cum dicitur, Filius Dei miſſus à Spiritu ſancto, referendum eſt hoc ad humanam naturam, ſecundum quam miſſus eſt ad prædicandum à Spiritu ſancto. Auguſt. autem dicit lib. 2. de Trinitate quod Filius mittitur, & à ſe, & à Spiritu ſancto, & Spiritus ſanctus etiam mittitur, & à ſe, & à Filio, vt ſic mitti in diuinis, non conueniat cuilibet perſonæ, ſed ſolum perſonæ ab alio exiſtenti; mittere autem conueniat cuilibet perſonæ. Vtrumque autem habet aliquo modo veritatem, quia cum dicitur aliqua perſona mitti; deſignatur & ipſa perſona ab alio exiſtens, & effectus viſibilis, aut inuiſibilis, ſecundum quem miſſio diuinæ perſonæ attenditur. Si igitur mittens deſignetur, vt principium perſonæ, quæ mittitur, ſic non quælibet perſona mittit, ſed ſolum illa, cui conuenit eſſe principium illius perſonæ; & ſic Filius mittitur tantum à Patre, Spiritus ſanctus autem à Patre, & Filio. Si verò perſona mittens intelligatur eſſe principium effectus, ſecundum quem attenditur miſſio, ſic tota Trinitas mittit perſonam miſſam. Non autem propter hoc, homo dat Spiritum ſanctum, quia nec effectum gratiæ poteſt cauſare; & per hoc patet ſolutio ad obiecta.

intelligatur eſſe principium effectus, ſecundum quem attẽditur miſſio, ſic tota Trinitas mittit perſonam miſſam.

Quò ad horum, tertium ſic ait. *Non autem propter hoc, homo dat Spiritum sãctum, quia nec effectum gratiæ poteſt cauſare.*

Ad primum argumentum ex dictis reſpondet, concedendo antecedens, & negando conſequentiam; & ratio negationis eſt; quia mitti non conuenit cuilibet perſonæ, ſed ſolùm perſonæ ab alio exiſtenti, licèt à perſona mittente æternaliter, perſona miſſa non procedat.

Ad ſecundum argumentum reſpondet, explicando maiorem. *Mittens*, vt principium perſonæ, quæ mittitur, *habet authoritatem reſpectu miſſi*, concedit maiorem. *Mittens* pro vt deſignat effectum viſibilem, vel inuiſibilem cauſatum à mittente, *habet authoritatem &c.* negat maiorem vniuerſaliter. Tunc conceſſa minori, negat conſequentiam.

Ad tertium argumentum reſpondet, negando ſequelam, & rationem negationis aſſignat, quia *nec Spiritum ſanctum, nec effectum gratiæ homo poteſt producere.*

SVPER ARTICVLVM COMMENTARIVM.

1 *VTrumquè autem habet aliquo modo veritatem.* Hinc habes, quod ſecundùm Sanctum Thomã, cum diſtinctione ad quæſitũ reſpondetur. Sed eſt obſeruanda explicatio Caietani, ſcilicet, quòd proceſſio miſſi ab aliquo, ſeù à mittente, dupliciter conſiderari poteſt; Secundùm ſe ſcilicet; & ſecundùm nouum modum eſſendi. Primò modo, miſſum debet procedere à mittente. Secundò autem modo, ſufficit, vt perſona miſſa ab aliqua perſona procedat, & ab alia mittatur. Et iuxta hanc diſtinctionem, quæ eſt ipſa diſtinctio à D. Thoma poſita, taliter verus eſt vterquè dicendi modus, vt vterquè ſit verus; Et alter non ſit alteri oppoſitus.

2 *Et effectus viſibilis, aut inuiſibilis, ſecundùm quem miſſio diuinæ perſonæ attenditur.* *Attenditur*, ideſt, completur, vnde, non eſt ſenſus, quòd completa, & totalis ratio miſſionis perſonæ diuinæ attenditur ſecundùm effectum viſibilem, aut inuiſibilem; ſed quòd miſſio perſonæ diuinæ vltra ordinem quem dicit inter perſonam mittentem, & miſſam, completur per effectum ad extra &c.

DISPVTATIO CCXXI.

VTRVM RE VERA ALIQVA PERSONA diuina mittatur.

Per vnicum caput expedita.

CAPVT VNICVM.

Breuis diſputationis reſolutio.

1 NOn defuerũt opinantes, nullam perſonam re vera ſecundùm ſubſtãtiam miſſam alicui creaturæ rationali fuiſſe; Nihilominus communiſſima Theologorum ſententia eſt affirmatiua; Vnde,

2 Pro determinatione veritatis, Dico breuiter; re vera perſona diuina mittitur ſecundùm ſubſtantiam.

3 Senſus huius concluſionis eſt, quòd non ſolùm à Deo infunditur gratia ſanctificans animæ rationali, & conferuntur dona ſupernaturalia ad intellectum, & voluntatem pertinentia; verumetiã mittitur

mittitur ipſa perſona, v. g. quando conferuntur dona ſupernaturalia ad intellectum pertinentia, mittitur cum eis perſona Filij, & quando conferuntur dona ſpectantia ad voluntatem, mittitur etiã cum iiſdem perſona Spiritus ſancti.

4 Probatur authoritatibus Sacræ ſcripturæ. Dicit enim Chriſtus Dominus
Matt. 11. Ioan. 5. Matth. 11. *Qui me recipit, recipit eum, qui miſit me*. Et Ioan. 5. *Vt omnes honorificent Filium, ſicut honorificant Patrem, qui miſit illum*. Et Ioan. 8. *Ego, & qui miſit me Pa-*
Ioan. 8. & 15. Rom. 5. *ter*. Et 15. *Quem ego mittam vobis à Patre*. Et ad Rom. 5. *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis*. In hoc præſertim teſtimonio duo habentur; Vnum eſt, quod donum charitatis diffuſum eſt in cordibus noſtris; Alterum verò, quòd Spiritus ſanctus datus eſt nobis. Ergo perſona Spiritus ſancti ſecundùm ſubſtantiam eſt re vera miſſa. Patet iſta conſequentia; quia quamuis perſonam diuinam eſſe datam nobis, non ſit illam eſſe miſſam formaliter loquẽdo; eò quia perſona Patris poteſt dare ſe ipſam nobis, & non propterea diceretur miſſa. Patri enim, vt Diuus Thomas art. 4. probat, non conuenit mitti; ſed mittere; attamen, aliquam perſonam procedentẽ ab alia, eſſe nobis datam, eſt nobis eſſe miſſam.

Arriaga. 5 Arriaga diſp. 55. ſect. 1. num. 3. putat loca Sacræ ſcripturæ, præſertim hũc vltimum, non probare intentum, & ſic ait. *Hæc tamen omnia non videntur maiorẽ habere vim, quàm quæ primò allata erant, qui enim ſemel doceret, ideò in ſcriptura perſonas dici miſſas, quia dona, quæ illis attribuuntur, conceduntur nobis; facilè hoc ipſum doceret de donatione perſonæ*. Et paucis interiectis. *Ad illa verò*, inquit, *Scripturæ loca, in quibus, quaſi duo diuerſa ponuntur, datio Spiritus ſancti, & productio donorum, faciliimè reſponderet, non vt duo diſtincta, ſed vnum eſſe declarationem alterius, ideoquè dici Spiritum ſanctum miſſum, quia* (nota) *datur nobis charitas, non quia ille in ſe mittitur*.

Florent. 6 Sed hæc expoſitio contradicit Concilio Florentino collat. 19. §. *Beatus Cyrillus* fol. mihi 237. vbi ſic dicitur. *Eodem modo accipimus aliqua à Spiritu, vt accipimus aliqua à Filio, quia accipiendo Spiritum à Filio, accipimus dona Spiritus ſancti vna cum ſpiritu, & accipiendo ſpiritum, accipimus ſpiritum cum donis; & hoc dicit Apoſtolus; Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis*. Et ſubdit ſic arguens. *Si ergo accipimus Spiritum à Filio, accipimus dona vna cum ſpiritu, ſiuè dona à ſpiritu; Nos accipimus ſpiritũ cum donis*. Ex quibus Sacri Concilij verbis duo euidenter habentur; Vnum eſt expreſſa probatio concluſionis. Probat enim ibi Concilium ex ore Ioannis Latini, quod non ſolùm accipimus dona Spiritus ſancti, verumetiam ſimul cum eis accipimus ipſam perſonam Spiritus ſancti. Alterum eſt validitas authoritatis Sacræ ſcripturæ ex Rom. 5. pro concluſione, & imbecillitas reſponſionis Arriagæ. Itaque expoſitio non tam facilè ſatis facit argumento, quin Sacro Concilio Florentino contradicat.

7 Sed contra iſtam determinationem obijciet aliquis primò authoritate D. Io: Chryſoſt.
Chryſoſtomi homil. de Spiritu ſancto: *Quando*, inquit, *Spiritus ſanctus per gratiam Sãctorum dat mihi, vel alicui chriſtianorum ſanctificationem, accipiẽdo donum, ita vt ſanctum habeam, & corpus, & animam*. Ergo nõ datur ipſa perſona Spiritus ſancti, cum D. Chryſoſtomus appellet donum ſanctitatem ipſam.

8 Reſpondetur, concedendo antecedẽs, & negando conſequentiã; quia D. Chryſoſtomus vnum affirmans pura dari nobis donum, alterum non negat, nempè ipſam perſonã Spiritus ſancti etiam dari.

9 Dices. D. Chryſoſtomus ibi ſic ait. *Non putes quod Spiritus ſanctus datur*.

10 Sed lege quod ſequitur. *Sicut ſeruus Dei, aut ſicut minor, ſeu datur eius donum, tanquàm quid inferius*. Ibi enim loquitur contra eos hæreticos, qui aſſerebant Spiritum ſanctum eſſe creaturam, eò quia, mittitur. mitti autem ad inferiorem pertinet, ſicut mittere ad ſuperiorem ſpectat. Et D. Chryſoſtomus eos hæreticos confutans, ait, quòd Spiritus ſanctus non mittitur *vt ſeruus Dei, neque vt quid inferius Deo*, licèt donum ſupernaturale, quod confertur cum Spiritus ſanctus datur, ſit quid creatum, & inferius Deo.

11 Obijciet ſecundò. Si perſona Spiritus ſancti v. g. re vera daretur, tunc eſſet, quando animæ confertur gratia ſanctificans, & voluntati infunditur charitas. Sed hoc non eſt. Ergo. Maior patet. Probatur minor: quia pueri in regeneratione ſpirituali per lauacrum, ſcilicet, Sacramenti baptiſmi, recipiunt gratiam ſanctificantem in eſſentia animæ, & in voluntate charitatem. Sed pueris non mittitur perſona Spiritus ſancti. Ergo. Maior patet. Probatur minor; quia Spiritus ſanctus cum mittitur, eſt in perſona ad quam mittitur, vt amatum in amante: ſed pueri cum careant rationis vſu non habent Spiritum ſanctum vt amatum, cum non ſint amantes. Ergo.

12 Reſpondetur, concedendo maiorem, & negando minorem. Ad cuius probationem, concedo maiorem, & nego minorem. Ad cuius probationem, diſtinguo,

Digitized by Google

guo, ſeù explico maiorem. Spiritus ſanctus cùm mittitur, eſt in perſona ad quã mittitur, vt amatum in amante, actualiter, vel habitualiter, concedo maiorem. Semper, & tantùm actualiter, nego maiorem. Similiter explicanda eſt minor, & neganda eſt conſequentia.

13 Obijciet tertiò. Spiritus ſanctus, v. g. eſt in homine exiſtente in peccato mortali ſecũdùm ſubſtantiam iuxta tres cõmunes eſſendi modos, ſcilicet, per eſſentiam, præſentiam, & potentiam. Ergo quando eſt in eodem peccatore per habitum ſanctificãtis gratiæ, & per donum charitatis eſt in eo per dona creata, & nõ ſecundùm nouum modum eſſendi.

14 Reſpondetur, concedendo antecedẽs, & negando conſequentiam. Non enim implicat, quòd Spiritus ſanctus ratione virtutis operatiuæ eſſentialis ſit ſecundũ ſubſtantiam ſuam, per eſſentiam præſentiam, & potentiam, & quòd ſimul ſit ſecundùm præſentiam perſonalem vt amatum in amante, ſicuti Filius eſt in humanitate Chriſti per tres præfatos eſſendi modos, & etiam ſpecialiori modo, ſuppoſitando ſcilicet, ſeù ſuſtentando ſacratiſſimam Chriſti Domini humanitatem.

15 Contra. Ad eſſendum in aliquo, vt amatum in amante, non requiritur præſentia perſonæ amatæ ſecundùm ſuam ſubſtantiam: ſed Spiritus ſanctus iuxta hunc dicendi modum, eſt vt quid amatũ in amante. Ergo non eſt ſecundùm ſubſtantiam, ſed tantummodo dona creata animæ conferuntur.

16 Reſpondetur, explicando maiorem. Ad eſſendum in aliquo, vt amatum in amante qualitercumquè, non requiritur &c. concedo maiorem. Ad eſſendum in aliquo, vt amatum in amante, ad hoc, vt amans, perſona rei amatæ fruatur, & ex eius præſentia ſecundum ſubſtantiam delectetur; & inſuper, ad hoc, vt perſonæ amatæ proceſſio ab alio manifeſtetur, non requiritur &c. nego maiorem. Similiter exponenda eſt minor, & negãda eſt conſequentia.

17 Obſerua, quòd quando aliqua perſona diuina mittitur, duplex interuenit illius miſſionis finis. Principalior vnus; minùs principalis alter. Primus, eſt propter oſtenſionem, ſeù manifeſtationem proceſſionis perſonæ, quæ mittitur; alter verò, eſt propter vtilitatem creaturæ rationalis, ad quam fit miſſio. Licèt igitur nõ ſit eſſentialis connexio inter dona collata, & miſſionem perſonę ſecundùm ſubſtantiam abſolutè loquendo, & ex hoc, quòd anima dicitur ſupradictis donis ſupernaturalibus inſignita, tamen eſt de ratione collationis donorum, vt propter oſtenſionem proceſſionis perſonæ quæ mittitur, & propter talem modum fruẽdi perſona, eſt omninò neceſſaria miſſio perſonæ ſecundùm ſubſtantiam.

18 Vt explicetur modus, quo perſona miſſa eſt in iuſto amãte eam, vel cognoſcẽte actualiter aut habitudinaliter, placet exemplum Magiſtri Bañes qui art. 3. huius quæſtionis ad 3, ſic ait. *Vnde quidã graues Theolog. dicunt, quòd Spiritus ſanctus eſt in anima iuſti, qui actu diligit Deum ex charitate, veluti cibus eſt in ore comedentis. In eo vero, qui ſolùm habitualiter diligit, eſt velut cibus in ore eius, qui nondum cœpit maſticare.* Bañes.

19 Obijciet quartò. Deus vt vnus, & trinus, etiam eſt in voluntate hominis iuſti, vt amatus & vt cognitus (loquor de homine viatore) Ergo etiam Deus vt vnus, & trinus debet eſſe præſens voluntati amanti per charitatem & intellectui, ſeù intelligenti per fidem informatã charitate ſecundùm realem præſentiam. Sed hoc non eſt dicendum. Ergo. Antecedẽs patet; quia per charitatem non ſolùm diligitur perſona Spiritus ſancti, ſed etiã Deus vt in ſe eſt. Imo formaliùs, & immediatiùs diligitur Deus vt in ſe eſt. quã perſona Spiritus ſancti ſecundùm rationem perſonalem. Conſequentia colligitur ex antecedẽti; quia ideo per nos perſona Spiritus ſancti ſecundùm ſubſtantiam eſt in homine iuſto, quia eſt in eo vt amatum in amante. Minor verò ſubſumpta probatur; quia ſi Deus vt vnus, & trinus eſſet in homine iuſto ſecũdùm realem præſentiam in illo eſſe obiectiuo, homo ille eſſet re vera beatus, quia haberet Deum ſibi præſentem ſecundùm ſubſtantiam. Ergo.

20 Reſpondetur, concedendo antecedẽs, & diſtinguendo, ſeù explicando conſequens. Ergo &c. ſecundùm realem præſentiam per modum cuiuſdam ſpiritualis dulcedinis, ſeù cuiuſdam practicæ refectionis ſpiritualis, concedo conſequẽtiam. Quantùm ad rationem formalem, ac motiuam intellectus credentis, nego conſequentiam. Similiter explicanda eſt minor ſubſumpta, & neganda eſt conſequentia. Et per idem patet ad probationem.

21 Senſus eſt, quòd cum dicitur miſſus Filius, v. g. eſt in anima ad quam mittitur, ſicut cognitum in cognoſcente, ſecundùm ſubſtantiam perſonæ Filij; dupliciter Deus eſt ſecundùm realem ſuam præſentiam. Primò ratione ſcilicet, intuitiuæ viſionis, qua Deus eſt per ſe ipſum intimè præſens, ſicut tom. 1. explicauimus. Et ſecundò, ratione ſpecialis illius

Digitized by Google

illuſtrationis intellectus, qua Deus animam habitans, propter ſanctificantem gratiam, intellectum illuſtrat, vt ſic eius in habitatio cognoſcatur, vt ad amorem voluntatem accendat. In beatis vtroquè modo mittitur; in via, ſecundo modo tãtùm. Vide D. Thomam art. 5. ad 2. vbi ſic ait. *Non igitur ſecundùm quamlibet perfectionem intellectus mittitur Filius, ſed ſecundùm talem inſtitutionem, vel inſtructionem intellectus, qua prorumpat in affectum amoris. vt dicitur Ioann. 6. Omnis qui audiuit à Patre, & didicit, venit ad me. & in Pſalm. In meditatione mea exardeſcet ignis. Et ideo,* ſubdit, *ſignanter dicit Auguſtinus, quòd Filius mittitur, cum à quoquàm cognoſcitur, atquè percipitur, Perceptio autem experimentalem quandam notitiam ſignificat. Et hæc propriè dicitur ſapientia, quaſi ſapida ſcientia. Secundum illud Eccleſiaſt. 6. Sapientia doctrinæ, ſecundùm nomen eius eſt.* Eſt igitur Deus, & Filij perſona miſſa, vt cognitum in cognoſcente, non quaſi exiſtentia Dei ſit mouens intellectum credentis ad cognoſcendum eum, ſicuti eſt in ſe, non cognoſcitur in viri, ſed vt experimentaliter cognitus, tanquàm cauſa cognitionis, qua iuſtus prorumpat in actum amoris Dei. Vide Commentarium art. 5. nu. 8.

DISPVTATIO CCXXII.

VTRVM PERSONA, QVÆ MITTITVR IN DIVINIS, mittatur tantummodò à perſona, à qua procedit

Per vnicum caput expedita.

CAPVT VNICVM.

Explicatur titulus, Doctorum opiniones referuntur, & veritas ſtabilitur.

1 DIVVS Thomas tractat hoc quæſitũ in vltimo huius quæſtionis articulo. & cum duplex ſit dicẽdi modus, affirmatiuus vnus & negatiuus alter; & cum varietas ſit inter Doctores magnæ authoritatis, conatur vtrumquè dicendi modum ad concordiam reuocare, vt ipſum legenti patet. Nihilominùs poſt ipſum. Doctores, etiam eiuſdem Angelici Præceptoris expoſitores, in varios dicẽdi modos ſunt diuiſi. Quidam enim dicunt, quòd perſona nõ dicitur propriè miſſa, niſi à perſona producente; quod ſi propriè, tamẽ minùs propriè dicitur miſſa à perſona à qua non procedit. (D. Thom.)

2 Dicit itaquè hæc opinio tria, vnum eſt, quòd perſona nullo modo ab alia perſona procedens, nullo modo dicitur miſſa, & in hoc conueniunt omnes. Eſſentia enim diuina licèt, non ſit perſona, cum tamen, non ſit ab alio procedens, non dicitur miſſa, benè tamen donata, ſeù eſſẽtiale donum; Pater, quià eſt perſona prima à nulla alia cognoſcens proceſſionẽ, dicitur nobis datus, ſcilicet, à ſe ipſo; ſed non eſt miſſus. Alterum eſt, quòd tantummodò perſonæ procedentes dicuntur miſſæ. Et hoc etiam eſt commune. Aliud tandem eſt, quòd perſona procedens, v.g. perſona Filij, procedens à perſona Patris tãtùm, ad hoc vt propriè dicatur miſſa, debet mitti à perſona Patris tantùm; à perſona vero Spiritus ſancti non dicitur propriè miſſa, & ſi propriè, tamen minus propriè, quam ſit miſſa à Patre. Ita Capreolus in 1. diſt. 15. q. vnica art. 2. concl. 2. vbi ſic ait. *Mittere perſonam diuinam propriè conuenire Patri, & Filio, ſed minùs propriè conuenit Spiritui ſancto.* Et multis interiectis immediatè ante argumenta Aureoli, ſic ait. *Ex quibus patet, quod cũ dicitur, Filius, vel Pater mittit Spiritum ſanctum, Pater, vel Filius deſignatur eſſe principium duorum, quæ importat miſſio, ſcilicet quòd Spiritus ſanctus eſt ab alio, & quòd eſt nouo modo in alio, cum autem dicitur, Spiritus ſãctus mittit ſe, ipſe non deſignatur eſſe principiũ illorum duorum, ſed ſolùm vnius, & licèt quælibet iſtarum propoſitionum ſit propria, tamen prima plus videtur habere proprietatis, ſicut & iſta, Filius mittit Spiritum ſanctum, quàm iſta, Filius mittit ſe ipſum.* Et concludit ſic; *Et credo, quòd iſta ſit mens ſancti Doctoris.* Idẽ (Capreol.)

tenet

tenet Caietanus art. 8. huius quæſtionis; & ferè communiter Doctores.

3 Alij verò dicunt, vtroquè modo perſonam producentem poſſe dici verè, & propriè miſſam. Verùm, ſi attentè, & accuratè loqui velimus, nulla eſt inter Doctores diſcrepantia, niſi in ſola voce, & quis negabit, magis propriè dici perſonam mittentem, eam, quæ producit perſonam miſſam, quàm eam, quę non producit? Vnde,

4 Pro determinatione veritatis, Dico breuiter. Perſona procedens magis propriè dicitur miſſa à perſona producente, quàm à perſona non producente.

5 Hoc dictum mihi videtur eſſe conforme doctrinæ Sancti Thomæ. Nam D. Thomas in hac quæſtione, quā per octo articulos compleuit, vbertim de miſſione perſonarum diuinarum tractās, ſemper intonuit, & abſolutè dixit, quòd miſſio dicit duplicem habitudinem, ad perſonam ſcilicet, mittentem, & ad terminū, ratione cuius mittitur; primam, ſemper dixit eſſe proceſſionem perſonæ miſſæ à perſona mittente. Ergo magis propriè, ac proinde, abſolutè loquendo, ad mentem D.Thomæ dicendum eſt, quod perſona miſſa mittitur à perſona producente; à perſona verò non producente, vel non propriè, vel ſi propriè, non magis, nec æquè, ſed minùs propriè.

Florent. 6 Probatur minor; quia ſic tenet Concilium Florentinum collat. 21 §. *Ego dico*, pagina mihi 265. vbi hæc habentur verba. *Ex his duobus, eſt aduertendum primò, quòd volens ponere differentiam genituræ Filij, & proceſſionis Spiritus ſancti, aſſignat hoc pro ratione, quia Filius ab vno naſcitur, & Spiritus ab vtroquè. In ſecundo* (Nota quæſo verba ſequentia) *dat nobis vnum nobile documentum*. Quod autem eſt hoc nobile documentum? Audiamus; *quòd omnis miſſio temporalis præſupponit proceſſionem æternam à perſona, quæ mittit. Vnde cum dicitur, mitti à Patre, & Filio, dicitur, vt de ipſorum ſubſtātia procedere, & vnum opus cum eis agere dignoſcatur*. Quid clariùs?

Gregor. 7 Confirmatur: Quia D.Gregorius homil. 26. in Euangelia paulò poſt principium loquens de Filio miſſo, ſeu de miſſione Filij, ſic ait; *Eo mittitur Filius, quo generatur.* Quam authoritatem D.Thomas explicans in 2. huius quæſtionis articulo, dicit, quod ideo ſic dixit, *quia ex hoc ipſo Filius habet, quòd poſſit mitti, quòd eſt ab æterno genitus*. Et alij ly, eo, nō exponunt cum accentu, quaſi aduerbialiter, ſed nominaliter, ita vt ſenſus ſit, *eo*, ideſt, ab *eo mittitur, à quo generatur*. Ergo &c. Sunt multę Sanctorum pro hoc dicto authoritates, quas gratia breuitatis relinquo, eò vel maximè, quia verba Concilij Florentini per Ioannem Latinum in doctrina D. Thomæ verſatiſſimum pro noſtra ſententia apertiſſima ſunt, & vera.

8 Probatur ſecundo ratione. Miſſio nō ſolùm dicit actum eſſentialem, verum etiam notionalem: ſed perſona nō producēs nullum habet actum notionalem actiuè loquendo, reſpectu perſonæ miſſæ. Ergo perſona non producens, non poteſt ita propriè dici mittēs, ſicuti perſona producens. Patet conſequentia; quia deeſt illi aliquid perfectiuè pertinēs ad rationem miſſionis. Ergo. Antecedens verò debet eſſe certum; eò quia, ſi miſſio perſonæ diuinæ non diceret quoquè actum notionalem, impertinenter omninò diceretur perſona miſſa à perſona producente, & quaſi purè materialiter concurreret perſona producens. Hoc autem non eſt verum. Ergo. Maior patet; & ſimiliter minor; Namquè in ſacra Scriptura frequentiſſimus loquendi modus eſt, quod Filius miſſus eſt à Patre, & Spiritus ſanctus ſimiliter. Iuxta illud; *Qui miſit me Pater*, & illud; *Quem Pater mittet in nomine meo*, & illud; *Mittam vobis Spiritum veritatis &c.*

9 Explicatur vis huius rationis. Actualis creatio duo dicit, vnum eſt ipſamet ſubſtantia Dei; alterum verò actualis fluxus rei à Deo creante. Primo modo, eſt æterna; ſecundo modo, eſt temporalis; eò quia, ſic diſpoſitum fuit ab æterna voluntate diuina, vt ſcilicet, in tempore procedat aliquid ab eo, quod æternum eſt. Ideoque illud idem, quod æternum eſt, in tempore res ad extra producit. In caſu noſtro dicimus, quod ipſamet productio, v. g. qua Pater ab æterno Filium produxit, ſuppoſita diuinæ voluntatis determinatione, vt habitet in creatura rationali, tanquàm in ſuo templo ſacro, per ſanctificātem gratiam, & intellectus illuminationem, dicitur miſſio perſonæ Verbi in anima Chriſti Domini, quæ facta eſt à primo inſtanti conceptionis; ſimiliter, productio Spiritus ſancti æterna, quando poſtea in tempore per inhabitātem, & ſanctificantem gratiam Deus eſt in anima tanquàm in templo ſuo, dicitur miſſio Spiritus ſancti. Ecce igitur, quomodo in miſſione perſonæ diuinæ concurrit aliquod notionale ex parte perſonæ mittentis, & licet ratione termini ſit in tempore, non tamen eſt diſtincta actio à productione æterna perſonę miſſæ. Quod magis explicatur per ſequentem confirmationem.

10 Confirmatur primò. Quando Deus infundit animæ gratiam gratum facientem cum omnibus donis cōſequentibus

eam,

Digitized by Google

eam, certum eſt, quòd tota Trinitas dicitur habitare in ea, iuxta illud Io. cap. 14. *Ad eum veniemus, & māſionem apud eum faciemus*, tamē per huiuſmodi Deitatis, ſeù ſanctiſſimæ intra animam Trinitatis aduentum, Pater dicitur venire, & habitare; & quia, ipſi tanquàm principio de non principio omnia etiam toti Trinitati cōmunia tribuuntur; Idcircò aliæ perſonæ ſimul cum Patre habitante, ſdicūtur miſſæ à Patre, non quòd ſint tantùm illæ, & non ipſe cum illis, ſed quia illę totum, quod habent, vt à Patre procedētes poſſident, idcircò earum aduentus vocatur miſſio. Quapropter, quantùm ad decretum diuinæ voluntatis, omnes tres perſonæ diuinæ dicuntur vnus Deus decernens; Quantùm verò ad rationem miſſionis à Patre, habet aliquid Pater, quod non habent Filius, & Spiritus ſanctus; eò quia, Pater dicitur mittens, Filius verò & Spiritus ſanctus miſſi dicuntur. Sic igitur argumentor. Quando Deus per donum ſanctificantis gratiæ, illuminationem intellectus, & inflāmationē affectus, mittit, cōcurrit aliquid eſſentiale, & aliquid notionale ex parte perſonæ mittentis. Ergo perſona magis propriè mittitur a perſona producente, quam à perſona no producente. Antecedens patet; quia concurrit decretum diuinæ voluntatis, quod eſt aliquid abſolutum; concurrit quoquè proceſſio perſonæ miſſæ, quod eſt aliquod notionale: ſed ad hoc notionale non concurrit notionaliter perſona non producēs. Ergo perſona nō producēs, nō dicitur mittere perſonam procedentem, ſicuti dicitur mittere perſona producēs.

Ioan. 14.

21 Confirmatur ſecundò; quia quando aſſeritur, quod perſona non producens, v. g. Spiritus ſanctus, mittit perſonā v. g. Filium, vel hoc conuenit ſoli Spiritui ſancto; vel toti Trinitati. Si primum; hoc eſt falſum apud omnes. Quo enim titulo ſolum Spiritui ſancto mittere Filium conueniret, cum nihil peculiare habeat reſpectu Filij, quòd tota Trinitas ſimiliter nō habeat? Si ſecundum. Ergo hoc eſt aliquod eſſentiale. Hoc non eſt niſi proceſſio à perſona producente. Ergo.

22 Probatur tertiò. Quia mitti, & mittere, ſunt duæ voces, paſſiua vna, actiua altera: Sed mitti, dicit proceſſionem ab alio. Ergo mittere, dicit productionem alterius.

23 Sed contra iſtam determinationem obijciet aliquis primò D. Thomam in 8. huius quęſtionis articulo. Etenim in corpore ait, quòd vtrumquè habet aliquo modo veritatem, & per diſtinctionem ibi poſitam, quæ videri poteſt in littera vtramquè opinionem ad concordiam reuocat. Ergo ſecundùm Sanctum Thomam ſufficit, vt perſona diuina dicatur miſſa, vt ſit ab alia perſona procedens.

14 Reſpondetur, concedendo totum. ſed nihil contra concluſionis intentum; eò quia, D. Thomas vtramquè reconcilians opinionem, ſaluauit vtramquè à falſitate, non tamen ad æqualem ambas reduxit opiniones proprietatem. Vnde conſideratè dixit; *Vtrumquè autem habet aliquo modo veritatem*. Ad hoc enim vt duæ opiniones iuxta diſtinctionem aliquam dicātur eſſe veræ, ſtat quòd vna ſit magis propria, ſeù magis propriè dicta, quā altera, vt patet in infinitis caſibus. Et quia, D. Thomas vbiq; locorum de hac materia diſſerens, ſemper abſolutè docet perſonam miſſam a perſona producente mitti, idcircò opinio docens, quod perſona mittitur ab alia perſona, quæ non eſt producens, eſt bona & vera ſed non cum tanta proprietate, ſicuti eſt opinio, dicens perſonam mitti a perſona producente duntaxat. Formauit autem diſtinctionem in articulo 8. contentam pro vtraquè concordanda opinione, ob reuerentiam D. Auguſtini lib. 2. de Trinit. cap. 5. Et Magiſtri ſententiarum in 1. diſt. 15. q. 2. art. 1. qui affirmant perſonam diuinam Filij dici miſſam etiam à Spiritu ſancto. Vide Durandum in 1. d. ſt. 15. quæſt. 3.

D. Aug. Magiſteri

15 Obijciet ſecundò; Vnum, & idem poteſt eſſe propriè donum & donans. Ergo vna, & eadem perſona diuina poteſt eſſe miſſa & mittens. Antecedens patet; quia tota Trinitas poteſt donare ſe ipſam, & de facto donat per ſanctificātem gratiā, iuxta illud, *Veniemus, & manſionem apud eū faciemus*. Conſequentia verò ex antecedenti deducitur. Idem enim eſt donari, ſeù de facto dari, ac mitti.

Ioan. 4.

16 Reſpondetur, concedendo antecedēs, & negando conſequentiā; ad cuius probationem, nego antecedens; & ratio negationis eſt, quia poteſt eſſe, vt aliquis ſe ipſum donet alicui, cum ſit dominus ſui, & hoc ſufficit ad rationem doni: at verò miſſio, ſeù mitti dicit, habitudinē ad principium, à quo fit miſſio, & ad terminum, vt docet D. Thom. ſup. a. præſertim art. 1. in corpore, & art. 2. ac per conſequens, niſi vocabulis abuti velimus, perſona mittens, & miſſa non poſſunt eſſe vna, eademquè perſona. Vnde patet negationis ratio.

17 Reſpondetur ſecundò; & præcedens reſpōſio declaratur, explicando antecedens. Vnum, & idem poteſt eſſe propriè donum, & donans, loquendo de dono eſſentialiter accepto, concedo antecedens. Loquēdo de dono perſonaliter accepto, adhuc

adhùc explico antecedens. Vnum, & idem poteſt eſſe propriè donum, & donans, ſed non æquè, imo minùs propriè per comparationem ad donum quod diſtinguitur à donante, concedo antecedens. Et æquè propriè, nego antecedens. Ergo &c. ſimiliter explicandum eſt conſequens. Reſponſionis explicatio petenda eſt ex diſcurſu diſputationis.

18 Sed videndus eſt D. Thomas art. 4. huius quæſtionis, vbi quærit vtrum Patri conueniat mitti, & ſic reſpondens ait. [Cum Pater non ſit ab alio, nullo modo conuenit ſibi mitti]; Et contra hanc doctrinam primum proponens argumentum, quod eſt tale; [Mitti enim diuinam perſonam eſt ipſam dari, ſed Pater dat ſe ipſum (cum haberi non poſſit, niſi ſe ipſo donante) Ergo poteſt dici, quòd Pater mittat ſe ipſum]; ſic reſpondet. [Ad primum ergo dicẽdum, quòd ſi dare importet liberalem communicationem alicuius, ſic Pater dat ſe ipſum, inquãtùm ſe liberaliter communicat creaturæ ad fruendum. Si verò importet authoritatem dantis reſpectu eius, quod datur, ſic non conuenit dari in diuinis, niſi perſonæ, quæ eſt ab alio, ſicut nec mitti]. Et in reſponſione ad 2. ſic ait. *Licèt effectus gratiæ ſit etiam à Patre, qui inhabitat per gratiam, ſicut & Filius, & Spiritus ſanctus; quia tamen non eſt ab alio, non dicitur mitti.* Et per hæc aurea D. Thomę verba quod in pręcedentibus reſponſionibus diximus, explicatur.

DISPVTATIO CCXXIII.

VTRVM PERSONA SPIRITVS SANCTI POSSIT AD MINùS per potentiam Dei abſolutã mitti, abſquè collatione ſanctificantis gratię.

Per vnicum caput expedita.

CAPVT VNICVM.

Doctorum opiniones referuntur, & veritas ſtabilitur.

Gregor. 1 GRegorius putat poſſe Spiritum ſanctum mitti ad animam alicuius, abſquè eo quòd anima illa ſit gratia gratum faciente inſignita. Ita in 1. diſt. 14 q. 2. art. 1. concl. 3. quem ſequitur Pater Atriaga diſp. 55. ſect. 5. num. 14.

2 Communis tamen Theologorum ſententia eſt, neque etiam per Dei potentiam abſolutam fieri poſſe, vt perſona Spiritus ſancti, aut quæcumquè alia perſona mittatur ad animam alicuius non habentis ſanctificantem gratiam.

3 Vnde pro determinatione veritatis, Dico primò. Spiritus ſanctus per nullã potentiam poteſt mitti in animam peccato mortali obnoxam.

4 Hoc dictum apud omnes debet eſſe certum; Et probatur. Quia perſona Spiritus ſancti non mittitur, niſi ad templum ſanctum ſuum: ſed anima ſorde læthalis criminis denigrata non eſt templum Spiritus ſancti. Ergo non poteſt eſſe ad talem animam miſſa. Maior patet; Minor verò probatur; quia Spiritus ſanctus non mittitur ad aliquam animã, niſi veluti ad templum ſanctum ſuum, in quo inhabitare dicatur. Ergo anima talis non poteſt eſſe templum Spiritus ſancti.

5 Dico ſecundò. Neque etiam per Dei potentiam abſolutam fieri poteſt, vt Spiritus ſanctus mittatur ad animam alicuius non habentis ſanctificantem gratiam.

6 Suppono, quòd neque etiam de potentia Dei abſoluta fieri poteſt, vt anima ſit Deo grata, abſquè gratia inhærente ipſi animæ, quæ gratia ſanctificãs nominatur; neque etiam poſſe auferri peccatum mortale per ſolam Dei miſericordiam extrinſecam, ſed neceſſariò requiri gratiæ infuſionem.

Digitized by Google

6 Suppono inſuper, quòd dato per impoſſibile poſſit diuinitùs fieri, vt Deus condonet culpam abſquè gratiæ infuſione, non tamen hoc ſtante, diceretur miſſus Spiritus ſanctus.

7 Probatur primò; quia quando mittitur Spiritus ſanctus, debet eſſe aliqualis realis mutatio: Ergo vel ex parte Spiritus ſancti, vel ex parte animæ ad quam Spiritus ſanctus mittitur. Non primum, quia Spiritus ſanctus eſt Deus; Deus autem eſt omnino immutabilis. Ergo ſecundum. Sed non poteſt fieri realis mutatio in anima ſine aliquo realiter eidem animæ inhærente. Ergo per infuſionem gratiæ.

8 Reſpondet Pater Arriaga loco cit. ſic dicens. *Ad oppoſitum argumentum reſpondeo, Deum poſſe habere actum liberum ſine vlla mutatione in creatura; per illum autem fieri poſſe miſſionem.* Arriaga.

9 Et vltra reſponſionem retorſiuam reſpondet, & reſponſio conſiſtit in hoc, diſtinguendo ſcilicet antecedens. Quando mittitur Spiritus ſanctus, debet eſſe aliqualis realis mutatio phyſica, aut moralis, concedit antecedens. Semper phyſica, negat antecedens. In caſu autem oppoſitæ opinionis, eſſet in anima, ad quam Spiritus ſanctus mitteretur, realis mutatio moralis. Quandoquidem, eſſet in alio ſtatu moraliter loquendo, quia ſcilicet, eſt iam per extrinſecam miſericordiam Dei à peccato mortali liberata, & apta ad gratiam Dei obtinendam &c.

10 Contra retorſionem retorqueo argumentum. Si Deus haberet actum liberum ſine vlla mutatione in creatura; vel eſſet ratione decreti conditionati reſpectu futuri contingentis, & conditionati, nunquàm tamen abſolutè futuri; vel eſſet reſpectu alicuius abſolutæ futuritionis. Si primum, non ſumus in caſu; quoniam licèt decretum cōditionatum mutet ſtatum ab abſoluta poſſibilitate ad conditionatam futuritionem, tamen in præſenti loquitur de reali, & abſoluta miſſione perſonæ Spiritus ſancti. Si ſecundum; Contra. Quia licèt liberum decretum non ponat realem, ac phyſicā mutationem in creatura ab æterno, ponit tamen neceſſariò in tempore, vt inductiuè patet.

11 Contra reſponſionem ſic argumētor primò; quia huiuſmodi mutatio moralis eſt omninò extrinſeca. Ergo non ſufficit ad veram miſſionem perſonæ Spiritus ſancti. Antecedens patet; quia anima illa nullum donum ſupernaturale ſibi inhæſiue reciperet, neque in genere phyſico, neque in genere moris.

12 Secundò; quia perſona diuina in tali caſu non mitteretur ſecundùm ſubſtantiam ſuam ad animam illam. Ergo falſa reſponſio. Probatur antecedens; quia quod, mittitur ſecundùm ſubſtantiam ſuam, non ſolùm moraliter mittitur, ſed etiam phyſicè. Alias enim non mitteretur ſecundùm ſubſtantiam ſuam phyſicam.

13 Tertio. Quia omnis mutatio moralis vt ſit vera, & propria mutatio, debet fundari ſuper mutationē phyſicam: ſed in caſu oppoſitæ opinionis nulla datur mutatio phyſica. Ergo.

15 Probatur ſecundò, & contra eamdem reſponſionem militat argumentum. Perſona diuina, quando mittitur ad aliquam animam, eſt in ea tāquàm in templo ſacro ſuo: ſed nulla animà poteſt dici templū ſacrum Dei, niſi fuerit a Deo per ſanctificantem gratiam conſecratū. Ergo non poteſt mitti perſona Spiritus ſancti ad animam, quæ non habet in ſe ſanctificantem gratiam.

15 Explicatur hoc. Eccleſia, ſeù templū materiale, non poteſt dici templū Dei, niſi re vera fuerit Deo dicatum per poſitiuas benedictiones, & conſecrationes. Vnde meritò Chriſtus Dominus eiecit de tēplo ementes, & vendentes, dicēs eis: Domus mea, dom⁹ orationis vocabitur. Hoc autem templū materiale eſt figura tēpli formalis, quod eſt verè & propriè templum Dei; & hoc aliud non eſt, niſi creatura rationalis iuxta illud; *Templum Dei eſtis vos*. Quomodo igitur intelligi poteſt, quod mittatur Spiritus ſanctus ad animam alicuius, & quod illa non ſit tēplum Deo, per ſanctificantem gratiam conſecratum. Nam, vel Spiritus ſanctus ad animam miſſus, eſſet in ea, tāquam in templo ſuo, vel tanquā in nō templo. Nō ſecundū, quia Spiritus ſanctus nō mittitur niſi vt inhabitans ibi, & nō inhabitat niſi in tēplo ſuo. Si primū. Ergo debet habere ſanctificantem gratiam.

16 Sed contra iſtam determinationem obiiciet aliquis primò ex Gregorio, Spiritus ſanctus eſt dabilis creaturæ rationali, & alias gratia gratum faciens non eſt Spiritus ſanctus, nec habet neceſſariam connexionem cum Spiritu ſancto. Ergo poteſt dari Spiritus ſanctus alicui creaturæ rationali, abſquè eo quod habeat ſanctificantem gratiam.

17 Confirmatur. Quia ſi daretur Spiritus ſanctus ſine dono creato, nulla ſequeretur contradictio. Ergo. Probatur antecedens. Quia Spiritus ſanctus eſt diſtinctus ab omni dono creato. Ergo poteſt dari ſine omni dono creato.

Reſpon-

Digitized by Google

18 Reſpondetur, diſtinguendo antecedens quò ad tertiam partem. Nec habet neceſſariam connexionem cum Spiritu ſancto vt in ſe eſt, concedo antecedens. Nec habet neceſſariam connexionem cum Spiritu ſancto, vt miſſo ad animam, tanquam in templum Spiritus ſancti, nego antecedens. Ergo &c. nego conſequentiam. Iam enim diximus, quòd Spiritus ſanctus in creaturam intellectualem miſſus, habitat in ea tanquàm in templo ſancto ſuo &c.

19 Ad confirmationem reſpondetur, negando antecedens, & ratio negationis patet; quia implicat eſſe Spiritum ſanctum in anima tanquàm in templo ipſius, & animam illam non eſſe dono sãctificantis gratiæ conſecratam.

20 Dices. Priùs natura mittitur perſona Spiritus ſancti ad animam alicuius, & deinde intelligitur in anima illa gratia ſanctificans. Ergo non eſt neceſſaria gratia ſanctificans ad miſſionem Spiritus ſancti.

21 Reſpondetur, explicando antecedẽs. Priùs natura mittitur perſona Spiritus ſancti in genere cauſæ efficientis, ſeu effectiuè producentis gratiam, concedo antecedens. In generatione cauſæ diſpoſitiuæ, nego antecedens. Ergò &c. nego conſequentiam. Reſponſionis cuius explicatio patet ex phyſicis.

22 Obijciet ſecundo ex Arriaga, Homo in ſtatu puræ naturæ eſt obiectum congruum amoris amicitiæ naturalis. Ergo ſine mutatione illius poteſt Deus eum ſic amare; at ille amor facit Spiritum ſanctum eſſe ſpecialiter in homine. Ergo & mitti ad illum.

23 Reſpondetur diſtinguẽdo antecedẽs. Homo in ſtatu puræ naturæ, eſt obiectũ congruum amoris amicitiæ naturalis, & non eſt templum amantis, concedo antecedens, & eſt templum amantis, nego antecedens. Ergo &c. Similiter diſtinguendum eſt conſequens, & minor ſubſumpta, negando tamen eius conſequẽtiam; quoniam mitti ad hominem amatum eſt Spiritum ſanctum habitare in eo tanquam in templo ſuo, quod non eſt, nec contingere poteſt ſine dono ſanctificantis gratiæ.

24 Obijciet tertiò ex eodem, probando poſſe abſolutè dici miſſionem etiam ſi non fiat per dona gratiæ ſanctificantis, ſed p alia ſupernaturalia .ſ. inſpirationes ſupernaturales, alios habitus à charitate &c. ſic enim arguit eadem diſput. ſect. 4. num. 12. *Nam Deus dicitur eſſe ad oſtium hominis pulſans ad conuerſionem. Ergo mittitur Spiritus ſanctus per eas inſpirationes, etiam ante infuſionem gratiæ.*

25 Reſpondetur, explicandò antecedẽs. Deus dicitur eſſe ad oſtium hominis, nõ tanquàm ad habitaculum ſuum, ſed potiùs pulſans ad conuerſionem, vt fiat habitaculum ſuum, & fiat miſſionis capax, concedo antecedens. Dicitur eſſe ad oſtium hominis, tanquàm ad templum ſuum, nego antecedens. Ergo &c. nego conſequentiam.

26 Si argumẽtum hoc aliquid probaret, probaretquoquè, quòd Spiritus ſanctus mitteretur ad omnes homines etiam iniquiſſimos, etiam ad Antichriſtum. Hoc ridiculum eſt, & falſum dicere. Ergo. Probo ſequelam; quia de omnibus verificatur illa ſcriptura, videlicet, ſto ad oſtium, & pulſo &c. Ergo ſi per hoc, quòd Deus ſtat ad oſtium, & pulſat, diceretur mitti Spiritus ſanctus, ſequeretur, quòd mitteretur etiam ad perditiſſimos viros.

27 Quinimò ex hoc Sacræ ſcripturæ teſtimonio non obſcurè probatur, quòd Spiritus ſanctus nunquàm mitti dicitur, niſi in animam per ſanctificantem gratiam conſecratam. Nam perſona quæ mittitur ad aliquam domum, nõ dicitur in domum illam miſſa, niſi intra domũ intrauerit. Quando enim eſt ad oſtium pulſans, nondum executioni mandauit ſuæ miſſionis effectum: ſed prædictus Sacræ ſcripturæ locus, dicit, quòd Dominus ſtat ad oſtium, & pulſat. Pulſat, vt ei aperiatur domus. Pulſat, vt ingrediatur domum. Ergo non eſt propriè Spiritusſanctus ad animam illam miſſus, imo eſt ab illa anima expulſus. Habet enim intra ſe inimicum, puta, peccatum, quod habitat in anima ſubdita peccato. Spiritus ſanctus, quando mittitur, habitat in anima, ad quam mittitur. Ergo anima illa non eſt ſedes Diaboli. Sed quãdo Deus ſtat ad oſtium, & pulſat ad conuerſionem, anima illa ſedes eſt Diaboli. Ergo nulla proprietate dici poteſt per talem pulſationem Spiritum ſanctum ad eam eſſe miſſum.

28 Hoc tantæ efficacitatis eſt, quòd ipſemet Arriaga ibidem nu. 13. huic quaſi reſpondens retorſioni, ſic locutus fuerit. *Reſpondeo, eum locum, & ſimilia intelligenda de donatione, & habitatione completa, non autem de donatione vera quidem, non tamen totali.* Propoſuerat enim contra ſe hanc inſtantiam. *Deus non dicitur habitare in corpore ſubdito peccatis. Ergo non miſi per donum gratiæ datur Deus; & conſequenter, non niſi per illam mittitur.* Et reſpondet per iam verba citata. Arriaga.

29 Perquæ tamen verba non ſaluat miſſionem, ſed potiùs eneruat; Nam ex hoc, quòd Deo pulſanti non aperitur

Hhhh 2 oſtium,

Actor. 7. oſtium, reſiſtitur Spirituiſancto, iuxta illud, *Vos ſẽper Spirituiſancto reſtitiſtis*. Ergo non ſolùm Spiritus ſanctus non dicitur miſſus miſſione totali, nequè etiam miſſione partiali, & nullatenus propria, imò impropriiſſima, quinimò; miſſionis nomine indigna. Eſt enim contra modum loquendi Sacræ ſcripturæ, iuxta illud
Ioan. 14. Ioan. 14. *Ad eum veniemus, & manſionẽ apud eum faciemus*.

30 Dicendum eſt igitur, quòd nulla perſona diuina mittitur, niſi ad animam habentem gratiam gratum facientem.

31 Obijciet quarto. Quia, quando Epiſcopi ordinant Sacerdotes dicunt etiam ei, Accipe Spiritum ſanctum & cæt. Ergo tunc ille Sacerdos accipit Spiritũ ſanctum: ſed poteſt contingere, quod ille recipiat caracterem ſacerdotij, non autem ſanctificantem gratiam, quia poteſt eſſe in peccato mortali. Ergo Spiritus ſanctus mittitur abſque ſanctificante gratia.

32 Reſpondetur, concedendo antecedens, & negando conſequentiam. Non enim per illa verba mittitur Spiritus ſanctus, ſed poteſtas dumtaxat, iuriſdictionis datur, ſeù iam data, declaratur, & ad ſumptionem minoris, concedo antecedens, & nego conſequentiam. Et addo quod etiam ſi Sacerdos eſſet in gratia, & per ordinis receptionem augumentum gratiæ reciperet, mittitur quidem ei Spiritus ſanctus, non ab Epiſcopo, ſed à Patre, & Filio; quia mittens Spiritum ſanctum, debet eſſe perſona diuina. Nullũ enim mittens inferioris eſt conditionis perſona mittente.

33 Hæc, & omnia alia opera mea Apoſtolicæ Sedis iudicio corrigenda Submitto. Firmiter enim me illam fidẽ tenere, quam Romana tenet Eccleſia, quæ cunctorum fidelium, diſponente Domino Mater eſt, & Magiſtra, protector; Atquè etiam lectorem amatorem veritatis rogo, vt ſiquos in eis repererit errores, me moneat, aut ipſe vt amicus corrigat. Nihil enim aliud in laborum meorum ſtudijs quæſiui, & toto animo cogitaui, niſi vt non permittat Deus, me à doctrina D. Thomæ mei veridici Præceptoris abire. Quandoquidem hoc vnum mea expectauit induſtria: quoniam, ad recedendum ab obliquis tramitibus, & ad capeſſendam de omnibus rectiſſimam veritatem, hoc vnum ſufficere, meritò iudicaui.

34 Humiliter tandem pium Lectorem rogo, vt ſiquid inuenerit in hoc opere dictum, quod ab alijs magis expeditè, ac dilucidè ſit pronunciatum, recordetur verborum D. Auguſtini in 1. de Trinitate libro cap. 3. ſic loquentis; *Neque enim omnia quæ ab omnibus conſcribuntur, in omnium manus veniunt. Et fieri poteſt, vt nonnulli qui etiam hæc noſtra intelligere valent, illos planiores non inueniant libros, & in iſtos ſaltem incidant. Ideoquè vtile eſt plures à pluribus fieri diuerſo ſtylo, non diuerſa fide, etiam de quæſtionibus eiſdem, vt ad plurimos res ipſa perueniat, ad alios ſic, ad alios autem ſic*. D. Aug. Quòd ſi quis, nonnullorum quæ dixi, diſplicentiam habeat, cum eodem Auguſtino ibidem paucis interiectis dico, *Afferat ipſe ſi placet ſententiam ſuam, & redarguat meam ſi poteſt*: & cum eodem Auguſtino promitto, quòd *ſi cum charitate, & veritate fecerit, mihiquè etiam ſi in hac vita maneo, cognoſcendum facere curauerit; vberrimum fructum huius laboris mei cepero. Nec pigebit me*, vt idem Auguſtinus in fine præcedentis capitis ait, *ſicubi hæſito, quærere, nec pudebit; ſicubi erro, diſcere*. D. Aug. Et deniquè, circa hũc auguſtiſſimum de Sanctiſſima Trinitate tractatum, cum ipſomet D. Auguſtino de Trinitate in ſecundi libri principio, ſic finio. *Grataiter ſuſcipit oſculum columbinum pulcherrima, & modeſtiſſima charitas: dentem autem caninum, vel euitat cautiſſima humilitas, vel retundit ſolidiſſima veritas; magiſquè optabo à quolibet reprehendi, quàm ſiue ab errante, ſiue ab adulante laudari. Nullus enim reprehenſor formidandus eſt amatori veritatis. Etenim aut inimicus reprehenſurus eſt, aut amicus. Si ergo inimicus inſultat, ferendus eſt; Amicus autem ſi errat, docendus; ſi docet, audiendus; Laudator verò, & errans, confirmat errorem, & adulans illicit in errorem. Emendabit ergo me iuſtus in miſericordia, & arguet me; oleum autem peccatoris non impinguabit caput meum*. Si quid autem boni in hoc opere dixi; *Omne bonum deſursũ eſt, deſcendens à Patre luminum*; Deo igitur gratias ago. Iacob. 1.

Laus Patri ſit ac genito,
Simulquè ſancto Flamini,
Qui Sancti Thomæ meritò,
Nos cœli iungat agmini.
Amen.

INDEX

INDEX ALPHABETICVS EORVM, QVÆ IN HOC OPERE

Continentur.

A

Abbas Ioachim.

ABbatis Ioachim error. pag.492. num. 2.

Abbatis Ioachim ſententia damnatur. Perſona verò laudatur, at valdè plauſibiliter. ibidem nu.3.

Ablatiuus.

Ablatiuus abſolutus aliquando ſignificat inſtrumentum, aliquando cauſam, aliquando modum actionis, aliquando exceſſum, aut pretium, & aliquando effectum quaſi formalem. pag.468. nu.30.

Ablatiuus aliquando deſignat concomitantiam tantùm. pag.535. nu.1.

Abſtractio, & Abſtractum.

Abſtractum & concretum in diuinis quomodo diſtinguuntur. pag.518. à nu.29. & pag.522. num.41.

Abſtractio duplex eſt, ſine mendacio, & cũ mendacio. pag. 2 nu.20. & pa.513. nu.3.

Examinatur ratio Scoti qua probat, quòd nomen eſſentiale abſtractum non poteſt ſupponere pro perſona. pag.496. à num. 18.

Accipere.

Accipere in plus ſe habet, quàm recipere. pag.21. nu.18.

Actio.

Actio vt actio ſecũdùm eſſentialem rationem actionis vt ſic non procedit ab agẽte, benè tamen actio vt creata. pag.17. num.23.

Actio immanens agentis potentialis, & creati inhæret agenti: actio verò immanens agentis purè actualis, & increati nõ inhæret agenti, ſed eſt ipſamet agẽtis eſſentia. ibidem. nu.26.

Actio tranſiens in hoc differt ab actione immanente, quia tranſiens tranſit, & immanens manet in agente, per informationem, aut per identitatem. ibidem nu. 29. & pag.60. nu.2.

Actioni vt actio eſt ſecundùm primam nominis impoſitionem correſpondet paſſio; ſecundùm verò purificatam ſignificationem nequaquam. pag.18. num. 33. & num.37.

Actio, vt actio prædicamentalis eſt, dicit egreſſum realem ab agente. pag.75. num. 20.

Actio non denominat agens per hoc, quòd ſubiectatur agenti. pag.86. nu 75.

Actio, & factio quomodo diſtinguantur. pag.539. nu.3.

Actio, quæ eſt productio, ipſo facto quòd ponitur in actu vt productio, debet poni aliquis eius effectus. pag.573. nu.1.

Actiones ſunt ſuppoſitorum, & debent intelligi iuxta explicationem Scoti, & Capreoli. pag.2 0. nu.116.

Actio, vt actio eſt ſecundùm propriam rationem actionis non ſignificat aliquid alicui inhærens. pag.7 . nu.17.

Et quomodo hoc intelligatur. pag.76. nu. 21.

Quando in intellectu actionis alicuius importatur determinatus effectus? pag. 463. à nu.10.

Actus notionalis.

Actus notionales magis principaliter important relationes, & magis principaliter important aliquid eſſentiale, differenter tamen. pag.547. à nu.14. & pag. 550. num.21.

Actus notionales dicũt actum eſſentialem in recto, & relationem in obliquo. pag. 546. nu.4. & pag.549. nu.3.

Actus notionalis non eſt intelligere notionalè ab intelligere eſſentiali diſtinctum, tanquàm vnus actus ab alio actu. pag. 551. nu.5.

Actus notionalis non eſt omnibus modis idem cum actu eſſentiali. pag.552. à num.10.

Actus notionalis, puta generare, non eſt alius actus diſtinctus ab intelligere. ibid. num.6.

Actus notionales ſunt producere, generare, ſpirare, procedere, & cæt. pag. 551. num.1.

Dantur in Deo actus notionales, & eſſentiales. ibidem. nu.2.

Adam.

Adæ reuelatum fuit myſterium Incarnationis antequàm peccaret in primo ſtatu conditionis ſtatu, & tamen poſt peccatum. pag.290. nu. vltimo.

Adie-

Adiectiua.
Adiectiua nomina dicuntur in numero plu raliter, aut ſingulari ſecundum ſuppoſitorū ſingularitatem, vel pluralitatem. pag. 486. num. 3.
Non omnis dictio adiectiua habet vt ſit cathegorematica ſimul, & ſincathegorematica. pag. 259. num. 5.
Affirmatio, & Negatio.
Affirmatio, & negatio contradictionem faciunt, & quomodo. pag. 481. nu. 3.
Agens.
Agens poteſt denominari à ſuo effectu, & quando. pag. 462. à num. 2.
Agens naturale producit ſibi ſimile ſiuè ſit agens per actionem ad extra, ſiuè per actionem ad intra, ſed diſcrimen eſt inter vtrumquè agens. pag. 57. à nu. 139.
Omne agens producit ſibi ſimile inclinatiuè, aut repræſentatiuè, aut per modum imaginis. pag. 56. à nu. 138.
Agatho Papa.
Agathonis ſententia de ſubſiſtentia abſoluta explicatur. à pag. 194. & à num. 17.
Albedo.
Albedo hæc poteſt ab hoc ſubiecto ſeparari. pag. 132. nu. 3.
Albedo hæc vt immutatiua viſus non poteſt à quantitate ſeparari, benè tamē extenſiuè. ibid. nu. 5.
Albedo hæc non poteſt ſeparari ab exigentia exiſtendi in hoc ſubiecto. ibidem à num. 3.
Alius, & Aliud.
Hoc nomen, alius, in diuinis ſignificat diſtinctionem ſuppoſitorum, ſi maſculinè accipiatur. pag. 252. à nu. 16.
Hoc nomen, alius, abſolutè loquēdo ſignificat ſuppoſitum. ibid. nu. 19.
Valet iſta propoſitio, Filius eſt alius à Patre; non tamen valet iſta, Filius eſt aliud à Patre. ibid. nu. 21.
Amatum, & Amans.
Amatum dupliciter poteſt eſſe in amante, actualiter ſcilicet, & habitualiter. pag. 605. nu. 18.
Ad eſſendum vt amatum in amante, taliter, vt amans poſſit re amata frui, requiritur præſentia ſecundùm ſubſtantiam. ibid. nu. 16.
Deus amatus per modum cuiuſdam ſpiritualis dulcedinis, ſeù ſecundum practice ſpiritualis refectionis dulcedinem debet eſſe præſens amanti ſecundùm ſubſtantiam. ibid. nu. 20.
Amor.
Amor eſt primum quod rei amatæ damus; primum quidem, non ſubiectiuè, ſed motiuè. pag. 476. à nu. 7.
Amor in diuinis poteſt accipi notionaliter, & eſſentialiter. pag. 460. nu. 1.
Amor in diuinis aliquando accipitur pro amoris termino, & non formaliter pro actu amoris. ibid. à nu. 2.
De ratione amoris eſt, vt procedat per conceptionem intellectus, tanquā per realem proceſſionem, licèt non ſemper in eodem genere cauſæ pag. 32. à nu. 25.
Amoris eſt vnire amantem cum obiecto amato ſecundùm proportionalitatem, non ſecundùm proportionem. pag. 45. à num. 45.
Andreas de Sancta Cruce Patritius Romanus.
Andreas de Sācta Cruce Patritius Romanus, & Apoſtolic. Conciſtorio Aduocatus ſcripſit fideliter acta Concilij Florentini. pag. 418. nu. 25.
Gabr e. Angelus.
Angelus à Spiritu ſancto ſuum exorditur opus, vt vnde Spiritus ſanctus non erat prima perſona proceſſiuè, ſed vltima, eſſet aliqua numeratione prima. pag. 182. num. 27.
Angelus producit Verbum in omni ſua intellectione, excepta beata, pag. 7. nu. 32. & 36.
Anima.
Anima ſeparata, etiam beata, appetit corpori reuniri. pag. 164. nu. 75.
Anima intellectiua non eſt perſona. pag. 156. nu. 8.
Sanctus Anſelmus.
Sanctus Anſelmus Cantuarenſis Epiſcopus adfuit Concilio Generali Barij celebrato. pag. 403. à nu. 3.
Sancti Anſelmi laudes ab Vrbano ſecundo coram toto Concilio. ibid. à nu. 3.
Arbor.
Arbor dicitur florens floribus, ſi producit flores, ſin autem, diceretur florida, non autem florens floribus. pag. 463. à nu. 5.
Arriaga.
Arriaga circa ſubſiſtentiam abſolutam ſibimetipſi contradicit. pag. 205. à num. 103.
Arrius.
Arrius fuit poſt Sabellium, tamen D. Thomas priùs refert errorem Arrij, quàm Sabellij, & quare hoc? pag. 4. nu. 10.
Arrij Patria, ſtatura, conditiones, officium, & ambitio explicantur. pag. 4. à nu. 11.
Arrij infeliciſſima mors. pag. 5. nu. 1.
Arrij, & Sabellij conuenientia, & diſcrepantia. ibid. nu. 17.
Arrius negans Filium eſſe verum Deum, à fortiori negauit Spiritui sācto deitatem. pag. 406. nu. 2.
Authoritates.
Authoritates, quæ ſunt exponendæ, non ſunt extendæ, & hoc benè aduertant in ſuis concionibus Prædicatores. pag. 495. num. 5.
Authoritates Sanctorum Hieronymi, & Augu-

Digitized by Google

Auguſtini magnifaciendæ ſunt, non vilipendendæ. pag. 201. à nu. 70.

B

Barij Ciuitas.

Barij celebratum eſt Concilium generale ab Vrbano ſecundo, intra Eccleſiam Sancti Nicolai, & quo anno. pag. 401. nu. 2.

Barenſi Concilio adfuit Sanctus Anſelmus ibidem. nu. 3.

Barenſis Concilij acta perierunt. ibidem num. 3.

Beata Virgo.

Beata Virgo cognouit myſterium Trinitatis per lumen fidei. pag. 284. à nu. 13.

Beata Virgo de myſterio Incarnationis fuit à Spiritu ſancto edocta. pag. 281. nu. 14.

Beata Virgo Apoſtolis explicauit myſterium incarnationis, & alia fidei myſteria non publica doctrina, ſed familiari inſtructione. ibidem.

Bonitas.

Bonitas pertinet ad eſſentiam diuinam ſecundùm quòd obijcitur in ratione appetibilis. pag. 61. nu. 8.

Brutum.

Brutum ſi aſſumeretur à ſuppoſito diuino, diceretur ſanctum & gratum Deo gratitudine, & ſanctitate ſuppoſitali, non verò ſanctitate naturæ, ſeù ſanctitate formali, quæ eſt per ſanctificãtem gratiam. pag. 87. nu. 77.

C

Caietanus.

Caietanus non tenuit relationem diuinam eſſe de intrinſeco conceptu eſſentiæ. pag. 07. nu. 2.

Caietanus nunquam dixit ſubſiſtentiam abſolutam eſſe ſemiperſonam, ſeù ſemiſuppoſitum, ſeù perſonam incompletã. pag. 138. num. 14. & pag. 193. num. 12. & pag. 212. à nu. 51.

Cauſa.

Cauſa prima quomodo eſt immediatior effectui. pag. 427. nu. 8.

Conceptio intellectus.

Conceptio intellectus creati eſt tantùm ſimilitudo intentionalis rei intellectę. pag. 21. num. 11.

Conceptio intellectus creati eſt tantùm ſimilitudo intentionalis rei intellectæ; cõceptio verò intellectus increati eſt etiam ſimilitudo naturalis rei intellectæ. pag. 21. nu. 11.

Concilium

Concilium Rhemenſe fuit verè celebratũ. pag. 91. nu. 4.

Concilium Rhemenſe non ſolum fuit celebratum, verumetiam à Summo Pontifice confirmatum. ibid. nu. 7.

Conſecratio.

Conſecratio hoſtiæ, ſeù panis in corpus Chriſti, & vini in ſanguinem, eſt mediãte caractere, qui eſt in intellectu, & tamen non eſt proceſſio ſecundùm rationem ſimilitudinis. pag. 37. nu. 15.

Contradictio.

Contradictio quid eſt, ſeù inter quæ eſt. pag. 100. nu. 55.

Creatura.

Creaturæ ſunt ſecundùm ſimilitudinem Dei, non autem Deus dicitur ſecundùm ſimilitudinem creaturę reſpectu eorum, quæ formaliter ſunt in Deo. pag. 8. num. 43.

D

Deus, & Deitas.

Deus non dicitur propriè & ſimpliciter Pater creaturarum. pag. 318. nu. 12.

Deus ex hoc, quòd eſt maximè vnus, eſt realiter indiſtinctus ab omni eius prædicato. pag. 97. nu. 29.

Deus, quia eſt maximè ſimplex, excludit compoſitionem realem & etiam formalem. pag 98. à num 30.

Deus cauſat res ad extra per intelligere, & velle. pag. 60 nu. 3.

Hoc nomen, Deus, ex modo ſignificandi habet, vt propriè poſſit ſupponere pro perſona. pag. 489. à nu. 4.

Hoc nomen, Deus, non eſt propriè terminus communis, neque propriè terminus ſingularis. ibid. nu. 8.

Deus ſecundùm Sanctum Auguſtinum nõ eſt ſingularis. pag. 489. nu. 8.

Deus eſt intelligens, & Deus non eſt intelligens, quomodo ſunt duo contradictoria, & quomodo non. pag. 481. nu. 3.

Deus non generat non eſt vera propoſitio; Deus generat eſt vera propoſitio. pag. 490. à nu. 11.

Deus eſt Pater, quomodo eſt propoſitio per ſe & quomodo per accidens. pag. 501. num. 3.

Quando aliquid formaliter conuenit Deo, & creaturis, Deus eſt primum illius analogatum pag. 37. nu. 16.

Non valet dicere Vltra vnum Deum abſolutum dantur tres Dei relatiui, pag. 209. à nu. 130.

Deus eſt cauſa agenti creato vt agat. pag. 427. nu. 3.

Deitas ex ſuo formali modo ſignificandi non poteſt ſupponere pro aliqua diuinã perſona. pag. 495. nu. 22.

Deus propriè loquendo non dicitur poſſibilis, ideſt factibilis. pag. 541. à nu. 4.

Deus cum Angelis beatis, & animabus quomodo

modo

Digitized by Google

modo dicitur ſolus, & quomodo non. pag.256.nu.7.
Deitas, quomodo poteſt dici Trina. pag. 248.nu.27.

Dicere.

Vide verbo, Intelligere.

Dignitas.

Dignitas in diuinis non eſt aliquod notionale, ſed eſſentiale. pag.575.à nu.2.

Diſtinctio.

Diſtinctio formalis ex natura rei non eſt diſtinctio virtualis, ſed actualis. pag.95. nu.1.
Diſtinctio virtualis in Deo quomodo intelligitur. pag.115.nu.78.
Diſtinctio realis in diuinis eſt inter ea dumtaxat, quæ relatiuè opponũtur. pag.179. num.5.
Quicquid eſt realiter diſtinctum à Deo, realiter eſt creatum pag.93.nu.8.
Diſtinctio virtualis. pag.96.num.17.& pag. 99.à nu.47.

Diuiſio.

Diuiſio eſt prior quàm vnum, vel multitudo, prioritate quò ad nos, non autem prioritate ſecundùm ſe. pag. 186. num. 2.

Donum.

Donum aliquando accipitur eſſentialiter, & aliquando perſonaliter. pag.473.nu.1.
Donum, & id, cui fuit donum, ſi propriè loquamur diſtinguuntur. ibid.nu.3.
Eſſentia diuina licèt non dicatur miſſa, dicitur tamen donata, ſeù eſſentiale donum. pag.605.nu.2.
Donum non fit à Deo, niſi rationali creaturæ. pag.473.nu.4.
Donum propriè quid eſt. pag.475.à nu.2.
Donum primum, quod datur alicui eſt amor, non quidem amicitiæ, ſed concupitiæ. pag.475.nu.7.
Donum non dicitur ex eo, quòd actu datur, ſed inquantùm habet aptitudinem, vt poſſit dari. pag.473.nu.2.
In Dono facto, ſeù in donatione in nobis, omninò iura mutantur. pag.475.nu.2.
Donum non datur, vt iterum à donatario reſtituatur. ibid.nu.3.
Donum dicitur irredibilis datio, ideſt, non propter aliquod intereſſe, vtilitatemquè donantis. pag.473.nu.4.
Donum factum nobis à Deo, nõ ſic dicitur datio irredibilis, quaſi ſint omninò iura mutata à Deo ad creaturas. ibidem.
Aliud eſt eſſe donum, & aliud eſſe datum. ibid. nu.6.
Donum verè, & maximè propriè eſt nomẽ Spiritus ſancti, ſi accipiatur perſonaliter. pag.477.à nu.9.
Accipiens donum à Deo, puta, Spiritum ſanctum, accipit donum, & dona. ibidem num.14.
Donum conuenit etiam Filio, ſed magis propriè conuenit Spiritui ſancto. pag. 478.nu.24.
Ad rationem Doni propriè in diuinis requiritur, & ſufficit, quod ſit alicuius per identitatem, aut per originem, & quod liberaliter, ſeù liberè, ſit alteri dabile. pag. 479.nu.26.

Durandus.

Durandus nuſquam dixit, quòd proceſſiones ſunt immediatè per naturam diuinã. à pag.62.& à nu.5.
Durandus putauit, quod doctrina D. Thomæ aſſerẽtis proceſſiones eſſe per intellectum, & voluntatem, eſt imaginatio non bona, ſed è regione rei ſucceſſit euẽtus. pag.68.nu.18.
Durandus defenditur à quibuſdam cenſuris, pag.437.à nu.25.

E

Ens, & Entitas.

Entitas omnis poſitiua creaturæ eſt in potentia obedientiali reſpectu perſonæ diuinæ, vt producatur, immutetur, annihiletur, &c. non autem vt ſuppoſitaliter aſſumatur. pag.164.à nu.71.
Si nomine entis intelligatur eſſentia, aut exiſtentia, non valet dicere, quòd tres perſonæ diuinæ ſunt tria entia ſubſtantiuè. pag.233.nu.3.
Si nomine entis, intelligatur qualiſcunquè poſitiua realitas, valet dicere, quod in diuinis dantur tria entia ſubſtantiuè, ſed relatiua. pag.234.nu.10.
Ens rationis non propriè ab intellectu procedit, vt effectus à cauſa. pag.77.nu.14.
Ens rationis in via D. Thomæ non eſt niſi per fictionem. pag.70.nu.7.
Quomodo valeat dicere, quòd in diuinis ſunt tria entia. pag. 233.num. 2. & pag. 234.nu.10.

Eſſentia Diuina.

Eſſentia diuina eſt formaliter in Patre, non verò in Patre eſt formaliter virtualiter filiatio. pag.100.à nu.51.
Eſſentiæ diuinę non conuenit eſſe communem, aut eſſe communicatam ratione eſſentiæ diuinę vt ſic, ſed ratione fœcunditatis. pag. 109. num.22. & pag. 114. à num.65.
Eſſentia diuina in aliquo bono sẽſu, poteſt, imò debet dici, quòd ſit multiplex virtualiter. pag.110.nu.22.
Eſſentiæ diuinæ conuenit aliquod prædicatum accidentaliter, non quidem propriè, ſed impropriè. pag. 111. à num. 41.
Eſſentia diuina ſine intellectus noſtri abſtractione includit abſoluta, & relationes. pag.114.nu.69.

Digitized by Google

Si eſſentia diuina eſſet formaliter ex natura rei actu diſtincta ab eius perſonis, vel attributis, formalitates eſſent actu limitatæ, & finitæ. pag. 115. à nu. 72.

Eſſentia diuina, & eius attributa, quatenùs per intellectum diſtinguuntur, non dicũt formalitates limitatas, & infinitas, & quare. pag. 115. à nu. 73.

Eſſentia diuina eſt de intrinſeco, ac eſſentiali conceptu eſſentiæ relationis diuinæ. pag. 116. nu. 1.

Eſſentia diuina ſignificatur vt quid. pa. 203. num. 14.

Eſſentia diuina ſignificatur vt quid, & eſt id, quo Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus ſunt vnum in quidditate. 204. nu. 14.

Eſſentia diuina eſt de intrinſeco, ac eſſentiali conceptu relationum per modum exiſtentiæ conſiderata, non verò per modũ eſſentiæ. pag. 116. nu. 4.

Eſſentia diuina non eſt de intrinſeco, ac eſſentiali conceptu relationis etiam in cõcreto. pag. 117. à nu. 7.

Eſſentia diuina eſt aliquo modo de intrinſeco conceptu relationis in concreto acceptæ. pag. 117. à nu. 13.

Eſſentia diuina in abſtracto conſiderata, nõ eſt de intrinſeco conceptu relationis in abſtracto acceptæ. pag. 118. à nu. 17.

Eſſentia eſt Paternitas, quomodo ſit per ſe vera hæc propoſitio. pag. 118. nu. 21. & nu. 35.

Eſſentia diuina eſt ipſamet exiſtentia relationis. pag. 120. à num. 39. & pag. 121. num. 46.

Eſſentia diuina antecedenter ad ſubſiſtentias relatiuas, eſt completa in ratione eſſentiæ. pag. 204. à nu. 98.

Eſſentia diuina in abſtracto ſignificata, nõ concipitur vt ſubſiſtens, benè tamen vt ſubſiſtentia in abſtracto. p. 210. nu. 134.

Eſſentia, & exiſtentia in Deo non producuntur, ſed communicantur. pag. 218. num. 37.

Eſſentia diuina non eſt in Filio vt ſubſiſtẽs in alia perſona ſubſiſtente, eſt tamen vt vna numero cõmunis tribus perſonis tãquã ratio conſubſtantializans vnã perſonam in alia. p. 585. nu. 12. & nu. 15.

Eſſentia eſt in Patre, & tamen Pater nõ eſt in eſſentia. pag. 577. nu. 2.

Eſſentia diuina eſt vna formaliter, & multiplex modaliter. pag. 549. à nu. 14.

Eſſentia diuina, & quodcumquè abſolutũ, aliter eſt id quo in ordine ad actus eſſentiales, eſſentialiter acceptos; & aliter eſt id quo in ordine ad eoſdem notionaliter conſideratos. p. 550. à nu. 24.

Eſſentia diuina communicata Filio nõ poteſt dici donum. pag. 477. nu. 6.

Eſſentia eſt generans, eſt falſa propoſitio. pag. 495. nu. 9.

Eſſentia eſt res generans, eſt vera propoſitio, & quomodo. ibid.

Eſſentia diuina generat, ſeù generatur, eſt ſententia damnata. pag. 494. à nu. 5.

Eſſentia diuina eſt communis, & diſtinguẽtia in diuinis conſtituunt res diſtinctas, & tamen eſſentia ſemper remanet indiuiſa. pag. 510. nu. 7.

Tres eſſentiæ relatiuæ in Deo non ſunt affirmandæ. pag. 224. à nu. 8.

Eſſentia, ſeù natura diuina vt ſic, nõ eſt formaliter perſona. pag. 155. nu. 6.

Quod producitur in diuinis non poteſt in rigore dici eſſentia contra Arriagam. pa. 230. à nu. 54. qui in hac re non eſt ſibi cõſtans. ibid. à nu. 55. Imo modus loquendi eiuſdem in hac re modo loquendi Cõciliorum, & Patrum contradicit. ibidem à num 58.

Formaliùs dicitur, quòd eſſentia eſt in Filio, quàm quòd eſſentia eſt Filius. p. 585. nu. 17.

Eſſentia diuina non poteſt videri non viſis perſonis. pa. 113. nu. 61. & ex hoc non ſequitur, quòd relationes ſunt de intrinſeco conceptu eſſentiæ. ibid. nu. 62.

Eſſẽtia diuina nõ poteſt dici extra ſuas cauſas poſita, dicitur tamen, & benè, quod exiſtit in rerum natura. pag. 223. nu. 7.

Eſſentia creata.

Eſſentia in rebus creatis, verè, & propriè attingitur vt quid productum. pag. 218. num. 37.

Æternitas.

Vna eſt æternitas in Deo abſoluta, & non dantur tres æternitates relatiuæ. pa. 226. à num. 24.

Concedentes tres durationes relatiuas, tenentur concedere tres æternitates relatiuas. pag. 226. à nu. 26.

Exiſtentia.

Exiſtentia eſt formalitas qua eſſentia eſt actu in rerum natura. p. 223. nu. 6.

Datur in Deo vna exiſtentia abſoluta. ibid. num. 5.

Eſſe exiſtentiæ eſt vnum dumtaxat, in Deo Probatur D. Thomæ authoritatibus. ibid. à nu. 10.

Exiſtentia non propter aliud ponitur, niſi vt res ſit actu in rerum natura. pag. 225. num. 2.

Explicantur authoritates Sanctorum pro pluralitate exiſtentiarum relatiuarum. pag. 227. à nu. 35.

Exiſtentia eſt actus purus in Deo. pag. 225. num. 7.

Exiſtentia realiter multiplicata non pertinet ad fœcunditatem naturæ diuinæ, nequè ad hoc vt perſonæ exiſtant. ibid. num. 18.

Munus exiſtentiæ non eſt aliud, niſi redderε

Iiii dere

dere rem actu in rerum natura. ibidem num.23.
Eſſe eſſentiale Verbi diuini non producitur à Patre. pag.23.nu.21.
Si eſſent tres exiſtentiæ relatiuæ, hoc nomen, perſona, eſſet quid vniuerſale. pag. 227.nu.24.
Eſſe in alio per circuminſeſſionem, circumince ſſionem, circuitionem &c. quid ſit. pag.585.nu.2.
Exiſtentia abſoluta communicatur tribus diuinis Perſonis. pag.228.nu.40.

Eymericus.

Nicolaus Eymericus Ordinis Prædicatorum fuit Inquiſitor generalis Sancti officij à Gregorio Vndecimo propter eius glorioſam famam inſtitutus. pag.272. num.5.
Fuit ardentiſſimus fidei propugnator. ibidem.
Legens Raymundi Lulli opera, in quibus multa contra fidem inueniens, nauauit operam, & obtinuit, vt à Gregorio Vndecimo Summo Pontifice damnarentur. ibidem.
Lulliſtę grauiter eum perſequebantur. ibid.
A Calumnijs Vaſquez vindicatur. pag.273. à num.8.
Ratio Vaſquez contra Eymericum nullius eſſe roboris, aut momenti, demonſtratur. ibid. præſertim num.11.

F

Fides.

Fides, & lumen naturale non opponuntur. pag. 266. à nu.12.
Fides adiuuat, & perficit naturam. pag.267. nu.14.
Quæ per ſe ad fidem ſpectant non poſſunt ratione naturali demonſtrari; & qui nititur probare, fidei dupliciter derogat. pag. 264. nu.10.
Fides ponitur ob deficientiam luminis naturalis. ibid. nu.11.
Si ea, quæ fidei ſunt, non rationibus defenduntur, ſed infidelibus dicimus, quia ſic fide ſentiendum eſt, infideles facilius ad fidem conuertuntur. ibid. nu.12.
Per ſolam fidem non informatam charitate, Filius non mittitur, licet ſupernaturaliter cognoſcatur. pag.593. nu.11.
Fides ſemper fuit in Beata Virgine, & ſolùm ab ea receſſit viſione beatifica accedente. pag.284. nu.13.

Filius.

Filius in diuinis ſecundùm communem vſum loquendi, non debet, nec poteſt dici principiatus. pag. 16. à nu.2.
Filius in diuinis non eſt in ſe ipſo per circuminſeſſionem. pag. 586. nu.13.
Eadem proprietas, quæ importatur nomine Verbi, importatur quoquè nomine Filij, ſed non eodem modo. pag.350. num.4.
Filius, ſeu Ieſus Chriſtus quomodo dicitur ſolus altiſſimus. pag.259. nu.11.
Filius Dei eſt verè, & propriè Verbum. pag. 344. à nu.3.
Filius Dei non eſt genitus de nihilo, ſed de ſubſtantia Patris. pag 539. nu.2.
Filius Dei dicitur primogenitus, & vnigenitus. pag.539. nu.6.
Filius in diuinis non dicitur propriè accipere donum à Patre. pag.475. nu.5.
Filius ſi minor eſt Patre quantùm ad humanam naturam aſſumptam, & Spiritus ſanctus ſi eſt quoquè minor Patre, & Filio quantùm ad naturas, quibus miſſio eius viſibilis facta eſt. quare Sacra Scriptura ſicut dicit, quod Filius minor eſt Patre, non etiam de Spiritu ſancto ſimiliter dicit. pag.601. nu.7.
Filius in diuinis ſemper dicitur natus, & ſemper dicitur naſci, melius tamē dicitur primum quàm ſecundum. pag.572. nu.2.
Illa particula, Filioquè, in Symbolo nō fuit primo poſita à Patribus Niceni Concilij. pag.405. à nu.17.
Filij Perſona conſtituitur per Filiationem ſpirantem. pag.424. à nu.69.
Filiatio diuina ſic includit ſpirationem actiuam, vt ipſa quoquè ſit ſpiratiua. pag. 129. nu.11.
Filius non differt à Patre differentia ſpectante ad librum Porphyrij. pa.253. nu.23.
Filius non mittitur, quādo per fidem informatam charitate cognoſcitur. 593. n.11.
Vide, Verbum.

Fœcunditas.

Fœcunditas diuinæ naturæ non eſt ex intellectu, & voluntate, tanquam ex radice. pag.69. nu.34.
Fœcunditas creaturæ, & Dei ad intra magnopere differunt. pag.70. à nu.37.
Fœcunditas diuinæ naturæ non exigit plures exiſtentias relatiuas. pag.225. nu.18.

Formalitas.

Formalitas, quæ propriè conuenit Deo, & creaturis, non vniuocè, ſed analogicè de eis prædicatur. pag.167. nu.11.
Formalitas propriè cōueniens Deo & creaturis, magis propriè dicitur de Deo, quā de creaturis. ibid. à nu.11.
Formalitatis alicuius, modus proprius eſt, qui conuenit ei ſecundùm quod eſt in Deo, & modus conueniens ei, prout in creaturis reperitur, eſt recedēs à ſuo proprio modo. pag.167. nu.11.
Formalitas communicabilis pluribus ſuppoſitis, & Formalitas omninò incommunicabilis alteri ſuppoſito, ſunt formalitates ad minus ratione ratiocinata diſtinctæ. pag.104. nu.18.

Futu-

Futurum.

Futurum contingens nõ poteſt ſolo lumine naturali certò cognoſci, quia eſt ſupernaturale obiectiuè, licèt ſit naturale entitatiuè.pag.280.nu.60.

Futura contingentia conditionata ex vi decreti diuini cognita, cognoſcuntur à Deo per ſcientiam omnino liberam, nõ verò per ſcientiam viſionis formaliter. pag.376.à nu.15.

G

Generatio.

QVantò genitum recedit ab identitate naturæ ſuppoſiti generantis, tantò minùs eius proceſſio dicitur generatio.pag.315.nu.9.

Generatio quomodo ſignificat vt in fieri. pag.315.nu.7.

Generatio communiter accepta, poteſt dupliciter dici.pag.20.nu.4.

Generationi paſſiuæ conuenit producere Spiritum ſanctum vt principium quod, & vt ſubſiſtens eſt, non verò quatenùs filiatio eſt relatio dicens purum ad. pag. 33.nu.28.

In diuinis proceſſio amoris non poteſt dici generatio.pag.35.nu.2.

In diuinis proceſſio Verbi eſt generatio, nõ verò proceſſio Spiritus ſancti, & quare hoc. à pag.39.

Generatio ſecundùm ſimilitudinem in natura, tàm in eſſe naturali, tàm in eſſe intentionali, participabilis eſt à creatura, non tamen ab vna, & eadem. pag.53. num.108.

Generatio communiter definita per ſimilitudinem naturalem tantum, eſt reſpectu rerum creatarum.pag.52.nu.103.

Gilbertus.

Gilbertus Porretanus tenens relationes in diuinis eſſe extrinſecùs affixas, errauit. Et in Concilio Rhemenſi ſuum retractauit errorem.pag.90.nu.2.

Gradus.

Gradus metaphyſicus eſt de genere ſubſtãtiæ principium operationis genericè diuerſæ.pag.180.nu.13.

Gradus metaphyſici quatuor ſunt, eſſe corporeum, vegetatiuum, ſenſitiuum, & intellectiuum. ibidem.

Gratia.

Per ſanctificantem gratiam Deus dupliciter dicitur habitare in anima. pag.593. num.6.

Deus dum eſt in aliquo per ſanctificantem gratiam, eſt etiam per potentiam, præſentiam, & eſſentiam. pag.593. num. 4.

Gratia habitualis in anima Chriſti habet omnem effectum ſibi debitum, in ratione ſanctificantis gratiæ. pag. 87.num. 68.

Sine dono ſanctificantis gratiæ anima non poteſt eſſe templum Dei. pag. 593. num.9.

Per ſanctificantem gratiam tota Trinitas inhabitat creaturam rationalem. pag. 596. nu.2.

Gratia ſanctificans diſponit animam ad miſſionem nouiter perſonarum diuinarum, quando augetur, non quando mittitur.pag.598.à nu.1.

Gratia ſanctificans, & charitas diſtinguuntur, ſed charitas ſequitur ſanctificantem gratiam.pag.593.nu.7.

Græci.

Græci communiter dicunt Spiritum ſanctum eſſe imaginem Patris & Filij, ſed meliùs Latini negatiuè loquuntur. pag. 389.à nu.1.

H

Hæreſis.

IN hæreſim poteſt aliquis incidere ſi intra ſe fidei contradicat; nullum ſignum corporeum extra ſe formando, vel vocẽ proferendo.pag. 306.nu.4.

In hæreſim poteſt aliquis incidere, aliquid contra fidem proferendo, & paternę Eccleſiaſticæ monitioni non acquieſcendo. ibidem.

Hæreſis ſemper eſt caſus Pontifici reſeruatus.ibid.nu.5. + non

In primo caſu non eſt cum excommunicatione annexa, benè tamen in ſecundo. pag.307.nu.5.

D.Hieronymus.

D.Hieronymus quare non auſus eſt concedere tres hypoſtaſes in diuinis. pag.208. nu.123.

Homo.

Homo quomodo eſt imago Trinitatis. pa. 280.à nu.64.

Iſte terminus, homo, non ſupponit pro natura communi, niſi propter exigentiam alicuius additi, & quomodo hoc verum ſit.pag.488.nu.9.

Homo quomodo eſt de intrinſecò conceptu Petri, & quomodo non.pa.119.nu.27.

Homo cum ſit perfectior alijs animalibus per modum compoſitionis, habet plures operationes.pag.180.à nu.13.

Homo in ſtatu puræ naturæ eſt obiectum congruum amoris amicitiæ naturalis, non autem eſt templum amantis. pag. 611.nu.23.

Homo dicitur habere Deum pulſantem ante oſtium, non autem per hoc dicitur Deus habitare in homine tanquàm in templo ſancto ſuo.pag.611.à nu.25.

Humana Natura.

Humana natura quatenùs ex hac anima,& ex hoc corpore coaleſcit, præciſè loquẽdo, non eſt perſona.pag.155.nu.7.

Humana natura Chriſti Domini à Verbo diuino hypoſtaticè aſſumpta, non dicitur propria propriè carere. pag. 164. num.74.

Humana natura Chriſti Domini à Verbo diuino aſſumpta non appetit propriam perſonalitatem propter incompoſſibilitatem cum perſona increata. pag.165. num.76.

Humana natura Chriſti Domini ſi à Verbo diuino ſibi dimitteretur,ſtatim atquè naturali ſequela propriam acquireret perſonalitatem.pag.165.nu.77.

Humana natura ſingularis ſi ſine omni ſubſiſtentia poſitiua exiſteret, exiſteret per ſe perſeitate negatiua tantùm. ibid & num.81.

Humana natura ſingularis poteſt abſquè omni ſubſiſtentia poſitiua exiſtere. ibid. & num.81.

Sanctiſſima Chriſti Domini humana natura donum Dei accepit per hoc, quòd fuit coniuncta Deo per ſanctificantem gratiam,& per vnionem hypoſtaticam. pag.473.nu.4.

Hypoſtaſis.

Hypoſtaſis, & ſubſiſtentia quomodo ſunt omninò idem. pag.208.à nu.122.

Hypoſtaſis apud Græcos, & apud Latinos quomodo accipiatur.pag.137.à nu.7.

Tres hypoſtaſes poſſunt dici in diuinis.ibid. num.10.

Hypoſtaſis Spiritus ſancti eſt per ſe terminus ſpirationis paſſiuæ ſecundum rationem quaſi indiuidualem, non quaſi formalem.pag.46.nu.58.

Hypoſtaſi quomodo reſpondet ſubſtantia. pag.138.nu.9.

Idem.

Quæ ſunt eadem vni tertio, ſunt eadem inter ſe,quomodo ſit vera hæc propoſitio. pag.268.à nu.25. & pag.101. à nu.61. & pag.124.nu.9.

Imago.

Imago eſt verè,& propriè in diuinis. pag. 393.à nu.3.

Imago in diuinis verè, & propriè conuenit Filio reſpectu Patris.pag.395.à nu.1.

Imago quid propriè ſignificat,& quid eſt. pag.390.à nu.1.

Imaginis ratio concurrit ad rationem conſtitutiuam generationis. pag.49.nu.75.

De ratione formali imaginis eſt, quòd procedat ab aliquo vt ſimilitudo in forma, ſeù ſpecie eius, cuius eſt imago. pag. 49. num.78.

In diuinis.

Hæc particula, in diuinis, aliquando, à D. Thoma accipitur prout idem ſonat, ac in Deo,& aliquando, pro ut idem ſonat, ac in diuinis perſonis.pag.4.à nu.6.

Inaſſumptibile.

Inaſſumptibile eſt incurabile ſecundùm Damaſcenum, & quomodo intelligenda ſit hæc propoſitio. pag.163.& à nu. 68.

Infinitas.

Darentur tres infinitates relatiuæ,ſi relatio diceret perfectionem, contra Vaſquez. pag.235.à nu.15.

Infinitas quomodo ſit prædicatum Dei. pag.98.à nu.38.

Perſona diuina ratione infinitatis naturæ diuinæ non ratione infinitatis propriȩ poteſt ſupplere vicem perſonæ creatæ. pag.84.nu.54.

Imperfecta.

Imperfecta ſumuntur à perfectis per acceſſum ad perfecta, vel per receſſum ab eis. pag.117.nu.5.

Indiuiduum vagum.

Indiuiduum vagum duplex;ex parte naturæ ſcilicet, & indiuiduum vagum quod dicitur perſona. pag. 189. à num.8. & 1.

Indiuiduum vagum conuenit Perſonæ diuinæ.ibid.& pag.154. à nu.29.

Perſona poteſt etiam per particulam vagè ſignificantem explicari. ibid.nu.9.

Ingenitum.

Ingenitum quomodo ſit proprium Patris. pag.323.à nu 4.& pag.324.à nu.1.&pag. 327 à nu.30.

Ingenitum ſeu innaſcibilitas nequè de formali, neque de materiali directo ſignificato dicit aliquod poſitiuum. pag. 328. à num.8.

Ingenitum aliquando fuit vox ſuſpecta inter Sanctos Patres;& quare. pag.303.à nu.7.& pag.325 à nu.8.

Ingenitum, ſeù innaſcibilitas,eſt notio, & ad dignitatem Patris pertinet; inſpirabilitas verò nequaquàm. pag.304.à nu.10.

In nomine, ingeniti, prout eſt proprium perſonæ Patris, ſubintelligitur eſſe principium alterius perſonæ,non formaliter, & explicitè,ſed fundamentaliter, aut ad minus connexiuè.pag.323.nu.5.

Hoc nomen, Ingenitum,eſt veluti ȩquiuocum.pag.324.à nu.2.

Ingenitum. hæc vox meritò eſt à Sanctis Patribus,& Theologis vſurpata. ibid. à num.14.

Ingenitum, ſi dicit id, quod eſt quidem ab alio tanquàm à principio, ſed per ſolam negationem generationis, conuenit Patri,& Spiritui ſancto,non tamen Filio. pag.326.à nu.17.

Hæc vox, Ingenitum,iuxta tertiam acceptionem eſt propria Patri. pa. 326.à n.23.

Inge-

Digitized by Google

Ingenitum priuatiuè quomodo eſt proprium Patri. pag. 227. nu. 28.
Quid ſenſerit Vaſquez de ſignificato huius vocis, ingenitum; pag. 328. nu. 1. & pag. 329. à nu. 9. eiuſquè ſententia impugnatur. ibidem.
Ingenitum, vt ingenitum non conſtituit perſonam Patris. pag. 334. à num. 34.
Ingenitum eſt notio diſtincta à paternitate. pag. 332. nu. 23.
Ingenitum eſt ipſa notione paternitatis poſterius. pag. 224. nu. 38.
Ingenitum conuenit Patri ratione paternitatis veluti nodificantis eſſentiam in ratione fœcundæ. ibidem.

Intellectus, & Intelligere.

Intellectus, & voluntas in Deo ſecundùm quòd ſunt cauſa productiua rerũ ad extra, non reſpiciunt terminum vt obiectum, ſed vt effectum. pag. 60. nu. 4.
Intelligere, & velle ſunt actus eſſentiales eſſentialiter conſiderati, ſi autem accipiantur non præcisè, ſed vt ſunt in aliqua perſona, ſunt actus eſſentiales modo notionali. pag. 69. num. 34.
Intellectus quomodo fit in actu primo, & quomodo in actu ſecundo per ſimilitunem rei intellectæ. pag. 36. num. 10.
Nullus intellectus creatus poteſt cognoſcere Deum vt trinum clarè, & diſtinctè, quò ad quid eſt, extra viſionem claram, & intuitiuam Dei. pag. 283. à num. 4.
Intelligere, ſeù notitia in via D. Thomæ nõ poteſt, nec debet dici verbum, ſeù conceptio rei intellectæ. pag. 6. num. 21. & pag. 8. nu. 4.
Quicunquè intelligit ex hoc ipſo quòd intelligit producit verbum. pag. 6. nu. 22.
Ab hac propoſitione excipiuntur Filius, & Spiritus ſanctus. pag. 7. num. 27.
Licèt hæc propoſitio extendatur reſpectu omnium intelligentium, hominum ſcilicet, Angelorum, & Dei Patris, tamen, prouè à D. Thoma ponitur, intelligitur reſpectu creaturarum, & ad ipſum Deũ non extenditur. Ibidem.
Hæc propoſitio non aſſumitur à D. Thoma ad probandum, quòd datur proceſſio in diuinis, ſed ꝙ proceſſio, quæ datur, eſt ad intra. Ibidem. nu. 3.
Intelligere Dei ex hoc, quòd eſt idem cum eſſe Dei, quomodo infert, quòd Verbum diuinum procedit vt exiſtens in natura diuina. pag. 23. num. 24.
Intelligere in diuinis ſolùm eſſentialiter dicitur. pag. 460. num. 4.
Intelligi reſpectu Verbi diuini non eſt ſola denominatio extrinſeca, ſed intrinſeca. pag. 25. nu. 23.

L

Libertas, & Liberè.

Libertas eſſentialis, & libertas accidentalis à quibuſdam Scotiſtis poſita explicatur. pag. 561. à num. 10.
Libertate eſſentiali non autem accidentali Spiritum ſanctum à Patre, & Filio procedere nonnulli Scotiſtę moderni dicũt. ibidem.
Liberè Spiritum ſanctum procedere à Patre, & Filio, libertate quò ad exercitium tenuerunt nonulli Scotiſtæ. ibidem à num. 5.
Liberè Spiritum ſanctum procedere à Patre, & Filio quò ad exercitium, falſum omninò eſt, & grauiter illos Scotiſtas erraſſe, Vulpes ipſe teſtatur. ibidem.
Liberè & neceſſariò opponuntur. ibidem. à num. 8.

Lumen gloriæ.

Lumen gloriç habet illuſtrare intellectum, vt cognoſcat myſteria ſupernaturalia creata etiam extra viſionem clarè Dei. pag. 285. num. 16.
Lumen gloriæ non eſt habitus viæ. pag. 285. num. 16.
Fieri poteſt diuino miraculo, vt alicuis intellectus habeat lumen gloriæ, & non videat Deum, cognoſcat tamen myſteria ſupernaturalia creata, ſi illorum ſpecies infunderentur à Deo. ibidem.
Lumen gloriæ ſecundùm quoſdam eſt lumen ſcientiæ inditæ animæ Chriſti. pag. 284. nu. 11.

M

Macarius hæreſiarcha.

Macarius Archiepiſcopus Antiochiæ hæreſiarca, vnà cum ſuis ſocijs ſuſtinuit in Chriſto Domino non eſſe duas voluntates, ſed vnam voluntatem, puta, diuinam, & pluriès ad monitus à Cõcilio ſexto Conſtantinopolitano, id pertinaciter dixit ſuſtinere, etiam ſi membratim incideretur, & mitteertur in mare. pag. 306. num. 3.

Mahometus.

Mahometus Mamedius à D. Damaſceno appellatur. pag. 5. nu. 14.
Mahometus dixit Chriſtum eſſe verbum Dei, & eius Filium, ſed creatum, atquè ſeruum. ibidem.
Mahometus fatetur, Chriſtum eſſe ex Maria Sacratiſſima Spiritus ſancti adiuuamine, ſine ſemine generatum. ibidem.
Mahometus tenuit, Chriſtum prophetam Dei magnum extitiſſe, & nequaquam à Iudæis

Iudeis occiſum fuiſſe, ſed illius vmbram fuiſſe crucifixam. ibidem.
Mahometum peperit, & enutriuit Oriens tanquam monſtrum enorme. ibidem num 15.
Mahometi vita, officium, vxor, eiuſquè induſtria enarratur. ibidem.

Marcus Antonius Palumbus.

Pater Marcus Antonius Palumbus Ieſuita non obſcurè conceſſit phyſicam prædeterminationem. pag. 427. nu. 3.

Michael Cerularius Patriarcha Conſtantinopolitanus hæreſiarcha.

Michael Cognomento Cerularius Patriarcha Conſtantinopolitanus omnes græcos ſui temporis excitauit ad ſubſtentãdum Spiritum ſanctum non procedere à Filio. pag. 402. nu. 1.
Quæ, & quot mala contra catholicos excogitauit, & fecit. ibidem.

Miſſio, & mitti.

Miſſio diuinæ perſonæ ad aliquam creaturam rationalem etiam fit, quando in aliquo gratia ſanctificãs augetur. pag. 598. à num. 1.
Miſſionis definitio quæ ſit. pag. 589. nu. 3.
Miſſio noua ſeù nouiter aliquãdo fit, quia nouo quodam titulo fit. pag. 598 nu. 2.
Miſſio inuiſibilis ad beatos quantum ad infuſionem gratiæ, & viſionem claram Dei, facta eſt in ipſo beatitudinis principio. ibidem nu. 3.
Miſſio inuiſibilis ad eoſdem fit de nouo, ſecundùm quòd aliqua myſteria de eis reuelantur de nouo. ibidem. num. 5.
Miſſio inuiſibilis ad Chriſtum facta eſt in principio ſuæ conceptionis. ibidem.
Miſſionis perſonæ diuinæ duplex eſt finis; principalior vnus, minùs principalis alter. p. 605. nu. 17.
Mitti conuenit Spiritui ſancto inquantùm procedit vt amor, & competit ei eſſe ſanctificationis donum: Filio autem inquantùm eſt Spiritus ſancti principium, competit eſſe ſanctificationis authorẽ. pag. 601. nu. 5.
Mittitur perſona in diuinis ad creaturam rationalem, re vera ſecundùm ſubſtantiam, idque contra Arriagam, qui quantùm ad hoc, loquitur contra modum loquendi Concilij florentini. pag. 604. à num. 5.
Cum mittitur Spiritus ſanctus, eſt in creatura ad quam mittitur, vt amatum in amante actualiter, vel habitualiter. pag. 605. num. 18.
Satis celebre exemplum à Theologis aſſignatur inter vtrumque miſſionis modũ. ibidem.
Dicitur magis propriè miſſa perſona diuina procedens à perſona producente, quã à perſona non producente: impropriè tamen, ſeù minùs propriè poteſt dici miſſa etiam à ſe ipſa, vel ab alia perſona à qua non procedit. pag. 607. à nu. 4.
Mitti Spiritum ſanctum ad animam mortali peccato obnoxam eſt impoſſibile. pag. 593. nu. 9. & pag. 609 à nu. 3.
Mitti Spiritum ſanctum ad animam alicuius non habentis in ſe ſanctificantẽ gratiam, eſt per omnem potentiam impoſſibile. ibid. à nu. 5.
Quando mittitur perſona diuina ad aliquã rationalem creaturam, debet eſſe in ea tãquàm in templo ſancto ſuo. pag. 610. à num. 15.
Mittitur vtraquè perſona, Filius ſcilicet & Spiritusſanctus quotieſcunque creatura rationalis recipit in ſe ſanctificantẽ gratiam. pag. 596. num. 2 & 6.
Si per poſſibile, vel impoſſibile, Deus conferret creaturæ rationali ſanctificantem gratiam, non autem intellectum illuſtraret, nequè eiuſdem voluntatis affectum inflammaret, vtraquè perſona, Filij ſcilicet, & Spiritus ſancti, miſſa diceretur. ibidem. nu. 3.
Si per poſſibile, vel impoſſibile, alicui rationali creaturæ donum ſanctificantis gratiæ infunderetur, & intellectus dumtaxat, de diuinis illuſtraretur, magis principaliter diceretur miſſus Filius, quam Spiritus ſanctus, quemadmodum, ſi nõ illuſtraretur intellectus, inflammaretur autem voluntatis affectus, diceretur ſpecialiori titulo miſſus Spiritus ſanctus, nõ autem Filius. pag. 596 num. 4.
Quando mittitur Spiritus ſanctus, debet eſſe aliquis realis mutatio ex parte animæ, ad quam mittitur. pag. 610. nu. 7.
Si per impoſſibile Deus condonaret culpã abſque gratiæ infuſione, non diceretur miſſus Spiritus ſanctus. ibidem. nu. 6.

Mulus.

Mulus procedit ex ſubſtantia, ſeù ex ſemine generantis. pag. 21. nu. 8.
Mulus parùm à ſuis genitoribus in forma extrinſeca differt. ibidem nu. 9.
Mulus eſt verè, & propriè Filius, genitus, & natus, non tamen perfectè quò ad connaturalem generationis modum. ibidem.

Multitudo.

Multitudo, quę ponit aliquid in rebus creatis, eſt ſpecies quantitatis. Et quomodo hoc verum ſit. pag. 185. à nu. 9.
Multitudo, de ſuo formali nõ dicit aliquod poſitiuum, ſed negationem addit. pag. 186. nu. 15.

Mutatio.

Mutatio realis ſemper debet interuenire quando mittitur Spiritus ſanctus. pag. 610. num. 7.
Mutatio phyſica ſequitur ex poſitione liberi

Digitized by Google

liberi decreti abſoluti Dei, non quidem ab æterno, ſed in tempore. ibidem nu. 10.

Mutatio moralis in creatura non ſufficit ad veram miſſionem perſonæ Spiritus ſancti. ibidem nu. 11.

Omnis mutatio moralis, vt ſit vera, & propria mutatio, debet fundari ſuper mutationem phyſicam. pag. 610. num. 13.

Mutatio rei poſſibilis à ſtatu poſſibilitatis ad ſtatum futuritionis abſolutæ non eſt propriè mutatio, ſed impropriè. pag. 10. num. 4.

Quæcunque mutatio neceſſariò dicit, includit, vel arguit imperfectionem. pag. 11. num. 10.

Si aliquid fuiſſet ab æterno creatum, nullo modo diceretur propriè mutatũ. à pag. 10. & à num. 7.

Si daretur aliqua creatura ab æterno producta, illa productio non eſſet re vera mutatio. pag. 12. nu. 17.

Myſterium.

Myſteria, quæ Angelis, & animabus creatis à Deo nouiter reuelantur, die Iudicij adueniente, omninò ceſſabunt. pag. 598. num. 5.

Myſterium Trinitatis non poteſt ratione naturali demonſtrari. pa. 274. à nu. 13.

Myſterium Trinitatis non eſt contra lumen naturale, ſed ſupra. pa. 266. à nu. 3.

Myſterium Trinitatis poteſt cognoſci clarè, & euidenter extra claram Dei viſionem, euidentia in atteſtante, quò ad an eſt. pag. 283. à nu. 8.

Myſterium Trinitatis quò ad quæſtionem an eſt, intrinſeca euidentia, non cognoſcitur clarè, & euidenter, niſi per lumen gloriæ. pag. 284. à nu 8. & quomodo hoc intelligitur. ibidem.

Myſterium Trinitatis poteſt efficaciter probari ex teſtimonijs nouæ legis. pag. 286. à num. 9.

Myſterium Trinitatis ex teſtimonijs veteris teſtamenti poteſt quoque efficaciter probari. ibidem à num. 12.

N

Natura.

Natura diuina ſi agit media aliqua potentia, à ſe ſola ratione, ſeù virtualiter diſtincta, non eſt ex indigentia, ſed ex formali exigentia. pag. 65. nu. 33.

Natura diuina ſecundùm quod natura eſt præcisè, ſi ratione, ſeù virtualiter ab intellectu diuino diſtinguitur, nõ eſt principium quo proximum proceſſionum pag. 64. num. 25.

Natura adæquatè concepta non diſtinguitur à conceptu obiectiuo eſſentiæ adæquatè conſideratæ. pag. 483. nu. 1.

Poſſunt dici aliqua vnius naturæ, quæ non ſunt vnius eſſentiæ, quomodo hoc eſt verum pag. 484. nu. 2.

Si quis diceret, tres perſonas diuinas eſſe vnius naturæ, benè loqueretur, non tamen exprimeret diuinam vnitatem ita expreſſe, ſicut ſi diceret, tres perſonas diuinas eſſe vnius eſſentiæ. ibidem nu. 4.

Per nomen naturæ ſignificatur determinatio indiuidui ſub ratione ſpecifica, magis, quàm per nomen eſſentiæ. ibidem. num. 5.

Negatio.

Negatio, vt negatio, non dicit dignitatem, benè tamen negatio talis, ſeù negatio priuilegiata dicit dignitatem. pag. 335. à num. 31.

Nemo.

Hæc dictio, Nemo, quomodo non eſt idẽ, quòd nullus homo. pag. 259. num. 8.

Nomen.

Nomen collectiuum, neceſſariò duo importat. pag. 247. à nu. 6.

Quæ nomina vitanda ſunt in diuinis. pag. 251. à nu. 5.

Nominis primus inſtitutor aliquandò eſt perfectus, & aliquando non. pag. 149. num. 28.

Nomen Verbi in diuinis, ſi propriè ſumatur, eſt nomen perſonale. pag. 340. nu. 1.

Vide Verbo, Patri, & Verbo, Spiritus ſanctus.

Notio.

Notio quid ſit. pag. 299. à num. 2.

Definitiones notionis à diuerſis doctoribus poſitæ examinantur, & definitio D. Thomæ alijs omninò præfertur. pag. 300. à nu. 12.

Notiones quædam ſunt perſonales, & ſunt tres. pag. 301. nu. 32.

Quædam notiones ſunt relationes, & ſunt quatuor, ſcilicet paternitas, filiatio, communis ſpiratio, & proceſſio. ibidem.

Quædam notiones ſunt tantum proprietates, & quæ ſunt. ibidem, num. 32.

Notiones omnes ſunt quinquè, non tamẽ omnes ſunt relationes, non omnes proprietates, nequè omnes perſonales. pag. 302. nu. 3.

Notio communis ſpirationis non dicitur notio perſonalis, ſed notio perſonarum. ibidem num. 35.

Vna notio, non prædicatur de altera, vbi obſeruanda eſt pulchra D. Thomæ doctrina. pag. 302. num. 36.

Notiones diuinæ ſunt tantùm quinquè. pag. 303. à nu. 6.

Notiones quomodo in diuinis non ſignificantur vt res. pag. 296. à num. 32.

Numerus, & Terminus numeralis.

Numerus ternarius, ſeptenarius, &c. quomodo dicunt ſuas perfectiones. pag. 278. à nu. 42. Nu-

Digitized by Google

Numerus determinatus accipitur à Diuo Thoma, prout opponitur numero indeterminato. pag. 180. nu. 18.
Numerus ſimplex, quomodo intelligatur. pag. 181. nu. 19.
Numerus qui vocatur ſimplex, dicitur quoquè abſolutus, & abſtractus, abſolutus, quia eſt abſtractus à rebus numeratis; abſtractus quoquè, non quia ſit terminus abſtractus, diſtinctus contra concretum, ſed dicitur abſtractus, à rebus enumeratis. pag. 181. nu. 19.
Numerus abſtractus eſt tantùm in acceptione intellectus noſtri, non autem intellectus diuini. ibidem à nu. 20.
Numerus ſimplex eſt tantùm in acceptione, ideſt, in numeratione modo compoſitiuo intellectus noſtri. ibidem à nu. 22.
Numerus, qui eſt ſpecies quantitatis, quomodo ponit accidens quoddam ſupra ens. pag. 184. nu. 4.
Numerus, qui eſt ſpecies quantitatis, eſt id quo res à parte rei numeratæ dicuntur. pag. 184. nu. 5.
Numerus, qui eſt ſpecies quantitatis, eſt extenſio partium diſcretè extenſiuarum, ab inuicem diuiſarum, & habentium in ſe ipſis indiuiſionem. ibidem.
Termini numerales ſunt, vt vnum, duo tria, multa, pauca, &c. pag. 184. nu. 1.

Nutritio.

Nutritio, augmentatio, ſentire, intelligere, & velle ſũt operationes intrinſecę, ideſt, immanentes. pa. 180. nu. 14.

O

Omnipotentia.

Omnipotentia Dei ſecundùm quòd eſt trinus, & vnus, reſpicit eſſe producibile. pag. 584. à nu. 16.
Vide Verbo, poſſibile, & Verbo, potentia.

Origo.

Origo ſignificatur per modum actus. pag. 509. nu. 2.
Origo non ſignificatur vt aliquid intrinſecum. ibidem nu. 5.
Origo, & relatio in diuinis perſonis ſunt duo, non entitatiuè, ſed quò ad modum ſignificandi. pag. 509. nu. 1.

P

Partire.

Partire eſt aliquod totum, aut commune in partes diuidere. pag. 188. nu. 1.

Pater, & Paternitas.

Pater priùs ſecundùm noſtrum intelligengi modum habet rationem principij, & deinde rationem primi. pag. 334. nu. 35.
Pater à nullo alio principio reali proceſſione procedit. pag. 336. à nu. 5.
Pater non procedit à Deo vt cognoſcente, nequè etiam ſecundùm noſtrum intelligendi modum. ibidem. nu. 7
Pater in diuinis ſecundùm quòd perſonaliter ſumitur, per prius dicitur, quàm ſecundùm quod dicitur eſſentialiter pag. 316. & à pag. 317. & à nu. 7.
Patri quomodo conueniat dici initium, authorem Filij; & principium totius deitatis. pag. 310. à nu. 1.
Patrem eſſe in Filio benè probat D. Thomas pag. 576. nu. 1.
Pater eſt ſapiens ſapientia genita, eſt propoſitio falſa, & à D. Auguſtino retractata pag. 465. nu. 2. & à nu. 9.
Paternitas generat eſt falſa propoſitio, ſi paternitas accipiatur in ratione notionis, aut ſecundùm quòd dicit purum ad, eſt autem vera, ſi accipiatur pro ſubſiſtentia relatiua. pag. 495. num. 16 & à num. 19.
Pater genuit ſe Deum, eſt falſa propoſitio. pag. 490. nu. 13.
Pater, & Paternitas in diuinis non diſtinguuntur, niſi vt abſtractum, & concretum. pag. 518. nu. 19.
Pater non concurrit ad ſpirandum Spiritũ ſanctum vt principiũ partiale. pag. 457. num. 34.
Paternitas in diuinis eſt id quo Pater cõſtituitur perſona, non vero eſt id, quo Pater generat. pag. 543. nu. 2.
Pater quare dicitur perſona prima, Filius ſecunda, & Spiritus ſanctus tertia. pag. 581. nu. 20.
Paternitas vt ſubſiſtens, & ſimiliter filiatio originant Spiritũ ſanctum, & proceſſionem eius. pag. 33. nu. 33.
Patri attribuitur potentia per modum diſſimilitudinis, & etiam per modum ſimilitudinis. pag. 502. nu. 5.
Pater æternus communicat Filio totam deitatem, non paternitatem, vt conſtitutiuam perſonæ, benè tamen, vt identificatam eſſentiæ. pag. 101. ànu. 57.

Pater, & Filius.

Pater, & Filius diligunt ſe Spiritu ſancto, ſi diligere accipiatur notionaliter; ſi verò ſumatur eſſentialiter, nequaquàm. pag. 465. à nu. 5.
Pater, & Filius diligunt ſe Spiritu ſancto; huius propoſitionis germanus, ac legitimus ſenſus explicatur. pag. 466. à nu. 15.
Pater, & Filius ſunt vnum principium Spiritus ſancti. pag. 430. à nu. 1. & pag. 436. à nu. 13.
Pater, & Filius ſunt duo ſpirantes Spiritum ſanctum. pag. 440. nu. 6.
Meliùs dicitur, quòd Pater, & Filius ſunt vnus ſpirator, quã ꝙ ſunt duo ſpiratores. ibid. nu. 7. Pa-

Digitized by Google

Pater, & Filius ſunt hic ſpirator Spiritus ſancti. pag. 441. nu. 15.
Pater, & Filius ſunt hoc principium Spiritus ſancti, quod eſt Pater, quomodo poteſt eſſe vera præfata propoſitio. pag. 456. à nu. 21.
Pater, & Filius creaturas futuras, ſcilicet, in aliqua temporis differentia exiſtentes, diligunt Spiritu ſancto, poſſibiles verò nequaquàm. pag. 463. nu. 9.
Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus.
Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus non dicuntur tria particularia, prout particulare accipitur, vt quoddam correlatiuum vniuerſalis. pag. 190. num. 20.
Perfectio.
Perfectio propriè ſecundùm quid, eſt perfectio in ordine ad eſſentiam. pag. 87. nu. 81.
Perfectio ſimpliciter ſimplex eſt melior ipſa, quàm non ipſa, quomodo hæc propoſitio intelligitur. pag. 88. à nu. 83.
Quid ſit dicere perfectionem. pag. 78. à num. 1.
Perfectio dupliciter accipi poteſt, largè ſcilicet ſeù communiter, & ſtrictè, ſeù propriè, & quid ſignificat vtrumquè diſtinctionis membrum. pag. 77. nu. 2.
Perfectio abſoluta, & relatiua. pag. 80. à nu. 16.
Perfectio ſimpliciter infinita, & perfectio ſecundùm quid, ſeù in aliquo genere. pag. 82. nu. 37.
Perſona, & Perſonalitas diuina.
Perſona diuina eſt nomen commune tribus diuinis perſonis non communitate rei, ſed ſecundũ rationem. p. 188. à nu. 2.
Perſona eſt indiuiduum vagum, & quod nam eſt. pag. 189. nu. 8.
Perſona eſt quid commune, non tanquàm quid perfectè præciſum. pag. 190. num. 13. & 16.
Perſona diuina quatenùs eſt communis nõ eſt vniuerſalis. ibidem nu. 15.
Perſona diuina, quatenùs hoc nomine nũcupatur, nequè dicitur de toto rigore vniuocè, nequè de toto rigore analogicè, nequè æquiuocè ibidem à nu. 18. & pag. 236. à nu. 3.
Vna perſona eſt in alia ſecundùm eſſentiã, originem, & relationem. pag. 585. à n. 3.
Perſona Verbi in humanitate aſſumpta exercet totum illud, quod per propriam perſonam creatam fuiſſet ei collatum, ſecluſis tamen imperfectionibus. pag. 218. nu. 45.
Perſona diuina ex ſuo formali, ac primario ſignificato, dicit aliquod poſitiuum, quod ſit ratio negationis communicationis. pag. 160. nu. 45.
Perſona comparatur ad naturã, vt aliquid realiter diſtinctum in creatis; vt aliquid verò virtualiter, & ſola ratione diſtinctũ in Deo. pag. 166. nu. 74.
Perſona increata Verbi ſecundùm quòd perſona eſt, vera, ac reali vnione vniuit ſibi humanam Chriſti naturam. pag. 160. nu. 45.
Perſona diuina de ſuo proprio, ac primario, ſed completo ſignificato, dicit in recto relationem tantùm, non per modũ abſoluti, ſed per modum perfectiſſimæ relationis. pag. 167. à nu. 8.
Perſonæ diuinæ non cõſtituuntur proprietatibus abſolutis. pag. 168. nu. 10.
Hoc nomen perſona diuina neceſſariò includit ſecundam intentionem, quantùm ad modum ſignificandi ex parte noſtri modi concipiendi. pag. 183. nu. 19.
Neceſſe eſt ponere tantum tres perſonas in diuinis. pag. 178. nu. 1.
Perſona diuina non conſtituitur per modum compoſitionis, ſed per modũ ſimplicitatis, aut per modum diſtributionis. pag. 520. à nu. 17.
Perſonæ diuinæ conſtitutio per proprietatem, quomodo eſt realis, & quomodo rationis. pag. 522. nu. 43.
Perſona diuina in ratione ſubſiſtentis, conſtituitur per relationem, vt eſt hypoſtatica, non autem vt eſt referens. pag. 527. à nu. 4.
Perſona diuina adæquatè conſiderata, conſtituitur per relationem, quatenùs eſt quaſi forma hypoſtatica; & etiam quatenùs eſt referens ad aliam perſonam. pag. 528. à nu. 11.
Tres perſonæ diuinæ ſunt vnum in eſſentia, & in formalitate eſſentiæ, & in entitate eſſentiæ; & quomodo hoc debeat intelligi. pag. 97. à nu. 23.
Tres perſonæ diuinæ poſſunt dici tres res relatiuæ. pag. 124. nu. 7. & pag. 222. à num. 1.
Perſona diuina ſignificat eſſentiam, & relationem, & quomodo. pag. 148. à nu. 18. & pag. 109. nu. 28.
Hoc nomen, perſona, ante hæreticorum calumniam, quomodo non rectè quantùm ad eius ſignificatum perceptum erat. pag. 149. à num. 25.
Perſona increata Verbi diuini aſſumpſit naturam humanam, præbens ei totam perſonæ rationem, quæ à perſona creata poterat expectari in ratione terminandi. pag. 160. nu. 41.
Perſona diuina Verbi habet proprium valorem diſtinctum connotatiuè, non autem realiter à valore Patris. pag. 84. nu. 55.
Perſona diuina dicit perfectionem arguitiuè, & implicitè, etiam ſi non diceret formaliter, & explicitè. ibidem nu. 56.

Digitized by Google

Perſona diuina non refertur ad aliam, qua eſſentia eſt, ſed qua eſt virtualiter diſtincta ab eſſentia. pag. 91. nu. 12.

Perſona diuina ſi accipiatur quantùm ad omne illud, quod dicit, & includit, ſcilicet in recto, & in obliquo, conſtituitur proprietate ad modum formæ partis. pag. 520. à nu. 14.

Perſona diuina, quæ ab æterno producitur, nō bene dicitur ab æterno extracta ad eſſe actuale. pag. 229. nu. 49.

Hoc nomen, perſona diuina, non eſt quid commune omnibus perſonis diuinis ſecundùm communitatem analogiæ attributionis. pag. 236. nu. 7.

Neque etiam dicitur communis ſecundum anologiam proportionis. pag. 237. à nu. 10.

Hoc nomen, perſona diuina, non prędicatur propriè quidditatiuè, de tribus diuinis perſonis. pag. 240. à num. 4. benè tamen, ſi impropriè accipiatur quidditatiua prædicatio. pag. 241. à nu. 6.

Si vna dumtaxat, in Deo eſſet perſonalitas, per eam Deus exiſteret, tanquàm per modum ſibi intrinſecū, p. 113. nu. 62

Perſona in communi, & Perſona creata.

Perſona quatenùs definitur ab Ariſtotele, quòd neque eſt in ſubiecto, neque de ſubiecto aliquo dicitur, eſt nomen ſecundæ intentionis. pag. 151. à nu. 6.

Perſona quatenus definitur à Boetio, & à Riccardo de Sancto Vittore. Eſt nomen primæ intentionis. pag. 151. à num. 8.

In diffinitione perſonæ ponitur ſubſtantia, prout diuiditur per primam, & ſecundam, vt rectè Diuus Thomas exponit; & ab impugnationibus Faſoli defenditur. à pag. 132. & à nu. 6.

Perſona eſt indiuiduum vagum. pag. 154. à nu. 29.

Perſona eſt quid completum, & incommunicabile. pag. 155. nu. 4.

Peſona quatenùs diſtinguitur à natura, ſuperaddit ei aliquod verè poſitiuum, ad quod conſequitur communicabilitatis negatio. pag. 158. à nu. 26.

Scotus quid de hac re ſenſerit. ibid. à pag. 156. à nu. 10. & à nu. 28.

Perſona creata non eſt perſona per eſſentiam, ſed per participationem. pag. 83. à nu. 49.

Perſonæ procedenti vt intimum quid, & abſque vlla in eſſentia diuerſitate conuenit ratio principij primi. pag. 9. à nu. 50.

Scotus magis adhæſit opinioni dicenti, perſonam creatam in duplici communicationis negatione conſiſtere. pag. 156. à nu. 7.

Secundùm Scotum non repugnat perſonæ creatæ, vt per potentiam Dei abſolutam alteri perſonæ communicetur. Item quòd de perfectiſſima ratione perſonæ eſt, vt dicat negationem communicabilitatis, etiam abſolutè, & ſic ſoli perſonæ diuinæ conuenit triplex dependentiæ negatio ab alio ſuppoſito. pag. 158. nu. 31.

Per ſe.

Per ſe, formaliter loquendo, non importat niſi negationem, per ſe verò, fundamentaliter importat aliquid poſitiuum. pag. 166. nu. 86.

Pilus.

Pilus eſt re vera viuens in via D. Thomæ. pag. 20. nu. 6.

Pilus non eſt Filius animalis ex quo oritur, neque genitus. ibidem nu. 5.

Plato.

Plato non fuit coætanus Ieremiæ, ſed ſexaginta annis natus eſt poſt Ieremia. p. 674. nu. 35. Vide Verbo Trinitas.

Poſitiuum.

Poſitiuum, vt poſitiuum non contrahitur per negatiuum, vt negatiuum. pag. 163. nu. 64.

Debet dari aliquod poſitiuum in quo fundetur negatio communicabilitatis tàm in natura creata, quam increata. pag. 160. nu. 42.

Poſſibile.

Poſſibile quatenùs eſt obiectum potentiæ Dei ſecundùm quòd eſt vnus & trinus, etiam includit Filius, & Spiritum ſanctum. pag. 541. nu. 5.

Potentia.

Potentia reſpectu actuum notionalium datur in Deo, non quòd producat eos, ſed per quos perſonæ producantur. pag. 540. à nu. 1.

Potentia, quæ ponitur in Deo ad extra, eſt communis toti Trinitati; potentia verò generatiua eſt tantùm in Patre; & ſpiratiua tantùm in Patre, & Filio. pag. 541. nu. 6.

Potentia generandi, vt potentia generandi, dicit duo, vnum in recto, & in obliquo alterum; ratione primi, eſt toti Trinitati communis: ratione ſecundi, conuenit ſolùm Patri. ibidem nu. 4.

Potentia generatiua propriè ponitur in Deo, ſicut ponitur actus generationis. pag. 544. nu. 6.

Potentia generatiua in diuinis dicit eſſentiam in recto, & relationem paternitatis in obliquo. ibidem à nu. 4.

Potentia generatiua non dicit potentiam abſolutè, ſed potentiam cum relatione principij in ratione dantis. pag. 579. num. 2.

Poten-

Digitized by Google

Potentia qua Pater generat; & potentia, qua Filius generatur, eſt eadem potentia; & pulchra datur huius propoſitionis explicatio. ibidem nu. 4.
Potentia attribuitur Patri per modum diſſimilitudinis, & per modum ſimilitudinis. pag. 502. nu. 5.
Potentia generatiua, & potentia ſpiratiua ſunt duæ potentiæ notionaliter, diſtinctæ inter ſe formaliter. pag. 582. nu. 2.
Potentia generandi, & potentia creandi diſtinguuntur partialiter, non totaliter. ibidem à nu. 4.
Potentia generatiua eſt in Filio, & in Spiritu ſancto, in ratione formali potentiæ, non autem in ratione formali generatiuæ. pag. 583. à nu. 7.
Potentia generatiua, ſpiratiua, & creatiua non ſunt plures ſpecies potentiæ Dei ſed ſunt vna numero omnipotentia. ibidem à nu. 11.
Potentia quatenùs eſt producens aliquid adextra, non accipitur notionaliter, ſed pro attributo abſoluto. pag. 61. num. 7.
Potentia in Deo eſt ipſiſſima intellectus, & voluntatis ratio. ibidem.

Prædeterminatio Phyſica.

Prædeterminatio phyſica à Thomiſtis intenta, dulciùs explicatur, quàm ab impugnatoribus improbatur. Et aduerſarij impugnant prædeterminationem, quam Thomiſtis imponunt, non quàm Thomiſtæ ponunt. pag. 535. num. 7.

Prædicamentum.

Prædicamentum ad aliquid, non conſtituitur per relationem vt abſtrahit à relatione reali, & à relatione rationis. pag. 75. nu. 12.
Prædicamenta ſecundùm propriam rationem non abſtrahunt à formalitate reali. ibidem n. m. 19. Et explicatur meas Diui Thomæ. pagin. 76. num. 21.

Prædicari.

Prædicari de aliquo contingit dupliciter, in recto ſcilicet; & in obliquo. pag. 148. nu. 24.
Prædicari in recto, adhùc ſtat dupliciter, ſcilicet, in recta linea prædicamentali; vel in caſu recto. ibidem, & pag. 120. nu. 39.
Prædicari accidentaliter, quomodo poteſt conuenire diuinis. pag. 112. à nu. 43. & pag. 114. à nu. 65.

Primum.

Primum dupliciter accipi poteſt; per comparationem ad ſecundum, & per negationem prioris. pag. 334. nu. 36.
Primum in vno quoque genere eſt cauſa cæterorum, quomodo intelligitur. pag. 511. nu. 13.

Principium.

Principij definitio quæ ſit. pag. 309. num. 1.
Principium Spiritus ſancti quomodo non habet terminatam ſuppoſitionem. pagin. 431. num. 6. & pag. 454. à nu. 2.
Principium Spiritus ſancti quando accipitur pro vt ſupponit pro vna perſona, non accipitur pro ſuppoſitione adæquata. pag. 454 à nu. 6.
Principium Spiritus ſancti ſupponit etiam diſtinctè, ſeù determinatè prò aliqua determinata perſona. ibidem nu. 5.
Principium Spiritus ſancti eſt terminus communis pluribus perſonis principiantibus, non tamen eſt terminus communis pluribus principijs. pag. 456. nu. 20.
Principium entitatiuè conſideratum increatis, licèt ſit priùs principiato, non tamen eſt prius principiato relatiuè. pag. 574. nu. 5.
Aliter conuenit Deo eſſe principium creaturarum, & aliter Patri eſſe principium perſonarum ad intra. pag. 332. nu. 23.
Ratio principij fontalis, & primi, in diuinis in ratione productiui, & in ratione de facto producentis, non conſtituunt diſtinctas notiones. pag. 332. num. 22.

Prioritas, & Priùs.

In diuinis datur ordo naturæ ſine prioritate. pag. 573. à nu. 1.
Non eſt commune omni principio eſſe prius eo, cuius eſt principium. ibidem nu. 2.
In diuinis nulla datur prioritas realis naturæ, aut originis, ſed tantummodo prioritas, & poſterioritas ſecundum intellectum inadæquatè concipientem. pag. 580. à nu. 5.
Prioritas originis, quæ à quibuſdam datur, non eſt prioritas in quo, ſed prioritas à quo. pag. 581. à nu. 12.
Scotus quid de hac re ſenſerit. pag. 12. à nu. 19. & pag. 580. à nu. 1.
Scotus aliquando apertè negat prioritatem originis in diuinis. pag. 12. à num. 19.
Vbi datur primum, ſecundum, & tertium ſecundùm durationem, aut perfectionem, ibi datur prius, & poſterius, non verò vbi datur primum, ſecundum, & tertium ſecundùm puram originem, ibi datur prius, & poſterius. pag. 581. à nu. 18.

Digitized by Google

Procedere, & Proceſſio.

Proceſſio eſt nomen deriuatum à verbo, procedo, pa. 3. nu. 1.

Proceſſio eſt nomen tranſlatum ad ſignificandam originem, vel emanationem ab alio. ibidem.

Proceſſio quomodo accipitur, cum à D. Thoma quæritur; Vtrum proceſſio ſit in diuinis. pag. 4. à nu. 2.

Proceſſio duplex; quædam fit media aliqua actione; quædam verò nequaquàm. pag. 6. nu. 20.

Proceſſio diuinarum perſonarum nulla ratione poteſt dici re vera mutatio. pag. 10. nu. 2.

Proceſſio in diuinis actiuè accepta, ſeù productio, abſquè vllo ſcrupulo, & cum proprietate ſermonis dicitur actio. pag. 14. nu. 4. & pag. 62. nu. 2.

In proceſſionibus æternis non datur terminus à quo oppoſitus ad terminũ ad quem. pag. 13. nu. 28.

Proceſſioni Verbi diuini perfectiſſimo modo conuenit ratio generationis viuentium. pag. 23. nu. 10.

Quærere Vtrum proceſſio Verbi ſit generatio ex ſolo naturali intellectus creati lumine, temerarium eſt aſſumptum, & impoſſibilis demoſtratio. pag. 23. num. 7.

Suppoſita tamen fidei intrinſeca illuſtratione, rationabiliter quæritur, Vtrum proceſſio Verbi diuini ſit generatio. pag. 23. nu. 7.

Proceſſio Verbi in diuinis dicitur generatio pag. 20. nu. 1.

Proceſſio Verbi creati poteſt dici generatio ſecundùm quid, ſed non ſimpliciter. pag. 26. à nu. 26.

Proceſſio Verbi vt verbi dicit ſimilitudinẽ intentionalem, & naturalem ſimul. ibi. num. 29.

Proceſſiones diuinę ſunt duę. pag. 28. nu. 2.

Proceſſio in diuinis non eſt niſi ſecundùm actionem. ibidem nu. 3.

Proceſſio amoris in diuinis non debet intelligi niſi veluti cauſaliter, & terminatiuè, non verò formaliter, quaſi amor in diuinis procedat. ibidem nu. 6.

Proceſſio amoris in diuinis diſtinguitur virtualiter à proceſſione Verbi. pag. 29. num. 2.

Proceſſio in diuinis quæ eſt per amorem, diſtinguitur etiam realiter à proceſſione Verbi ratione relationis, quam connotat. ibidem nu. 6.

Proceſſio amoris in nobis non procedit effectiuè à Verbo. pag. 32. à nu. 24.

Proceſſio viſionis claræ Dei, quæ eſt per intellectum, fit abſquè vlla verbi obiectiui productione. pag. 36. num. 14.

Proceſſio ſecundùm rationem intellectus, analogicè dicitur de proceſſione intellectus creati, & increati. pag. 37. num. 16.

Procedere per modum ſimilitudinis, non conuenit proceſſioni ſecundùm rationẽ voluntatis. pag. 37. nu. 19.

Procedere per modum impellantis, & mouentis in aliquod, conuenit proceſſioni ſecundum modum voluntatis; nõ vero proceſſioni ſecundum modum intellectus. pag. 37. nu. 19.

Proceſſio Spiritus ſancti non eſt formaliter proceſſio deitatis, ſed formaliter eſt proceſſio impulſus diuini. pag. 46. num. 55.

Proceſſiones diuinæ non ſunt immediatè per naturam, ſecundùm quòd natura eſt præciſè. pag. 64. nu. 25.

Proceſſiones diuinæ non ſunt immediatè per naturam per modum principij quo proximi, ſi natura ſit virtualiter diſtincta ab intellectu, & voluntate. ibidem à num. 26.

Proceſſiones diuinæ ſunt in Deo, vt communicetur natura diuina media potentia communicatiua, ibidem num. 35.

Proceſſiones diuinæ ſunt per intellectum, & voluntatem. à pag. 66. & à nu. 3.

Procedere neceſſario, & procedere liberè ſunt duo modi adinuicem oppoſiti. pag. 551. à nu. 8.

Proceſſio Spiritus ſancti eſt omninò neceſſaria, & nullo modo libera. pa. 562. à n. 2.

Proceſſio Spiritus ſancti quare non eſt generatio. pag.

Productio.

Productio diuinarum perſonarum eſt intima, & in eadem natura cum natura perſonæ producentis, & perſonæ productę. pag. 71. nu. 52.

Productio perſonæ Verbi diuini, eſt generatio, quæ eſt verè, & propriè actio; nõ tamen poteſt dici propriè factio. pag. 539 nu. 3.

Et ad hoc inſinuandum meritò in ſymbolo Niceno de productione Verbi dicitur, genitum, non factum, ibidem nu. 4.

Propoſitio.

Ab identica propoſitione ad formalem, non eſt bona conſequentia formalis. pag. 498. nu. 34.

Proprietas.

Proprietates, perſonas diuinas conſtituentes non ſunt abſolutæ. pag. 523. à num. 4.

Proprietas conſtitutiua perſonæ diuinæ eſt relatio, ſeù formalitas relatiua ſub ratione relatiua. pag. 526 à nu. 2.

Proprietates ponendæ ſunt in diuinis, quibus

quibus conſtituantur, & diſtinguantur diuinæ perſonæ. pag. 516. à nu. 2.
Proprietates perſonales conſtituunt perſonas ad modum formæ totius, non verò ad modum formæ partis. pag. 519. à num. 3.

Proteſtatio.

Humilis Authoris in fine operis proteſtatio. pag. 612. à nu. 33.

Q

Quantitas, & Qualitas.

IN Deo non eſt quantitas molis, benè tamen quantitas virtutis. pag. 127. n. 5.
Quantitas, & qualitas ſunt rationes magis propinquæ ſubſtantiam diſponentes, & ipſarum inhærentia magis ſenſu percipitur. pag. 75. nu. 16.
Quantitas aliquando dicitur realiter, & aliquando modaliter. pag. 127. nu. 3.
Quantitas, quæ fundat relationem, eſt quãtitas non ſolùm realiter, ſed etiam modaliter. ibidem.

R

Raymundus Lullus.

RAymundi Lulli multi errores à Gregorio XI. damnati. pag. 275. à nu. 8.
Raymundus Lullus tenet lumine naturali myſterium Trinitatis demonſtratiuè poſſe probari. ibidem.

Relatio, & Relatiuum.

Relatio in creaturis ſecundùm quòd eſt accidens non eſt per participationem, ſed per receſſum à relatione diuina. pag. 168. nu. 14.
De fide certum eſt, in diuinis eſſe relationes reales. pag. 74. à nu. 1.
Relatio terminatur ad relatiuum ad mentẽ D. Thomæ. pag. 123. nu. 4.
Relationes, quæ ſunt in diuinis, aſſimilantur relationi identitatis quò ad fundamentum, non verò, quò ad relata. p. 77. num. 31.
Relatio ſecundùm propriam ipſius rationem, ſi eſt realis, re vera ineſt ſubiecto; ſi eſt rationis, intelligitur in ſubiecto, non ipſum diſponens, aut exornans, ſed vt ipſum ad aliud referens. ibid. nu. 30.
Relatio ad creaturas in Deo non datur, & quare. pag. 37. nu. 32.
Relationes rationis, quæ ſunt in rebus intellectis ſunt relationes rationis tantũ. ibidem nu. 33.
Relatio rationis, ſeù ens rationis non propriè procedit ab intellectu, vt effectus à cauſa effectiua, ſed vt obiectum fictum ab intellectu realiter fingente. ibid. num. vltimo.
Relatiua oppoſitio in ſui ratione includit diſtinctionem. pag. 123. nu. 5.
Relationes createꝫ habent propriam exiſtẽtiam. pag. 231. à nu. 65.
Relatio in diuinis non eſt, nec poteſt eſſe, ſeù dici verè, & propriè eſſentia. pag. 230. nu. 54.
Relatio in diuinis ſecundùm quòd eſt referens reſpicit fundamentum: at verò ſecundùm quòd eſt conſtitutiua perſonæ, noli relationis diuinę quærere fundamẽtum. pag. 515. nu. 3.
Relatio perſonalis conſtituit perſonam diuinam ad modum formę totius, ſi perſona diuina accipiatur quãtùm ad id, quod de ſua intrinſeca ratione dicit in recto. pag. 520. à nu. 9.
Relationes diuinæ non oriuntur ab inuicem, quantùm, ad, eſſe, ad, præcisè. pag. 124. nu. 11.
Relatio omnis fundatur ſuper quantitatem, vel ſuper actionem, & paſſionem. Et quomodo intelligenda eſt hæc propoſitio. Pag. 127. à nu. 1.
Relatio realis, quæ eſt in Deo, nõ niſi ſuper actionem fundatur, & quomodo hoc verum ſit. pag. 127. à nu. 7.
Relationes reales in diuinis ſunt quatuor. pag. 129. nu. 13.
Valet dicere, Paternitas, Filiatio, & Spiratio actiuas ſunt tres relationes reales, non tamen valet dicere, ſunt tres res. ibidem num. 15.
Relatio diuina, quatenus dicit, ad, diuinum dicit, ad, reale: & hoc non eſt cõtra Caietanum. pag. 79. nu. 11.
Relatio diuina quatenùs dicit, vel includit eſſentiam diuinam, dicit infinitam perfectionem. pag. 79. nu. 13.
Relatio diuina, quatenùs virtualiter ab eſſentia diuina diſtinguitur, non dicit perfectionem aliquam abſolutam. pag. 80. à num. 16.
In diuinis omnia, ſunt, & debent dici vnum, vbi non obuiat relationis oppoſitio. pag. 493. nu. 32.
Non rectè à quibuſdam dicitur, quòd relationes diuinæ, quatenùs virtualiter ab eſſentia diſtinguuntur, dicunt perfectionẽ ab eſſentia diſtinctam, & quòd hoc non obſtante, ſunt vna, eademquè perfectio. pag. 79. nu. 14.
Probabile eſt dicere, quòd relatio diuina quatenùs virtualiter ab eſſentia diſtinguitur, dicit perfectionem, & quòd nequè dicit perfectionem, nequè imperfectionem. pag. 80. nu. 17.
Argumenta, vtriuſquè partis proponuntur, & ſoluuntur. ibid. & à pag. 82.
Relatio, quomodo non accipitur per comparationem ad illud cui ineſt, ſed per reſpectum ad alterum. pag. 77. nu. 36.

Digitized by Google

Relatio diuina ſi diceret perfectionem, vna relatio diuina adhuc eſſet illud, quod eſt omnis relatio diuina. pag. 85. nu. 60.
Relatio diuina ſi diceret perfectionem, nō ſequeretur, quod vna perfectio eſſet in vna perſona, quæ nō eſſet in alia, & quomodo. pag. 85. nu. 60.
Relatio diuina ſi diceret perfectionem, nō poſſet cum fundamento dici, quòd vna relatio eſſet in qualibet perſona in ratione ornamenti, & perfectionis, & non in ratione denominantis. à pag. 85. & à num. 62.
Relatio diuina ſi diceret perfectionem, illa perfectio, diceretur infinita in ratione ſpecifica relationis, ſed omninò identificata cum perfectione ſimpliciter infinita. pag. 87. n. 80.
Relatio diuina ſi diceret perfectionem modo iam dicto, non eſſet propriè dicenda perfectio ſecundùm quid. ibid. nu. 81.
Propria ratio relationis non accipitur ſecūdùm comparationem ad illud, in quo eſt, ſed ſecundùm comparationem ad aliquid extra; & quomodo hæc propoſitio D. Thomæ vera ſit. pag. 91. à nu. 10.
Relatio rationis eſt verè, & propriè relatio. pag. 75. nu. 14.
Relatio diuina, & eius eſſentia ſunt realiter idem. pag 93. nu. 4.
Relatio diuina non eſt ſimpliciter limitata. ibid. à nu. 10.
Relatio diuina eſt ſimpliciter illimitata, ſine præciſione loquendo. pag. 94. nu. 13.
Relatio diuina ſecundùm relationem relatiuæ ſubſiſtentię, Vtrum ſit dicenda ſimpliciter illimitata, an potiùs ſimpliciter limitata. ibid. nu. 12.
Relatio inquantùm relatio eſt, quomodo diuerſimodè diuerſum ſenſum faciat. pa. 148 nu. 16. & p. 168. n. 21. & p. 528. nu. 6.
Relationes diuinæ diſtinguuntur à diuina eſſentia virtualiter. pag. 96. à nu. 17.
Relationes diuinæ nullo modo diſtinguūtur actualiter formaliter ex natura rei ab eſſentia diuina. pag. 97. nu. 20.
Scotus quid ſenſerit de diſtinctione inter eſſentiam, & relationem in diuinis. pag. 95. à num. 2.
Relationes diuinæ quamuis magis diſtinguantur ab eſſentia, quàm abſoluta attributa ab eadem eſſentia, tamen hoc eſt intra eamdem lineam diſtinctionis virtualis, & rationis. pag. 100. à nu. 48.
Relatio diuina, & eius eſſentia, quomodo diuerſas diffinitiones habeant. pag. 102. à num. 69.
Relationes diuinæ diſtinguuntur ab eſſentia diuina ratione ratiocinante, & etiam ratione ratiocinata. pag. 103. à nu. 3.
Relationi in diuinis, ſecundùm propriam ſui rationem, non ſolum conuenit dicere ad, ſed etiam propriam ſubſiſtentiam. pag. 168. nu. 14.
Relationibus diuinis vt relationes ſunt, multa conueniunt, quæ repugnant eſſentiæ ſub præciſo conceptu eſſentiæ; & è contra. pag. 104. nu. 15.
Relatio diuina nō eſt de intrinſeco cōceptu eſſentiæ diuinæ, tanquàm prædicatum eſſentiale illius. pag. 117. nu. 6.
Relationes diuinæ non ſunt de intrinſeco, ac formali conceptu eſſentiæ diuinæ, tanquàm modi intrinſeci illius. pag. 108. à nu. 20.
Relatio diuina in ratione relationis, nulla ratione poteſt de eſsētia diuina abſolutè & formaliter prædicari. pag. 10?. nu. 12.
Relationes perſonales ſunt per ſe ſubſiſtētes ſubſiſtentijs proprijs, imò potiùs ſunt tres ſubſiſtentiæ propriç pag. 167. num. 10.
Vna relatio non poteſt eſſe fundamentum alterius relationis. pag. 569. nu. 7.
Relatio æqualitatis inter diuinas perſonas nō eſt relatio realis, ſed rationis tantùm. ibid. à nu. 4.
Relatio vt ſit realis, quid requirit. pag. 570. num. 12.
Vnum relatiuum eſt in altero ſecundū intellectum. pag 577. nu. 7.

Res.

Res in diuinis non ſolùm accipitur abſolutè, ſed etiam relatiuè. pag. 124. à nu. 6. & pag. 510. nu. 8.
Res naturæ quomodo conueniat Deo. pa. 137. nu. 5.
Res naturæ ſubſtantia, & hypoſtaſis, quomodo differunt à perſona, & quomodo non. pag. 137. nu. 6.
Numquàm res aliqua diſtinguitur ratione à ſe ipſa, licèt concedatur, quòd aliqua ſint idem realiter, & diſtincta ratione. pag. 105. nu. 22.
Defenditur hæc doctrina, quæ eſt Capreoli ab impugnationibus Recupiti. ibidem à num. 25.

S

Sabellius.

Sabellius quis, & qualis fuerit, eiuſquè impia hæreſis proponitur, & explicatur. pag. 5. nu. 17.

Sacerdos.

Quando Sacerdos audit ab Epiſcopo ordinātē ipſum, Accipe Spiritum ſanctū, poteſtas iuriſdictionis datur ei, non Spiritus ſanctus mittitur. pag. 612. nu. 22.

Salomon.

Salomon quomodo à Sacra Scriptura vocatur vnigenitus, qui tamen habuit ante

ſe

Digitized by Google

ſe alium fratrem ab eodem Patre, & matre natum.pag.35.à nu.4.

Sapientia.

Sapientia,quatenùs appropriatur Filio,cõuenit ei per modum diſſimilitudinis, & etiam per modum ſimilitudinis. pa.502. num.5.

Sapientia diuina quomodo poteſt dici generans,& creans.pag.297.nu.40.

Similitudo.

Similitudo in eſſe eſſentiali, & ſimilitudo in eſſe naturali,quomodo ſunt duæ differẽtiæ oppoſitæ,& quomodo non. pag.26. à nu.32.

Singularitas.

Singularitas, vel pluralitas nominis ſubſtãtiui attenditur ſecundùm formam ſignificatam per nomen, & etiam ſecundùm ſuppoſita.pag.486.nu.2.

Solus.

Hæc dictio ,ſolus,poteſt accipi vt cathegorematica,& tunc eſt verè, & propriè nomen.pag.255.à nu.1.

Hęc dictio,ſolus,quomodo poteſt adiungi, & quomodo non diuinis prædicatis.ibid. à num.4.

Hęc dictio,ſolus,propriè nõ ponitur ex parte prædicati.pag.256.nu.8.

Species.

Species conſtituitur in ratione formali ſpeciei, per hoc quòd immediatè ſubijcitur generi,& ex hoc habet,vt de ſuis inferioribus prædicetur.pag.32.nu.23.

Spiratio Actiua.

Spiratio actiua Patris non eſt diſtincta realiter à ſpiratione actiua Filij.p.128.à nu.4

Spiratio actiua nulla reali diſtinctione diſtinguitur à paternitate,& filiatione. pag. 129.à nu. 7.

Spiratio actiua ſi non cõmunicaretur Filio à Patre, non eſſet eadem perſona Patris, quæ modò eſt; neque perſona Filij eſſet eadem.pag.416.à nu. 12.

Spiratione actiua omninò vna, & eadem Pater, & Filius producunt Spiritum ſanctum.pag.432.à nu.5.& à p.436.à nu.13.

Spiratio actiua Patris conuenit quoquè Filio;quia non opponitur ei relatiuè. pag. 179.nu.2.

Virtus ſpiratiua neceſſariò, & per ſe requirit inter Patrem, & Filium perſonalem diſtinctionem, non ſic verò virtus creatiua.pag.264.nu.9.

Spiritus,& Spirator.

Pater,& Filius ſunt duo ſpirantes, pag.440. à nu.6.

Spiritus eſt terminus adiectiuus adiectiuè acceptus.ibid.

Spirator eſt terminus ſubſtantiuus ſubſtantiuè acceptus.pag.441.nu.8.

Vnus ſpirator dicendi ſunt Pater, & Filius, non duo ſpiratores.pag.440.à nu.7.

Proprium, & primarium ſignificatum Spiratoris,non eſt perſona ſpirans, aut perſonæ ſpirãtes,ſed virtus ſpiratiua,actioq; ſpirandi,vt ſubſiſtant ſubſiſtentijs relatiuis.pag.441.à nu.15.

Spiritus ſanctus.

Spiritus ſanctus vi ſuæ formalis proceſſionis,magis procedit ſimilis in natura diuina, quàm Filius genitus in rebus creatis identicè,non autem repræſentatiuè. pag 58.nu.155.

Suſtineri poteſt,quòd etiam ſi Spiritus ſanctus vi ſuæ formalis proceſſionis procederet vt perſona,nõ propterea ſequitur, quòd procederet vt genitus. ibidem à num.146.

Non valet ſic arguere, Spiritus ſanctus nõ procedit vt formaliter ſimilis, ergo procedit,vt formaliter diſſimilis. pag 56.nu. 134.

Spiritus ſanctus,Patri,Filioquè relatiuè opponitur expreſsè, prout perſona Patris, & perſona Filij conſiderantur in ratione duorum ſpirantium, vel in ratione vnius ſpiratoris.pag.180.nu.10.

Spiritus ſanctus procedit ex dilectione diuinæ eſſentiæ,& perſonarum, non verò ex dilectione creaturarum poſſibilium.pag. 469.à nu.1.

Spiritus ſanctus procederet ex dilectione creaturarum poſſibilium,ſi creaturæ poſſibiles diligerentur à Deo.p.469.nu.9.

Spiritus ſanctus non procedit ex dilectione creaturarum in aliqua temporis differentia exiſtentium.ibid.nu.11.

Spiritus ſanctus procedit vt amor, non formaliter,ſed terminatiue.p 476.nu.10.

Spiritus ſanctus ſolùm dicitur verè, & maximè propriè donum, ſi donum accipiatur notionaliter.p.477.nu.9.

Spiritus ſanctus eſt media perſona inter Patrem, & Filium impulſiuè, non autem proceſſiuè.pag.468.nu.32.

Spiritus sãctus neceſſariò procedit à Patre, & Filio.pag.561.à nu.3.

Spiritus ſancti proceſſio non eſt libera quò ad exercitium.ibid.à nu.5.

Hoc nomen,Spiritus ſanctus,quomodo eſt proprium nomen tertiæ perſonæ. pag. 398.à nu.1.

Spiritus ſanctus procedit à Filio, & hoc nõ ſolùm eſt de fide certum, ſed etiam ſuppoſita fide proceſſionis Spiritus ſancti à Patre,ratione probatur.pag.402.num.1. & pag.407.à nu.7.

Quando orta eſt hæreſis negans Spiritũ sãctũ procedere à Filio, & quando & quomodo,& per quos aucta eſt, & quare. ibidem à nu.1.

Spiritum ſanctum à Filio eſſe, & ab eodem procedere,idem omninò ſunt.p.403.n.8.

Spiritus ſanctus procedit à Filio, dum dicitur

tur

tur procedere à Patre,& etiam ſi adderetur,quòd à ſolo Patre procedit, non excluderetur inde Filius.p.404.nu.16.

Spiritum ſanctum procedere à Filio pluribus Sacræ Scripturæ authoritatibus probatut.à pag.407.& à nu.7.

Spiritum ſanctum procedere à Patre per Filium,eſt vera propoſitio,& Spiritũ ſãctũ procedere etiam à Filio,cum ſit vera,cur nõ eſt in vſu prima,benè tamen ſecunda. p.409. à n.27.

Si Spiritus ſanctus non procederet à Filio, nequè etiã procederet à Patre. 416.n.11.

Si Spiritus ſanctus non procederet à Filio, totum Trinitatis myſterium turbaretur. ibid.à nu. 12.

Spiritus ſãctus per ſe petit procedere à duobus.ibid.à nu.16.& pag.450.à nu.7.

Si Spiritus ſanctus non procederet à Filio, & procederet à Patre,Spiritusſanctus nõ diceretur Filius.pag.416.à nu. 18.

Si Spiritus ſanctus non procederet à Filio, & procederet à Patre, diſtingueretur à Patre realiter,nõ verè realiter diſtingueretur à Filio.pag.417.à nu.21.

Hoc idem authoritatibus Conciliorum, & Sanctorum, rectè probatur.ibid.à nu.22.

Spiritus ſanctus procedit à Patre immediatè,& mediatè.pag.427.nu.4.

Spiritus ſanctus procedit a Filio principaliter.pag.432.nu.3.

Spiritus ſanctus æquè principaliter procedit à Patre & Filio.ibid.nu.5.

Spiritus ſanctus in aliquo bono ſenſu procedit à Patre principaliter,& non principaliter à Filio.ibid.nu.7.

Spiritus ſanctus nõ cõgruè dicitur principalius procedere à Patre,quàm à Filio.pag.433.à nu.10.

Spiritus ſanctus in Incarnationis myſterio nominatur ab Angelo, priùs quã Pater, & Filius,fortaſsè, quia tanquàm Spõſus Virgini obuiam exiuit.pag.182.nu. 27.

Sacrificium.

Sacrificium quod in deſerto præceperat Deus,vt ab Iſraelitico populo offerretur,fidem myſterij Trinitatis figurabat. pag. 276.nu.32.

Subſiſtentia.

Subſiſtentia dupliciter accipi poteſt in abſtracto ſcilicet,& in concreto. p.191.n.1.

Subſiſtentiæ abſolutæ nomine, non intelligitur à Caietano ſuppoſitum abſolutũ. pag.193.nu.11.

Subſiſtentia abſoluta non repugnat cum tribus ſubſiſtentijs relatiuis. pag.200 nu. 64.& pag.203. nu.88.

Subſiſtentia abſoluta pluribus D. Tho. authoritatibus demonſtratur.p.201.à n.73.

Subſiſtentiæ relatiuę arguunt in Deo ſubſiſtentiam abſolutam.pag.205.nu.104.

Subſiſtentiæ relatiuæ dantur in Deo propter diuinæ naturæ fœcunditatem, non autem vt ſint vltimum eſſentiæ diuinæ complementum.pag.206.nu.107.

Subſiſtentia abſoluta rectè probatur ad hominem contra aduerſarios ex conceſſione exiſtentiæ abſolutæ.ibid.à nu.108.

Subſiſtẽtia abſoluta eſt pertinens ad intrinſecam rationem eſſentiæ diuinæ.pa. 209. nu.125.

Subſiſtẽtia quomodo eſt vltimus terminus naturæ ſubſtantialis.p.209.nu.129.

Quare datur vna ſubſiſtentia abſoluta, & tres ſubſiſtentiæ relatiuæ,non tamen datur vnus Deus abſolutus,& tres Dij relatiui.ibidem num.131.

Subſiſtentia abſoluta non eſt perſona. pag.210.nu.135.

De ratione ſubſiſtentiæ naturæ communicabilis, eſt reddere illam incommunicabilem in ordine ad plures naturas,non in ordine ad plures ſubſiſtentias relatiuas. ibidem nu.136.

Subſiſtentia abſoluta defenditur ad mentẽ D.Thomę reſpondendo ad authoritates in contrarium.à p.210.& à nu.137.

Dantur in Deo tres ſubſiſtentiæ relatiuæ. pag.215.nu.19.

Non mendosè legitur, cum per Agathonẽ Papam dicitur, trium ſubſiſtentiarum vnam ſubſiſtentiam. ibidem.

Authoritates pro ſubſiſtentijs relatiuis nõ congruè explicantur concretiuè, & non abſtractiuè.pag.216.à nu.24.

Subſiſtentiæ relatiuę pluribus D.Thom.authoritatibus roborantur p.210 a nu.28.

Subſiſtentia in rebus creatis debet attingi per creationem,aut per generationem, tanquàm id quod producitur,vt communicetur. pag.218.nu.37.

Subſiſtentia abſoluta non producitur in diuinis,ſed communicatur.ibidem.

Subſiſtentia relatiua,ſeù perſonalis, producitur in diuinis.ibidem.

Subſiſtentia ſpirationis actiuę,nõ datur,ſeù vnum ſubſiſtens relatiuum, quod ſpiret Spiritum ſanctum, non eſt concedẽdum à pag.443.& à nu.4.

Quare,cum detur vna ſubſiſtẽtia abſoluta, & tres ſubſiſtentiæ relatiuæ,non etiam datur vna ſubſiſtentia ſpiratoris? pag. 448.à nu.28.

Datur in Deo vna ſubſiſtentia abſoluta, præter tres ſubſiſtentias relatiuas. p.112. nu.55.& à pag.194.à nu.17.

Subſiſtentia relatiua reddit naturam diuinã per ſe ſubſiſtentem ob fœcunditatem naturæ,non propter neceſſitatem ſubſiſtẽdi.pag.113.nu.58.

Subſiſtentia quomodo accipiatur more Conciliorum, & Patrum; & quomodo more Theologorum.p.158.nu.13.

Subſtan-

Digitized by Google

Subſtantia.

Subſtantia indiuiduatur per ſe ipſam, ideſt, per aliquid ſui generis. pag. 132. nu. 1.

Subſtantia, quæ ponitur in diffinitione perſonæ, accipitur communiter, prout diuiditur per primam & ſecundam, & defenditur D. Thomas ab obiectionibus Faſoli. à pag. 133. & à nu. 6.

Subſtantia, prout dicit quidditatem, nõ cõuertitur cum perſona ſecundùm rationẽ loquendo pag. 136. nu. 2.

Subſtãtia prima & pſona ſũt omninò vnũ, & idem; contra Faſolum pag. 137. nu. 2.

Subſtantia, vt dicit ſubiectũ inhæſionis, non conuenit Deo, conuenit verò prout dicit ſubiectum propoſitionis. pag. 137. nu. 3.

Subſtantia dicitur ſecundùm quod per ſe exiſtit. pag. 137 nu. 5.

Sybilla.

Sybillæ, & præſertim Sybilla Erithręa, non obſcurè loquuntur de myſterio Trinitatis. pag. 276. nu. 27.

Symbolum.

Symbola Conciliorum nõ ſunt alia à Symbolo Apoſtolorum. pag. 405. nu. 17.

In Symbolo Nicęno illa particula, Filioq;, non fuit primò poſita à Patribus Niceni Concilij, ſed in quodam Concilio in Occidentalibus partibus authoritate Papæ congregato; nomen autem loci in quo illud Cõcilium fuit celebratum, & nomẽ illius Summi Pontificis, cuius authoritate fuit illa particula poſita, hucuſq; ignoratur. ibidem à nu. 17.

Supernaturale.

Supernaturale, & naturale non opponuntur. pag. 267. nu. 14.

T

Tantùm.

Haec dictio, tãtùm, poteſt poni ex parte ſubiecti, & ex parte prædicati; & quare. pag. 255. nu. 10.

Templum.

Templum Dei ideo dicitur, quia eſt locus Deo dicatus. pag. 591. nu. 6.

Anima eſt templum Dei per ſanctificantẽ gratiã & ſine dono ſanctificantis gratiæ non poteſt dici templũ Dei. ibid. à nu. 4.

Terminus.

Terminus concretus dicitur cõcretus, quia concernit ſubiectum. p. 549 nu. 17.

Quemadmodũ per actionẽ intellectus producitur terminus, ſeu verbũ, ita pari formiter, per actionẽ voluntatis producitur terminus intra voluntatem. p. 28. à nu. 4.

Termini numerales qui ſunt. p. 184. nu. 1.

Terminus ſubſtantiuus concretus ſi ex parte ſubiecti poſitus, ſe tenet materialiter, quare hic terminus, Spirator, ex parte ſubiecti poſitus, non dicitur in numero plurali. pag. 442. à nu. 16.

Terminus, ſcilicet, eſſentialiter, perſonaliter & notionaliter in diuinis ſũt aduerbia diuersa ſignificatione habẽtia. 460. nu. 5.

Terminis ſubſtantiuis pluraficatis multiplicantur ſuppoſita, & rationes ipſorum pag. 218 nu. 39.

Terminus adiectiuus poteſt & ſolet ſubſtãtiuè accipi. pag. 210. nu. 40.

Tres, & Tria.

Tres eſt nomen partitiuum. p. 188. nu. 1.

Bis tria, quomodo nõ ſunt ſex. 182. n. 25.

Trinitas.

Trinitas accipitur pro tribus perſonis vnius eſſentiæ pag. 245 nu. 1.

Trinitas in diuinis ſignificat determinatum numerum perſonarum. pag. 246 nu. 1.

Trinitatis nomine vtũtur Conc. à. 246. n. 4.

Quãdo dicitur, Sancta Trinitas vnus Deus, ly, vnus Deus ponitur emphaticè & explicatiuè, nõ autẽ neceſſario. ibid. nu. 12.

Hoc nomen, Trinitas, quomodo in diuinis ſit amplectendum, & quomodo reijciẽdum. pag 247. nu. 13.

Hoc nomen, Trinitas, nec ſignificat ſubſtãtiã, nec relationẽ ſed relationes, ſeù perſonas vnius eſſentiæ diuinæ. ibid. nu. 14.

Hoc nomẽ, Trinitas, aliquo modo cõuenit cum nominibus collectiuis, & aliquo modo differt ab eis. pag. 247 nu. 18.

Trinitas differt à triplicitate, & perſonæ diuinæ poſſunt dici Trinitas, non tamen poſſunt dici trinæ. pag. 247. à nu. 20.

Trinitas nõ poteſt ratione naturali demõſtrari, non tamen myſterium Trinitatis eſt contra naturam. p. 263. à nu. 1. & à pa. 274 à n. 13.

V

Verbum.

Verbum diuinũ exiſtit exiſtẽtia formali per ipſum intelligere abſolutũ Dei per ipſum verò intelligere notionaliter acceptum, exiſtit cauſaliter. p. 25. nu. 20.

Intelligi Verbi diuini nõ eſt ſola denominatio extrinſeca, ſed intrinſeca. ibid. nu. 23.

Quomodo intelligitur, quòd eſſe Verbi eſt intelligi. à pag. 24. & à nu. 18.

Verbum diuinum non eſt imago artificialis Patris. pag. 396. nu. 6.

Verbum diuinum eſt imago naturalis Patris, imò etiam intentionalis. ibid. à nu. 7.

Verbum diuinum non eſt imago eſſentiæ diuinæ. ibid. à nu. 9.

Verbi diuini proceſſio dicitur generatio. pag. 20. nu. 1.

Verbum procedit ex notitia, non prout in facto eſſe, ſed ex notitia, prout prius ratione conſideratur vt actio. p. 8. nu. 37.

Verbum diuinum aſſumpſit has carnes, hęc oſſa, & hanc animam humanitatis Chriſti. pag. 140. à nu. 6.

Verbum, ex hoc, quod a Patre procedit vt genitum habet, vt ab eo cum Patre communicetur ei ſpiratio actiua. p. 32. nu. 23.

Verbum procedit vt genitum, non ratione

Digitized by Google

verbi, qua cōmuniſſimū eſt, ſed ratione verbi, quæ eſt primū rationis verbi analogatū, ſcit qua verbū ſimpliciter eſt. 37. n. 17.
Verbum diuinū, non minùs, tamen aliter, procedit vt verbum diuinarum perſonarum, creaturarum poſſibilium, & ipſius diuinæ eſſentiæ. pag. 44. nu. 29.
Verbū perfectiſſimū ex eo, quod procedit per productionē perfectiſſimā, debet procedere vt perfectè ſimile cū obiecto. 44. n. 42.
Verbum in diuinis, non procedit, vt Deus de ſe ipſo perfectiſſimam habeat cognitionem. pag. 45. nu. 42.
Verbū diuinū ex propria ratione formali debet procedere, vt ſimile ſpeciei intelligibili, quę eſt eſſentia diuina, vt repræſentans ſe ipſam, & in modo eſſendi eiuſdē. 45. n. 43
Verbum non eſt ipſa actualis intellectio. pag. 45. nu. 44.
Verbum diuinum procedit vt genitum, nō verò Spiritus ſanctus; quia Verbum diuinum procedit vt imago Patris, non verò Spiritus ſanctus. pag. 49. à nu. 74.
Verbū diuinū nō ideo formaliter dicitur genitū quia accipit naturā fœcūdā. 49. n. 80
Verbū diuinū dicitur genitū, quia procedit vt ſimilitudo intētionalis, ſimul, & naturalis. 52. à n. 101.
Verbum diuinū nō ideo dicitur genitū quia procedit per intellectionem, quæ eſt virtualiter natura; Et Spiritus ſanctus non dicitur genitus, quia procedit per voluntatem, quæ non eſt virtualiter natura; contra Arriagam. pag. 54. à nu. 121.
Ratio veluti ſpecifica, & formalis generationis Verbi, non eſt ſola ſimilitudo obiectiua, & intentionalis. p. 53. à nu. 112.
Verbū in diuinis ſi propriè ſumatur eſt nomen perſonale, & nullo modo eſſentiale. pag. 340. à nu. 1. & pag. 346. à nu. 6.
Verbum quomodo tripliciter dicitur in nobis propriè. pag. 340. à nu. 4.
Verbum eſt proprium nomen Filij in diuinis. Et quomodo. p. 350. à nu. 1.
Verbum diuinum importat reſpectum ad creaturas, & quomodo hoc verum ſit. pag. 354. à nu. 3. & p. 356. à nu. 5.
Verbo diuino cōuenit dicere reſpectum ad creaturas ex propria ratione Verbi ſecūdū quod perſonaliter dicitur. 356. à n. 10.
Verbum diuinum procedit ex cognitione diuinæ eſſentiæ, & omniū, quæ abſolutè conueniunt Deo. pag. 361. à nu. 23.
Verbum diuinum procedit etiam ex cognitione creaturarū poſſibiliū. p. 370. à n. 11.
Verbum diuinū nō procedit ex cognitione libera creaturarum futurarum, quatenùs cognitio libera eſt. p. 375. à nu. 4.
Verbū diuinū neceſſariò procedit ex cognitione creaturarū futurarū, nō vt cognitio libera eſt, ſed vt neceſſaria eſt. 375. à n. 6.
Verbum diuinum procederet ex ſcientia media, ſi daretur. pag. 382. à nu. 4.
Verbū diuinū procedit ex cognitione intuitiua ſui, & Spiritus ſancti. 383. à nu. 4.

Veritas.

Valet dicere, quòd tres perſonæ diuinę ſunt tres veritates relatiuæ, & quomodo. pag. 234. à nu. 11.

Vermis.

Vermes geniti ex putredine intra animalia à ratione geniti & filij excludūtur. 20. n. 7
Vermes procedunt ex corruptione ſubſtātię, aut ex ipſo ſemine vt corrupto, aut ex corruptione excrementorum eiuſdem ſubſtantiæ. pag. 2 nu. 8.
Vermes procedunt vt ſimiles ſecundū genus valdè remotum; mulus verò ſecūdū genus valdè propinquum. p. 21. nu. 8.

Viſio D.

Viſio clara Dei ſi collocaretur in lapide, lapis nō denominaretur vidēs, & quare. 86. n. 76.

Vitalis motio.

Vitalis motio & impulſio, quę volūtatis proceſſioni attribuitur, nō accipitur formaliter ſed veluti cauſaliter, & hoc propter penuriam vocabulorum. 7. & 38. nu. 22.

Vnio, Vnitas, & Vnum.

Vnio Verbi diuini cū humana natura nō eſt facta in ſubſiſtētia abſoluta, abſolutè accepta contra Durandum. p. 219. nu. 47.
Vnio Verbi cum humana natura non fuit dupliciter facta quantùm ad ſubſiſtētiā, ſcilicet abſolutam, prout abſoluta, & communis eſt, & ſecundò quantùm ad proprietatem relatiuam Verbi contra Durandum. pag. 219. à nu. 49.
Vnio hypoſtatica naturę humanę, ſcilicet, Chriſti Domini in perſona Verbi diuini, non ſolùm fuit facta in ratione vnionis, verumetiam in ratione hypoſtaticæ cōtra Vulpes. pag. 161. à nu. 47.
Vnum additum ſupra ens non propriè cōtrahit ens. pag. 163. n. 65. & pa. 165. 84.
Vnum ſupra ens non addit niſi puram diuiſionis negationem. pag. 165. nu. 83.
Vnum aliter comparatur ad ens, & aliter perſona ad naturam. pag. 165. nu. 84.
Vnum traſcendens non addit aliquid ſupra ens. pag. 18. nu. 3.
Vnum traſcendens dupliciter dicitur ibidē.
Vnum, quod eſt principiū numeri, & vnū traſcendens adinuicem comparantur & diſcriminantur. pag. 18. nu. 7 & 8
Valet dicere quòd tres perſonæ diuinæ ſūt tres vnitates relatiuæ. pag. 234. à nu. 13.
Vnum opponitur multitudini non contradictoriè, non priuatiuè ſed ſicut menſura opponitur mēſurato. pag. 185. n. 11.
Vnum, quod conuertitur cum ente opponitur multitudini per modum priuationis, vt indiuiſum diuiſo pag. 185. nu. 12.
Vltima vnitas in numeris quomodo ſe habet vt forma. pag. 181. nu. 24. & 25.
Vnum quodcunque illud ſit debet dicere indiuiſionem in ſe. pag. 180. nu. 13.

Vnum

Digitized by Google

Vtrum ſuprà rem, vnam tantùm addit negationem, multa vero duplicem. pag. 186. à nu. 15.

Vniuerſale.

Vniuerſale logicum quomodo ſit. pag. 76. nu. 28.

Vniuerſale logicum eſt ens rationis. ibidē.

Voluntas.

Voluntas Dei eſſentialiter accepta nō antecedit etiam ſecundùm intellectum generationem Verbi; & antecedit, differenter tamen. pag. 559 nu. 7.

Quomodò nullo modo antecedit, nec vllo modo conſequitur. ibidem à nu. 5.

Voluntas duplicem habet operandi modū. pag. 516 nu. 11.

Vide Verbo, Proceſſio; & Verbo, Spiritus ſanctus.

Vox.

Vox ſignificat conceptum ſubſtitutiuè, non autem obiectiuè. pag. 8. nu. 24.

Vox ſignificat rem obiectiuè, ſed mediante conceptu. ibidem.

INDEX DISPVTATIONVM, quæ in hoc opere continentur.

Vtrum proceſſiones diuinæ ſint dicēdæ mutationes. pag. 10.

Vtrum productio in diuinis ſit dicenda verè, & propriè actio. pag. 14.

Vtrum proceſſio diuini Verbi ſit generatio. pag. 22.

Vtrum proceſſio amoris ſit aliquo modo à ratione Verbi diſtincta. pag. 29.

Quare ſi proceſſio Verbi diuini eſt generatio, non etiam proceſſio Spiritus ſancti generatio dici poteſt. pag. 38.

Vtrum proceſſiones diuinæ ſint immediatè per naturam. pag. 61.

Vtrum proceſſiones diuinæ ſint per intellectum, & voluntatem. pag. 65.

Vtrum relatio in diuinis dicat perfectionē. pag. 77.

Vtrum verum ſit, quòd relatio in Deo eſt idem eſſentiæ ſecundùm rem. pag. 92.

Vtrum relatio, & eſſentia in diuinis diſtinguantur realiter formaliter, ſeù ex natura rei. pag. 95.

Vtrum relatio diuina diſtinguatur ratione ratiocinata ab eſſentia diuina. pag. 103.

Vtrum relationes diuinæ ſint de intrinſeco, ac eſſentiali conceptu eſſentiæ diuinæ. pag. 106.

Vtrum eſſentia diuina ſit de intrinſeco, ac eſſentiali conceptu relationum pa. 116.

Vtrum ſpiratio actiua diſtinguatur realiter à paternitate, & filiatione. pag. 128.

Vtrum perſona ſignificet ſecundam intētionem. pag. 150.

Vtrum perſona, & præſertim perſona diuina ex ſuo formali, ac primario ſignificato, conſiſtat in ſola negatione an potius in aliquo poſitiuo. pag. 155.

Vtrum perſona diuina ex ſuo formali, ac primario ſignificato ſignificet relationem, an potius aliquod abſolutum. 166.

Vtrum concedenda ſit in Deo ſubſiſtentia abſoluta, & communis. pag. 191.

Vtrum præter ſubſiſtentiam abſolutam dentur in Deo tres ſubſiſtentiæ relatiuæ pag. 312.

Vtrum in Deo ſit tres exiſtentiæ relatiuæ, pag. 222.

Vtrum tres diuinæ perſonæ poſſint dici tres res. pag. 232.

Vtrum tres diuinæ perſonæ poſſint dici tria entia, tres eſſentiæ, tres vnitates, & tres infinitates. pag. 231.

Vtrum hoc nomē, perſona diuina ſit quid commune vniuocum tribus diuinis perſonis. pag. 236.

Vtrum hoc nomen, perſona diuina quidditatiuè de tribus perſonis diuinis prædicetur, & poſſit dici verè, & propriè vniuerſale. pag. 240.

Vtrum myſterium Trinitatis ſit contra naturam. pag. 265.

Vtrum myſterium Trinitatis poſſit ratione naturali demonſtrari. pag. 271.

Vtrum extra claram viſionem Dei poſſit intellectui creato communicari clara notitia Trinitatis quò ad quid eſt, vel minùs quò ad an eſt. pag. 282.

Vtrum myſterium Trinitatis poſſit efficaciter probari ex veteri teſtamēto aduerſus Iudæos. pag 285.

Vtrum notiones ſint tantum quinquè. pag. 303.

Vtrum Patri conueniat dici initium, authorem Filij, principium totius deitatis, & Trinitatis. pag. 310.

Quomodo hoc nomen, Ingenitum, ſit proprium nomen Patris. pag. 324.

Vtrum Ingenitum, ſeù innaſcibilitas, dicat puram negationem; an etiam aliquod poſitiuum. pag. 328.

Vtrum perſona Patris intelligatur ſecundum noſtrum intelligendi modum quaſi pullulans ab eſſentia. pag. 335.

Vtrum Filius in diuinis ſit verè, & propriè Verbum. pag. 341.

Vtrum Verbum in diuinis ſit nomen perſonale, eſſentiale, an vtrumquè ſimul. pag. 345.

Vtrum in Verbo diuino importetur reſpectus ad creaturas, & an conueniat ei ratione eſſentiæ, quam includit, an potius ratione proprietatis perſonalis. pa. 355.

Vtrum Verbum diuinum procedat ex cognitione omnium, quæ neceſſariò, ac formaliter ſunt in Deo. pag. 358.

Vtrum Verbum diuinum procedat ex cogni-

gnitione creaturarum poſſibilium. 369.
Vtrum Verbum diuinum procedat ex cognitione creaturarum abſolutè futurarum. pag. 375.
Vtrum Verbum diuinum procedat ex ſcientia media. pag. 381.
Vtrum cognitio, qua Verbum procedit ex cognitione ſui, & Spiritus ſancti, dicenda ſit intuitiua, an potiùs abſtractiua. pag. 383.
In quo ratio imaginis conſiſtat. pag. 390.
Vtrum ſit propriè imago in diuinis, & an ſit nomen perſonale, an potiùs eſſentiale. pag. 395.
Vtrum ratio imaginis in diuinis verè, & propriè conueniat Filio. pag. [illegible]93.
Vtrum Spiritus ſanctus procedat à Filio, idque poſſit authoritatibus Sacræ ſcripturæ probari. pag. 406.
Vtrum ſi Spiritus ſanctus non procederet à Filio, diſtingueretur ab illo. pag. 414.
Vtrum Spiritus ſanctus principaliùs procedat à Patre, quàm à Filio pag. 432.
Vtrum Pater, & Filius ſint vnum principium Spiritus ſancti. pag. 435.
Vtrum Pater, & Filius dicendi ſint vnus ſpirator, an duo ſpiratores. pag. 4[illegible]0.
Vtrum Pater, & Filius in ratione vnius ſpiratoris, ſubſiſtant vna ſubſiſtentia, communi relatiua. pag. 443.
Vtrum Spiritus ſanctus ſuæ propriæ perſonalitatis ratione petat procedere à duabus perſonis. pag. 448.
Pro quo ſupponat principium Spiritus ſancti pag. 454.
Vtrum hæc propoſitio Pater, & Filius diligunt ſe Spiritu ſancto, ſit cum proprietate vera. pag. 454.
Ex quorum obiectorum dilectione procedat Spiritus ſanctus. pag. 469.
Vtrum donum notionaliter acceptum ſit proprium nomen Spiritus ſancti. 476.
Vtrum ſint veræ hæ propoſitiones, eſſentia diuina generat, eſſentia diuina generatur. pag. 493.
Vtrum in perſonis diuinis ſint ponendæ proprietates, quibus perſonæ conſtituãtur. pag. 516.
Vtrum proprietates perſonales conſtituãt perſonas ad modum formæ partis, an potius ad modum formæ totius. 519.
Vtrum proprietates perſonarum diuinarum conſtitutiuæ, ſint abſolutæ. 523.
Vtrum conſtitutiuum, ac diſtinctiuum perſonæ diuinæ ſit proprietas relatiua, ſub ratione abſoluta, ſeù modo abſoluto, an potiùs ſub ratione, & modalitate etiam relatiua. pag. [illegible]2[illegible].
Vtrum perſonæ diuinæ conſtituantur relationibus, ſecundum quod dicuntur origines an potiùs ſecundum quòd nomine relationis nuncupantur. pag. 527.
Vtrum actus notionales conſiſtant in ſola, & pura relatione. pag. 545.
Vtrum actus notionales dicant in recto abſolutum, & relationem in obliquo, an potiùs vtrumquè in recto. pag. 547.
Vtrum actus notionales ſint ex natura rei diſtincti ab actibus intelligendi, & volendi. pag. 551.
Vtrum potentia generatiua in diuinis dicat in recto aliquid abſolutum, an potius relationem. pag. 554.
Vtrum actus notionalis, qui dicitur generatio, ſeu generare, ſit in aliquo ſigno à voluntate diuina præuolitus. pag. [illegible]58.
Vtrum Spiritus ſanctus procedat liberè à Patre, & Filio. pag. 56[illegible].
Quinam ſit terminus generationis, & proceſſionis. pag. 563.
Vtrum æqualitas inter diuinas perſonas ſit relatio realis. pag. 569.
Vtrum in diuinis detur aliqua prioritas & poſterioritas, naturę ſcilicet, originis, aut rationis. pag. 579.
Vtrum potentia generatiua, & potentia ſpiratiua ſint eadem potentia, ac ipſamet omnipotentia pag. [illegible]82.
Vtrum verum ſit, quod vna perſona diuina ſit in alia ſecundum eſſentiam, relationem, & originem. pag. 584.
Vtrum re vera aliqua perſona diuina mittatur. pag. 603.
Vtrum perſona, quæ mittitur in diuinis, mittatur tantummodo à perſona à qua procedit. pag. 606.
Vtrum perſona Spiritus ſancti poſſit ad minùs per potentiam Dei abſolutã mitti abſquè collatione ſanctificantis gratiæ. pag. 609.

IN hoc opere ex caracteribus inordinatè compoſitis, multi leues, & graues deteguntur errores. Vnde propoſueram errata, & correcta formare; ſed & ab hoc quoque abſtinui. Obſeruaui enim in multis ferè codicibus præter correcta, grauiora emendanda incorrecta, ac proinde, quaſi probata, relicta fuiſſe. Itaquè benignus Lector quotiès huiuſmodi defectus inuenerit corrigat ipſe.

LVCII. Apud Petrum Michaelem. MDCLIX.
Superiorum permiſſu.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

by Google

Digitized by Google